
EINER
TINUATIO
BARONIUM




TOMVS

ANNALES

ECCLESIASTICI

TOMVS TERTIVS

ANNALES ECCLESIASTICI

QVOS POST

CAESAREM S. R. E. CARD. BARONIVM

ODORICVM RAYNALDVM AC IACOBVM LADERCHIVM

PRESBYTEROS CONGREGATIONIS ORATORII DE VRBE

AB AN. MDLXXII. AD NOSTRA VSQVE TEMPORA CONTINVAT

AVGVSTINVS THEINER

EIVSDEM CONGREGATIONIS PRESBYTER, CONSVLTOR SS. CONGREGATIONVM INDICIS LIBRORVM PROHIBITORVM
EPISCOPORVM ET REGVLARIVM, AC SANCTI OFFICII, SOCIVS COLLEGII THEOLOGORVM ARCHIGYMNASII ROMANI
ACADEMIAE PONTIFICIAE ARCHAEOLOGIAE, ET ACADEMIAE HERCVLANENSIS
TABVLARIORVM S. R. E. PRAEFECTVS ETC. ETC.

TOMVS TERTIVS



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA TIBERINA
1856.

NAPOLEONI III.

FRANCORUM IMPERATORI

AUGUSTINUS THEINER C. O. P.

FELICITATEM

Haud sine magno quidem divino consilio factum, quod Majestas Tua clavum tanti Imperii teneat, et gubernacula Reipublicæ tractet, cujus moderatores a primis inde æræ Christianæ temporibus ornamentum Ecclesiæ, ac præcipuum et validissimum sanctæ Divi Petri Cathedræ præsidium semper extitere. „ Non enim credimus otiosum, ita scribit Pelagius PP. II. ad Aunacharium, præstantissimum Autissiodorensem Præsulem, nec sine magnæ divinæ providentiæ admiratione dispositum, quod vestri Reges Romano Imperio in orthodoxæ fidei confessione sint similes; nisi ut huic urbi, ex qua fuerat orinnda, vel universæ Italiæ finitimos, adjutoresque præstaret. „ [1] Iisdem laudibus Stephanus PP. II. prosequitur Galliarum moderatores, dum Pipino, Carolo et Carolomanno Regibus et Patritiis Romanorum scriberet: „ Vobis denique, multis jam devolutis temporibus, hoc bonum opus reservatum est, ut

[1] Collectio Concilior. Galliæ Tom. 1. pag. 1237. Parisiis 1789. fol.

per vos exaltetur Ecclesia, et suam Princeps Apostolorum percipiat justitiam. „[1] Quæ cum ita se habeant, haud mireris, Serenissime Cæsar, Galliarum Regibus summam necessitudinem, summamque conjunctionem cum Romanis Pontificibus semper fuisse, et utrosque amore sese mutuo prosequutos tum ad provehendam dilatandamque in universo terrarum orbe sanctam et immaculatam fidem Catholicam, tum ad curandam ipsius Gallici Imperii prosperitatem et salutem. Perbelle itaque et secundum rerum veritatem Honorius PP. III. scribit Philippo II. Regi: „Quantum Romana Ecclesia regni Francorum turbationem desideret evitare; immo quantum ejus tranquillitatem affectet, facile poterit intelligere quisquis devotionem ipsius regni ad illam et grata subsidia, quæ in illo invenit tempore opportuno, intenta mente voluerit cogitare. Quis enim nesciat, quod Reges et regnum Francorum semper

[1] Apud Caj. Cenni · Monumenta dominationis Pontificiæ. Romæ 1760. Tom. I. pag. 76.

in Apostolicæ Sedis devotione firmiter perstiterunt; quod semper in difficilibus arduisque negotiis astiterunt ei studio indefesso; et nunc contra hæreticam pravitatem, nunc contra paganorum barbariem eidem devote et humiliter obsequendo, illam utrisque formidabilem reddiderunt. Hæc quidem obsequia, et alia, quæ recenseri sub epistolari brevitate non possent, et merita nihilominus Ecclesiæ Gallicanæ, cujus fides ac devotio nullo unquam tempore defecerunt, pro vobis sufficienter, ut credimus, fide jubent, quod inter cætera regna mundi illud quadam prærogativa diligimus charitatis, ejusque statum semper tranquillum esse cupimus et felicem. „ [1] Haud aliter sensit Urbanus PP. IV. cum verba illa magnifica in S. Ludovicum converteret: „ Sane, fili charissime, hoc semper optavit Romana Mater Ecclesia, et ad hoc studium efficax et attentam vigilantiam incessanter impendit, ut Christianissimum

[1] Apud Raynald. Annales Eccles. ad. 1219 n. 19

et famosissimum regnum tuum, cui ex alto Dominus in omnibus benedixit, cujuslibet exinde turbationis nube fugata, serena continuæ pacis amœnitate gauderet, et quibusvis discordiarum surculis ab eo funditus extirpatis, ac concordiæ inibi seminario superfuso, ejus incolis quietæ tranquillitatis, et tranquillæ quietis fructus produceret amabiles et prædulces: nec immerito, quia hoc est regnum, in cujus integritatis odore prædicta Ecclesia in cæterorum fere regnorum, provinciarum orbis terræ scissuris afflicta et animo fatigata respirat. Hoc est regnum, cujus potentia eidem Ecclesiæ contra ejus persecutores in cunctis ipsius tribulationibus constantia semper affuit inconcussa. De hoc etiam regno semper Reges prodiere Catholici, qui claris fidei et devotionis titulis præsigniti, Deo se gratos per sanctæ conversationis merita, et Ecclesiæ prædictæ acceptos per obedientiæ promptitudinem exhibere multipliciter curaverunt. „ [1]

[1] Raynald. ad an. 1202. n. 46

Non verbis inanibus, sed rebus præclare gestis, Gloriosissime Cæsar, universo terrarum orbi non sine omnium gaudio et admiratione testatus es, Te prædecessoribus tuis in moderando inclyto Galliarum Imperio nec pietate in Deum, nec studio in ejus Ecclesiam, nec denique obsequio in hanc Sanctam Romanam Sedem haud unquam cedere velle. Longum nimis esset ac sane superfluum, hujus rei amplissimos testes in medium proferre. Sufficiat id præ omnibus commemorare, quod scilicet opera præprimis tua, aliorumque præclarissimorum Principum Catholicorum, et præ cæteris Inclytissimi Austriæ Imperatoris, augustissimus ac sanctissimus totius Ecclesiæ Antistes, gloriosissimus inquam Summus Pontifex Pius IX., Sedem suam Romanam, ex qua divino quidem numine inflatus ac ductus, excedere aliquantulum sibi visum, quo impiorum consilia in Ecclesiam parata destrueret, rebusque fidei prospiceret, plaudentibus omnibus et præ lætitia exultantibus, repetierit.

Qui unus eventus, nulla unquam ætate obliterandus, jam satis esse potest, qui me audacem excuset, ut Tibi, Gloriosissime Cæsar, in gratam hujus rei memoriam hocce monumentum ponerem, volumenque præsens Annalium meorum Ecclesiasticorum inscriberem et dedicarem: sed et alia ratio id suasit atque impulit, peculiaris nempe ille amor, quo presbyteri Congregationis Oratorii Romani, a primo ejus ortu, Galliam et illius moderatores semper coluere. Quis enim in historia disertus, qui nesciat, Clementem VIII. Pont. Max. precibus, quas S. Philippus Nerius, almus Congregationis Oratorii parens, ac immortalis ille vir, Cæsar Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Baronius, eidem patri carissimus, ad Deum jugiter fudere, permotum quam maxime fuisse, ut Henricum IV. Navarræ et Galliæ Regem, in hæresim, quam magna cum sui nominis laude non ita pridem ejuraverat, iterum lapsum, ob eum quem tamen inde semper inclinatum exhibuit animum in Ecclesiam Catholicam, eidem denuo

restituerit, Galliisque ita pristinam tranquillitatem ac pacem redonaverit (1).

Tu quoque, Clarissime Cæsar, haud absimili rerum civilium conditione, qua Galliæ id temporis laborabant, ad imperiale diadema pervenisti, vestigiisque magni tui prædecessoris, Bearnensis inquam Navarræ Regis, propemodum inhærens, populos Tibi parentes, gravibus satis procellis civilibus antea concussos atque exagitatos, non tam atroci armorum sorte, quorum Tibi successus et gloriosissimi et fortunatissimi extiterunt, quam potius dulcissimæ pacis munere, haud sine omnium admiratione ac plausu, itaque maxima cum laude regendos censuisti. Altius nimirum augustæ tuæ ac præstantissimæ menti perbella quidem ea verba infixa hærent, quæ Silius Italicus, vir ipse consularis, atque sub Vespasiano et Tito Imperatoribus, belli haud secus ac togæ dotibus emi-

(1) Jo. Baccius. Vita di S. Filippo Neri Lib. III. Cap. 9. n. 2.

nentissimus, Scipionum victorias in Africa, tanto sanguine tantaque gloria partas, demirans, egregie dixerat:

Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est! Pax una triumphis
Innumeris potior!

Quid plura? Te quidem, Magnanime Cæsar, Navarræ Rege multo feliciorem beatioremque prædicabo, quippe quum non solum Galliarum res, quod isti unice obtigerat, sed totam fere Europam ad tranquillitatem ac pacem sapientiæ tuæ æquitatisque virtute composueris: cujus sane rei ne posteritas quidem omnium sæculorum immemor erit. Macte virtute! Perge itaque tenere istam viam, quam instituisti. Deum utique Opt. Maximum Tibi et Imperio tuo propitium usque habebis: quæ nempe mea sunt vota, meæ ad eundem supremum bonorum omnium largitorem haud intermissæ preces.

Dabam ex Tabulariis Vaticanis XVIII. Kal. Septembris MDCCCLVI.

ARGUMENTUM

MDLXXIX.

MDLXXX.

MDLXXXI.

MDLXXXII.

MDLXXXIII.

MDLXXXIV.

ARGUMENTUM

ARGUMENTUM

MDLXXXV.

1. — Gravissima illa cura Pontificis animum distinebat, eademque valde angebat, quae de Praesulis Coloniensis electione confirmanda caussam spectabat. Qua in re illud sapientissime factum a Gregorio est, ut omnem a se gratiae et favoris in quemquam suspicionem removeret, caussam nempe totam illi quidem ex tribunalibus, cujus in jure dicendo integritas apud omnes constat, cuique Rotae nomen est, cognoscendam dijudicandamque commiserat. Res quidem agebatur maximis impedita difficultatibus: quarum potissima ex ipsa electi Praesulis persona objiciebatur. Nam si ex genere spectare velimus, occurrit nobis perantiqua et illustris gens Comitum Walburgensium, Truchsessia cognomento: sin autem virum ipsum spectemus, is erat, qui cum vel a prima aetate magnam de se spem omnibus hominibus fecisset, tum deinceps haud fefellisse visus est: ingenii enim et pietatis animique fortitudinis non mediocrem famam sibi comparaverat: adeo ut facile ad magnam et excellentem fortunam niti posse videretur. Itaque bonarum artium percupidus adolescens plures Academias sui erudiendi causa adiit perlustravitque: quare cum Romam se contulisset, et ibidem aliquantum temporis commoratus fuisset, a Pontifice et ab Cardinalibus Patribus, maxime vero ab laudatissimo Othone Truchsessio Cardinali Augustano, patruo suo, non exiguam tulit laudem. Deinde in Germaniam reversus patrui opera clero adscribitur: mox Augustae Vindelicorum perinsigni Canonicorum collegio Praepositus datur, nec non apud Argentinenses Cathedralis Ecclesiae Decanus dicitur, et Metropolitanae Coloniensis Canonicus renunciatur. In his muneribus adeo callide se gessit, cum de se virtutis ac prudentiae famam excitavit, et tam astute personam induit viri summa Catholicae Ecclesiae commodis posthabentis, ut Caesar non dubitaverit, eumdem, Philippo Hispaniarum Rege consentiente, praestantissimis viris, quibus sane ardua tumultuum in Belgio componendorum provincia demandata fuerat, adjungere. Quo in negotio quam magni ejus opera fuerit, infra narrabimus.

Nemini igitur omnium mirum videri debet, quod cum ob rem Pontifex anceps animi haud ita facile adduci potuerit, ut iis, quae puis Bavarorum Dux Albertus ejusque filius Ernestus de turpissimo isto ac valerrimo nebulone saepissime retulerant, fidem haberet. Qua in dubitatione animi dum Gregorius haereret, non parvum quidem momentum afferebant ii, qui Gebhardi partes sequerentur, per summam injuriam asserentes, Alberto Duci hac in re sua quam Ecclesiae commoda esse potiora. Quibus cum Pontificis animus valde moveretur, cumque Albertus a querimoniis et postulationibus, quod illa caussa extraheretur, non abstineret, graviusque ei succensuisse visus fuerit, Gregorius eidem confirmat, se in hac perdifficili caussa omnia praestiturum, ut conscientiae munerique suo satisfiat. Quod si gravissimis adductus rationibus hanc electionem ratam sit habiturus, ne putet, id fieri ex abalienato ab eo vel ab Ernesto filio suo animo, quod procul omnino abe-

rat a sua voluntate; sed quia nihil, quod contra jus fasque sit, velit, eademque qua ipse est pietate eum velle sperare se, judicioque Sanctæ Romanæ Sedis acquieturum. En Pontificis ad eundem litteræ. [*]

([*] Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 208. f. 141.)

Dilecto Filio Nobili Viro Alberto Duci Bavariæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Semper fuit omnibus perspecta clarissimæ Domus tuæ laus et pietas in Catholica Religione tuenda, inque hujus Sanctæ Sedis auctoritate et potestate agnoscenda et colenda: qua in re ut Nobilitatem Tuam majorum tuorum laudi nunquam cessisse, certo scimus; sic Nos in amore et charitate erga te tuosque omnes nemini unquam superiorum Pontificum concessimus, idque exploratum habere te facile existimamus. Quando enim Ernesto filio tuo ullum a Nobis amantissimi parentis officium defuit? quam unquam oportunitatem amisimus, amplissimis eum Germaniæ Ecclesiis præficiendi? de Coloniensi vero Ecclesia quid non conati sumus? Non satis habuimus nostrum summum desiderium Imperatori Electo, cæterisque Principibus per literas, perque eos homines, quos apud eos habebamus, significare, misimus etiam Coloniam proprium Nuncium, eumque ibi perpetuo esse voluimus, nec ante discedere, quam de exitu ipso certiores redderemur. Quid autem non tentavimus? De Coadjutoria nemo te melius novit, quid conati simus. Postquam non successit, quid cum Canonicis, quid cum Imperatore Electo et per literas et per Nuncium egerimus, non modo Nobilitas Tua, sed ipsi etiam norunt. In summa nihil omisimus scribere atque agere, quod quidem tibi tuoque Oratori potuit in mentem venire. Postquam vero de electione secus factum fuit, quam optabamus sperabamusque, cum Electus acta ipsa ad Nos misisset, nec quidquam appareret, quod quidem confirmationem retardare deberet, quoniam res gravior Nobis videbatur, volebamusque tibi atque Ernesto spatium dare vos ipsos colligendi et considerandi, si quid obstaret, nihil melius Nos facere posse intelligebamus, quam si causam ipsam Cardinalibus insigni prudentia, integritate, juris scientia præditis committeremus, ut rei veritate diligentissime quæsita et cognita, tandem animum induceres id probare, quod intelligeres jus atque æquitatem postulare. Hæ tibi videntur cantilenæ et consolatiunculæ; placuit enim Nobilitati Tuæ in literis datis vigesima prima Novembris uti his vocibus, a nostra certe gravitate, professione, gradu alienissimis. Nos vero sic didicimus semperque professi sumus, in judiciis nullam esse habendam acceptionem personarum, consolationemque hanc vel maximam ducimus, aliorum de Nobis dicta et judicia contemnere, modo ipsi in judicando nunquam a recto discedamus, jusque ipsum rebus omnibus anteponamus. Hæc vero liberius tecum, ut cum filio charissimo agimus, quia te quoque summa cum libertate Nobiscum agere animadvertimus, siquidem post tot tamque gravia optimæ voluntatis argumenta adhuc vocas Nos in suspicionem animi non modo parum benevoli, sed etiam a jure et justitia, quam in vita etiam privata perpetuo coluimus, alieni. Hæc tam præter expectationem Nobis accidit, ut in mentem venerit, vereri, ne forte visum sit Deo plus æquo Nos tibi filioque tuo satisfacere voluisse. Distulimus Nos quidem electionem confirmare, neque videmus, cur Nos facti pœnitere debeat, nec unquam pœnitebit eorum, quæ, salva justitia, tua causa fecimus; magnam enim omnibus in rebus semper Nobis rationem habendam duximus multorum, maximorumque tuorum erga Catholicam Ecclesiam, atque erga hanc Sanctam Sedem promeritorum, quodque tum fecimus, id etiam hoc tempore faceremus, si causa nunc primum ad Nos deferretur, inque eo nihil Nos accusaret conscientia nostra; neque enim hoc facto jus suum Electo adimeremus, sed sic cogitaremus, in cunctatione cautionem esse, in celeritate labendi periculum. Quod vero Rotæ Auditores ad ea, quæ postulas, tardius progredi videantur, accusa tuos, quos hic habes: qui noluerunt Cardinalium a Nobis electorum judicio stare, sed summa contentione postularunt, rem ad illud Tribunal deferri: voluimus tuorum potius voluntati satisfacere, quam Cardinalium dignitatis rationem ducere. Nam quod significas, vereri te, ne forte confirmetur electio hominis a Catholica Religione, ut ipse affirmas, aversi, provisum est Dei benignitate et superiorum Pontificum diligentia, quorum prudentiæ et vigilantiæ nihil cedit in hac parte nostra cura et studium; ante enim, quam ad confirmationem perveniatur, accuratissime inquiritur de vita et moribus, deque fide et religione Electi. Ubi vero de hac confirmatione agi oportebit, eo etiam diligentius omnia inquiremus, quo magis id facere convenit in tam nobili Ecclesia. Quod in extremo literarum tuarum obtestaris his verbis: Protestor hic solemniter in optima forma coram Patre cœlesti etc. nihil ista Nos movent; nec unquam adducemur, ut in causis judicandis quidquam aliud velimus, quam quod jus esse intelligamus. Nunquam defuit Deus Ecclesiæ suæ; justis autem judiciis atque actionibus semper præfuit. Optabimus Nos quidem semper, ut jus a te atque a tuis sit, idque libentissime audiemus, inque eo nostram erga te charitatem retinebimus, nec quidquam patiemur omitti, in quo tuæ voluntati studioque nostro satisfieri posse judicemus: quicumque tamen exitus consequetur, Nos

certe nunquam jus violabimus, neque ulla res tanti erit, ut nostram salutem prodamus, utque a nostra perpetua omnibusque perspecta juris atque æquitatis tuendæ consuetudine discedamus, neque hunc extremum nostræ vitæ actum tam indigno exitu concludemus, neque cum hac macula ad horrendum Dei tribunal proficiscemur. Qua quidem voluntate atque animi æquitate si Nobilitas Tua cæterique Catholici Germaniæ Principes fuerint (esse autem debent,) nullum imminebit ob justitiæ cultum sanctæ Religioni periculum; tantum abest, ut illum tam certum hujus ipsius Religionis, quem proponis, interitum, Romanique Imperii eversionem pertimescere debeamus. Quicunque igitur hujus electionis negocii exitus fuerit, æquo animo feres, inque eo tuæ Religioni, prudentiæ, pietati inservies: quæ quidem omnia in tuis actionibus ita sese ostendunt, ut merito dici possit, Catholicam fidem in Germania magna ex parte conservari tua auctoritate, opera, exemplo: accedet etiam hoc facto ad tuam laudem corona a Deo sempiterna: paries etiam tibi posterisque tuis magnam in hac vita prosperitatem, quam ut clarissimæ Domui tuæ toto pectore optamus, assidueque a Deo precamur, sic quantum quidem in Nobis erit, de tuis tuorumque ornamentis et gloria omni studio, auctoritate, gratia nitemur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die ultima Januarii MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno septimo.

II. — Pontificem haud fefellit hæc opinio. Nam religiosissimus Bavarorum Dux plenis obsequii ac venerationis erga eum Sanctamque Romanam Sedem litteris se plane purgat, veniamque orat, quod liberius acriusque fortasse scripserit: idque uno religionis studio se fecisse contendit: propterea quod pro comperto haberet, Truchsessii electione confirmata, Germanicam Ecclesiam in summum discrimen luctumque detrusum iri. Illud etiam se moleste ferre, quod Truchsessii asseclæ filium suum Ernestum calumniis impudenter impetendi finem non facerent. Denique enixe rogat Pontificem, ut justissimam Ernesti caussam amplectatur; præsertim quod cum ingenti certissimoque Ecclesiæ bono sit conjuncta. Habeas Ducis litteras. [*]

[*] German. Vol. 93 fol. 72.

Beatissime in Christo Pater ac Domine mi Benignissime.

« Humilem obedientissimi filii oblationem pedumque beatissimorum oscula devotissima. Animadverti nuper ex Sanctitatis Vestræ Brevi, pleraque eorum, quibus de Coloniensi causa pro necessitate quadam ejus uberius egeram, gravius abs me fuisse accepta: iis licet responderim non ita pridem eo plane animo, ne vel Sanctitas Vestra minus de me quam obsequentissimo promittere semper filio queat, nec ego aliter de ipsa quam propensissimo ac benignissimo Patre sperare unquam velim: sic ut ex hac sincera mea persuasione securus admodum expectare posse viderer ultimam ex Sanctitate Vestra totius hujus negotii determinationem aliquam, nihilque amplius Sanctitati Vestræ literis meis esset obstrependum molestius: quia tamen novus ex Urbe rumor, qui has etiam partes jam pervasit, novam adfert animo meo perturbationem, dubitare cœpi, num possit non silentium meum gravius adducere et mihi et causæ præjudicium. Quod etenim de me in Urbe circumferri fama est, in eo ipso meo scripto ita disertis verbis ad Coloniensis negotii eventum me respicere, ut exinde fidem observantiamque omnem, quam Sanctæ Apostolicæ Sedi in posterum exhibiturus sum, omnino metiri velim, atque cum ea causa deperdita simul obedientiam ac reverentiam abjicere, quia longissime a me abest, meque affligit non mediocriter, non puto præter officium me facere, si de eo ad Sanctitatem Vestram querens mœrensque explicavero. Quid enim esse possit ex istarum literarum verbis, adeoque aliis omnibus, quæ aliquando sive per literas, sive hominum meorum in Urbe voces actionesque meo nomine proposita gestaque sunt, quod huic suspicioni causam justam dederit, ego certe non video. Dedi operam semper, ne vel a Christiani piique Principis officio recederem, vel præter id quod æquum justumque videbatur expeterem quicquam: neque enim, quod scit Sanctitas Vra, in privatam ejus gratiam atque benignitatem posui hanc causam, sed Juris potius efflagitavi opem, æquissimique judicii præsidium, idque in eo loco, qui vel primam habet administratæ servatæque justitiæ laudem. In quo quidem, ut errorem aliquem commiserim, susceptæ causæ acceptatæque appellationis benignum admodum exemplum omni me suspicione facile liberat. Ubi vero quæ ex Jure et æquitate semper visa sunt non solum apud me, sed alios etiam magni rectique judicii viros quam plurimos, si scriptis, vivoque meorum sermone, ut mihi contingerent, rogare non destiti, si de futuris quoque neglecti hujus negotii variis et damnis et periculis liberius graviusque admonui; id tamen nullo certe tali meo animo factum est unquam, qui in eam tam alieni consilii suspicionem rapi debuit. Exposui Sanctitati Vestræ jam sæpe ac nuper longiori illo scripto aliquanto luculentius, addito etiam, si res infœlicius ex religionis usu evenirent, aliqua mea contestatione, idque non in alium finem, quam ut Sanctitati Vestræ de Germanicarum Ecclesiarum extremis periculis plene constaret, atque intelligeret ea simul, quam inutilis fuerit per hæc tempora, imo perniciosa magis summi magistratus conniventia: de qua quidem nolim me tam oculatum ve-

rumque testem esse. Jacent ex ea non paucæ in Germania Ecclesiæ nobilissimæ et antiquissimæ, ac plures quoque ad ruinam spectant similem, licet non uno ubique modo: nec enim eæ solummodo laborant, quæ nullos habent amplius Catholicos pastores, aut in aliorum manus plane jam abierunt, similique prorsus subjacent discrimini, ubi non major est sacrorum Canonum Sedisque Apostolicæ reverentia, non major denique Juris ac honestatis respectus, quam eo ipso loco, unde litis hujus negotium emanavit; nisi forte a ruina et excidio remotius esse videatur, cui talis præest custos ac Pastor, qui ex unis solisque hæreticorum consiliis unice dependet. Quæ quidem ut explicarem uberius, non solum effecerunt ea, quæ ad istam Ecclesiam referri possunt. Vidi enim jam diu Sanctitatem Vestram ad multa alia intendere, ac ipsum imprimis præsentium temporum cursum. Unde quæ hic laterent, ut aperirem lucidius, ad me potissimum pertinere judicavi, nihil omnino metuens, ut ea abs me Principe catholico et obsequentissimo non optime acciperentur. Sed ne recte etiam acceptorum usus mihi visus est ullus, ni Compulsoriales ac Remissoriæ tandem decernantur. Nam ubi Sanctitas Vestra humilem meam petitionem admiserit, ut nimirum de rei veritate indagare et cognoscere statuat, nihil dubitabo, quin et istius Ecclesiæ, de qua hic agitur, saluti rectius fuerit consultum, et Sedi Apostolicæ sua dignitas commodissime asserta; sed et hac ratione in plurium aliarum rerum cognitionem venietur, unde de Germanicorum, qui adhuc supersunt, nomenque vix ægre tuentur, Episcopatuum statu atque necessitate conjectura judiciumque fiat. Atque hoc etiam facere judicavi, quæ de pluribus certissimis, si hæc quæ præsentia imminent, non gravissimo consilio sanentur, religionis catholicæ per Germaniam periculis, devota sane mente admonui, cum inter ea omnino sint, quæ ex similium exemplorum eventu, quasi ob oculos quotidie observantia videam, et ex una Sanctæ Sedis vigilantia præcaveri, solaque sacrorum Canonum et Juris authoritate, ne citius opinione accidant, contineri prohiberique possint. De iis quod per conscientiam tacere noluerim, ægrius nunquam tulerit Sanctitas Vestra, statuerit jam ipsa quod ex officio saluteque sua futurum viderit. Certe, Beatissime Pater, hæc prima fuerunt, quibus inductus sum, ut rem totam majori cum sollicitudine apud Sanctitatem Vestram perurgerem, digna nimirum quæ curanda sibi sumant, qui veterem et catholicam pietatem una cum religione extinctam non volent. Quamvis et alia, quæ ad meum familiæque honorem tuendum inde pertinent, commovere facile potuerunt, ut ne ad impetranda justitiæ auxilia mihi deessem; nunquam tamen ea me occupavit ingratitudo, quæ Sanctitatis V. paternos plane conatus summumque evehendi filii Ernesti desiderium apud me obliteraret, taleve quippiam efficeret, et ob id quod res alium eventum sortita est, minus reverenter aut ample sentirem de insigni isto mihi meisque benefaciendi studio. Existimo autem Sanctitatem Vestram non ita retraxisse manum atque animum a pristino suo proposito, quin præstare velit etiamnum, quæ ex justitia et æquitate sua petitur, opem benignam, quam dum imploro humiliter et urgeo, non admodum fuit difficile de me statuere, ad id nimirum me esse compositum, idque abs me expectari unice quod Jus atque æquitas postularet, præsertim quæsita prius diligentissime, cognitaque rei veritate, de qua tam sollicite sese egisse instituisseque scribit Sanctitas Vestra: atque ita spatio aliquo, quo ego me filiusque colligeremus, opus non erat, tota jam causa a nostra quidem parte, ad Juris et æquitatis rationes manifesta ablegata, tali nimirum, in qua non posset non Vestra Sanctitas ex doctissimorum et Germaniæ et Italiæ Jureconsultorum opinione, tanquam in re summi momenti exactissimam instituere adipiscendæ veritatis inquisitionem. Quæ tamen quod tardius procederet, quod Juris adminicula, quibus filii causa stare nitique debebat, ex falsis Truchsessianarum partium instrumentis tam constanter negarentur, deque eo eadem a meis semper cantilena ex adversariorum objectis mihi occineretur, cum tamen variæ Sanctitatis Vestræ consolationes de administranda justitia nondum cessassent, hujus equidem rei curam, quæ una solaque potest filii causæ lucem adferre, obtinendarum videlicet compulsorialium, deferre non potui. Longissime porro abest, ut in ea perurgenda quicquam cogitaverim Sanctitatis Vestræ gravitate, professione, graduve indignum, quicquid tandem aliorsum rapiant et detorqueant ex verbis meis, minus dextre erga me, causamque istam affecti: arbitror autem etiam illud ipsum ad Sanctitatis Vestræ, supremi in terris Judicis, et personam et officium vel maxime pertinere, quo causa, cujus appellatio tam benigniter suscepta est, Jure ac justitia non destituatur. Et in hac ubi postmodum ex justo et æquo discernendum fuerit, non sic in judicando a recto discedetur, adigeturve Sanctitas Vestra ad aliquam personarum acceptionem, quam in judiciis valere nemo cupit, justi et æqui amans. Qui deinde ita etiam interpretantur apud Sanctitatem Vestram humiles meas preces, quasi post tot tamque gravia optimæ suæ voluntatis argumenta in suspicionem eam adhuc vocem parum benevoli animi, et quod plus est, a Jure et justitia alieni, ii, vereor, ne ex malevolentia et indigno quodam rancore potius agant, quam meis verbis. Ea enim quæ retardati Juris querimoniam aliquam sapere vi-

dentur, ad eos in primis pertinebant, quibus causa ista discutienda commissa fuit. Ut exinde gravius possent de officio commoneri, aliud non sum ego mihi conscius, nec uterer etiam perpetuo isto meo supplicandi obtestandique modo, si de Sanctitate Vestra ejuscemodi aliquam suspicionem conceptam gererem. Patietur autem, spero, ea benigniter, ne perpetuæ istæ obsecrationes et admonitiones meæ tam duro accipiantur nomine, cogitetque secum, quibusnam aliis vocibus justitiam tanto tempore inclamaverim, apud primam justitiæ sedem, ut ne rei totius veritas, quo minus cognoscatur, tam pertinaciter amplius ab adversariis sit impedita in Urbe. Nihil erit, quod omnino mihi persuasum habeo, periculi Sanctitatis Vestræ animo atque conscientiæ, ubi se totam ad causæ hujus veritatem inspiciendam contulerit, nihil prorsus labis aut indignitatis tanto suo muneri, imo rem hanc esse censeo, cujus diligentissima cognitio atque discussio non parum auxerit confirmaritque magnam illam, quæ etiam ante Pontificatum acquisita fuerat, legalis scientiæ adamatæque justitiæ laudem, et quæ ad ejus quoque, quod nunc ipsa gerit per Dei voluntatem, Apostolici culminis dignitatem authoritatemque tuendam rectissime pertinuerit. Nolo autem hic pluribus esse molestior, Beatissime Pontifex, contentus merito, quod Sanctitas Vestra ita sese offert per literas suas ad ea quæ per me rogata sunt hucusque, ut paternam suam erga me charitatem retinere, adeoque nihil omittere velit, quo et suo studio et meæ satisfaciat expectationi. Quæ quidem benignissima promissio eum includat omnia, quorum hic usus maxime esse queat, securior ero in posterum de obtinendis Compulsorialibus, ad filii causam ita oportunis ac necessariis, ut absque iis nec firmari illa queat, nec Vestra etiam Sanctitas videre ullo modo, quid verum in ea sit, quidve falsum, re nimirum tota in facto versante, ex quo demum, tanquam unico illo medio, et Jus, quod filius prætendit, et de falsitate oblati per Truchsessianos decreti Electionis intelligi recte poterit: atque hoc divini humanique Juris æquissimum ac vulgatissimum præsidium ut elargiatur nobis tandem Sanctitas Vestra, meo filiique nomine iterum atque iterum rogo et obtestor humiliter et devote. Ex quo deinceps ubi constiterit, quid recte perperamve in toto isto negotio tentatum actumque fuerit, nihil amplius rogavero, quam ut Sanctitas Vestra, sive ex iis quæ secundum justitiam et æquitatem esse viderit, sive ex singulari sua gratia, per commodiorem aliquam transigendi negotii rationem, sic velit causæ consulere, quemadmodum ipsa pro sua Sanctissimæque Sedis authoritate, pro religione Catholica, pro Ecclesiæ, cujus hic res agitur, adeoque publicæ tranquillitatis bono, optimum rectissimumque judicaverit. Liberrimum tum esse volo S. V., primo videlicet hujus rei authori, et ad unum ejus sapientissimum arbitrium plane rejectum negotium totum; quidquid ea statuerit, mihique ex honestate faciendum censuerit abinde, ita prono illud devotoque animo amplectar sequarque lubens, ut nullum quidem Sanctitatis Vestræ dedecus, suæve salutis discrimen, nullum apud eam sanctæ Justitiæ violatæ notam quæsivisse, sed in obsequendo potius moremque gerendo unicam Sanctitatis Vestræ authoritatem, Sacrosanctæque Sedis reverentiam sequutus videar; minime interim dubius, quin penes hæc omnia domus quoque familiæque meæ rationem habitura sit Sanctitas V., eam, unde post constantem tot annorum atque temporum Apostolicæ Sedis benignitatem erga progenitores meos, adeoque me ipsum, postque summam vicissim obedientiam reverentiamque Bavaricam, ego demum in hac ingravescente mea senecta, obfirmataque summæ devotionis atque pietatis voluntate tristiori aliqua cogitatione afficiar gravius. Non certe ingratum me reperiet aut indignum, quem administrati summi sui officii honore isto, adeoque gratia beneficioque suo auxisse voluerit Sanctitas Vestra, cui vitæ ac salutis præmia ex animo precor, meque commendo et offero quam possum devotissime. Datum Monachii die XXVII. Martii anno etc. LXXVIII.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ ETC.
p. m. ppria.

Quibus Pontifex humaniter respondet, se nunquam aut litteris aut verbis commotum de ejus pietate dubitasse, confirmatque eadem se erga eum ipsiusque domum voluntate futurum, qua semper fuerit. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. An VII ep. 200. f. 177.

Dilecto Filio Nobili Viro Alberto Duci Bavariæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Perspeximus ex literis postremis Nobilitatis Tuæ, vereri te, ne quid superiores Nos literæ offenderint; neve nonnulli secus eas interpretati fuerint, quam velles. Cur quisquam de Tua Nobilitate secus existimare debeat, non videmus; tuæ enim res gestæ, et perpetua gloria in Catholica Religione tuenda, nullum malevolorum hominum sermonibus aut suspicioni relinquunt locum. De Nobis sic confirmamus, nihil earum literarum sententia, aut verbis commotos esse; quia nihil esse intelligebamus, in quo vere accusari possemus. Pollicemur autem eosdem esse, et perpetuo fore Nos erga Nobilitatem Tuam, tuosque omnes, qui semper fuimus, hoc est voluntate atque ani-

mo optimo et paterno; idque omnibus in rebus declarabimus, talemque animum Nos tuæ præstanti pietati debere profitemur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Maji MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno septimo.

III. — Truchsessius non secus atque a se stetisset victoria, adversariorum intercessione nihil commotus, alteris litteris confirmationem suam apud Pontificem urget. (*)

(*) Colonia Vol I f 18

Beatissime Pater et Domine Dñe Clementissime. Post devota pedum oscula beatorum S. Vestræ me meamque diœcesin debita obedientia subjicio.

« Quia in electionis meæ negotio nunc tandem de causæ meæ apertissima justitia, adversarii vere notorio nun jure et nullo interesse ex integerrimo gravissimoque præstantissimorum dominorum Cardinalium et sapientissimæ Rotæ judicio atque sententia, cæterisque evidentissimis argumentis perspicuum evasit, et adversarii, qui nihil unquam juris habuerunt, integro fere biennio plus satis, non absque summo meo et Ecclesiæ atque Reipublicæ meæ detrimento, favoris experti sunt, Sanctitatem Vestram de Ecclesia et personæ meæ qualitatibus sufficienter informatam credo. Idcirco jam spero, imo de singulari Sanctitatis V. benevolentia et prudentia, ipsissimoque paterno affectu mihi certissime persuadeo, quod absque longiore mora, non tantum confirmationem meam clementissime mihi concessura sit, verum etiam circa taxæ moderationem ob infinita maxime notoria gravamina, quibus Ecclesia mea in his mediis turbis circumseptitur, quæque in Ecclesia et Republica inveni, et quæ Agens meus in specie declaraturus est, et in aliis quibusdam rebus, quæ ad perturbatæ collapsæque Ecclesiæ et Reipublicæ meæ constitutionem, ac sacratissimæ Religionis catholicæ, ecclesiasticæ libertatis, et sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritatis dignitatisque conservationem his in locis, hoc periculosissimo tempore summopere necessariæ sunt, tam paternum et clementem animum declarabit, ut Illñi quondam Ottonis Truchsessi Cardinalis Augustani charissimi patrui mei, et majorum meorum aliquam adhuc memoriam apud Sedem Apostolicam residere intelligam, et ex isto Sanctitas Vestra apostolico solatio beneficioque præteritorum dolorum et injuriarum molestiarumque oblivionem inducat. Ego per omnem vitam meam Sanctitati Vestræ me devinctissimum esse profitebor, et hoc Dei ope semper facturus sum, quod vertuto Archiepiscopum decet, et talem me exhibebo, ut Sanctitatem V. suorum erga me beneficiorum nunquam pœniteat. Quam præpotens Deus Ecclesiæ Romanæ et catholicæ optimum et vigilantissimum Pastorem diu superstitem et incolumem conservare dignetur. Datum Brulæ ultima Septembris anno 1579.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimus filius
GEBARDUS ELECTUS COLONIENSIS.
m. pp.

IV. — Dolendum sane est, Albertum Bavarorum Ducem tantæ prudentiæ tantæque pietatis Principem, in hac miserrima perturbataque rerum Germanicarum conditione immatura morte, quinquagesimum primum ætatis annum vix egressum, IX. Kalendas Novemb. abreptum fuisse. Ei successit filius Guilielmus, eadem vir pietate. En quæ de amantissimi parentis obitu Pontifici refert. (*)

(*) Germania Vol 29 fol 76

Sanctissime in Christo Pater Domine Clementissime.

« Ad Sanctitatis Vestræ pedes beatissimos debitum ac humillimum obedientissimi filii officium cum osculo summæ reverentiæ atque devotionis.

« Ingratam haud dubie futuram S. V. hanc meam significationem de obitu nimirum Serenissimi et amantissimi Dñi Parentis Ducis Alberti, piæ memoriæ, et mihi equidem luctuosam imprimis, doloreque plenam gravissimo ipsa imponit filialis officii ac observantiæ ratio. Cui tamen ut satisfaciam, non tam mea effecerint verba, luctu mœroreque justissimo impedita, quam vox viva Oratoris, ad quam mea hic refero. Unum tamen, Beatissime Pater, explicandum mihi esse ratus sum, eam nimirum fuisse Serenissimi Parentis morte instante in Deum spem, fiduciam, pietatem ac devotionem, quæ non nisi felicissimi exitus argumenta esse debeant, adeoque singularem afferre consolationem in hoc casu gravissimo. Quo quidem quantum vulnus datum sit non mihi solum, fratribusque dilectissimis, sed etiam genitrici pientissimæ, sed et aviæ mœstissimæ, facile judicarit Sanctitas Vestra, si perpendat secum pro summa sua prudentia, quantum præsidii et consolationis nobis omnibus eo fuerit sublatum. In quo tamen ferendo quicquid acerbire potest levaminis, id ex una Sanctitatis Vestræ benignissima voluntate petendum fuerit omnino. Nec enim decta clam esse me debuit hucusque, quam paterne et clementer amplexa sit Parentem Serenissimum, quam libenter pro ejus adeoque totius familiæ honore decernere statuereque voluerit: sic jam in tristi hac mea fratrumque charissimorum orbitate Sanctitatem Vestram alterum parentem, dominum ac patronum divinitus destinari, reservarique nobis unice gratulor, eamdem qua possum animi devotione atque humilitate rogans, ut ne de sua illa paterna et benignissima propensione, quam parens quondam Serenissimus perpetuam est expertus, erga filios humillimos quicquam remittat: multoque

magis qui fovendi ei tuendique relicti sumus, liberalitate ac beneficentia sua ornare augereque velit. Cujus equidem rei argumentum evidens erit imprimis, quod in hac gravissima fortunæ acerbitate accesserit. Ego vero mecumque fratres amantissimi per omnem vitam contendemus pietate, studio, viribus, sed et sanguine, ut Sanctitati Vestræ Sedique Apostolicæ fidelitatem et obedientiam, et ipsa officii salutisque quadam necessitate et antiquissimi temporis hæreditate nobis transmissam, integerrimam conservemus probemusque semper. Deus Optimus Maximus pater consolationis sanctæque spei omnis incolumem servet diutissime Sanctitatem Vestram, magnum certumque Bavaricæ familiæ præsidium, cui me, cui fratres et omnia nostra commendo et offero devotissime. Datum Monachii xxx. die Octobris MDLXXIX.

Sanctitatis Vestræ

Humilimus ac obedientissimus filius
GUILHELMUS D. ETC.

Idem præstitit fusioribus litteris, quibus, parentis laudibus commemoratis, cumulatissime spondet, se in tuenda fovendaque Catholica religione patri nihil concessurum; adeoque nihilo secius Pontifici Sanctæque Romanæ Sedi perpetuo obsecuturum. (*)

(*) Germania Vol. 23. fol. 77.

Sanctissime in Christo Pater ac Domine Clementissime.

« Humilimam beatissimorum pedum exosculationem, et perpetua obedientissimi filii studia. Postquam a Serenissimi parentis obitu, de quo nuper cum dolore ad Sanctitatem Vestram perscripsi, cum ex paterna voluntate, Cæsareæ Majestatis authoritate assensuque jam diu roborata, tum etiam fratrum dilectissimorum concordia, rerum gubernandarum tuendarumque cura in me unum devolvatur, primum ante omnia occurrit, cum ex paterni testamenti manifestis gravissimisque mandatis, tum justa quoque pietate mea, eam ingrediendæ suspiciendæque istius sollicitudinis rationem instituere, quæ cum omnipotentis Dei gloria, Vestræque Sanctitatis animo proxime sit conjuncta. Etenim hic non id solummodo agendum est, ne in excolendo probandoque pii atque Catholici Principis officio a paternis vestigiis discedam ullo pacto, sed in eo quoque elaborandum mihi esse video quam maxime, ut quæ ad religionis usum et dignitatem pertinent, in iis integra omnino conscientia versari possim, nihilque adeo eorum quæ muneris mei revera non fuerint, mihi sumam. Sic enim circa res istas comparatum est forsitan, quod zelus etiam ingens, ubi non fuerit is secundum rectam scientiam, falcem in alienam messem abripere facile potest. Itaque, Pater Beatissime, jam decretum est apud animum meum, ea quæ ad Catholicæ Ecclesiæ atque ejus, qui in Bavaricis Provinciis est, Cleri totius consolationem cum officii mei rationibus conjuncta esse videro, ita instituere, ut ex Dei timore, Sanctæque Sedis Apostolicæ reverentia et animi rectissimi dictamine esse quam maxime videri queant; neque enim quæ mea esse videbuntur, libentius mihi accipiam, quam ut quæ Dei et Ecclesiæ sunt, suo loco suaque dignitate constituta sint omnia. Qua de re primo quoque tempore per legatos meos uberius exponam Sanctitati Vestræ, ejus consilium, authoritatem, voluntatemque paternam rebus istis maxime necessariis reverenter mihi expetiturus, sicuti per Serenissimi parentis Oratorem nuper admodum me facturum recepi; atque ut id abs me fiat, imprimis erit ex optimi ac pientissimi parentis voluntate, cujus equidem major fuit sollicitudo in cohortandis obtestandisque ad avitæ catholicæ religionis conservationem hæredibus, quam circa omnia alia, quæ necessaria alioqui, et chara quoque esse poterant; unde ad posteritatem omnem liquido constabit, quam is et professus fuerit, dum viveret, religionem, et in provinciis suis florentem salvamque cupiverit perpetuo. Interim a Sanctitate Vestra humilime rogo, ut quæ ad suspicienda gravissimorum onerum atque laborum officia requirentur, consiliis actionibusque meis universis divinam benedictionem paternamque suam indulgentiam impertiri dignetur, hoc de me certo persuasa, quod nihil sim aggressurus, nihil recepturus in me aut admissurus etiam, quod vel probare non velit Sanctitas V.ra libentissime vel cum conscientia mea possit pugnare. Quam ut intentione actioneque pura per omnem vitam salvam tuear et conservem, is vero labor, hoc mihi opus erit maximum ac primum. Quod si tamen contingat ex communi et gravissimo rerum Germanicarum statu, ignoranter vel inconsiderate quippiam fieri in præjudicium jurisdictionis ac immunitatis Ecclesiasticæ, Sanctitas Vestra, quod iterum oro reverenter, censuras omnes, quas forte sic incurrerem, plenitudine apostolicæ potestatis suspendat. Ego equidem de majorum privilegiis et consuetudinibus Provinciarum mearum sincere, quam primum aperiam Sanctitati Vestræ, consilio voluntatique suæ subjecturus omnia, cui me semper summa cum pietate devotioneque Christiana humiliime commendo et offero. Datum Monachii xxIII. die Novembris anno etc. LXXVIII.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimus filius
GUILHELMUS D. ETC.

V. — Gregorius non prætermisit (*), quominus primo quoque tempore Guilielmum, reliquosque Domus Bavaricæ viros Principes de ejus optimi clarissimique parentis obitu solaretur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII An. VIII ep. 67-71.

(*) Ibidem ep. 66. fol. 227.

Dilecto Filio Nobili Viro Gulielmo Duci Bavariæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil potuit Nobis acerbius accidere tristissimo nuncio interitus Alberti patris tui. Fuit enim ille semper Nobis ac superioribus Pontificibus charissimus, idque magno suo merito: nihil enim potuit fieri in Catholica Religione tuenda, inque omni virtute colenda accuratius atque ardentius. Itaque diceremus, magnam Nos atque universam Ecclesiam jacturam fecisse, nisi Nos consolaretur singularis pietas et prudentia tua: certum enim habemus paternarum magis virtutum et gloriæ, quam opum et potentiæ hæredem et dici et velle esse te, longissimoque intervallo ea, quæ Christi sunt, humanis rebus omnibus anteponere, hocque animo et conatu perpetua amplissimæ istius Domus gloria dignissimo ad eam beatitudinem aspirare, ad quam parentem tuum ab immensa Dei bonitate vocatum esse confidimus. Omni igitur ex parte levatur noster dolor. Quidquid enim damni accepimus interitu clarissimi Principis, speramus, tua præstanti virtute et pietate restitutum iri. Cum illo vero præclare actum esse intelligimus: fruitur enim sempiterna felicitate, quæ quanta sit, neque oculis, neque auribus percipere, neque ulla existimatione assequi possumus. Te vero ac fratres tuos semper commendatos habebimus, ut filios nobis charissimos, neque committemus, ut ullum a Nobis amantissimi parentis officium desiderare possitis: idque libentius multo reipsa præstabimus, quam verbis pollicemur. Hæc interea ad tuas literas rescribenda duximus: cætera cognosces ex eo, quem mittimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Novembris MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

VI. — Quam sedulus acerque avitæ fidei assertor Gulielmus futurus esset, satis documento fuere multa ab eo, antequam paternam ditionem obtineret, excogitata vel facta, quæ admodum in Catholicæ religionis incrementum usumque caderent, et meliora in posterum portenderent. Ut unum solummodo in medium proferamus, illud satis sit commemorare, quod pronus animum ad augendam Christifidelium erga Beatam Mariam Virginem religionem, qua ipse præstabat maxime, adjecit animum ad erigendam Sodalitatem, quæ ab sanctissimo ejusdem nomine Mariana nuncupatur: quæque esset ad instar illius, quæ Romæ ad Sanctæ Mariæ supra Minervam apud Fratres Ordinis Prædicatorum, atque in Sacra æde Lauretana vel jam ante instituta fuerat. Quod pium viri consilium eo spectabat, ut hæc religio in cæteras non Bavariæ modo, sed et totius Germaniæ Ecclesias deinceps facile induci posset. Ex quo jam animo Guilielmus percipiebat, fidem Catholicam, quæ prope prostrata jacebat, mirum in modum excitatum iri. Quamobrem Pontificem exorat, ut huic instituendæ Sodalitati eadem spiritualia bona impertiatur, quibus Marianæ Sodalitates Romæ et Laureti fruerentur. [*] ([*] Lit. Principum Vol. 36 fol. 85)

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Dño Gregorio XIII. S. Romanæ et Apostolicæ Ecclesiæ Pontifici Maximo Dño meo Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Domine Clementissime.

« Obedientissimi filii devotione perpetua, pedibusque beatissimis osculo summa cum reverentia præmissis.

« Quandoquidem in hanc summam perturbationem et infoelicitatem temporum incidimus, in quibus juxta Christi vaticinium nefaria iniquitas abundat, et charitas vere christiana friget, atque adeo in plurimis extincta est, non potest mihi non grata esse memoria superioris ætatis, in qua jam pridem una vera et Catholica fides longe lateque vigebat, et justitiæ, charitatis, virtutumque omnium fructus cum in Europa, tum in Germania nostra uberrimos proferebat. Inter quos fructus annumerantur merito præclara illa veterum instituta, quæ ipsi Confraternitates appellarunt, pias nempe piorum Sodalitates in summi Dei et Sanctorum honorem quondam erectas, multorumque bonorum studiis et exercitus laudabiliter propagatas. In his etiam Fraternitas sive Sodalitas reperitur, quæ in multis adhuc provinciis florere pergit, sub nomine et patrocinio nunquam satis laudatæ et venerandæ semper Virginis Matris Mariæ, quemadmodum Romæ apud Minervam et Laureti, egregie instituta, nec non amplissimis Sedis Apostolicæ privilegiis decorata, totoque propemodum orbe celebrata, et exinde ad summum Christianæ pietatis cœlestiumque meritorum profectum, ad aliarum etiam Ecclesiarum plurimorumque locorum gratiam et consolationem derivata est. Ego igitur, qui Catholicæ pietatis eo studio et amore sum incensus, ut pro ea tuenda nihil intermittam, atque ad manifestam usque hæreticorum invidiam certare nunquam desistam, ejusmodi vere pium, fructuosum et probatum Marianæ Sodalitatis institutum tanti facio, ut in ditionem et provinciam quoque Bavaricam illud inducere, inque ea vigere admodum cupiam: præsertim cum illud in primis esse videam ex desiderio et voluntate serenissimi optimique Parentis, qui laudi sibi futurum existimat, si talis alicujus pietatis officium in filio experiatur. Quare sapientum et doctorum hominum consiliis adhibitis, ac re tota mature discussa, de ratione ac modo cœpi deliberare, ut pium hoc et celebre Sodalitium in his quoque partibus locum honestum haberet, ac Bavarico populo notum et commendatum esset,

ex quo nimirum is ad æternæ suæ salutis augmentum cælestia dona consequeretur, et tota provincia uberiorem acciperet gratiam.

« Primum enim hinc futurum mihi in Domino polliceor, ut Bavariæ constet magis et augeatur antiqua laus Catholicæ Religionis inter tot Germanicas provincias vel maxime hactenus conservatæ atque defensæ. Etenim novæ Sodalitatis hujus proprium esse constat, Catholicam fidem omnino sinceram et integram ex præscripta S. Concilii Tridentini formula sancte profiteri, et eandem fidem ad mortem usque retinere mordicus, ac inviolabiliter propugnare. Quæ professio a singulis, cum sua dant nomina Sodalitati, jurejurando confirmata luculentum testimonium dabit, hosce sodales in primis Germanos filios se discipulos esse optimi Patris laudatissimique Bavarorum Apostoli Divi Ruperti, qui ante annos fere mille Bavaros tandem, non ita multis locis qualibuscunque fidei rudimentis inhærentes, primum omnium per Christi gratiam Catholicos fecit, antiquissimamque illis Ecclesiam, quæ adhuc percelebris extat, sub nomine gloriosissimæ Virginis Mariæ apud veterem (ut vocant) Oetingam suis manibus dedicavit. Quæ res etiam causam præbet, ut huic Sodalitati apud Bavaros vigendæ nomen non aliud, quam a Beata Maria Oetingensi deductum inditumque esse cupiam.

« Secundo, hac occasione fieri posse confido, ut optimæ maximæque Matris Dei cultus, qui nunc passim non solum ab hæreticis impie convellitur, sed etiam a plurimis Catholicis (proh dolor) fœde negligitur, in Bavaria quidem commodius retineatur augeaturque. Etenim ex utroque sexu complures in sanctam hanc Sodalitatem conspirantes, hoc sibi maxime propositum habere solent, ut præpotentem Deum in ejus matre studiose collaudent ac prædicent palam, utque communibus et ardentibus votis Reginam illam misericordiæ sæpe ac multum implorent, ac piam venerationem illi tribuant, ut ejus fidam apud Deum intercessionem sibi ac aliis maxime salutarem experiantur.

« Tertio, non modo Bavari, sed etiam exteri homines fructum hunc facile exportabunt, ut Sodalitatis hujus exemplis incitati, Christianum studium augeant in orando, meditando, offerendo, peregrinando, confitendo, communicando, et in aliis Catholicæ fraternæque pietatis officiis, quæ passim neglecta jacent, magis magisque in dies excitandis. Nec dubito ejusmodi operosam et officiosam complurium pietatem Deo et Sanctis ejus cumprimis gratam ac efficacem esse, quæ non modo vivis et defunctis prosit fidelibus, sed etiam ad provinciam hanc in pace religioneque conservandam, et in omni virtutum genere promovendam ingens momentum adferre possit.

« Atque ob has aliasque plures utilitates et causas, quas referre non attinet, quum ad Sodalitatem hanc Marianam amplectendam et fovendam adjecissem animum, visum est primum omnium ad Sanctitatem Vestram velut Christi Domini Vicarium, ac totius Ecclesiæ Principem, cogitationes referre, ac singularem ejus favorem in eo expetere, nimirum ut quod ad summi Dei et benedictæ matris ejus gloriam jam dudum meditor, simul atque Apostolicæ Sedis sententia et authoritate comprobatum fuerit, fœliciorem ingressum et exitum sortiatur. Nunc breviter tantum, quæ ad rem totam recte constituendam pertinere putem, ea Sanctitati Vestræ judicanda proponam. Ut isthæc Sodalitas ab aliis, quæ Beatæ Mariæ nomen præseferunt, non obscure discernatur, Beatæ Mariæ Oetingensis titulum imprimis cupio accedere et perpetuo retineri. Cæterum institutionem directionemque Sodalitatis referri vellem Monachium, quod Bavariæ oppidum est principale et Ecclesiam habet Collegiatam Canonicorum, laudes divinas quotidie decantantium: Ecclesiam, inquam, pulcherrime fabricatam et sub B. Mariæ Virginis patrocinio inde ab initio dedicatam, neque minus sepultura celebri Bavaricorum Principum jam pridem cohonestatam. Ut jam Sodalitatis corpori proprium ac necessarium caput suppetat, a quo cæteri veluti membra pendeant et gubernentur, operæ precium esse censeo, ut Sanctitatis Vestræ accedente authoritate, quicunque supradictæ Ecclesiæ quovis tempore futurus est Præpositus canonice institutus, idem et Sodalitatis antistes existat, protectoris nomine appellandus, atque ita primi protectoris nomen accipiat Doctor Georgius Lautherius Theologus, istius Ecclesiæ Præpositus, vir doctrina et virtute commendatus inprimis. Ab hoc ejusque successoribus legitimis inferiores officiales, cujuscunque sint gradus ac nominis, confirmari debebunt, atque mutari, salva tamen semper majore parte suffragiorum, ut quicquid illa in congregatione Sodalitatis definierit, id vero fixum ratumque maneat. Tum confessarii ut minimum duo instituendi videntur, ad quos velut ad patres et medicos spirituales cuncti sodales, quoties opus erit confugiant, suorum nempe animorum remedia excepturi. Precor autem, ut Protectori dicto per Sedis Apostolicæ commissionem et authoritatem liceat ejusmodi confessarios primum nominare, et postea confirmare, quum judicio Facultatis Theologicæ in Catholico Gymnasio Ingolstadiensi post examen prævium fuerint approbati tanquam idonei ad munus illud obeundum. Tunc vero cum dictæ approbationis testimonium scriptum adferent, singulari privilegio et indulto Apostolico gaudere possint, ut pœnitentes omnes et singulos, qui nomen suum Sodalitati dederint, in quatuor

præcipuis Deiparæ Virginis festivitatibus, et primum quidem ingredientes, ac alios omnes de tota vita confessionem generalem sedulo facientes, a quibuscunque criminibus, excessibus et peccatis, etiam in Bulla cœnæ Domini reservatis, nec non a consequentibus censuris et pœnis in foro interiore absolvere, eisque plenariam indulgentiam, salutari tamen pœnitentia primum injuncta, elargiri possint ac valeant.

« Præterea multum in eo situm erit, ut Sanctitas Vestra expresse declaret, dicto Protectori et congregationi jus plenum competere ad officiales sibi necessarios eligendos, qui utriusque sexus homines, cum inscribi voluerint, examinent et admittant; qui etiam honestas ac utiles leges sive ordinationes quovis tempore condere, præscribere, commutare et exequi valeant, quemadmodum ad commodiorem Sodalitatis gubernationem eidem congregatæ Sodalitati conducere videbitur, et ad aliarum consimilium Fraternitatum, Coloniensis maxime, imitationem et exemplum congruet.

« Postremo, quandoquidem proposita liberalitas, ad fidelium devotionem excitandam et promovendam haud parum conducit, præsertim cum vident se a summo pastore Christique Vicario respici, ac suam in hoc instituto pietatem spiritualibus quasi præmiis cohonestari: idcirco Sanctitatem Vestram reverenter oro, ut sicut multis sæpe aliis fecit, ita nunc etiam pro sua in Germanos benevolentia ditissimos Ecclesiæ sibi concreditos thesauros aperire, ut ex illis facultates et indulgentias præsenti Sodalitati paterne conferre dignetur: de quibus quidem, quænam videantur fructuosæ magis, ad Sanctitatem Vestram referet Reverendus in Christo Pater, et Illustrissimus Dñus et amicus meus charissimus Cardinalis Varmiensis, cui expediendi hujus negotii curam et solicitudinem omnem concredidi, magna spe ductus, pro sua ipsum pietate et libenter et fœliciter acturum id omne.

« Vestræ autem Sanctitati persuasum esse cupio, non modo summa cum reverentia atque gratitudine me accepturum insignem, quam hic peto, ejus beneficentiam, sed operam etiam daturum sedulo, ut ea plurimorum saluti, ipsius quoque Catholicæ religionis, Sanctæque Sedis Apostolicæ dignitati quam maxime serviat. Ego interea ex sancta ista liberalitate ad me quoque pertinere judicabo, ut quæ in gravissimis etiam istis temporibus integre perstat Bavaricæ domus religio atque pietas, nullo meo studio, labore, periculo deseratur, imo aucta potius transmittatur ad omnem posteritatem. Deus Optimus Maximus diu sospitem conservet Sanctitatem Vestram, cui me summa cum reverentia atque devotione commendo et offero totum.

Datum Landshutii xx. Martii MDLXXIX.
Sanctitatis Vestræ
Humilimus et obedientissimus filius
GUILIELMUS D. ETC.

VII. — Mira prorsus sunt, quæ Felicianus Ninguarda Episcopus Scalensis, qui Apostolicum extraordinarium Nuntium apud Archiduces Austriæ agebat, de pietate, deque studio, quo Guilielmus, vixdum clavo regni suscepto, erga Ecclesiam Catholicam ferebatur, Pontifici retulit. Non dubitavit ille affirmare, eumdem non parentis modo pietatis imaginem redditurum, sed longe eum superaturum. Cujusmodi rei præclara tum edidit documenta, cum sub finem hujus anni in Comitiis Monachii habitis quorumdam protestantium Nobilium postulatis constanti invictoque animo restitit; iisque semper, dum viveret, adversaturum se esse publice professus est. [*] Illud etiam, haud in postremis ejus laudibus habendum est, quod vestigiis pientissimi parentis insistens ab Nuntio Apostolico facultatem petierit legendi, atque in celebri Bibliotheca Ducali Monachensi asservandi hæreticorum libros; idque non tam suo, quam doctorum virorum commodo, qui ejusmodi impia scripta refellenda aggrederentur. Huic optimæ Principis voluntati Nuntius facile annuit. [*]

[*] Mantissa document. N. 1.

[*] Germania Vol 32. fol. 301.

Copia Indulti Illmo Duci Guilhelmo pro libris hæreticis etc. concessi.

« Felicianus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Scalensis etc. Serenissimo Principi et Domino Domino Guilhelmo Comiti Palatino Rheni, utriusque Bavariæ Duci, salutem in Domino sempiternam. Cum Serenissimus Parens vester sanctæ memoriæ habuerit a Reverendissimo et Illustrissimo Dño Murono Cardinale Legato Indultum, quoad vixisset, omnes et quoscumque libros hæreticos et suspectos, ac alias quomodocumque prohibitos absque conscientiæ scrupulo, aut infamiæ nota habendi, tenendi, legendi, et examinari ac contra illos scribi faciendi, et ejus concessionis usus ad bibliothecam maxime deserviat, similem facultatem a nobis Illma Celsitudo Vestra petiit sibi elargiri, non tam propter se, quam in publicam magis utilitatem ac bibliothecæ commodum. Nos igitur, quibus optime perspectum est, quantum curæ et laboris Illma Celsitudo Vestra in tuenda fide catholica ponat, quantoque conatu et studio religionis causam promovere enitatur, omnes et quoscumque libros in Indice a dicta Sede Apostolica proposito comprehensos, et alias ac quomodocunque prohibitos et prohibendos absque ullo conscientiæ scrupulo, et censurarum vel aliarum pœnarum incursu, ac infamiæ nota habendi, tenendi, et ab aliis, qui hujusmodi facultatem habuerint, legi, examinari et contra illos scribi faciendi, Illmæ Celsitu-

dini Vtæ usque ad ejusdem Sanctissimi Dñi Nostri beneplacitum et dispositionem auctoritate Apostolica nobis concessa, et qua hac in parte fungimur, tenore præsentium licentiam concedimus; ita tamen ut dicti libri ex bibliotheca communi auferantur, peculiarique in loco recludantur, ostio duabus distinctis clavibus munito, quarum una penes Illmam Celsitudinem Vtam et aliquem ex Theologis altera servetur; interea vero temporis, donec certus locus accommodetur, in nonnullis arcis et scriniis reponi et claudi poterunt. Quotiens vero tempus exiget, ut prædicti libri inspiciendi, legendi et examinandi sint, quatenus Catholica fides adversus Lutheri et alia impia dogmata validius defendi, et impiæ sectæ erroneæque opiniones facilius reprobare atque confutari possint, ii solum intromittantur, quibus a sæpedicta Sede Apostolica aut ejus Nuntiis hujusmodi libros legendi potestas facta constet. Non obstantibus etc. In quorum fidem etc. Datum Monachii Anno a Christi Nativitate MDLXXIX. die vero XII. Decembris. Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Gregorii PP. XIII. Anno VIII.

VIII.—Quam vero idem laudatissimus Princeps ex infixa animo religione Ecclesiæ commodis vellet consultum, in eo maxime ostendit, quod ægre tulerit filium suum secundo loco genitum, plane infantem, quartum ætatis annum vixdum superantem, a Canonicis insignis Ecclesiæ Cathedralis Ratisponensis, nuper suo pastore orbatæ, ad illam Episcopalem Cathedram fuisse postulatum. Cui tandem postulationi gravate admodum assensus est, quod vereretur, ne Episcopatus iste, quocum jura Principatus erant conjuncta, in Protestantium potestatem esset cessurus. Quæ res præcipua fuit causa, cur ejus Ecclesiæ Canonici sua Romæ negotia agenti mandaverint, ut ad hujus postulationis confirmationem impetrandam apud Pontificem, supplici etiam libello tradito, vehementissime adlaboraret. Quo in libello Canonici, tristissima ejus Diœcesis conditione exposita, id agunt, ut non nisi gravissimis permoti causis infantulum sibi Episcopum postulasse videantur. Addunt præterea, quanam ratione bono Diœcesis rebusque fidei prospici possit, donec postulatus Præsul annos a sacris canonibus præscriptos attigerit. [*]

[*] Germania Vol. 48. fol. 201.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio XIII. Sanctæ Romanæ et Apostolicæ Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino nostro Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Domine Clementissime.

« Sanctitatis Vestræ pedibus beatissimis prostrati humilimi ac devotissimi filii, post oscula summa cum reverentia eisdem exhibita, obedientiam offerimus, fidelitatemque perpetuam.

« Ad Sanctitatem Vestram procuratorem nostrum constituimus et agentem virum clarissimum Dominum Joannem Paulum Castellinium, utriusque Juris Doctorem, in Urbe commorantem, qui de summis Ecclesiæ nostræ negotiis humilime explicet, imploratamque Sanctitatis Vtæ opem benignissime transmittat nobis quamprimum; cum vero ut Sanctitas Vestra clementer exaudiat, qua possumus devotione rogamus.

« Mensis jam agitur, Sanctissime Pater, et amplius, a XXII. nimirum die superioris mensis Junii, quod Ecclesia Ratisponensis pastore suo Episcopo Davide bonæ memoriæ orbata est. Itaque cum novæ provisionis necessitas nobis incumberet, duo imprimis cogitanda curandaque summa cum diligentia sumpsimus.

« Primo, ut religioni Catholicæ in his partibus vehementer laboranti ac prostratæ consuleretur.

« Deinde, ut nervi ac reditus, tanquam necessaria religionis præsidia, si qui restarent ex temporis injuria non parum adtriti, colligerentur asservarenturque, quo Ecclesia hæc nostra in meliorem spem aliquam erigi posset. Nam quæ Catholicæ religionis in hujus Episcopatus diœcesi conditio sit, maxime penes ipsam ejus sedem in hac Ratisponensi Civitate, vel multis etiam lachrimis deplorare satis non potest. Res ea omnis in extremas angustias conjecta, foris quidem summe periclitatur, atque hic intus sub oculos nostros vix sese sustinet amplius; sic ut salvum in eo hoc unum vere dici possit, quod vel in ipsa situm est Bavaria, vel hic Serenissimi Ducis Catholici authoritatem tutelamque agnoscit. Cætera in Palatinatu maxime, hæresibus repleto, eam ubique induerunt faciem, quæ nostram vix admissura videatur sive opem sive inspectionem. De quo Pastoralis officii statu afflictissimo ne cum dolore longius hoc loco explicemus, ea nos inducit, quæ cum apud alios in Urbe summos viros, tum apud Reverendissimum et Illustrissimum Cardinalem Moronum, ejus est recens et exactissima cognitio, qui non ita pridem et oculis vidit, et auribus audivit de miseriis istis omnibus, referreque potest ad Vestram Sanctitatem pro sua authoritate et experientia commodissime. Non minori autem calamitate laboratur in iis, quæ externa sunt, et hujus Ecclesiæ præsidia, accisis miruu in modum reditibus fixis; iis vero, quæ ex animarum populorumque cum atque devotione, hoc infelici nostro ævo magnopere collapsa, ad Cathedram provenire solebant aliquando, jam per temporum malitiam penitus sublatis; neque tamen interim vel dissolvendis debitis gravissimis, sustinendisque oneribus quotidianis, consilium aliquod adparet efficacius, vel mitius agitur in hanc Ecclesiam ad publicas Imperii contributiones et exactiones perpetuas. Quæ quidem

difficultates, Beatissime Pater, quæ graviori consilio inter nos sunt excussæ, eo minus adparuit in Capitulo nostro, qui medicinam iis adferre posset, hoc præsertim sæculo, quod tantis vulneribus curandis, nec rem neque consilium, nisi summa cum authoritate conjunctum admittit. Ut enim non desint ex nobis, qui pietatem, qui prudentiam adferre queant ad Ecclesiam gubernandam, si tempora sint meliora: qui tamen præsentia pericula, et ultimas jacentis Cathedræ necessitates humeris suis imponi pateretur, repertus non est. In eum etenim locum deductæ sunt res hujus Ecclesiæ, ut nemo Capitularium, sive Doctorum sive Nobilium, quantumvis eruditus, pius, zelosus, tot tamque urgentibus malis occurrere queat, aut remedium adferre salutare, etiamsi maxime velit, ob adversariorum potentiam et magnitudinem corruptelarum: id quod proximorum temporum experientia satis evidenter docuit. Nec jam ubi sese ultima ostendere videntur, periculum ex nobis faciendum amplius censeamus; sed potius ad alas confugiendum maximorum Principum, sub quibus tot milvis et accipitribus circumvolitantibus respirare tuto liceat. Quamobrem, invocato divini Numinis auxilio, atque ad supernam opem confugientes, Ecclesiam hanc nostram afflictissimam tali alicui Patrono committendam censuimus, ex quo iis, quæ imminent, consuli recte possit. At vero, quam ex Germaniæ potentissimis familiis serenissimæ Bavaricæ domui huc præferremus, nulla videbatur: penes quam etiam Ecclesiæ hujus nostræ perpetua est, inde a primis ejus initiis, tutela. Igitur unanimi consilio, consentientibus omnium singulorumque votis atque rationibus, adlucente procul dubio et impellente corda nostra Spiritu Sancto, medium Illustrissimi Bavariæ Principis Guilelmi filium Philippum Serenissimi Ducis Alberti Nepotem, vix dum annos habentem quinque, atque ita præter ætatem quidem, at non præter spem, præterve certam nostram consolationem, in Ecclesiæ Ratisponensis Administratorem Episcopumque nostrum futurum postulare decrevimus. Qua de re plenam fidem facturas confidimus has nostras litteras humillimas, in summa omnium concordia perscriptas. Cujus quidem facti nostri rationes, ubi Sanctitas Vestra ex superioribus colligere volet, parum huc quod dicendum amplius sit, restat. Nos certe, tam ad privatas nostras, quæ nullæ sunt ad hoc onus sustinendum prorsus, quam Ecclesiæ vires maxime infirmas, respicientes, consilium auxiliumve aliud vidimus nullum, si non et Cathedræ et Ecclesiæ, quæ supersunt, reliquias hæreticis in prædam cedere voluimus, quod absit: si ullum restituendæ religionis, Episcopalisque authoritatis conservandæ momentum ob oculos fuit ponendum, quod æquissimum judicavimus; si denique ad futurorum etiam temporum usum, augendarumque rerum nostrarum spem aliquam, cogitationem, animumque figere oportuit, ad quod cum officii ratio adigit, tum postulandi Principis familiæ pietas invitavit vel maxime. Et eum quidem fore, cujus authoritas præsentia tueri, futuraque prospicere et stabilire queat, nemo est, qui non sentiat nobiscum. Externis sane tutum firmumque non minus quam necessarium erit sub ea patrocinium. Religionem Catholicam et Ecclesiasticam jurisdictionem, si quis Ratisponensi Episcopatui restitutam salvamque cupiat, a Bavarica domo serenissima hoc petat beneficii necesse omnino est, ad quam in ipsa etiam Civitate multa pertinent adhuc hodie, ex quibus summa dependet authoritas, quibus ubi religionis sacrorumque potestas integra jungatur, rei istius omnis bene fœliciterque gerendæ in ipsa civitate recte initia sumentur. Sed anni non adsunt ad hoc opus idonei, ætas, quæ nulla propemodum est, nos excludit. In his equidem ne nobis desit Sanctitas Vestra, utque ejuscemodi defectus omnes paterna sua indulgentia et dispensatione suppleat humillime rogamus. Ea una, si sese non negaverit nobis, ut cæteris omnibus sufficienter et rectissime consulatur, viam simul aperiet facillimam. Erunt enim, ubi assenserit Sanctitas V.ra, postulati Administratoris loco, serenissimi ac Illustrissimi progenitores, qui consilio, ope, authoritate, reque necessaria omni, imbecillos istos annos sustinebunt, supplebuntque, quibus adjuti sacra, et quæ ad statum Ecclesiasticum pertinent, Sanctitatis Vestræ authoritate, pie recteque interim constituendum, facile tuebimur, ne quid interim detrimenti sumat religio, immo plurimum emolumenti ac ornamenti ut ipsa capiat sub tantorum Heroum protectione, non infœliciter contemur. Quæ deinceps divinis ac spiritualibus usibus necessaria fuerint externa et secularia augebimus quoque. Nec enim optimi Principes, quæ pietas ipsorum est, aliud apud nos nostramque Ecclesiam, quam religionis quæstum exoptabunt Administratori minorenni: nos interim re domi frugaliter commodeque instituta, post solutum æs alienum, ad augenda indigentissimæ Ecclesiæ commoda convertemus nos totos: sic ut hæc ratio unica juvandi conservandique Episcopatus hujus nostri antiquissimi non tam a nobis cogitata, quam cœlo delapsa videatur, quam etiam a Sanctitate Vestra non improbatum iri confidimus, cui et de summa nostra necessitate, deque adsciscendi commodissimi auxilii occasione jam constat, et de Principum istorum animis, zelo, pietate, constantia, clarissimis argumentis est compertissimum. Quorum quidem assensum in unam Sanctitatis Vestræ voluntatem esse conjectum, idque ratum gratumque

apud ipsos futurum, quod eidem placuerit, satis jam intelleximus. Vident ii Ecclesiæ nostræ ruinam, ni hoc modo succurratur, plus quam certam; vident reducendæ Civitatis, adeoque religionis omnis facultatem, a tali aliqua suæ familiæ potestate dependere; vident denique Episcopatus hujus a Regibus Ducibusque Bavariæ suis majoribus fundati, dotatique, alteram quodammodo erectionem, certe salutis dignitatisque ejus assertionem atque vindicationem, quam ad se maxime pertineat. Quod si Vræ Sanctitatis cohortatiu benigna accedat, ejusque, quam ut faceremus, ob supradictas gravissimas rationes decrevimus, hujus nostræ postulationis adprobatio clementissima, non incerti erimus de eo, qui per nos quæsitus est, tutius rei fine longe optimo ac fœlicissimo. Plura in hanc rem eaque summi momenti, cum ad informandam Sanctitatem Vram, tum nostri quoque consilii atque decreti causas explicandas tuendasque, supradictus noster procurator et agens Doctor Castellinius a nobis accepit perscripta, quibus hic longius deducendis molesti esse noluimus.

« Si qua ergo tangitur Sanctitas Vra nostrarum miseriarum cura, si non invidet Ecclesiæ nostræ nomen dignitatemque diuturniorem, si suæ quoque coronæ in Cœlis ex hac nostra consolatione ornamentum aliquod non dedignatur, de quibus vel suspicari, nedum ambigere non possumus, precibus nostris humilimis uti locum det, suapte omnino bonitate et prædicatissimo apud omnes benefaciendi studio adducetur, habebitque nos perpetua fide, humilitate ac devotione filios plusquam addictissimos. Cæterum quia multa eaque gravissima imminent Ecclesiæ nostræ pericula, sede vacante, pendenteque diutius confirmatione, neque a nobis quidquam, sive ad hæreticorum petulantiam coercendam, sive ad continendum in officio clerum, satis pro authoritate ac fructu aliquo institui poterit, rogamus quanta possumus cum humilitate a Sanctitate Vestra, quo negotium hoc benignissime velit maturare assensumque suum clementissimum in hac nostra desolatione, et inter periculosos hæreticæ Civitatis motus, quamprimum ad nos dirigere. Quo vero Sanctitati V. manifeste constet, eandem esse et concordem omnium Capitularium in hanc postulationem a Sanctitate Vestra confirmandam, mentem atque voluntatem, nos omnes propriis manibus subscribere voluimus. Deum Optimum Maximum vitam, fœlicitatemque ad votum largiatur semper Sanctitati Vestræ, cui nos et præsentem Ecclesiæ nostræ causam, cum necessariam, tum utilissimam, humilime ac devotissime commendamus.

Datum Ratisponæ die xv. mensis Augusti, anno a Christi Salvatoris sanctissima nativitate MDLXXIX.

Sanctitatis Vestræ

Humilimi ac devotissimi filii

Victor Augustus Fugger Præpositus et Canonicus supradictæ Cathedralis Ecclesiæ manu propria. — Ego Thomas Grosthomannus Echius J. U. D. Decanus et Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Ratisponensis omnibus præmissis interfui, consensi et consentio idque manu mea propria attestor. — Christophorus a Fronhoffen Canonicus et Senior m. p. — Joannes De Parsperg Canonicus m. p. — Philippus a Parsperg Canonicus manu pr. — Joannes Georgius Sinzenhover Canonicus m. pr. subscripsi. — Johannes a Schwendi Canonicus m. pp. — Achatius Nothafft Canonicus m. pr. — Adam Valter von der Gilg Canonicus Capitularis manu pr. — Ulricus a Raudenbuech Canonicus m. p. — Burchardus a Fraunberg Canonicus m. p. — Joannes Georgius Stinglhaimer Canonicus. m. p. — Achatius Fronhaimer Canonicus manu propria. — Jo. Christophorus a Scyboltstorff Canoncus m. p.

Iidem fusioribus ad Pontificem datis litteris enucleatius recensebant onera et damna suæ Ecclesiæ illata, quibus medendis ac levandis non nisi a Bavarica domo præsidium petendum esse contendebant. [*]

[*] Germania Vol 129. fol. 190

« Ecclesiæ Ratisponensis gravamina, molestiæ et pericula, tam in ipsa Civitate quam exterius perpessa, magisque imminentia subinde, unde adductum est Capitulum Rev., ut ab obitu proximi sui Episcopi de successore aliquo potenti tutiorique ac certiori protectione cogitaret.

« Quandoquidem iis in literis, quæ ad S.D.N. Summum Pontificem et Cardinales perscriptæ sunt, tractari pro necessitate singula non potuerunt, ne in molestiam excurrerent prolixitatem epistolæ, quædam summi momenti pro informatione Clarissimi Domini D. Castellinii fusius explicantur hoc loco, unde is, ubi opus fuerit, pro R. Capituli instituto postulationis hujus consilio asserere uberius queat.

« I. Et primo quidem cives contra manifesta hujus Ecclesiæ privilegia et ecclesiasticam jurisdictionem Capellas suas domesticas, quarum ultra quinquaginta fuere certi alicujus nominis, partim diruerunt, inque stabula, cellaria et alios vilissimos usus converterunt, partim adhuc durantia etiam variis tamen prophanarunt modis. Ac nuper admodum vixdum biennio elapso elegantissimum Sacellum proxime ipsis Episcopalibus ædibus everterunt funditus, in quo Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti veritatem insigni quondam miraculo Deus Opt. Max. contra Judæorum perfidiam adstruxerat: posita nunc ejus loco publica quadam vini taberna.

Reditus porro ad sacra loca fundatos hæreticis suis scholis addixerunt, in quibus jam ex piis piorum quondam hominum eleemosynis hæreses ac errores traduntur et imbibuntur miserrime. Et quamvis collocatio seu provisio altarium in istis locis ad Archidiaconatum Ecclesiæ Ratisponensis de jure vel consuetudine pertineret, imbecillior tamen fuit Episcopi authoritas, qui hæc salva tueretur contra civilem magistratum.

(Adnot.) « Jam si Ordinariæ jurisdictioni Bavarici aliquando brachii potentia accedat, reditus isti omnes (cum magna ex parte in Bavaria solvantur) sive ad restitutionem divini cultus, sive pios ac necessarios usus alios obtineri facile poterunt, magis tutiusque longe quam si tale quippiam sub alio quodam Episcopo fuisset hucusque quæsitum. »

« II. Consistorii quoque novi speciem introduxerunt cives ad magnam Ordinarii suæque veteris jurisdictionis injuriam, ad quod gravissimis comminationibus etiam Clerici in Civitate commorantes, ut comparerent, aliquoties sunt adacti.

« III. Clero præter suam immunitatem et contra sacros Canones id oneris impositum erat jamdiu, ut magistratui civico quotannis publicarum exactionum nomine, sicuti a civibus pendere solitum est, ducentos florenos numeraret.

« IV. Quam æqui porro fuerint hucusque Monasteriis, res ipsa loquitur. Et S. Petri Monasterium deleverunt penitus: Augustianorum, quæ fuerant, magna ex parte divendita sunt civibus: ad Prædicatores etiamnum concionantur ac debacchantur impune hæretici. Quamvis duo illa Monasteria ad quinquennium saltem iis concessa fuerint ab Imperatore Maximiliano, vi tamen occupant in hunc usque diem per xii. annos, nec relicturi facile, nisi per Bavaricæ authoritatis formidinem abigantur et expellantur: sicuti Scotorum quoque Monasterio diu cœperant imperare, frustra sæpe a Monachis implorata Cæsaris ope. Qui tamen egregie restituti sunt opera atque pietate sola Serῆi Ducis Catholici.

(Adnot.) « Atque hic dubium non est, aliis istis Monasteriis duobus similem ex Bavarica protectione, quæ hic quæritur, fortunam contingere posse. »

« V. Et quod absurdum quidem apparet, vendicat tamen sibi Civitas jus et superioritatem omnem in ista Monasteria, rejecta Ordinarii infirmi authoritate. Unde sæpe accidere solet, ut fratres apostatæ, nihil in Episcopo agnoscentes, sub hæreticorum protectione turpitudinem omnem amplectantur, bonaque Monasterii distrahant, ac divendant etiam, robur addente ejusmodi pactis iniquissimis magistratu.

(Adnot.) « Qualia nullo modo auderent sub Episcopo potente ac zeloso. »

« VI. Idem cum aliis quoque Clericis sæpe accidit, ubi vel hæresibus ipsi se commaculant, vel aliud quippiam committunt enorme: si Civitatis protectionem implorent, nulla admittitur Episcopi correctio aut executio, nec sistitur ad consistorium Ordinarium; imo quod iniquius est etiam, ubi ex Bavaria scandalosi mittuntur ad Episcopum Sacerdotes juxta Canones sacros plectendi ac corrigendi, nolunt eos admittere cives ad Episcopi Cathedram per vias plateasque publicas, nisi cognita prius excessus causa. Atque ita Episcopi authoritas ex civium concessione et approbatione quadam deberet exerceri. Quod rationi ac honestati repugnat, certumque est Clericalis disciplinæ exitium.

« VII. Ex quo quidem superioribus annis toleratum fuit, ut in ipso Franciscanorum Monasterio primum Guardianus, Monachus deinceps nuptias celebrarint turpissimas, clinodia et diplomata abstulerint, patrocinante illis magistratu civico, frustraque ab Episcopo inclamato Cæsaris auxilio, nec quicquam valentibus in contrarium Imperatoriis mandatis, quæ obtenta fuerant.

« VIII. Non absimilis exercetur in Ecclesiæ atque Cleri privilegia immunitatemque omnem violentia. Nam ex ipso summo templo comprehensos ad tribunal suum pertraxerunt: et Ecclesiæ quendam Ministrum, quod in religionem ipsorum liberius fuisset locutus, virgis cæsum plectere sunt ausi publice.

« IX. Quod vero ante hæc tempora fundatum fuit ab Episcopo Ratisponensi insigne hospitale, in quo centum et amplius personæ sustentari queant, cives quoque invaserunt, licet omnia diligentissime sint prævisa et ordinata, sic ut ibi nullum plane illis jus competat, omniaque sint sub Episcopi jurisdictione constituta. Ipsi tamen, acceptis sibi literis atque diplomatibus hospitalis, et in curiam translatis, administros et provisores dant et imponunt hæreticos suo libitu. Sed et vi adegerunt Capitulum, ut suis sumptibus alant hæreticum concionatorem. Unde miriades animarum ad Orcum transmittuntur ex eo loco, qui et animabus et corporibus curandis summa cum pietate fuit institutus.

« X. Clerus porro penes eam civium vim in dissolutionem impietatemque omnem dilabitur, sesequë in despectum Ordinarii civium tutelæ adjungit; sic ut ipsius etiam ope et contributione scholæ hæreticæ erigantur ac sustententur. Et Decanus quoque veteris Capellæ eo temeritatis prolapsus est, ut non ita pridem, anno vixdum elapso, ad Ratisponenses scholas legaverit testamento ter mille florenos in alimenta puerorum Lutheranorum.

« Quod quidem legatum licet impium sit, et juxta Canones sacros valere minime possit; non tamen ausus est Episcopus suam hic authoritatem interponere, et pecuniam illam, ex Ecclesia-

sticis solummodo proventibus corrasam, summoque eum scelere ad hæreses alendas destinatam, in meliores ac legitimos usus revocare.

(Adnot.) « At posset hic aliquid procul « dubio Bavaricus Auxiliator Episcopus tam « ordinaria quam hæreditaria ac propria sua « potestate, cum Civitas quæque multos habeat « in Bavaria reditus. »

« XI. Sed et hoc usurpare sibi non puduit Civitatem, ut peteret sua quadam authoritate ab Episcopo, quo deleretur festum illud Corporis Christi hæreticis ita exosum; idque cum minis et comminationibus, quasi ad eos postea pertinere non debeat, si quid in ista publica processione a populo moveretur gravius.

« XII. Monasteria porro hoc loco, de quorum turpidine passim loquitur Orbis, quod nobiles ut plurimum alant personas, Episcopi nobiles nunquam reformabunt in melius, cum sint multorum in iis cognati, affines, certe inferiores tantis et tam necessariis conatibus. Idem fuit hucusque ad corrigendum et emendandum totum hujus Civitatis Clerum defectus, trabe præsertim obversante palam in oculo pastoris: unde festucam eripi minus passæ sunt oves.

(Adnot.) « Jam si Bavarici sanguinis Epi- « scopus obveniat, parum erit negotii ad repur- « gandum Clerum omnem, cujuscunque tan- « dem ordinis atque status, cum ex Ordinaria « illa sedis authoritate, tum quod ex Bavaricis « reditibus vivant fere omnes. »

« XIII. Et hæc licet gravissima sint mala domestica, non tamen foris etiam cessatur a vicinis, ac quicquid superest hujus Ecclesiæ miris modis divexatur et adteritur. Erepta sunt ab hæreticis huic Cathedræ, quod sese opponere non valeret, hinc inde Monasteria octo, ingentis pretii et facultatum, nimirum ultra centies mille florenorum; centum et viginti Parochiæ cum integra civitate Egrana ab Ordinarii hujus potestate et jurisdictione avulsæ, quas hæretici jam occupant. Nec finis apparet harum miseriarum: sicuti hisce etiam mensibus Palatinus veterem religionem ex parochia quadam exulare jussit, cujus jus tamen ad Ecclesiam hanc pertinet. Quod si contra violentos istos perturbatores ac oppressores Imperatorii Judicii Spirensis mandata et inhibitiones obtineantur, nullus est prorsus apud ipsos talium respectus, non ignaros videlicet, ex Ecclesiæ hujus viribus infirmioribus subsequi adversus eos posse nihil gravius.

« XIV. Nec inferiora sunt iis, quæ circa temporalia bona hinc inde passa est a vicinis maxime Ecclesia Ratisponensis, atque etiamnum patitur: sicut affirmari vere possit, vix mediam adhuc illi bonorum suorum partem superesse. Et Palatinus solus super integro ejus Marchionatu negotium facit. Taceantur hic exactiones gravissimæ, et perpetuæ ad Imperii communia onera sustinenda. Quibus accedunt, quæ ad Austriam contribuuntur quotannis fere intollerabiliores. Equidem ubi vel famam pristinæ suæ dignitatis tueri voluit Ecclesia hæc per difficillimorum temporum necessitates, grave admodum æs alienum conflare oportuit nolentem volentem. Quod si penes hanc suam tenuitatem Episcopi statum aliquem decentem sustinere oporteat, non erit plane, unde institui hoc queat ulla ratione, nisi ea nomen et vires deponere simul volet.

« Itaque ne Cathedra hæc antiqua, cujus ultra septingentos annos non postrema fuit dignitas, memoria vero ante mille prope annos celebris, tota penitus concideret, qui hoc tempore sunt ejus alumni, ne tristem hunc exitum aspicerent, ad eorum Principum pietatem atque bonitatem censuerunt confugendum, unde præsens tutumque peteretur auxilium, tam ad ea recuperanda, quæ injustos possessores ac usurpatores invita nunc ferunt, quam confirmanda quoque et augenda, quæ vix ægre sese jam sustinent. Ad utrumque potenti opus est, sed gratuito auxilio, non sumptuoso. Ideoque de Principe cogitatum, cujus ætas in lucro esse queat; ut dum ille in idoneum formatur Episcopum, sedes interim roboretur ac firmetur, quæ suo tempore pastorem sustinere possit. Capitulum porro Rev. suas interim partes diligenter agnoscens, enitetur summo studio, ut Catholicæ Religioni ex instituta ista occasione consulatur rectissime. Nec deerunt illi modi ad erigenda Seminaria, introducendumque Clerum puriorem, præsertim cum eam ad rem præsto sint optimi et doctissimi quidam viri, Pontificii quondam in Urbe Collegii alumni, quorum virtuti atque pietati negotium tuto committatur. Nec difficile admodum erit Patrum de Societate Jesu Collegium ibi constituere, non solum Ecclesiæ populoque Ratisponensi, sed Bavariæ universæ, Bohemis, Franconibusque conterminis, ob loci ac victualium commoditatem, imprimis oportunum et salutare. Rogentur hic sententiam suam Amplissimi Cardinales in Urbe Moronus, Madrutius, Commendonus, Delphinus etc. qui hanc Civitatem præsentes viderunt, indignam ejus fortunam grassantiumque hæresum improbitatem eum dolore ac gemitu ferentes: et gratulabuntur eidem procul dubio talem hanc cælitus delapsam fœlicitatem, qualem præterquam Bavarica Domus conferre conservareque nulla alia poterit. Atque ejusmodi quippiam præsagire videntur hæreticorum hujus loci, concionatorum maxime, animi vel ex fama institutæ postulationis attoniti: metuunt profecto infantem, non aliter quam Herodes olim, quem virum non ferent.

IX. — Archiepiscopus etiam Salisburgensis

non dubitavit suum studium suamque operam interponere, ut hæc postulatio a Pontifice rata haberetur. [*]

[*] Germania Vol. 15. fol 131.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

« Beatissime Pater ac Domine, Domine Clementissime, obedientiam et reverentiam tam debitas, quam condignas, cum humillima mei commendatione ad devota beatorum pedum oscula. Cum mihi esset allatus nuncius, Dominum Davidem quondam Ecclesiæ Ratisbonensis Episcopum ex humanis ablatum esse, nihil magis in votis habui, quam ut huic viduatæ Ecclesiæ de aliqua idonea persona canonice provideretur, uti etiam meis literis Capitulum Ratisbonense ante paucos dies paterne, summaque cura admonui. Postmodum significat mihi prædictum Capitulum, perpenso in hac imperiali Civitate religionis Catholicæ turbulentissimo statu, nec non ipsius Episcopatus debitorum cumulo, per postulationem elegisse Illustris principis, domini et amici mei charissimi, domini Alberti Comitis palatini Rheni, ac utriusque Bavariæ ducis Nepotem, dominum Philippum secundo genitum Illustris principis et amici mei charissimi, domini Gulielmi Comitis palatini Rheni, ac utriusque Bavariæ ducis, et quamvis ætate infans sit, nihilominus tamen sese non exiguam concepisse spem, hanc postulationem in Ecclesiæ utilitatem et totius Sacerdotii defensionem esse cessuram, et sperare tanti principis auctoritate religionem catholicam, et quicquid ex annuis reditibus superest, conservari posse. Uti autem id, quod maxime cupit, a Sanctitate Vestra facilius consequi possit, enixe petiit a me, ut istius negotii promovendi causa etiam apud Sanctitatem Vestram intercederem, quod recusare non potui, etsi non sim nescius, Sanctitatem Vestram sua sponte nihil intermissuram, quod ad conservandum afflictæ Reipublicæ christianæ statum et hujus Ecclesiæ incrementum necessarium visum fuerit. Quapropter Sanctitatem Vestram humillime rogo, ut hanc postulationem, in quam præfati Illustres principes consensere, sacro suo calculo ex speciali gratia et benignitate corroborare et confirmare dignetur, sicuti Sanctitatem Vestram pro suo erga Rempublicam christianam pio zelo facturam esse spero et confido. Hoc cedet mihi et Capitulo Ratisbonensi in singularem gratiam erga Sanctitatem Vestram, omni diligentia et humillimo deditissimoque studio deserviendam. Deus Sanctitati Vestræ omnia sua vota secundet, atque pro felici universalis Ecclesiæ regimine diutissime, et felicissime florentem conservet. Cujus sacris pedibus me submittens denuo humillime devotissimeque commendo.

Datæ ex Salisburgo die XVII. mensis Augusti, anno domini 1579.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Humillimus et devotissimus Capellanus

JOANNES JACOBUS ARCHIEPISCOPUS SALZBURGENSIS.

Verumtamen Pontifex huic postulationi justissimas ob causas annuere detrectavit, monuitque Ratisbonenses Canonicos, ut de tali cogitarent eligendo, quem illius Ecclesiæ status postularet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. VIII. ep. 72. fol. 218

Dilectis Filiis Præposito, Canonicis ac Capitulo Ecclesiæ Ratisbonensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Reddidit Nobis vestras literas dilectus filius Joannes Paulus Castellinus, mandataque exposuit diligentissime. Dolemus Ecclesiæ vestræ orbitatem difficultatesque eas, in quibus versatur. Laudamus autem vestram tum pietatem in laborando, ut ejus incolumitati atque amplitudini provideatis, tum prudentiam in judicando, magnum ad eas res præsidium situm fore in clarissima Bavariæ domo, atque omni laude cumulatissima; viguit enim semper in ea studium Catholicæ fidei et sanctæ sinceræque pietatis et Dei cultus tuendi, nec quicquam melius fieri posse intelligimus, quam si quis ex ea domo nobilissimæ isti Ecclesiæ præficeretur: idque Nos libentissime faceremus; omnes enim illos unice diligimus: verum de infante postulato repugnat rei novitas, Patrumque exempla et decreta, quod vos etiam intelligere non dubitamus. Hanc igitur cogitationem deponite, deque tali viro cogitate, qualem Ecclesiæ vestræ statum magnopere postulare intelligitis; non deerit vestræ optimæ voluntati divina gratia. Nos certe, quantum auctoritate atque opera valebimus, vestris commodis inserviemus. Cætera ex venerabili fratre Episcopo Scalensi Nuncio nostro cognoscetis, quem ideo mittimus, ut in tam gravi negotio nostra atque Apostolica auctoritate vobis adjumento sit: omnem igitur ei fidem tribuetis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Novemb. MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

X. — Jam vero ad res Monasteriensis Ecclesiæ redeamus, quas anno superiore viri unius ambitione et pertinacia adeo pessundatas doluimus. Cum igitur Westerholtii, hujus sedis administratoris, opera turbæ factionesque foverentur, atque in dies magis magno ejus Ecclesiæ damno erumperent; cumque nefarius vir, spretis Apostolicæ Sedis monitis, neque se recognosceret, neque ab incœptis desisteret, Gregorius, ne indulgendo gravius quid accideret, a lenitate in severitatem versus canonicis in eum pœnis animadvertit, et in ejus locum Decano

hujus Capitali suffecto, omnibus spoliavit honoribus. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 333. f. 150.

Dilectis Filiis Capitulo et Canonicis Ecclesiæ Monasteriensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Postquam monuimus per nostras literas Conradum Vesterholtium, ut ad Nos veniret, seque Nobis purgaret de iis criminibus, de quibus ex multorum testimoniis cognoveramus, vidimusque ipsum contumacem fuisse, nostrisque mandatis obtemperare noluisse, sicque in eas pœnas incidisse, quæ nostris literis continebantur, suspensionis scilicet ab officio et beneficio, privationisque omnis vocis activæ et passivæ, eque Capitulo et choro ejectionis, mandavimus dilecto filio causarum curiæ Apostolicæ Generali Auditori, ut ad graviores adversus eum pœnas procederet, quod etiam factum est. Quoniam igitur Vesterholtius sic suspensus et declaratus est, voluimus providere, ne quid dissidii in alio istius Ecclesiæ rerum Administratore eligendo inter vos oriatur, atque uno tempore et ipsius Ecclesiæ utilitati et vestræ tranquillitati consulere. Fecimus igitur Administratorem ad nostrum et Sedis Apostolicæ beneplacitum dilectum filium Godifredum Ræsfeltium ejusdem Ecclesiæ Decanum, qui habet gravissima apud Nos testimonia probitatis, prudentiæ, religionis. Mandamus igitur, ut Decanum ipsum in Administratorem recipiatis; si qui vero huic nostro mandato se opposuerint, aut illud quamprimum implere neglexerint, aut distulerint, ex nunc illos ab officio et beneficio suspensos, atque omni voce activa et passiva privatos esse decernimus et declaramus, mandamusque illos ut tales omni et quacunque appellatione remota ex choro et Capitulo ejici. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, atque istius Ecclesiæ juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Martii MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno septimo.

XI. — Frustra omnino, qui e partibus Westerholtii erant, conati sunt ab eo inflictas pœnas deprecari, quare et hoc supplici libello Pontificem adierunt. [*]

[*] Germania Vol. 43. fol. 231.

Beatissimo in Christo Patri et Domino Dño Gregorio fœlicissimi ejus nominis Papæ decimotertio, Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici Opt. Max. Domino Nostro Clementissimo.

« Beatissime Pater. Nuper videlicet 22. et 23. Aprilis, Dominis Decano et Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Monasteriensis, ac nobis Deputatis de Regimine ejusdem Diœcesis, nec non Civitati Monasteriensi certum quoddam mandatum suspensionis, sub gravissimis quibusdam pœnis et censuris, a Reverendo Domino Hieronymo Matthæjo Prothonotario, utriusque Juris Doctore ac Cameræ Apostolicæ generali Auditore, contra Dñum Conradum a Westerholt Scholasticum ac Locumtenentem hujus Diœcesis et Ecclesiæ Monasteriensis emanatum, insinuatum extitit, cui etiam ea qua decuit reverentia a Decano et Senioribus nobisque Deputatis obtemperatum est; verum cum præfatus Dominus Locumtenens se plurimum et immerito in illis, ex variis per eum deductis causis et gravaminibus allegatis gravatum conqueratur, prout in tenore schedulæ introclusæ latius deducitur et continetur, ac ideo hujusmodi mandatum de jure et æquitate relaxari, aliaque prout in dicta scheda continetur, fieri debere adserat, nosque precibus ejus inclinati vehementer cupiamus, ut ab hujusmodi suspensionis mandato aliisque gravaminibus et censuris, quibus innodatus existit, liberetur; hinc est, quod Sanctitatem Vestram humiliter et devote oremus, ut prætacto Suæ Sanctitatis Auditori Cameræ Apostolicæ mandare velit, quatenus gravamina per antefatum Locumtenentem in sua appellatione ac alias deducta, mature ac diligenter examinare, ac desuper id, quod juris et æquitatis norma dictaverit, statuere, aut saltem ex Sanctitatis Vestræ innata clementia et humanitate (si quid forte ex ignorantia per sæpedictum Locumtenentem omissum aut parum provide admissum existat) gratiose remittere et condonare, eumque sic a præmentionato suspensionis mandato aliisque pœnis et censuris incursis, vel forsan incurrendis, clementer absolvere et liberare dignetur, ut tanto melius contentiones inter Capitulares prætactæ Ecclesiæ existentes componi, et hujus patriæ ac Diœcesis tranquillitas et bonum publicum promoveri et conservari queat. Et quanquam de Sanctitatis Vestræ clementia plurimum confidamus, ipsamque prætactas nostras humiles et devotas preces gratiose exauditurum speremus, tamen quantum possumus obnixe petimus, ut eadem Sanctitas Vestra nobis suam mentem desuper, et quomodo deinceps nos in hoc negocio gerere debeamus, per Rescriptum suum clementer aperire non gravetur. Deus Optimus Maximus Sanctitatem Vestram (pro qua etiam preces nostras quotidie offerre conabimur) nobis et orbi Christiano quam diutissime incolumem conservet. Datum Monasterii quinta mensis Augusti anno salutis humanæ supra sesquimillesimum septuagesimo nono.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimi

DEPUTATI AD REGIMEN CÆTERIQUE ORDINES ET STATUS SECULARES DIŒCESIS MONASTERIENSIS.

Neque vero prætereundæ sunt iniquissimæ

litteræ, quibus homo nequam viros illos circumvenerat, adduxeratque ad suam causam apud Pontificem orandam. [*]

[*] Germania Vol 55. fol. 190.

Nobilibus Equestris Ordinis DD. Deputatis ad Regimen, reliquisque Statibus et Ordinibus sæcularibus Diœcesis Monasteriensis, Dñis meis Clementissimis.

« Debita officiorum oblatione præmissa, Dominationes Vestras omnium, quæ in causa cœptæ postulationis Monasteriensis successive intervenerunt, memores esse non dubito, itaque omnia ab initio repetere necessarium non existimo. Puto etiam DD. Vestras non ignorare, me anno 1574. post obitum Johannis Episcopi Monasteriensis etc. bonæ memoriæ, a Canonicis dictæ Ecclesiæ in Locumtenentem cum adjunctis Dominis Deputatis de regimine (licet indignum) assumptum et constitutum fuisse, ut in omnibus, quæ sunt jurisdictionis Diœcesanæ, officium Reverendissimi Domini Postulati unacum adjunctis exequerer.

« Quod cum factum esset, Illustrissimus Carolus Fridericus Dux Juliæ, Cliviæ et Montium etc. fœlicissimæ memoriæ, in Urbe vitam cum morte commutavit, hinc periculosissimæ contentiones circa novæ postulationis negotium inter Canonicos hujus Ecclesiæ exortæ sunt, quæ quidem exiguo tempore ita creverunt, ut ego a multis propterea male exceptus et habitus fuerim.

« Ac licet in præfato postulationis negotio nihil magis præ oculis haberem, quam ut statota et consuetudines Capituli nec non libertas electionis salvæ essent, non defuere tamen, qui recte a me facta detorquerent, meque res novas contra Catholicam religionem moliri assererent.

« Hinc factum, ut præter omnem expectationem contra privilegia patriæ per Breve Apostolicum ad Urbem evocatus fuerim, non attento, quod ad præfatum Breve ea qua decuit reverentia et modestia S. S. responderim.

« Interea, dum spero, me satis apud Suam Sanctitatem præfato scripto excusatum, ab Auditore Cameræ Apostolicæ, nec monitus, nec citatus, tanquam contumaciter absens per sententiam declaratoriam suspensionis nulliter condemnatus sum, quæ quidem nullitas ex sequentibus paucis demonstrabitur.

« Primo, propter privilegium fœlicis recordationis Julii Papæ Secundi, quo ejusmodi evocationes in prima instantia in hac Diœcesi omnimodo prohibitæ sunt.

« Secundo, propter Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 20. quo cavetur, ut in prima instantia coram Ordinariis locorum causæ tractentur.

« Tertio, quia Summus Pontifex Auditori Cameræ expressim injunxit, ut post intimatum Breve denuo præmissis citationibus contra me procederet, et tamen verum, quod ante declarationem suspensionis nullam citationem vel monitorium ab eo receperim.

« Quarto, quia hactenus munus locumtenentiæ indefesso labore sustinui, certe in pœnam contumaciæ incidere non potui. Pœnam enim contumacis non patitur is, quem majoris caussæ occupatio defendit.

« Quinto, quod propter metum potentissimorum inimicorum personaliter comparere non potuerim. Nam jura volunt, quod etiam a Pontifice personaliter citatus propter metum inimicorum sui præsentiam facere non tenetur. Nicol. de Mil. in repert. in verb. citatus ut perso. compar. Et etiamsi hæc pericula aliqua ratione cessarent, uti non cessant, supersunt tamen aliæ incommoditates, quæ me a personali comparitione excusant. Verissimum etenim est, me ante biennium ex scalis rectæ itionis præcipitem decidisse, et ex eo caput multis periculosis vulneribus diu apertum habuisse, meque post eam læsionem equo propter remanentem vertiginem sine periculo ne quidem exiguo spacio obambulare potuisse, tantum abest, ut tam longum iter eques conficerem.

« Sexto, quod prætensa famosorum libellorum actio diu ante evocationem coram officiali Monasteriensi via reconventionis per Præpositum, Decanum et consortes in jus deducta fuerit, nempe 7. Decembris anno 1577., cum præfatum Breve Apostolicum deinde nona mensis Maji anno 1578. primum intimaretur, causæ identitas ex tenore libelli reconventionis satis apparebat.

« Septimo, quod quamvis a sententia ipso jure nulla et ab incompetente judice lata appellare non sit necesse; tamen debito tempore appellationem interposuerim, quamvis illa non attenta, sententia declaratoria suspensionis præpropere executa fuerit.

« Non obest, si dicatur privilegium de non evocando ante sententiam debuisse allegari. Nam satis tempestive etiam hodie alligatur, cum nondum ulla lis Romæ in hac causa contestata sit. L. ult. C. De except. Et etiamsi privilegium de non evocando juvare non posset, superesset tamen exceptio non tuti itineris, quæ gravamen habet non momentaneum, sed successivum, et quandocunque etiam post litem contestatam opponi potest, item exceptio omissæ citationis, exceptio majoris occupationis, et exceptio litis pendentiæ, quæ simili modo executionem impediunt.

« Non obest etiam, quod exceptiones nullitatis non coram exequutore, sed coram judice, qui sententiam tulit, proponendæ sint. Imo juris, quod ejusmodi nullitates, quæ in continenti probari possunt, ab exequutore discuti debent, eatenus, ut eas ad Superiorem remittere, ea-

rumque resolutionem expectare, et interim in exequendo supersedere de jure teneatur. Nam nullitas non tantum coram Superiore via actionis, verum etiam coram exequutore via exceptionis pro impedienda exequutione opponi et objici potest. Vestrius in process. lib. 8. cap. 1.

« Nec etiam dicendum est, quod Ordinarius loci ad mandatum Auditoris Cameræ Apostolicæ teneatur metu censurarum et pœnarum sententiam evidenter nullam exequi; imo debet et potest illi de facto sine peccato resistere. Marant. disput. 1. per totum. Lege enim permittente quod fit, nihil meretur pœnæ. Ait etiam Pontifex in C. Si quando, de rescript. ex. Aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem caussam prætendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.

« Cum ex supradeductis notoriis nullitatibus, me tam graviter læsum esse, liquide constet, ut merito ante exequutionem de his debuerit consuli Summus Pontifex et expectari secunda jussio; hinc est, quod Dominationes Vestras pro conservanda justicia rogatas velim, ut ad Sanctissimum ac Beatissimum in Christo Patrem et Dominum, Dominum Gregorium felicissimi nominis Papam XIII., Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontificem Maximum, humiliter et devote pro me intercedere non graventur, ut Suæ Sanctitatis Auditori Cameræ mandare velit, quatenus gravamina per me in appellatione ac alias et nunc in præsenti schedula deducta mature ac diligenter examinare, ac desuper id, quod juris et æquitatis norma dictaverit, statuere, aut saltem ex innata Sanctitatis Suæ clementia et humanitate (si quid forte ex negligentia vel ignorantia contra inobedientes et rerum novarum cupidos per me omissum, aut etiam in non reprimendis malorum hominum conatibus parum proinde admissum existat) gratiose remittere et condonare, meque a sæpedicto suspensionis mandato aliisque comminatis pœnis et censuris incursis forsan, vel incurrendis clementer absolvere et liberare dignetur, aut quatenus hæc fieri non possint, alicui spectatæ prudentiæ et Suæ Sanctitatis arbitrio eligendæ personæ, quæ solam facti instructionem, reservata sententia diffinitiva, sanctissime sumat, processumque conficiat, hanc caussam extra Romanam Curiam et in partibus committat. Deus Optimus Max. DD. Vestras ad hujus Diœcesis pacem fœlicitatemque tuendam, atque provehendam quam diutissime incolumes servare dignetur. Monasterii pridie Calen. Augusti 1579.

DD. Vestrarum deditissimus

Conradus de Westerholt Scholasticus Cathedralis Ecclesiæ et Locumtenens Diœcesis Monasteriensis.

XII. — Gregorius a sententia in Westerholtium nullo modo dimoveri est passus. Quin etiam ipse Westerholtius, homo improbus atque ad extremum perditus, ea perpetravit, quibus inclementiorem in se Pontificem faceret. Etenim pervulgatis libellis, perperam calumniis et dicteriis refertis, ipsi Pontifici insectari non est veritus, atque sub specie Germanicæ libertatis tuendæ eamdem Sedis Apostolicæ auctoritatem convellere molitus est. Quamobrem Gregorius Monasterienses monet, ne hujus nefarii hominis artibus sese ludibrio haberi sinant, iisque insinuat, ut, Bremensi Postulato rejecto, Ernestum Bavarum in suum Episcopum assumant. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 36. f. 210.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Monasteriensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Ex aliis nostris literis, quas ad vos dedimus, facile cognovistis, quantopere de Ecclesiæ vestræ dignitate et tranquillitate laboremus. Utrique causæ adversari semper existimavimus conatum Conradi Vesterholtii de præficiendo Bremensi: nihil opus est eadem iterare. Restat, ut superioribus nostris literis obtemperetis, quod etiam sub eisdem pœnis monemus et mandamus. Nos enim Conradi appellationem calumniosam judicamus; et cætera quidem appellandi causæ frivolæ sunt; illa vero importunissima, nostra scilicet decreta adversari Germanorum libertati. Interpretatur enim ille, libertatem sitam esse in detrahendo Sedi Apostolicæ, in ejus auctoritate contemnenda, in Ecclesiarum pace turbanda; hoc autem Catholicorum Germanorum facit nemo, sunt vero propriæ Conradi artes. At Nos Germanicam nationem semper plurimi fecimus, eamque quam ornatissimam esse voluimus: arbitramur autem illam majora habere nostra erga se charitatis argumenta, quam ut possint Conradi verbis in dubium revocari. Quia vero Bremensi opponitur dilectus filius Ernestus Frisingensis Ecclesiæ administrator, vehementer personam ipsam probamus, inque ea plurimum præsidii ac dignitatis Ecclesiæ vestræ fore judicamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xv. Augusti MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

XIII. — Cæsarem quoque monet, ne Westerholtio impudentissime dictitanti, quæ contra ipsum gesta fuerint, nationis Theutonicæ libertati adversari, aurem præbeat: petitque ab eo, ut quæ in eum decreta sunt, curet perficienda. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 36. f. 209.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem

et Apostolicam benedictionem. Quibus artibus utatur Conradus Vesterholtius in negocio Ecclesiæ Monasteriensis, qui sint ejus spiritus, quod consilium in favendo Bremensi Postulato, quantopere a Bremensi ipso abhorreat voluntas nostra, quibus de causis existimemus, haud esse e re Ecclesiæ Monasteriensis de illo cogitare, quibus decretis interdixerimus ejus Ecclesiæ Capitulo, ne ullam amplius ejus mentionem fieri paterentur, quos libellos Conradus adversus nostram atque hujus Sanctæ Sedis auctoritatem dederit, quid a Nobis atque ab Auditore Cameræ mandato nostro adversus eum decretum fuerit, perspectum est Majestati Tuæ. Quia vero Conradus perseverat in eadem contumacia et perversitate, nec cessat vociferari, nostras literas adversari libertati Germaniæ, voluimus significare Majestati Tuæ, nunquam Nos cogitasse ei nationi abesse, quam plurimi fecimus, uniceque diligimus, quæque habet non vulgaria nostra erga se voluntatis et charitatis argumenta. Conradi vero calumnia manifesta est; sic enim interpretatur libertatem sitam esse in detrahendo Sedi Apostolicæ, in ejus auctoritate contemnenda, in Ecclesiarum pace turbanda; hoc facit Catholicorum Germanorum nemo, sunt vero propriæ Conradi artes. Rogamus igitur Majestatem Tuam, ut quoniam ejus appellatio frivola est et calumniarum plena, cures, ut literæ Apostolicæ et decreta hactenus facta eam executionem habeant, quam res ipsa et Conradi contumacia atque perversitas postulat. Erit hoc Nobis gratissimum et dignum præstanti pietate tua. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Augusti MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

In eamdem sententiam religiosissimo Clivensi Duci scribit. (*)

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Juliæ Cliviæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Nulli melius, quam Nobilitati Tuæ notæ sunt artes Conradi Vesterholtii. Postquam vero tum per Nos ipsos, tum per Auditorem Cameræ Apostolicæ ea decrevimus, quæ Conradi improbitas atque perversitas postulabant, clamat in quadam appellatione frivola et calumniarum plena, nostras literas et decreta adversari libertati Germanicæ. Voluimus igitur his literis testari, nunquam Nos aliquid cogitasse, semperque nationem ipsam plurimi fecisse, eamque ornatissimam cupere. Habere vero illam majora nostra erga se charitatis argumenta, quam ut possint Conradi verbis labefactari, qui sic interpretatur, libertatem sitam esse in detrahendo Sedi Apostolicæ, in ejus auctoritate contemnenda, in Ecclesiarum pace turbanda: hoc autem Catholicorum Germanorum facit nemo, sunt vero propriæ Conradi artes. Quoniam igitur aperta appellationis calumnia est, et contumacia manifesta, faciet omnino Nobilitas Tua, ut literis Apostolicis et decretis hactenus factis obtemperetur. Speramus, Nobilitatem Tuam neque postulationis æquitati, neque suæ erga hanc Sanctam Sedem observantiæ defuturam. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Augusti MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VIII. ep. 37. f. 210.

XIV. — Ejusdem Ducis filio Gregorius summopere gratulatur, quod suis monitis obtemperaverit in eo, quod Ecclesia præscribit de corpore et sanguine Domini Nostri Jesu Christi sub panis tantum specie sumendo. (*)

Dilecto Filio Nobili Viro Juliæ Cliviæ Principi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Summus noster in te amor, summumque desiderium tuæ gloriæ facit, ut incredibiliter lætemur tuis bonis, iis, inquam, quæ vere sunt bona, quæque Tuæ Nobilitati veram ac perpetuam afferunt gloriam, hoc est quæ a pietate proficiscuntur, eamque testificantur. Nihil autem erat, quod tam optaremus, quam ut nostris monitis et precibus satisfaceres in amplectendo sanctæ Matris Ecclesiæ instituto, de corpore et sanguine Dñi Nostri Jesu Christi sub altera tantum, panis scilicet, specie in sacrosancta Eucharistia sumendo, quod ubi Nobilitatem Tuam fecisse accepimus, egimus continuo Deo gratias immortales, teque cogitatione atque animo amplexi et deosculati sumus, tuamque istam præstantem atque omnibus testatam pietatem Deo obtulimus, tibique parentique tuo ea bona ab ejus benignitate precati sumus, quæ possunt tum in hac, tum in futura vita hominibus maxime exoptari. Fruere, fili, ista laude, quæ in Sancta Ecclesia permagna est, pergeque nixus Divina gratia, quæ te nunquam destituet, pietatem cæterasque virtutes colere, tantumque tibi a Nobis pollicere, quantum potes a tuo ipsius parente. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Martii MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno septimo.

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 211. f. 137.

XV. — Bremensis ille Postulatus, qui una cum Westerholtio Monasterienses discordias excitaverat, non sibi piaculo duxit, Archiepiscopum Rossanensem, quem Gregorius Nuntium suum extra ordinem Cæsari ad res Belgicas componendas miserat, subdolis artibus circumvenire, ut confirmationem a Pontifice arriperet. (*)

Rño in Christo Patri Domino Jo. Baptistæ Castaneo Archiepiscopo Rossano, Sñi Dñi N. per Germaniam Nuncio dignissimo, Dño nostro Carissimo.

« Reverendissime Præsul. A quo tempore id supremæ necessitati et iniquæ Subditorum postulationi concessi, ut pendente confirmationis

(*) Nuntiat. Colon. Vol I. f. 10.

meæ negocio, manus tamen gubernationi admoverem io his, ad quas consentientibus votis postulatus sum, Diœcesibus, semper in eo elaboravi, ut Sedi Apostolicæ meam observantiam gratis benevolentiæ officiis facerem testatam. Itaque partim præsens, partim per Oratores meos, quantum potui, missis ab Urbe S. Sanctitatis Nunciis omnia bumanitatis officia obtuli. Quod Rmæ Dominationi tuæ eo magis deberi a me agnosco, quo magis constans maximarum virtutum Reverendissimæ Dominationis tuæ fama illustri loco posita est, meque ad amandam atque colendam Reverendissimam Dominationem tuam provocat. Proinde facere nec potui, nec debui, quin hunc consiliarium meum Laurentium Schradæum ad Rmam Dominationem tuam pro officiosa declaratione meæ voluntatis mitterem. Eum si Rma Dominatio tua benigne audierit, ejusque verbis fidem habuerit, id erit mihi pergratum. Valeat Rma Dominatio tua optime. Datæ ex arce mea Vorda 28. Maji anno etc. 1579.

Henricus Dei gratia Postulatus Archiepiscopus Bremensis, Administrator Osnaburgensis et Padebornensis Diœcesiom, Dux Saxoniæ Angrivariæ et Westphaliæ etc.

HENRICUS DUX SAXONIÆ.

XVI. — Adeo nunquam Gregorius ab suo grege tuendo vacabat, ut vel ipsos Episcopos, si quid io hac re offendisseot, vehementer objurgaret. Cum igitur ei delatum esset, Bambergensem Præsulem honorum Episcopatus sui temporalium administrationi in Carinthiæ et Styriæ locis hominem hæreticum præfuisse, eundem de hoc facto acriter objurgat, jubet eum hominem ab officio removere, et minatur, si hoc facere detrectet, se auctoritate usurum sua. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 38. f. 301.

Venerabili Fratri Episcopo Ecclesiæ Bambergensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus, te nonnullis locis Carinthiæ et Styriæ, amoto Gubernatore Catholico, præfecisse Joannem Federicum Hoffmannum hæresiarcham. Non possumus satis mirari, id te potuisse cogitare, nedum facere. Nam si vix potest mercenarios appellari is, qui ubi videt lupum venientem, oves deserit et fugit, quo tandem nomine appellabitur is, qui io oves ipsas lupum immittit et præficit? tu vero et præfecisti, et illum Consiliarii et Vicarii tui titulo ornasti. Lupus igitur pastoris Consiliarios et Vicarius: cogita quam turpe hoc tibi sit ad existimationem, quam exitiosum, quam acerbum et funestum Christi ovibus ad aspectum. Quam vero præclare tuus iste Vicarius consulat honori tuo, quæ de te in vulgus spargat, quibus nominibus tibi plurimum tribuat, quid in te maxime probet, quid prædicet, ex aliis cognosces, nisi forte jam cognovisti, et negligis: Nos enim pudet ea referre, quæ vero adversus Clericos atque optimum quemque molitur atque exequitur, laturi oon sumus; efficiemusque, nisi eum amoveris, ut intelligas, nihil Nobis antiquius esse Catholica Religione Catholicorumque salote et quiete. Causam Christi ab Episcopo negligi grave est, perdi intolerandom, nihil in commonendo proficì horrendum: sed speramus, te ad extremum hoc minime perventurum, neque amplius tali ministro usorum, neque commissurum, ut cogamur ad extrema descendere. Deus benedictus aperiat oculos tuos, ut cognoscas, quibus officiis debeas ejus Majestati inservire, tuoque muneri satisfacere. Cætera ex dilecto filio Horatio Malaspina nostro et Sedis Apostolicæ Nuncio apud Rodulphum Imperatorem Electum cognosces, ejusque verbis fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Augusti MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

XVII. — Neque vero remissius se gerebat Gregorius cum Principibus viris, quoties cognosceret in eorum ditionibus ea permitti, quæ in fidei detrimentum verterentur. Itaque cum Protestantes præ se ferrent, sibi a Carolo Archiduce Austriæ liberi sui cultus exercitii factam facultatem fuisse, Gregorius eundem monet, ut quamprimum se his rumoribus liberet; maodat insuper, ut si quæ unquam, quæ ab avita fide abhorreant, ab eo acta concessaque sint, quæque omnino nulla atque irrita esse Sedes Apostolica jusserit, pro nullis atque irritis et ipse habeat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII ep. 389 f. 153.

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Magnopere mirati sumus, quosdam homines tuæ ditioni subjectos gloriari obtinuisse se concessu tuo libertatem in iis, quæ ad fidei dogmata atque ad sanctam Religiooem pertinent. Sumus autem mirati sive facti ipsius novitatem, si vera sunt, quæ gloriantur; sive illorum audaciam, si falsa. Ut autem vera esse existimemus, adduci oon possumus; novimus enim prudentiam et pietatem tuam, neque arbitramur latere te, tuum non esse, quidquam de sacrosancta Religione decernere, aut permittere; atque tuos tibi, sic te Deo, sanctæque ejus fidei, quæ extra Romanam Catholicamque Ecclesiam nunquam inveniri potest, inservire debere. Quia vero hujusmodi sermones magnum scandalum pariunt sanctæ Ecclesiæ, cui Dei benignitas ideo Nos præesse voluit, ut summam Catholicæ Religionis animarumque salutis curam sustineremus; monemus Nobilitatem

Tuam pro nostro munere, proque nostra erga te charitate et tuæ gloriæ zelo, ut te quamprimum his rumoribus, quos falsos judicamus, liberes, tuamque rectam voluntatem omnibus apertam et testificatam esse velis; sicque tuæ existimationi provideas, neque patiaris, tuam laudem tam gravi macula aspergi, perpetuamque Domus tuæ gloriam in Catholica Religione tuenda et propaganda istis mendaciis obscurari. Nos vero, si quid forte hactenus in rebus sanctæ Religionis actum, decretum, permissumve est secus, quam debuit, quamque de te existimamus, acta, decreta, permissa omnia nulla irritaque esse decernimus rescindimusque, mandamusque tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ut provideas, quantum in te erit, utque hoc nostrum decretum per tuæ ditionis loca promulgari cures, ut qui se in suis erroribus tua auctoritate foveri gloriantur, intelligant, quantis in tenebris versentur, quamque nullam apud horrendum Dei Tribunal excusationem inventuri sint. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Martii MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno septimo.

Eundem hortatur, ut hæreticos homines ditionis suæ coerceat et comprimat, ne hæretica contagio finitimorum etiam Principum regiones pervadat; quod hi maxime verentur, ab eoque pro suo jure id exigere possunt, ne quid suis cujusque subditis in re pergravis momenti noceatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An VIII ep 15 f 192

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Non possumus sine summa reprehensione et Dei in Nos ira tacere, ubi videmus tum Dei ipsius gloriam lædi, tum christianæ Reipublicæ tranquillitatem perturbari, neque debemus pati paucorum quorundam perversitate omnia everti. Horremus enim in hoc munere, cui Nos Deus sine ullo nostro merito præfecit, ejusdem Dei judicium. Speculatores, inquit, cæci, canes muti non valentes latrare: hanc vero cæcitatem atque socordiam quid consequitur? interitus et vastatio. Omnes, inquit, bestiæ agri venite ad devorandum, universæ bestiæ saltus. Quia vero nulla certior atque exitiosior pestis est, quam hæretica perfidia, horremus cogitare, quantum ab ea periculi immineat tuis rebus; illud certe compertum habemus, verissimeque affirmare possumus, hac cura gravissime stimulari atque angi vicinos Principes, a quibus brevissimo intervallo disjungeris, neque illos quidquam magis vereri, quam ne pestifera ista contagio suos etiam corripiat, propter populorum scilicet commercia. Voluimus igitur his literis monere Nobilitatem Tuam non solum, ut provideas, ne pestis ista latius excurrat, sed ut penitus etiam extinguatur, hocque Catholici atque optimi Principis facto et Dei gloriæ, cui omnia debes, et tuorum saluti, quam tibi cordi esse certo scimus, et vicinorum tranquillitati, cujus etiam curam a te suscipi æquum est, consules. Quod si neglexeris, vicini certe cogentur rebus suis providere, atque id eligere, quod suorum incolumitati expedire intelligent. Rogamus Nobilitatem Tuam, ut existimes hæc, quæ liberius scripsimus, proficisci ab animo vere paterno, atque ab ea charitate, qua semper te tuasque res prosecuti sumus; certumque habeas, Nos non temere, neque sine causa hæc scribere. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Julii MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

XVIII. — Cum eodem conqueritur de Clero Aquilejensi ab ejus Goritiensibus Ministris, ut ferebatur, male habito, mulctatoque pecunia tributorum nomine: ad quorum cupiditatem comprimendam excitat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An VIII ep 34 f 207.

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Canonici atque alii Sacerdotes Ecclesiæ Aquilejensis conqueruntur, Ministros Convocationis Goritiæ ex fructibus Ecclesiæ et quotidianis distributionibus partem quandam retinere tributorum nomine: neque aut Tuam Nobilitatem vereri, aut gravissima anathemata Concilii generalis olim sub Innocentio III. et alterius Lateranensis nostra ætate sub Leone X. exhorrescere, Cameræ etiam Apostolicæ Auditoris inhibitionem pro nihilo ducere. Quia vero hæc adversari scimus tuæ voluntati, quam semper optimam atque ab omni injuria alienissimam cognovimus, voluimus has literas ad te dare, ut tum Ministrorum illorum saluti, tum Clericorum tranquillitati atque immunitati provideas, eosque omni injuria liberes. Amamus te ac tuos, neque pati possumus, illos in tam gravem Dei indignationem incurrere. Non dubitamus, te pro tua præstanti pietate provisurum, nostroque summo desiderio reique æquitati satisfacturum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima quinta Augusti MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

XIX. — Verumtamen ille Princeps, ea Pontificia severitate commotus, filiali edocet obsequio, rem aliter, ac delata ad eum fuerit, se habere. Quare et enixe ab eo petit, ut, rei veritate melius explorata, clementia et æquitate sua utatur, Canonicosque Aquilejenses ad onera publica, Cleri consensu et diuturna consuetudine probata, in Provinciæ commodum solvenda impellat. [*]

[*] Informa- nta Vol. 28 fol. 150

Beatissimo in Christo Patri, Domino Domino Gregorio XIII. S. Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Colendissimo.

Beatissime in Christo Pater, Dñe mihi colendissime.

« Post obsequium meorum humilimam commendationem filialis meæ erga Sanctitatem Vestram et hanc Sedem Apostolicam observantiæ perpetuum incrementum.

« Emanavit nuper ab Officio Sanctitatis V.ræ monitorium seu inhibitorium quoddam ad instantiam Rñdi Capituli ac Canonicorum Ecclesiæ Aquilejensis contra Convocationem Comitatus mei Goritiensis, tenoris, uti ex inclusa copia cernere licet. Quo sane expresse innuitur, assertos Canonicos per ipsam Convocationem circa impositiones ac exactiones earumdem inique contra mentem et voluntatem præfati Capituli et Canonicorum gravari, inhibendo serio et sub gravissimis censuris Ecclesiasticis ab hujusmodi impositionibus et exactionibus in posterum totaliter abstineri. Cæterum cum prætensum gravamen nullo fundamento veritatis nitatur, atque in mei ipsius, mearumque Provinciarum ingens præjudicium maximumque et intollerabile damnum tendet, non potui, nec debui sane obmittere, quin Sanctitati Vestræ hanc meam humilimam verissimamque informationem pro mei ipsius ac prefatæ Convocationis debita excusatione quam succincte et submisse perscriberem.

« Noverit itaque Sanctitas Vestra prætensam impositionem et exactionem minime novam et insolitam (uti ex parte Capituli et Canonicorum inique asseritur), sed ab antiquo ultra memoriam hominum in ipso Comitatu, sicut etiam in reliquis meis Provinciis communiter receptam et usitatam esse. Quæ denique non coacte, sed sponte, prævio consensu omnium Statuum ipsius Comitatus, inter quos etiam Ecclesiasticus uti præcipuus continetur, ioque solos publicos usus ad defendenda confinia contra irruptionem Turcharum, de tempore in tempus secundum occurrentes necessitates fieri soleat; adeo quod si præfatos Canonicos ab hoc usitato et communi onere liberos seu exemptos fore contingeret, hoc ipsum non solum res mali exempli, sed etiam causa devastationis et interitus harum Provinciarum esset. Quandoquidem etiam reliqui Ecclesiastici omnes, alias æque privilegiati, hoc idem exemplo Canonicorum moti utique attentarent, contingeretque tandem, ut ob hujusmodi iniquam et insolitam exnotationem confinia ipsa necessaria defensione penitus destituerentur, Turcisque eo modo liber aditus ad reliquas Provincias pateret; eo præsertim attento, quod Status Ecclesiasticus sit præcipuus et opulentior cæteris tribus, qui sane soli, exemptis ipsis Ecclesiasticis, ad sustentanda dicta confinia minime sufficientes forent. Quæ omnia, Beatissime Pater, cum ita sint, non possum equidem non mirari, qua fronte antedictum Capitulum et Canonici soli ausi fuerint, prætensa gravamina coram officio Sanctitatis Vestræ, ibidem in Urbe, contra talem communem et usitatissimam publicam impositionem, in quam etiam hactenus semper in publicis Dietis et Conventibus desuper habitis, per procuratores eorum proprios una cum reliquis omnibus sponte et sine ulla cunctatione consenserunt, proponere, mandataque hujusmodi inhibitoria, suppressa veritate, tam fulminanter impetrare. Sanctitatem V.ram his tandem humiliter requirendo, ut omnibus bene et mature consideratis, assertum mandatum inhibitorium uti ob et subreptitie impetratum non solum annullare, ipsisque Canonicis circa hoc perpetuum silentium imponere, verum etiam me measque has miseras et afflictissimas Provincias in pacifica et antiqua consuetudine præfatæ exactionis publicæ paterne protegere velit. Factura in hoc rem justam et æquitati consonam, mihique pergratam, erga eandem filiali observantia perpetuo recognoscendam. Quam divina pietas universo gregi Christiano diu sospitem florentemque conservet. Datæ ex civitate mea Græzensi decima die Septembris anno etc. septuagesimo nono.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius

CAROLUS.

XX. — Ex quo dissidio inter Carolum et Canonicos Aquilejenses cum Veneti augeri se posse intelligerent, resque et jura tum Ecclesiæ, tum Provinciæ Aquilejensia in proprium commodum vertere per occasionem optarent, Princeps ille Cardinalem Comensem rogat, ut efficiat, ne qua imminutio suis in eam ditionem fiat juribus; in primisque ut sibi sarta tecta sit Advocatia, ita dicta, Ecclesiæ Aquilejensis. (*)

(*) Germania Vol. 98 fol. 131.

Rñro in Christo Patri Domino Ptolomeo Gallio Novocomensi S. Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, Dño Amico nostro Charissimo.

« Reverendissime in Christo Pater, Domine amice charissime, salutem et benevolentiæ nostræ affectum. Cum modo intelligamus, idque non a levibus, sed a fide dignis personis nobis relatum sit, Venetos juribus nostris detrahendis nunc eo tendere, ut opera atque intercessione Magni Ducis Hetruriæ suorumque adhærentium jus Advocatiæ Ecclesiæ Aquilejensis nobis alioquin competens, vel saltem nominationem Patriarchæ a Summo Pontifice impetrare queant; quare R. D. Vestram rogamus, ut sua authoritate apud S.mum curare et efficere velit, ne nobis mandatis quicquam de præfatis juribus nostris adimatur, Venetisque contra jus et æquitatem tribuatur, sed ut omnia hæc in parte il-

læsa relinquantur. Factura R. D. Vestra in hoc rem nobis longe gratissimam, erga eandem per omnem occasionem mutua benevolentia nostra perpetuo recognoscendam. Datæ Monachii decima octava die Octobris anno etc. septuagesimo nono.

Rmæ D. Vestræ

Addictissimus
Carolus Dei gratia Archidux Austriæ,
Dux Burgundiæ etc. Comes Tyrolis etc.
Carolus.

XXI. — De Carolo Archiduce Austriæ non illud judicium fieri debet, ac si non plura egerit, quæ maxime essent commendanda. Certe summopere laudandus, quod operam dederit, ut spectatissimi quique viri ad ampliores Ecclesiæ gradus eveherentur. Hinc ad sedem Episcopalem Petinensem illum pietate et doctrina præclarum virum Michaelem ex ordine Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nominavit: singularique commendatione apud Pontificem est prosequutus, postulans, ut Præsuli confirmando quæ Romanæ Curiæ pendi solerent, remittere vellet. [*]

[*] Germania Vol. 98. fol. 148.

Beatissime in Christo Pater ac Domine mihi Colendissime.

« Cum Ecclesia Cathedralis Episcopatus Petinensis ad præsens vacet, ego volens ei de alio idoneo Episcopo et Pastore prospectum esse, pro jure patronatus mihi tanquam Comiti Pisinensi competente, Beatitudini Vestræ præsentandum duxi Venerabilem devotum mihi dilectum fratrem Michaelem Priorem Ordinis Minoritarum in Monasterio Tersaccensi, quemadmodum hisce meis litteris in Dei nomine humiliter præsento, Beatitudinem Vestram obedienter rogans, ut dictum fratrem Michaelem electum in Episcopum Petinensem benigne approbare et confirmare dignetur. Est enim vir ætate perfecta, et cum doctrinæ, vitæ, morumque integritate, tum aliis Episcopo necessariis virtutibus: præsertim autem prædicationis munere ita præditus, ut omnium bonorum judicio tali dignitate dignus esse videatur. Porro quoniam Episcopatus Petinensis proventus ac reditus tam modici ac tenues sunt, ut vix alendæ ipsius Episcopi exiguæ familiæ sufficiant, ab eadem quoque Sanctitate Vra reverenter peto, ut antedicto præsentato et nominato Petinensi solutionem taxæ haud gravatim remittere, neque eo nomine quicquam ab eo exigere, denique professionem fidei ab eodem electo suscipiendam una cum consecratione ejusdem Venerabilibus Parentino et Pulensi Episcopis demandare velit. Quemadmodum Sanctitatem Vestram vel ipsius æquitatis causa, vel ob necessitatem Ecclesiæ Petinensis id ita postulantis, vel denique hujus studiosissimæ commendationis meæ intuitu facturam non dubito. Quam rem ego vicissim solita mea in Sanctitatem Vestram et Apostolicam Sedem pietate et observantia per omnem occasionem promereri sedulo conabor. Cui omnia fœlicia a Deo Opt. Max. ex animo precatus, me reverenter atque humiliter commendo. Datæ Græz XXIII. die Maji anno etc. LXXVIII.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius
Carolus.

XXII. — Nec minus inter Archiducis merita recenseri debet ejus studium, ut juvenes sacris litteris in Seminariis sub cura Patrum Societatis Jesu operam navarent. Eam ob causam Episcopo Parentino obsequens apud Pontificem egit, ut eidem facultas daretur reditus Abbatiæ Sancti Petri de Sylva Græcensi Societatis Jesu collegio addicendi, quo certus juvenum numerus e Diœcesi ibi sacris litteris vacare possent; cum ejus reditus multo tenuiores essent, quam ut ad Seminarium in ipsa Parentina urbe extruendum sufficerent. [*]

[*] Germania Vol. 98. fol. 124.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Domine Colendissime.

« Post obsequiorum meorum humilem commendationem, filialis meæ erga Sanctitatem Vestram et hanc Sedem Apostolicam observantiæ perpetuum incrementum. Accepimus modo ex litteris Episcopi Parentini, se quidem nuper ad humiles suas preces a Sanctitate Vra pie impetrasse, quo sibi de reditibus Abbatiæ ad Sanctum Petrum de Sylva Comitatus nostri Pisini, Collegium seu Seminarium aliquod Patrum de Societate Jesu pro alendo ac sustentando certo numero studiosorum in fide catholica, qui aliquando labenti in his partibus Ecclesiæ Dei usui esse possint, eligere liceat; verum huic pio suo desiderio, has potissimum obstare difficultates. Primo, quod proventus ille summam octingentorum florenorum non excedat, neque sufficiat, vel etiam ad mediocre Seminarium constituendum, quandoquidem ea pecunia ultra quatuordecim alumni sustentari nequeant, præter quos etiam oportet Magistros aliquot fovere, multaque necessaria præparare, quæ ad studia pertinent, et ea quidem pro tam paucis institui non possent. Secundo, quod Societas ipsa hoc tempore personas sufficientes, ob deffectum personarum, dare non possit. Et casu quo non deessent, non solere tamen Societatem tam exigua Seminaria vel Studia suscipere, quando non etiam una eriguntur Collegia, in quibus ad minimum XXV personæ collegiales nutriri queant, præter sumptum alumnorum. Insinuando ac pie instando, ex quo his omnibus consideratis, nulla spes Collegii, vel etiam exigui Seminarii erigendi supersit, hoc præsertim tempore, ut authoritate et intercessione mea id apud Sanctitatem Vestram efficere velim, quo sibi et successoribus suis in perpetuum de præfatis

reditibus certum numerum alumnorum, ex ipso Comitatu Pisini oriundorum, quosque ad studia et munia in Ecclesia Dei tandem subeunda aptos vel idoneos judicaverint, hic Græcii in Collegio meo, jam magnis sumptibus erecto, alere, Ecclesimque Dei saltem hac via consulere liceat. Ego itaque huic ardenti ipsius desiderio, pro viribus satisfacere volens, Sanctitatem Vestram submisse rogo, ut pro bono publico hanc ipsius Episcopi Parentini piam intentionem paterne amplecti, eamque sua Apostolica authoritate sine mora speciali diplomate confirmare velit, certo sibi persuadeodo, hac via eundem fructum, qui alias ex separato Seminario obvenire possit, sperandum esse; eo præsertim etiam attento, quod in Collegio hoc meo Græcensi jam omnia sint præparata, scholæ nimirum pro alumnis, sicut etiam habitationes commodissimæ extructæ, Magistri sat multi et idonei in promptu, qui aliis reditibus Collegii deputatis foventur, litterariæ denique exercitationes cum studiis florentes; adeo ut non sit opus, in his omnibus novum facere sumptum, sed proventus octingentorum florenorum in solos alumnos impendentur. Postremo, quod hic modus fovendi alumnos in alienis Seminariis vel locis non sit novus, nec rarus, sed passim usitatus. Sic enim in Viennensi Seminario Sanctitas Vestra certos alumnos proprio habitu et colore vestitus distinctos alit. Sic quoque Episcopus Gurcensis, Secoviensis et Labacensis, aliique proceres in Græcensi hoc Seminario meo jam alumnos suos habent. Ita ut his omnibus bene consideratis, nil dubitem, Sanctitatem Vestram hac in parte pro suo pastorali officio minime defuturam, sed occasionem oblatam pro communis boni promotione libenter amplexuram, atque in se tam pia et necessaria non quidem modum, sed potius effectum perpensuram. Sanctitati Vestræ, quod superest, filialis meæ observantiæ officia, qua decet, reverentia denuo deferens, eandemque Sanctæ illi Sedi diu incolumem fœlicemque præesse exoptans. Datæ in Civitate mea Græcensi VIII. die Martii anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo nono.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius

CAROLUS.

XXIII. — In aliis etiam Reipublicæ negotiis idem Princeps confidenter ad Pontificem recurrit. Ita eidem per Oratorem miseram conditionem provinciæ suæ Carinthiæ, frequentibus Turcarum incursionibus infestatæ, exponit, orans, ut ex pontificio ærario subsidia mitteret, quo stipendia militibus, Uscochis vulgo nuncupatis, penderentur, qui confinia hujus provinciæ strenue acriterque defendebant: quod et libenter annuit Gregorius. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII. ep. 88. f. 101.

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Reddidit Nobis tuas literas dilectus filius Cobentius, mandataque exposuit diligentissime. Semper plurimi fecimus Nobilitatem Tuam, tuisque meritis ac laboribus pro communi utilitate susceptis omnia summa deberi agnoscimus: quantumque vires nostræ ferre poterunt, nunquam Nobilitati Tuæ deerimus, nec quidquam omittemus, in quo nostram operam Tuæ Nobilitati prodesse posse intelligemus: deque hac nostra voluntate ex Cobentio ipso cognosces, cui etiam exposuimus, quam multos quamque necessarios et graves sumptus sustineat hæc Sedes Apostolica, quantisque in angustiis versetur. Satisfecimus tamen postulationi tuæ in negotio Uscochorum, non Nos quidem quantum cupiebamus, sed quoad facere potuimus, nec dubitamus, quin Tuæ Nobilitati gratissima sit voluntas nostra et charitas, quæ quidem semper fuit, eritque optima vereque paterna. Longiores non sumus, quia omnia planius exponet Cobentius, quem multum diligimus, quia eum Tuæ Nobilitatis observantissimum, inque tuis negotiis prudentissimum diligentissimumque cognovimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Junii MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

Quare et Carolus pro tam insigni beneficiu, litteris ad Cardinalem Comensem datis, debitas Pontifici egit gratias. [*]

[*] Germania Vol. 98. fol. 119.

Reverandissimu Dño Ptolumæo Gallio Novocomensi S. R. Ecclesiæ S. Agathæ Presbytero Cardinali, Domino Amico nostro Charissimo.

« Reverendissime Dñe, Amice charissime, salutem et officiorum nostrorum oblationem. Retulit Consiliarius noster Commendator Joannes Cobentius de Prossek, quam benigne nuper R. D. V. illum nostri gratia amplexata fuerit; et quantum pro ejus erga nos perpetua benevolentia apud Sanctissimum Dominum nostrum elaboraverit, ut nobis ab ea super nostra supplicatione pro continuo aliquo subsidio ad retundendos Turcicos conatus votivum responsum obtinere posset; item quam accurate procuraverit, ut S. illius fortibus illis militibus, vulgo Uskokis nominatis, pensionem aliquam annuam concederet. De quibus omnibus R. D. V. ingentes habemus gratias, et simul omnem navabimus operam, ut ei per omnem occasionem animi nostri gratitudinem vicissim liquido comprobare possimus, amice et obnixe eam rogantes, cum ut deinceps quoque nos resque nostras omnes apud Suam S. et per sese commendatas habere, tum authoritate sua perficere velit, ut negotium dictorum Uskokorum, de quo S. illius adjunctas literas nunc scribimus, desideratæ exe-

cutioni quamprimum demandetur. Factura nobis in eo R. D. V. rem gratissimam, et pari nostra benevolentia semper erga eam recognoscendam. Datæ in Civitate nostra Graez die septima Septembris anno etc. septuagesimo nono.

R. D. V.

Addictissimus
Carolus Dei gratia Archidux Austriæ,
Dux Burgundiæ etc. Comes Tyrolis etc.
Carolus.

Mox Segniensium Legatos, cum eorum quoque urbs Turcarum incursionibus pateret, ad Pontificem confugientes petitum annonæ subsidium, quam maxime commendat. [*]

[*] Germaniae Vol. 28. fol. 137.

Beatissime in Christo Pater, Domine Dñe mihi Colendissime.

« Post obsequiorum meorum humilem commendationem filialis meæ erga Sanctitatem Vestram et Sedem Apostolicam observantiæ perpetuum incrementum. Exposuerunt mihi humiliter N. Judices ordinarii, totumque Præsidium Segniense, quantis necessitatibus, præsertim hoc instanti hyemali tempore, et in tanta Thurcarum vicinitate, propter penus ac commeatus penuriam, premerentur, ita quod omnino oporteat ad Sanctitatem Vestram, tanquam ad sacrosanctam ancoram, pro pio paternoque auxilio confugere, grata mente recolentes, olim in similibus necessitatibus Summos Pontifices ipsis non modica tam annona, quam munitionis ac fabricæ præbuisse subsidia. Proinde eadem spe in præsenti quoque freti decreverunt, e medio ipsorum aliquos pro impetratione annonæ ad Sanctitatem Vestram humilime supplicatum expedire; ideoque me suppliciter rogarunt, ut commendatitias aliquas, quibus se majori cum fructu apud Sanctitatem Vestram acturos, et certo aliquid impetraturos humiliter confidunt, ipsis concedere dignarer. Cum itaque Civitatis Segniæ cura et administratio a Sac. Cæs. Regiaque Majestate, Domino meo clementissimo, cum universa circumjacenti Maritima suæ Majestatis ditione mihi sit demandata, ego tantæ necessitatis supplicantium rationem habens, (quamvis non immemor prioris quoque a Sanctitate Vestra ad communitionem ac conservationem confiniorum Maritimorum collati beneficii, pro quo immortales ago gratias, tamen ad talem eorum humilem instantiam) eis in hoc deesse non potui. Quare Sanctitatem Vestram obnixissime oro, dignetur Legatos istos paterno affectu non solum amplecti ac prosequi, verum etiam exaudire, et exemplo Divorum Prædecessorum suorum Civitatis hujus tantæ necessitati aliqua tritici quantitate ita subvenire, ut sentiant, hanc intercessionem meam ipsis multum profuisse, indeque ad inserviendum Christianitati contra Thurcas alacriores constantioresque reddantur. Factura in eo Sanctitas Vestra rem paterna Sanctitate Vestra condignam, mihi vero omnibus filialibus obsequiis erga eandem perpetuo referendam. Quam in reliquo ad multos annos fœlicissime valere exopto. Datæ in Civitate mea Graez die ultimo Novembris, anno etc. septuagesimo nono.

E. S. V.

Obsequentissimus filius
Carolus.

XXIV. — Tandem iterum petit a Pontifice, ut suis subditis, qui mercaturæ causa Anconitanum portum inirent, gratiam faciat ejus oneris, cui nationis cujusvis homines illuc appellentes ad nosocomium extruendum, vulgo Lazaretum dictum, obnoxii erant. [*]

[*] Litt. Principum Vol. 36. f. 72.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Dño Gregorio XIII. S. Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Colendissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Dñe Colendissime.

« Post obsequiorum meorum humilem commendationem filialis meæ erga Sanctitatem Vestram, et hanc Sedem Apostolicam observantiæ perpetuum incrementum. Etsi anno superiori Sanctitatem Vestram humiliter requisiverim, dignaretur pro sua perpetua erga me gratia et benignitate decernere, ne ii mei subditi, qui Anchonam versus navigant, novo illo Datio pro extructione Lazareti, ut vocant, constitoto gravarentur, si quidem iis temporibus, quibus peste aut suspicione ejus laborant, ab ejusmodi navigatione omnino abstinent, et sic commodi illius, quod ex prædicta constructione resultat, neutiquam participes fiant; quoniam tamen hactenus a Sanctitate Vestra, majoribus negociis præpedita, in eo votivum responsum obtineri non potuit, Sanctitatem Vestram hisce de integro requirere volui, humillime eam rogans, ut rem absque ulteriori dilatione conficere, et nimirum gratiose mandare dignetur, ut fideles mei subditi Flaminenses, Tergestini et alii cum exactione dicti Datii amplius non graventur. Factura in eo Sanctitas Vestra rem pietati suæ maxime propriam, et mihi perpetuis meis obsequiis erga se ac Sanctam hanc Sedem Apostolicam promerendam. Quam de cætero ad multos annos bene feliciterque valere opto. Datæ in Civitate mea Graez xxii. Julii anno etc. lxxviii.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
Carolus.

XXV. — Ferdinandus, Caroli frater, quam maximas gratias agit Pontifici, quod filium suum Andream S. R. E. Cardinalem biennio, quo Romæ commoratus fuerat, amplissime lautissimeque tractaverit; simul rogat, ut satisfactionem suam accipiat, quod illum propter publica negotia in patriam revocet. [*]

[*] Germania Vol. 28. fol. 137.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Dño Gregorio decimo tertio Sacræ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Dño meo Colendissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Dñe Clementissime.

« Humillimam mei commendationem, filialem observantiam et pedum oscula beatorum. Quam singulari erga Catholicam Religionem ardore et devotionis zelo, quibusque de causis ego motus, Illñum et Rñum Dñum Andream Cardinalem ab Austria, Sacri Romani Imperii Marchionem Burgoviæ, filium meum charissimum, ante biennium ad Sanctitatem Vestram Romam miserim, non operæ pretium mihi videtur hic pluribus recensere, quandoquidem id ante transmissionem ejusdem Sanctitati Vestræ abunde satis, cum per litteras, tum etiam Legatos meos eo missos humillime exposuerim. Et quamvis sane mihi nihil optatius contingere posset, quam ut prædicto filio meo charissimo, Domino Cardinali ab Austria, diutius Romæ apud Sanctitatem Vestram ac Sanctam illam Sedem Apostolicam commorandi daretur occasio, minime enim dubitans, ipsum subinde adhuc magis magisque pro juvenili sua ætate Sanctitatis Vestræ sacrique ejusdem Collegii beneficio, sanisque consiliis in rebus Ecclesiasticis et rerum agendarum experientia firmiorem instructioremque fore: tamen cum ejusmodi nunc evidentissimæ incidant causæ, ut ego prænominatum filium meum charissimum, Dñum Cardinalem Austriacum, rursus ad me in Germaniam revocare cogar, prout eum litteris meis nunc revoco, pro debita mea Sanctitati Vestræ devotione prætermittere non potui, quin eidem interim pro tam paternis ac immensis Sanctitatis Vestræ, et in me, et in præmemoratum filium meum charissimum hactenus clementissime cumulatis beneficiis, quam maximas possum, cum referre hoc tempore non liceat, agam gratias, eamque summa cum devotione exorem, ut me ipsumque filium meum charissimum Dominum Cardinalem, quemadmodum hactenus uberrime factum constat, et in posterum in solita sua gratia paternaque protectione et affectione conservare, optimeque commendatum habere benignissime dignetur; et certo sibi de me atque ipso filio meo charissimo polliceatur, velim, me una cum illo humillima et filiali mea erga Sanctitatem Vestram Sanctamque Sedem illam Apostolicam observantia, et eidem inserviendi desiderio perpetuo ita obedienter ac prompte gesturum, devotissimique Principis Catholici officia, quotiescunque opportunitas aliqua oblata fuerit, syncere declaraturum, ut Sanctitati Vestræ hujusmodi multifaria et ingentia in me, et filium meum charissimum Dominum Cardinalem tam paterna collocasse beneficia omnino pœnitendi auferatur occasio. Et cum his Sanctitati Vestræ me meumque sæpedictum filium charissimum admodum reverenter commendo. Datæ Oenioponte secunda die mensis Aprilis anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo nono.

Sanctitatis Vestræ

Obediens filius Archidux Austriæ
FERDINANDUS.

Gregorius invitus quodammodo illum ab se dimisisse patri ejus scribit. (*) [(*) Reg. Gregorii XIII. An. VII ep. 242. f. 184.]

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis Nobilitatis Tuæ, datis secunda Aprilis, perspeximus desiderium tuum de reditu Andreæ Cardinalis, filii tui, nostrique in Christo dilectissimi; noluimus negare, tametsi libentissime eum apud Nos retinuissemus; dimisimus igitur juvenem Nobis charissimum cum benedictione. Amavimus eum unice, dum apud Nos fuit; amabimus nihilominus absentem, omnibusque in rebus ipsius modestiæ, gravitatis, inque omni virtute præstantiæ, quibus nominibus Nobis charissimus, summam semper rationem habebimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima sexta Aprilis MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno septimo.

XXVI. — Idem Ferdinandus omnibus precibus apud Pontificem agit, ne patiatur Monachos Germanos Ordinis S. Benedicti ex ipsorum cœnobio Veronensi S. Zenonis quorumdam artibus submoveri, et in eorum locum Italos ejusdem Ordinis Monachos immitti. (*) [(*) Germania Vol. 98. fol. 115]

Sanctissime in Christo Pater et Domine Dñe Clementissime.

« Post humilem commendationem filialis observantiæ, et pedum oscula beatorum. Non ambigo Sanctitatem Vestram clementer et optime nosse, Monasterium S. Zenonis Ordinis S. Benedicti in Verona ab antiquissimis temporibus hucusque fuisse per Germanicæ nationis Monachos tentum et obsessum: licet autem iidem hactenus ita sese gesserint, ut in iis, quæ ad cultum divinum, observationem Canonum et morum honestatem pertinent, nihil unquam fuerit desideratum, sed potius ob id apud universos cives et subditos Veronenses summam gratiam inierint: ex ipsorum tamen Religiosorum relatione et gravissima querimonia nuper intelleximus, quod modi quidam exquirantur, quibus antiquissima illius Monasterii possessione spoliari possint, illisque dejectis et exclusis, nova natio in totalem eorum extirpationem introducatur: sicut non ita pridem ab Illustrissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Farnesii ministris, allegantibus defectum Religiosorum Germanicæ nationis, ipsis injunctum fuerit, ut quos-

dam fratres Italicos in supplementum reciperent, et duos Germanicos fratres jam ex Germania avocatos, ac vita et sufficientia literarum probatos ejicerent: quod ipsi Germanici Religiosi, ne in nationis Germanicæ præjudicium irreparabile aliquid agerent vel consentirent, facere recusarunt, verentes, ne hoc idem ipsis contingat, quod olim aliis Germanicis Religiosis, qui ex omnibus Italiæ Monasteriis extrusi sunt, evenit. Et quamvis per præteritos Abbates idem contra ipsos omnibus viribus aliquoties tentatum fuerit, eos tamen, beneficio Dei, in possessione semper fuisse conservatos, quemadmodum et hoc tempore nunc confidunt, quod pietate, tutela et protectione Sanctitatis Vestræ non minus imposterum conserventur: meque ob id humiliter rogarunt, ut Sanctitati Vestræ hanc eorum causam literis meis, quas apud eandem ponderis aliquid habituras sibi pollicentur, commendare velim. Ego itaque, etsi sciam Sanctitatem Vestram absque eo pro debito pastoralis sui officii huic negotio opportuna et necessaria remedia adhibituram, pro ea tamen affectione et benignitate, qua præfati Monasterii S. Zenonis Religiosos Germanicæ nationis prosequor, prætermittere non potui, quin Sanctitatem Vestram ad eorum preces, ad quas etiam causæ meritum accedit, commendatos redderem. Quapropter Sanctitatem V. omni debita submissione et studio rogo, ut dictos Religiosos clementer protegat, defendat et manu teneat, neque permittat, ipsos aliquo quæsito colore aut prætextu de dicti Monasterii possessione excludi, sed clementer per Breve Apostolicum, quod nunc supplices petunt, providere dignetur, ne alii præter Religiosos Germanicæ nationis, sicut ab antiquo fuit observatum, in eo recipiantur, et ab omni illicita occupatione et expulsione securi reddantur: attento, quod civitas Veronæ eos etiam desiderat, et multa erga egenos et pauperes pietatis officia ibi exercent, et quod ex tali Germanorum ejectione maximum scandalum in Germania exoriri posset. Id si Sanctitas Vestra, ut speratur, effecerit, eo major mea et ipsorum Religiosorum summa obligatio erit, quo ardentiori desiderio id ipsum expectatur, cujus pietati me atque dictos Monachos etiam atque etiam humillime commendo. Datæ in Civitate nostra Oenoponte, die octava mensis Maji, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo nono.

Vestræ Sanctitatis

Obediens filius Archidux Austriæ
FERDINANDUS.

XXVII. — Nunquam satis laudandus hoc etiam anno nobis occurrit solertissimus vir ille Felicianus Ninguarda, Episcopus Scalensis, ob egregios in utilitatem Ecclesiæ Germanicæ exantlatos labores. Peragravit hic ut Nuntius Apostolicus in primis Comitatum Tirolensem et provinciam Metropolitanam Salisburgensem, habitisque cum harum regionum Antistitibus frequentibus colloquiis, Summi Pontificis verbis mira plane constantia et libertate, tum oretenus, tum scriptis cohortatus est, ut reformando tam Regulari quam Sæculari Clero omni studio curaque intentissima operam navarent. En prudentissima ac saluberrima monita, quæ dum Brixinæ versabatur, cum hujus Diœcesis Præsule communicavit. [*]

[*] Germania Vol 32 fol 196

Proposita nomine Sanctissimi Domini Nostri Dñi Gregorii XIII. Pont. Max. Rño et Illño Domino Dño Joanni Thomæ Episcopo et Principi Brixinensi per me F. Felicianum Episcopum Scalensem et Nuntium Apostolicum etc. in mense Februario 1579.

« Cum Sñus Dominus Noster, Dominus Gregorius Papa XIII. Principes sæculares hujus provinciæ Salisburgensis per me de querelis et oneribus ordinariorum circa officii functiones diligenter admoneri curaverit, et Principes ipsi non modo suam auctoritatem et auxilium libenter obtulerint, sed etiam pluribus locis desiderant efficax et maturum remedium, hoc unum restare videtur, ut ordinarii benigne adepti favore Suæ Sanctitatis, et pia voluntate ac promptitudine prædictorum Principum secularium freti, suas quoque operas ac labores eo fervore ac zelo, quem postulat cultus divinus et summa temporum ac locorum necessitas, ad debitam et seriam executionem decretorum provincialium conferant. Quocirca Rña D. V., quantum in se est, sedulo invigilabit oportet in exstirpationem vitiorum, scandalorum et diversarum negligentiarum, ex quibus hucusque per diœcesim suam multa incommoda orta sunt et creverunt, quibus debita et convenientia remedia applicando mature occurrendum est, maxime decretorum provincialium observationem ubique introducendo, et ingruentibus hæresibus viriliter resistendo. In quibus vero S. S. Reverendissimam D. V. sigillatim admonendam et cohortandam putaverit, ea sunt, quæ nunc sequuntur.

In primis etsi post publicata decreta synodi provincialis Rña D. V. diœcesim suam, ut debuit, jam visitavit, nihilominus etiam perseverandum est in hoc bene cœpto opere, et singulis annis juxta decreta provincialia visitationes repetendæ, nascentes errores exstirpando, excessus corrigendo, clerum et populum juxta necessitatis exigentiam reformando, et ecclesiis bene prospiciendo. Hoc multum faciet, ut Rña D. V. duos habeat visitatores designatos, qui diœcesis modo hanc, modo illam partem semper perlustrent, et surgentibus incommodis occurrant. Ante omnia vero diligenter inspiciatur, num aliqui reperiantur, qui vel sint hæreseos suspecti, vel libros hæreticos legant aut habeant,

præsertim apud nobiles in arcibus, sæculares potestates, et sacerdotes, in quos debitis modis animadvertendum erit. Deinde procuretur non minus diligenter, ut omnes sacerdotes et clerici concubinas aut alias mulieres quomodocunque suspectas quamprimum dimittant. Forma autem visitandi cum in his, tum in aliis etiam rebus petenda est ex synodo provinciali, cui si quid aliud addendum videbitur, juxta necessitatem fieri poterit: ut autem necessitatibus occurrentibus bene provideatur, celebrentur sæpe synodi diœcesanæ juxta constitutiones provinciales, in quibus tractetur de hujusmodi rebus, ac debitæ provisiones fiant; consistorium etiam instituatur juxta decreta synodalia.

« Quoniam finitimi episcopi conqueruntur, clericos suos, cum propter admissum aliquot flagitium animadversionem ac pœnam metuentes fugiant, a vicinis episcopis suscipi et promoveri: admonetur Rña D. V., ut posthac nullum clericum alienæ diœcesis in suam patiatur suscipi, qui ab ordinario suo literas dimissoriales non habeat; si quos autem modo tales habeat, ut ad proprios ordinarios remittat, vel saltem eis manendi licentiam ab ordinariis impetret.

« Quoniam penuria sacerdotum in causa erat, ut apostatæ ac fugitivi ad curam ecclesiarum ex necessitate susciperentur, ac multi alii insufficientes ac inepti tolerarentur, propterea statutum est, ut seminaria fiant, in quibus ecclesiarum operarii a juventute ad ministerium informati boni ac docti evadant. Quare Rña D. V. admonetur, ut pie inceptum seminarium perficere studeat, contribuentibus etiam ad id portionem suam Ven. Capitulo, Abbatibus, Præpositis et aliis juxta decreta Conc. Trid. ac synodi provincialis. Quia vero Sua Sanctitas informata est, clerum hujus diœcesis multis exactionibus aggravari, tractatum est cum Serño Archiduce, ut cleri aliquam rationem habeat, quatenus ad seminarium contribuere possint.

« Cum non pauci monachi apostatæ ac fugitivi per hanc diœcesim sint dispersi, qui habitu ordinis temere deposito in ecclesiis ministrant, admonetur etiam Rña D. V., ut diligenter illos investiget, atque inventos ad monasteria sua ableget. Quod si aliqui fuerint cum licentia superiorum, et bene laudabiliterque se gerant in ecclesiarum ministerio, si illorum opera necessaria Rñæ D. V. videbitur ob penuriam sacerdotum, poterit illis manendi ad tempus facultatem concedere.

« Visitentur autem non solum ecclesia cathedralis et aliæ collegiatæ, ac parochiales, sed etiam beneficia simplicia, et monasteria utriusque sexus, quæ superiores non habent, a quibus singulis annis visitentur. Ne vero aliquam exemptionem prætendere possint, poterit Rñæ D. V. ea etiam visitandi facultas concedi.

« Videat etiam diligenter in visitatione, si quæ sint beneficia, etiam simplicia, quibus non satisfiat juxta fundationes et obligationes, aut si quæ vacent, nec a patronis conferantur, quibus prospiciat, prout postulat officii ratio. Quod si fructus ac proventus annui fuerint per aliquod tempus a patronis collecti et retenti, restitui procuret, atque in utilitatem vel ecclesiarum ipsarum vel seminarii impendi.

« Curandum erit quoque, ut clerici deferant habitum statui ecclesiastico condecentem, juxta statuta provincialia, et horas canonicas tum in itinere quam domi perorent; similiter ut missæ sacrificium devote et cum majestate celebretur, astante semper respondente.

« Curandum præterea, ut sacramenta confirmationis et extremæ unctionis diligentius distribuantur: sunt enim in diversis partibus, præsertim in vallibus loca, in quibus ad hominum memoriam nullus unquam fuit confirmatus et pauci in extremis constituti oleo sancto provisi.

« Rña D. V. det operam, ut sacerdotes, quoties opus fuerit, certis confessoribus sua peccata confiteantur. Hoc enim unico remedio multa putrida et inveterata sanabuntur vulnera, maxime autem fœdissimus ille concubinatus, quo nihil in ecclesia pejus: propterea longe amoveantur concubinæ, ne facilis pateat ad invicem accessus, et statuantur certi confessores, ad quos omnes teneantur ire vicini sacerdotes, qui certis temporibus Rñæ D. V. eorum, qui confessi sunt, numerum et nomina indicare debeant; qui si proprias purgaverint conscientias, etiam ad purgandas aliorum inflammabuntur. Impossibile enim est, ut quis alium ad rem candide hortetur, quam ipse fugit et odit. Aliorum vero confessiones sigillatim, non generatim audiant, discernendo inter lepram et lepram, nec alias quam sibi subditos absolvant, circa casus tamen præsertim Sedi Apostolicæ reservatos nihil se intromittentes: relatum enim est Sño Dño Nostro, quosdam hujus diœcesis sacerdotes citra facultatem ab hæresi absolvere.

« Circa accessum sacerdotum ad convivia, funeralia et nuptialia serventur decreta provincialia: compotationes et ebrietates tam in tabernis quam extra clericis prohibeantur. Quidam enim sunt ita mente fascinati, ut sicut alios dignitate antecellunt, ita eos se putent etiam ebrietate et aliis vitiis superare debere.

« Sacerdotes jejunia ecclesiæ observent, illaque cum diebus festis diligenter denuncient. Etsi Rña D. V. decretum Conc. Trid. de matrimonio clandestino publicari per totam diœcesim jam curavit, quia tamen compertum est, id non ubique ad unguem observari, ex negligentia forte parochorum, monetur, ut parochis serio imperet, quatenus dictum decretum singulis die-

bus dominicis sob concione populo denuntient, et inculcent, ne ab ullo ejus ignorantia prætendi possit.

« Rñia D. V. habeat vicarium generalem hic semper residentem: curet etiam, ut officiales capituli cathedralis ecclesiæ juxta synodum provincialem hic in resideotia sint.

« Ubique, etiam apud parochiales ecclesias, restituatur latina disciplina in scholis, ad quas omnes accedant, concessis Germanicis scholis tantum in civitatibus aut populosis locis. Hinc enim in ecclesiam non parum damni infert quilibet, qui postquam legere novit, omnes, quos obvios habet, libros legit. Propterea nullibi admittantur ludimagistri Germanicæ aut latinæ linguæ, nisi prius in consistorio Rñæ D. V. examinati et approbati fuerint.

« Ineunda erit aliqua ratio extirpandi usuræ vitium, quod est idolorum servitus.

« Hæc sunt, quæ Rñæ D. V. nomine Sñi Domini Nostri proponenda habui, mihi certo persuadens, ea Rñæ D. V. cordi maxime futura, cum ejus zelus et conatus in ecclesiam sint optime perspecti, cui et ecclesiæ suæ mea quoque officia exhibeo parata, si qua in re utilis esse possum.

En quæ idem Scalensis de Brixinensis Episcopi promptitudine monitis Summi Pontificis obsequendi refert. [*]

[*] Germania Vol. 32. fol. 199

« Rñus Dñus Joannes Thomas Episcopus Brixinensis, perlectis et diligenter consideratis articulis rerum a me propositarum Sanctissimi Domini Nostri jussu, oretenus respondit informative, et quasdam mihi scripturas exhibuit legendas, ex quibus etiam comperi ipsum diligentem totius diœcesis visitationem instituisse ac perfecisse, et ad reformationem necessaria mandata serio dedisse, ut sperem ejus ardentem zelum et assiduam industriam soli diœcesi plurimum utilitatis et commodi brevi allaturum: cum enim anno superiore primum, Rño et Illño Cardinali Tridentino, Ecclesiæ Brixinensis Episcopo, felicis memoriæ, vita functo, libera et absoluta dicti Episcopatus Brixinensis procuratio ac regimen in eum onum eeciderit, ita laborare et Ecclesiæ sibi commissæ utilitatibus, maxime spiritualibus, deservire cœpit, ut totis viribus enitatur, quatenus pii labores sui pro Ecclesia suscepti debitum effectum sortiantur. Si quid autem obstat, quo minus pro desiderio et conatu omnia succedant, est præcipue difficultas et penuria sacerdotum, qua cogitur tolerare aliquos apostatas, fugitivos, et alios paulum insolentes et discolos, ne ecclesiis debita cultus divini procuratio subtrahatur, quibus tamen diœcesim suam liberare in animum induxit, quam primum alios meliores habere poterit. Huc jam Seminarium erexit, in quo viginti quatuor adolescentes aluntur et bene instruuntur, quorum etiam numerum paulatim augere proposuit. Ne autem remedia in proxima visitatione adhibita ex longo intervallo temporis et negligentia superiorum frigescant, et intermittantur, generalem visitationem repetere brevi instituit, præterquam quod etiam duos visitatores ad rem idoneos et aptos designavit, qui modo hanc, modo illam partem diœcesis, divisim peragrantes executionem in visitatione demandatam inspiciant, et promoveant. Habet autem actionum suarum consultorem et adjutorem Dñum Adamum de Arzt Referendarium Apostolicum, canonicum et commissarium generalem, virum promptum, et qui nullis sane laboribus parcit, ut res spirituales per totam diœcesim in integrum restituantur. Ut vero idem Rñus Episcopus majorem habeat occasionem in bene cœpto opere procedendi, et tam canonicos, quam cæteros etiam clericos omnes sub ecclesiastica disciplina, et in bonis moribus continendi, reliqui (ipso ita petente) mandatom scriptum pro debita executione eorum, quæ religioni in pristinum statum restituendæ multum adjumenti afferre posse videntur.

Haud absimili ratione Canonicis etiam ejusdem Ecclesiæ Cathedralis Brixineosis reformationis instituendæ auctor fuit: quæque essent apud ipsos corrigenda, ad hæc potissimum capita revocavit. [*]

[*] Germania Vol. 32. fol. 196

Proposita nomine Sanctissimi Domini Nostri, D. Gregorii Pontificis Maximi, per nos F. Felicianum Episcopum Scalensem, Nuntiom Apostolicum, RR. DD. Præposito, Decano ac Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Brixinensis die xiii. Februarii mdlxxix.

« Sanctissimus Dominus Noster, D. Gregorius divina providentia Pontifex Maximus ejus nominis XIII., magnam cepit lætitiam et animi jucunditatem ex zelo, promptitudine ac solicitudine, quam aliquos vestrum circa cultum divinum et executionem decretorum Provincialium non mediocriter gerere percepit, certo sibi promittens, vos pro vestra pietate, prudentia ac diligentia etiam in posteroio in bene sancteque agendo magno studio ac labore perrecturos. Quod ut debitum sortiatur effectum optatumque finem, illud universim vobis necessario esse curandum et enitendum in primis arbitratur, ut si aliqua adhuc restant decreta Provincialia statum vestrum concernentia, quæ nondum executioni mandata siot, ea quoque ad effectom adducere quam primum studeatis, tum ut officio et conscientiæ vestræ faciatis satis, tum ut piæ expectationi de vobis apud omnes conceptæ respondeatis, tum etiam ut reliquus Clerus hujus Diœcesis exemplo vestro excitetur atque inflammetur. Quod autem nonnullos alios ex parte negligentes esse intellexit, sigillatim hæc, quæ sequuntur vobis proponenda existimavit, in quibus statui

vestro et Ecclesiæ magis consulere vos posse confidit.

« Cum Sua Sanctitas intellexerit, aliquos vestrum contra statutum vestræ Synodi Provincialis Salisburgensis, ac debiti officii rationem negligere Ecclesiam, præsertim circa horas et matutinas preces, monentur omnes, ut se deinceps conforment supradictæ constitutioni Sinodali circa chorum et officia divina, et Decanus in negligentes juxta exigentiam animadvertat. Ut autem huic negligentiæ commodius ac fructuosius provideatur, juxta Synodum Provincialem fiat distributio major ac minor pro dierum ratione ac qualitate. Quod si pecuniæ difficultas obstet circa distributionem quotidianam, debet punctator singolis vicibus quemlibet Canonicum præsentem annotare, et ita bis vel quater in anno venditis reditibus fiat distributio juxta diligentiam cujusque.

« Cum Ecclesiarum Cathedralium Canonicis ad singularem honorem ac dignitatem fuerit facta potestas, portandi diebus festis superpellicea ex pellibus in Ecclesia et processionibus, et id apud vos forte per inconsiderationem quasi in desuetudinem venerit, Sua Sanctitas vobis serio mandat et injungit, ut in posterom, hac restituta laudabili consuetudine, dicta superpellicea ex pellibus, ornamenta præcellentis dignitatis vestræ, debitis temporibus portetis.

« Cum ad Suæ Sanctitatis aures pervenerit, admodum paucos vestrum justam habentes ætatem Sacerdotio esse initiatos, contra decreta Sacri Concilii Tridentini et Synodi Provincialis vestræ et conscientiæ æquabilitatem, vobis præcipitur et mandatur, ut infra spatium sex mensium prædicta decreta ad effectum adducatis, Sacerdotii ordinem suscipiendo ac missas celebrando sub pœna ibidem expressa. Ita enim habet Synodus Provincialis: Sicque cupientes antiquam hujus nostræ Provinciæ laudabilem et sanctam consuetudinem, nec non et renovantes decretum ultimæ præcedentis Synodi Provincialis Salisburgensis, simul atque Sacrosancti Concilii Tridentini decreto parere volentes, decernimus atque statuimus sub pœna privationis Canonicatuum, quod Canonici, tam Cathedralium Ecclesiarum, quam aliarum Collegiatarum, quam primum ad justam pervenerint ætatem, juxta decretum Concilii Tridentini et laudabilem consuetudinem Provinciæ et Cathedralium Ecclesiarum, (nisi canonica impedimenta vel urgentes ac rationabiles causæ pro arbitrio et judicio Ordinarii obstent) sacro presbyterii ordine initientur, mox primitias, ut vocant, id est primam missam celebrent, idque ultra intervallum sex mensium minime differant.

« Ut autem qui potiores labores majusque pondus sustinuerint, majus itidem consequantur præmium, vobis quoqoe injungitur, ut exemplo Ecclesiæ Metropolitanæ, cui se omnes Cathedrales conformare debent, aliquid deputetis inter solos Sacerdotes dividendum, ad minus unam præbendam canonicalem.

« Cum in omnibus Ecclesiis Metropolitanis et Cathedralibus non tam Episcopi, quam etiam Præpositi, Decani et cæteri Canonici suos peculiares dies festos et solemnes habeant, quibus celebrare tenentor, vobis etiam injungitur, ut eum morem servetis, et quisque, cum ei incumbet, non per alium, sed per se id munus præstet, nisi fuerit legitima causa impeditus, quo tempore aliquem confratrem et non alium substituet, qui vices ejus subeat. Festa autem canonicalia plerumque sunt dies sacri Beatissimæ Virgini Mariæ, Apostolis, Evangelistis, Ecclesiæ Doctoribus et quibusdam aliis Sanctis unicuique Ecclesiæ propriis.

« Cum vestra Synodus Provincialis decreverit, ut Ecclesiarum Cathedralium Præpositi, Decani, Summi Custodes, Cantores et Scholastici in propriis officiis ac dignitatibus resideant, miratur Sua Sanctitas Reverendum Præpositum vestrum commorari extra Ecclesiam Cathedralem in quadam Parochiali, quasi Parochialem Cathedrali potiorem ducat; proinde sub indignatione sua ipsi mandat, ac serio injungit, ut in posterum in Ecclesia Cathedrali resideat ac munere suo fungatur.

« Sanctissimus Dominus Noster commendat diligentiam vestram in observatione decreti Provincialis, quo cavetur, ut nulli Canonico, qui in alia Ecclesia resederit, præbenda detur, vos adhortans, ut in hoc ipso etiam in posterum studiose perseveretis.

« Cum Sua Sanctitas acceperit, aliquos vestrum, præter plures Canonicatus diversarum Ecclesiarum, habere etiam Parochias et alia beneficia contra decreta Synodi Provincialis, quibus etiam non semper a nonnullis providetur, serio injungit vobis, ut dicta decreta de beneficiorum pluralitate ad unguem observare et custodire debeatis.

« Cum juxta decreta Concilii Tridentini et Synodi Provincialis ac Sanctissimi Domini Nostri monita, Reverendissimus Episcopus vester Seminarium huic Diœcesi vestræ adeo necessarium disponere cœperit, admonemini, ut portionem vestram, prout in dictis decretis continetur, et superioribus annis promissum, contribuatis.

« Studeatis etiam Reverendissimum Episcopum vestrum circa visitationem et reformationem totius Diœcesis consilio, opera et totis viribus vestris adjuvare.

« Cum Sua Sanctitas informata sit, Ecclesiam vestram habere multa onera diversarum fundationum, quæ exacte non persolvantur, mandatur Decano, ut sedulam curam habeat anniversariorum, quatenus Altarium et Ecclesiæ obli-

gationibus juxta pias fundatorum intentiones debitis modis satisfiat.

« Postremo cum Sua Sanctitas afflicto animo intellexerit, quendam ex vobis, qui rectis vitæ exemplis praire cæteris deberet, in sordibus abominandi concubinatus adhuc jacere et persistere, imo etiam præterito anno novam prolem ex concubina suscepisse, neglectis etiam paternis admonitionibus et correctionibus, alias nomine Suæ Sanctitatis de nostra commissione ipsi expositis, eapropter nunc ultimæ admonitionis loco eidem indicatur, et paterne mandatur, ut concubinam quamprimum ableget, alioqui S.S. procedet contra ipsum, prout juris fuerit.

« Hæc sunt, quæ vobis Sanctissimi Domini Nostri nomine proponenda habuimus, ad quæ non solum oretenus, sed etiam scripto responsum a vobis expectamus, quatenus Suam Sanctitatem de vestra voluntate ac promptitudine informare valeamus.

XXVIII. — Qua in re Feliciano laborum suorum fructus constitit uberrimus. Canonici enim Brixinenses, quod quidem in summam ipsorum laudem cessit, cupidissime sese ad singula capita Pontificis voluntati satisfacturos professi sunt: Feliciano vero cumulatissimam pro sapienti sui collegii reformandi ratione inita habuere gratiam. (*)

(*) Germania Vol. 32. fol. 188

Responsio Venerabilis Capituli Ecclesiæ Cathedralis Brixinensis ad articulos ei propositos nomine S. D. N. per Rm̃um D. Felicianum Episcopum Scalensem, Suæ Sanctitatis Nuntium.

Reverendissime Domine Præsul, Sanctissimi Domini Nostri Nuncie.

« Quæ Summi Pontificis nomine P. V. Reverendissima heri nobis oretenus et scripto proposuit, ea qua debemus reverentia et obedientia accepimus et intelleximus. Super quibus Suæ Sanctitati pro tam paterna erga nos et Ecclesiam nostram animo et cura, quantas possumus, gratias agimus, simul orantes humiliter, ut eadem benignitate et clementia nos nostramque Ecclesiam fovere et promovere pergat, qua hactenus uti non est dedignata. Quantum vero in nobis erit, omnem dabimus operam, ut ea, de quibus admoniti fuimus, divina opitulante gratia, ad debitum effectum perducantur, quemadmodum res ipsa exigit, officii ratio et status noster ipse postulat, ac Sanctitas Sua paterne monet, hortatur et mandat. Ut autem Reverendissimæ D. V. petitioni satisfiat, hic breviter subjiciemus responsum nostrum ad singula capita, quantum temporis brevitas feret.

« Ad primum articulum, quod attinet ad cultus divini procurationem, pollicemur nos in ea totis viribus elaboraturos, ut nihil de diligentia debita remittatur. Quod autem spectat ad distributionem, etiam paratissimi sumus, nisi quod parum temporis nobis concedendum est, ut de oportuno modo constituendo considerare possimus.

« Ad secundum: restituetur vetus consuetudo portandi superpellicea ex pellibus temporibus debitis.

« Ad tertium: cum hoc tempore tres tantum sint Canonici sacerdotii ordini non initiati, quorum unus Dominus Henricus Kuen, propter legitimam causam impotentiæ ad dictum ordinem est inhabilis; alii duo promittunt se suscepturos sacerdotii gradum, sed tamen Dominus Nicolaus Fieger petit, propter rationabiles causas Reverendissimæ D. V. jam expositas, sibi concedi spatium unius anni, a proximis feriis paschalibus inchoandi; et Dñus Carolus Leo, cum nuperrime ad canonicatum susceptus sit, postulat sibi prorogari tempus ad biennium, ut interea in rebus ecclesiasticis institui valeat. In posterum autem nullum tollerabimus Canonicum, qui sacerdotii ordinem non suscipiat, cum ad ætatem pervenerit juxta nostra decreta provincialia.

« Ad quartum: deputabitur una præbenda canonicalis inter solos Sacerdotes dividenda, sed concedendum nobis parum temporis ad deliberandum de modo.

« Ad quintum: quod de festis canonicalibus præscribitur, ad unguem observare studebimus.

« Ad sextum: ad proximum festum Sancti Georgii Dominus Præpositus redibit ad residentiam, atque in ea manebit.

« Ad septimum: hunc articulum, de non danda præbenda Canonico, qui in alia Ecclesia resederit, et hactenus observavimus, et deinceps etiam observabimus.

« Ad octavum: circa hunc articulum nos conformabimus ad præscriptum Synodi nostræ provincialis.

« Ad tres sequentes, nonum, decimum et undecimum: exequemur diligenter, quæ mandantur.

« Ad ultimum: satisfiet mandato.

« Hæc sunt, quæ nobis ad propositus articulos breviter respondenda fuerunt. In quorum fidem nos propriis manibus subscripsimus.

Actum Brixinæ XVI. die mensis Februarii anno salutis MDLXXIX.

LEOPOLDUS A TRAUTMANSDORFF PRÆPOSITUS BRIXINENSIS. – MICHAEL BARO IN WOLKENSTAIN DECANUS BRIXINENSIS. – NICOLAUS FIEGER CANONICUS BRIXINENSIS. – MATHIAS WERTWEIN D. – ADAMUS AB ARTZ CANONICUS ET SCHOLASTICUS BRIXINENSIS. – CAROLUS LEO ETC. CANONICUS BRIXINENSIS. – HENRICUS KUEN CANONICUS BRIXINENSIS. –

GEORGIUS PASINGER
Venerabilis Capituli Brixinensis Notarius in fidem subscripsit.

Felicianus de optima Canonicorum voluntate Brixinensem Episcopum edocet, eique Pontificis indignatione proposita mandat, ut quæ ipse ejus Canonicis præscripserat, conficienda omni studio curet. Quod si forte illorum quispiam ea præcepta abnuerit, mulctatum pecunia in Seminarium eroganda ad parendum compellat. Et in eo vero magnopere adnitatur, ut turpissimum concubinatus nefas ab suis Clericis procul removeatur. [*]

[*] Germania Vol 32. fol. 193.

« Frater Felicianus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Scalensis etc. Reverendissimo Domino Joanni Thomæ Episcopo Brixinensi salutem in Domino sempiternam. Cum Venerabili Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Brixinensis jussu Sanctissimi Domini Nostri proposuerimus quædam ad vitæ et status illorum reformationem, conservationem ac perfectionem necessaria et utilia, quæ illi diligenter observare et custodire sancte polliciti sunt, responso propria cujusque subscriptione cauto et confirmato, ea sane parum juvabunt, nisi debitæ mandentur executioni. Hinc est, quod nos cupientes ea non tradi oblivioni, sed etiam ad optatum effectum justa piam intentionem Suæ Beatitudinis adduci, Rmæ D. T. sub indignatione Sanctissimi Domini Nostri committimus, quatenus nostro nomine et loco invigilet, studeat et procuret, sique opus visum fuerit, etiam compellat, ut dicti de Capitulo executioni mandent primo quoque tempore, quæ a nobis juxta Sanctissimi Domini Nostri piam mentem proposita fuere, et ab illis promissa. Quod si unus vel plures prædicta facere neglexerint, dicatur et dicantur incurrisse pœnam centum Coronatorum Seminario applicandorum, idque pro prima vice: si autem illi adhuc in pertinacia sua persistiterint, volumus contra illos tanquam incorrigibiles etiam ad privationem beneficiorum procedi. Insuper injungimus Rmæ D. Tuæ, ut Stephano Haberle Præposito Enticensi serio mandet, ut concubinam suam, quam hactenus cum magno scandalo et officii sui ac dignitatis macula et ignominia retinuit, infra octiduum a se dimittat, nec eam aut aliam quomodocumque deinceps suscipiat, aut habeat; qui si parere contempserit, jure cogatur et beneficiis privetur. Sedulam quoque curam Reverendissimam D. T. gerere cupimus, quatenus ea etiam omnia, quæ Rmæ D. T. de mandato Sanctissimi Domini Nostri proposuimus, per totam Diœcesim ad effectum diligenter adducantur, prout Rma D. T. jam ante facere incepit, et ex officio tenetur, in primis vero ut omnes Clerici Diœcesis suæ, qui concubinas habent, corrigantur et ad cœlibem vitam reducantur; idem etiam exequetur cum Clericis Capitulo subjectis, si Capitulum idipsum facere neglexerit: circa quæ Reverendissima D. T. omnia faciat, mandet et exequatur, quæ necessaria et opportuna judicabit, ut officio suo et Sanctæ Sedi Apostolicæ satisfiat: et quoniam exorta est aliqua dubitatio apud Capitulum Cathedralis Ecclesiæ circa distributionem præbendæ sacerdotalis, declaramus eam esse inter solos Canonicos Sacerdotes celebrantes, nisi justa causa ab ordinario approbanda impeditos, dividendam, et cæteros præbenda ordinaria contentos esse interim oportere. In quorum fidem etc. Datum Brixinæ anno a Nativitate Domini 1579. die vero 26. Februarii, Pontificatus etc.

XXIX. — Monialibus quoque Sanctæ Claræ Brixinæ necessarias leges præscripsit, cum gravissimarum pœnarum comminatione in detrectantes. [*]

[*] Germania Vol 32. fol. 190.

Ordinationes Reverendissimi Domini Feliciani Episcopi Scalensis et Nuntii Apostolici etc. pro Monasterio Brixinensi Monialium S. Claræ.

« Fr. Felicianus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Scalensis etc. Venerabilibus nobis in Christo dilectis Abbatissæ et Monialibus Monasterii Brixinensis Sanctæ Claræ, salutem in Domino et vitæ regularis progressum. Quoniam visitationes ad eum finem institutæ sunt, ut opportuna et convenientia remedia necessitatibus occurrentibus adhibeantur, hinc est, quod nos Monasterio vestro diligenter inspecto et visitato communem morem sequi, ac tum vestræ saluti, tum etiam honori consulere volentes, sequentes ordinationes ad vestrum vitæ spiritualis profectum necessarias et utiles, nec non regulæ et instituto vestro conformes vobis præscribendas existimavimus, mandantes vobis universis tam Abbatissæ, quam monialibus præsentibus et futuris in virtute Spiritus Sancti ac sanctæ obedientiæ, ut dictas ordinationes nostras observare et ad effectum adducere debeatis. In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

« Primo omnium confirmamus et approbamus omnia statuta, Œniponti in Capitulo Provinciali anno 1576. a RR. PP. Fr. Michaele Alvarez Commissario, Fr. Georgio Knerio Ministro Provinciali, et Definitoribus ordinata pro conservatione vitæ regularis Monialium Sanctæ Claræ per totam Provinciam, et vobis in ultima visitatione per supradictum Ministrum Provincialem indicta et præsentata.

« Deinde circa Clausuram, cujus potissimum est habenda ratio, hæc quæ sequuntur, vobis præscribimus. Etsi nobis contiguæ habitationis, quam prius fratres inhabitabant, intra Monasterii clausuram reductio non displicuit, ut ea ratione minor et rarior esset fratrum cum monialibus familiaritas et conversatio, quia tamen in visitatione ipsa comperimus, inde multorum incommodorum tractam originem, cum propterea Minister Provincialis et universa Provincia hujus Monasterii vestri curam et regi-

men resignare et relinquere decreverint, vel ob hoc maxime, quod hujusmodi mutatio facta sit absque prædictorum Ministri et Provinciæ scitu ac consensu, et inter vos moniales non levis discordia pacem tranquillitatemque vestram, et vitæ spiritualis profectum non mediocriter perturbans irrepserit, præterquam quod etiam habitatio illa ad vestrum usum non necessaria et parum accommodata est, atque in illam sæcularibus ex propinquis ædibus prospectus patet, attendentes omnium vestrum humilem et instantem supplicationem, quatenus dicta habitatio fratribus iterum consignetur, et clausura vestra in pristinum statum restituatur, nec non adjunctam excusationem, quod super hoc vester consensus fuerit illegitimo modo et subdolis rationibus extortus, et narratis incommodis occurrere studentes, volumus et mandamus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, cujus absolutionem nobis aut Sanctæ Sedi Apostolicæ immediate reservamus, ut sæpe dicta habitatio fratribus restituatur, et clausura Monasterii vestri ad antiquos limites reducatur, ita ut transitus ligneus, qui est ex dormitorio vestro ad dormitorium fratrum, auferatur, januis utrimque et omnibus fenestris dormitorii vestri muro, ut antea fuerunt, obstructis, et porta, quæ inferius est ex Monasterio vestro ad claustrum dictæ habitationis fratrum muro similiter, ut antea fuit, claudatur, atque eo rota, quæ nunc est prope chorum dimidia tamen parte breviori, transferatur, ubi etiam ante fuit, dicto rotæ loco ad chorum muro clauso. Altera etiam rota, ad quam sæculares conveniunt, accommodetur, ita ut nullum possit inde sequi periculum. Quarum omnium diligentem et exactam executionem R. P. Ministro Provinciali vestro committimus, cui etiam aliquem deputandum a Reverendissimo Domino Ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, ad præmissorum effectum assistere volumus.

« Ordinamus etiam sub eadem pœna, ut janua, quæ prope scalam confessionalis accessum antea dabat, ad clausuram vestram muro obstructa relinquatur, ut modo est, cujus usum ad novam transferimus, quæ ex templo ad chorum verget, industria Reverendissimi Patris Nasi prudenter translata, ita tamen ut quatuor diversis clavibus, duabus internis et totidem externis custodiatur, quarum internas quidem Abbatissa unam, alteram janitrix; externas vero unam confessor et socius ipsius alteram servent, nec aperiatur unquam, nisi cum aut Sacramenta ad moniales infirmas deferenda sunt, aut visitatio per superiores est instituenda, vel aliqua Virgo ad suscipiendum habitum introducenda. Et fenestra illa quadra, quæ est in medio chori respiciens majus altare Ecclesiæ bene custodiatur duabus obserrata clavibus, quarum unam retineat Abbatissa, alteram janitrix: cujus ferrei cancelli ita aptentur et obfirmentur, ut nullum inde periculum sit expectandum, omnisque mali tollatur suspicio. Fenestrella quoque Venerabilis Sacramenti interius ita aptetur, ne ulla monialium hostiam manu attingere possit.

« Cum invenerimus quoque plures januas, quam necesse videantur, ex habitatione vestra in hortos, mandamus R. P. Ministro Provinciali vestro, ut diligentem considerationem desuper instituat, ac cæteris muro clausis, eas tantummodo relinquat, quæ admodum necessariæ videbuntur, conscientiam ipsius super hoc aggravamus; quas etiam singulas duabus diversis clavibus munitas esse volumus, quarum una Abbatissa, alteram janitrix apud se habeant, nec aperiantur, nisi die exorto et vesperi post salutationis angelicæ signum statim claudantur.

« Murus etiam medius, qui disjungit hortos vestros ab invicem altius attollatur, maxime ubi efficit angulum cum muro circulari extimo clausuræ, et in hortis nullæ scalæ portatiles noctu relinquantur.

« Porta ordinaria Monasterii, quæ est ex horto ad viam publicam, per quam introducuntur etiam vina, ligna et alia hujusmodi onera, tribus diversis clavibus custodiatur, quarum unam semper habeat Abbatissa, alteram Priorissa, ac tertiam janitrix, nec intromittantur nisi personæ necessariæ, veluti medici, artifices et operarii a Reverendissimo Domino Ordinario approbati ac traditi, quibus, postulante necessitate, et confessore de ea admonito, ingredientibus ubique assistant duæ aut tres moniales ex senioribus ad id deputatis, nec ultra quam opus est, intus manere permittantur.

« Prohibemus etiam vobis sub pœna excommunicationis superius posita, ne modernum œconomum Leonardum ullo unquam tempore, et sub quocunque prætextu intromittatis, injungentes R. P. Ministro Provinciali vestro si fieri possit, ut illum dimittat et alium suscipiat.

« Nullus etiam frater cujuscunque sit gradus et conditionis ingredi permittatur, exceptis Visitatoribus tempore visitationis, et confessore, cum Sacramenta monialibus infirmis administranda sunt, aut aliqua alia urgentissima necessitas ejus ingressum exigit. Quando autem horum alicui ingrediendum est, socium aliquem secum ducat, nec ab eo disjungatur, quamdiu intus erit, quibus etiam semper astent duæ vel tres moniales ex senioribus ad id deputatis, et cum confessor alicujus monialis infirmæ confessionem audiet, socius ipsius et astantes moniales tum procul expectent, ut confitentis verba percipi non possint. Qui alia ratione, quam ut permissum est, ingressi fuerint, ipso facto papalem excommunicationem se noverint incurrere,

tam ingredientes, quam permittentes. Porro ingredientes modeste et caute se gerant, nec ullam monialibus offendiculi scandalive occasionem præbeant.

« Nullæ moniales literas scribere aut accipere audeant, nisi prius illas Abbatissæ et discretis præsentaverint. Quæ ea cautione utantur, ut nihil scribi aut scriptum recipi permittant, quod non sit necessarium ac statui illarum conveniens. Prohibentes Abbatissæ sub pœna absolutionis ab officio, ne cui aliter scribendi commoditatem clam subministret.

« Nulla monialis, etiam Abbatissa ad rotam nemini colloquatur, nisi præsentibus una aut altera ex senioribus monialibus ad hoc deputatis.

« Abbatissa provideat monialibus de victu et vestitu necessario juxta vetustam consuetudinem et monasterii facultatem, debiliorum et infirmarum potiorem rationem habeat, quam valentium, suppetitando etiam infirmis, quæ a medicis præscribentur, quoad ejus fieri poterit.

« Inobedientes, rixantes, seditiosas, et alios defectus committentes graves sive leves, sine ullo personarum respectu pro rerum qualitate, et regulæ ac statutorum vestrorum præscripto Abbatissa cum charitate reprehendat et puniat.

« Silentium in choro, refectorio et dormitorio temporibus debitis posthac studiosius custodite, et lectionem mensæ præsertim primæ nunquam intermittite.

« In sermone, incessu, gestu et omnibus actionibus vestris modestiam et gravitatem ostendite, ut virgines Christo consecratas decet, unanimem charitatem ac mutuam concordiam inter vos fovete, Deum timete, regulam, quæ sancta est, et laudabiles consuetudines vestras, quantum in vobis est, ad unguem custodite, bonum exemplum aliis date, vos denique vocatione ac professione vestra dignas præbete, ad cœlestem patriam semper aspirantes atque anhelantes, ad quam vos Deus misericors, retributor omnium laborum et operum, perducere dignetur.

« Cum rationabiles ob causas R. F. Martinus parvus confessor vester ad R. P. Ministrum Provincialem dimissus sit, ejus loco sufficiemus Patrem Fratrem Joannem Eckl, Reverendi Patris Joannis Nasi socium, quousque per dictum Reverendum Patrem Ministrum Provincialem, ejus rei a nobis admonitum, de alio vobis prospiciatur, quem si ante id temporis a prædicto Reverendo Patre Joanne Naso avocari continget, rogavimus Reverendiss. Dominum Episcopum et Principem Brixinensem Ordinarium, ut vobis interea de aliquo probo et idoneo Sacerdote provideat, cui etiam vos et monasterium vestrum summopere commendavimus.

« Cum etiam sorores conquestæ sint de Magdalena Grueberin, quod non sit parva de illa suspitio, eam lepra esse infectam, petentes humiliter, ut etiam huic provideremus incommodo: ideo ordinamus, ut vocato Reverendissimi medico aliisque ad hoc necessariis ac discretis viris inspiciatur: quæ si leprosa reperta fuerit, data sibi habitatione ita segregetur, ne et aliæ offendantur.

« Vocato quoque Reverendo Patri Ministro Provinciali, quem brevi venturum speramus, mandamus, ut has nostras ordinationes in effectum ducat, dantes tamen sibi potestatem omnia, prout illi visum fuerit, disponendi.

« In quorum fidem etc. Datum Brixinæ anno a Nativitate Domini 1579. die vero 22. mensis Februarii, Pontificatus etc.

XXX. — Quis verbis consequi possit, quantam animi contentionem, quas curas, quot vigilias Scalensis Episcopus, invictus plane a labore vir, in id contulerit, ut suo munere e Pontificis sententia defungeretur? Itaque non varietate, non longinquitate atque incommoditate itinerum defatigatus, omnes Religiosorum utriusque sexus familias per Comitatum Tirolensem, per Styriam, Carinthiam, Illyriam, per Archiducatum Austriæ, et per ipsam Bavariam peragravit, inspexit, lustravit: verbis scriptisque horum Ordinum Prælatos, ut regularem disciplinam ad primigeniam germanamque Sanctorum Fundatorum formam revocarent, quantum misera temporum conditio ferret, vehementissime cohortatus est. Quod ut facilius assequerentur, eorum singulis opportunissimas sapienter conscriptas leges tradidit, quarum præcepta a suis teneri curarent. Et sane dolemus, quod huc eas inferri non liceat, quippe quæ in unum collectæ plus quam justum volumen efficerent: eas igitur solummodo in medium proferimus, quas Fratribus Tridentinis sui Ordinis servandas proposuit. [*]

[*] Germania Vol. 129. fol. 126.

Ordinationes Reverendissimi Domini Feliciani Episcopi Scalensis, Nuntii Apostolici, pro Monasterio Tridentino Sancti Laurentii Ordinis Prædicatorum.

« Fr. Felicianus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Scalensis etc. Venerabili Priori et Fratribus Monasterii Tridentini Sancti Laurentii Ordinis Prædicatorum salutem in Domino sempiternam. Quoniam in visitatione Monasterii vestri nonnulla invenimus, quibus adhibenda sunt remedia corrispondentia, propterea ea, quæ sequuntur, vobis ordinavimus, mandantes vobis in virtute Spiritus Sancti ac sanctæ obedientiæ, ut ea observetis.

« Licet Monasterium sit extra Civitatem, ita ut diebus feriatis a paucis visitetur, nihilominus tum propter fundationes, tum propter servitium Dei saltem duo Missas celebrent, et diebus festis omnes, et qui diebus feriatis non celebrant, debent tamen audire sacrum; et diebus festis

curabit Prior, ut Missa, Vespertinæ preces et Completorium cantetur.

« Animadvertat diligenter Prior, ut omnes Fratres, nemine excepto, quotidie horis canonicis intersint, nisi quis infirmus sit, aut impeditus de commissione Prioris, et si quis non paruerit, puniatur, et si contempserit, absque dilatione ad Provincialem mittatur.

« Curet omnino Prior, ut in posterum semper lumen ardeat coram Venerabili Sacramento.

« Animadvertat Prior contra inobedientes et eos severissime puniat juxta constitutiones, nemini parcendo. Similiter rixantes et seditiosos tolerare non debet.

« Si quis sine Præsidentis venia Monasterium egredietur, tribus diebus in refectorio humi comedat pane et aqua jejunans. Cum autem aliquis licentiam obtinuerit, ne egrediatur absque socio sub eadem pœna, et semper secum deferant caputium album cum integra cappa Ordinis.

« Diligenter etiam animadvertat Prior, ne Fratres in Monasterio et multo minus extra Monasterium ludant cartis, aut ludis Religioso non convenientibus.

« Sedulo invigilet Prior, ne mulieres in Monasterium introducantur, aut Fratres cum mulieribus suspectis familiaritatem et conversationem habeant. Qua in re ut amoveatur omnis occasio, declaramus tam mulieres ex quacumque parte clausuram Monasterii quomodocumque introeuntes, quam Fratres eas introducentes, aut ingredi permittentes, incurrere excommunicationem a Sanctissimis Pontificibus moderno et Pio Quinto ejus prædecessore latam et promulgatam.

« Portæ Monasterii claudantur semper vesperi post pulsum salutationis Angelicæ, et claves deferantur ad Priorem, qui vel Superior revideat, an portæ sint bene clausæ.

« Cum votum paupertatis contra sanctiones omnium Religiosorum, præsertim Provinciæ Lombardiæ, sit apud vos satis alienatum, propterea quod Fratribus pecunias apud se retinere ac pro arbitrio exponere integrum sit, committatur Superiori, vel alteri ex Senioribus officium Depositarii, apud quem singulorum pecuniæ in eodem cella asserventur, nec nisi ad necessarios usus cum licentia Præsidentis dentur.

« Quia Religiosorum instituto et consuetudine receptum est, et in Provincia Lombardiæ admodum observatum, ut eleemosynæ, quæ pro Missis, confessionibus et concionibus aut quomodocumque a piis personis erogantur, in communem Monasterii usum cedant et Superiori consignentur, et nos in hac visitatione informati sumus a quibusdam vestrum, cum magno detrimento Monasterii non custodiri, cum vos eleemosynas concionum aut servitutis, quam facitis Parochiis de commissione Prioris, vobis reservetis, et Monasterium omni ex parte ruinam minetur, a quo nihilominus habetis victum et amictum, præcipimus vobis sub pœna proprietariis debita, ut hujusmodi eleemosynas non solum pro concionibus, sed quomodocumque vobis datas Superiori vestro fideliter et integre præsentetis. Qui laborum vestrorum in concionibus habitorum rationem habebit, vobis partem aliquam ad peculiares necessitates, præsertim ad libros emendos concedendo, quæ etiam Depositario servanda dari debet.

« Animadvertere autem debet Prior, ut provideat omnibus Fratribus a primo usque ad ultimum non solum de victu, sed etiam amictu, medicinis et aliis rebus necessariis, ne causam conquerendi rationabiliter habeant.

« Curare quoque debet Prior, ut tecta Monasterii paulatim reficiantur, ne Monasterium ruat.

« Cum non liceat Priori, præsertim in Provincia Lombardiæ, creare Sindicum, nisi consentiente Capitulo et in præsentia Notarii et testium, et modernus Prior P. F. Basilium de Verona sua voluntate cum querimonia omnium Fratrum Sindicum instituerit, mandamus, ut eum Capitulo etiam proponat in præsentia Notarii et testium, sique fuerit admissus, maneat, sin minus, eligatur alius, sed Fr. Basilius reddat Priori rationem suæ administrationis, omnibus Sacerdotibus Monasterii præsentibus. Sindicus vero quicumque fuerit, teneatur pariter reddere rationem accepti et expensi singulis mensibus coram supradictis Priore et Fratribus.

« Cum Monasterium satis depauperatum sit, ita ut vix possit sustentare Fratres, et multo minus equos, ordinamus, ut nullus equus aut mulus in Monasterio alatur.

« Et non modo sanctiones Ordinis observentur, sed vana etiam colloquia et rixæ tollantur, silentium servetur inter prandium et cœnam, et aliquid spirituale legatur juxta consuetudinem Ordinis.

« Præcipimus Priori præsenti ac successoribus pro tempore existentibus in virtute Spiritus Sancti ac sanctæ obedientiæ, et sub pœna privationis officii, ne aliquem Fratrem fugitivum in Monasterium suscipiat, neque tali faveat, ut alias factum fuit non sine dedecore et damno religionis.

« Nolumus quidem prohibere, ut Prior non possit interdum concedere Fratres pro necessitate Parochiis ad tempus, sed tamen videat, ut interea religiose vivant, nec concubinas habeant, aut alchimiam exerceant, ut Fratrem Paulum de Calvisano hactenus fecisse rescivimus, qui commoratur Persaui, quem propterea volumus a Priore Sancti Laurentii in Monasterium vocari, examinari et processu facto nos de

negotio certiores fieri, quod nos perficere nequivimus propter illius absentiam.

« Volumus etiam, ut tam iste Fr. Paulus, quam cæteri Fratres in territorio Tridentino existentes supradicti Prioris Sancti Laurentii correctioni et obedientiæ subsint, mandantes omnibus et singulis sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, ut dicto Priori obediant.

« In quorum fidem etc. Datum Tridenti die 16. Januarii 1579. Pontificatus etc.

XXXI. — Apostolici omnino ingenii sunt, veterisque Ecclesiæ mores hominemque referunt, quæ idem Episcopus Scalensis per summam liberalitatem de reformationis negotio cum Archiepiscopo Salisburgensi loquutus est. Qui cum sæpenumero decreta Synodi provincialis Salisburgi habitæ sese executurum promisisset, fidemque nondum præstitisset, Pontificis verbis admonetur. [1]

[1] Germania Vol. 32. fol. 201.

Admonitio facta Reverendissimo Dño Archiepiscopo Salisburgensi nomine Sanctissimi Domini Nostri a Reverendissimo Domino Feliciano Episcopo Scalensi Nunt. Apost.

Reverendissime Archipræsul et Princeps Illustrissime.

« Quo semper amore et observantia Reverendissimam et Illustrissimam D. V. prosecutus sim, satis compertum esse non dubito: quæ enim ad divinam gloriam apud nos augendam, ad catholicæ religionis et ecclesiæ incrementum procurandum, ad animæ suæ salutem promovendam et propagandum honorem adjumenta afferre posse videbantur, ea ipsa monere et hortari ullo tempore non intermisi: id enim veri et christiani amici officium existimo, ut earum rerum potiorem rationem ducat, quæ ad sempiternam vitæ beatitudinem et animæ immortalitatem pertinent, quam quæ simplex corporis commodum et res caducas fluxasque respiciunt: nam assentatorum est, et humanæ naturæ hostis proprium, homini blandiri, ad nutum loqui, fragilium bonorum ficata et falsa specie mentis oculos fascinare, quo minus supernæ vitæ commoda attendat, et animæ saluti serviat. Hac mea veteri et usitata consuetudine summeque propensa erga Reverendissimam et Illustrissimam D. V. benevolentia et charitate partim adnonitus, partim etiam officio publicæ personæ, quo fungor, et Sanctissimi Domini Nostri serio mandato inductus, magnam rerum et temporis necessitatem justo fraudare patrocinio minime debui. Frequentia enim et revera hactenus mandata a Sanctissimo Domino Nostro, primum oretenus, deinde etiam frequentibus literis accepi, quibus jubeor serio cum Reverendissima et Illustrissima D. V. agere, ut tandem aliquando seminarium instituatur, et visitationes fiant, ad conservandam religionem fidemque catholicam, hæreses arcendas, et clericorum populique mores reformandos, quibus duabus rebus potissimum hoc tempore executioni qua oportet diligentia mandatis omnis in integrum restitui posse, aut saltem ad meliorem ac securiorem statum reduci brevi tempore existimentur. Non enim fugit Reverendissimam et Illustrissimam D. V., in quanta religionis perturbatione ac malorum tempestate et procella versemur, ut certissimum ac desperatissimum naufragium brevi expectandum sit, nisi qui clavum regunt, arte et diligentia cursum navis melius dirigere maturent. Hæreses ubique ingruunt, improbi mores et abusus altas agunt radices, virtutes exterminantur et obsolescunt, religio catholica et sacræ cærimoniæ abolentur, mali homines in oculis feruntur, boni jacent ac repelluntur, omnia denique præpostere fieri et contra rationis æquitatisque præscriptum geri conspiciuntur. Quotus quisque autem est, qui vicem ecclesiæ doleat? qui laboranti religioni porrigat manum? qui suppetias ferat? quem zelus domus Dei commoveat? Ecqui tandem ecclesiæ religionisque partes defendendas ac tuendas suscipient, nisi id faciant, qui a Deo ad ecclesiarum regimen vocati sunt? sed multi segnes fiunt, indormiunt officio, et omnia negligunt, perinde nihil illorum interesset. Qui sane viderint, quo pacto rationem villicationis suæ reddent, cum Deus extremi judicii faces illis admovebit. Discrucior animo, hæc dum commemorare et altius contemplari oportet. In summo enim discrimine, in variis et frequentibus insidiis tantam securitatem ac negligentiam animadvertendi magnum aliquod malum pertimescendum videtur, cui repellendo et avertendo ordinarios quasi e specula magno studio et conatu intentos esse oporteret; nam vigilantibus, non dormientibus stationes ecclesiæ Deus credidit. Non potest Reverendissima et Illma D. V. obscure intueri ac prospicere, quanta ruina sit præ foribus parata, si oportunis ac debitis remediis diutius supersedebitur: hæresis enim virus per universam diœcesim ita diffundi ac paulatim serpere cœpit, ut metropolim ipsam, in qua residet, jam penetrarit, ac sub oculis Reverendissimæ et Illustrissimæ D. V. consistere non dubitet, non domi amplius latitat, non intra domesticos et privatos parietes continetur, sed in foro et plateis palam versari ac personare audet, ut verendum sit, ne tam dira et immanis bellua inevitabilem calamitatem aliquando importet, nisi ocyus occurratur et reprimatur. Ante decennium synodus provincialis habita est, et sanctissimis legibus necessaria reformationis provisio sapienter decreta, cujus tamen executio majori ex parte hactenus neglecta, non solum Sanctissimo Dño Nostro et amplissimo Cardinalium Collegio, sed etiam Ger-

manis Principibus catholicis, et omnibus bonis tam sæcularibus quam ecclesiasticis maximam admirationis ac doloris causam et occasionem non immerito præbet; siquidem Rm̃æ et Illm̃æ D. V. ignominiæ et vitio vertitur, quod cum etiam Serenissimi Principes Ferdinandus et Carolus Archiduces Austriæ, et Albertus Dux Bavariæ sua sponte et vix admoniti aliqua seminaria sive collegia promovendæ religioni et ecclesiæ catholicæ in bono statu conservandæ, in ditionibus suis pietatis causa utiliter erexerint, ac visitationes ab ordinariis institui, et cum fructu perfici magnopere exoptent, Rm̃a et Illustrissima D. V., cujus proprium officium et primarium est, rem ecclesiasticam fovere, tueri et promovere, tam in seminarii quam visitationis negotio obeundo et conficiendo ita torpeat et quasi in utramque aurem dormiat, ac si summa rerum omnium securitas esset et pax in ecclesia versaretur, cum tamen nullo unquam tempore major necessitas perspecta et graviora pericula comperta fuerint, quam quæ nunc multis modis impendent. Multoties quidem fuit promissa seminarii erectio, multotiens etiam universæ diœcesis visitatio ac reformatio: sed utriusque tamen rei ita necessariæ nullum adhuc vel effectum vel primordium vidimus. Et cum ego ipse certo sperarem, brevi tandem tempore firmum ac stabile principium et fundamentum constanter ante semestre spatium promissæ, ac non multo post literis etiam confirmatæ executionis ponendum fore, ac paulatim opus ad debitum et optatum finem dirigendum ac perducendum, facile Rm̃am et Illm̃am D. V. hactenus apud omnes, præsertim Summum Pontificem, quibus potui modis, excusavi, quod ipsum in posterum, qua ratione facere possim, haud scio, si quidem a Sanctissimo Domino Nostro vehementer reprehendor, quod verbis luserim et vanæ executionis ac falsæ defensionis technas et ambages produxerim, cum hæc procrastinatio longius procedat, quam Christiana pietas ac debitus religionis zelus, temporisque necessitas postulet, et religionem catholicam ad statum in dies pejorem redigat, cujus sane mali culpa in Reverendissimam et Illustrissimam D. V. confertur, quæ si velit magnam facultatem habeat ad promovendam ecclesiæ catholicæ causam, et diœcesim suam juxta necessitatem et exigentiam reformandam. Nec est, quod Reverendissima et Illustrissima D. V. culpam Venerabili Capitulo tribuat, si quidem per Dominos Canonicos non stat, quominus debita executio maturetur. Nam cum Reverendissima et Illustrissima D. V. illis articulos Sanctissimi Domini Nostri mandato a me oblatos ostendisset, ajunt, se quosdam destinasse ac Reverendissimæ et Illustrissimæ D. V. præsentasse, qui imperata circa executionem nomine totius Capituli diligenter ad effectum adducerent; sed nihil tamen hucusque executioni mandatum apparet. Propterea Sanctissimus Dominus Noster conqueritur, paternis admonitionibus suis locum adhuc relinqui, et adhortationes, quibus hactenus est usus, parvi fieri, et cum verbis ac vana spe brevi futuræ reformationis se diu lactatam videat, quod tandem aliquando facta cernere malit, satis deliberationi concessum, plus æquo productioni datum, modo tempus esse, ut res ipsa appareat, et expectationi ac necessitati respondeatur: religionis catholicæ statum eo reductum, ut provisio longiorem moram non ferat, et effectu magis quam consilio opus sit. Quare Reverendissimam et Illustrissimam D. V. iterum monet et hortatur, ut nulla interposita mora, seminarium erigat ac visitationem per totam diœcesim instituat et perficiat, in qua necessaria reformatio ad debitum effectum adducatur. Tenetur Reverendissima et Illustrissima D. V. hæc omnia sua sponte et absque ullius admonitione cohortationeque considerare ac præstare, si propriam animi salutem charam habet, si Pastoris officio et cura tangitur; si ecclesiam ac diœcesim in magna necessitate constitutam periculo eripere satagit; si denique post se gratam posteris nominis ac præclaræ familiæ suæ memoriam relinquere desiderat. Secus enim si fiat, præterquam quod temporalia cum spiritualibus omnino corruent, divinam etiam incurret offensionem, et hominum diris imprecationibus semper obversabitur, ac familiæ suæ honorem obscurabit et imminuet. Quod autem Reverendissima et Illustrissima D. V. adversa retinetur valetudine, quo minus prædictarum rerum, quæ dilationem absque gravi jactura non patiuntur, executionem modo capessere possit, consulo, ut auctoritatem ac vices suas Ven. Capitulo et Consilio ecclesiastico Cameræ committat ac demandet, quod tantum attinet ad seminarii erectionem et diœcesis visitationem ac reformationem. Ita enim se gravi liberabit onere, divino honori et propriæ conscientiæ satisfaciet, gregis sibi commissi saluti et periculose laborantis ecclesiæ necessitati consulet, humanæ respondebit expectationi, aucta etiam familiæ suæ gloria, ac Venerabili Capitulo nullum locum supinæ intermissionis culpam alio transferendi relinquet. Quod si Reverendissima et Illustrissima D. V. ne sic quidem ea præstare quam primum studebit, quæ multotiens admonita graviter et serio fuit pastorale officium, et præsentis status ac temporis necessitatem exigere, sed ecclesiam suam ac debitum munus negligere perget, ne omnia in præceps tandem ferantur et ruant, Sanctissimus Dominus Noster pro sua cura et sedulitate, qua rempublicam Christianam sartam tectam conservare tenetur, aliam tempori inire cogetur ratio-

nem, ac fortassis Principum sæcularium catholicorum auctoritate et studio uti, quatenus ordinariorum negligentiæ et intermissioni suppleatur. priusquam res ita collabi permittantur, ut nulla amplius spes providendi relinqui possit. Hæc sunt, quæ hoc tempore tum pro mea in Reverendissimam et Illustrissimam D. V. observantia et studio, tum etiam ex officio et mandato Sanctissimi Domini Nostri significare et indicare oportuit. Quæ omnia Reverendissima et Illustrissima D. V. non aliter interpretabitur, quam ab optime affecto animo profecta, et erga salutem atque honorem suum propensissimo. His me Reverendissimæ et Illustrissimæ D. V. quam possum officiose commendo, cui ut feliciter omnia succedere vehementer opto, ita valetudinem quoque in integrum restitui ardentibus precor votis. Datum Salisburgi ex mea habitatione die xv. Aprilis 1579.

XXXII. — Hic Præsul justissima et sibi a Ninguarda omni comitate data monita in optimam partem, ut debuit, accepit, invaletudinem suam excusavit, quod minus ex Pontificis voluntate fecerit, ac spopondit se curam omnem adhibiturum, quo ejus quamprimum jussis satisfieret. (*)

(*) Germania Pol. Eg. fol. 815.

Responsum Rm̃i Dñi Archiep. Salisburgensis ad monitorium Sm̃i Domini Nostri mandato oblatum a Rm̃o Feliciano Episcopo Scalensi Nunt. Apost.

« Sm̃i Domini Domini Nostri Clementissimi dignissime Nuncie ac Rm̃e Scalensis Præsul, voluntatem atque animum propensum in rem et dignitatem ecclesiasticam ratione Seminarii, visitationis et reformationis instituendæ in universa diœcesi mea, recognovi ex scripto, quod nobis ante pauculos dies R. P. V. obtulit, ad quod citra omnes ambages cum haud contemnendo et molestissimo morbo impediar, quo minus longiori oratione uti possim, breviter, uti res sese habet, mentem quoque meam aperiam, nihil dubitans Sanctam Sedem et R. P. V. maxime fore contentam.

« Et quod primo R. P. V. excusationem proponit in scripto suo, in eam accipio partem, ut R. P. V. potius humanitate sibi solita utatur, quam quod id fuerit necesse: quid enim mihi ingratum aut molestum esse potest, quod ab eo proficiscitur, qui caput est religionis Catholicæ, et omnis dignitatis meæ ecclesiasticæ patrocinium, in qua procuranda cum posita sit et opera et prudentia R. P. V. jure laudanda, et nos, cum utilitati publicæ suffragetur, eandem merito habemus excusatam?

« Quantum ad rem ipsam attinet, supervacaneum est commemorare, in quo statu nunc ea sit, non tantum in diœcesi mea, sed per universam fere Europam, et quomodo hoc malum in dies latius serpat; est enim partim scripto nobis per R. P. V. exhibito deductum, partim per totum orbem calamitosi bellorum ostendunt tumultus.

« De alienis nihil dicam, sunt enim in omnium ore et sermonibus; ad ea, quæ me pungunt, respondebo. R. P. V. ipsa novit, qui sint nostri vicini Principes, omnes, uti ingenue fateor, erga Catholicam fidem pie atque optime affecti; sed subditi versus Austriam, Styriam et Carinthiam ita seducti et infecti sunt, uti qualescunque fuerint conatus, labores atque consilia nostra antecessorumque nostrorum, tamen ut ab vesania desisterent, persuaderi non potuerunt. Desiderio certe peracri ac flagranti studio, uti mihi videtur, resistere, ac ea instituere, quibus morum Ecclesiasticorum honestati ac decori consuleretur, parati fuimus. Novit sapientissimus et optimus Pontifex ac totum Cardinalium Collegium, quot præteritis annis cum Episcopis meis coegerim synodos, quid in illis consultatum et conclusum sit, quæ etiam Sancta Sedes, diligenter examinatis et excussis omnibus, pio favore et justo judicio confirmavit, quæ isthic sancita ac statuta, si non omnia, certe majori ex parte per me et Coepiscopos meos executioni sunt mandata: malum enim hoc pedetentim non uno impetu extirpandum est. Quæ supersunt, Deo volente, et ejus adjuti auxilio, felicem quoque sortientur effectum.

« Si non per totam nostram diœcesim visitationes instituimus, tamen in locis necessariis non fuit omissa. Tempore antecessorum nostrorum multi et varii cum sæcularibus Principibus fuerunt conventus, quomodo et qualiter sit instituenda visitatio et reformatio, sed semper talia et tam prægnantia intervenerunt impedimenta, ut illa in aliud commodius tempus differri debuerint. Idem et nobis accidit, maxime cum contra canonica decreta et laudabilem observatam consuetudinem plus juris sibi arriperent sæculares in his artibus, quam par erat.

« Fuimus præterea multis Imperialibus Comitiis impediti, quibus domi relictis quasi rebus omnibus interesse debuimus. Si quid autem hac in parte omissum est, curabimus quam primum resarcire et cum vicinis sæcularibus Principibus visitare et reformare, quæ hactenus visitata et reformata non sunt, ac ita sacerdotum mores, qui vehementer videntur esse labefactati, in veterem statum redintegrare. Quibus ob maximam illorum penuriam aliquid etiam condonandum fuit. Quod facilius fieret et obtineretur apud clerum, si nos et omnes ordinarii in debita jurisdictione per illos non perturbaremur, et ecclesiasticæ personæ tam multis variis exactionibus et gravaminibus contra ecclesiasticam immunitatem et privilegia non ita molestarentur. Quæ R. P. V. cum nota et perspecta sint, speramus eandem jam dudum illa omnia fideliter

Pontifici Maximo significasse, et Suam Sanctitatem querelis his maturo consilio remedium adhibituram salutare et opportunum.

» Adhortamur insuper per R. P. V. nomine Sanctissimi Seminarium jamdudum per nos promissum erigere, ad quam admonitionem non aliud dicam, quam obnixe rogans, ut R. P. V. in animum revocet, quod nosmetipsi ea de re sæpius, imo sæpissime simus colloenti, quod etiam in proximis Ratisbonensibus Comitiis cum Sanctissimi Domini Nostri Legato tractatum, insuper quod cum provinciæ nostræ Salisburgensis Coepiscopis in quibusdam congregationibus actum sit. Quamvis Seminarium per nos, prout seculares quidam Principes allegantur, hactenus erectum non sit, tamen in quibusdam Academiis nostros habemus alumnos, ac quot per nos in hac civitate quotidie alantur pauperes scholares, omnibus notum est. Si eam viderem aut haberem commoditatem ad Seminarii institutionem, quam sibi nominati Principes arripuerunt aut habuerunt, profecto in ea non postremum locum occupassemus. Nihilominus novit Deus, quot hujus rei nomine insomnes traxerim noctes, nec minima mea sollicitudo est, quæ me in hac mea imbecillitate angit et excruciat. Multæ atque variæ eæ mihi in istius negotii consideratione occurrerunt, maxime cum fere nullas ad sumptus impendendos haberem manus auxiliatrices. Quantum anni reditus Archiepiscopatus diminuti; vicissim autem contributiones Imperii et steuræ, ut appellantur, in hæreditariis Archiducum Austriæ provinciis, quæ mihi quotannis necessario sine ulla mora persolvendæ, auctæ sint, nihil in præsentiarum, sunt enim alias nota, dicam: tamen his deficientibus nervis non dubito, quin Summus Pontifex pro innata benignitate meæ, si qua fuit, negligentiæ benignus interpres sit futurus: præsertim cum in hac parte per me penitus cessatum non sit, ac hodierna die certis consiliariis meis in mandatis dederim, ut sine ulla mora instituant, erigant atque in effectum deducant Seminarium (tanquam fundamentum sanctius colendæ et servandæ religionis, sacerdotumque sordibus et maculis extrahendi) ea via et ratione, quæ illis ad augumentum catholicæ religionis melior visa fuerit. Ego quantum præ imbecillitate mea potero, omni officio, studio atque sumptu juvabo, mandatisque Sanctæ Sedis satisfaciam. Reliquum est, ut R. P. V. orem, ut hoc meum responsum et propositum Pontifici Maximo Domino meo Clementissimo, totique Cardinalium amplissimo Ordini significet, ac nos Suæ Sanctitati et Rm̃is Illm̃isque Dominationibus suis plurimum commendet. Paternitati autem Vestræ R., cui ex animo bene favemus, defero mea officia ac studia, omnemque, quantula ea cumque est in me, auctoritatem polliceor.

Datum Salisburgi in Palatio Archiepiscopali die xxv. mensis Aprilis anno Domini etc. MDLXXIX.

Joannes Jacobus Archiepiscopus
Salisburgensis R. P. V. Amicus.

Quod vero attinet ad Seminarium Clericorum erigendum, statim admovisse manus Salisburgensem Archiepiscopum satis constat ex iis, quæ Seminario in ipsa Metropoli Salisburgensi instituendo præfecti viri Episcopo Scalensi scripta exhibuerunt. Hæc autem sunt hujusmodi. (*)

(*) Germania Vol 32 fol 250

Rm̃o in Christo Patri ac Dño, D. Feliciano Episcopo Scalensi ac Nuncio Apostolico dignissimo, Dño Nr̃o Colendissimo.

Reverendissime in Christo Pater ac Domine Nuncie dignissime, Princeps nobis colendissime.

» Institutum Rm̃i et Illm̃i nostri Principis de erigendo Seminario in hac sua Metropoli Rm̃æ D. Tuæ satis notum est: quos vero circa id negocium progressus hactenus fecerimus, (cum hoc Rm̃a D. T. ante proximum discessum suum ad Helvetios a nobis petierit) significare debuimus ac libenter voluimus. Sic autem se res habet. Nos mandatum Rm̃i nostri pro debito exequentes ad urbem Monacensem et Gymnasium Ingolstadianum per commissarios tales comparavimus viros, quos non solum nos, sed et graves alii huicque negocio laudabili faventes viri collaudant, et tum ad ipsum Seminarii rectoratum, quam ad ejusdem quatuor classium prælectiones idoneos fore judicamus, cum iisdem post canceulares, et quid singulis agendum, et quid salarii illis expectandum, convenietur.

» Præterea conficiuntur nunc statuta seu ordinationes tam scholasticæ quam œconomicæ, ex quibus primum Rector, deinde classium præceptores, tum ipsi alumni, quid cuique per singulas classes cum præcipiendo, legendo ac repetendo, tum audiendo atque obediendo incumbere debeat, nec minus quid officium Oeconomi requirat, discere possint.

» Quod proinde Rm̃i nostri, Metropolitani Capituli, singulorum Prælatorum alumnos, nobilium vero, civium, cæterorumque plebejorum filios attinet, expectamus eorum brevi magnum et majorem fructum: in quo pio ac necessario opere promovendo conatus nostri non deerunt.

» Porro de loco aliud, et nostro quidem judicio, melius nobis quam antea subiit consilium. Rm̃o nostro ab initio placuit domus Seccoviensis, curiæ consistoriali vicina, sed graves quidam ac prudentes viri eum locum improbant, eo quod in meditullio civitatis, ubi publicus est transitus, ubi in dies plaustrorum et equitantium frequens est strepitus, qui non solum docentibus atque discentibus magnam molestiam objiceret, sed et auditorum aures ita obtunderet, ut prælegentium voces ægre percipere possent: noctu vero cerdonum colluvies suos

clamores illic effundere, motus excitare, nonnunquam etiam digladiari consneverunt: tacemus modo circumstantes tabernas et publica diversoria, quæ accessu hospitum et potantium vociverationibus, Musarum gratam tranquillitatem ac silentia non parum conturbant: huic accedit quod locus ille multo est angustior, quam quod tale collegium, quod nos meditamur et usus postulat, capere queat. Itaque ipsa necessitas nos alio migrare coegit. Novit Rm̃a D. T. monasterium illud monialium, quod cœnobio virorum ad D. Petrum intra mœnia hic annexum, et parochiali ecclesiæ contiguum est, quodque a Prælato ibidem et Priorissa quodam regitur. Illic adhuc hærent octo moniales, ut plurimum emeritæ, senio ac vigiliis exhaustæ, vix duæ supersunt ad cultum et cantum exercendum idoneæ ac valentes, nec aliæ comperiuntur illuc ingredi volentes: postquam ergo hæ monastriæ cum illis, quæ in monte, quem monialium vocant, in religione S. Benedicti conveniunt, idemque plane ordo sit, non incongruum fuerit, eas cum superioribus illis conjungere, quarum numerus ita exiguus, octonarius scilicet est, ut has facillime admittere ob loci capacitatem et commoditatem possit: nec est, quod Abbatissa id graviter ferre debeat propter expensas, nam Abbas jubebitur illis providere de victu, eoque facilius cum ipse hoc facturum non ita pridem sese obtulit. Restant præterea duo alia monasteria in hac provincia, nimirum Chiemense et illud S. Georgii, quod in Carinthia est, ejusdem ordinis, in quibus aliquæ, si ita visum foret, non incommode possent collocari. Hac via tolleretur suspicio illa (quæ non paucorum in hac civitate animis inolevit) una cum occasione publici offendiculi, postquam in vulgi oculis est, Abbatem ipsum cæterosque fratres adolescentes frequentem ad illas habere accessum, commessari et pro lubito se gerere, unde parum decentia nonnunquam emerserunt, quæ et D. T. Rm̃am minime latere arbitramur.

« Hujuscemodi igitur ob causam, et quod locus ipse in tuto ac tranquillo positus, atque ad Seminarium conficiendum ex omni qualitate aptissimus est, et minori sumptu brevioriqne tempore ædificium accommodari possit, suasum est Rm̃o nostro, ut collegium Seminarii ibi constituatur, quibus de causis Sua Rm̃a et Illm̃a Dominatio huic sententiæ libenter annuit, idque negotii, quantocius fieri queat, procurari jussit. Cum vero rationi consentaneum sit, talem commutationem fieri cum consensu S. D. N., necessitas requirit, et nos ipsi impense rogamus, Rm̃a D. V. hanc rem ad Suam Sanctitatem, quanto ejus fieri possit citius, scripto deferre, et super hoc Breve Apostolicum (vel si opus sit, etiam plura) suæ consensionis testes vel ad Rm̃um Archiepiscopum nostrum, vel eo adversa valetudine laborante, ad ecclesiasticos consiliarios, nostrumve Capitulum, perinde etiam ad D. Andream ejusdem monasterii Abbatem, ipsamque monialium in monte Abbatissam, nomine Benignam, procurare velit, in quibus prædicto Abbati et Abbatissæ serio mandetur, ut talem monialium translationem et collegii ædificationem citra controversiam admittant, huicque Rm̃i nostri instituto minime resistant, sed hoc pium ac laudabile opus pro viribus adjuvent atque promoveant.

« Multum quidem præsentia Rm̃æ D. T. huic negocio prodesse poterat, quam et Rm̃us noster maturari cupit: attamen non ignorantes eam multifariis negociis occupari, ne hujus Seminarii promotio impediatur, vel longiorem moram sustineat, speramus habitis Brevibus Apostolicis, votis nostris astipulantibus, nos rei satis bene consulturos. Si quid vero postea acceptis Brevibus occurreret, quod hoc negocium impedire posset, id Rm̃æ D. T. tempestive significabimus, ejusque consilium et operam amplius desideraturi. Scripsisset etiam ipse Rm̃us noster de hoc negocio, sed quia ægritudinis molestia etiamnum impeditur, mandavit nobis D. T. Rm̃am hortari, ut reditum suum ad nos quam citissime maturare, ac interim significare velit, quo tempore D. T. Rm̃am expectare debeamus. Hæc sunt, quæ negocii ratio ad Rm̃am D. T. perscribere nos coegit, cujus benignam huicque operi (quod ut per se necessarium, ita nobis magnopere cordi est) accommodam responsionem per hunc nostrum tabellarium expectamus, eidemque nos juxta obnixe commendamus, ac felicitatem diuturnam exoptamus. Datæ Salisburgi die XVI. Julii, anno etc. MDLXXIX.

Rm̃æ D. T.

Deditissimi

ad negocium Seminarii Deputati.

XXXIII. — Ingenti lætitia sese affectum esse ad Argentinensem Episcopum Gregorius scribit, quod in ejus Diœcesi Collegium Societatis Jesu extare voluerit: seque insuper expectare, ut de Seminario etiam puerorum condendo cogitet: præsertim cum ad id opportunissimos habeat ejusdem Societatis Patres. [*]

Venerabili Fratri Episcopo Ecclesiæ Argentinensis.

[*] Reg. Gregorii XIII. An VIII ep. 83. l. 211.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Collegium Jesuitarum tantopere a Tua Fraternitate expeti et postulari, non potest contingere sine magna laude pietatis tuæ in quærenda Dei gloria atque animarum salute. Laudamus igitur summopere consilium tuum, nec quidquam melius fieri posse existimamus; teque hoc facto tuæ optimæ voluntatis, illos sui laboris, cives pietatis in eorum monitis amplectendis, sacramentisque percipiendis uberrimum

fructum laturos esse non dubitamus. Voluimus autem, has literas testes esse gaudii nostri. Illud etiam hortamur (omnia enim pollicetur tua charitas), ut de puerorum Collegio cogites, quod Seminarium appellari consuevit, quodque magno cum fructu institui, neque ulla ratione ab Episcopis negligi posse, sanctum Concilium Tridentinum et res ipsa aperte declarat. Id autem facillimum erit Fraternitati Tuæ: habebis enim ex Jesuitis ipsis homines aptissimos ad juventutem illam erudiendam atque ad omnem pietatem instituendam. Speramus, hoc, quod sua sponte æquissimum est, tanto studio a te susceptum ac profectum iri, quantum Nobis pollicetur tua pietas et zelus Dei gloriæ. Si quid autem erit, in quo putes, posse Nos tuæ optimæ voluntati auctoritate atque opera inservire, cupimus fieri certiores: nihil enim libentius faciemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Decembris MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

XXXIV. — Cæsari vehementer commendat Patrem Ordinis Eremitarum S. Augustini in Germania Provincialem, virum probatissimum, qui collapsæ apud suos disciplinæ regulari excitandæ magna cum laude operam navabat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VIII. ep. 13. f. 213.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Semper plurimi fecimus Ordinem Eremitarum Sancti Augustini propter præstantem ejus Ordinis hominum pietatem, doctrinam et zelum Dei gloriæ, uberrimumque fructum, quem ex eorum assiduis laboribus atque orationibus percipit Catholica Ecclesia, quibus etiam nominibus eum Ordinem a Tua Majestate diligi certum habemus: quo etiam libentius commendamus Majestati Tuæ dilectum filium Augustinum ejus Ordinis in Germania Provincialem, virum excellenti probitate, prudentia, pietate, inque eo universum Ordinem. Gratissimum Nobis facies, si optimam ejus voluntatem atque operam in Monasteriis sibi commissis gubernandis, optimisque institutis muniendis, tua quoque humanitate atque auctoritate, quibuscumque in rebus opus fuerit, amplecteris. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die V. Septembris MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

XXXV. — Cum Cæsar etiam valde apud Pontificem de Petro Illicinio et Joanne Philipono Olomucensem Ecclesiam turbantibus questus esset, Gregorius probari sibi quidem ejus in causa Christi studium, verum mitiora ante consilia experiri se velle respondet. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 218. f. 119.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Insignem pietatem tuam et Dei gloriæ zelum, quem Majestas Tua tota vita præ se tulit, summo cum gaudio recognovimus in iis literis, quibus ad Nos scribis de Ecclesia Olomucensi, ostendisque, quam turbulente gerant se Petrus Illicinius et Joannes Philiponus, quo spectent eorum consilia, quidque factu optimum esse videatur. Nos vero non dubitamus, quin ea ita sint, ut scribis, utque habentur in iis scripturis, quas misisti, longeque majorem fidem tribuimus verbis Majestatis Tuæ, quam quibusvis testimoniis. Ac si ut persuasum Nobis est de illorum nequitia, ita id, quod res postulat, facere Nos posse intelligeremus, sine ullo judiciorum ordine, ut eos scilicet ab electionis negocio amoveremus, nullam moram interponeremus. Cum autem alia faciliore et commodiore via eo pervenire possimus, quo cupimus, non putavimus subito huc descendendum esse, neque ullam illis querelarum ac calumniarum facultatem relinquendam. Monebimus igitur primum illos, ut a tali mente desistant, eorumque actiones gravissime Nos ferre ostendemus: quod si nihil proficiemus, tum vero causa cognita, ultimum illud remedium adhibebimus: neque tam grave ac sanctum negocium tam indigne violari patiemur. Cupimus, hoc nostrum consilium Tuæ Majestati probari. Omnia planius ex Nuncio nostro cognosces. Tuæ autem Majestati pro ista præstantissima voluntate, summaque in Christi causa vigilantia omnem felicitatem ab eodem Deo et Domino nostro precamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Februarii MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno septimo.

Quapropter Olomucensis Ecclesiæ Canonicis, quo facilius omnia inter ipsos discordiarum semina comprimantur, eorumque Ecclesiæ optime consulatur, Andream Cardinalem Austriacum, cujus virtus loco esset ætatis, ut sibi Antistitem postulent, suadere nititur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 218. f. 168.

Dilectis Filiis Decano et Capitulo Ecclesiæ Olomucensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Postquam gravissimis justissimisque de causis coacti sumus mandare Nuntio nostro, ut nostra auctoritate nullas atque irritas declararet postulationes eas, quas feceratis: idque ab eo factum esse cognovimus; eadem charitas et solicitudo de vestra Ecclesia, quæ Nos ad id impulit, facit, ut moneamus id, quod vos maxime velle persuasum habemus, ut scilicet

de eo homine cogitetis, quo vestram Ecclesiam magnopere indigere cognoscetis, utque in hoc negotio Dei tantum gloriam vestræque Ecclesiæ bonum propositum habeatis. Quoniam autem toto hoc tempore, quo dilectus filius noster Andreas Cardinalis Austriæ apud Nos fuit, omnibus in rebus præ se tulit singularem pietatem, et vitæ ac morum integritatem, censemus recte vestræ Ecclesiæ consultum fore in eo postulando; quamquam enim nondum id ætatis est, ut possit eligi, tamen ipsius virtutes facile supplent, quod deest ætati. Accedunt etiam vires et potentia propter propinquitatem, qua Romanorum Imperatori Electo, ut scitis, arctissime jungitur, qua quidem potentia adversus hæreticos vestræ Ecclesiæ finitimos atque infensissimos magnopere indigere vos sæpius ad Nos scripsistis. Hortamur igitur, ut de eo postulando consentire velitis; id enim et Ecclesiæ vestræ utilissimum, et Nobis propter eam, qua Cardinalem ipsum prosequimur, benevolentiam gratissimum fore pollicemur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Aprilis MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno septimo.

XXXVI. — Quo esset in Olomucensem civitatem studio, in eo quidem Gregorius ostendit, quod ad commune vicinarum Provinciarum commodum in eadem Collegium instituerit, amplo annuo censu instruxerit, curæque Patrum Societatis Jesu commiserit. Quod cum ea civitas gratissimum habuerit, Pontifex ejusdem Senatoribus effusa alacritate, ipsorum in avitam fidem studium laudans, hæc scripsit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 4. f. 106.

Dilectis Filiis Senatoribus Olomucensibus.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Certiores facti sumus, vos summa benignitate amplecti Collegium id, quod isthic ad pietatis atque ad doctrinarum studia est institutum, quibus duabus rebus non illorum modo, qui in eo Collegio educantur, saluti providetur, sed vestræ etiam civitatis gloriæ, totiusque Moraviæ tranquillitati, eorum denique omnium, qui sempiternæ fœlicitatis desiderio tenentur, pietati consulitur. Judicavimus tam præstantem voluntatem esse omni laude et gratulatione dignissimam, eamque quam latissime propagari convenire. Itaque mandavimus diversis ex locis accersiri juvenes pauperes atque idoneos ad id, quod incredibiliter cupimus, hoc est ad commune vicinarum provinciarum bonum, volumusque eos hujus Sanctæ atque Apostolicæ Sedis sumptibus ali atque educari. Et quamquam nonnullorum hominum iniquitate factum est, justissimo autem Dei judicio permissum, ut existerent schismata atque errores, quibus multi abducerentur a communi semperque usque ab Apostolis retenta fidei synceritate et veritate, nihilominus speramus, fore vestra prudentia civitatisque istius, quæ ante eas, quas diximus, discessiones Catholicæ veritatis gloria et cultu maxime excelluit, ad pietatem propensione, ut quæ recte sunt instituta, maximos in dies progressus habeant, excitent etiam aliorum animos ad eas actiones, quæ semper fuerunt comites vivæ fidei sanctorum Patrum, charitatisque eorum omnium, qui orthodoxam fidem vita et morum sanctitate et doctrinæ veritate, Christi autem primum sanguine sancitam, suo etiam testificatam Nobis reliquerunt, semperque in Catholica Ecclesia permanserunt. De Nobis hoc possumus polliceri, nihil esse, quod magis cupiamus, quam ut nostram charitatem erga vos vestramque civitatem perspectam habeatis. Nos certe non cessabimus eam declarare omnibus in rebus, in quibus intelligimus posse nostram auctoritatem atque operam vobis vestræque posteritati prodesse. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VI. Junii MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

De rebus hujus Collegii spectatissimo etiam viro, qui Provinciæ Moraviæ præerat, has litteras scripsit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 9. f. 107.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Hanguitio Baroni Biskupitz, Supremo Marchionatus Moraviæ Capitaneo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Jamdiu perspectam habemus vitæ probitatem, fidei synceritatem et studium tuum in rebus sanctæ Catholicæque Religionis tuendis et propagandis. Itaque gratulamur pietati tuæ, gratiasque agimus Divinæ bonitati, a qua etiam speramus, repositam esse tuis laboribus coronam beatitudinis sempiternæ. Neque dubitamus, quin omni studio amplexurus sis Collegium illud, quod istic constituimus, ad Dei gloriam Catholicæque Religionis amplitudinem. Speramus etiam fore, ut cæteræ provinciæ invitatæ ea charitate, qua accipiuntur juvenes ex tam multis tamque diversis nationibus, habeant perpetuum amicitiæ vinculum cum Moravia nexum junctumque ea charitate, quam Dominus Noster tantopere commendavit. Hac etiam spe scribimus ad Senatum. Cupimus, ut in iis literis reddendis, quarum etiam exemplum cum his mittimus, utaris prudentia tua, ut optimo scilicet animo sint erga hanc Sedem Apostolicam, quæ ut nihil aliud vult a Moravia atque ab aliis provinciis quam ea, quæ pertinent ad æternam salutem, sic quibuscunque in rebus poterimus, nostram optimam ac vere paternam voluntatem erga Senatum, civitatem, universam provinciam declarabimus. Eam vero, quam ascribimus his literis Nobilitati Tuæ salutem et benedictionem, precamur ascribimusque tuis etiam liberis, quos in Domino diligimus, sem-

perque commendatos habebimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vi. Junii MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

XXXVII. — Dum tanta premeretur molestiarum curarumque mole Pontificis animus, Pilsnensium in Bohemiæ regno litteræ ad recreandum reficiendumque accesserunt. In his studiosissimi illi Catholici cives de Possevino cum Apostolicis litteris ad se misso, deque spiritualibus donis, quibus ad fidem contra Protestantium vim tuendam plurimam suis animis roboris accessionem factam esse affirmant, gratias Pontifici agunt plane singulares. Deinde petunt, ut Sodalitati Beatæ Mariæ Virginis apud se institutæ privilegium, quo et absentes cooptari in eam possint, impertiri velit. Denique cum summæ in Sanctam Romanam Sedem devotionis significatione exposcunt, ut officia apud Cæsarem interponat, quo in ipsorum quoque civitate Seminarium vel scholam aliquam insigniorem erigere possint. (*)

(*) Germania Vol. 43 fol. 104

Sanctissime et Beatissime Pater, Divique Petri Successor.

« Post humillimam beatorum pedum Sanctitatis Vestræ deosculationem. Etsi de Sanctitatis Vestræ erga eos, qui sanctam Romanam fidem et religionem catholicam sincere profitentur, maxime vero, qui persequutiones ob eam intrepidi patiuntur, voluntate paterna nihil unquam dubitandum, quin potius ab eodem, cum aura secunda spirante nos totos addixerimus, ventorum deinde turbine et procellis nos impedentibus, consilium et auxilium honesta ratione expeti posse semper existimaverimus: nunc tamen Reverendo Patre Antonio Possevino (et de universa Republica in his regionibus catholica, et vel imprimis de civitate nostra Pilsnensi optime merito) Roma cum literis et Brevibus Apostolicis ad nos redeunte, nonnullaque specialiter a Sanctitate Vestra sibi commissa nobis exponente, dici vix potest, quanto gaudio et lætitia perfusi, Senatus populusque Civitatis nostræ, supra modum in ea sententia adjuvemur et confirmemur. Siquidem non hoc solum, quod pie quærebamus, citra difficultatem invenimus, sed et quod sperare tenuitas nostra impediebat, nihilominus accipere nos videmus. Patrocinium Sanctitatis Vestræ et Sanctæ Sedis Apostolicæ protectionem compulsi implorantes, quam primum (quæ singularis est S. Sedis benignitas) obtinuimus: hoc vero quod motu proprio accessit, nemo nostrum est, qui non de singularis Sanctitatis Vestræ erga nos benignissimi animi propensione profectum esse summa cum reverentia ac devotione agnoscat. Tribus etenim aliis adhuc distinctis Brevibus Apostolicis Sanctitas Vestra ad nos scribens, Senatui pro augendis et confirmandis civitatis ejus insignibus auream crucem cum certis quibusdam ornamentis confert et donat; populo, quæ vera et salvans fides, quæ item ad interitum ducens, ex divinis oraculis commonstrat; Societati vero ad laudem et honorem gloriosissimæ semper Virginis Mariæ, non ita pridem institutæ, liberalissimas elargitur indulgentias. Ex quo et Senatus victorioso S. Crucis signo adversus hostes relligionis communitus, et populus in avita majorum suorum relligione tuenda summi pastoris voce animatus, et Societas Deiparæ Virginis ad ferventiorem pietatem incitata: hi vero omnes et singuli sic invicem novo hoc relligionis glutino reconciliantur et uniuntur, et universa civitas Pilsnensis divino quodam afflatu ad præclara majorum suorum relligionis ergo facta fortiter, et ad sanguinem usque æmulanda plane incensa esse videatur. Quoniam autem hoc quicquid est sanctæ hujus apud civitatem nostram in Christo et Ecclesia regenerationis, gratiæ et benignitatis apostolicæ, Sanctitati Vestræ, Patrono et protectori videlicet nostro clementissimo, totum acceptum ferimus; idcirco quod nostrarum est partium, Sanctitati Vestræ pro tot et tantis suis in nos beneficiis collatis, pedes Sanctitatis Vestræ humillime deosculando, in præsentiarum, quas et corde et ore possumus, maximas agimus gratias; de futuro autem æternam et gratissimam Sanctitatis V.træ memoriam apud posteritatem nostram sedulo procurabimus: tutiterque jam sub S. Sedis numinis militabimus, et sic commendatam nobis denuo fidem ac relligionem amplexabimur: sic quoque spiritualem hunc indulgentiarum thesaurum frequenter lucrari (et hæc omnia Deo juvante) studebimus, ut vel aureæ crucis armatura nos donavisse, vel populum nostrum officii sui admonuisse, vel denique Societati præfatæ gratiam eam fecisse Sanctitatem Vestram nullo unquam tempore pœnitere debeat. In cujus rei evidentiam et perpetuum talis animi nostri testimonium statuimus singulis annis publicam indici supplicationem, cujus occasione inter cætera et Sanctitati Vestræ immortales grates persolventur, et Deus Optimus Maximus ad confirmandum hoc ipsum, quod operatus est in nobis, communibus precibus flecteretur. Quocirca unum adhuc a Sanctitate Vestra humillime rogamus, ut cum multi jam utriusque sexus fideles extra civitatem nostram, etiam inter Proceres et Magnates regni existentes, de privilegiata hac Societate nostra informati, in eandem, licet absentes sint, recipi et pro fratribus ac sororibus nostris agnosci cupiant, Sanctitas Vestra dictum Societatis nostræ privilegium ad absentes quoque (cæteris tamen paribus) benignissime extendere, et sic prioribus in nos maximis collatis hoc insuper gratiosissime beneficium adjicere dignetur. Siquidem hunc non solum sanctum hoc Societatis nostræ institutum indies magis magisque

apud reliquos commendabitur; sed et civitas nostra plures acquiret patronos, fautores et amicos, quibus tempore necessitatis rectius fidere et se illis credere possit.

« Cæterum, ut et Sanctitatis Vestræ piissima largitas majore cum fructu a posteris intelligatur, et laudati jam satis nostri in propaganda relligione catholica conatus facilius ac fœlicius eo, quo et velis et remis tendimus, perveniant, commodissimum id fore deprehendimus, si Seminarium seu schola aliqua celebris, in qua graviores etiam auctores cum publice tum privatim doceri et explicari, sicque ibi studentes in catholica relligione sensim erudiri possent, apud nos aperiretur et erigeretur. Siquidem in toto hoc regno Bohemiæ, ejusque terris et docatibus adjunctis, nulla reperitor catholica schola, in qua nobiliores disciplinæ propagentur, præter quas Reverendi Patres Societatis Jesu Pragæ et Olomutii somma cum laude et juventutis utilitate tuentur. Quoniam vero majoris ea res est moliminis, quam quod vires et facultates nostræ soperioribus illis temporibus tam turbulentis nimium concussæ et labefactatæ sustinere possent: ideo alia via incedentes, S. V. pro intercessione apud Serenissimum Romanorum Imperatorem Rudolphum Secundum, Regem et Dominum nostrum clementissimum, facienda plurimum demisse precamur, quatenus scilicet Sacra Cæsarea Sua Majestas pro liberalissima alioquio erga nos, nostramque civitatem et omnes Catholicos voluntate ac relligionis zelo, modum et rationem eam inire dignaretor, unde pio et sancto desiderio nostro in schola tali erigenda cum effectu satisfieri, bonumque publicum fœliciter promoveri possit. Qua in re nec nos officio nostro deerimus apud eandem Majestatem Cæsaream humillima petitione instando et urgendo: nullumque nobis dubiom est, quin si Sanctitatis Vestræ tam paterna advenerit intercessio, non longe post desideratissimum nos habituros esse responsum. Quod reliquum est, Deum Optimom Maximum pro firma Sanctitatis Vestræ valetudine, utque Ecclesiam Christi (cujus dignissimum agit in terris Vicarium) quam latissime, uti facit, propagare, eamque diutissime undique salvam conservare queat, supplici voce exorantes, interimque sanctissimam Beatitudinis Vestræ benedictionem, pedibus ejusdem proni et eos humillime deosculati, rogantes, nos et civitatem nostram cum omnibus in hoc regno Catholicis devotissime commendamus. Datæ Pilsnæ sexta die mensis Martii, anno virginei partus supra millesimum et quingentesimum septuagesimo nono.

Sñæ et Beatissimæ Paternitatis Vræ

Humillimi et devñti servitores

Consul, Senatus Populusque Catholicæ Civitatis Pilsnensis in Regno Bohemiæ.

XXXVIII. — Cum Ecclesiæ Budissinæ Canonici in Lusatia, ab Electore Saxoniæ ecclesiastica jurisdictione intercepta, ob constantiam in fide Catholica, inque ejus juribus asserendis ab illius administris male admodum multarentur, cumque iisdem plures jam annos confligerent, ac periculum foret, ne in iis partibus Catholica fides penitus ad exitum deduceretur, effusis precibus ad Gregorium confugiunt, orantes, ut Ecclesiæ suæ damnis periculisque occurrat, quod fiet, si Lusatiana jurisdictio a Misnensi Præsule, qui, fide catholica palam repudiata, Episcopum nihilominus se gerebat, prorsus sejungatur et Catholico administratori permittatur. (*)

(*) Germania Vol. 45, fol. 112.

Sanctissimo Patri ac Domino, Domino Gregorio Tredecimo, Romanæ atque Catholicæ Ecclesiæ Præsidi Vigilantissimo, Domino Nostro Clementissimo.

« Beatissime Pater, post humillima pedum oscula ac fœlicis universalis Ecclesiæ Regiminis precationes. Nolumus Sanctitatem Vram clam sit, quod summa ac extrema nos compellat necessitas, Sanctitati Vestræ ea nota facere, quæ miserabilem Collegiatæ Ecclesiæ nostræ Budissinensis, et totius jurisdictionis Ecclesiasticæ per utramque Lusatiam statum et conditionem concernunt. Quod quidem eum in finem facimus, ut Sanctitas Vestra et jurisdictionis et calamitatum nostrarum plenam ac perfectam habeat cognitionem, atque intelligat, unde dicta nostra jurisdictio et subortæ calamitates et persecutiones sua sumpserint initia, quarum notitiam ubi Sanctitas Vestra habuerit, non dubitamus, quin pro innata sua pietate nos, tanquam orphanos et omni humana ope destitutos, in paternam suam sit receptura tutelam et defensionem. Vigesimus enim primus jam agitur annus, ex quo, piissimi Ferdinandi Romanorum Imperatoris (sanctæ memoriæ) tempore, inter Episcopum Misnensem et Ducem Saxoniæ intercessit Episcopalis sedis Stolpensis et aliorum opidulorum ad eandem pertinentium permutatio. Qua quidem facta, prælibatus Dux non modo ipsam sedem titulo permutationis sibi vindicavit, verum etiam totam jurisdictionem Ecclesiasticam, Episcopali sedi cohærentem, in suam traxit potestatem, non habita ratione earum provinciarum, quæ immediate ad Imperatoriam Majestatem pertinent: optimo enim jure id licere existimavit, eo quod hæc et aliæ provinciæ dictæ Episcopali sedi et ejusdem Episcopi jurisdictioni annexæ et subjectæ erant. Sub cujus quidem prætextu, et occasione diu optata et expectata, in multis vicinis locis ipsam Catholicam ac Orthodoxam religionem per visitatores suos Saxonicos, acerrimos Catholicorum hostes, funditus evertit et extirpavit, ac Lutherana, jam succedente Calviniana, secta introdu-

cta, omnia salubria Episcoporum instituta ac piorum hominum fundationes penitus sustulit. Hinc sequuta est funesta omnium rerum innovatio, Catholicorum Sacerdotum relegatio, ac divinorum mysteriorum et cærimoniarum subversio, nec non miserabilis bonorum, jurium et immunitatum Ecclesiarum totiusque Episcopatus prophanatio, ipsius vero Episcopi pernitiosa a Catholica religione divulsio, ac ejusdem Episcopalis dignitatis amissio etc. Hæc cum Catholicissimo Imperatori Ferdinando per nos palam fierent, nulla ratione tantam audaciam admittendam, multo minus ob tum adductas rationes tolerandam esse, censuit optimus Imperator. Quare habito cum suis Proceris et Consiliariis Regni Bohemiæ desuper consilio, oppurtuniori via huic malo ac imminentibus incommodis et periculis obviari minime posse existimavit, quam si jurisdictio Ecclesiastica per utramque Lusatiam domestico alicui catholico Presbytero regenda committeretur. Hinc ego Joannes Leisentritius Decanus Budissinensis, inter spirituales hujus provinciæ longe omnium indignissimus, per suam Imperatoriam Majestatem ad hoc munus suscipiendum fui deputatus, quod licet propter imbecillitatem mearum virium invitus susceperim, motus tamen amore Religionis Catholicæ, non lucri vel ambitionis causa, sed ob totius Religionis Catholicæ conservationem et retentionem, obque salvandas de manibus impostorum animas etc. acceptavi, ejusdemque functioni gratis et sine omni provisione usque ad hæc tempora meis propriis sumptibus præfui.

« Mortuo autem Catholicissimo Imperatore Ferdinando, tandem Cæsar Maximilianus (recolendissimæ memoriæ) totam hanc patris sui dispositionem, quam circa hujus offitii administrationem ordinaverat, firmam et ratam non modo habuit, verum etiam ejusdem offitii curam mihi clementissime demandavit, serio præcipiens, ut totum Capitulum nostrum una mecum omne studium eo dirigeret, ne visitatores Saxonici consueta eorum audacia in hanc jurisdictionem sese ingererent, et falces suas in messem nostram de facto immitterent, memor dicti illius Poetæ: Quod turpius ejicitur, quam non admittitur hospes. Cui mandato pari promptitudine et submissione juxta virium nostrarum possibilitatem nos accommodare, ac visitatorum prædictorum infestos conatus (Dei adhibita gratia) sedulo impedire studuimus. Apud quos tantam nobis concitavimus invidiam, ut inde periculosæ (præsertim me Decanum) sæpe fuerint secutæ insidiæ, quas tamen mediante divina gratia sedulo evasimus.

« Ex quo autem semel contigerat, quod ego Decanus lætali morbo decumberem et Imperatori Maximiliano desperatus vitæ meæ casus notus fieret, sine cunctatione sua Cæsarea Majestas mandavit Capitularibus nostræ Ecclesiæ, ut citra moram et omnem dilationem post obitum meum alium Administratorem eligerent, aut saltem adhuc me vivente coadjutorem constituerent, qui mihi tanquam valetudinario in administrationis munere adminiculo esset, aut me mortuo, administrationem Ecclesiasticam statim apprehenderet, ut hac ratione visitatoribus et fidei Catholicæ hostibus pernitiosissimis aditus in hanc jurisdictionem eo facilius occludi et impediri posset.

« Postquam autem defuncto Imperatore Maximiliano, ad modernum Imperatorem tanquam filium Catholicissimum imperium devolutum esset, et se in hanc Lusatianam provinciam contulisset, pariformiter hoc administrationis officium mihi Decano non tantum, verum etiam dictæ nostræ Ecclesiæ Capitularibus oretenus singulari quadam cum clementia detulit et demandavit, ac postmodum ad imitationem suorum progenitorum hanc suam gratiosam voluntatem etiam per rescriptum confirmavit.

« Qua itaque ratione horum piorum Imperatorum dispositionibus nomine Sanctitatis V. accesserit authoritas Apostolica, totaque jurisdictio Ecclesiastica per utramque Lusatiam una cum Monasteriolo quodam, in oppido Lauben sito, ordinis Sanctæ Mariæ Magdalenæ pœnitentiariæ, nostræ curæ et regimini commissa sit, testatur Dyploma Reverendissimi Domini Melchioris Biliæ, tunc temporis apud invictissimum Maximilianum (gloriosæ memoriæ) Imperatorem Romanorum etc. Nuncii Apostolici etc., nobis datum et concessum, cujus hisce inclusam Sanctitati Vestræ transmittimus copiam.

« Præterea quam ob prægnantes causas non ita pridem etiam Monasterium Stellæ Mariæ, ordinis Sancti Benedicti, a Sanctitate Vestra subjectum sit jurisdictioni et inspectioni nostræ, Breve Apostolicum ad nos datum (cujus copiam his quoque inclusimus) optime exprimit.

« Nolumus autem Sanctitatem Vestram celare, quod inevitabilis necessitas, immo visitatorum Saxonicorum petulantia quotidianaque et satis pernitiosa invasio, summopere exigat et requirat, ut posteritatis nostræ certam rationem habeamus, et juxta temporis, loci et hujus provintiæ incolarum requisitionem nostros conatus per Dei gratiam eo dirigamus, quatenus hujusmodi Dyploma (si fieri potest) ad verbum confirmatur, ac totum offitium administrationis Ecclesiasticæ per utramque Lusatiam, una cum prædictorum Monasteriorum monialium nobis tradita cura et protectione, ab ipsamet Sede Apostolica, hoc est citra ullum medium a Vestra Sanctitate per spetiale privilegium atque mandatum secundum publicam (ut moris est) formam et patentibus scriptis, authentice corroboretur duas potissimum ob causas.

« Primo: quia Cathedralis atque ingenua olim Ecclesia Misnensis, Mater nostra pientissima, a fide Catholica degeneravit et defecit, unde contingit, quod Elector Saxonicus, in cujus ditione Episcopatus situs est, per suos visitatores urgeat, ut nos et successores nostri voluntati et dispositioni ejus nos conformemus, ubi autem impetraremus, eamque ad manus haberemus, tam Apostolicam quam Imperatoriam authoritatem, possemus eo melius et fœlicius nos defendere, forumque ejus declinare tanquam Catholici, per Sanctissimi Catholicæ Ecclesiæ præsidis authoritatem suffulti et muniti.

« Secundo: ne etiam visitatores ac superintendentes Saxonici haberent tantam occasionem, atque hucusque habuerunt, Ecclesiam nostram Collegiatam (quæ in toto Episcopatu Misnensi semper fuit et erat, atque adhuc est omnium infima et pauperrima) spetioso quodam sub prætextu (quam calamo exprimere reputatio Electoris prohibet) etiam totam jurisdictionem spiritualem invadendi, et varia jura sub titulo Episcopatus Misnensis sibi vendicandi, quibus hactenus magno quidem cum vitæ nostræ periculo, simulque haud parvis laboribus et sumptibus, gratia Dei confortati, usque ad sanguinem nos opposuimus, et violentum ipsorum ingressum impedivimus, prætactam Sanctitatis Vestræ authoritatem et corroborationem Apostolicam magno et ineffabili cum desiderio hanc usque in horam expectantes.

« Agitur enim (ut prædictum et alias notorium est) jam vigesimus primus annus, in quo nulla fere præterierit hebdomada, in qua non oportuerit nos orphanos et acephalos colluctari cum illis invasoribus Saxonicis, et Catholicas partes nostras, quantum fieri poterat, tueri, et hujus mali etiam hodie nullus finis est, nec erit, nisi primo omnium (antequam omnino succubuerimus et nobis adhærentes laici Catholici læthaliter læsi per impatientiam a nobis defecerint, et nos solos reliquerint) per authoritatem Apostolicam a dicto Episcopatu Misnensi juxta libitum Sanctitatis Vestræ separaremur, atque ita separati nos omnes per utramque Lusatiam agentes (exauctorata potestate hæretica) Sedi Apostolicæ vel ejusdem hisce in provintiis Nuncio N. subjiceremur, simul et Reverendissimo Domino Archiepiscopo Pragensi tanquam hisce in partibus Metropolitano (de nobis conservandis alias optime merito) nos commendati maneremus, Apostolicæ Sanctitatis Vestræ tuitionem indesinenter sentientes.

« Idcirco Sanctissimam Benignitatem Vram humillime rogamus et obsecramus, dignetur miserias, necessitates et calamitates nostras paterna, immo vero cum christiana commiseratione ponderare, suoque coadjutorio nobis subvenire atque efficere, ut a Sanctitate Vestra prædictis omnibus debita confirmatio et robur quam citissime adhibeatur, et Lusatiana jurisdictio a Misnensi nunc distinguatur et avellatur, per Catholicum Administratorem regenda nec non clementissime concedatur et indulgeatur, quatenus nobis aliquibus jam valetudinariis existentibus, aut funere (Deus faxit fœliciter) aliquando tectis, posteritati seu successoribus nostris liceat, non modo jurisdictionem Ecclesiasticam per utramque Lusatiam legitime administrare, prædictaque monasteria regere etc., verum etiam cum ejusdem Sanctitatis Vestræ tanquam Sedis Apostolicæ consensu atque ratificatione, juxta expressum serenissimi Maximiliani (piæ memoriæ) et Divi Rodulphi moderni Imperatoris decretorum tenorem, sine cunctatione (necessitate postulante) alium Administratorem Ecclesiasticum ex gremio nostro rite eligere.

« Hac enim et nulla alia via post Dei gratiam, instantibus lætiferis periculis præsentibus et futuris, præveniendum esse re ipsa quotidie experimur. Quapropter iterum atque iterum, immo per Christum oramus, Apostolica Sanctitas Vestra dignetur hanc totam Lusatiam, miserrime alias (proh dolor) afflictam, una nobiscum ex innata sua clementia sibi habere commendatam, et hujus petitionis nostræ vere christianæ votique nos compotes facere, ne inimici nostri adeo dominentur nobis, ponentes nos opprobrium viciniis nostris. Hac ratione ad laudem Dei omnipotentis Ecclesiæque Catholicæ augmentum, nec non proximorum nostrorum utilitatem atque in infinitarum animarum salutem, citra ullam difficultatem in hoc salutifero Catholicæ et Christianæ veritatis tramite atque perseverantia nos conservati, studebimus per omnipotentem Dei gratiam diu noctuque Deum jugiter orare, et impetrare, ut hæc beneficia magno cum vitæ æternæ fœnore redeant ad eandem Sanctitatem V., quæ nos præterea sentiet ad oscula pedum suorum longe omnium promptissimos. Datum Budissinæ die primo mensis Julii anno Domini 1579.

Sanctitatis Vestræ

Humillimi Servi

Decanus, Senior ac totum Capitulum Collegiatæ et Parochialis Ecclesiæ Budissinensis in superiori Lusatia.

XXXIX. — Episcopo Curiensi in Helvetia, ab hæreticis item ac ab præpotenti Saliciana gente vehementer vexato, Gregorius ejus voluntati obsecundans, Episcopum coadjutorem dedit Abbatem S. Galli, virum insigni pietate, ac ecclesiasticæ disciplinæ in pristinum splendorem restituendæ studiosissimum. (*) (*) Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 222. f. 152.

Venerabili Fratri Beato Episcopo Curiensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Jucundissimæ Nobis fuerunt li-

teræ Fraternitatis Tuæ, plenæ pietatis atque erga Nos et Sanctam hanc Sedem observantiæ: cognovimus etiam ea, quæ erant in literis datis ad dilectos filios nostros Cardinales Altaempsinum et Novocomensem: satisfecimus desiderio tuo, semperque omnia libentissime faciemus, quæ quidem tua Ecclesiæque tuæ causa facere Nos posse intelligemus. Cæteris in rebus omnem fidem tribues venerabili fratri Feliciano Episcopo Scalensi Nuncio nostro. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die septima Februarii MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno septimo.

Abbatem deinde ipsum de sua electione, variis ac prope turpibus Helvetiorum artibus conflictatam (*), docet, plurimumque in ejus pietate confidere sese dicit, eum futurum, quem maxime velit. (*)

(*) Mandissa document. n. 2.

(*) Reg. Gregorii XIII. An VII ep 121 f. 151.

Dilecto Filio Joachimo Abbati Sancti Galli.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Fecimus te in consistorio nostro Coadjutorem venerabilis fratris Episcopi Curiensis. Id autem non humano consilio, sed Divina voluntate factum esse pollicetur pietas tua et summus venerabilium fratrum nostrorum S. Rom. Ecclesiæ Cardinalium consensus. Restat, ut omni cura et studio illorum expectationi, nostro judicio et tuo muneri satisfacias. Habes magnam in Diœcesi ista facultatem pietatis exercendæ, conatuumque omnium ad Dei gloriam atque ad animarum salutem conferendorum, quo etiam majora debes Divinæ bonitati. Diriges igitur consilia atque actiones omnes ad eum finem, quem Deo maxime placere intelliges, quamque Nobis proposuit summa de te spes, quæ etiam Nos hoc munus tibi committendum impulit. Sic autem pollicemur, Nos semper tui memores futuros, Ecclesiamque tuam omnibus in rebus quam commendatissimam habituros. Cætera planius cognosces ex venerabili fratre Feliciano Episcopo Scalensi Nuncio nostro, cui omnibus in rebus fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Februarii MDLXXIX. Pont. Nostri anno septimo.

XL. — Cum Episcopus Scalensis Caroli ac Ferdinandi Austriæ Archiducum provincias Helvetiæ finitimas perlustraret, Lucernam etiam in Helvetia adiit et aliquando ibi commoratus est. Quo tempore accidit, ut cum deputatis Helveticorum viris, qui ad habenda comitia in agro Badensi convenerant, crebra de Ecclesiæ patriæque suæ rebus colloquia habuerit: ex quibus comperit, Galliæ Regem per Oratorem suum Solodorenses et Friburgenses, qui ex fœdere Catholicorum erant, muneribus ac pollicitationibus ad fœdus cum Genevensibus ineundum illexisse, qui eis adversus Ducem Sabaudiæ subsidio essent. (*) Gregorius, auditis ab eo fœdis Gallorum consiliis, confestim Lucernenses fœderis Catholicorum Helvetiorum Præsides etiam atque etiam cohortatur, ut cives suos, maxime vero Solodorenses ac Friburgenses a tam turpi exitiosaque conjunctione deterreant. (*)

(*) Mandissa document. N. 2.

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 2. fol. 103.

Dilectis Filiis Helvetiis Catholicis Lucernæ Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Non possumus sine summo dolore et lachrymis ea cogitare, de quibus Nos scribere cogit hominum perfidia, neque facere, quin vos rogemus per Christi lachrymas et sanguinem, ut velitis Nos atque universam Ecclesiam, cujus nomine has literas damus, consolari in re gravissima, in qua Dei gloria atque ipsius Ecclesiæ salus in summum discrimen adducitur. Scitis, nullam esse nationem huic ipsi Ecclesiæ Genevensibus infensiorem, inque ea civitate consilia iniri sacrosanctæ Religionis, quantum quidem in ipsis est, evertendæ, nec quicquam aliud ibi diu noctuque cogitari atque agi, quam quibus machinis possint eam expugnare, et Sathanæ virus, quo ipsi jamdiu imbuti sunt, sanis atque integris propinare et quam lætissime propagare. Quid superioribus annis tentaverint, facile meministis: Nos certe vestræ pietatis ac virtutis semper memores erimus. Volebant cum nonnullis vestris pagis fœdus ferire seque eorum robore atque armis munire: obstitistis nostro rogatu ac vestra pietate, disturbastisque teterrima consilia et conatus. Sed non cessat Sathan suos incendere. Nunc iterum tentant Bernenses, Solodorenses et Friburgenses sibi adjungere; sperant etiam, Regem Christmum ad id fœdus accessurum. Et quamquam persuasum habemus, illum a tali consilio abhorrere, tamen non desunt, qui polliceantur, conenturque pagos illos invitare spe stipendii a Rege persolvendi, ubi Genevenses ipsorum auxiliis uti voluerint. Quo pertineant hæc consilia, quantumque habeant exitii atque indignitatis, nihil opus est vestræ prudentiæ explicare. Rogamus igitur vos, quantum possumus per vestram gloriam, perque Christi sanguinem, ut his tam fœdis conatibus obsistatis, eosque vestra gratia, auctoritate, virtute, ut antea etiam fecistis, disturbetis, pagosque eos, quos diximus, a tali mente dimoveatis, agatisque omnino cum Regis Oratore, qui apud vos est, ut a tali incepto desistat, neve ullam Genevensibus Christi hostibus Christianissimi Regis auxilii spem ostentet; agatis etiam cum Rege ipso, ne patiatur tales de se rumores spargi a sua pietate alienissimos; agetis denique cum omnibus, per quos huic malo obstiti posse intelligetis. Frangetis hoc facto audaciam vestrorum nostrorumque et bonorum omnium hostium, neque eos ex bonorum piorumque calamitatibus cre-

scere patiemini; obstringetisque Nos universamque Ecclesiam vobis beneficio sempiterno. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxx. Maji MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

Eisdem verbis cæteros pagorum Catholicorum Præsides, scilicet Uraniæ, Subsilvaniæ, Sviciæ ac Tugii alloquitur.

XLI. — Episcopus Scalensis, Pontificis monitis in causa Coadjutoris Curiensis ad Lucernenses jam antea transmissis, eandem peculiari hoc scripto denuo commendat, et de eo Episcopatu ex mente et mandato plura disseerit. [*]

[*] Germania Vol. 32, fol. 134.

« Proposita nomine Sm̃i Dñi Nostri pro Episcopatu Curiensi DD. Helvetiis Catholicis per F. Felicianum Episcopum Scalensem etc.

« Singulari fidei vestræ, viri præclarissimi et ornatissimi, pietati, sapientiæ ac virtuti Sancta Sedes Apostolica universæ Ecclesiæ Catholicæ culmen et decus omni memoria tantum detulit, ut vestro auxilio et studiis uti longo jam tempore consueverit, atque in vobis amandis et quocumque potuit beneficiorum genere cumulandis nihil unquam benevolentiæ, amoris nihil prætermissum fecerit. Cujus sane rei honorifica exempla cum vetera tum nova apud omnes Christiani orbis gentes ac nationes ita divulgata, et multorum vocibus usurpata extant, ut in præsentiarum nostra non habeant commemoratione opus. Hoc enim solum præ aliis testis locupletissimi pondus habeat, quod vos ecclesiasticæ libertatis defensores assertoresque honoris causa nominat, quem profecto nobilissimum et gloriosum titulum vobis jam proprium et quasi hæreditarium non verbo solum retinere, sed re ipsa etiam (ut hactenus fecistis) conservare et augere debetis. Id vos alia melius ratione præstare et assequi posse non existimaverim, quam si de Ecclesia catholica bene promerendi nullas occasiones negligatis, cujusmodi multas vobis dies ipsa affert; quotiescumque enim vestra diligentia et fideli opera religioni utilitas aliqua accessura perspicitur, ad vos Ecclesia quam lubentissime recurrit, vestrum exposcit subsidium, vobisque ardua negotia credit et confidit, quos sui studiosissimos et strenuos esse propugnatores longo jam usu didicit. Hinc mirum est, quod Sm̃us Dominus Noster, D. Gregorius divina providentia Papa XIII. erga vos egregie animatus, cum me suum et præfatæ Sedis Apostolicæ Nuncium ad partes Germaniæ superioris destinasset, mandavit, ut vos etiam convenirem, literas Apostolicas ad vos perscriptas redderem, simulque vobis felices rerum omnium successus precarer, et religionem catholicam etiam atque etiam commendarem, præsertim Episcopatum Curiensem, quatenus vestra auctoritate fulcitus, adversus impetitorum vim et offensionem sartus tectus consistere possit. Id cum ea maturitate, qua cupiebam, mihi præsenti per quædam alia magni momenti negotia efficere non liceat, literas Apostolicas ex arce Furstenburgensi, in qua eo tempore Rm̃us Episcopus Curiensis residebat, ad vos transmisi, ac meas quoque in eam sententiam et causam adjunxi, adventu meo in hoc tempus usque protracto. Interea autem cum prædictus Dominus Episcopus Curiensis, variis adversæ valetudinis tentationibus perpetuo conflictatus, magnis necessitatibus Ecclesiæ suæ providere nequeat, prout hæc misera et calamitosa tempora nostra poscunt, in rem et utilitatem dicti Episcopatus initum est consilium, commodum et opportune tractatum, de instituendo Coadjutore viro ad hujusmodi gubernacula tractanda, ac inter multiplices tempestatum sævientium fluctus prudenter dirigenda idoneo et exercitato, qui cum diligenti habita consideratione et accurato examine præmisso, in gremio Capituli dictæ Ecclesiæ Curiensis hac ætate necessariis debitisque partibus ac muneris absolutus et perfectus non extaret, eo res commodissime devenit, ut R. Joachimus Abbas ad S. Gallum fuerit canonice postulatus, et a Sm̃o D. N. statim confirmatus, tum propter viri religionem, zelum, doctrinam, prudentiam, morum facilitatem ac multarum rerum experientiam, quibus ejusmodi administrationem obeundam est instructus, tum propter vicinitatem propinquam et insertam jurisdictionem, cum habeat multa bona, reditus ac decimas non solum contigua et conjuncta Episcopatui Curiensi, verum etiam interjecta atque immixta, tum maxime quod ex vestra gente clarissima natus et vestro fœderi tutissimo ascriptus est, ut alias multas ac magnas commoditates sileam, quæ sese huic operi adjunxerunt, potissimum quod cum Episcopatus Curiensis sit hoc tempore exhaustus, nemo alius occurrat, cui minori Episcopatus gravamine hoc munus demandari possit, quam R. Abbas, cui aliunde honesti proventus et pro dignitate suppeditantur: quibus sane occasionibus factum est, ut olim quoque nonnulli Abbates S. Galli Episcopatui Curiensi præfuerint, a Capitulo dictæ Ecclesiæ postulati, et a Sancta Sede Apostolica confirmati. Siquidem vero timetur, ne qui forte obicem aliquem obtrudant prætendentes, quod non sit natus Rhetus, quominus res tam necessaria debitum et optatum effectum sortiatur, vos Sm̃us Dñus Noster et S. Sedes Apostolica obnixe appellat, cujus has alias novas literas nunc vobis propterea exhibeo; vos Ecclesia Curiensis implorat, vos omnes pii, quibus religionis catholicæ defensio, conservatio ac promotio cordi est, obtestantur, ut auctoritatem vestram apud Dominos Rhetos interponere velitis, quatenus benevole et amice inducantur, ut præfatum Coadjutorem humani-

ter suscipiant et complectantur, et jura sæpe dicti Episcopatus Curiensis, immunitates, libertatem ac res omnes commendatas habere pergatis. Si enim Ecclesia Curiensis vestro destituatur præsidio, tot tantisque adversariorum impetitionibus labefactata, tandem ruet ac dignitatem suam, longa vetustate conspicuam et venerandam, cum nomine amittet: quod ne accidat, vos per Deum immortalem et per fidem vestram, qua Ecclesiæ catholicæ obstricti estis, arcete et summis viribus prohibete; id enim et facere potestis et debetis. Quod si quando Ecclesiæ catholicæ gratificati estis, procul dubio vos nunc rem Deo Opt. Max. charam et acceptam, Episcopatui Curiensi utilem ac salutarem, et S̃mo Domino Nostro ac S. Sedi Apostolicæ longe gratissimam facietis. Neque vero illud obstare posse videtur, quod Coadjutor non sit ex Rhetia oriundus, si quidem satis momenti ac ponderis habeat, oportet, quod ex vestra gente est, cui cum Domini Rheti sint fœdere juncti, jure sociali vos perinde et suos æstimare et habere debeant; imo Domini Rheti ad miseriarum, in quibus Episcopatus est, sublevationem alium meliorem optare sibi non possent.

« Ad hæc exponendum vobis est gravamen quoddam eidem Episcopatui Curiensi valde molestum: nam quo tempore eram in arce Furstenburgensi hac præterita hyeme, ad quam Capitulum Ecclesiæ cathedralis Curiensis convocaveram, fuit D. Episcopus Curiensis per literas a D. Rhetis admonitus, ut debita Episcopatus dissolveret. Quæ cum mihi non essent comperta, scripsi ad prædictos D̃nos Rhetos, ut me de hujusmodi ære alieno certiorem facerent, eisque operam meam abtuli, si quomodo aliqua iniri compositio et inter partes amica transactio fieri posset, a quibus mihi informatio nuperrime per Bavariam ad vos iter facienti transmissa fuit, et significatum, quod in meo Feldtkirchium appulsu missuri sint tres legatos, qui mecum ea de re agant, et negotium componant. Interea mihi transmiserunt indicem debitorum, quorum ut etiam haberem ex parte Episcopatus informationem, exemplum ad Episcopum Curiensem misi, a quo et ab aliis in Monasterio S. Galli hoc responsum accepi: quod cum Episcopo Thoma defuncto et moderno a majori parte Capituli in ejus locum canonice electo, quidam canonicus ex Salicibus D. Bartholomæus b. m., cui aliqua suffragia contigerant, se intrusisset, et ut Episcopatum obtineret, multos sumptus fecisset post confirmationem moderni Episcopi, prædicti D̃ni de Salicibus magnam pecuniæ summam petere et rationem ita factorum sumptuum crediti loco prætendere cœperint, quibus tamen Episcopus nullo jure ac lege se quicquam teneri assereret, nihil persolverit. Eo factum, ut Episcopatus diu a D̃nis Salicibus fuerit molestatus, ac tandem de utriusque partis libero consensu et voluntate vestro judicio et sententiæ hæc causa permissa, in qua vestri oratores ita transegerint ac decreverint, ut utraque pars æque acquieverit. Verum quod Domini a Salicibus hactenus hujusmodi tractationi et compositioni morem non gesserint, cum tamen per Episcopum nihil steterit, quominus ea ad effectum adduceretur, quare S̃mi D̃ni nostri nomine a vobis instanter petitur, ut cum prædictis Dominis a Salicibus et iis, qui illorum partes fovent, agatur, quatenus in hac causa vestro decreto et sententiæ stare velint, vel si magis expedire videbitur, ut causa denuo cognoscatur, et ad debitum finem absque neutrius partis gravamine perducatur, quem Dominus Episcopus Curiensis pro parte sua (ut spero) nihil remorabitur; cum autem ad me supradicti oratores Feldtkirchium concedent, partes meas quoque interponam, idemque efficere studebo. Hæc sunt quæ pro Episcopatu Curiensi exponenda S̃mi Domini Nostri mandato habui. »

Eos præterea monet, ut curent, Basileenses ab Talmudi libris typis excudendis avocare, res Basileensis Episcopatus sartas tectas esse velint, ejusdem Antistitem a Protestantibus pluribus exagitatum molestiis in catholicum fœdus recipiant, Solodorenses ac Friburgenses a societate cum Genevensibus conjungenda prohibeant; denique cum Præsulibus locorum comparent, quanam ratione tam misere perditeque affectæ Cleri ac Cœnobiorum disciplinæ mederi possint. [*]

[*] Germania Vol. 32. fol. 216.

« Postquam vobis, viri præclarissimi et ornatissimi, jam exposui, quæ de Curiensi Episcopatu a S̃mo D̃no Nostro in mandatis habui, superest quoddam negotium magni sane ponderis, quod ut S̃mum Dominum Nostrum valde angit, ita vestram etiam fidem, pietatem ac diligentiam in eo Sanctitas Sua magnopere requirit et efflagitat. Agitur Basileæ de Talmud libro Mahumetano omnium iniquissimo ac pestilentissimo in lucem emittendo, estque jam, ut arbitror, præ manibus ac multorum studiis promovetur, cujus impressio, nisi vestra auctoritate ac sapientia impediatur, reipublicæ christianæ nihil utilitatis, damni multum afferet. Cum enim in eo libro nihil ferme aliud contineatur, quam diræ et execrandæ blasphemiæ in Deum, Sanctos ejus, et Ecclesiam, religionis christianæ et tranquillæ pacis perturbatio ac depravatio, et bonorum morum corruptela, indignum est, turpe ac perniciosissimum hujusmodi volumen non modo divulgari, verum etiam in christianorum cœtu et manibus versari. Neque enim ea cautione satis provisum videtur, quod sit quidam adhibitus, qui librum hujusmodi erroribus et blasphemiis purget; nam ita est contumeliis et opprobriis contra divinam gloriam ac majestatem sparsus et refertus, ut satius sit supprimi

quam quomodocunque emendatum in publicum emitti. Huc accedit, quod is, qui correctioni præest, sectæ (ut fertur) Calvinistarum, quia prava sit religione imbutus et hæresis veneno infectus, maleque de sacrosancto Eucharistiæ sacramento, et Ecclesia atque omnibus Sanctis Dei sentiens, facile hujusmodi erroribus et blasphemiis etiam contra sanctissimam Trinitatem subscribet ac favebit. Quare a vobis Sñus Dñus Noster etiam atque etiam petit, ut apud Dominos Basileenses magno conatu instetis, ac quasi vestra sponte patria charitate adducti, qua polletis, prudentia, circumspectione et studio persuadeatis, ut ab ejus libri impressione abstineant, hujusmodique opus igni potius tradant, quam inter christianos prodire patiantur, quia ejus impressionis occasione verendum sit, ne status religionis in majus discrimen periculumque vocetur, et patriæ tranquillitas miris modis perturbetur, Trinitariorum erroribus iis, quæ nunc extant hæreses, auctis, ut superioribus annis in quibusdam Poloniæ ac Transylvaniæ partibus sive confinibus, aliisque locis non sine gravi offensione ac damno accidit. In hoc opere egregio rem vestra pietate et existimatione dignissimam, Deo immortali gloriosam, Ecclesiæ Catholicæ illustrem ac patriæ vestræ et universo orbi christiano salutarem facietis.

« Secundo, cum Sanctissimus Dñus Noster etiam acceperit, Episcopatum Basileensem a Dñis Basileensibus et Bernensibus molestari et infestari, vobis Episcopatum illum etiam atque etiam commendat, quatenus vestro præsidio et opera tutus, et a molestia atque infestatione immunis servetur.

« Tertio, ut ad aures Sñi Domini Nostri pervenit, Dominos Solodorienses socios vestros urbis Gebennensis hæresum sentinæ ac perditorum hominum receptaculi defensionem ac patrocinium suscepisse, ægerrime tulit, præsertim cum sciat eos, dum vobiscum sociale fœdus inirent, sancte promisisse, quod absque scitu et consensu vestro nihil innovaturi sint. Quare Sua Sanctitas a vobis petit, ut eos admoneatis, et efficiatis, quatenus susceptum patrocinium dictæ urbis deponent, et hujusmodi civitatem Deo et Ecclesiæ exosam missam faciant, nec fidem ac pietatem suam tam iniquo facinore prophanent.

« Postremo loco, quod proponam, hoc habeo, ad Sñum Dñum Nostrum esse perlatum, quod in his partibus vestris presbyteri magna fere ex parte concubinas contra institutum et dignitatem ecclesiasticam publice alant, et in quibusdam monasteriis tam virorum quam mulierum parum religiose vivatur, cum apud moniales quidem votum paupertatis non servetur et clausura negligatur, ingressu non modo mulieribus, verum etiam viris ad cibum una capiendum et pernoctandum patente, ac monialibus ipsis permisso quo volunt egressu, quarum etiam aliquæ non simul, sed seorsum cibum sumunt, quod quam repugnet virginali decentiæ, regulæ ac professioni illarum, vobis considerandum relinquo. Apud monachos vero quidam ex Prælatis concubinas et liberos habeant, ac se nimis imperiose gerant, quasi non administratores, sed domini sint, commessationibus ebrietatique indulgeant, et conventualibus suis a vita regulari deflectentibus multum conniveant et obsecundent. Ex quibus sane rebus cum plurima et gravia incommoda emergere ac disciplina ecclesiastica paulatim collabi possit, vos S. S. monendos et adhortandos existimavit, ut pro singulari zelo et religione, qua in Ecclesiam propensi estis, cum ordinariis et aliis superioribus illorum agatis, quatenus hujusmodi abusus tollant ac de opportunis remediis provideant, et ad hoc exequendum illis vestrum auxilium præstetis, quatenus status ecclesiasticus ac monastica disciplina in pristinum splendorem restituantur ac recte conserventur. Quod vobis summo erit honori et magno apud Deum merito: qui vos et res vestras protegat, fortunet, ac gratia sua cumulatissime augeat. Quidquid autem in me est ingenii vel studii, id totum, cum opus erit, in vobis ornandis quam libentissime conferam, tum propter religionem ac virtutem vestram, tum etiam ob singularem benevolentiam, qua me suscepistis et complexi estis, cujus in me perpetua vigebit memoria.

XLII. — Lucernensium Præsides gratissimo animo et mandata Pontificis et Episcopi Scalensis consilia exceperunt, seque ad singula, quæ curanda iis erant commissa, pro viribus adnisuros responderunt. [*]

[*] Germania Vol 24. fol. 238

Responsum sex Cantonum Catholicorum Helvetiorum, Lucernæ, Sylvaniæ, Uraniæ, Svitiæ Tugii et Solodori ad proposita R. D. Nuntii Apostolici.

Summa responsionis, quam Magnifici DD. Scultetus et Senatus Lucernensis dederunt Reverendissimo in Christo Patri ac DD. Feliciano Episcopo Scalensi, et Sanctæ Apostolicæ Sedis Nuncio per Germaniam superiorem ad petitionem ejus voce et scripto ipsis Dominis propositam in vigilia Pentecostes anni 1579.

« Cum ejusdem postulata hisce præcipuis punctis continerentur:

« Primum quoad tutelam et conservationem Episcopatus Curiensis, ejusdem interitum excidiumque, æs item alienum et exactionem Salicensium.

« Deinde ob provinciam Coadjutoris ejusdem Episcopatus, pro qua delectus erat D. Abbas cœnobii S. Galli, ut eventum illa quidem ac successum haberet.

« Tum nefandi ac hæretici cujusdam libri

causa, qui Basileæ typis est mandatus, ut hoc impediatur.

« Præterea de Episcopatu Basileensi, qui a Bernensibus et Basileensibus infestatur, ut is commendatus habeatur.

« Ad hæc ut media cogitarentur, quibus chari nostri confœderati et concives Solodorenses a proposita defensione civitatis Gebennæ possent abduci.

« Postremo quoad reformationem cœnobiorum et religiosorum hominum utriusque sexus, et tollendum concubinatum sacerdotum.

« Ad singula responsum est præfato Domino in hunc modum.

« Imprimis magna lætitia gaudioque perfusi MM. DD. sunt de Sanctitatis ejus clementissima paternaque voluntate, favore et charitate, quam ut semper ita hactenus ostendit, tamque piam in ipsis spem collocavit, quibuscum de tantis negotiis (quemadmodum et ipse nunc Rm̃us Nuntius) conferret, eosque hortaretur. Idcirco se, tum etiam ob tam clementem Rm̃i Nuntii visitationem erga Sanctitatem ejus, tanquam membra subditosque filios sanctæ christianæque Ecclesiæ ac Apostolicæ Sedis, debitis in obsequiis et obedientia omni cum submissione et grati animi significatione, quanta possunt, confitentur et humiliter subjiciunt. Gratias vero habent peramicas ipsi Rm̃o Nuntio sigillatim ob hanc visitationem ejus, et benignum studium benevolentiamque exhibitam, vicissim ejus Reverendissimæ Dominationi, sed imprimis honorifice præmemoratæ Sanctitati Pontificiæ, et Apostolicæ Sedi obsequium omne debitum et virilis suæ partis, quanta est, officia, honorem amoremque pollicentes atque adeo submisse supplicantes, Sanctitas ut ejus tam paternam erga ipsos voluntatem hucusque præstitam conservet, et eos tanquam filios obedientes omni tempore commendatos habeat.

« Jam vero quoad Episcopatum Curiensem MM. DD. nostri Rm̃um D. Nuntium celare nequeunt, ipsos se (idque sine arrogantia) non solum Sanctitatis ejus et Reverendissimi ibidem Episcopi solicitatione, sed sponte quoque sua, voluntate propensissima lapidem omnem movisse, diligentiam, laborem et operam adhibuisse quantam maximam, nulla habita ratione sumptus, pro defensione et conservatione ejusdem Episcopatus. Idipsum in posterum agitare pro viribus se paratos ac benevolos ostendunt, quin etiam præstolaturos et observaturos recipiunt, quidnam Domini Rheti die constituto et amice indicto ipsi Reverendissimo Nuntio hac de re, tum etiam de debitis, quæ Salicenses exigunt, tractaturi sint, et causæ provisuri. Quod si forsitan æquo jure contenti seu decretis coram xm. catholicis Helvetiæ partibus scitis stare nollent, libenter cum junctis fœdere sociis reliquis juvare velle hac in causa, eique providere, et cum DD. Rhetis agere, fidem ut servent decretis, scitis, constitutionibus, literis ac sigillis ejusmodi, neque Rm̃um D. Episcopum et Episcopatum hisce de rebus amplius exagitent ac molestent.

« Simili modo ad Coadjutoris munus omnem applicare volunt industriam et instantiam, ut Rheti voluntatem suam et consensum edant.

« Quod ad librum illum maledicum et hæreticum attinet, qui Basileæ sub prælo est, cum reliquis catholicis partibus impigre velis remisque, ut dicitur, (nulla mentione Sanctitatis ejus et sui Rm̃i Nuncii, sed per se ac suo tantum nomine) conabuntur efficere, ut impediatur ille ac supprimatur.

« Atqui ratione Basileensis Episcopatus, cum MM. DD. nostri pericula Episcopatus ejus advertissent, ipsum pio motu tanquam catholici ferventesque christiani jam suum in patrocinium ac tutelam receperunt: eam sane divinam et justam causam nomini quoque suo et eulogio conformem judicantes, cum reliquis catholicis partibus egerunt diligenter, idem ut facerent; id quod jam tres partes Svicia, Urania et Sylvania secutæ sunt, speramus et ceteros itidem esse facturos.

« Modo quod defensionem Gebennensem concernit, MM. DD. nostris maximopere displicuit et dolori fuit, quod chari nostri confœderati et concives Solodorenses talem in causam venerint. Neque vero desistent, præsertim accedentibus cæteris catholicis partibus, omnem operam et conatum applicare, ut ab hac sententia rursum dimoveri possint.

« Porro de reformatione cœnobiorum ac religiosorum hominum habent MM. DD. nostri duo solum cœnobia virorum sub sua potestate, unum de familia S. Francisci propria in civitate, alterum S. Bernardi seu Cisterciensis ordinis in sua ditione S. Urbani dictum; quatuor deinde monasteria virginum in sua ditione, ex quibus duo itidem jam dicti ordinis Cisterciensis, uni nomen Eberseck, alteri Rathusen est, tertium S. Augustini quod Eschenbach appellatur, quartum denique religionis S. Dominici Newenkilch. Atqui hactenus severos et diligentes se præstiterunt erga eos, urgendo serio ac instando, leges atque pœnas rogando, quantum ipsis par erat et conveniebat, in tollenda hac offensione vitæ elaborarunt. Nihil enim ducunt antiquius et malunt, quam idipsum ut fiat et eveniat, quod Rm̃us D. Nuntius intendit et postulat; Sanctitasque ejus aut ipse D. Nuntius superioribus provincialibus eorundem cœnobiorum, aut visitatoribus imperet majorem adhibere visitandi ac puniendi severitatem, quam alioqui soleant. Quantum vero MM. DD. nostri seculari jurisdictione aut sacrorum magistratuum imperio sibiva concessis privilegiis possunt, ad gloriam Dei

et religiosæ vitæ statum procurandum nihil sane prorsus negligent. Ita etiam in cæterorum clericorum suæ quidem civitatis et subjectæ ditionis frugem et emendationem hactenus serio incubuerunt, præsertim in abolendo sacerdotum concubinatu, Bullæ Pontificiæ et mandato hanc ob rem ad vii. catholicas partes olim misso obtemperarunt: illumque prorsus apud suos sacerdotes suaque civitate et ditione profligarunt. Neque ullum talem noverunt, ut ipsemet D. Nuntius procul dubio comperit et vidit; ab eoque Sanctitas ipsius in hoc et aliis, quæ apud Rmum D. Nuntium a MM. DD. nostris de dicta reformatione, et ab iisdem expetita et necessaria visitatione ordinarii fusius tractata sunt, et quomodo res omnes religionis cultusque divini ac similium causarum apud eosdem MM. DD. habeant, facile potest informari.

« Præterea MM. DD. nostri curam quam maximam susceperunt, et omni ope sunt enisi apud reliquas catholicas partes per se ac medios ecclesiastici magistratus propræsides Constantiæ, ut ejusmodi quoque reformatio sequeretur. Id quod aliquamdiu fuit in mora, præterque apud Friburgenses, qui illam, ut certiores facti sumus, quoque decreverunt. Utque res deinceps in iisdem locis procederet, exploratum habet Reverendissimus D. Nuntius, quod ejus Rmæ Dominationi suggestum, quæque media præscripta sint apud dictas partes agendi. Ad id suam quoque navabunt operam MM. DD. nostri, ut in opus aliquando exeat et lucem. Non deerunt item MM. DD. nostri restaurationi cœnobiorum et clericatus, quantum ipsorum quidem potestas valet ac permittit. et quemadmodum supra diximus, ipse ordinarius et superiores cœnobiorum ac visitatores in mandatis habuerint, monitique fuerint, aut alias suppeditaverint et MM. DD. nostrorum auxilium ad hæc imploraverint, non in sua tantum regione, verum etiam in reliquis terris et præfecturis, quæ cum ipsis tum reliquis catholicarum partium magistratibus generatim subditæ sunt, omnes nervos contendent, ac id omne perficient, quod fervidos catholicosque christianos homines deceat.

Renwardus Cysatus Archigrammateus Lucernensis.

« Simile responsum fere Sylvaniæ, Uraniæ, Svitiæ et Tugu datum fuit eidem Nuntio.

« Licet autem ita respondissent, ut præmissum est, quia etiam in more habent, ut in communibus negotiis nihil agant, nisi dicti cantones prius inter se convenerint, et de modo procedendi constituerint, adjecerunt, se legatis, quos ad proxima comitia Badensia sunt missuri, negotium daturos, ut consultationem desuper instituant, et de rationibus deliberent, quibus ea ad optatum effectum adduci posse existimentur, quatenus Sanctissimi Domini Nostri piæ menti satisfiat. Prædicta vero comitia die ultima hujus mensis Junii inchoabuntur.

« Solodorienses, ad quos D. Nuntius scripsit, ut etiam ad Friburgenses, cum valetudine impedito eo proficisci non liceret, responderunt die 28. ejusdem mensis, se iis, quos ad dicta comitia ablegabunt, mandaturos, ut cum legatis aliorum cantonum catholicorum conveniant, et de bono supradictarum rerum effectu consulant ac statuant.

XLIII. — Eosdem obsequentissimi animi sensus cæteri Helvetiorum delegati viri, qui Comitiis Badensibus interfuerunt, Pontificis Legato aperiunt, utut Cardinali Comensi refert. [1]

[1] Germania Vol. 32 fol. 291

« Informatio ultimi responsi accepti in Comitiis Badensibus a Legatis sex Pagorum Helvetiorum Catholicorum ibidem congregatis ad ea, quæ proposuit Episcopus Scalensis, Nuntius etc.

« Cum die III. Julii hujus anni MDLXXIX. ego Fr. Felicianus Episcopus Scalensis etc. post meridiem Badenas appulissem, ubi comitia actualiter celebrabantur, curavi oratoribus Helvetiorum catholicorum significari, ut me adversa valetudine domi constrictum accedere dignarentur, quod se facturos completo consilio polliciti sunt. Itaque vesperi me convenerunt oratores sex Cantonum Lucernæ, Uraniæ, Sylvaniæ, Svitiæ, Tugii ac Friburgi, cum Solodorienses nondum appulissent: a quibus apud me congregatis præmissa utrinque familiari salutatione postulavi, ut de articulis, quos cuilibet Cantoni Sanctissimi Domini Nostri jussu proposuissem, de communi sententia die sequenti mane in consilio deliberarent, ac responsum darent, cum ego tum propter valetudinem, tum etiam propter negotia Feldtkirchii gerenda, quæ longiorem moram non ferunt, diutius manere non possem: qui licet indicassent se cupere, ut Solodorienses quoque expectarentur, intelligentes quia non erant venturi ante diem lunæ, ne diutius ibi supersederem, constituerunt inter se sequenti die mane tractare, ac petitioni meæ satisfacere, certam spem afferentes de Solodoriensibus in eandem sententiam conventuris. Deinde orator Friburgensis me suorum nomine officiose salutavit, et indicavit se habuisse in mandatis agendi cum aliis circa prædictos articulos a me propositos, quatenus Sanctissimi Domini Nostri voluntati plene satisfiat.

« Die sequenti convenerunt in loco consilii, et rebus inter se diligenter consideratis juxta mandata et instructionem Dominorum suorum, omnes ad me redierunt paulo ante prandium, et ad singulos articulos distincte responderunt.

« Primum ingentes gratias egerunt Sanctissimo Domino Nostro, quod per literas et proprium Nuntium voluerit eos invisere ac pater-

num suum amorem declarare, Suæ Sanctitati afferentes etiam ipsi filialem obedientiam debita cum humilitate ac submissione, et orantes, ut Suæ Sanctitati commendati sint.

« Quod attinet ad Episcopatum Curiensem, non minus diligenter imposterum protegent ac defendent, quantum in ipsis erit, quam hactenus fecerint, tum sua sponte, tum maxime accedente Suæ Sanctitatis voluntate ac jussu, cum etiam intelligant, necessitatem dictæ Ecclesiæ id maximopere requirere.

« Circa debita Episcopatus Curiensis admirati sunt, rem adhuc esse controversam, cum jam pridem partes suas interposuerint, et negotium hoc amicabiliter composuerint de partium voluntate et consensu. Nec ideo tamen desistent cum Salicibus suisque fautoribus agere, ut Episcopatum in pace relinquant. Verum cum certiores facti sint, tres oratores Rhetorum Feldtkirchium ad me venturos, eam ob causam expectabunt, quid inter nos constituetur, tum deinde si Episcopo opus esse videbitur, iterum agent cum Rhetis, ut in dicta transactione persistatur, ac tandem finis tantæ molestiæ imponatur.

« Quoad negotium Coadjutoris parati sunt illud apud Rhetos promovere, quantum possunt, si modo de tempore et modo, quibus id aggredi et præstare expediat, ab Episcopo certiores fiant, quod Episcopus bene considerare debet, quatenus res felicem successum sortiatur, ut nullus tumultus concitetur.

« De impressione libri Talmud Basileæ impedienda nihil adhuc tractare potuerunt; siquidem oratores Basileenses nondum advenerant, quam primum tamen appulerint, cum illis agetur. Interea orator præcipuus Uraniensis retulit, se ex quodam Basileensi non postremi loci homine Uraniam transeunte de illo libro requisivisse, qui responderit, jamdiu librum fuisse impressum, et duas vecturas in quadragesima præterita Franckfurdiam ad mercatum deportatas; librum nihil aliud continere quam leges et ritus Judaicos, in cujus rei signum Judei multa emerint volumina, nec Basileensium jussu et cura, sed quorundam Curialium Imperatoris fuisse impressum: antequam eo tamen mitteretur, a catholicis viris et aliis novæ religionis hominibus revisum, ac purgatum ab omnibus blasphemiis contra Deum, Ecclesiam et Sanctos: ita quod si ea impressio erat impedienda, id ante annum factum oportuisset. Quod autem Curialibus Imperatoris id imputetur, vix possum adducere, ut crediderim, nisi forte aliqui ex Universitate Viennensi procuraverint, ubi nonnulli gaudent titulis Curiæ Imperatoris, inter quos est quidam perversus hæreticus Paulus Fabritius, qui se in operibus suis Mathematicum Imperatoris nominat. Quomodocunque sit, cum appulerint oratores Basileenses, cum illis tractabunt, ac me certiorem de toto negotio reddent.

« De suscipienda protectione Episcopatus Basileensis publice dixerunt, majorem partem Cantonum catholicorum jam consensisse, et id secreto affirmaverunt de omnibus, Unanienssibus exceptis, quorum orator a me ab aliis admonito iterum commonefactus ac solicitatus promisit summum studium, quatenus sui idem præstent.

« De Solodoriensium protectione et societate cum civitate Gebennensi exposuerunt, Dominos suos magno affectos dolore imposuisse, ut rationem ineant, quatenus ab ea revocentur; sed caute et prudenter est agendum, ne potius conturbentur et frangantur, quam ad referendum pedem inducantur.

« Quoad reformationem utriusque sexus monasteriorum et cleri, non solum libenter præbebunt auxilium et opem, sed etiam vehementer optant, ut ea fiat, petuntque, ut cum Ordinariis efficiatur, quatenus eam præ manibus arripiant et ad effectum adducant, quibus se necessarium auxilium porrecturos affirmant. De concubinis amovendis jam negotium fere omnes instituerunt, ac diligenter persequuntur, ita ut brevi omnes pellendas sperent. Difficultatem vero magnam patiuntur a quibusdam sacerdotibus circa executionem, qui producunt, ut hæc reformatio prius inchoetur in Ecclesia cathedrali Constantiensi a Canonicis, quorum aliqui non una contenti, duas ac tres concubinas habeant, qui si reformationem admittant, se quoque idem quam lubentissime facturos promittunt. Proinde rogant Domini oratores Cantonum catholicorum S. et Reverendissimum Ordinarium, Illustrissimum Cardinalem Altempsium, quatenus inter majores hæc reformatio quamprimum instituatur, quod cæteri hujusmodi exemplo facillime inducentur. Et quam Lucernenses et Uranienses me in testem appellassent, quod jam curassent concubinas suorum sacerdotum ablegari, orator Friburgensis adjunxit, suos quoque Dominos idem effecisse, imo etiam quod absente Episcopo Lusanensi Ordinario suo, qui Bizantii degit, Præposito et Decano collegiatæ Ecclesiæ suæ mandaverint, ut totum clerum visitent ac reforment, qui etiam nunc in opere sint. Ad quæ cæteri dixerunt, suos quoque Dominos de concubinis cleri idem facere instituisse, ac jam incepisse. Post hæc subjunxit orator Friburgensis, quod licet Episcopus Lusanensis Ordinarius fuerit a Bernensibus civitate Cathedrali privatus, habeat nihilominus sub sua jurisdictione spirituali totam ditionem Friburgensem, et partem agri Solodoriensis, proinde Friburgenses optarent, ut in civitate sua resideret, ubi est Ecclesia collegiata, quia conduceret præsentia Episcopi ad conservandum populum in fide catholica, et clerum sub disciplina retinendum, quod facile fieret, si Sanctissimus dignaretur aliqua beneficia in illis

partibus consistentia Episcopatui pro sustentatione Episcopi applicare.

« Post hæc cum prandium apud me supradicti oratores et nonnulli alii Helvetii cepissent, et digressuri essent, ea omnia confirmarunt, quæ prius dixerant, at discedentibus remansit mecum solus orator Friburgensis, qui multa repetivit de anteactis negotiis, ac suos Sanctissimo Dño Nostro et Sedi Apostolicæ iterum commendavit.

« Legati vero prædictorum sex Cantonum catholicorum ad hæc comitia Badensia destinati sunt hi: Lucernensium duo Ludovicus Pfiffer Scultetus et Rochus Helmli; Uraniensium unus Joannes Zum Brunnen Landtamanus; Sviccensium unus Christophorus Schornus Amanus; Subsylvanensium unus Amanus Schonenbuel; Tugensium unus Meynberg designatus regionis Præfectus in Rynthael; Friburgensium unus Ludovicus de Affri Scultetus.

XLIV. — Id solummodo Basileensibus ægre fuit, quod ipsis editio Talmudi interdicta. Qua de re cum et ipse Cæsar valde iis succensuisset, eundem supplici libello adeunt, flagitantes, ut typographo hoc opus cudendi atque absolvendi facultas fieret: ex quo, ipsi ajebant, tam longe abesset, ut incommodi quicquam christiana fides esset acceptura, sed imo plurima inde commoda foret perceptura. (*)

(*) Germania Vol. 13. fol. 190.

Serenissime, Potentissime et Invictissime Imperator.

« Humillima ante omnia et deditissima obsequia nostra Cæsareæ Majestati Vestræ offerimus. Quod Cæsarea Majestas Vestra iterum ad nos propter Talmud apud nos excussum scripsit atque postulavit, illud promptissime legimus ac percepimus: sed nulla sane ratione, neque nos neque typographus noster Ambrosius cognomento Frobenius putassemus, nos post plenissimam informationem Cæsareæ Majestati Vestræ propter supradictos libros a nobis factam, tales litteras, quales jam in forma et modo accepimus et legimus, habituros: quin potius plane confidebamus, cum in supradictorum librorum correctione et emendatione nihil aut omissum aut studio neglectum sit, sed summa et omnis diligentia atque cura fuerit adhibita, Vestram Cæsaream Majestatem illa informatione contentissimam fore: quoniam vero super hæc omnia a nobis Cæsarea Majestas Vestra clementissime cupit, ut primo quoque tempore aliquod illius Talmud exemplar transmitteremus, nos etiam absque mora cuivi atque typographo nostro serio implendum injunximus atque mandavimus, ut Cæsareæ Majestati Vestræ voluntati hoc in negocio faciat satis. Quod ille se facturum nobis est pollicitus, sperans, si a viris doctis et linguæ Hebraicæ gnaris inspiceretur et judicaretur, nihil nocui aut scandalis, sed multum utilitatis et fructus repertum iri; nullo enim modo (Cæsarea Majestas Vestra clementissime credat) permittemus, aliquid excudi in Civitate nostra, si cognosceremus, quod ex illo aut malum esset oriturum, aut Christiana religio detrimentum aliquod sumptura. Præterea plane credimus, quandoquidem Talmud hoc, quod modo sub prælo manibusque habemus, sicut illud apud nos impressum a Veneto Inquisitore correctum et emendatum est, nihil ibi relictum esse, unde malum Reipublicæ Christianæ aut grave damnum esset timendum; quapropter Cæsaream Majestatem Vestram humillime etiam atque etiam rogamus, ut inspiciendo qualemcunque nostram de toto hoc præsenti negocio informationem, et civium etiam futurum studium in hoc typo clementissime sit contenta, et præfatum typum tanquam innocuum admittat; eamque ob causam Vestra Majestas Cæsarea dignetur se erga nos clementissime resolvere: nos vero quibuscunque officiis atque obsequiis Cæsareæ Majestati Vestræ gratificari poterimus, id paratissimo animo faciemus, responsum clementissimum a Cæsarea Majestate expectantes. Datæ Basileæ 25. Julii 1579.

V. C. M.

Deditissimi

Consul et Senatus Civitatis Basileæ.

XLV. — Gregorius cum ab Episcopo Scalensi accepisset, quanto in desiderio Helvetii essent, quantaque necessitas urgeret eorum Clerum reformandi, hujus rei curam Jo. Francisco Bonhomio Episcopo Vercellensi, viro spectatissimo, mandavit, quem propterea nomine atque auctoritate Nuntii Apostolici ornavit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII An. VIII ep. 2 f. 183.

Dilectis Filiis Septem Pagis Helvetiorum Catholicorum Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Mittimus ad vos Nuncium nostrum venerabilem fratrem Joannem Franciscum Episcopum Ecclesiæ Vercellensis, virum gravem et singulari probitate, fide, integritate, prudentia præditum. Non dubitamus et hominem ipsum et munus fore vobis pro vestra pietate gratissimum. Habebitis eum præsto ad omnia, quæcunque poterit vobis præstare ea potestate, quam ei impertivimus. Vestrum etiam erit hominem ipsum et causam vestra humanitate atque opera omnibus in rebus, quæ ad Dei gloriam pertinebunt, amplecti, nostramque hoc facto erga vos charitatem, quæ semper fuit paterna, agnoscere, omnibusque in rebus, de quibus Episcopus vobiscum aget, omnem ei fidem tribuere. Deus benedictus semper vos tueatur, cumuletque sua gratia atque omni felicitate. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Pisca-

toris die XXVII. Maji MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

XLVI. — Hujus Nuntii adventum uni Sedunenses quodammodo ægre tulerunt; nam Protestantes suis artibus et calumniis in suspicionem eos adduxerant, id propterea fieri, quod Pontifex eorum libertatem ac privilegia vellet imminuere. Itaque Gregorius his litteris ab suis animis præjudicatas opiniones eos dimittere jubet, et monet, ut suum Nuntium omni officiorum genere prosequantur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 86 f. 221.

Dilectis Filiis Balivo et Senatui Valesio.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil unquam optavimus magis, quam ut vobis perspectus esset noster animus et paterna erga vos charitas, cognovissetis, quanto desiderio teneamur vestræ tranquillitatis et salutis, quamque vobis his nominibus omnia a Nobis parata sint, quæ quidem præstare possumus ea auctoritate et potestate, quam Nobis nullo nostro merito tribuit Dei misericordia, quam etiam auctoritatem et agnoscere et venerari vos exploratum habemus. Hæc charitas effecit, ut mandaremus venerabili fratri Episcopo Vercellensi, Nuncio nostro, præstanti pietate et prudentia prædito, ut ad vos iret, eoram salutaret eamque, quam his litteris ascribimus, Apostolicam benedictionem præsens impertiret, videretque si quid esset, in quo nostra atque Apostolica auctoritate posset vestræ optimæ voluntati satisfacere et Dei gloriæ inservire. Quo quidem desiderio ut vos perfecta charitate complectimur, sic debetis hanc ipsam charitatem agnoscere, Nunciique nostri adventum exoptare, neque existimare ejus adventu vestram libertatem violatum iri; ea enim vere libertas est, quæ hujus Sanctæ atque Apostolicæ Sedis auctoritati subjecta est. Ipsi si ad vos iremus, num Nos ideo excluderetis, quod nullus unquam Romanus Pontifex istuc accessisset. Nunc autem tam longo disjuncti intervallo mittimus virum prudentem et gravem, perque eum visitare vos cupimus, ac si quid opus erit vestris commodis inservire; nihil igitur est, quod ullam vestræ libertatis aut privilegiorum imminutionem pertimescatis. Pecuniarum vero calumniam, qua malevoli voluerunt virum optimum onerare, hacque eum macula aspergere, res ipsa confutabit; nihil enim unquam tale egit, neque facturus est. Speramus, ejus adventum non minus vobis, quam cæteris, ad quos pervenit, gratum et jucundum futurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Octobris MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

Sedunensium quoque Præsuli Gregorius mandat, ut Vercellensi Episcopo istuc advenienti suos optime animatos præbeat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 87. f. 222.

Venerabili Fratri Ildebrando Episcopo Sedunensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Certiores facti sumus, dilectum filium Balivum et Senatum Valesii graviter accepisse de venerabilis fratris Episcopi Vercellensis Nuncii nostri ad se itione. Mirati sumus. Itaque ad eos scribimus ostendimusque, quod sit nostrum consilium, quamque longe ab ipsorum suspicione alienum. Neque enim alia de causa Nuncium nostrum ad eos mittimus, nisi ut, si quid erit, in quo possit ipsorum commodis optimæque voluntati et Dei gloriæ inservire, utantur ejus opera atque nostra, quam a Deo acceptam ei impertivimus, auctoritate, neque periculum ullum est, ne ipsius adventu eorum libertas aut privilegia imminuantur. Gratissimum Nobis erit, si Fraternitas Tua hoc illis persuaserit, effeceritque, ut Nuncius noster non minus libenter ab ipsis videatur, quam visus fuit ab aliis, ad quos pervenit. Speramus, ipsos ex ejus præsentia atque opera magnum suæ humanitatis in eo recipiendo fructum percepturos. Tua etiam Fraternitas summam ei fidem tribuet, habebis hominem prudentem et Dei gloriæ cupidum, libentissimeque, ubi opus fuerit, sua operа nostraque auctoritate tuum munus allevantem; quod quidem tibi gratissimum fore non dubitamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Octobris MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

Uraniensibus tandem Gregorius persuadere contendit, ut Episcopum Basileensem, id summopere petentem, secum in fœdus recipiant. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 61 f. 226.

Dilectis Filiis Helvetiis Catholicis Pagi Uraniæ Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Vestram amicitiam a bonis et catholicis viris magnopere expeti, non sine magna laude accidere potest vestræ virtutis et pietatis. Et quamquam vos vestra sponte ad recta atque honesta omnia paratissimos esse non dubitamus, tamen voluimus vos ex his literis intelligere, quanti vos faciamus, quidque a vobis summopere cupiamus. Venerabilis frater Episcopus Ecclesiæ Basileensis cupit in vestrum fœdus recipi, in quo nihil aliud propositum habet, nisi Dei gloriam et Catholicæ Religionis amplitudinem. Utramque causam vobis commendatissimam esse certo scimus; Episcopus ipse dignus est, qui id a vobis impetret, quod a cæteris sex Catholicis Pagis impetravit. Nos vero hoc incredibiliter cupimus. Rogamus igitur, ut in re æquissima et vestra gloria dignissima Episcopi nostroque summo desiderio satisfaciatis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Pi-

scatoris die xxviii. Novembris mdlxxix. Pontificatus Nostri anno octavo.

XLVII. — Verumtamen Episcopus Vercellensis non solum laicorum, sed et ecclesiasticorum virorum quorumdam odium in se converterat. Ita presbyteri (proh pudor!) Svitiæ, Uraniæ et Subsilvaniæ saluberrimæ morum reformationi, ad quam aggrediendam cordatissimus hicce Præsul eos sub censuris ecclesiasticis adegerat, nefarie obnitebantur, haud veriti libellum querimoniarum Præsidibus septem pagorum Catholicorum iv. Kal. Novembris exhibere, quo eos sunt adprecati, ne Vercellensi Episcopo permitterent mandata Pontificis utpote nimis dura et ipsorum consuetudinibus adversantia exequi: qui tamen Præsul ipsorum improbis molitionibus nequaquam timefactus et perterritus, Præsides illorum pagorum alloquitur, monetque, ut sibi in exequendis Pontificis mandatis præsto esse velint, eorumque sacerdotes ad acceptanda decreta, quæ ad instaurandam collapsam Ecclesiæ disciplinam, corruptosque Clericorum mores reformandos non ita
Helvetia Vol. I f. 123 pridem ediderat, compellerent.

Illustres ac Potentissimi Domini.

« Multa quidem in dies extant in vos apertissima Sanctissimi Domini Nostri charitatis et benevolentiæ argumenta, sed hoc unum erit inter alia omnia præcipuum, quod ejus Sanctitas me nuper jussit Dominationibus Vestris Illustribus significare, statuisse illum post discessum etiam hinc meum Apostolicum Nuncium apud vos ordinarium perpetuo habere, tum ut Dominationes Vestræ Illustres tamquam principes potentes, deque Sancta Sede Apostolica atque adeo universa religione Catholica benemeritos, hoc non vulgari honore exornet, tum etiam ut necessitatibus et commodis spiritualibus vestris, populorumque vestrorum succurri facilius possit.

« Hanc porro deliberationem init Sanctissimus Dominus, postquam ex litteris meis accepit fructuosum fuisse in has partes adventum meum, populusque magna animi pietate me excepisse, nec non indulgentiarum thesauros a plerisque vehementer exoptatos atque expetitos; sacerdotes, qui prope omnes in turpissimo concubinatus cœno involuti jacebant, ereptos Dei gratia non sine magna Dominationum Vestrarum consolatione, quæ etsi illud diu optaverant, non ausæ tamen erant ad id sacerdotes compellere; majorem autem in dies fructum jure expectari posse ad ipsius Dei honorem et animarum salutem, clericorumque honestatem ac Catholicæ religionis augmentum.

« Quia vero nuper audivi plerosque sacerdotes non modo concubinas iterum recepisse, alios autem dimisisse numquam, sed indignissima etiam in me meosque convicia et maledicta jecisse; tum vero et innixos omni arte ac studio, quin etiam mendaciis ac dolis populorum animos in me commovere, nec non comitia trium Cantonum contra me convocare; id quidem non dissimulanter ferendum mihi prima facie videbatur, non mea certe causa, qui nihil omnino facio, quæcumque de me dicere potuerunt, satis mihi ipsi Dei gratia conscius, qui nihil aliud prorsus, quam Christi animarum lucrum, vestramque in Domino existimationem quæsiverim, neque dum apud vos fuero, quæsiturus sim; sed vestra ipsorum causa, de quorum honore, et periculo agitur non mediocri. Si enim hujusmodi audacia nunc inulta relinquatur, verendum est, ne alias etiam pessimi ejusmodi sacerdotes populum contra Dominos et Senatus concitare studeant, majore cum Reipublicæ vestræ detrimento; multo vero magis summi ipsius Dei causa, cujus majestas multis nominibus gravissime offensa est. Verum maturius hanc rem mecum ipse considerans, in eam veni deliberationem, minime convenire me, qui inhumaniter adeo atque inique læsus sum, aliqua ratione, etiam vestra causa, hujus delicti ultionem quærere, aut etiam ut a vobis quæratur consentire. Quando igitur illis jam ex animo peperci, atque utinam æque illis Deus omnipotens pepercerit. Dominationes etiam Vestras enixe rogo, ut et ipsæ illis ignoscant, hancque mihi contumeliosam adeo illatam injuriam a Sanctissimo Domino Nostro, vel a Vicario Constantiensi (cum ipsæ neque possint, neque debeant illos corripere) vindicari ne ulterius curent.

« Cuperem certe aliquem hisce in partibus esse, cujus me possem judicio et jurisdictioni absque Sedis Apostolicæ præjudicio subjicere, apud quem de iis, quæ mihi objecta sunt, criminibus expurgare possem (quamquam ejusmodi sunt calumniæ, atque apertæ adeo meæ meorumque actiones, ut omnis fere inquisitio supervacanea futura esse videretur); sed postquam nullus adest, qui meam causam cognoscere, vel de me inquirere jure possit, id dictum volo, si forte Dominationes Vestræ de his rebus diligentius inquirere cupiant, quo veritas magis elucescat, atque ignaris etiam populis apertius pateat, hanc me Dominationibus Vestris tribuere facultatem, ut eis quascumque informationes libuerit ad hoc negocium spectantes, sumere absque ullo censurarum periculo liceat; quas tamen ad Sanctissimum Dominum statim mittant, cujus quidem unius est de me meisque actionibus judicare. Huic autem inquisitioni ea assentior conditione, ut nulla unquam pœna sacerdotes ipsi, qui in me ita deliquerunt, hanc ob causam afficiantur.

« Cæterum licet ego injuriam hanc et contumeliam meam illis condonaverim, atque ab Illustribus Dominationibus Vestris ignosci petam,

et quantum in me est omnino velim; non ideo parcendum eis existimo de concubinis non ejectis, deque obstinata adeo adversus decreta nostra contumacia, ut censuris illaqueati celebrare quotidie non horruerint, non irregulares solum ideo effecti, sed novo etiam semper peccato mortali, quoties missæ sacrum fecerunt, obstricti, quod ipsum est proxime ad hæresim accedere.

« Quocirca auxilium opemque vestram imploro, et brachium sæculare ex sacrorum canonum, et Tridentini Concilii auctoritate peto, ut in illos, prout juris fuerit, agere possim, quod utique a vobis tamquam a Catholicis principibus, immo vero præcipuis Ecclesiasticæ libertatis defensoribus, mihi concessum iri non dubito; quando etiam requisitum illud jure denegare non possunt.

« Videant autem quattuor Cantonum Domini (neque enim Lucerini, Friburgenses et Solothurnenses in hac re officium suum a me diutius desiderari passi sunt), quid eis in re tam gravi deliberandum sit, in qua non tantum de gravissima Dei offensa, sed etiam de summo suorum populorum periculo agitur, dum illis a sacerdotibus suspensis et irregularibus, atque a Sedis Apostolicæ obedientia deficientibus, ideoque manifeste ad hæresim prolabentibus, sacramenta et alia spiritualia pabula ministrantur; tum vero etiam de germana illa atque eximia, quam fuso pro Catholica religione sanguine jamdudum acquisierunt, brevi nunc amittenda existimatione.

« Neque vero fuit, ut ab aliquibus objici intellexi, cum tot incommoda ex sacerdotum suspensione subsequantur, quod ego illos non suspenderem, sed aliis pœnis in eos agerem, et paulatim tam inveteratum morbum sanare studerem; nec enim ego sacerdotes publicos concubinarios suspendi, qui jam ex communi Doctorum sententia suspensi ipso jure sunt; sed tantum eos suspensos esse declaravi; quod ego equidem differre nullo modo poteram, tum ne ipse etiam gravissimorum ejusmodi criminum particeps essem ferendo aut dissimulando, cum prohibere et vindicare possem ac deberem, tum vero ut Sanctissimi Domini mandatis, quæ me nimium urgebant, satisfacerem.

« Quattuor enim cum essent in hac regione non leves abusus, quos præcipue Sanctissimus Dominus tolli optavit, atque adeo jussit: Violenta manuum in clericos injectio, eorumque ad judicium sæculare citatio; sacerdotum concubinatus; neglecta sanctimonialium clausura; et ecclesiasticorum beneficiorum collatio a sæcularibus Dominis fieri solita. Hic certo non fuit postremo loco ponendus, non tam quia enormissimus est, quam quia facillime tolli posse videbatur; cum neque hac in re de ulla Dominationum Vestrarum jurisdictione aut temporali commodo ageretur, neque de gravioribus ullis subeundis impensis, neque diuturna aliqua opera, aut labor industriave esset necessaria, sed tantum omnia in ipsorum sacerdotum voluntate posita essent; id quod etiam ab omnibus Dominationibus Vestris comprobari, atque adeo expeti compertum erat. Accedebat etiam, quod, cum jamdudum peculiaribus litteris a sanctæ memoriæ Pio V., atque aliis item a præsente Summo Pontifice Gregorio XIII. hac de re ad septem Cantones Catholicos scriptis hoc idem decretum fuerit, atque in aliquibus Cantonibus in executionis usum introductum, novum nunc videri non debeat; ideoque facilius ab omnibus sacerdotibus observandum susciperetur.

« Nunc si Dei gratia adjuvante, uti speramus, hic sublatus erit abusus, quod certe ex unico Dominationum Vestrarum nutu pendet, reliqua ita brevi et facile constituentur, ut et Sanctissimi Domini desiderio integre satisfiat, et vestro decori atque ornamento non levis, imo sempiterna laude accessio fiat.

« Cum enim jam desitum ubique sit a Dominationibus Vestris Illustribus clericos propria auctoritate in judicium evocare, pœnis coercere vel capere, mancipare, quod certe fieri non poterat sine manifesto censurarum Ecclesiasticarum laqueo. De clausura etiam monialium brevi sine magna difficultate statui potest, sicuti quidem statuere necessarium est ex sacrorum canonum, ac præsertim Tridentini Concilii sanctione, cujus quidem Concilii decretum, ut melius a Dominationibus Vestris Illustribus consideretur, in Germanicam linguam conversum exhibere volui. Neque ideo consanguineorum ad illas invisendas accessus omnino prohibebitur, cum imo ubique fere domicilia separata satis commoda sint pro hospitibus extra monasteriorum claustra excipiendis; et sicubi non adeo commoda nunc sunt, quam facillime separari possunt, quemadmodum nos in ipsa visitatione huic rei prospicientes animadvertimus.

« Nam quod ad beneficiorum collationem attinet, quæ a sæcularibus viris conferri sacri abhorrent canones, neque sine simoniæ labe, quæ tam a conferentibus, quam a provisis cum expresso excommunicationis vinculo contrahitur, hujusmodi collationes aut provisiones fieri ulla ratione possunt; hunc porro abusum facilius tolli posse ego existimo, quam alii multi hucusque judicaverint; si enim recte omnia intelligentur et considerabuntur, nihil prorsus de vestro patronatus jure detrahetur; sed imo illud si forte minus validum aut certum hactenus fuit, confirmabitur. Qua de re cupio vos ex Dominis Friburgi Oratoribus diligenter intelligere, ut eorum exemplo edocti, sano ac fideli vobisque salutari consilio nostro acquiescatis; Illustres

enim Domini Friburgenses statim petitioni nostræ de nova in beneficiorum provisione ineunda Senatui propositæ non acquieverunt modo, sed etiam suis juribus additum prope esse existimarunt, nobisque gratias (quæ certe eis summa debetur laus) incredibili cum pietatis summaque erga Sanctam Sedem Apostolicam obedientiæ testificatione egerunt maximas: atque eam quidem rationem, quæ illis ac vobis omnibus nullo incommodo ac detrimento esset, inire studui ea, qua sum erga vos affectus, voluntate ac desiderio, ut omnis Dei offensio e vobis, quoad ejus fieri potest, omnino tollatur, vestraque pietas atque erga Sanctam Sedem Apostolicam observantia in dies magis ac magis cum vestra eximia laude augeatur.

« Hæc ubi recte constituta esse ad Sanctissimum Dominum mihi referre licuerit (uti certe ex sacrorum antiquorum canonum, et Tridentini Concilii jure necessario et decernenda et observanda omnino sunt) certo novi, ejus Sanctitatem tantam animi lætitiam percepturam, ut et maximas Deo gratias agat, et hoc summi beneficii ab illius benignitate accepti loco ponat, quod quidem omnibus pietatis, benevolentiæ, atque humanitatis officiis perpetuo sit erga vos compensatura.

« Quod si fortasse aliquos Dominorum, jurium temporalium paulo quam par est tenaciorum, neque Sanctissimi Domini voluntatem, neque sacrorum canonum constitutiones curare contingeret; attendant Illustres Domini datam fidem, cujus adeo cultores esse profitentur, ad hæc omnia et singula observanda vos omnes astringere: Concilii enim Tridentini decreta, ex quorum fonte hæc quidem sunt hausta, vos acceptasse, et legatum vestrum ad Concilium illud ablegasse cum litteris vestris meminisse debetis, quarum quidem exemplum, ne in iis quærendis ullus sit vobis labor, simulque videatis, qualis fuerit pollicitatio vestra, exhibendum esse duxi.

« Videant præterea Illustres Domini, si paucis his atque justissimis petitionibus nostris, imo verius Sanctissimi Domini jussis difficiliores se præstiterint, ne illius Sanctitas de Nuncio Apostolico perpetuo apud vos retinendo sententiam, vobis adeo honorificam atque expetendam, mutare compellatur. Quid enim eo Nuncium suum dirigeret Summus Pontifex, ubi nulla Sedis Apostolicæ sit auctoritas? Ubi sacrorum canonum nulla haberetur ratio? Ubi denique Nuncii ipsius verbis ac instantia, ne dicam precibus, ulla fides adhiberetur? cujusque nulla prope esset existimatio? laborum autem ac sollicitudinum fructus extaret, aut sperari posset nullus?

« Vos igitur, Illustres ac potentissimi Domini, qui universam Catholicorum Helvetiorum inclitam gentem repræsentatis, oratos in Domino velim, ac per Jesu Christi viscera, de cujus honore ac pretiosissimi sanguinis conculcatione agitur, obtestatos, ut hæc omnia Dominis vestris ea animi pietate, ac fervente divinæ legis zelo referre nostro nomine studeatis, quo illorum animos efficacissime commovere, atque ad piis votis nostris consentiendum omnino adducere possitis; ita vos et illos omnipotens Deus bonis omnibus in hac vita cumulet semper, beatosque in futura perpetuo reddat. In Comitiis generalibus septem Cantonum Catholicorum quarto Kalendas Novembris Luceriæ habitis MDLXXIX.

Illustrium ac Potentissimarum Dominationum Vestrarum commodis inservire paratissimus

JOANNES FRANCISCUS EPISCOPUS VERCELLENSIS, ET APOSTOLICUS NUNCIUS.

Vercellensis Præsulis studium et conatus optatissimum successum habuere. Præsides illorum pagorum Ecclesiasticos ex more convocarunt, eisque pronunciarunt, ut saluberrimis Nuntii decretis quam primum facerent satis, et nulla interposita mora infra octo dies concubinas omnino ejicerent. En litteræ Svitensis Præsulis ea de re ad eumdem Nuntium datas. (1) (1) Helvetia Vol. 2 fol. 112

Responsum Lantamanni Svitensis ad Episcopum Vercellensem die 8. Novembris 1579.

« Excellentissime Princeps et Clementissime Domine. Vestra Principalis Gratia sciat, die sabati proxime præteriti meos Dominos Senatum Provinciæ habuisse, et unanimiter recepisse secundum Vestræ Principalis Gratiæ petitionem, ut simul omnes sacerdotes concubinas deponant, quæ concubinæ infra octo dies sub juramento summo ex provincia ejiciantur, et sacerdotes ad diem lunæ proxime futurum simul omnes convocabuntur ante Senatum, illisque Suæ Sanctitatis et Vestræ Summæ Principalis Gratiæ vehemens mandatum et admonitio proponetur, et quod nos in Tridentino Concilio promisimus, et spopondimus, illi quoque ad obedientiam adigentur. Illud autem Vestræ Principali Gratiæ magnum favorem peperit, quod se Domino Decano et Conventui in Einsidlen tam benigne et clementer exhibuit. Hæc volui Vestræ Summæ Principali Gratiæ significare, eamque Deo, et Beatæ Virgini fideliter commendare. Datæ die Dominica ante festum Sancti Martini MDLXXIX.

Vestræ Summæ Principalis Gratiæ promptus servitor

GASPAR AB IBERY SENIOR LANTAMANNUS.

XLVIII. — Quam gratus atque expectatus Vercellensis Præsulis adventus cæteris Helvetiorum catholicis pagis fuerit, quique uberrimi fructus ejus visitationem sequuti fuerint, Friburgensium in primis ad Pontificem litteræ testantur. In his præterea de loco, quem ad Collegium Patribus Societatis Jesu accommo-

dandum exoptet, facile sese Suæ Beatitudini permissuros affirmant. Porro gratias agunt, quod Mediolani in pauperum Helvetiorum juvenum usum instituerit Collegium, cujus institutio die 24 Maji pontificio diplomate [*] confirmata fuit. [*]

[*] Bullar. Tom IV P. III N 98 p. 390
[*] Helvetia Vol I f. 91.

« Quamquam, Sanctissime Beatissimeque Pater, ex humanissimis Sanctitatis Tuæ litteris, ad nos per Reverendissimum in Christo Patrem ac D. Joannem Franciscum Episcopum Vercellensem redditis, tanta nobis lætitia, tantum gaudium, tantaque consolatio accessit, ut ea quæ antehac de ornamentis Ecclesiæ restituendis deque Clericorum statu reparando vix sperare ausi fuimus, jam coram cernere videremur; felicissimus tamen ejusdem Reverendissimi Dñi Episcopi nostram ad urbem adventus et præsentia, earumque, quas a Beatitudine Tua in mandatis habebat, rerum administratio eo nos fiduciæ perduxit, ut jam nihil quod ad veræ pietatis cultum, religionis fideique orthodoxæ decus et columen pertineat, nisi nosmetipsi nobis defuerimus, desiderandum sit, ut interea sacrum illum et longe uberrimum indulgentiarum thesaurum reticeamus, de quo omnino silere, quam pauca pro rei dignitate loqui satius esse ducimus.

« Nostrum erit, quas possumus, Beatitudini Tuæ gratias agere, quod eadem singulari divini numinis instinctu Ecclesiæ suæ labores luctuoso et depravato hoc sæculo respexerit, quod incomparibili munificentia et liberalitate collegium suscipiendæ et instruendæ Helveticæ juventuti in urbe Mediolanensi, ut jam pridem per legatus nostros a comitiis renuntiatum, denuum vero ab ipso Reverendissimo Præsule declaratum est, instituerit, quodque eadem Beatitudo Tua gregem Christianum salutari illa visitatione lustrare dignata sit. Quam vero honorifice de nobis sentiat Sanctitas Tua, id argumenti est, quod eadem nos per eximium illum et præclarum Antistitem, quem ob infinita in Rempublicam nostram merita Patris loco habere et possumus et debemus, invisere dignata fuerit. Cæterum quæ ipse nostra in urbe et ditione, habita diœcesana synodo, multis hominum millibus confirmatis, monialium domiciliis obstructis, concubinis clericorum eliminatis, et eorum vita et moribus reformatis, aliisque visitationis suæ muneribus obeundis, nobis adnitentibus peregerit, latius (credimus) ab ipso et sigillatim accipiet Sanctitas Tua. Nos certe si non quantum debuimus, at quantum in nobis fuit, officii, diligentiæ atque obedientiæ præstitisse videmur, cum et de jure ipso, quo nobis antehac in flagitiosos clericos animadvertere, eosdem plectere et coercere et beneficis ecclesiastica conferre integrum fuit, libenter cedimus, ne ulla in parte sanctissimæ voluntati tuæ morem non gereremus.

« Quod vero ad institutionem Collegii, delectis ex Societate Jesu Rectoribus et Professoribus, instruendi attinet, persuasum habeat Sanctitas Tua, nos ad unionem Monasterii Marsens ordinis Præmonstratensium in agro nostro, loco tamen obscuro et ad Religionis observantiam parum commodo siti, pro erectione et stabilimento ejusdem Collegii facile consensisse, atque ita consensisse, ut Sanctitati Tuæ liberum sit concessis et expeditis unionis literis Societatis Jesu Generali mandare, ut primo quoque tempore patres ad nos transmittantur, qui ejus Collegii institutionem maturent. Cæterum cum prædictus D. Episcopus Vercellensis a nobis obnixe rogatus, polliceri tamen non potuerit, se isthic in id tempus perduraturum, (cum absentia ejus eo tempore nobis non gravissima molestissimave accidere non possit): placeat Beatitudini Tuæ id negotii dicto Dño Episcopo, dum res extra fumum et undam est, transigendum committere, ne qui forse subditorum agrorum dicto Monasterio vicinorum, quibus jam hæc res propter novitatem dura videtur, postliminio ceu plaga ad remedii mutationem recrudescente motus oriantur, quorum nec scintilla apparebit, si res præsente eodem Episcopo transigatur. Nos interea de ædificio ad eorum sententiam pro locorum opportunitate construendo cogitabimus. Cum vero de annexione dicti Monasterii egerimus, monet nos angustia proventuum collegiatæ Ecclesiæ urbis nostræ, qui ad quingentos coronatos vix ascendunt, ut similibus precibus a Sanctitate Tua flagitemus, ut eidem Ecclesiæ nonnullorum beneficiorum annexione consultum velit, qua in parte etiam a dicto Dño Episcopo provisum. Quod nostrum est, in id toti erimus, ut ne ulla prompti animi et obedientis officia a nobis frustra desideratura sit Beatitudo Tua, quam Deus Opt. Max. pro salute et bono Christianæ Reipublicæ incolumem servare et protegere dignetur. Datum postridie Natalis Domini MDLXXIX.

Sanctitati Tuæ deditissimi.

CONSUL ET SENATUS FRIBURGI IN HELVETIIS.

XLIX. — Jam vero ad res Poloniæ redeamus. Stephanus Rex sibimet ipsi constans summa cum alacritate et Reipublicæ et Religionis res curabat. Qua in re id profecto in ejus laudem nequaquam vulgarem cedit, quod in utrisque nihil fere inconsulto Romano Pontifice aggrediebatur. Ex quo factum est, ut Uchanskium, quem anno superiore Oratorem suum Romam miserat, vehementer non modo reprehenderit, sed et graviter multaverit, quod tempus per illustriores Italiæ urbes otio atque oblectamentis studens, aliud agens tereret, et profectionem ad Urbem in dies duceret; quare his litteris munus ei abrogavit, in ejusque locum Episcopum Plocensem suffecit. [*]

[*] Polonia Vol 18 fol 163

« Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ etc. Paulo Uchanskio.

« Cum Fidelitati tuæ legationem ad Sanctissimum Dominum Nostrum commendaremus, facturam judicavimus, ut pro commendatione quorundam consiliariorum nostrorum, atque adeo fide officioque suo eam rem ex mandato nostro, nostræque Regnique dignitate administratura esset, in quo nobis a Fidelitate tua minime satisfieri, iniquissimo, ut debemus, patimur animo. Quid enim committi potuit ad dedecus indignitatemque nostram ac Regni gravius, quam quod Fidelitas tua, suscepta a nobis legatione summa, totum jam annum in ea ita versetur, ut quo ociissime oportebat nondum pervenerit, hæreatque in itinere, in ipsis orbis terrarum oculis, quibvis potius agens, quam mandatis nostris obtemperans, cum summa nominis nostri indignitate atque omnium prope gentium ludibrio, vocata jam pene in fabulam et scenam legatione nostra? Quo de facto nobis et Regno reddenda Fidelitatis tuæ ratio posthac erit, hoc vero tempore, quo hæc jam diutius ferri tam insignis indignitas non potest, per hasce nostras litteras Fidelitatis tuæ legati munus abrogamus, ipsamque ab eo abire et privatam esse jubemus, vetamusque severe, ne quid lectis hisce litteris nostris suscipiat, tractet, agat, quod ad nomen munusque ullum legati nostri ad Pontificem Maximum pertineat: res suas si velit sibi habeat caretque, ac sciat alium a nobis ad Sanctissimum Dominum Nostrum designatum Oratorem Romam proficisci. Hæc contra Fidelitas tua gravioris indignationis nostræ causa facere ne ausit. Datum Grodnæ die XVI. mensis Februarii anno Dñi MDLXXIX.

Plocensis Episcopus de sibi commissa legatione Cardinalem Comensem docet: seque ac negotia sua commendat.*

* Polonia vol 16. fol 177

Illmo et Rmo Domino Dño Cardinali Comensi, Dño Observantissimo.

Illme et Rme Domine.

« Memini me sæpius ab Illma et Rma Dominatione Vestra per litteras petiisse, ut me in numero eorum haberet, qui et libenter et fideliter omnibus in rebus ei operam navarent, paratique ad omnia, quæ vellet, essent. Sed meæ litteræ, si minus forte ponderis habuerint, mirari admodum nolo, cum et temeritatem et humilitatem meam noverim, vel pro ingenii mei imbecillitate non satis, quod voluerim et concupierim, exponere potuerim. Itaque vel fortunæ vel naturæ, si quid in eo spectari oporteat, attribuendum est. De humanitate, bonitate, incredibili comitate Illmæ Dominationis Vestræ, ut nemini dubium est, sic mihi omnino optime constat, quod nisi certum haberem, neque hæc pauca, cur ad Illmam Dominationem Vestram scribam, causa esset. At cum mihi exploratissimum sit, Illmam Dominationem Vestram omnibus esse facilem, jucundam et ad declarandam animi sui liberalitatem promptam, non video, ut a cœpto meo cursu desistere debeam. Atque ne ab eo instituto desinam, hoc nunc apud Illmam Dominationem Vestram faciam, ut me non modo deferre ei verbis studium intelligat, sed id jam propositum habere, quo presto ipse ad omnia quæ imperaverit sim, sciat. De quo, quod jam Illmam Dominationem Vestram de mea ad Sanctissimum Dominum Nostrum a Majestate Regia legatione cognovisse existimem, nihil amplius dicam, quam omnem me et operam et diligentiam adhibiturum, ut et Majestatis Regiæ mandata celerrime conficiam, et ad Sanctissimum Dominum Nostrum venerandum quam primam accedam, et Illmæ Dominationi Vestræ me totum in fidem et patrocinium suum dem, dedam atque tradam. Deus autem Optimus omnia et nunc salva et semper fortunata Illmæ Dominationi Vestræ esse velit. Pultoviæ die XXII. mensis Maji MDLXXIX.

Illmæ et Rmæ D. V.

Deditissimus servitor

PETRUS DUNIN VOLSCHI EPISCOPUS PLOCENSIS.

L. — Inter ea Uchanskius gravi Regis offensione permotus Romam cogitavit. Heic autem mira dexteritate Regis mandata apud Pontificem confecit, qui eum statim in sacrum Cardinalium Patrum Senatum introduxit: eique hæc ad Regem referenda dedit, in quibus Stephani laudes amplissimæ plane continentur.*

* Reg Gregorii XIII An VII ep 250. f. 169

Responsio Domini Nostri ad orationem habitam pro obedientia eidem Smo Dño Nro præstita nomine Regis Poloniæ.

« Illustris Orator. Quod in magnis Principibus summopere optandum est, ut excellant cum cæteris virtutibus, tum vero studio Dei gloriæ Catholicæque Religionis amplitudinis: hoc in Stephano Poloniæ Rege extare, reque ipsa ab eo præstari incredibiliter lætatur Sanctissimus Dominus Noster. Habet vero Stephanus summam facultatem hujus pietatis exercendæ in tanta præsertim hæreticorum perversitate. Et autem, qui in fide persistunt, neque se ab illa peste tam gravi, tamque intestina corripi et corrumpi sinunt, amplectendi et fovendi sunt, sic desertores haud deferendi, sed omni contentione et conatu revocandi; est enim hoc de iis operibus, quæ Divinæ bonitati acceptissima sunt, longe maximum. In hanc curam ut Rex toto pectore incumbat, quodque facit, quam maxime faciat, optat hortaturque Sanctissimus Dominus Noster. Idem etiam una cum his venerabilibus fratribus suis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus accipit hanc Regis obedientiam, precaturque ejus optimæ voluntati perpetuum præsidium Divinæ gratiæ atque omnem felicitatem.

« Hæc responsio data fuit in Consistorio pu-

blico die undecima Aprilis MDLXXIX. anno septimo.

LI. — Verum enimvero Stephanus omnes suæ ætatis Principes Catholicos fidei promovendæ studio superabat. Cum igitur non ita pridem Elbingæ Catholica sacra in pristinum restituisset, meritas has laudes a Gregorio tulit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 32. f. 300.

Charissimo in Christo Filio Nostro Stephano Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Amavimus semper Majestatem Tuam unice, tibique in ista dignitate amplissima precati sumus cumulum eorum bonorum, quæ sunt vera et maxime bona: quia vero nihil potest esse præstantius Dei charitate, hac te flagrare in Catholica Religione Elbingæ restituenda, tantopere lætati sumus, quantum Nos opere lætari oportuit tuo sommo bono, Dei gloria et animarum salute. Egimus gratias Deo, quantas potuimus, maximas, teque ejus bonitati commendavimus, quodque ab ejus benignitate precati sumus, hoc a tua quoque opera, quæ sese Divinæ gratiæ promptissimam administram præbet, summopere expectamus, ut pari pietate cæteris quoque locis subvenias, in quibus aut extinctam aut afflictam esse intelligis sacrosanctam Religionem. Nihil est, unde possis majorem fructum percipere non solum in futura, sed etiam in præsenti vita. Nos vero non cessabimus Deum orare, ut te in dies magis ac magis cumulet sua gratia ad sui nominis gloriam, ad Catholicæ Ecclesiæ suæ amplitudinem, ad tuam sempiternam fœlicitatem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Augusti MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

LII. — Quod Rex magna ex parte anno superiore Gedani etiam quodammodo præstiterat, cum Episcopo Cujavensi, cujus pro fide Catholica præclarissimi labores aliquot jam annos extabant, plurimum tribuisset. Hic autem quantam spem animo conceperit, quamque Regis pietati fisus sit, in eo ostendit, quod Possevinum e Societate Jesu in aula regia tum commorantem, iterque in Sveciam parantem rogaverit, ut qua apud Stephanum auctoritate et gratia pollebat maxime, occasionem nactus, ad stabiliendam restaurandamque iis in locis Catholicam fidem Regis animum suopte ingenio proclivem vehementius incitaret. Cujus rei causa Episcopus destinaverat animo collegium Societatis Jesu Patribus in sua Diœcesi excitare. [*]

[*] Germania Vol. 16. fol 90.

Reverendo Patri Antonio Possevino Societatis Jesu Theologo Amico et Fratri in Christo Charissimo et Observandissimo.

« Reverende Domine, amice et frater charissime et observandissime. Binas Reverendæ Dominationis Vestræ literas accepi, quæ mihi non mediocrem voluptatem et solatium attulerunt. Perspexi enim, quanto studio, cura et sollicitudine adjuvandæ civitatis Gedanensis, et ad unitatem Catholicæ fidei reducendæ vias et rationes pie prudenterque conquisierit, literisque suis mihi perscripserit. Agnosco equidem et exosculor singularem illius pro domo Domini zelum, amoremque erga me non vulgarem: quo de nomine magnas ago habeoque gratias Rñdæ Dominationi Vestræ. Jam ego plus quam a decennio telam hanc texo, ut aliqua ratione civitatem illam a Satanæ faucibus eriperem. Quod ut Dominatio Vestra Reverenda cognoscat, altius paulo est res ipsa ordienda, actionumque et consiliorum meorum rationes repetendæ. A Divo Sigismundo Augusto, Serenissimi Regis moderni prædecessore, non alio consilio amplissimam civitatis illius ad officium reducendæ potestatem obtinueram, quam ut simul res ecclesiasticas regia autoritate quam optimo loco constituerem. Quatuor itaque mensibus continuis illic moratus, causas omnes tam civiles quam criminales, etiam per appellationes ad regium tribunal devolutas, remotis appellationibus judicavi: constitutionesque ejusmodi edidi, quibus non modo publico regni juri, sed etiam Episcopali in illa civitate jurisdictioni optime salubriterque cautum et prospectum fuit, id quod in constitutionibus illis videre licet: quæ quidem in publico regni conventu et regia et omnium regni ordinum auctoritate suffragiisque confirmatæ et comprobatæ fuerunt, tamdiuque in robore suo et observantia permanserunt, donec ad illud tempus ventum fuit, quo Serenissimi Regis moderni electio a Gedanensibus et plerisque aliis in dubium vocabatur. Ante id enim tempus absque ullo cujusquam impedimento et concionator Germanus, et alii sacerdotes religiosique multo plures meo sumptu fuerunt, scholaque satis frequens instituta. Quid igitur subsecutum est? Cum jam de obedientia Serenissimo Regi moderno præstanda Gedanenses consultarent, non ante sibi colla regio imperio esse subdenda decreverunt, quam omnia commissionis meæ acta et constitutiones antiquarentur. Quæ postulatio cum juribus regni et dignitati regiæ contraria judicata esset, nec Gedanenses a suo de abroganda commissione studio deduci possent, quod ea se tanquam freno teneri sensissent, bellum est exortum, indeque et officialis meus et concionator Germanus, et sacerdotes religiosique omnes vitæ rationibusque suis consulentes dilapsi sunt, scholaque dissipata. Mihi sane etsi bellum illud, cum civibus præsertim et unius corporis membris acerbum luctuosumque, minime tamen improbandum videbatur, quod eo e sententia confecto sperarem Ecclesias omnes nos in possessionem no-

stram vindicaturos. Jam enim in belli exordio a Majestate Regia impetraveram, ut templum cœnobiumque Franciscanorum, Gedanensibus ad officium reductis, mihi restitueretur: quo quidem loco, propinquorum et a suis habitatoribus desolatorum monasteriorum bonis dotato, Societatis Jesu Collegium excitare in animo erat, ut illius ordinis opera, tanto plures in dies Christo Domino lucri faceremus: sed res aliter quam expectabamus, acta et transacta est. Hæc omnia eo pertinent, ut Reverenda Dominatio Vestra intelligat, nunquam a nobis Gedanensium saluti indormitum esse, modo illi ipsi salvari voluissent. Sedato jam bellico tumultu, ante unum fere annum, Dominicani, Carmelitæ, Sanctæque Brigitæ moniales templis, claustris bonisque suis omnibus restituti; redditæ vestes sacræ, aliaque multa ecclesiastica et domestica supellex: officialis eodem tempore a me missus mandatam sibi jurisdictionem hucusque sine impedimento exercet: conciunatorem Germanum et alios, qui morentur illic, reperire nondum possum; illi enim, quorum opera ante sum usus, molestiarum contumeliarumque pertæsi redire nolunt. Brevi tamen, ut spero, concionator eruditus reperietur, Reverendusque Provincialis Dominicanorum per literas admonebitur, ut ad illam messem plures sui ordinis operarios mittat. Interim tamen Martinum Leonaunum, jam Diaconum, cum presbyteratus gradum susceperit, eo mittam brevi, qui ludum scholasticum, si id fieri poterit, aperiet, cæteraque munia ecclesiastica obibit; est enim juvenis et optimis moribus præditus, doctrinaque non vulgari, et quod præcipuum est, zelo pro domo Domini fervens. Alia item omnia, quæ Reverenda Dominatio Vestra pie prudenterque suggessit, diligentissime curabuntur: et ea præsertim, quæ ad piorum librorum disseminationem pertinent. Quamvis enim magnos sumptus faciam in alendis non Gedani solum, sed in tota Pomerania sacerdotibus, qui præsertim ex propriis parocchiis et hominum liberalitate sustentari nequeunt: nulli tamen ejusmodi esse possunt, ut juvandarum Christi ovium causa eos non sim libenter facturus. Quamobrem et in D. Adalberti templo, (quod plus quam per annos quadraginta sex dirutum mansit, a me tandem restitum fuit) ut cultus divinus rite commodeque peragi possit, curabitur. In summa, ita omnia diligenter in excolenda in civitate illa vinea Domini agentur, ut quidem tanta temporum iniquitate ac difficultate poterit. Melius omnia procul dubio et fœlicius Rm̃dæ Dominationis Vestræ illos homines juvandi consilia succederent, si Majestas Regia, cum per occupationes bellicas licuerit, in civitatem quoque illam descenderet, id enim et præsens rerum status postulat, et adeo plebs ipsa non expectat solum, se etiam flagitat; tum ego quoque verbum Domini ipse annuntiaturus, sacramentaque administraturus eo accurrerem. Quapropter ut idipsum Reverenda Dominatio Vestra, oblata occasione, cum cæterarum rerum causa, tum potissimum constituendæ stabiliendæque religionis apud Majestatem Regiam urgeat, suadeo et rogo: dubium enim non est, quin Majestas Regia pro summa sua, qua est, pietate optime sit rebus ecclesiasticis in illa civitate prospectura. Nos tamen interea, ut supra scripsi, in causa Domini ita vigilabimus, ut nihil eorum, quibus adjuvari per nos aut promoveri posset, prætermisisse videamur, nullis laboribus, curis sumptibusque parcemus. Cæterum Rm̃di Domini Nicolai Russii Parocchi Gedanensis fidem officiumque desidero, qui præterquam quod fructus percipit, nullam ad se de ovibus curam pertinere putat, nec ipse illic residet, nec idoneum concionatorem loco sui, ne ne quemquam alium sacerdotem suo sumptu fovet. Habet tamen magnos causæ suæ patronos, qui si intelligerent, quantum animarum damnum et periculum Gedanensis præsertim Parocchi negligentia secum ferat, nec illi ea in causa cuiquam non patrocinarentur, neque a me durius cum illo agi quererentur. Perscripsi jam primum hac de re ad Reverendissimum Dominum Legatum Apostolicum, ut vel ejus auctoritate gravissima munus suum obire incipiat. Idem quoque ut Reverenda Dominatio Vestra pro suo civitatem illam juvandi studio Reverendissimo Domino Legato scribat, rogo. Ipsa enim vidit, quantopere vigilantis Parocchi officium illic requiratur. Commendo me amore D. V. R. Ciechocinii 24 Maji 1579.

Dominationis Vestræ Reverendæ

Deditissimus frater in Christo

Stanislaw Carnkowski Biskup Crjawski.

LIII. — In Polonia quidem non secus atque in cæteris Christiani orbis partibus, fortasse etiam magis necesse fuit, ut Gregorius per Nuntium suum Cleri, inprimisque Cœnobitarum corruptelis medicas manus admoveret. Quod opus difficultatum plenum ut expeditius ac majori fructu absolvi ab Nuntio posset, cum Episcopum renunciavit, sede Bertinorensi in ditione pontificia ipsi assignata. Qua in re perficienda Vladislaviensis Præsul Nuntium Apostolicum admodum adjuvit. Quantus labor huic viro, ut mandatis Pontificis satisfaceret, fuerit exsudandus, hæc litteræ plane testantur. [1]

[1] Polonia Vol. 16. fol. 138

Reverendissimo Domino Joanni Andreæ Caligario Sanctissimi Domini Nostri Referendario et in Polonia Nuncio.

Reverendissime Dñe Dñe Observandissime.

« Magnæ id mihi voluptati solatioque fuit, quod ex Rm̃æ Dominationis Vestræ literis cognovi, meos qualescunque pro sancta Ecclesia Catholica labores et studia illi non improbari.

Nam etsi ejusmodi sint, ut fructus illorum vixdum in herba consistere cernantur; id tamen præclarum Rm̃æ Dominationis V. de mea voluntate judicium, quin mihi magnam consolationem et voluptatem attulerit, negare profecto non possim. Nihil equidem tantopere cupio et contendo, quam ut meam primum ipsius vitam, mores et actiones, tum demum cleri quoque mei sacrosanctis œcumenicis institutis conformem, ut nimirum quod lingua loquimur, id vita ipsa fateamur, et inveteratam illam in toto pene Christiano orbe de nobis opinionem ex animis hominum evellamus: præclare videlicet a nobis et eleganter singulis in synodis constitutiones scribi et edi, de exequutione vero sileri, ac Dominum Deum labiis tantum non corde honorari. Sat igitur sanctorum institutorum cum sit, id jam est, eritque meum perpetuum studium, conatus et voluntas, ut ea in cordibus non in chartis recepta esse, et usu omnium nostrum observantiaque comprobata videantur: id quod in diœcesi mea haud difficulter per Dei gratiam futurum spero. Cæterum quod ad Abbates et Monachos attinet, hoc nimirum opus hic labor est: tentatæ jam sunt sæpius ejusmodi viæ et rationes, quibus ad officium et veterem disciplinam revocari posse viderentur; nullum tamen ejus rei gustum in magnis meis curis et laboribus hucusque sum consequutus: quoties enim usu evenit, ut monasteria lustrarem, satis magna in omnibus Monachorum turba cernebatur, quorum alii ad tempus duntaxat illud, quo ego visitationis munus obirem, ex aliis propinquioribus monasteriis accersebantur; alii autem non religiosi, sed plane ab operis rusticis avocati, jussu voluntateque Abbatum, habitu tantum Monachos sese mentiebantur. Licet autem fraus hæc deprehensa fuerit, speciem tamen illi regularis observantiæ præbere reformationem expetere, quæque ad illam facere videretur, libentibus omnes et cupidis animis excipere, diligenterque observare velle se confirmabant. Cæterum, visitatione soluta, rursus illi ad vomitum redeunt, disciplinam monasticam abjiciunt, ebrietatibus commessationibusque indulgent, cultum divinum negligunt, bona monasterii distrahunt, ac ut uno verbo dicam, in eodem semper cœno hærent, perpetuoque volutantur. Unde mirum non est, et pios doctosque homines ad religionem idoneos et inclinatos a vita monastica penitus abhorrere, et ejusmodi nunc homines in Abbates nominari, qui (cum in monasteriis idonei non reperiantur) et professionem non fecerint et regularis observantiæ sint ignari, et Equestrem denique ordinem ita flagitiosa Abbatum et Monachorum vita, defraudataque majorum suorum pietati promoveri, ut plane monasteriorum omnium bona in Reipublicæ usus convertere meditetur, jamque multa impune deripiantur. Quoniam igitur ratione tantis malis succurrendum esset, plane non video; non mihi laboriosum esset easdem illas reformandi rationes denuo iterare, quibus et in meæ et Cracoviensis diœcesis Clari Calvique Montis monasteriis sum usus, quæ et Rm̃o Dño Vincentio Laureo probatæ fuerunt, et apud Rm̃am Dominationem Vr̃am ab eodem, ut spero, relictæ; sed ut dixi, labor hic quemadmodum sæpe, ita nunc quoque in irritum cederet. Illud nimirum est, quod in ferocium et indomitorum equorum jugis evenire solet, quibus nisi mansuetus aliquis et tractabilis unus aut alter equus adjungatur, a quibus mitescant, currum alio atque alio trahentes ipsi una cum rectore in præceps agantur, nec ulla ratione teneri aut cohiberi possint. Idem in hac dissoluta et effrenata Monachorum vita videre licet, qui cum pauci admodum, ineptique omnes et scandalosi in monasteriis alantur, non ita in vicia ruerent præcipites, si ejusmodi Monachii illis adjungerentur, quorum doctrina, consuetudine et exemplo fierent meliores. Qua quidem tota de re omnino necessarium esse videtur ad Sanctissimum Dominum Nostrum referre, ut quod Sanctitatem Suam mandasse a Cleri Nuncio anno superiori accepimus, id aliquando Cisterciensis et Cluniacensis ordinis Generales præstarent, et Monachos huc vel ex Italia vel ex Galliis primo quoque tempore mitterent, qui sint ætate graves, in regulæ observantia exercitati, docti et exemplares, a quibus hi quoque et regulam discere, et ad ejus observantiam verbo et exemplo possent incitari. Atque hac demum ratione monastica disciplina jam pene extincta excitari, monasteriaque ipsa restitui, auctioraque multo reddi posse viderentur. In hac tamen horum, qui a Generalibus mittentur, Monachorum expectatione interim ea omnia, quæ meo et Reverendissimæ Dominationis Vestræ consilio provideri præstarique poterunt, non negligam, neque committam, ut cuiquam juste conquerendi locus relinquatur, me monasteriis per Abbatum et Monachorum scelus labentius succurrere aut nolle, laboremque fugere, aut illa, per speciem succursus equis familiaque multa depasci, aut denique hominum infirmitati non magnopere compati. Quæ ad me hisce diebus Religiosius quidam ex monasterio Cartusiensi in diœcesi mea de Abbate Olivensi detulit, mitto Rm̃æ Dominationi Vestræ nihil dubitans, eam monasterio illi consilio atque auxilio mecum una non defuturam. Reverendus P. Possevinus præclara et salutaria civitatis Gedanensis juvandæ consilia mihi suggessit: quo nomine non minus illi quam Rm̃æ Dominationi Vestræ magnas ago habeoque gratias. Illud vero potissimum inculcavit, messem esse illic multam operarios autem paucos. Officium igitur diligentiaque Pa-

rochi desideratur, qui nihil aliud Gedani agit, quam quod fructus parochiæ percipit. Majorem igitur in modum rogo, ut Rīna Dominatio Vestra auctoritatem suam interponat, quo is munus suum vel per se obeat, vel concionatorem idoneum et sacerdotem aliquem suo sumptu illic habeat. Dispensationis enim a Rīna Dominatione Vestra obtentæ vigore omni se prorsus officii functione liberatum putat. Acta synodi meæ, perinde ac Rīna Dominatio Vestra jussit, mitto. Raczioczii ultima Maji anno 1579.

Dominationis Vestræ Rīnæ

Deditissimus frater et servitor
Stanislaus Carncovius Episcopus
Wladislaviensis et Pomeraniæ.

LIV. — Neque vero non promptissimo animo ipse Stephanus Rex Pontificis sollicitudinem prosequebatur. Cum enim Gregorius ad Cœnobitarum disciplinam instaurandam Patrem Bonaventuram Maresium ex ordine Minorum Conventualium in Lithuaniam misisset, Stephanus universis tum ecclesiasticis tum civilibus magistratibus cum his litteris commendatissimum esse jussit. (*)

(*) Polonia Vol. 14. fol. 331.

« Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ etc. nec non Transylvaniæ Princeps.

« Universis et singulis Rīnis, Rīdis, Magnificis, Generosis, Spectabilibus, Famatis, Archiepiscopis, Episcopis, Palatinis, Capitaneis, Vicecapitaneis, aliisque Præfectis atque Officialibus nostris, nec non civitatum oppidorumque in Ducatu nostro Lithuaniæ Proconsulibus, Consulibus, Advocatis, Judicibus et universis omnibus subditis nostris, gratiam nostram Regiam. Rīni, Rīdi, Magnifici, Generosi, Spectabiles, Famati. Missus est a Sīmo Dño Nro Pontifice Maximo in Magnum Ducatum nostrum Lithuaniæ Venerabilis Bonaventura Maresius Theologiæ Magister, ordinis Sancti Francisci minorum Conventualium frater, ut Monasteria ejusdem ordinis omnia nostro in Magno Ducatu Lithuaniæ sita obeat, et in eorum statum, inprimis vero in disciplinam atque mores diligenter inquirat, quæ necesse erunt, emendet ac corrigat, et quæ moribus dissoluta atque ad licentiam prolapsa sunt, ad morem majorum ac pristinam vestrum patrum normam ac regulam revocet. Quod Sanctissimi Domini Nostri institutum cum et pium et supernecessarium esse intelligamus, cupiamusque ejus Sanctitatis voluntati ea in re plane rectissimeque satisfieri, hortamur et mandamus Sinceritatibus et Fidelitatibus Vestris, ut commemoratum fratrem Bonaventuram Maresium, in commendata sibi Monasteriorum revisione versantem, ubique locorum Magni Ducatus nostri libere, tuto secureque versari, commorari, iter facere atque revisioni suæ operam dare sinant, cumque in hoc suo officio nulla re verbo factove impediant, aut impediri per quemcunque permittant, quin potius illi atque rei isti ad Ecclesiæ et Reipublicæ utilitatem susceptæ pro charitate pietateque Christiana, omni humanitate, studio, opera, ope presto sint atque adjuvent, ut S. D. N. jussa quam facillime ad laudem Dei et Ecclesiæ utilitatem perficere possit. Hoc Sinceritates et Fidelitates Vīræ pro gratia nostra officioque suo facere non prætermittant. Datum sub Suiram die xv Julii anno Domini MDLXXIX.

Stephanus Rex.

LV. — Sed et Clerum sæcularem ad sanctioris vitæ instituta Nuntius Apostolicus informandum aggressus est. Quamobrem Episcopis mandavit, ut ad S. Canonum præscriptum diœceses suas crebro perlustrarent, corruptosque Cleri mores emendarent. Cujus exequendi operis causa Episcoporum non nemini per suum causarum auditorem ipse Nuntius subsidio venit: quare et Samogitiensis Episcopus hæc tam grati animi sensa eidem per litteras patefecit. (*)

(*) Polonia Vol. 16. fol. 345.

Reverendissimo Domino Domino Joanni Andreæ Caligario Referendario et Nuntio Apostolico, et Domino Dño Observandissimo.

Reverendissime Domine plurimum mihi in Christo observande.

« Post mei ipsius ac obsequiorum meorum in gratiam Reverendissimæ Dominationis Vestræ commendationem, gratiam Dei, salutem ac felicem successum in omnibus a Deo Optimo Maximo Reverendissimæ Dominationi Vestræ ex animo precor.

« Expertus favorem ac gratiam Reverendissimæ Dominationis Vestræ, qua plurimum in hoc Episcopatu mihi a Deo concredito administrando et ad meliorem statum reducendo adjutus sum, per Reverendum Dñum Tarquinium Peculum auditorem causarum Reverendissimæ Dominationis Vestræ, gratias immensas Rīnæ Dominationi Vestræ habeo, semperque me habiturum polliceor. Simul quoque Reverendo Domino Tarquinio Peculo, qui in hac visitatione a Reverendissima Dominatione Vestra ad petitionem meam mihi non gravatim concessus est, pro diligentia, quam in hac re vel maximam adhibuit, in nullo parcens labori omnesque difficultates zelo juvandarum animarum accensus, plurimum me debere fateor. Nam hac ipsius visitatione et reformatione cum Ecclesiæ Cathedralis, tum reliquarum Parochialium conscientiam, quam hucusque solicitudinem de illarum reformatione gerens, non mediocriter gravatam habueram, sentio plurimum esse sublevatam, persuadens mihi omnia divina officia una cum personis, quorum visitatio facta est, ad meliorem statum revocatum iri. Hæc autem omnia inprimis Deo largitori omnium bonorum et gra-

tiæ Reverendissimæ Dominationis Vræ, quam in hac parte promptam erga me a Reverendissima Dominatione Vestra expertus sum. Itaque negotio hoc confecto, Reverendum Dominum Tarquinium ad Reverendissimam Dominationem Vestram sanum et incolumem Warsaviam remitto. Iterum ac iterum pro hac humanitate ac benevolentia, quam erga me in negotio hoc Reverendissima Dominatio Vra declaravit, gratias quantas possum ago, pro quibus omnibus Deus ter Maximus et hic et in futuro Reverendissimæ Dominationi Vræ sit æviterna merces.

« Rogo præterea Rmam Dominationem Vestram (si possibile est) pro dispensatione pro parochialibus ecclesiis Giedrocensi et Vyduklensi, quarum altera est in Diœcesi Vylnensi, altera vero in Mednycensi; prout cum Revma Dominatione Vra de eisdem oretenus loquutus sum. Ad hanc autem petitionem partim me cogit periculum, ne bona illarum parochialium in manus hæreticorum perveniant ac ab illis discerpantur, prout jam ceperant, partim etiam tenuitas redituum Episcopatus mei, qui magna ex parte Domino Tarquinio perspecti sunt. Verum hæc omnia prudentiæ ac judicio Reverendissimæ Dominationis Vestræ committo, cujus sanctissimis sacrificiis, orationibus ac gratiæ me vehementer commendatum esse cupio, precans eidem a Deo Maximo longissimam ac felicissimam valetudinem. Datum in Wydukliæ 9. Novembris anno Domini 1579.

Rmæ Dominationis Vræ

Observantissimus servitor
MELCHIOR D. G. ET AP. S. F.
EPISCOPUS SAMOGITIÆ,
DUX GIEDROCIUS.

LVI. — Ad hoc auspicatissimum opus expediendum non postremas partes sibi sumpserunt, et sua studia contulerunt Cracoviensis Academiæ Professores; namque ipsi decreverunt, nemini omnium magisterii honores delatum iri, nisi antea juxta Tridentinam formulam in fidei verba juraverit. Quod Protestantes, ut ejusdem Præses Nuntio Apostolico retulit, ægerrime habuerunt. (*)

(*) Polonia Vol. 16. fol. 58.

Ex litteris Rmdi D. Jacobi Gorscii J. U. D. Academiæ Cracoviensis in Jure Canonico Professoris atque Rectoris, sub die IX Februarii Cracovia ad Rmum Dmum Nuntium Apostolicum datis.

« Sed ægre nos fecisse credo Evangelicis. Nuper enim cum quendam Baccalaureum Vratislaviensis Ecclesiæ Vicarium et concionatorem titulo magisterii ornaremus, publice frequenti auditorio denunciavi, neminem nos deinceps ad ullos gradus admissuros, nisi qui secundum formulam Tridentini Concilii fidem professus fuerit, et in ejus formulæ verba publice juraverit: jussi cum ipsum Baccalaureum, cui potestatem daturus eram titulum magisterii accipiendi, altiorem in locum conscendere, ut ex ea formula fidem profiteretur; quam totam alta voce frequenti auditorio pronunciavit, ac in verba ejus juravit. Vidi mussitare Evangelicos et sibi ad promotiones iter obstrui dicere. Habebam ea de re orationem: dixi, multos esse, qui vultus habent catholicos, pectora autem veneni hæretici plena, ad quorum fraudem detegendam nos ea formula tanquam amussi deinceps usuros, et vestem ovilem lupis detracturos.

LVII. — Ne latissima Lithuania insigni aliqua Academia diutius careret, tam magni animi Rex ac fautor litterarum jam pridem Vilnense Patrum Ignatianorum Collegium universalis gymnasii honoribus ac privilegiis ornari studebat: qua de re sane Regis nomine cum Pontifice egit laudatissimus Præsul Vilnensis, qui præterea iterum eumdem supplex adiit. (*)

(*) Polonia Vol. 16. fol. 226.

Beatissimo Patri et Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

« Qui rerum sit status in nostra Lithuania, Beatissime Pater, puto antea Sanctitati Vestræ innotuisse, cum varia hæresum monstra in eam irrepserint, et mihi in Episcopali munere meo perpetuam quandam molestiam exhibuerint, quam nisi levasset aliquando spes melioris boni, restitutæque per Societatem Jesu pietatis initia et progressus non exigui, jamdudum variis morbis tentatam meam vitam omnino confecissent. Cum autem Collegium ipsius Societatis a me Deo miserante institutum in hac civitate sit, pene ut extremum in Europa, ita quasi arx et propugnaculum fidei Catholicæ inter Tartaros, Ruthenos, et dissectarum inter sese sectarum portenta, quæ sunt in mea satis ampla Diœcesi, statueram hoc ipsum Collegium Universitatis et Academiæ nobiliori nomine ita insignire, ut ad illud eo libentius undique confluerent scholastici, qui jam plus minus sexcenti sunt. At quoniam etsi adventu suo Serenissimus Rex noster et obtulit, et quod ad ejus Regiam Majestatem pertinebat, præstitit omne benignitatis argumentum et officium, ita ut hic institui Academiam, iisdemque Privilegiis decorari et muniri jusserit, quæ olim fuerunt Academiæ Cracoviensi concessa: tamen evincere non potuimus, quin aliqua in ipsis litteris patentibus fuerint inscripta, ex quibus aliquando incommoda non mediocria oriri possint. Nam quod in iis patentibus additum sit meum nomen, qui Cancellarii, et nomen Domini Episcopi Samogitiæ, qui Judicis et Protectoris Academiæ hujus officio funguntur; utrumque cerno non carere magnis difficultatibus, tum quoniam serius quam quidem voluissem audivi, a Pio V. sanctæ memoriæ et a Vestra Beatitudine provisum, ut non unam certam, sed quamlibet personam competentem sibi judicem et conservatorem Societas posset

adsciscere, quando is, qui esset negotiis distentus vel absens, vel parum erga Societatem animatus, incommodo potius, quam commodo Collegio huic esset futurus; tum etiam quod neque ego possum pro attrita valetudine fungi Cancellarii munere, neque alii pro ratione instituti Societatis et eorum studiorum, quibus Cancellarius continenter interesse deberet, si de Societate non sunt, damnum potius, quam utilitatem adferrent Universitati (cum præsertim pauci futuri sint Episcopi, qui in Philosophiæ aliisque studiis futuri sint præstantes, aut semper actibus Universitatis queant interesse). Propterea omni studio atque reverentia a Vestra Sanctitate humiliter contendo, ut in ea confirmatione nostræ Academiæ, quæ ab ipsa meo nomine petitur, jubeat ea verba inseri, quæ et Pontificiis Brevibus et Constitutionibus ipsius Societatis omnino sint conformia. Et quidem a Serenissimo Rege procurassem, ut patentes Regiæ Privilegiis et aliis Societati concessis ita confectæ fuissent, ne aliquem Societati laqueum injicerent: sed quando, qui ante ipsius Regis creationem fungebantur, et funguntur adhuc Magistratu, eorum consensus nulla ratione modo videatur obtineri posse, qui tamen esset necessarius, visum non est, ut rem difficile jam sic satis obtentam in periculum rediigeremus, si patentes hæ mutarentur et aliæ peterentur. Quare si Vestræ Sanctitati placuerit, ex suo motu proprio ea corrigere, id et mihi et omnibus bonis summum erit beneficium. Quod superest, ego Vestræ Beatitudini diutissimam vitam precatus ab ejus Beatitudine benedictionem humillime peto. Vilnæ 26 Julii 1579.

Vestræ Beatitudinis

Deditissimus et humillimus servitor
VALERIANUS EPISCOPUS VILNENSIS
manu propria.

Gregorius Regis ac Præsulis postulationibus annuens illud Collegium a. d. III. Kalend. Novembres iis omnibus privilegiis ornavit, quibus Universitates litterarum potiuntur. (*)

(*) Bullar. Rom. T. IV P. IV Num. 106 p. 111

LVIII. — Ut viros, qui ex ecclesiastico ordine sapientes cum de Ecclesia tum de Republica optime meriti essent, apud se habere, iisdemque facilius gratificari possit, Rex iterum orat Pontificem, ut sibi, quod superioribus regibus tributum fuerat, ad Canonicatus cæterasque ecclesiasticas dignitates designandi facultatem det; quod quidem in totius Cleri commodum verteret. (*)

(*) Lib. Princ. Vol. 41. fol. 120.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Dño Dño Gregorio XIII. Papæ ac Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime Pater et Domine Domine Clementissime.

« Post oscula pedum beatorum meique Regni et Dominiorum meorum commendationem. Etsi jam ante Sanctitati Vestræ diligentissimis verbis supplicaverim, ut quam potestatem conferendorum etiam in primariis Ecclesiis Canonicatuum prædecessores Sanctitatis Vestræ Serenissimis prædecessoribus meis clementissime tribuissent, atque ipsa Sanctitas Vestra proxime Antecessori meo Serenissimo Dño Henrico Galliarum Regi fecisset, et mihi largiri dignetur; eamque rem Sanctitas Vestra ad Oratoris mei ad se adventum prorogasset; tamen ut iterum eadem de re Sanctitati Vestræ supplicem, facit eorum sacerdotiorum ratio, quæ Venerabilis Erasmus Mielinski proxime Martio mense de vita decedens, vacua et temporis jure Sanctitati Vestræ aliis conferenda reliquit. De quibus Canonicatu scilicet Cracoviensi et Gnesnensi et Posnaniensi supplico, ut cum visum sit Sanctitati Vestræ responsum suum de universo jure illo differre, interea temporis sua ad Legatum suum, qui mihi adest, mandata dare dignetur, ut eos Canonicatus iis conferat atque commendet, quibus ego rectissime collatum iri judicabo. De quo quidem atque adeo universo illo conferendi jure ut diligentius laborem, cum aliæ faciunt causæ, tum ea imprimis, quod tantus sit Secretariorum meorum numerus, mihi ad expeditionem rerum in Cancellariis meis pernecessarius (e quo justissimis de causis nonnullos majoribus etiam Ecclesiæ sacerdotiis et Episcopatibus, hocque modo Senatus Regni nostri ordine cum magna Ecclesiastici status in his locis utilitate dignitateque afficere soleo), ut illorum juvandorum retinendorumque ratio a me facultatem istiusmodi beneficiorum vehementer requirat, potissimum quidem, cum et sponte mea, et admonitione Reverendissimi Domini Joannis Andreæ Caligari Sanctitatis Vestræ Legati, ea sacerdotia, quæ meæ collationis sunt et publicam atque Ecclesiasticam curam conjunctam habent, nisi assiduis et in præsenti permansuris presbyteriis conferam nemini. Id Sanctitati Vestræ hoc tempore habui supplicare, a qua clementissimum etiam de universo illo conferendi jure responsum humiliter expecto: et Sanctitatis Vestræ gratiæ benevolentiæque paternæ me, Regnumque meum meaque Dominia commendo, quam diutissime valere exopto. Datum Vilnæ die XXX. mensis Martii anno Domini MDLXXIX.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
STEPHANUS REX POLONIÆ
manu pp.

LIX. — Religiosissimus hic Princeps nullam sinebat sibi occasionem præterlabi, qua suum catholicæ fidei provehendæ studium probaret: cujus egregia voluntate Nuntius Apostolicus mirifice utebatur. Cum igitur Vilnam, ubi verno tempore ad res bellicas comparendas Stephanus

manebat, Tartarorum Præcopiensium Oratores, fidem gratiamque Regis contra Moscum implorantes, venissent, plurima de misera Ecclesiæ Catholicæ in iis regionibus conditione cum Nuntio Apostolico fuerunt collocuti. Ex quibus comperit adhuc in Taurici Chersoneso Catholicos quosdam superesse: in iisque maxime Italos ex Genuensibus oriundos, qui tempore Joannis PP. XXII. ineunte XIV. sæculo mercaturæ faciendæ causa Caffam, veterem Theodosiam, principem Chersonesi urbem, trajecissent. Hi vero Catholici Sacerdotum, qui eos docerent, quique sacra eis administrarent, tam parvam facultatem habebant, ut vix nomen catholicum retinerent, in magna rerum fidei inscitia versarentur. Huc accedebat, quod Tartari isti, qui turpissima Islamismi præcepta sequebantur, spem faciebant, fidem Christianam sese amplexuros esse; dicebant enim haud ita multum ab ea abhorrere. Itaque Nuntius Apostolicus cum præclarissimo viro Antonio Possevino e Societate Jesu nihil sibi ad curam ac laborem reliqui fecerunt, quo illis miserrimis Catholicis opem ferrent, rationemque inirent, qua Tartari isti Evangelii luce illuminarentur et in sinum Ecclesiæ reciperentur. [*] Qua de re uterque Regem per litteras adierunt, qui id sibi gratissimum esse eisdem significavit. En ejus ad Nuntium Apostolicum litteræ, quibus eundem de nonnullis etiam rebus bellum ab se cum Mosco initum spectantibus docet. [*]

[*] Mambosa document. N. 1

[*] Polonia Vol. 10. fol. 227.

Rñio in Christo Patri Dño Joanni Andreæ Caligario Referendario et Nuntio Apostolico, Syncere Nobis Dilecto.

« Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ Livoniæque etc. Princeps Transylvaniæ.

« Rñie in Christo Pater, syncere nobis dilecte. Grata nobis ea fuerunt, quæ Paternitas Vestra ad nos de plurium revocatione ad auctoritatem Ecclesiæ Catholicæ præscripsit, optamusque, ut omnia tandem ad ejus Ecclesiæ unitatem obedientiamque se referant. Nos in singulos dies certioribus nunciis rumoribusque accipimus, Albertum Laski Viennæ militem cogere ac Moldaviam dominatus occupandi causa oppugnare velle, idque se Turcarum Imperatoris concessione facere perhibere. Quod quidem similitudinem vero nullam habet, neque enim aliter facere Moldaviæ Palatinus posset, quam ut mandanti decedere de Provincia Imperatori Turcico pareret, etiamsi armorum metum nullus adhiberet. Plane igitur statuimus, eam (nisi occurratur) rem per magnos non modo Moldaviæ, verum etiam finibus Regni nostri motus atque adeo pericula allaturam esse. Si itaque tranquillitati nostræ consulemus, videri id mirum nemini debebit, neque difficilis conjectura est, a quibus hæc cudantur studio fortasse interpellandi ab incepto Moscici belli conatus nostros; verum viderint illi, ne quæ aliis incommoda machinantur, ea retro prolapsa, eo se lapsu suo referant, unde profecta videntur. Nos hæc, quod nobis molesta acciderent, eorum Paternitatem Vram esse nesciam noluimus, quam bene valere exoptamus. Datum Dzisnæ die quarta mensis Augusti anno Domini MDLXXIX. Regni vero nostri anno quarto.

STEPHANUS REX.

Cum idem Nuntius alteris litteris ea de re vehementer instaret, Rex eidem denuo confirmat, se quam primum bello cum Mosco confecto huic operi animum adjecturum. [*]

[*] Polonia Vol. 10. fol. 218

Reverendissimo in Christo Patri et Domino Joanni Andreæ Caligario Referendario et Nuncio Apostolico, Syncere Nobis Dilecto.

« Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Kioviæque etc. Princeps Transylvaniæ.

« Reverendissime in Christo Pater, syncere nobis dilecte. Esplicavit nobis Magnificus Joannes Zamoiski Regni nostri Cancellarius, quas Paternitas Vestra notis scriptas ad nos litteras dedit, quarum argumentum ut optabile est, ita gravem multamque pro negocii magnitudine deliberationem, ac diligentem rerum eo pertinentium explorationem requirit, quæ quidem a nobis hisce locis suscipi non potest, sed de eo coram commodius et pluribus verbis cum Paternitate Vestra propediem agemus. Nam ut Paternitas Vestra ad nos excurrat in magna potissimum temporis et itinerum iniquitate, causa non est, cum nos in ipso Vilnam reditu simus, ubi Paternitatem Vestram brevi Deo volente visuri sumus. Paternitatem Vestram recte valere exoptamus. Datum Dzinæ die xx. mensis Septembris anno Domini MDLXXIX. Regni vero nostri anno III.

STEPHANUS REX.

LX. — Neque vero Stephanus Rex minus belli quam domi pietatem colebat. Ille profecto in hoc auspicatissimo bello contra Moscos, quod justissimis ex causis inivit, summa virtute gessit et maxima felicitate confecit, qua esset in Deum fide, universo christiano orbi patefecit. Armorum namque suorum fortunam uni Deo acceptam referendam esse existimavit. Quamobrem antequam in aciem prodiret, non Episcopos modo regni sui, sed alios etiam apud exteras nationes vitæ sanctitate illustres viros per litteras vehementissime rogavit, ut ad Deum exercituum pro felici belli exitu preces effunderent, suosque ad idem faciendum excitarent. En litteras quas sancto Carolo Borromeo Mediolanensium Antistiti misit. [*]

[*] Polonia Vol. 10. fol. 181

« Stephanus Dei gratia primus Rex Poloniæ,

Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Volchiniæ, Podlachiæ, Pomeraniæ, nec non Princeps Transylvaniæ.

« Illmo et Rmo Domino Carolo Borromeo S. R. E. Presbytero tituli Sancti Praxedis Cardinali, Archiepiscopo Mediolanensi, amico nostro charissimo et honorando, salutem et rerum omnium felicitatem. Illme et Rme Domine, amice charissime et honorande. Quæ Rmæ D. Vestræ non modo summa est in Ecclesia dignitas, sed præcipua etiam peculiarisque pietas ac virtus, (cujus prædicationem etsi ex aliis sæpe, ex nemine tamen luculentius atque illustrius, quam ex Rmo in Christo Patre Dno Joanne Caligario S. D. N. apud nos Legato creberrimo in sermone accepimus) ea faciunt, ut hasce in ipso nostro belli procinctu ad Rmam Dominationem Vestram litteras demus, quibus eam et de instituto nostro faciemus certiorem, et nos nostraque cœpta benevolentiæ ac precibus Reverendissimæ Dominationis Vestræ sedulo commendemus. Non est vero ullum nobis dubium, quin Rma Dominatio Vestra in tam excelso dignitatis loco collocata, auditione sæpius acceperit, quanta sit earum injuriarum magnitudo, quibus Magnus Moschoviæ Dux et Serenissimos antecessores nostros exercuit, et Regnum hoc ejusque provintias per omnem crudelitatem immanissime divexarit, fraudeque sæpissime, interdum etiam vi, dum aut Serenissimi prædecessores nostri aut nos alibi rebus aliis tuendis distineremur, in ditiones nostras irrepserit, invaserit, in iisque immanitate, quanta post homines natos Tyrannus nemo grassatus sit. Contra hunc hostem cum alia ratione nulla nostra aut recuperare aut tueri, quæ etiamnum in potestate nobis sunt, possemus, bellum suscipimus, idque jam hoc tempore divinæ opis auspiciis gesturi sumus. Ad quod nostrum justissimis de causis susceptum bellum bene graviterque administrandum, etsi ea comparata habeamus, quæ proficisci a nobis, et Regni ditionumque nostrarum viribus conatibusque potuerunt, tamen ad ea nobis omnium in orbe Christiano hominum studia atque vota, quantum possemus, accumulanda esse judicamus. Eoque nomine ut a S. D. N. et cæteris Christianis Principibus, ita et a Rma D. Vestra majorem in modum petimus, ut cœpta hæc nostra benevolentia, studio, pietate sua, tum suis suarumque Ecclesiarum votis et precibus prosequatur, quod nos in magno subsidii loco ponemus, et Rmæ Dominationi Vestræ studiis nostris omnibus atque officiis, quæ ad Rmæ Dominationis Vræ voluntatem utilitatemque poterunt pertinere, libenter respondebimus. Rmam Dominationem Vestram recte valere exoptamus. Vilnæ die III. Julii MDLXXIX.

STEPHANUS REX.

Eodem fere exemplo litteras deferendas dedit ad magnum illum virum Stanislaum Hosium Cardinalem Varmiensem, amicissimum suum; verum hic magnus Antistes non exiguo Ecclesiæ Reique publicæ damno, ingenti omnium luctu, Nonis Augustis hujus anni, ætatis anno suæ septuagesimo quinto, ad superos evolavit.

LXI. — Nuntius etiam Apostolicus propterea non alienum ab suo munere esse censuit, regni Episcopos ad publicas Deo preces ac supplicationes adhibendas Regis nomine hortari, quod ex eo profligato bello aliquid quoque in rem catholicam commodi promanaturum esse sentiebat. [*]

[*] Polonia Vol. 16. fol. 178

Reverendissime Domine.

« Stephanus primus Poloniæ Rex præstantissimus, cum id bellum pro suo Regii muneris officiique debito gerendum susciperet, quo feliciter depugnato et veteres Regni fines restitui, et Reipublicæ status omnis ad perpetuam vel pacem vel dignitatem constitui, firmarique posse videatur, validissimum exercitum rebus omnibus necessariis apprime instructum comparavit: qui fretus quamvis non dubiam de hoste victoriam sibi suisque polliceri valeat, tamen cum pro sua pietate et pro justitia causæ magis multo de benignitate et misericordia Dei, quam de sua virtute confidat, sciatque belli eventus dubios esse solere, seque non in curribus et equis, sed in nomine Domini salvum fieri debere, per litteras diligenter cum Rma Dominatione Vestra egit, ut hoc egregios animi sui conatus sacrosanctis Missæ sacrificiis et sacris precibus identidem prosequeretur. Verum cum idem Serenissimus Rex et hujusmodi sperata victoria non ad Regnum modo Remque publicam, sed ad Catholicam Dei Ecclesiam præcipuam quandam et singularem dignitatem atque utilitatem redundare posse non dubitet, consentaneum quoque illi visum est, nos etiam pro munere nostræ Apostolicæ Legationis in eodem officii genere cum Dominatione Vestra Illustrissima versari. Quare cum rei gravitas ac magnitudo satis ipsa per se loquatur, constetque id, quod communi periculo et commodo agitur, communi etiam consilio et suffragio adjuvandum esse, Reverendissimam Dominationem Vestram etiam atque etiam in Domino enixe rogamus, ut ita per civitatem et diœcesim suam edicat, ut durante bello ejusmodi sine intermissione supplicationes, et preces ad Deum Omnipotentem summa omnium humilitate et devotione effundantur: quod enim omnium consentientibus votis petitur, facilius multo impetratur. Id autem ut quam rectissime fieret, nos adhibitis piis et rebus Ecclesiasticis eruditis viris, quam brevissimam proposuimus precandi et supplicandi rationem, cujus aliquot exemplaria typis impressa his litteris adjuncta D. Vræ Rmæ mittimus. Si

quid autem illi præterea pro sua pietate, et pro loci uniuscujusque consuetudine de iis detrahendum aut addendum videbitur, arbitrio judicioque suo utatur. Opto Dominationem Vestram Rmam in Domino semper bene valere. Vilnæ die II. Julii MDLXXIX.

LXII. — Rex regnique Cancellarius, præstantissimus ille vir Joannes Zamoiskius, tantum Summo Pontifici tribuebant, ut eum et litteris et per tabellarios frequentes de iis, quæ tum in bello gerebantur, certiorem facerent. Cujus rei documento sint hæ Cancellarii ad Nuntium Apostolicum litteræ, in quibus hujus viri pietatem mireris: qui inter bellicas res gaudio perfusus primum ei gratias agit habetque singulares, quod sapientissimis ejus consiliis conjugem suam Calvini hæresi addictam ad Ecclesiam Catholicam reduxerit. [*]

[*] Polonia Vol 16 fol 215

Reverendissime Domine, Amice Obsermę.

• Non potuit gratulatio mihi alia afferri jucundior, quam quæ gravissimis perscripta verbis Rmæ Dominationis Vestræ litteris mihi allata est de conjugis meæ charissimæ ad Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem revocatione. Cumulor enim maximo gaudio factum esse Dei Opt. Max. beneficio, quod ad cæterarum rerum societatem animorumque nostrorum summam conjunctionem, quam mihi cum ea matrimonii sanctitudo constituit, sacrorum quoque communio pietatisque consensio accesserit. Quo nomine cum jam immortales Deo præpotenti ago gratias, tum habeo permagnas Rmæ Dominationi Vestræ, et ante Deum pro ea re sæpius deprecanti, et nunc sic mihi gratulanti, ut se amor erga me mirificus ostenderit. Deus cujus hæc clementia beneficioque gesta sunt, augeat cumuletque hanc pietatem, ad quem laudem gloriamque omnem refero. Quæ hic gerantur, scire Rmam Dominationem Vestram etiam atque etiam a vero pro suo singulari erga Sacram Regiam Majestatem hancque Rempublicam studio non dubito: fortunavit ad hæc benignissime principia Deus, cujus beneficio effectum est, ut primum arx Koziana primum subita impressione a nostris intercepta atque flamma funditus deleta sit, post arx Krasnc, a nostris etiam militibus vi subita tentata, in Regiæ Majestatis potestatem cum præfecto Palatino, universo propemodum præsidio, ac commeatu instrumentoque bellico omni pervenerit, qua capta ita exclusa esse propinqua arx quædam Szusza a subsidiis videtur, ut spes sit ultro se Regiæ Majestati permissuram esse. Muscham alii Plescoviæ etiamnum esse, alii cum filio penitius in Moschoviam abiisse affirmant. Smoleseiæ præfectum subsidia a Duce Moscorum petiisse nunciant, quod nostræ a Boristhene copiæ isthuc accedant, metumque obsidionis offerant. Huic responsum a Mosco esse, omnes se vires contra Poloniæ Regem conferre oportere, quibus si res geri secundæ possent, omnia in tranquillo tutoque fore; si quid secus accideret, se sibi ex ea re consulturum itidemque illi faciendum esse, interea rerum dum se res alterutram in fortunam inclinarent, se præsidiaque intra arcem contineret, dimidicandique discrimen vitaret. Biduo postquam hæ scriberentur, Sua Regia Majestas Deo adjuvante hinc postremis cum copiis omnibus flumen transibit, ac Polociam oppugnandi causa proxime accedet, plane futura septimana proxima aliquid ad summam ejus obsidionis geretur, cognosceturque, quorsum hæc exitura sint. Nos adhuc recte sperare omnia jubent, confidimusque facturum Deum, ut optamus. Precibus tamen perquam opus est, hoc potissimum tempore, quo res ad ipsam jam dimicationem adducta est. Quæ posthac gerentur, non patiar Reverendissimam Dominationem Vestram ignorare, quam bene valere cupio. Datum Dzisnæ die 4. mensis Augusti 1579.

Rmæ Dominationis Vestræ

Observantissimus amicus et servus
JOANNES ZAMOISKI CANCELLARIUS
REGNI POLONIÆ.

LXIII. — Non est igitur, cur miremur, si Deus huic tam præstanti pietate Regi omnia prospere succedere voluerit, eumque victoria auxerit, quam nulla unquam delebit oblivio. Ex ea namque factum est, ut Plocensis provincia ab Moscovitis fraude et vi Sigismundo regi abrepta, iterum Poloniæ regno adjungeretur. Etenim arx Plocensis, quam Moscovitæ obtinebant, acriterque totis viribus propugnabant, ab Stephani virtute ferro ignique expugnata in ejus ditionem cessit. De qua illustri victoria, deque tota ratione ejus prœlii cum amplissimo bellicæ hostium virtutis elogio Rex his litteris suos Polonos certiores reddidit. [*]

[*] Polonia Vol 16. fol 239

• Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ etc. Princeps Transylvaniæ.

• Universis et singulis Reverendissimis, Reverendis, Magnificis, Generosis Regni nostri Consiliariis, Dignitariis, Officialibus, Nobilibus, atque aliis Ordinibus omnibus syncere et fideliter nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Rmi, Reverendi, Magnifici syncere et fideliter nobis dilecti. Quod in superioribus omnium Reipublicæ Ordinum proximis Comitiis decretum fuit, ut bellum hoc anno contra Magnum Moschorum Ducem administraremus, curæ nobis pro Regio nostro munere, nostroque in Rempublicam studio esse scivimus, et contractis exercitibus nostris, comparatoque aliquo partim contributionum pecuniis, partim (quod contributionum pecuniæ minime satisfacerent) aliis rationibus belli apparatu, extrema Junii die Vilna ad copias nostras recensendas lustrandasque Suirum discessimus.

Quo quidem in loco multa nos diligensque deliberatio tenuit, quorsum nos potissimum cum exercitibus nostris in hostem conferremus, quidque rectissime et quam maxima cum utilitate Reipublicæ nobis ante omnia bello aggrediendum esset: rebus vero omnibus in accuratam considerationem vocatis, ex judicio et Senatorum nostrorum et aliorum militariorum virorum, qui nobis aderant, eam tandem in sententiam descendimus, ut primum nostrorum armorum vim ad Polociam oppugnandam conferri oportere concluderemus, quod quidem ea arx cervicibus Magni Ducatus nostri Lithuaniæ, atque adeo ipsi civitati nostræ Vilnensi nulla alia firmiori munitione interjecta immineret, ex qua nobis in aliis remotioribus Regni locis occupatis, oblata occasione, summam non modo Lithuaniæ diripiendæ, sed Vilnæ etiam adoriendæ facultatem hostis habiturus videretur. Faciendum præterea necessario nobis visum est, ut cum bellum hoc non modo rerum communis Reipublicæ recuperandarum causa, sed hostem quam longissime removendi graviusque coercendi gratia susceptum habeamus, expeditionibus nostris in his potissimum regionibus maxima anni parte, aut frigoribus gravissimis aut imbribus assiduis militiæ infestis, tum quoque ad vastitatem difficilliinis propinquiorem aliquam sedem, et quasi officinam, quam ipsa Vilna esset, compararemus, ex qua quidem officina quam maxime integrum recentemque penitius in solum hostile ducere militem, et belli instrumenta, impedimentaque minore cum negotio ad res cum celeritate fœlicitateque gerendas transferre possemus. Quanta enim eam difficultate ac detrimento Vilna illud facturi essemus, brevi hoc itinere, quo cum exercitu nostro progressi sumus, magna nostra cum molestia cognovimus; accessit et illud, quod hac arce, qua firmiorem, majorem hostis nullam habet, expugnata, de aliis retinendis hostem eo magis diffidere, et occupandis militem nostrum sperare doceremus. Tantum vero abfuit, ut nos eo deterreri oportere judicaremus, quod locus ille ab omni opere bellique apparatu firmissimus esse perhiberetur, ut hoc potius de principio nobis recentibus militum nostrorum viribus animisque, quam us militiæ diuturnitate afflictis tentandum existimaverimus. Cum igitur nihil facto potius utiliusque judicatum esset, his factis ab invocatione opis divinæ auspiciis, Suro primum Illustrem Nicolaum Radziwil Palatinum Vilnensem cum aliquibus equitum peditumque Lithuanorum copus. et certo Ungarorum numero cum Generoso Gasparu Bokez Polociam præmisimus itinerum claudendorum causa, ne quid a Magno Moschorum Duce præsidii accederet, quo etsi majoribus in magna etiam vi et difficultate itineribus pervenisset, tamen cum jam ante nostras ad hostem litteras misissemus, quibus ei bellum cum diligenti explicatione causarum denunciavimus, biduo antequam nostræ illæ copiæ ad Polociam accessissent. Equitum et peditum aliquid ab hoste in arcem immissum est, adhibita vero a Palatino Vilnensi, posteaquam propinquo ad arcem loco consedisset, ea diligentia est, ut post nullius subsidii hostilis accessio facta sit. Nos cum exercitu nostro, et tormentis impedimentisque bellicis, in summa viarum iniquitate, quam pluviarum assidua magnitudo et horum agrorum natura effecit, minoribus itineribus subsecuti fuimus, interea a copiis nostris, quæ præcesserant, arces tres Koziana, Crasne et Sythno per excursionem celeriter occupatæ, et incendio deletæ sunt. Undecima Augusti die proxime Polociam cum copiis omnibus nostris movimus, et propinquo ad mœnia loco castra metati sumus, arcem civitatemque tribus locis obsidione cinximus, eademque die locis omnibus munitiones, fossasque proprius hostem agere jussimus. Postridie civitatem non mediocriter fossis et aggere, et propugnaculis et parietibus densissimis, tum quoque præsidio firmam, ea maxime de causa, quod eo loco nos a propinquiore ad arcem accessu prohiberet, incendimus, ac totam paucis horis delevimus, tum longius munitionibus nostris ad ipsas arcis portas promotis omni conatu in arcem expugnandam incubuimus. Ostenderat vi sua præpotens Deus, in manu sua rerum gerendarum potestatem esse, et assiduas pluribus diebus pluvias ita immiserat, ut et operæ militum majorem in modum impedirentur, et oppugnandi ratio etiam atque etiam retardaretur: constitit tamen militi nostro maximus etiam in incommodis singulis animorum ad omnia obeunda tollerandaque ardor sic, ut in summa pluviarum iniquitate, altissimoque luto nihil prætermitterent, quæ ad oppugnandum pertinere possint, hostibus contra omnes nostros conatus acerrimis animis, et incredibili tormentorum vi dies noctesque propugnantibus, tanta pervicacia, et flammas a nostris illatas extinguentibus, et vim omnem depellentibus, ut se tormentorum telorumque nostrorum injuriis certatim offerrent, et succumbentibus aliis alii confertim succederent, ostenderentque Moschos arcium defendendarum vi, atque ardore cæteris omnibus gentibus antecellere. Respexit vero tandem nos sua benignitate clementissimus Deus, concessitque, ut quæ prima nobis paulo serenior dies vigesima nona die Augusti illuxit, ea incendium a milite nostro arci illatum sit, summa cum contentione atque discrimine. cum se miles noster in fossas demittere, et Polotam flumen superare, denique arduum clivum, cui impositum propugnaculum erat, subire, et manibus materiam ignemque inter infestissima creberrimaque hostium tela inferre necesse habe-

rent; quod incendium cum vehementius exarsisset, et munitionis anterioris, in quo sclopetariorum domicilium fuit, aditum aliquem patefecisset, teneri militum nostrorum ardor non potuit, quin per ipsam flammam irrumperet atque hostem feriret, a quo tamen cœpto cum propugnatione hostili, tum maximæ flammæ vi rejectus parvo cum nostrorum, neque amplius 27, pluribus tamen vulneratis, hostium vero ad ducentorum interitu; dederat aliquam hostis eadem die deditionis significationem, quam non seriam fuisse animadversum fuit, cum novis se munitionibus flammæ altitudine nostris conspectum eripiente, circumdare deinceps cognitum esset. Nulla igitur cum intermissione oppugnationis vim omnem adhibendam, nullumque hosti quiescendi, aut se firmius muniendi spatium concedendi judicavimus, posteroque die ignem in alias munitionis partes miles, in quo equites etiam erant, qui misso equo in pedes descenderant, intulit, quo cum iterum aliqua muri pars deleta esset, et clivum, in quo propugnaculum antea igne absumptum erat, tenuisset, ac inde ad latus hostilium fossarum ac munitionum illa parte deleta, tumultuario opere factarum, fossas ac munitiones durendo præsidiarios circuire fere cœpisset, atque sic in potestate hostis esset. Nos et sanguini christiano parcentes, et operam dandam rati, ut arce quam maxime integra cum tormentorum aliorumque belli instrumentorum apparatu potiremur, quæ hostis ipse ad extremum igne injecto delere posset, facta omnibus vitæ gratia permisimus, ut qui nobis militare vellent, (quorum qui velint magnus sane est numerus) fortunas omnes suas incolumes conservarent, atque stipendia nostra mererent; quibus redeundi in Moschoviam animus esset, id nobis permittentibus, atque omnem securitatem præstantibus facerent. Palatini Basilius Jwanowicz Mikidinzki Thelakowzki, Demetrius Michalowicz Sczerbati Obolinzki, Matheus Jwanowicz Rzowzki, Jwan Gregorowicz Suszym, Petrus Jwanowicz Wulinzki, Lukyan Trzecziakow Rakow filius Sczerba, qui partim præfuere, partim in arce fuere, cum se sponte dedere ac gratiæ nostræ permittere noluent, captos in custodiis habemus, et arcem ipsam præsidio nostro immisso tandem obtinemus. In quam quidem cum nostri ingressi essent, passim magnum cadaverum insepultorum numerum repererunt, tum tormentorum ac pulveris tormentarii, globorumque tantam vim deprehenderunt, quanta in arce aliqua christiani orbis his rebus instructissima posset reperiri. Quos quidem rei gestæ successus ut imprimis ad Deum præpotentem referrimus, ita illi summa animi pietate gratias agimus, ac Sinceritates ac Fidelitates Vestras hortamur, et easdem pro bene gesta Republica agant, simul etiam comprecentur, ut quæ gerenda supersunt, quæque in hostem hunc deinceps etiam suscipiemus, itidem clementissime fortunare dignetur. Quod illum pro sua benignitate, et causæ, quæ hæc nobis arma induit, bonitate facturum confidimus. Nos quidem ad res pro communi Republica gerendas omne animi studium, curam, laborem, operam, sanguinem, adeoque vitam nostram cupide semper prompteque afferremus. Datum in arce nostra Pulocensi die ultima mensis Augusti anno Domini 1579. Regni vero nostri quarto.

Stephanus Rex.

LXIV. — Stephanus propediem Vilnam rediturus, de suo reditu et relata victoria Nuntium Apostolicum docet. [*] [*] Polonia Vol. 16. fol. 299.

Rmo in Christo Patri Domino Joanni Andreæ Caligario Referendario et Nuncio Apostolico, Syncere Nobis Dilecto.

« Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæque etc. Princeps Transylvaniæ.

« Rme in Christo Pater, syncere nobis dilecte. Studium erga nos Paternitatis Vestræ, quod uti ex rebus omnibus erga nos mirifice ostendit, ita epistola proxima se declaravit, nobis jucundum est: de quo quidem plura Paternitas Vestra ex litteris Magnifici Cancellarii intelliget. Nos hostem Dei Opt. Max. beneficio omnibus prope arcibus hoc in Ducatu Polocensi dejecimus, Sokolam magnum et lectissimum e prætorianis Mosci cohortibus habentem ferro ac flamma expugnavimus, exercitus nostros opportunis in locis præsidio ad fines collocatos relinquemus, nos Vilnam propediem referemus, ubi confidimus nos Paternitatem Vestram salvam visuros esse. Paternitatem Vestram recte valere exoptamus. Datum ex castris ad arcem nostram Polocensem die xv. Septembris anno Dñi mdlxxix. Regni vero nostri anno quarto.

Stephanus Rex.

Nuntius Apostolicus statim Regi, patrem patriæ eum appellans, simul relatam victoriam, simul egregium ejus consilium in ipsa arce Plocensi Collegium Patribus Ignatianis inædificandi, cumulatissime gratulatur. [*] [*] Polonia Vol. 16. fol. 297.

Serenissime Rex.

« Summa animi voluptate sum perfusus, quod me Sacra Regia Majestas Vestra in benedictionibus dulcedinis prævenerit. Vere enim dulces sunt benedictiones, et speciosæ laudes in ore Regis, quæ Dominum Deum Sabauth felicium eventorum et victoriarum anthorem et datorem prædicant, eidemque rem bene gestam, ac bello partam gloriam acceptam referunt. Sunt enim hæc christiani gratique animi officia, sunt orthodoxi Regis insignia atque ornamenta. Quam ob rem consilium Serenissimæ Majestatis Vestræ de æde sacra ædificanda, ornandaque in

Arce Polocensi proxime de Moscho capta, eidemque adjungendo collegio Jesuitarum, qui inibi et animarum saluti comparandæ, et juventuti ad veram pietatem erudiendæ atque instituendæ incumbant, ac in divino cultu recte et pie exercendo et administrando occupati sint; sic probo ut salutare, sic laudo ut pium ac magnificum, credoque et pro certo habeo hoc ardens animi sui studium, et Deo in primis gratum acceptumque, et Sanctissimo Romano Pontifici jucundissimum futurum. Quare Sacra Regia Majestas in sententia permaneat, et quam Catholicæ Ecclesiæ causam suscepit, hanc perpetuo tueatur atque ornet: polliceaturque sibi non meam tantum, quæ jussis suis semper patebit, sed Jesuitarum, sed Summi Pontificis, sed Dei ipsius operam atque opem in ea re sibi præsto adfuturam. Negotium tamen hoc usque ad adventum Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ, et ad Patris Provincialis ex Transylvania reditum in hanc urbem necessario videtur rejiciendum, nisi tamen duo pluresve eo in præsenti mittendi essent; principio autem providendum est, ut sint, qui inibi curam animarum exerceant; interea vero ego rem totam ad Sanctissimum Dominum nostrum detuli, litteras Regias meis litteris adjunxi, amplioremque in tanta messe operariorum numerum rogavi. Hic autem Rmus Dominus Episcopus Vilnensis ad nuntium ejusmodi profusis lachrymis animi sui gaudium testabatur. Collegium totum Vilnense lætitia exultabat, catholici homines admirabantur piam sancti Regis mentem, mirificam sui liberatoris liberalitatem, Patris patriæ effusam benignitatem. Ego vero pro tantis meritis, quibus verbis immortali Deo, et Stephano Regi a Deo ipso coronato satis dignas gratias agam? quod Legatus Apostolicæ Sedis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vexilla, et orthodoxæ fidei trophæa in visceribus Moscoviæ ab ista præstanti fide, et victoria manu illata et constituta primus omnium viderim! Laudat Gregorius magnus ille Sanctissimus Romanus Pontifex ac summis præconiis extollit Recaredi Regis Hispaniarum facinus, quod Gothos populos sibi subjectos ad Catholicæ et Romanæ Ecclesiæ fidem auctoritatemque longo intervallo traduxerit. Laudabit et Gregorius XIII. itidem Romanæ ac universalis Ecclesiæ Pontifex Stephani Polonorum Regis excellens studium, et verissimis laudibus egregios animi sui conatus ad cœlum efferet, quod non modo Poloniam, Lithuaniam et Transylvaniam ab omni hæresis labe et contagione purgandas, instaurandasque studiose susceperit, ad idque præcipua et præsentissima remedia adhibuerit, verum etiam quod omnium Princeps Muschos feros populos victricibus armis subactos, eosdemque dudum jam a pristina et incorrupta Sanctorum Patrum fide atque doctrina sejunctos, atque a Catholicæ Ecclesiæ unitate longe aberrantes, multisque et variis erroribus præterea contaminatos, ad veræ pietatis cultum, et Sanctæ Romanæ Catholicæ Ecclesiæ obedientiam communionemque revocaverit. Neque nos modo, qui nunc vivimus, tantorum meritorum memoriam conservabimus, sed posteritas omnis, et Beati Petri in Romana Ecclesia successorum futura series, quorum fides divino promisso nunquam deficiet, et quibuscum Dominus noster Jesus Christus una erit usque ad consumationem sæculi, ad Regii nominis gloriam sempiternam maximi et pulcherrimi facti insigne decus, ac famam perpetuo celebrabit. Deum præpotentem rogo, ut cœlestium donorum largitatem, quam in pectus Regium congessit, et augeat semper, et tueatur, ac victorias victoriis accumulet. Vilnæ die xv. mensis Septembris MDLXXIX.

LXV. — Neque illud silentio est prætereundum, quod in eadem Plocensi arce locupletissima bibliotheca codicibus Mss. magni pretii referta extiterit, atque in victoris Regis potestatem venerit. Quod porro ad reliquas res attinet, ut vasa ex auro argentoque cœlata ad cultus divini usum, quæque vel artificio, vel certa vetustate ipsa plurimi haberentur, ea omnia Moscovitæ secum asportaverunt. In illa autem bibliotheca præter annalium libros reperta sunt pleraque Doctorum Græcorum scripta, in iisque de hierarchia cœlesti et ecclesiastica libri omnes nomine Dionysii Areopagitæ inscripti, in vetere idiomate Slavico: quorum plerique in eam linguam e græca a Methodio et Constantino translati ferantur.

LXVI. — Rex ut primum Varsoviam rediit, statim pro relata victoria agendarum gratiarum Deo Optimo Maximo solemniores Ecclesiæ ritus, ac preces publice habendas curavit, quibus una cum regia aula in omnium admirationem singulari pietatis ac religionis significatione interfuit. Quo et accesserunt oratores, qui e sacro suggestu concionibus tum copia verborum, tum elegantia sermonis, tum motibus animorum splendidis Regis triumphos celebrarunt ornaveruntque: quos inter omnibus antecelluit primasque tulit Secolovius. Rex deinde ad gratum suum erga Deum animum testificandum, cam victoriam christianæ caritatis operibus illustrandam ratus, in pauperum usum xenodochium extruxit, et duo templa, alterum in Polonia, alterum in provincia recens armis devicta excitavit. (1) — (1) Mansoon document. N. 5.

LXVII. — In tanta omnium bonorum lætitia Summi Pontificis extitit maxima. Itaque victori Plocensi in singularem amoris et honoris testificationem misit ensem et pileum, quibus sacris Romanæ Ecclesiæ ritibus per ipsum fuerat benedictum. (2) — (2) Reg. Gregorii XIII An VIII ep. 84 f. 213.

Charissimo in Christo Filio Nostro Stephano Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Insignis pietas et virtus tua, quæ in civilium bellicarumque rerum administratione, inque Catholicæ Religionis cultu et propagatione sese facile ostendit, cumulat Nos bonosque omnes et Christi gloriæ cupidos omni gaudio et voluptate: quo quidem nomine non cessamus Deo gratias agere, teque ejus bonitati commendare. Mittimus Majestati Tuæ per dilectum filium Paulum Uchanskium, Oratorem tuum, ensem et pileum, quibus benediximus vetere Romanorum Pontificum instituto nocte natali Domini Nostri Jesu Christi. Oramus autem divinam bonitatem, ut Tuam Majestatem perpetuo tueatur, teque majore in dies virtute, Ecclesiam suam gaudio et fœlicitate, hostes mœrore augeat, tuaque præstanti charitate atque opera utatur ad sui nominis gloriam, Sanctæque Ecclesiæ suæ amplitudinem. Ut autem hoc nostrum vere Regiæ virtutis tuæ testimonium eo, quo decet, honore celebretur, volumus, ut peracto per aliquem Antistitem, quem malueris, sacrosanctæ Missæ sacrificio in eo templo, quod oportunius judicaveris, idem Antistes ensem et pileum tradat Majestati Tuæ nostris verbis. Omnibus autem vere pœnitentibus et confessis, qui Missæ integræ vel aliqua ex parte, etiam cum Antistes populo benedicet, interfuerint, proque Sanctæ Ecclesiæ amplitudine, pacis concordiæque inter Catholicos Principes conservatione, hostium eversione pias ad Deum preces effuderint, ejus misericordia confisi, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam elargimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die v. Decembris MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

Alteris litteris eidem de tam illustri victoria, deque egregia ejus in fide catholica prolatanda voluntate gratulatur. [*]

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VIII. ep. 99 l. 216.

Charissimo in Christo Filio Nostro Stephano Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Summa semper fuit omnium hominum expectatio pietatis et virtutis tuæ, eamque boni semper suspexerunt: mali sunt veriti. Omnes enim exploratum habent, Majestatem Tuam nihil humile ac terrenum cogitare, sed id agere et conari, ut domi forisque inserviatur Dei gloriæ, eaque quam latissime propagetur. Est autem hoc de iis, quæ a Regis cura et vigilantia expetuntur, quæ quidem permulta et gravissima sunt, longe maximum atque ad omnem Regni fœlicitatem stabilissimum, quo neglecto cætera omnia nihil plane sunt. In hoc autem gloriosissimo munere versari pietatem tuam, communique expectationi mirifice respondere, in rebus tum civilibus tum bellicis sapienter administrandis, gratulamur Majestati Tuæ, gratiasque agimus Deo tam præstantis voluntatis ac virtutis largitori. Recenti autem de Moschis victoria quantopere lætati simus, tuæ existimationi relinquimus; quid enim est, quod tam optare debeamus, quam ut Christianorum res crescant, hostium vero frangantur comminuanturque? Habes igitur summam apud omnes bonos laudem pietatis in bello suscipiendo, prudentiæ in administrando, virtutis in conficiendo. Ut autem ab his initiis summa omnia expectari par est, sic non cessamus Deum orare, sine cujus ope inanes sunt omnes spes nostræ et conatus, ut Tuæ Majestati perpetuo adsit sua virtute, Ecclesiamque suam majore in dies gaudio cumulet ex tua pietate, præstetque, ut quæ præclare cogitas, omni cum fœlicitate perficias ad sui nominis gloriam, Catholicæque Ecclesiæ suæ amplitudinem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xii. Decembris MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

LXVIII. — Quod ad Sveciam attinet, ex nostro instituto ad librum jam sæpius citatum lectorem remittimus [*], ubi res hoc anno a Possevino cum Rege de Catholica Religione præclare actas et comparatas fusius exposuimus. Satis erit infra referre, quæ ea de re Sacchinus breviter strictimque narrat.

(*) Theiner, Schweden etc. Tom. I p. 110 606

Possevinus, absolutis negotiis, quæ Pontificis nomine cum Cæsare, cum Duce Bavariæ, cum Rege Poloniæ sibi erant gerenda, quæque ad rem catholicam in his regionibus provehendam, imprimisque ad Collegia ac Seminaria instituenda pertinebant, Dantiscum appulsus, iter in Sveciam paravit. Principes fere omnes, quos convenerat, amantissimas ei litteras Sveciæ Regi tradendas dederant, quibus eumdem in præstantissimo illo consilio Catholica sacra in suum regnum invehendi magis magisque confirmabant. En perpulchras sapientissimasque Ducis Bavarorum litteras, in quibus de communione sub utraque atque de Patrum Societatis Jesu laudibus plura scitu digna invenies. [*]

(*) Germania Vol. 99 fol. 59.

Serenissimo Principi Domino Joanni Sveciæ Vandalorumque ac Gothorum Regi etc. Domino Affini Nostro Honorandissimo.

Serenissime Rex, Dñe et Affinis charissime.

« Salutem ac sinceris amoris paratissima studia. Cum accepissemus de eo, quod summo cum honore magnaque Catholicorum ac piorum omnium congratulatione passim prædicatur de Regia Vestra Dignitate, committere plane noluimus, ut non extaret apud eandem evidens aliquod testimonium, quam ea ex re ingens capiamus gaudium, quamque bene ac fœliciter polliceamur et Religioni et Reipublicæ Christianæ.

Equidem nobis in hac vita suavius nunquam accidet, quam si experiamur perpetuum illud nostrum in Catholicam Religionem studium multos quoque tangere et occupare alios, quorum præ cæteris opera utilis atque efficax esse queat. Quod quidem cum de Regia Vestra Dignitate adeo jam certum sit, notumque Orbi, in spem adducimur longe maximam, futurum tandem, ut nostræ hujus ætatis gravissimorum malorum emendationem, adeoque expiationem aliquam etiam ipsi aspiciamus. Atque hanc expectationem nostram imprimis auget, quod iis ex partibus, unde tot errorum turbarumque in Ecclesiam Dei invectum est, vicissim nunc saluberrimæ opis exemplum tam illustre sese ostendat. Sane iis, quæ a Pseudoprophetis per totam quasi Germaniam data sunt mala plurima, quod ex sanctissimo Regiæ Vestræ Dignitatis studio eradicationem nunc polliceri audemus, ad perpetuam ejus gloriam, cœlestisque mercedis augmentum certo pertinebit; maxime ubi, quod Summi Dei causa cœptum est, opus summum atque dignissimum fortiter ac intrepide perficiatur. Est procul dubio hæc in amplissimo regno mutatio gravis, plenaque laborum et periculorum, nec cessat forsan per sua organa humanæ salutis osor ac hostis, quicquid omnino potest impedimentorum difficultatumque injicere. Sed quia hæc est mutatio dexteræ Excelsi, quia opus est Domini exercituum, mirabile in oculis nostris, patrono tutoreque suo nunquam destitueretur: quoque gravius aliquando imminebit discrimen, eo gloriosum illustreque magis auxilium semper aderit: nec enim abbreviata est manus Domini, aut invalidior facta, ut immortalem hanc gloriam, quæ ex restituta asservataque Religione Catholica ad Regiam Vestram Dignitatem per omnem ætatem redundabit, non cum triumpho etiam clarissimo sit cumulatura.

« At hanc quidem ad rem ut honestissimam et præclarissimam, etsi ex Regiæ Vestræ Dignitatis sapientissimo consilio nihil desit, tamen pro zelo nostro erga Catholicam Religionem versusque Regiæ Dignitatis Vestræ amorem non possumus non adducere, quæ nobis divina lux circa negotium hoc in Bavaria Superiore et Inferiore, universaque ditione nostra tentanda ac denique ad exitum perducenda monstravit. Cum enim Germania sectis plurimis a Luthero infecta, errores ubique ac quidem non in finibus tantum, verum in ipsis quoque visceribus nostræ ditionis sparsisset, jamque omnibus pene difficultatibus restituendæ pietatis avitæ premeremur, sæpe cum Summo Pontifice, sæpe cum tota Dei Ecclesia in ipsa Synodo egimus, ut ad Catholicæ Religionis restitutionem utraque species in nostris provinciis iis, qui hoc expeterent, seque deinde in cæteris Ecclesiæ Dei dicto obedientes fore promitterent, concederetur. Quod ubi a Sede Apostolica hoc ipsum tamen prius ex afflatu Spiritus Sancti, quo regitur, nobis aliisque Principibus plurimum dissuadente, tandem obtinuissemus, experti sumus ex concessione utriusque speciei multo majores difficultates ubortas, eamque errorum fomitem esse maximum. Itaque sublato hoc impedimento in divino religionis negotio, quam sincerissime fidendum esse Divinæ omnipotentiæ, quæ integerrimam a nostris subditis quærebat erga Catholicam Ecclesiam obedientiam, intelleximus. Factumque est, Serenissime Rex, non ita multos post annos, tum Patrum antiquorum doctrina ubique proposita, tum juventutis edocendæ studio civitates, oppida, pagi ad fidem Catholicam redirent, relictis pastoribus iis, qui dum semetipsos pascebant, astu dæmonis ad usurpandas divinas res atque ad abolendam omnem Apostolicæ pietatis memoriam utebantur. Ac quidem ad id insinuandum, quod et ubique gentium fit, usi sumus opera patrum Societatis Jhesu, quos ubi a Vestra Dignitate Regia charos haberi cognovimus, magno inde solatio affecti sumus: plurium enim annorum experientia docuit, Societatem hanc ad seditiones fugendas, perque divini verbi genuinam tractationem, Sacramentorumque legitimam administrationem, et honestissimæ inculpatæ vitæ exemplum regna stabilienda divinitus excitatam esse. Id quod similiter post omnes, qui nostri sunt orbis, Cæsarem, Reges, Principesque Catholicos, nova quoque novarum terrarum Regna plura et amplissima prædicant.

Cæterum cum P. Anthonius Possevinus multa nobis quam secretissime significaverit de regiis illis dotibus, quibus Regia Dignitas Vestra a Deo est insignita, quaque ipsa divinitus afflata Patres ipsos et martyres, qui Apostolicam semitam vel ipso sanguine trivere, sectariorum recentium instabilissimæ doctrinæ præponat. Cognoverimus autem Regiam Vestram Dignitatem plures linguas, ac præsertim Germanicam callentem, Surianos illos tomos, qui de Sanctorum vitis editi sunt, quinque priores, decem nimirum mensium historias complectentes, nostroque mandato ad publicam utilitatem Germanice redditos hic mittimus, donum vel hac ratione non indignum, in quo subinde sese reficiat et oblectet Regia vestra pietas, quo rectius constet de novorum dogmatum insania, quam longe ea a priore Ecclesiæ, ad quam sese impudenter falsoque referunt, veritate ac patientia resilierint, quam impie etiam hujus sæculi Pseudoprophetæ in electos Dei amicos, sanctaque divinæ voluntatis organa debacchentur: quorum quidem memoriam ac reverentiam, ubi ex Ecclesia populoque Dei sustulerunt, nullo admodum negotio sese deinceps impurumque suum idolum, quod hæresis est, in loco sancto

reponunt. Sequuturus autem est etiam sextus tomus, quamprimum is nostra lingua loquetur. Interim fruatur hisce fœliciter Regia Vestra Dignitas, nostramque sinceram et amicissimam propensionem boni consulat. Quam quidem semper ejusmodi inveniet, ut nihil unquam earum rerum desiderari possit, quas ad Regiæ Vestræ Dignitatis honorem et Serenissimorum Filiorum, ac Regnorum suorum incolumitatem pro gloria Dei augenda pertinere intelligemus, quemadmodum ex ipso Possevino fusius cognoscet. Datum in civitate nostra Monachio tertia Februarii anno MDLXXIX.

Regiæ Dignitatis Vestræ
ad officia paratissimus affinis
ALBERTUS DUX BAVARIÆ.

LXIX. — Cum primum Rex compertum haberet, Possevinum Dantiscum esse, cum summa urbanitate accersivit, atque ut celerius iter in Sveciam maturaret, navem obviam misit. [*]

[*] Germania Vol 16. fol. 123.

Reverendo et Nobili Domino Antonio Possevinio Fideli Nobis Dilecto.

« Johannes III. Dei gratia Suecorum, Gothorum, Wandalorum etc. Rex, Nobili et Reverendo Domino Antonio Possevinio, fideli nobis dilecto, salutem et singularem nostram gratiam ac favorem.

« Quam gratus nobis sit Reverentiæ Vestræ ex Italia reditus, hinc potestis intelligere, quod Reverentiæ Vestræ navim obviam mittamus cum famulis nostris. Petimus igitur benigne, ut festinare ad nos velitis jam dudum expectati, quod quia vos facturos non dubitamus, erimus breviores et in reditum Reverentiæ Vestræ cetera, quorum caussa missi estis, reservabimus. Reverentia Vestra bene valeat. E Regia nostra Stocholmia XVII. dies mensis Junii anno Christi MDLXXIX. Regni vero nostri XI.

JOHANNES R. S.

LXX. — Quanta cupiditate Rex Possevini adventum expectaverit, quantam in spem omnes, qui rei catholicæ in Svecia favebant, venerint, quantoque cum fructu Patres Societatis Jesu in eadem re desudarint, id litteræ Varsevicii, qui Reginæ a concionibus erat, ad suum P. Provincialem datæ luculentissime demonstrant. [*]

[*] Polonia Vol 16 fol. 167.

Admodum Reverende in Christo Pater.
Pax Christi.

« Privata quædam superioribus litteris Reverentiæ Vestræ præscripsi atque imprimis petii, ut de negocio Adriani Redziminii cum fratribus ejus componendo mihi significet. Nihil enim illis nisi ex sententia Reverentiæ Vestræ vellem proponere. Ab illis autem nullas hactenus accepi. Porro cum jam discessum hinc pararet Reverendus Dominus Gosliczky, Legatus Serenissimi Regis nostri, qui egregie legatione sua apud hunc Regem defunctus est, et ad societatem belli contra Moschum cum adduxit, has etiam prioribus adjungere volui.

« Sciat Reverentia Vestra jam mitti pro Patre Possevino, Legato Summi Pontificis, cujus nomen non est illi ignotum, eandem navem armatam, qua revehitur Nuntius Regis nostri. Ejus adventus est nobis optatissimus, et speramus plurimum momenti ad excitandum animum Regis allaturum, cum et responsa Suæ Majestati afferat, et multis aliis præsidiis ad promovendam Religionis causam sit instructus. Hactenus autem ad illius reditum omnia pendebant, et ingressus ad negocium Religionis erat præclusus. Quamobrem a Reverentia Vestra nunc vel maxime peto, ut illius reditum orationibus totius Provinciæ, cum jam de summa rerum agendum sit, reddat quam commendatissimum.

« Nostri labores hucusque intra privatos parietes Serenissimæ Reginæ tantum desudarunt, in quibus nos non mediocriter solatur, et ipsius profectus in spiritu, et quod Illmus Princeps Sigismundus et soror ipsius Anna egregie in Catholica Religione confirmentur. Et ille quidem jam videbitur habere magnum sensum rerum divinarum, quem a Spiritu Sancto illi inditum non dubitavimus, ut vehementer ab omnibus hæresibus abhorreat, et nostris sacris ac concionibus semper cupiat interesse, nec nisi invitus ad Sveticas conciones avocetur. Speramus, si minus antiquiores arbores fuerint fertiles, hanc plantulam, si radices in hoc Regno egerit, optatissimos fructus aliquando ad Dei gloriam daturam. Nam et nunc omnia extrema se pati velle potius testatur, quam a Catholica Religione se divelli permittat.

« Privatis etiam nostrorum colloquiis et instructionibus aliquid foris per Dei gratiam effectum est. Nam hoc paschale, qui nondum in Collegio ad Ecclesiam accesserant, omnes facti sunt Catholici. Erant autem septem aut octo. Rutheni etiam aliquot captivi Ecclesiæ sunt reconciliati, et inter illos una fæmina nobilis, quæ dicitur in Moschovia trecentos subditos habuisse, præterea una matrona Stocholmensis uxor Notarii cujusdam Regii, denique hortulanus Regius non vulgaris, quem mihi Dominus Joannes Erbestus diligenter commendaverat. Novit is linguam latinam, et non parum lectione Confessionis D. Cardinalis Hosii est adjutus, et Divi Cypriani operibus. Novit præterea Hispanicam, Gallicam, Germanicam, Flandricam, Sveticam, et multum valet ingenio. Credimus, quod cum hortulanus sit, in aliorum etiam corda bona semina jaciet: liberos autem suos ad Collegium dat instruendos, et uxor illius ad Catholicam Religionem jam est propensa. Sciat etiam Reverentia Vestra rationis scholarum jam melius constitutas, et præceptores hæreticos fere omnes exclusos. Porro ex præceptoribus catholicis esse qua-

tuor omnes ex Belgio, (præter P. Laurentium, qui concionibus attendit) de quibus ante Reverentiæ Vestræ significavi, inter quos est P. Herbertus aliqua ex parte Societatis singulari spiritu præditus, et M. Nicolaus, quamvis nec duobus aliis desint suæ dotes et virtutes. Est et quintus cum illis Svecus nobis præsentibus jam factus Catholicus, qui est præfectus scholarum propter linguam Sveticam. Omnes strenue suis muneribus funguntur, nec deest illis exercendæ virtutis occasio, cum magna sæpius rerum necessariarum penuria premantur. Juvamus tamen illos quantum possumus, et interdum apud Serenissimam Reginam aliquas eleemosinas impetramus. Nullos enim adhuc habent certos aut stabiles reditus.

« Misimus Brunspergam ante duos adolescenter Suecos, nunc tertium cum hac navi, qua redit Dominus Legatus. Non deessent autem plures mittendi, sed maluimus R. D. Legati adventum expectare, ut ipse arbitratu suo de omnibus disponat. Serenissima etiam Regina mittet paulo post quendam adolescentem nobilem Brunspergam suo sumptu, qui ægregii animi ad omnem pietatem et virtutem præsefert indolem.

« Joannem hunc Fornerium Burgundum fratrem nostrum, non est, quod Reverentiæ Vestræ commendem, cum sit jam pridem a R. P. Possevino illi commendatus: verum tamen testimonium ferre possum, se illum hic optime gessisse, et esse germanum Societatis filium, laboravit multum et in secretaria et hic in scribendo, et oculos aliquantulum debilitavit, valet ingenio et judicio, posset cito proficere et esse idoneum vas ad omne opus bonum paratum in Societate. Cum his paucis me indignum Reverentiæ Vestræ filium et socios omnes R. V.ræ precibus et sanctis sacrificiis humiliter commendo, et saluto omnes Reverendos patres et charissimos fratres in Domino plurimum, quorum orationibus nos adjutos iri in Domino Jesu confido. Stocholmi die xvii. Junii anno Domini mdlxxix.

Reverentiæ Vestræ

Indignus filius et servus in Christo

Stanislaus Warsevicius.

LXXI. — Nunc ea in causa audiamus Sacchinum. (*) « Subinde navis, narrat, quam Rex e Svecia ad id cum regio Secretario, ac plenis humanitate litteris miserat, Regiomonti conscensa, varia per pericula exeunte Julio (Possevinus) Stokolmiam venit habitu, cultuque communi Societatis. Jam enim maturum videbatur aperte agere, quo adderetur Catholicis sive notis, sive occultis animus. Neque mox quasi deceptos se querentibus turbandi causa offerretur Hæreticis. Ceterum magnæ erant coortæ difficultates. Rex quosdam Catholicos in vincula conjecerat: missum a Catholico Rege Legatum suo conspectu arcebat: quum cum maxime finitimorum Lutheranorum vim, popularium perfidiam, Caroli fratris potentiam formidabat. Laurentius Norvegius Collegium Stokolmiæ administrans assidue Ministrorum petebatur insidiis: quamquam cum lingua Sveca simul concionaretur, præcipuum ipse rerum munimentum erat. Rex Upsaliæ agebat Hæreticis cinctus, et Lutheranorum Principum literis, minisque conterritus, magno etiam confessionis Augustanæ volumine a Davide Chithræo ipsi novissime dicato, et ad omnes Regni Proceres misso, a catholica religione revocatus. Super omnia difficultatem augebant negata a Pontifice, quæ maxime urgebat Rex, capita, de usu Calicis populo concedendo, Sacerdotum conjugio, Missa populari idiomate celebranda. Tot inter angustias deprehensus Pater, commendandæ Deo causæ, et quantum posset humana industria expediendæ aliquot dies Stokolmiæ substitit: tum venit Upsaliam, ubi ad Regem admissus, post brevem salutationem publicam, solus, ac sine arbitris in conclave interius sevocatur. Cupiebat Pater responsa Pontificis non primo congressu referre: sed postquam Rex fertis catholicorum Principum gratulationibus, interpositoque nonnullo spatio primos impetus inhregisset: et factus est voti compos. Nam inter colloquendum febri correptus, perque benigne ab Rege dimissus, aliquot dies decubuit: sic tamen, ut nihil intermitteret, quæ ad præparandas res pertinebant, curare: præsertim ad legendos intentus adolescentes, qui in destinata Seminaria mitterentur. Mediusculè cum haberet revocatus a Rege duarum horarum difficillimo colloquio in exponendis causis, cur ea postulatorum capita Pontifex negasse, laboravit. Sed cum occupaverat ita animum Regis amittendi Regni metus: ut ad veritatis speciem, ac voces, neque oculos posset, neque aures advertere. Legere hominem Possevinus, et ad fidendum Deo excitare, revocare in mentem quæ quam manifesta recepisset pignora divinæ tutelæ, cum a fratre sæpe neci expositus, dein quatriennium in custodia habitus, postremo jam Rex variis conjurationibus patefactis, sine humano pene ullo præsidio, e summis periculis evasisset: A Domino, inquit, factum est istud. Rex, cujus dextera non elanguit: quin ita potest, polletque: ut quod hominum mens non assequitur, id si certam Deo, ex Vicarii ejus interpretatione, habeas fidem, tam sancta, et gloriosa cœpta perducturа ad exitum sit. His nonnihil commoto Rege finitus est sermo, novæ tractationi loco relicto. »

Summus Pontifex per litteras Possevini Stokolmia die post Idus Octobres datas totam tractationis ejus cum Rege rationem accepit. (*) Præterea Regina, Joannis conjux, Gregorio gra-

(*) Hist. Soc. Jesu P. IV. lib. 7 p. 219

(*) Theiner, Schweden etc. T. III inter documenta Num. 137 p. 108.

tissima animi sui sensa testatur, quod Possevinum ad fidem catholicam excitandam cum nonnullis ad se filiosque suos sacris munusculis miserit. [*]

[*] Polonia Vol 10. fol. 390.

Beatissime Pater.

« Post debitam studiorum atque officiorum nostrorum commendationem Sanctitati Vestræ a Deo Optimo Maximo salutem ac perpetuam vitæ felicitatem precamur. Paternæ Sanctitatis Vestræ erga nos benevolentiæ cum litteræ Sanctitatis Vestræ, tum venerabilis Pater Antonius Possevinus testes fuerunt locupletissimi. Hic enim ab Urbe veniens, ea nobis de Sanctitatis Vestræ in nos ac liberos nostros animi propensione, sublevandique regni nostri studio retulit, quæ animum nostrum non poterant non magnopere exhilarare. Agimus Sanctitati Vestræ una cum liberis nostris summas gratias, quod eo animo erga nos esse velit, ejusque non obscuram, missis etiam nobis liberisque nostris rosariis perpulchris, significationem dederit. Nihil quoque erit nobis antiquius, quam paternam istam Sanctitatis Vestræ benevolentiam grata perpetuaque memoria tueri: tanto etiam diligentius nos ac liberos nostros deinceps Sanctitati Vestræ commendatos esse cupimus, regnumque hoc nostrum, ut id, quod ab Omnipotente Deo, in quo summum est nobis ejus negotio præsidium constitutum, jam pridem continuis votis ac precibus flagitamus, ejusdem in primis adjutrice gratia, salutaribus deinde Sanctitatis Vestræ consiliis adjumentisque, ad ipsius Dei gloriam exequi quandoque ac perfici possit. Sanctitatem Vestram ut ideo Deus Optimus Maximus ad fidei sanctæ suæ propagationem diu salvam atque incolumem conservet, ex animo optamus, ac nostra illi liberorumque nostrorum studia et officia iterum deferimus. Datæ ex arce nostra Stocholmensi VI. Calendas Octobris anno MDLXXIX.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissima in Christo filia

CATHARINA R.

LXXII. — Cum res catholica in Svecia tam prospere succedere videretur, accidit, ut boni omnes non ita multo post sentirent, se perditam spem fovere, conclamatumque esse apud Svecos de re catholica. Joannes enim Rex multo remissiorem in dies sese habebat, atque ab inceptis haud dubie discessurus videbatur. Cujus mutatæ in Rege voluntatis plures causæ afferuntur. Primum enim Carolus ejus frater Sodermanniæ Dux, Germanique quidam viri principes, qui id temporis Legati Stokolmiam Lubeca venientes, una cum aliquot a regio consilio viris in id toti incubuerunt, ut Regis animum ab sacris Catholicorum avocarent; ad summum ei timorem omnium Svecorum conjuratione et rebellione proposita, si quid aggrederetur, quod ad violandam Svecæ gentis religionem spectaret. Quibus cum Rex non parum commoveretur, Possevinum perstringere cœpit, conquerique, quod nihil a Pontifice impetravisset; urgere Patrem Laurentium ejusque socios, si Collegium obtinere velint, jurent in sua verba et sacris lingua Sveca operari, et sacram communionem sub utraque sumendam præbere. Quæ demum potissima caussa totum religionis negotium abrumpendi fuerit, in hoc sita videtur, quod famosus ille David Chytraeus, Rostochiensis Symmista, litteris ad eumdem a. d. XI. Kalendas Septembris datis etiam atque etiam monuit, ne in neoterica doctrina, a parente suo invecta, quicquam innovaret: qua de causa eidem Confessionem ita dictam Augustanam a se nuperrime emendatiorem editam, ejusque nomine nuncupatam transmisit.

LXXIII. — Nihilo tamen minus Possevinus forti constantique animo inopinum adversumque casum ferens, in unam fidem salutemque proximorum procurandam omnes vires intendit. Cujus Deus labores et conatus, ne frustra eum operam suam posuisse pœniteret, satis superque fortunavit. Tartari Legati duo, quorum alteri Zachariæ, alteri Antonii nomen erat, ex Taurica Chersoneso, qui Præcopenses dicuntur, cum sex famulis et nobili Polono appellunt, operam militemque Sveciæ Regi sui Principis nomine oblaturi. Hos Possevino Vilnæ Rex Stephanus commendarat. Rex vero Sveciæ necdum bene cognitos in custodiam dat: quæ fuit causa eorum salutis. Nam cum se Possevino, qui apud Regem favit, penitus totosque permisissent; arrepta inde occasione interioris commercii, demum cum Ecclesia reconciliati, hisque divino refecti pabulo, donis regiisque ornati litteris, ad hæc piis libellis, rosariis, iconibus, numismatibus donati a Possevino, Societatis in se beneficentiam prædicantes abiere, multa polliciti. [*]

[*] Rantiosa document N. 3.

En quæ Legati scriptis consignata de hoc negotio Possevino exhibuerant. [*]

[*] Germania Vol 10 fol. 197

« Ego Antonius Dzizieniewicz missus a Magno Duce Adilgerey Calga, fratre Cæsaris et Imperatoris mei Tartarorum, Legatus una cum Zacharia Antonovicz ab eodem Imperatore Legato ad Serenissimum Regem Sveciæ, fidem meam do et polliceor, me cum primum in patriam redibo, (quod erit quamprimum) omnem operam navaturum in mittendis ex Tartaria et Caffa, quæ est mea patria, in Taurica Chersoneso viginti adolescentes Tartaros nobiles ad Reverendum Patrem Antonium Possevinum, Sanctissimi Papæ et Dñi nostri Vicarii Christi Gregorii XIII. Theologum, et ejus Sanctitatis nomine apud Serenissimum Sveciæ Regem commorantem. Quos adolescentes in Lithuaniam seu Poloniam ad eundem Reverendum Patrem Antonium Possevinum, ita ut cum eo convenimus,

mittemus, ut fide Christiana, litteris ac bonis moribus imbuti possint Tauricam Chersonesum suo tempore redire, ut multos Christianos populos, qui ex nostris in plaga illa ad Portum Euxinum sita antiquam religionem catholicam Romanam nomine potius quam re (quia desunt operarii catholici) retinent, possint deinde docere. Cum autem vehementer exoptemus, ut Sanctissimus Papa et Dñus noster Gregorius XIII. mitti ad nos aliquos sacerdotes catholicos jubeat, qui nostras Ecclesias adjuvent, quemadmodum eidem Reverendo Patri Antonio Possevino exposuimus, volumus et jubemus omnibus nostris tum Caffie, tum sub ditione Cæsaris nostri commorantibus, ut quoscunque ejus Sanctitas seu ejus Sanctitatis ministri ad nos miserint, ii in domibus nostris, etiam nobis absentibus, omni charitate excipiantur et sustententur, prout veros christianos decet. In quorum fidem has litteras nostro sigillo, ut moris est nostri, obsignamus. Datum Stocolmiæ in Svecia vigesima quinta Septembris anno a nativitate Dñi millesimo quingentesimo septuagesimo nono.

Possevinus Legatos in patriam redeuntes Regi Poloniæ humanissimis litteris commendavit.[1]

[1] Theiner, Schweden etc. I. III Inter docum. Num. 18 p. 161

LXXIV. — Interea teterrima pestilentia Stokolmiam miserrime corripuerat, multique mortalium in singulos dies prosternebantur, ac æternæ vitæ præsidiis destituti decedebant. Neque etiam cujusquemodi subsidia petere a sui cultus administris poterant; nam præsentis mortis metu perterriti vel aufugerant, vel muneri suo deerant. Possevinus igitur tantæ animarum ruinæ misertus, non usitato quidem virtutis exemplo Regem his litteris adiit, orans, ut sibi sociisque e Patribus Societatis Jesu liceret, a lue correptis in tam præsenti vitæ discrimine auxilium ferre, atque ultima eis Christianorum sacra procurare, ut siquidem vellet, nemo unus nisi rite expiatus decederet.[*]

[*] Germania 1 ol. 16 fol. 210

Serenissime et Clementissime Rex Invicte.

« Ecce Serenissime Rex, quotidie ex pestilentia multi hic moriuntur, neque est, qui tot animabus aut vera sacramenta, aut vera solatia afferat: cum interim si possent a Catholicis adjuvari, nec in æternum damnarentur, neque tot animarum ratio esset aliquando Deo reddenda, apud quem una tantum anima est pretiosior omnibus mundi Regnis. Obsecro itaque per Christi Jesu Domini nostri misericordiam, perque ejus acerbissimam mortem, quam pro nobis est passus, velit Vestra Regia Majestas concedere mihi, ut istas animas utraque morte pereuntes sublevare possimus eodem modo, quo a Redemptoris nostri ascensione ad cœlus usque ad hæc tempora semper in Ecclesia Catholica factum est: Patrum antiquorum testimonia, et præcipue Divi Augustini, atque historias omnes antiquissimas afferem, si esset opus Vestræ Majestati. Sed cum illa non ignoret, sacramento pœnitentiæ per veros Sacerdotes administrato, conferri ex instituto Filii Dei in nomine Sanctissimæ Trinitatis peccatorum remissionem, ac vero consecratione et oblatione veri corporis Christi averti maximas plagas a nobis; ego pro ea, qua ex injuncto mihi munere erga istas animas charitate affici debeo, et pro Vtæ Majestatis Regiæ salute etiam atque etiam ipsam rogo, ut id nobis saltem tantisper concedat, dum hic Divinæ justitiæ justissimus fervor defervescat. Quod si per Vestram Majestatem Reg. meis et mihi liceat ad hanc rem (circumspecte tamen et sine strepitu) uti templo Sancti Francisci, sive quovis alio loco, et ea officia charitatis præstare, quæ negari morientibus nulla ratione debent, Deus ipse acceptissimum hoc habebit, in cujus honorem omnia Sveciæ templa a Catholicis tantum ædificata sunt: Summo autem Pontifici et Principibus omnibus Christianis erit quam gratissimum; nec ea gloria solidissima, quam Vestra Majestas ex suæ pietatis fama ubique sibi conciliavit, unquam obscurabitur aut diminuetur, cum et ad eam certissimum Dei præsidium Vtæ Majestati Regiæ et Serenissimis conjugi et filiis sit accessurum. Ipse Dominus, qui habet cor Regum in manu sua, Vestram Regiam Majestatem ad tantum bonum dignetur disponere, Amen. Stokolmiæ die xiv. Octobris 1579.

Ecquis autem unquam putavisset hanc facultatem Possevino denegatum iri? id tamen factum est. Possevinus nihilo secius cum cæteris Patribus clam, quoad fieri poterat, animam agentibus præsto erant, eosque homologesi peracta divina dape reficiebant: his autem Pater Laurentius ritu catholico suprema funeris solvebat.

LXXV. — Varsoviens et Vesocius apud Reginam, quæ cum Rege ad festa Christo nascenti sacra majori animi tranquillitate celebranda Arosiam secesserat, præclare admodum operam posuere. Nam promulgato Jubilæo Regina, cæterique Catholici fere omnes totius anteactæ vitæ piacularem confessionem peregerunt, sanctissimoque Eucharistiæ sacramento (sub una tantum specie) rite communicavere: quos inter eodem ritu ad divinam dapem primum accessit Sigismundus Sveciæ Princeps et regni hæres; nam Patribus Societatis Jesu quam mature cum fide Catholica imbuendi atque educandi cura fuerat.

Extremum anni tempus in Reginæ predio, cui Torvesundin nomen, prope Holmiam sito Possevinus cum suis egit: ibique Præfectum insulæ et adolescentem Finlandum, aliosque non ita multos in Ecclesiæ Catholicæ fidem recepit. Eodem tempore Holmiæ, dum abest aula regia, magistratus silent, minorque obtrectatorum

atque observantium est turba, Catechismus Canisii parvus in svecicum sermonem translatus typis est editus, lateque per eas regiones fusus vulgatusque. In Germania autem quingenta supra mille exemplaria sunt edita.

LXXVI. — In Gallia Meloduni, Rege annuente, conventus celebratus est Ecclesiastici ordinis, in quo de Ecclesiasticæ disciplinæ instauratione, de morum emendatione, ac de errorum extirpatione agebatur. Nam Ecclesiastica disciplina magna ex parte collapsa erat, quod vel necessaria diligentia omitteretur in iis proponendis pietate et doctrina præstantibus, qui Ecclesiis præficiendi essent, vel etiam Diœceses suis pastoribus destitutæ remanerent. De hac re Nuncius Apostolicus (*) testimonium præbet, qui refert eo tempore in Vasconia, et Aquitania triginta sex Diœceses suis pastoribus carere, eorum patrimonio a profanis hominibus possesso, cultu divino in iis Ecclesiis omnino neglecto. His accedebat, cœnobia fere infinita a laicis occupari, qui bona contra omne jus, nemine reluctante usurpaverant. Adeo autem impudenter Ecclesiæ jura violebantur, ut de bonis Ecclesiæ tanquam de feudis domesticis in publicis judiciis ageretur; suaderetur præterea ex bonis ecclesiasticis commendas sine ulla authoritate constitui in gratiam equitum, et nomine Regis sine ullo jure annatæ Beneficiorum perciperentur. Ex quo factum, ut leges Ecclesiæ conculcarentur, via corruptelis pateret, et hæreticis opportunitas fieret suos errores, suasque sectas libere per universum regnum diffundendi.

(*) Mantissa document. N. 7.

Cum is esset rerum status in Gallia, Episcopi, et reliquus Clerus in eo conventu aperte affirmarunt, non posse tot malis remedium afferri, nisi Concilium Tridentinum sine ulla dilatione per universum Regnum promulgaretur. Cum vero intelligerent quænam impedimenta promulgationi objicerentur, decreverunt Regem adeundum esse, ut ipse non modo non adversaretur sed potius eam rem auctoritate sua juvaret: delegerunt Arnaldum Pontacum Vasatensem in Aquitania Episcopum, qui Regi persuaderet, ut secundum sententiam, et vota Ecclesiæ Gallicanæ ageret. Dum autem pro Concilii promulgatione instarent Episcopi, illud etiam a Rege postularunt ut quoniam ob regias nominationes magnum detrimentum Ecclesiæ obvenerat, vel sineret Concordata inita inter Leonem X. et Franciscum I. Galliæ Regem. in iis quæ ad Episcoporum nominationes spectabant, abrogari posse, restitutis electionibus prout ante Concordata vigebant, vel si vellet adhuc facultatem sibi in concordatis concessam retinere, saltem caveret, ne sine ullo delectu eos proponeret, qui Ecclesias regerent, et ne Ecclesias suis pastoribus orbatas relinqueret, qua agendi ratione ipsa Concordata violabantur, quod præscribebant elapso præfinito sex aut novem mensium tempore per Romanum Pontificem Ecclesiis vacantibus consuli oportere. Rex licet humaniter exceperit legatum, et visus fuerit haud adversari Episcoporum votis circa Concilii promulgationem, aulicorum artibus seductus nihil egit, quo Cleri votis, suoque muneri satisfaceret; circa nominationes regias multa pollicitus est de diligentia in posterum adhibenda, sed simul declaravit se longe abesse de jure suo decedere, quod sibi per Concordata concessum erat. Episcopi cum reliquo Clero ægre tulerunt Regis responsum, neque tamen consilium deseruerunt iterum atque iterum Concilii promulgationem urgendi. Interea vero ad instaurandam utriusque Cleri disciplinam, et ad christianorum hominum pietatem fovendam sapientissima decreta ediderunt, quibus vel servandæ proponebantur sanctiones ejusdem Concilii Tridentini, vel alia corruptelis medendis valde consona statuebantur. Fine imposito conventui Melodunensi, iidem Præsules Regem simul convenientes, per Nicolaum Angelirum Briocensem in Armorica Episcopum pereleganti sermone die III. Octobris habito, gravissimis in medium prolatis rationibus adnituntur animum Regis flectere, ut nulla interposita mora Ecclesiæ necessitatibus prospiceret. Irriti tamen fuerunt omnes Cleri conatus.

Decreta conventus Melodunensis collegit Odespunius presbyter Turonensis, eaque inseruit novissimæ suæ Conciliorum Galliæ collectioni Lutetiæ Parisiorum typis excusæ anno 1646. fol. 85-119. Iis decretis præmittitur oratio in eodem conventu habita, omnium suffragio probata. En quæ sibi habentur de statu Ecclesiæ Gallicanæ, deque Concilii Tridentini promulgatione haud procrastinanda: « Et quis parum sane adeo mentis esse potest, ut non videat hæresim maximam Occidentis partem deglubuisse? corruisse omnibus fere in locis disciplinam ecclesiasticam? periisse Dei Sacerdotibus debitum honorem? ita ut parum absit, quin impleatur illud Prophetæ: sicut populus sic et Sacerdos, et illud Methodii Martyris: erunt Sacerdotes ut plebs communis. . . . Quorsum autem hæc ita concesserimus, si quis quæsierit in promptu causa est. Quod in aliud tempus dilata in Ecclesia Gallicana S. Tridentinæ Synodi promulgatione (etsi variis ac maximis supplicationibus postulata) cum taciti contemplaremur, quam parum de restituendo Ecclesiæ Gallicanæ splendore superesset spei, optimum fore duximus, piorum corda conventus hujus non vulgaris, nec parvis sumptibus, nec sine gravissimis laboribus et singulorum convocatorum incommodis coacti, exitum felicem quemdam optantium, et omnibus votis cupientium sua non prorsus fraudari debere expectatione. Iterum ergo atque iterum per sacra quæque rogamus, ut non alio jure quam carita-

tis et studii unitatis fidei, illius œcumenicæ et universalis Synodi, quoad fieri poterit, sacri canones tam ad fidei unitatem conservandam, quam ad morum pravitatem in melius emendandam accommodati, ab omnibus nobis christiane et catholice, et quantum locorum, congregationum et personarum patietur qualitas, et temporum ipsa exiget necessitas, diligentissime observentur. Hac enim via eademque sola dabimus operam, ne Ecclesiæ Gallicanæ (hæc enim sola nunquam monstra peperisse cognoscitur) nota schismatis inuratur. » Historiam hujus conventus refert etiam Spondaeus (*). Legi etiam possunt, quæ editores Actorum Cleri Gallicani de hoc conventu disseruerunt. (*)

(*) Annal. Eccl. T. II. pag. 772.

(*) Collect. des Procès-Verbaux du Clergé de France Paris 1767. T. I. pag. 180-230. pièces justif. p. 63-64.

LXXVII. — Ut in generali Episcoporum conventu Blesensi anno MDLXXVI., ita in Melodunensi etiam hujus anni Lugdunensium Præsulis mira extitit in Ecclesiæ rebus fovendis vis et constantia. Nemo majori sedulitate et cura emendandis corruptis sui Cleri moribus applicavit animum. Quæ res, ut fieri solet, quosdam perditos homines non minus ex Clero sæculari quam ex regulari eo dementiæ atque intemperantiæ impulit, ut optimum Archiepiscopum calumniis onerarent: nec vererentur eum apud Pontificem postulare tanquam hominem, qui obtentu Synodorum cogendorum Clerique reformandi, suos Clericos simoniacis exactionibus emungeret. En litteræ, quibus cordatissimus vir irrogatas calumnias a se propulsavit. (*)

(*) Gallia Vol. II fol. 286.

Illustrissimo et Reverendissimo Dño Cardinali de Como.

Illustrissime et Reverendissime Domine.

« Etsi doluit plurimum, quod me apud Sanctitatem Suam avaritiæ et negligentiæ crimine falso subnotatum esse, ex litteris Illustrissimæ et Reverendissimæ Dominationis Vestræ intelligam: fuit tamen id pergratum, quod non solum Sua Sanctitas me tam humaniter monitum voluit, sed etiam quod tali ac tanto viro, cujus et authoritas in Ecclesia sit maxima et eximia in dijudicandis rebus prudentia, rei istius investigationem committere dignata sit. Ego vero cum veritatem ex se ipsa lucescere non ignorem, satis me has notas eluisse et purgasse existimabo, si ad singula delationis capita ita respondero, ut nullo orationis fuco adjuncto, nulla tergiversationis subtilitate adhibita, quid in quoque verum, quid in commentitium sit, vere atque ingenue profitebor. Si quid demum Suæ Sanctitati aut Illustrissimæ ac Reverendissime Dominationi Vestræ censura et emendatione dignum videbitur, humili et obedienti animo suscipere non recusabo. Spero tamen re bene cognita ac perspecta, vitæ meæ actiones a tam æquis judicibus probatas iri. Primum et maximum illud est, quod me bis in anno Synodos celebrare non disciplinæ Ecclesiasticæ causa dictitant, sed hac potissimum ratione, ut procurationis jura a singulis Presbiteris et Parrochis commodius et frequentius exigam. Nescio sane, quis tam falsæ calumniæ author fuerit. Unum hoc scio, eum aut malevolo et invido animo hæc in me confinxisse, aut non satis circumspecte de re sibi non cognita rescripsisse, et saltem eum alio quam Dei zelo motum fuisse ad hæc proferenda, vel ex eo constat maxime, quod antequam Suam Sanctitatem id est Ecclesiam compellaret, me fraterna benevolentia monitum debuit. Ego enim is sum, qui me omnibus adire volentibus facilem me maxime præbeam. Sed jam his omissis, quam falso de me sit conquestus, paucis ostendam. Quamvis enim in toto Galliæ Regno procurationis jura sint usitatissima, atque ab omnibus fere Episcopis more solito sine ulla controversia exigantur, ac multis et variis instrumentis publicis mihi deberi facile convincere possim: ego tamen ab eo tempore, quo ad hoc munus Dei gratia vocatus sum, ne nummum quidem hoc nomine a Parrochis accepi, sed ne petii quidem. In quo si mihi fides non habeatur, quam ego tamen Illustrissimæ et Reverendissimæ Dominationi V. astrictissime obstringo me verum dicere, id facile ego et testimonio gravissimorum virorum, et totius diœcesis publico consensu, cum opus fuerit, et Illustrissima et Reverendissima Dominatio Vestra jusserit, minimo negotio comprobabo. Idem prorsus etiam dicere possum de mulctis, quæ Parrochis, qui Synodis non intersunt, indicuntur; quamvis enim ob multorum contumaciam variis pœnarum minis eos terrere, atque in officio continere coactus fuerim, ut disciplinam Ecclesiasticam sartam tectam conservarem, quantum in me erat, indictas tamen non exegi, ac per totum quinquennium unum aut alterum tantum ex Parrochis meis ad mulctam persolvendam adegi, quamvis prope infiniti pœnas incurrerint: ac tandem illud dicere ausim, si quidquam a me in exigendis pœnis absentium erratum sit, me nimia facilitate potius quam severitate peccasse. Illud tamen non præteribo, Capitulo et Canonicis Ecclesiæ nostræ certum pondus ceræ a singulis Parrochis deberi, quod in luminaria Sanctuarii nostræ majoris et Cathedralis Ecclesiæ impenditur, idque aliquando a Parrochis ad Synodum convenientibus ex antiqua consuetudine exigitur. Ego vero ne nummum quidem hoc nomine aut alio a dictis Parrochis accipio, sed ne ullam quidem hujus rei curam aut administrationem habeo, quæ tota dictis Canonicis demandata est. Ex his apparet Illustrissimæ et Reverendissimæ Dominationi Vestræ, delatorem nostrum, qui de animi mei interioribus cogitationibus judicium facit, ac me ad utilitatem potius propriam, quam ad honorem et gloriam Synodorum fre-

quentiorem convocationem dirigere proposuit, non satis actionum cogitationumque mearum sanum et æquum judicem esse, cum ex ejusmodi conventu nihil ad me commodi prorsus aut lucri, ut ille commentus est, proveniat, ac ne ea quæ mihi jure debentur eo tempore persolvantur. Sic igitur se res habet, Illustrissime et Reverendissime Domine, in qua si quid a me peccatum, Illustrissimæ et Reverendissimæ Dominationis Vestræ judicium esto. Ad cætera jam venio. Multa certe per diœcesim nostram licentia bellorum civilium corrupta sunt, quæ severiorem inquisitionem et diligentiorem emendationem postulare videntur. Ego sane id non diffiteor, sed is status Regni hujus est, ut ista vix ac ne vix quidem restaurari hoc tempore queant. Ego tamen, quantum in me est, officio meo non desum, ac vere dicere possum diœcesim istam, quæ hæreseos veneno antehac multum infecta videbatur, Dei gratia sic paulatim in Ecclesiæ sinum rediisse, ut nulli in civitate, pauci vero per reliquam diœcesim sint, qui hæreticorum sectis inhæreant, aut eorum dogmata publice profiteantur. Ac sic in dies populi Lugdunensis devotionis zelus augetur ac incrementum accipit, ut res sane miranda multis videator, et in qua divinæ benevolentiæ munus insigne cognoscatur, quæ venenatam hanc herbam, quæ longe lateque propagata tam altas radices egerat, brevi tempore ab imis prope radicibus evulsam voluerit. Supersunt tamen et quædam tanti incendii vestigia, quæ aliter quam longo temporis cursu omnino deleri nequeunt. Spero tamen si longiore aliqua pacis tranquillitate fruamur, ac paulo accuratius diœcesim visitare possimus, quod adhuc per tumultus bellicos tam libere, atque ego cuperem, datum et concessum non fuit, multa quæ depravata adhuc remanent, in meliorem statum restitui posse, atque in hoc, quantum in me erit et cum primum licuerit, toto animo et studio incumbam. Quod vero scripsit Illīma et Reverendissima Dominatio Vestra Regulares civitatis istius malo omnium exemplo, immoderate, intemperanter ac contempta omni obedientia et regulæ observatione vivere, id de fratribus monasterii Athanatensis dictum puto, ac verum esse negare non possum. Sciat tamen Illustrissima et Reverendissima Dominatio Vestra, eos a jurisdictione nostra antiquo privilegio exemptos esse, ac quoties de redigendis in ordinem cogitavi, (quod et sæpius a me tentatum est) novo quodam et pernicioso, sed in Gallia usitato provocationis genere, quod ab abusu vocant, rem semper suspensam tenuisse. Sed et R. D. Gribaldum quondam Archiepiscopum Viennensem ac dicti monasterii Abbatem per Vicarium meum monui sæpius, ut in dicto monasterio disciplinam ac regulam aliquam restauraret, de quo publica extant acta; sed nunc eum dictum monasterium cessisse audio, cujus tamen resignatarius nondum possessionem adeptus est; cum primum vero adeptum fuisse intellexero, reformationem quantum in me erit urgebo, et interim quam potero acrius reprehensionibus in officio continebo. At vero ut omnis dilationis et tergiversationis occasio eripiatur, non abs re futurum existimo, si Sua Sanctitas litteris Apostolicis reformationis hujus monasterii munus alicui commiserit, ut procurationi ab abusu et exemptionis privilegio locus nullus relinquatur. Postremum caput est de rescindendis contractibus, quibus decimarum Parrochis debitarum fructus Dominis locorum minimo pretio locantur. Unde evenit, ut fructus vix uni alendo Presbytero satis sit. De hac re nullus adhuc apud me conquestus est, et illius qui ista proposuit privatam potius aliquam querelam, quam publicam esse conjicio: qui si me de hac re convenisset, sedulam in hac re operam meam expertus esset. Et si tales aliqui contractus mihi proponantur, quod mei muneris erit, ego quam potero diligentissime exequar. At vero multo majus damnum inde Ecclesiæ evenit, quod Domini locorum et parrochiales Ecclesias et cætera beneficia nonnunquam vi occupant, et maximam fructuum partem in suos usus conferunt, cui malo vix his turbulentissimis temporibus, quibus omnia licent, mederi possimus, nisi S. S. per Nuncium suum cum Christianissimo Rege agat, ut edicto publico sub gravissimis pœnis prohibeat, ne laici quocunque nomine beneficia occupent, aut eorum fructus per interpositas et confidentes, ut vocant, personas in usus suos convertant. Hæc pauca ad singula delationis capita dicenda esse duxi, in quibus si S. Sanctitati et Illīæ Dominationi Vīæ, ut spero, feci satis, bene est: de accusatoris aut malicia aut levitate vestrum judicium esto: nec enim vehementius adversus eum mihi contendendum esse existimo. Si vero præterea aliquid in his, de quibus agitur, aut aliis emendatione dignum videbitur, (neque enim tam lynceus sum, quin facile offendam) me ac omnes vitæ meæ actiones sententiæ et censuræ Sīīæ Sedis humilissimo animo subjicio. Idque unum ab Illīīa et Reverendissima Dominatione Vestra efflagito, ut postquam de his ad Suam Sanctitatem retulerit, quale judicium illa fecerit ad me rescribere dignetur; ut si quid mihi hac in re respondendum aut præstandum fuerit, amplius id prompto et devoto animo exequar. Si quod vero obsequium Illustrissima Dominatio Vestra a me desiderat, ego modis omnibus illi conabor inservire. Quam diutissime Deus Optimus Maximus Ecclesiæ suæ servet incolumem. Lugduni die v. Maji 1579.

Illīæ et Rīæ Dominationis Vestræ

Humil. et ad obsequia omnia paratissimus

P. Despinac Archiepiscopus Lugdunensis.

Alteris litteris ad eundem Cardinalem datis, id sese ei debere dicit, quod a Pontifice insons sit habitus; deinde de rebus in conventu Melodunensi gestis refert. (*)

(*) Gallia Vol. 11. fol. 309.

Reverendissime et Illustrissime Domine.

« Quod per ea quæ ad Reverendissimam et Illustrissimam Dominationem Vestram responderam de his, quæ falso mihi imposita fuerant, plene et cumulate Sanctitati Suæ satisfactum sit, totum id Reverendissimæ Dominationi Vræ acceptum fero, cui hoc nomine me debere profiteor plurimum, et gratias ago quam possum maximas, et me ad illius obsequia observantissimum devoveo. Id vero diligentia et sollicitudine quantum in me erit præstare conabor, ut eam vitæ meæ actiones commendasse, et Sanctitati S. probatos reddidisse nunquam pœniteat. Quod ad Monasterii Athanatensis reformationem attinet, ego opus hoc quam potero diligentissime exequar, cum primum ad Ecclesiam et Diœcesim meam redire potuero. Redibo autem finito et soluto hoc Gallici Cleri conventu, ad quem me Lugdunensis provincia delegavit, et multæ aliæ advocarunt. In hoc ante omnia de efflagitanda a Christianissimo Rege sacrosanctæ Synodi Tridentinæ publicatione actum est, quam nos obtinere posse, quamvis improbantibus et repugnantibus multis, non omnino desperamus. Hac re peracta de variis immunitatum Ecclesiasticarum capitibus, maxime vero de subsidiis Ecclesiæ sine Sanctæ Sedis authoritate et Cleri consensu non indicendis questio habebitur. Ego vero qui antehac revocanda et observanda hac in re antiquorum Canonum Decreta sæpissime defendi, eamdem sententiam quantum in me erit in hoc conventu asseram constantissime, ac quid hac in re præstari potuerit, si id gratum esse Reverendissimæ et Illustrissimæ Dominationi Vræ intellexero, fidelissime rescribam. Finito conventu ego ad Ecclesiam meam reditum parabo. Quamvis enim Christianissimus Rex me in locum Monlucii Valentiæ quondam Episcopi demortui ad consilium suum privatum immeritum, sed ne sperantem quidem elegerit; ego tamen munus hoc ea lege suscepi, ut a cura et residentia Ecclesiæ meæ debita non distraherer, quod eo facilius obtinui, quod tribus tantum mensibus officio suo nunc addicuntur Consiliarii Regii. Prima enim semper gregis mihi commissi cura erit, ac quocumque tandem munere fungar, omnia Deo adjuvante, et consilia et vitæ actiones ad ejus honorem, et Ecclesiæ suæ propagationem et conservationem, quantum in me erit, dirigam et disponam. Cupio vero, ut Reverendissima et Illustrissima Dominatio Vra me sui observantissimum et ad obsequia paratissimum diligat. Quam Deus Ecclesiæ suæ diu præstet incolumem. Meleduni die xii. mensis Julii 1579.

Revmæ et Illmæ Dominationis Vestræ
Humillimus et ad obsequia paratissimus
P. Despinac Archiepiscopus Lugdunensis.

LXXVIII. — Ipsi Præsuli certe quidem non exiguæ laudi vertendum est, quod primus Collegio PP. Societatis Jesu non ita pridem condito, cui in usus facultates non suppetebant, annuo censu aucto prospexit. Cum autem cives Lugdunenses illorum Patrum operam in vinea Domini excolenda vehementer probarent, neque tamen Collegii reditus pares essent pluribus Patribus alendis, petunt a Pontifice, ut proventus quorumdam cœnobiorum Lugdunensis Diœcesis eidem velit transcribere. (*)

(*) Gallia Vol. 11. fol. 298.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino Nostro D. Gregorio Divina Providentia PP. XIII.

Jhs. ✠ Ma.

Beatissime Pater.

« Cum certe comperissemus, quantam utilitatem et spiritale emolumentum Patres Societatis Jesu omnibus iis locis, in quibus versantur, afferant, nos eos ab aliquot annis ad hanc urbem nostram evocavimus, eisque Collegium a majoribus nostris jampridem erectum in perpetuum et certum domicilium constituimus, tum partim Reverendissimi Domini nostri Archiepiscopi liberalitate, partim ex publico ærario nostro exiguos proventus annuos in censum et eleemosynam, veluti quoddam fundandi seu sustentandi Collegii initium, eis curavimus assignandos. Vehementer profecto dolemus nos in ea tempora incidisse, in quibus cum propter nostrarum fortunarum tenuitatem, tum propter subsidia extraordinaria ipsi Archiepiscopatui et nobis ob bellicos tumultus imperata, non sit nobis integrum copiosius aliquid præstare posse. Exploratum enim nobis est, labores et studia, in quæ Patres illi nostræ utilitatis et catholicæ fidei propugnandæ causa assidue incumbunt, et statum nostræ urbis finitimarumque regionum talium operariorum copia indigentem postulare, ut eorum multo plures quam redditus Collegii ferant, in hac vinea excolenda vacarent. Quod cum Reverendissimus Montisregalis Episcopus et Vræ Sanctitatis apud Polonos Nuncius probe intellexisset, duos prioratus, quos in his regionibus possidebat, eximia sua benignitate decrevit Collegio annectere, quam rem nuper Vestræ Sanctitatis auctoritate et gratia feliciter accepimus esse confectam. Sed quoniam idem Reverendissimus Episcopus ex eorum prioratuum redditibus annis singulis quadringentos aureos nummos rependi sibi voluit, quam summam omnes illorum redditus vix attingunt, præsertim si tum certa, tum extraordinaria eorumdem prioratuum onera (qualia sunt decimæ eleemosynæ et cetera hujusmodi) adjungantur, hoc tem-

pore Collegii res ex illis prioratibus parum admodum promoveri, et vix plures solito operarii sustentari queunt, nisi iidem prioratus ab illo persolvendæ pensionis onere liberentur. Quod idem Reverendissimus Episcopus se lubenter facturum spopondit, dummodo pro singulari sua pietate et munificentia Sanctitas Vestra dignetur ipsius Episcopatum a simili, vel fortassis graviore pensione exonerare, vel certe aliqua alia ratione, quam prudens caritas Sanctitatis V. judicavit esse opportunam, illi prospicere, ne ei ad tuendam dignitatem Episcopalem facultates necessariæ desint. Quamobrem nos, postquam nihil nostri muneris omisimus, ad Sanctitatem Vestram implorandam opem accessimus, cujus non erga nos solum paternam benevolentiam quotidie experimur, sed singulare etiam divini honoris studium, et eximium erga universa opera pia favorem cognoscimus, supplices S. V. rogaturi, ut pro sua incredibili pietate et paterna caritate Reverendissimum Montisregalis Episcopum a pensione, quam ex suo pendit Episcopatu, liberet; aut ipse ea beneficia impartiatur, quibus ille cumulate remuneratus, omni pensione liberos dictos prioratus Patribus Societatis Jesu relinquat, ut illi per hujusce Galliæ agros siti squallidos liberius et fructuosius operari possint, evulsisque omnium hæreseon et omnium aliorum peccatorum spinis, quas hæretici et improbi homines longe lateque sparserunt; pietas Christiana et boni mores altiores agant radices, et majora indies capiant incrementa. Quibus in operibus Patres illos strenuam navare operam, et quantum in eis est, hæc lubentissime præstare cernimus et experimur. Sic autem ad alia multa in nos urbemque nostram a Sanctitate Vestra collata beneficia hoc etiam, quod et magnitudine et fructu reliqua illustriora efficiet, adjunget. Quod si fiat non nos solum liberique nostri, sed finitimæ omnes nostræ urbis provinciæ in perpetuum Vestræ Sanctitati et Sanctæ Sedi Apostolicæ manebimus magis atque magis devincti, præterquam quod omnium bonorum remuneratorem Deum hoc S. V. beneficium maximo præmio confidimus in cœlo cumulaturum, quem ex animo suppliciter rogamus, ut Sanctitatem V. diutissime incolumem suæ S. Ecclesiæ conservare, piaque omnia ipsius desideria et in ista et in altera vita explere sua singulari misericordia et pietate dignetur. Lugduni vigesima octava Junii MDLXXIX.

Beatitudinis V.ræ humilissimi filii ac devotissimi servi

CONSULES ET MAJORES CIVITATIS LUGDUNENSIS.

LXXIX. — Gregorius, qui totus erat in Patribus Ignatianis juvandis, Ducem Lotharingiæ monet, ne admittat eorumdem in suis scholis jura a quopiam violari. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An VIII ep. 76. f. 226.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Lotharingiæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus eos, qui Pontimossoni legum studio operam dant, moliri quædam de Rectore et gubernandi ratione, velleque Collegii Jesu scholas suis decretis potestatique subjicere. Ea vero gravissime perturbare propria ipsius Collegii in suis scholis, in quibus magno cum juventutis fructu versantur, instituta. Summopere hoc Nobis cordi est, cupimus enim illos sine molestia esse libereque, ut semper fecerunt, in suis scholis propriis decretis uti. Hoc tua præstanti prudentia atque auctoritate effici poterit. Commendamus igitur hoc negotium Nobilitati Tuæ, quantum possumus, rogamusque, ut illud amplectaris tua humanitate, neque patiaris homines diversæ professionis, quibus satis esse debet, res suas separatim habere, easque suo modo regere, Collegii præsertim antiquioris scholas attingere, inque eis jus tibi vendicare. Erit id Nobis gratissimum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Novembris MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

LXXX. — Eumdem alteris litteris etiam rogaverat, ut Fontaneto provinciæ suæ oppido hæreticos excedere juberet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An VII. ep. 217 f 167

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Lotharingiæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quia certum habemus, nihil esse magis cordi Nobilitati Tuæ, quam Dei gloria, quæ maxime versatur in salute animarum Christi sanguine redemptarum, præclare autem intelligere te, nullos esse hostes huic ipsi saluti et gloriæ hæreticis infensiores, hocque unum illos laborare, ut Catholicam fidem, quæ utramque causam maxime continet, ex hominum animis evellant, et Sathanæ vires infundant: certa etiam spe sumus, Nos facile impetraturos esse, quod incredibiliter cupimus, ut scilicet prohibeas, ne ullum novæ, ut appellant, Religionis exercitium, re autem vera antiquæ fraudis atque institutum habeatur Fontaneti, quod accepimus esse oppidum in Monte Vogeso diœcesis Bisuntinæ. Rogamus Nobilitatem Tuam per eumdem ipsum Christum, cujus causa rogamus, ut provideas quamprimum, initiisque ipsis obsistas. Nihil potest esse aut Nobis optatius, aut Deo acceptius, aut Tuæ Nobilitati gloriosius. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Aprilis MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno septimo.

LXXXI. — Henricus Galliarum Rex gratias Pontifici agit de confirmato equestri Ordine, a Spiritu Sancto appellato, ab eoque ut antea sæpenumero petit, ut iisdem Equitibus quasdam commendas assignari permittat. [*] Deinde po-

[*] Monitum document. N. 8

scit, ut designatum Episcopum Ecclesiæ Luxoviensi proficere [*], causam P. Fuxii designati Archiepiscopi Tholosani ad finem deducere [*], et Carolum Borbonium Principis Condæi fratrem, et Cardinalis Borbonii nepotem in sacrum PP. Cardinalium Senatum cooptare velit. [*] Quæ valde a se etiam commendari Regina mater per Edmundum Augerium e Societate Jesu Pontifici significavit. [*]

[*] Mantuan. document. N. 9.
[*] Ibidem N. 10.
[*] Ibidem N. 11.
[*] Ibidem N. 12.

LXXXII. — Princeps Valachiæ, qui id temporis a Rege Christianissimo contra Turcas auxilium petiturus Lutetiæ Parisiorum versabatur, ad Gregorium se vertit, orans, ut commendatas apud eumdem Regem res suas esse velit; spondet se, ut primum in suas provincias restitutus fuerit, nihil potius habiturum quam rem catholicam omni studio complecti. [*]

[*] Ibidem N. 13.

LXXXIII. — Neque vero hic silentio est prætereunda illa præstanti pietate fœmina Joanna ex Comitibus Pallæ, quæ effecit, ut Lutetiæ Parisiorum sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, viaticum nuncupatum, augustiori quam antea, frequentiorique pompa ad eos, qui in vitæ discrimine versarentur, circumferretur. [*]

[*] Ibidem N. 14.

LXXXIV. — Bellegnardius, Galliæ Marescallus, hoc anno, adsentientibus clam Duce Sabaudiæ, Marchione Saluciensi, Magno Etruriæ Duce, obnitente vero Rege Galliarum, Marchionatum Saluciarum regendum sumpsit. Rumor autem inoleverat eum Hugonottis valde favere, eorumque ministris, quos prædicantes vocant, facultatem fecisse, suos errores hac in ditione ingenti Ecclesiæ Catholicæ detrimento publice docendi, fungendique suis sacris. Ille tantam sibi illatam injuriam inique ferens, faciendum sibi duxit, ut obsequentissimis litteris Pontifici sese purgaret, omnemque, qua apud eum fuerat aspersus, suspicionem elueret. In his igitur, interposita fide, contendit, nihil ipsum agitare animo, quod secus sit a Catholica religione, quam vel ad extremum spiritum integram inviolatamque retenturum se profitetur. [*]

[*] Ibidem N. 15.

LXXXV. — Avenione hoc anno paullo pacatiores res fore videbantur, sed ut alias non plane a solicitudine vacuæ erant. Gregorius igitur ad prospiciendum ejus provinciæ tranquillitati, ne absente Cardinali Arminiaco, qui ad pacandas meridionales Galliæ provincias a Rege missus erat, Hugonotti, qui tantum certamen animis imbiberant, ut pacem pati non possent, aliquid molirentur, eidem Cardinali mandat, ut suum in locum Grimaldum sufficiat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. VII ep. 312 f. 170

Dilecto Filio Nostro Georgio Cardinali Arminiaco Nuncupato.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus, te Christianissimi Regis voluntate profecturum esse in Provinciam, ad ejus regionis motus sedandos, ibique tamdiu futurum, quoad eo veniat Marescallus Retii, quem etiam tardius perventurum cognovimus, quia illum aliò proficisci oportet ejusdem Regis jussu. Sic autem cogitavimus, Nos absente te, sive brevis, sive diuturnior absentia futura sit, nunquam quieturos de rebus Avenionensibus, his præsertim temporibus turbulentissimis ac periculosissimis, nisi aliquem relinqueres, cujus fidem, prudentiam, vigilantiam cognitam haberemus. Nemo autem Nobis in mentem venit, cui his ipsis de causis magis tribuamus, quam dilecto filio Grimaldo Rectori Comitatus Venaysini, cujus prudentiam, fidelissimamque operam in rebus Minervæ tibi quoque perspectam esse certo scimus. Facies igitur, ut eum ante tuum discessum ad te Avenionem voces, inque tuum locum subroges, suggerasque ei omnia, quæ ad istam gubernationem pertinere intelliges, cui etiam mandabis, ut omnibus de rebus te per literas certiorem faciat: tuo enim sapientissimo consilio de istius nostræ Civitatis ac Comitatus statu quietiores erimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die septima Aprilis millesimo quingentesimo septuagesimo nono, Pontificatus Nostri anno septimo.

Montacutio quoque militum Præfecto Romam negotiorum causa evocato Malvetum, virum rerum bellicarum peritissimum, successorem dedit. Hunc autem ex Pontificis commendatione tum Marescallus Damvillius, tum Rex ipse, qui eum suo etiam equestri ordini a Spiritu Sancto adscripserat [*], in magno honore et amore habuerunt. [*]

[*] Mantuan. document. N. 16
[*] Reg. Gregorii XIII An. VIII ep. 16 fol. 216

Dilecto Filio Nostro Georgio Cardinali Arminiaco Nuncupato.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Quia oportet, dilectum filium Montem Acutum discedere et Præfecturam militum, quam ei Avenione atque in Comitatu Venaysino dederamus, deponere, mittimus dilectum filium Pyrrhum Malvetum Patricium Bononiensem, quem eidem loco et muneri præfecimus, virum spectata virtute et laude. Ei etiam has litteras ad te dedimus. Et autem certum habemus, illum et mandato nostro et sua sponte fore tui observantissimum, sic etiam speramus, te eo loco eum habiturum, quo haberi convenit, eumque tuis optimis prudentissimisque consiliis et monitis adjutum iri, sicque fore, ut possit melius ac facilius Nobis conservire. Omnibus autem in rebus, de quibus tecum aget nostro nomine, summam semper fidem ei tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 1. Septembris MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

LXXXVI. — Avenionenses et Venusini, supra pestem fame etiam exagitati, in summa

annonæ caritate et inopia ad Pontificem confugiunt, enixe efflagitantes, ut eis a Rege Christianissimo facultatem impertiret, frumentum honestis quidem conditionibus ex Burgundia aliisque finitimis provinciis exportandi. (*)

(*) Avignone Vol. 8. fol 133.

Sño Domino Nostro PP. Gregorio XIII.

Beatissime Pater, post beatorum oscula pedum.

« Posteaquam et Illustrissimi Cardinalis Arminiaci gratia et authoritate, et strenua Illustris ac Reverendissimi Domini Grimaldi Rectoris nostri opera, et multis bellicis suis sudoribus ingenti a nobis impenso ære, Deo aspirante, oppidum illud Menerbiæ, tandiu ab infestissimis hostibus occupatum, Sanctitatis Vestræ ditioni Sedisque Apostolicæ imperio restitutum fuit, de erigendis aliquantulum nostris in totum fere projectis viribus cogitabamus, Beatissime Pater, de facultatibus nostris quasi penitus consumptis aliqua ratione reparandis, consilia inire cum Illustri D. Grimaldo hujus rei valde cupido incipiebamus, cumque e tantis hostium deprædationibus totque ruinis vix respiraremus, quietis et tranquillitatis locum ac tempus aliquod tandem nobis relictum esse credebamus. Verum, Beatissime Pater, nescimus, qua nostra erga Deum offensione grave divina excandescentia accidit, ut et nefanda pestis contagione, quæ hunc Comitatui vicinas provincias nunc valde infestat, quodammodo circumsepti, quodque pejus est, quasi extrema obsidione jam pressi sumus a perhorrenda, vehementerque pertimescenda fera illa et immani fame, quæ nunc jam hanc totam provinciam vestram invasit propter nunquam alias a quoquam (qui superstes sit) visam tam exiguam messem, neque talem unquam prodatam frumenti paucitatem, qualem hoc anno fuisse videmus, neque alias auditam similem annonæ penuriam, qualem futuram apud nos expectamus. Quo nomine, Beatissime Pater, quo in statu res nostræ esse possint, et quibus ac quantis in angustiis versemur, eximiæ vestræ prudentiæ, sanctissimo atque exactissimo judicio perpendendum relinquimus. Hoc unum Beatitudinem Vestram scire optamus, nihil ab Illmo Cardinali Arminiaco prætermissum, nihil operæ, industriæ et solicitudinis ab Illustri Dño Grimaldo Rectore derelictum, quod huic tam acerbo tamque infesto humano generi hosti obviam eundum, et omni ratione occurrendum pertineat. Is enim suo sane præclaro et si unquam satis commendato exemplo, oblatis libenter mille nummis aureis de suo, omnes nos ad liberaliter, quidquid æris pecuniarum et supellectilis habemus, in hanc penitus necessariam frumenti emptionem impendendum, et conferendum excitavit et provocavit, adeo ut jam a quamplurimis hujus Comitatus civitatibus et oppidis mutuum hujus rei causa indictum sit. Sed cum omnibus bene subductis rationibus perpauca reperiantur oppida, quæ, unde sibi necessarium frumentum comperare possint, habeant, atque illud a Burgundia satis longo intervallo a nobis disjuncta (unde nobis petendum est) asportare non liceat, coacti fuimus, Beatissime Pater, una cum Illustrissimo Cardinali Arminiaco et Illustri Domino Rectore Grimaldo, ad Beatitudinis Vestræ pedes supplices his cum literis tantum venire, cum neque extrema quæ nos tenet paupertas, neque Præsulum nostrorum sententia concesserit, ut ad Beatitudinem Vestram nuntium hac de causa, uti decreveramus, destinaremus, ut pro ea qua nos semper amplexa est pietate et charitate (quæ nunquam nobis tam necessaria fuit) non dedignetur, a Christianissimo Rege facultatem triticum asportandi hujus vestræ provinciæ causa, tam a Burgundia quam ab aliis suæ ditionis locis impetrare, atque etiam sicuti Beatitudo Vſa alias semper adversus hostes opportuna auxilia præstare nobis nunquam destitit, ita etiam nunc adversus (quovis alio acerbiorem et crudeliorem, ut Beatitudo Vestra optime scit, quo premimur) hostem famem nempe et annonæ penuriam auxiliarem suam clementiam præbere, et adjutrices suas manus porrigere non recuset, quodque ad hanc provinciam sustentandam, et a periculosissimis illis seditionibus et motibus, quas fames suscitare solet, prohibendam necessarium fore, frumentum, ab his quibus fidem merito Sanctitas Vſa habet, intelliget, sua authoritate, suis mandatis et decretis invehi et asportari jubeat, et præcipiat ea lege et conditione, ut quæ impensa fuerit in eo frumento comparando, pecunia ab iis, qui illud inferent, recipiatur et recuperetur. Hac enim ratione Beatitudo Vestra hanc suam provinciam a majori, quam unquam alias versata sit, periculo sine aliquo detrimento vindicabit, et rem piissimo ac clementissimo Principe, communique atque optimo maximo totius orbis christiani parente dignam, Deoque vehementer gratam præstabit, et nos perpetuo Deum pro longævo ac felici statu Sanctitatis Suæ precabimur.

Carpentoracti die 7. Augusti 1579.

Sanctitatis Vestræ

Devñi oratores et humi subditi

Electi Patriæ Comitatus Venaysini.

Gregorius apud eosdem de levata annonæ caritate meritam gratiam et laudem tulit: propterea quod pecunias in stipendium militum destinatas per aliquot menses ad coemendum frumentum impendi statuerit. Hinc Venusini primo in gratias Pontifici agendas sese effundunt: deinde prolixe admodum de Grimaldo, propterea quod Cardinali Arminiaco coadjutor datus fuerit, gratulantur, ejusque se optima sapientique opera uti sane quemadmodum antea affirmant, qua ut diutius frui possint, omnibus precibus petere contendunt. (*)

(*) Avignone Vol. 8 fol 133.

Sanctissimo Domino Nostro.

Beatissime Pater, post beatorum oscula pedum.

« Magna nos omnes lætitia affecit, quod ex literis Illustrissimi Cardinalis Comensis intelleximus, Beatitudinem Vestram tam liberaliter pro solita sua erga nos pietate et charitate statuisse, nobis extrema pecuniarum et annonæ penuria laborantibus, pecunias ad militum vestrorum stipendia destinatas, per aliquot menses pro annona comparanda repræsentare, idque suadente et hortante Illustri et Reverendissimo Domino Grimaldo, optimo et studiosissimo hujus vestræ provinciæ patrono, Rectoreque præstantissimo. Tantum siquidem nobis profuit, Beatitudinem Vestram in hac tanta egestate sua clementia nos amplexasse, suamque auxiliarem opem pollicitam fuisse, ut sola hujus rei fama majorem jam et abundantiorem annonæ copiam nobis pepererit, illiusque pretium non parum imminuerit. Quo nomine, Beatissime Pater, ingentes et immortales Sanctitati Vestræ gratias agimus, et perpetuo habituri sumus. Inter has vero tot ac tantas angustias, et quotidianas hostium insidias, quibus vehementer premimur, et in hac tanta rerum omnium Gallicanarum perturbatione nostraque egestate, quibus mirum in modum vexamur, nihil profecto, Beatissime Pater, a nobis magis expetendum est, quam ut Illustris et Reverendissimi Domini Grimaldi præsentia, consiliis et monitis diu multumque frui possimus. Si etenim nos eo nunc carere contingeret, suaque ope suisque consiliis destitui, male procul dubio res omnes nostræ hæeque tota provincia sese haberent. Equidem Bñe Pater, non dubitamus, quin ipse sanctissimis vestris pedibus inhærere, et Beatitudinis Vestræ mandata vivæ vocis oraculo excipere, sacrosanctique vestri Collegii conspectu frui, seque et tantis curis et sollicitudinibus, quas sustinet, eximere non immerito cupiat, et quidem præclare et insigniter a se gesta hac in provincia, Sedis Apostolicæ causa, in amplissimo illo totius orbis theatro producere, nec non debita suis tantis meritis premia tandem referre optima ratione expectat. Neque id profecto, Beatissime Pater, minus a nobis quam ab ipsomet (si grati esse velimus) et optandum et exquirendum esset, summique in nos beneficii loco reputandum quemvis illi amplissimum honorem, et dignitatem conferri, quævis magna premia illi a Beatitudine Vestra et a Sede Apostolica constitui. Nihilominus quia in eo maximam positam, et constitutam esse hujus vestræ provinciæ tuitionem, et conservationem videmus et agnoscimus, cogimur, Beatissime Pater, salutem nostram omni suæ dignitatis accessioni et quibusvis suis commodis anteponere, et ad Beatitudinis Vestræ pedes supplices pro ea qua obstringimur fide his cum litteris venire, hoc impetraturi pro sua benignitate, ut Illustrem Dominum Grimaldum suis mandatis suisque jussis apud nos retineat, eumque Sanctitas Vřa hortetur et moneat, ut nos in suam curam et clientelam lubentissime, sicuti antea semper fecit, ita etiam in posterum recipiat, regendos fovendosque ac omni pietate complectandos suscipiat. Sic enim fiet, ut sua prudentia, fide et diligentia secure pacateque degamus, et devotum, quem erga Sanctitatem Vestram et Sedem Apostolicam gerimus, animum majoribus semper studiis et obsequiis excolere (ut volumus et optamus) possimus; hæcque Sanctissima Sedes non parum inde honoris et utilitatis suscipiat. Et nos assiduis precibus apud Deum contendemus, ut Beatitudinem Vestram, huic suæ provinciæ et christiano orbi tam beneficam, longissimo atque felicissimo ævo fruentem nobis concedat et conservet.

Carpentoracti sexto Idus Octobris 1579.

Sanctitatis Vestræ

Humillimi et in perpetuum devotissimi subditi et servuli

ELECTI COMITATUS VESTRI VENAYSINI.

LXXXVII. — Eorum votis Gregorius libenter morem gessit, non secus atque antea a Rege Gallisrum, iisdem petentibus, postulaverat, ut sal ex viciniorihus Gallicis provinciis liceret sumere. [*]

[*] Reg Gregorii XIII An VII ep. 220 f. 151.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Francorum Regi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili nostee salutem et Apostolicam benedictionem. Quo certius habemus, homines nostræ atque hujus Apostolicæ Sedis ditioni subjectos quam commendatissimos esse Majestati Tuæ, eo libentius a te postulamus ea, quæ ad ipsorum commoditatem atque utibtatem pertinere intelligimus. Quod autem hoc tempore cupimus, tale est. Permisit Majestas Tua Helvetiis, ut possent sal sumere ex salinis iis, quæ sunt Berræ et Peccai, gratissimum Nobis faciet, si idem concesseris hominibus atque habitatoribus Comitatus nostri Venaisini, nostræque Civitati Avenionensi eodem pretio, eisdem conditionibus et privilegiis, quibus Helvetiis concessit. Erit hoc illis commodissimum utilissimumque, Nobis vero, ut diximus, gratissimum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Februarii MDLXXIX. Pontific. Nostri anno septimo.

Galliarum Rex non minus sibi indulgebat, si quid a Pontifice ipsi opus esset. Cum itaque Cardinalis Borbonius provinciæ Avenionensis Collegatus per medios civiles motus e suo ære certam nummorum summam in commodum eorum civium numerasset, Rex petiit a Pontifice, ut eidem eam pecuniam solvi juberet. [*]

[*] Mantissa document. N. 17.

LXXXVIII. — In Lusitania ac reliqua Hispania, finitimisque provinciis magna erat animorum ac rerum fluctuatio ob controversiam de regni illius successione. Henricus Cardinalis Presbyter SS. quatuor Coronatorum, Archiepiscopus Eborensis, frater Joannis III, patruus demortui Regis Sebastiani, ipso Pontifice probante, licet ætate provectus, regni administrationem susceperat, ne res in summum discrimen adducerentur. Ineunte Aprili idem Cardinalis comitia Ordinum regni habuit, ut de successione ageretur, iisque ipse interfuit sceptrum manu gestans, et Cardinalitiis insignibus indutus. Diu multumque disputatum est de successionis jure, sed in summa sententiarum varietate nihil definiri potuit. Henricus Rex dein statuit, controversiam illam haud aliter dirimendam esse, nisi omnes, qui contendebant jus sibi competere in regnum, citarentur et audirentur. Interea volens præcavere regni perturbationi, si ipse obiisset, antequam de successione judicium fuisset absolutum, statuit ab Ordinibus regni quindecim viros nominari, ex quibus quinque ipse delegit, qui, eo vita functo, tanquam Gubernatores regnum administrarent usque ad tempus, quo controversiæ finis esset impositus, atque horum nomina in capsa reposuit, quam Olysipponensi magistratui tradidit, ne notitia illorum, quos ipse designaverat, ad aliquem veniret. Pro judicio autem de jure successionis absolvendo voluit ab Ordinibus regni duos et viginti viros proponi, ex quibus undecim delegit, qui si ipse obiisset ante judicii exitum, plena cum potestate causam de successione judicarent. Hac ratione arbitrabatur Henricus omnem perturbationum fomitem sublatum iri. Verum brevi intellexit se non esse assequutum, quod sibi proposuerat. Nam statim jurisperiti disputationem moverunt de auctoritate illorum, qui controversiam de regni successione dirimere deberent, ac propugnare non dubitarunt, ejusmodi esse auctoritatem undecim illis demandatam, quæ Regis morte cessaret. His vero jurisperitorum disputationibus permotus non fuit Henricus, ut consilium retractaret, sed potius omnes regni Ordines juramenti religione obstrinxit ad ea servanda, quæ ipse statuerat, ut post ejus obitum, ipsi et Gubernatoribus constitutis parerent, et eis tamquam Regi subessent, quod ex plurium sententia erat. In iisdem comitiis extiterunt etiam, qui existimarent regno consuli posse, si facultas daretur Regi Henrico matrimonium ineundi. Quare missus fuit Romam Orator ad Pontificem, non renuente ipso Henrico, ut eam facultatem impetraret. Philippus Hispaniarum Rex, qui admitebatur, ut Lusitaniæ regnum sibi deferretur, non solum egit apud Henricum, ut de conjugii consilio desisteret, sed Oratori suo Romæ mandavit, ut nihil omitteret, ne ad illam facultatem conjugii concedendam induceretur Pontifex, præsertim cum valde ætate provectus esset Henricus, et infirma valetudine, adeoque spe prolis destitutus, et metuendum esset, ne pro legitimo Henrici filio supposititius, aut adulterinus filius regni jura obtineret. Sed Pontifex jam alienissimum se præbuerat ab illa dispensatione concedenda, non solum ob memoratas illas caussas, sed potissimum quod intelligebat non adesse gravissimas rationes, quæ eum adducerent ad dispensationem concedendam ea in lege, quæ gravissimam et perpetuam habens rationem in ipsa sanctitate et dignitate ecclesiastici ministerii, vel ipsa apostolica traditione roborata, præscriptionibus conciliorum et Romanorum Pontificum inculcata, diligentissime servanda proposita perpetuo fuit. Quare Gregorius vix cognovit, quænam esset aliquorum Lusitanorum de conjugio Henrici sententia, misit in Lusitaniam Alexandrum Frumentium et Antonium Saulium, a. d. v. Idus Januarias Legationis munere decoratos, qui Regem ab infausto illo nuptiarum consilio deducerent, quique ei suaderent ad civiles motus in posterum præcavendos, ut dum in vivis ageret, certo successori statuendo animum adjiceret.

Etiam sanctus ille vir Cardinalis Borromæus Mediolanensium Archiepiscopus, quocum Rex de nuptiis ineundis consilium communicaverat, humanissimis litteris in eamdem sententiam respondit.

Henricus ægre ferre visus Legationem ad eum missam. [*] Gregorius vero in sua sententia perseverans valde miratur aliter posse de ea re existimari. [*]

[*] Mantissa document. N 18.

[*] Reg Gregorii XIII. An VII ep 225 f 151.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Portugalliæ et Algarbiorum Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis Majestatis Tuæ datis xxv. Februarii atque ex sermone Oratoris tui cognovimus de negocio Legationis. Novum plane Nobis visum est, Majestatem T. tali voluntate esse: contrarium enim ex literis Collectoris nostri acceperamus, in quibus etiam scribebat, se id ex te ipso audivisse: id autem eo facilius credidimus, quia nulla ratio erat aliter existimare. Mandavimus igitur dilecto filio Antonio Pinto, et Nuncio nostro, ubi istuc pervenerit, ut cum Tua M. hac de re loquantur, explicentque ea, quæ Nobis maxime convenire visa sunt. Gratissimum Nobis facies, si omnem eis fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxviii. Martii mdlxxix. Pontificatus Nostri anno septimo.

Alteris literis benevolentia in Henricum Regem plenis confirmat, suum judicium æquitati valde consentaneum videri. [*]

[*] Reg Gregorii XIII An. VII ep 233. f. 171.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Portugalliæ et Algarbiorum Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Ad literas Majestatis Tuæ datas XXIII. Februarii, quibus postulas, ut de negocio, quod tantopere tibi cordi est, respondeamus, dolesque de missione dilecti filii Antonii Saulii, quibus etiam de rebus fusius Nobiscum egit Orator tuus; nihil aliud habemus, quod quidem de tempore respondere possimus, nisi ex iis, quæ Saulius ipse exponet, facile perspecturam Majestatem Tuam, quanta charitate universum Regnum tuum, teque in primis prosequamur; quæ quidem causa Nos impulit, ut magna cum libertate nostrum judicium et consilium tibi explicare vellemus, neque possumus sententiam mutare, quoad ex Saulio cognoscamus, quid cum Tua Majestate egerit. Si eum, ut scribis, quamprimum abs te dimiseris, erit id Nobis gratissimum; sic enim citius intelligemus, Majestatis Tuæ tum animum, tum res quietas et compositas esse, quod quidem summopere cupimus, nec unquam poteris aliter putare, si volueris de nostris actionibus vere sapienterque, ut soles, existimare. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Aprilis MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno septimo.

LXXXIX. — Eorum, qui in Lusitaniæ regnum sibi jus asserebant, numerabantur præcipui Philippus Hispaniarum Rex, ex Elisabetha Joannis III. et Henrici sorore prognatus, tum Catharina Brагantiæ Ducissa ejusdem Joannis III. Regis fratris minoris natu filia, et deinde Antonius Crati Prior, miles Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, filius Ludovici Ducis Bajæ fratris natu majoris ejusdem Joannis III. Præter hos etiam de successione contendebant Philibertus Dux Sabaudiæ, Ranutius Farnesius Parmensium Princeps, et deinde Catharina Medicea Galliarum Regis mater. Inter hos Antonius cæteris fuisset præferendus, si probare potuisset, se ex legitimo conjugio natum esse. Ad hanc definiendam de successione controversiam doctissimi quique illius ætatis viri, juris scientia præstantes, a Principibus contendentibus rogati sunt, ut sententiam suam declararent. Conimbricensis Academiæ Jurisconsulti, qui plura erudite sapienterque de hac gravissima impeditissimaque quæstione scripserunt, in sua consultatione censuerunt talia posse afferri contra singulorum Principum contendentium jus, ut omnino incertum esset, cuinam in regnum Lusitaniæ successio asserenda. De Antonio Crati Priore unanimiter judicarunt illum a successione tanquam spurium esse excludendum, propterea quod constaret, testes pro ejus legitimitate adductos vel falsos esse, vel suspectos, et Ludovicum in extremis tabulis Antonium spurium nominasse. Cum tot disputationibus Henricus valde dubius hæreret, Philippus, Sabaudus, Parmensis, Brагantinus Principes de jure contendentes singuli consultationes pro jure suo ad Pontificem, et Principes Christianos miserunt. Ea autem occasione arrepta regni Ordines, ac præcipue Olyssiponenses quasi extincta mascula prole, et incerto succedentium jure, nonnisi per electionem regno consuli posse affirmabant; cui sententiæ cæteri adversabantur, contendentes electioni nunquam locum esse dum legitimi hæredes existerent, et licet singulorum jura incerta remanerent, non ideo regni Ordinibus licere de electione agere, quippe cum hoc in casu regnum Lusitaniæ Legionensi potius uniendum esset, a quo originem duxisset.

Antonius Crati Prior varia Jurisconsultorum sententia exagitatus ac delusus, ratus, causam suam nonnisi ab Ecclesia ex jure decidendam esse, ideo ad Pontificem confugit, qui litteris datis in forma Brevis die 4. Februarii Henrico Regi facultatem dedit, ut de Antonii controversia decideret.

Is vero admodum ægre tulit Romanum Pontificem tanquam minus honorifice de se sentire, causamque suam illi commisisse, qui infenso animo in eum esset. Postquam vero Henricus auctoritate Pontificis sententiam de Antonio tulisset, hicce, conquerens se oppressum in eo judicio fuisse, litteris tam latino quam vernaculo sermone exaratis postulavit a Pontifice, ut novum judicium instrueretur. (*) En latinas. (**)

(*) Mantova document. N. 19.
(**) Lusitania Vol. 5. fol. 19.

Sanctissimo ac Beatissimo Domino Nostro Gregorio XIII.

Sanctissime et Beatissime Pater.

« Singularis affectus et charitas, qua me Beatitudo Tua prosequitur, et non vulgaria beneficia, quibus me eidem Beatitudini devinctum agnosco, ausum mihi præbuerunt his literis eam certiorem faciendi, quam graviter animum nostrum, ei semper alioquin obsequentissimum, commoverit rescripti cujusdam tenor, quo eadem Beatitudo causam legitimitatis meæ Majestati Regis Henrici domini ac patrui mei decidendam commisit. Etsi namque ab eadem Beatitudine summo affectus sim beneficio, quod maximum et incorruptissimum Judicem elegerit, et causam breviter jusserit decidi atque terminari, non possum non summopere admirari, quisnam ausus fuerit ita erronee eandem Beatitudinem informare, ut non solum de matre mea parum honorifice agens, ut vilem et abjectæ conditionis inculcaverit, (cum tamen ipsa ut honestissime in sæculo vixit, ita religiosissime in cœnobio nobilissimo monialium, quod de Almoster nuncupatur, religionem professa ad superos migravit, quam etsi secreto, vere tamen et indubitanter Infans Ludovicus Pater meus non

contemnendæ memoriæ matrimonio sibi copulavit, et quamdiu vixit, honorifice admodum in prædicto cœnobio tractari curavit, cœlibem ipse vitam summo virtutis et continentiæ exemplo insignem agens) sed etiam de me ipso minus bene sentire eandem Beatitudinem voluit, cum fere nihil aliud in eo rescripto magis inculcetur, quam ut non solum contra testes pro mea parte productos, sed etiam contra me ipsum graviter, etiam ad districtionem corporis procedatur, postpositis personæ et dignitatis nostræ titulis, quæ omnia non mediocrem querimoniæ causam mihi præstitissent, nisi intelligerem eandem Beatitudinem erga me alioquin propensissimam nihil magis curare, quam ut recto tramite omnia dirigantur, et causa hæc juste definiatur et judicetur. Quod equidem ita spero fore, et si omnibus compertum sit, quam duriter prædicta Majestas se mecum hactenus gesserit, de ejus tamen virtute et integritate confido nihil alienum a justitiæ tramite judicaturam, quod si aliter ac spero evenerit, appellatione ad eandem Beatitudinem ac istam Sanctam Sedem interposita, mihi consulere curabo, sperans eidem Beatitudini causam legitimitatis meæ justissimam et probatissimam futuram. Deinde facile spero animi mei gratissimi promptitudinem non vulgaribus obsequiis eidem Beatitudini, et isti Sanctæ Sedi compertam fore. Beatissime Pater et Sanctissime Domine noster, Deus omnipotens V. S. quam diutius Ecclesiæ suæ incolumem servet. Datum Tomar 12. Augusti 1579.

Humilissimus servus Sanctitatis Vræ
DOM ANTONIO.

Antonii precibus annuit Gregorius, qui statim alteris litteris datis in forma Brevis die 7. Septembris Alexandro Frumento Nuntio Apostolico in Lusitania, necnon Archiepiscopo Olyssiponensi mandavit, ut causæ Antonii cognitionem susciperent, eamque suo judicio decernerent, omni appellatione remota. (*

(* Reg Gregorii XIII An VIII ep 81. f 230.

Dilecto Filio Alexandro Frumento, Nostro apud Charissimum Filium Nostrum Henricum Portugalliæ Regem Nuncio, necnon Venerabili Fratri Archiepiscopo Ecclesiæ Olyssiponensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili et Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius Antonius, Prior Prioratus de Crato Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, intellecta sententia super sua illegitimitate per Charissimum in Christo filium nostrum Henricum Portugalliæ Regem, vel ejus subdelegatos vigore nostrarum in forma Brevis litterarum die III. Februarii Pontificatus Nostri anno VII. datarum, lata, ad Nos et ad Sedem Apostolicam recursum habuerit, ut in scripturis coram te Nuncio nostro productis constare dicitur, duximus dictam causam recursus admittendam esse, non obstante clausula sublatis cujuscumque etiam non frivolæ appellationis, aut suspicionis vel alterius subterfugii impedimentis in dictis nostris litteris contenta. Vobis igitur, de quorum integritate et scientia multum confidimus, dicti recursus causam cum omnibus suis incidentibus, emergentibus, annexis et connexis tam ex deductis coram Rege vel ejus subdelegatis, omnibus et quibuscumque nullitatibus penitus rejectis, quam ex aliis coram vobis de novo deducendis, partibus vocatis et diligenter auditis, summarie, simpliciter et sine aliqua servatione terminorum, sola veritate facti inspecta conjunctim cognoscendam et fine debito determinandam, omni et quacunque appellatione remota etiam ut in prima instantia, quatenus opus sit, committimus, cum facultate aliarum nostrarum litterarum in forma Brevis super priorum litterarum, et intentionis nostræ declaratione die VII. Septembris Pontificatus Nostri anno octavo datarum, effectum suspendendi, citandi etiam per edictum publicum, constito, quod Antonius absens sit, ita ut non facile possit requiri, vel non sit tutus ad eum accessus, nec non quatenus et quoties opus fuerit, inhibendi, aliaque omnia faciendi, quæ in præmissis vel circa ea fuerint quomodo necessaria vel opportuna. Non obstantibus fœlicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, et Concilii Generalis de duabus dictis editis constitutionibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die I. Novembris MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

Quibus viris judicibus Gregorius tertium adjungit Episcopum Placentinum, Nuntium nempe Apostolicum in Hispania, qui præcaveret, ne duobus illis dissentientibus judicium extraheretur. (*

(* Reg Gregorii XIII An VIII ep 90 f 230

Dilecto Filio Alexandro Frumento, Nostro apud Charissimum Filium Nostrum Henricum Portugalliæ Regem Nuncio, nec non Venerabili Fratri Archiepiscopo Ecclesiæ Olysipponensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili et Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Cum Nos superioribus diebus causam recursus dilecti filii Antonii, Prioris Prioratus de Crato Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, a sententia per Charissimum in Christo filium nostrum Henricum Portugalliæ Regem, sive ejus subdelegatos super illius Antonii illegitimitate lata ad Nos et ad Sedem Apostolicam interpositam, vobis conjunctim cognoscendam et terminandam commiserimus, cum clausulis et facultatibus in nostris litteris in forma Brevis die prima Novembris Pontificatus Nostri anno VIII. datis, latius contentis, volentes causam ipsam omnino terminari, et cogitantes quid fieri poterit, ut inter vos non conveniat, quod tamen futurum non cre-

dimus, in talem eventum adjungimus vobis venerabilem fratrem Philippum Placentiæ Episcopum, nostrum et Sedis Apostolicæ apud Charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniæ Regem Catholicum Nuncium ordinarium, cum eisdem clausulis et facultatibus, quæ in nostris vestræ delegationis litteris, quas hic volumus haberi pro insertis, latius continentur; ita ut quod alter ex vobis una cum illo concorditer decreverit vel judicaverit, ratum et firmum sit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII. Nov. MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

Summa animi contentione ab omnibus de jure successionis disputabatur, neque adhuc spes affulgebat hanc gravissimam dissidiorum causam ad finem perventuram fore. Nemo vero ex iis Principibus vehementius pro jure regni sibi vindicando dimicavit, quam Philippus Hispaniarum Rex. Hic enim per litteras, et per oratores suos postulavit ab Henrico, ut ipsum regni successorem renuntiaret, cogeretque omnes regni Ordines, ut juramento interposito suum jus probarent, quod ut ajebat, in Christiani nominis commodum, nec non in Lusitaniæ utilitatem esset cessurum; alias se paratum esse jus suum armis vindicare, quod et mox re comprobavit. Nam quo tempore apud Henricum Regem instabat, copias ex Italia et Germania evocabat, omnia ad bellum necessaria parabat, perperam simulans se nonnisi Turcas in Africa armis persecuturum. Henricus, qui Ducissæ Brigantiæ favebat, animadvertens se imparem Philippi potentiæ obsistendæ, tandem ipsi morem gessit nonnullis propositis conditionibus, atque decretum de Philippi successione omnium Ordinum consensu promulgaretur, comitia regni Almerini (cum gravissima lues Olyssipone grassaretur) indixit, de quorum celebratione et eventu anno sequenti erit sermo. De disputationibus et dissidiis controversiæ excitatis, necnon de universa agendi ratione Philippi fuse et accurate agit Hieronymus Connestagius in commentario de unione Portugalliæ, Antonius Herrera in vita Philippi, ac Cæsar Campana in historia mundi.

Gregorius, animadvertens in Lusitaniam quæ moliturus esset Philippus Hispaniarum Rex, nihil non egit, ut eum a suo consilio deterreret. Id ostendunt litteræ hac de re ad Nuntium Matritensem datæ die 10. Augusti. (1) In his Pontifex ea consideranda proponit Philippo, quæ ad ejus animum movendum maxime conducerent. Inter cætera observat, quantum detrimenti christianæ Reipublicæ tranquillitati, quantum periculi suæ existimationi esset timendum, quod si non expectato aut contempto legitimo judicio armis regnum invaderet, potius tanquam usurpator, quam juris sui propugnator haberetur: quod si ipse de integritate judicum suspicaretur, polli-

Monimenta documentor. n. 30

cetur Pontifex se acturum apud Henricum, ut causæ judicium extra Lusitaniæ regnum iis committatur, a quibus omnis suspicio abesset.

XC. — Ipsa rerum expositio probat calumniam esse nonnullorum scriptorum sive coævorum, sive recentioris ætatis, qui ut in Principum et in populorum invidiam adducerent Romanorum Pontificum auctoritatem, affirmarunt, Gregorium in illa controversia conatum esse contra omne jus sub religionis prætextu potestatem in regno Lusitaniæ invadere. Nihil enim tam perspicuum esse potest, quam nunquam Gregorium cogitasse aut regni illius jura sibi vindicare, aut judicium de successione sibi attribuere. Auctoritatem quidem exercuit Gregorius circa Henrici dispensationem, et in causam Antonii; utrumque autem negotium pleno jure ad judicium Apostolicæ Sedis spectabat. Quod si præterea litteris Principum permotus, et sua sponte operam dedit in rebus illius regni componendis, satis superque demonstravit sua agendi ratione, et suis literis, ipsi nihil antiquius fuisse curæque habuisse, quam ut omnes perturbationes et dissidia e medio tollerentur, ut justitiæ leges servarentur, et ille regnum obtineret, qui non fraudibus aut vi aliis potior esset, sed ut legitimo judicio cæteris præferendus censeretur. Quare in omnibus his, quæ pro sedandis funestissimis Lusitaniæ dissidiis egit Gregorius, nihil aliud apparet, si quis velit recte judicare, nisi illa sollicitudo maxime salutaris Romanorum Pontificum, qua nulla jura violantur, sed omnium jura summo universæ Reipublicæ commodo propugnantur. Plura ad hæc confirmanda ex documentis anni sequentis accedent.

XCI. — Cum Duce quoque Brigantiæ Gregorius consilia de Lusitania a civilibus tumultibus prohibenda, misso Sadeo, communicat: eundemque de filio apud Fessanum tyrannum in Africa adhuc captivo solatur. *

* Reg. Gregorii XIII An. VII ep. 214 f. 137

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Duci Brigantiæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Incredibile est, quantopere doluerimus interitu charissimi filii Sebastiani Regis; magnam in eo jacturam fecisse Christianam Rempublicam intelligebamus: sed debemus nostras spes et rationes omnes ad Dei voluntatem accommodare, doloremque lenire sempiternæ beatitudinis cogitatione, ad quam ille ex brevissimo vitæ cursu, atque ex ipsa dimicatione pro Christi gloria suscepta vocatus est, inque omnibus rebus summæ Dei benignitati gratias agere, abditissimaque ejus consilia admirari, nihilque ab eo nisi optimum erga suos proficisci existimare, tametsi ipsi singularum rerum causas et rationes minus intelligere possumus.

Dolemus etiam filii tui, nostrique in Christo dilectissimi captivitatem, sed agimus gratias Deo, quod illum nobis incolumem conservavit, quod item facere Nobilitatem Tuam, easque, quas diximus, rationes atque alias, quas tibi tua singularis prudentia suggerit, ad consolationem adhibere non dubitamus. Cætera ex dilecto filio Antonio Sauliu, viro præstanti prudentia et fide prædito, ac utriusque nostræ Signaturæ Referendario, quem mittimus, cognoscet Nobilitas Tua, eique fidem tribuet. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die sexta Januarii MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno septimo.

Dux autem ab Pontifice iterum efflagitat, ut ad hunc filium e manibus Saracenorum liberandum, reditus S. Ordinis militaris Jesu Christi nuncupati, qui sui juris patronatus essent, cum primum eorum vacatio acciderit, per triennium sibi proprios facere liceat. (*)

(*) Lit. Principum Vol. 36, f. 231.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pont. Max.

Beatissime Pater.

« Joannes Dux Brigantiæ et Barcellorum, Marchio Villæ Vicosæ, Comes Ourensis et Arraiolorum, Dominus Montis Fortis et Montis Læti, Tuæ Sanctitatis pedes exosculor. Accepi, Pater Beatissime, missis ad me literis Antonii Pinto viri honestissimi, quem bene nosti, non leviter fuisse te commotum his, quas ad te nuper scripsi, et humanissimo vultu preces, quas ille meo nomine apud te effudit, exaudisse, placereque Sanctitati Tuæ, ut fructus Præceptoriarum militaris Ordinis Jesu Christi ad meum jus patronatus spectantium, cum primum vacaverint, per triennium applicentur redemptioni Theodosii Ducis mei primogeniti in Africano bello capti, qui apud Xeriphum victorem detinetur. Id quod multo antea ego ipse mihi secure pollicebar, tum ex tua liberalitate et pietate, tum etiam ex meo erga te et Sedem Apostolicam amore, et obsequio singulari, quo et majores a te gratias sperare jubeor circa earumdem Præceptoriarum, Ecclesiarum beneficiorumque mei juris patronatus reditus ejusdem Ducis, meorumque familiarium redemptioni assignandos. Petendi causæ, Pater Sanctissime, illæ sunt, quæ prioribus meis literis continentur: expensæ, quas ad bellicum apparatum feci maximas, gaza in ipsomet prælio amissa, vis pecuniarum non exigua, qua vitam et salutem capti filii hujusque procuravi: quæ omnia nullam mihi fere spem reliquam faciunt comparandi aliunde, quam ex tua et Sedis Apostolicæ liberalitate precium, quod avarissimus homo Xeriphus mei Theodosii libertati pro sua libidine statuit quantum vel maximum. Urget etiam Africanæ regionis intemperies et insalubritas, quæ pueri valetudini aetatique usque adeo sunt contrariæ, ut in urbe Fessense, in qua primum detinebatur, his jam gravissimo morbo correptus fuerit, et in extremum prope vitæ periculum adductus, nunc vero quia (Xeripho ita imperante) in Marrocorum Regnum traductus est, maxime verendum sit, ne mutato solo aut graviori morbo, aut barbari Principis dolo pereat, nisi eidem sine ulla mora succurratur. Sunt autem et hæc, et majora alia in causa, Pater Beatissime, ut moveri debeas facile ad concedendas pro hac redemptione ampliores gratias, quæ imo nomine a te petendæ sunt, si consideres, antiquos Patres nec facilius, nec frequentius ob ullam aliam rationem Ecclesiasticarum rerum distractionem permisisse, quam pro captivorum libertate, pro qua etiam vasa sacra conflare licet; nec esse indignum Summo Pontifice id concedere pro Christiano Duce a Maurorum servitute liberando, quod pro solvendis Episcoporum debitis Sedes Apostolica non solet denegare. Possem equidem, Pater Sanctissime, ab Henrico Rege dominoque meo facile impetrare literas, quibus a te has etiam gratias peteret: quas ille libentissimo animo scripsisset, ego vero scribi nolui, quia existimavi indecens esse uti Regio favore apud te et Sedem Apostolicam in hac causa, quam tot pietatis et humanitatis rationes honestant, idque a te velut exigere, quod pro tua sanctitate credendum est te ipsum tua sponte fuisse concessurum. Olyssippone pridie Kalend. Junii anno salutis humanæ MDLXXIX.

Osculor pedes Sanctitatis Tuæ

Ho Dυqυε.

Cujus precibus Gregorius diplomate a. d. VIII. Idus Novembres dato haud gravate annuit. (*)

(*) Apud A. de Sousa Provas da hist. da Casa R. Portug. T. IV p. 279. Lisboa 1745.

XCII. — Legati Principum, quibus jam ab superioris anni exitu pacandi Belgii provincia obtigerat, mense Majo hujus anni Coloniam convenerunt. Aderant nomine Pontificis Joan. Bapt. Castaneus Archiepiscopus Rossanensis; nomine Rudolphi Cæsaris, Coloniensis et Trevirensis Archiepiscopi, Episcopus Herbipolensis, et Comes Schwartzemburgius; Dux Terræ Novæ cum aliis nomine Philippi Regis Hispaniarum: a Matthia autem et Ordinibus missus fuerat Dux Arschoti, Abbas S. Gertrudis et Marollus: quidam etiam ex Ordinibus Hollandiæ in eo conventu locum obtinebant. Attamen res Belgicæ impeditiores in dies evaserunt, præsertim post sanctionem illius celeberrimi fœderis, quod vulgo audit Unio Trajectina. Quod quidem fœdus, instigantibus Gulielmo Arausiaco et ejus fratre Joanne Nassovio, Geldriæ provinciæ post Aegidium Barlaimontium Præfecto, quinque Bataviæ populi, scilicet Geldri, Hollandi, Zeelandi, Trajectini, Ommelandi sive Frisii inter Lavicam et Amasin, quibus alteri duo mox accesserunt Frisii inter Flevum et La-

vicam et Transisalani Drenthinique, Trajecti ad Rhenum Idibus Januariis seorsim a reliquis Belgis conflaverant, et sex et viginti capitibus constans a. d. IV. Kal. Febr. solemniter promulgaverunt. Batavi autem hanc Unionem Trajectinam veluti totius publici juris fontem prædicant, quo eximio animi consiliique specimine non vulgaris laudis Guilielmum Arausiacum magis Reipublicæ profuisse autumant, quam si vel Albanum vel Requesensium, vel Joannem Austriacum, vel ipsum Alexandrum Farnesium tricies acie superavisset.

Cum tot provinciæ iniquum illud fœdus probassent, reliqui tamen Belgæ, ac præsertim Artesiæ et Hannoniæ, non modo illi adhærere noluerunt, sed mense Aprili aliud fœdus inter se inierunt pro Religione Catholica servanda, proque auctoritate Hispaniarum Regis asserenda ac propugnanda secundum Pacificationis Gandensis leges. Quanta constantia quantaque animorum ac virium contentione in utroque negotio præstantissimi isti viri persisterint, quæque eam ob rem perpessi sint, ipsorum litteræ ad Pontificem die 27. Aprilis datæ locupletissimi sunt testes, quibus eidem exponunt, quænam hæretici, fidem datam et Gandensem pacificationem violantes, per Flandriam egerint ad Ecclesiam Catholicam opprimendam, sive direptionibus et vastationibus, sive Cleri et aliorum Catholicorum expulsionibus, et quantopere iis adlaborandum fuerat, ut patriam suam ab iisdem calamitatibus liberarent; addunt se una cum reliquis civibus paratos esse pro fide Catholica, et pro Regis auctoritate extrema pati, orantque cum Rege agat, ut honestas pacis conditiones velit probare, et promissa servare. [1]

[1] Germania Vol. 13. fol. 103.

Sanctissime Pater.

« Clerus patriæ et Comitatus Arthesiæ, primum inter Nobiles, ac urbium et oppidorum Deputatos locum tenens, tres status dicti Comitatus insimul constituentes et repræsentantes, solemniter pro pace inter Serenissimum Philippum Hispaniarum etc. Regem et hanc patriam componenda, et fide Catholica conservanda, in Monasterio Sancti Vedasti oppidi Attrebatensis aggregatus et conventus, omittere non potuit, quin Beatitudinem Vestram cum omni reverentia et humilitate breviter rerum istius patriæ certiorem faceret, quæ paucis abhinc elapsis mensibus evenerunt. Non enim ignorat Sanctitas Vestra, imaginum, ornamentorum ecclesiasticorum et aliarum rerum sacrarum fractiones, direptiones, et etiam pulcherrimorum et antiquorum templorum devastationes et ruinas, ac totius Cleri et Catholicorum expulsiones in tota fere Flandria per modernos hæreticos nuper contigisse. Qui etiam Arthesiam (patriam adhuc valde Catholicam) invadere conabantur, quod et fecissent, nisi Deo Optimo Maximo afflictæ patriæ suppetias tulisset, et viros istius regionis vernaculos, strenuos et fortes suscitasset, qui furorem eorum reprimerent, et Ecclesiasticos, maxime pastores revocarent, ut divinum servitium manu teneretur, et populus in religione Catholica conservaretur, seductores et perversos procul abigendo. Et dum tam nephanda illi perversi homines palam et publice impune in Flandria contra suum proprium juramentum, et fidem præstitam ac Gandensem pacificationem tractarent, et eorum impium furorem quasi dementes adversus omnes Catholicos exercerent et exequerentur, alii in Arthesia, et maxime in civitate et oppido Attrebatensi, quod est præcipuum et potentius inter alia hujus patriæ oppida, clandestine et cum prava populi fece de repente suum venenum evomuerunt, totum Magistratum Catholicum captivantes, et munitiones ac omnia instrumenta bellica dicti oppidi vi occupantes, et tam vesana clementia et furore procedebant, ut de civitate et oppido, ac religione Catholica, et viris Ecclesiasticis actum esse videretur, nisi Dominus Omnipotens alios viros non minus generosos et fortes, quam etiam illustres genere et fide excitasset, qui etiam ex inopinato Magistratum liberaverunt, et non solum oppidum, sed et totam Arthesiam in libertatem revendicarunt, supplicio authorum proditionis sumpto, ita ut a Domino istud factum esse merito dici possit. Qui etiam semper conservavit in suo sancto servitio Illustrem Dominum Odoardum de Bournonville, dum in temporalibus de Capres est, tunc temporis Arthesiæ Gubernatorem, qui Rempublicam in tuto sua bona dexteritate, Dei adjutorio, collocavit: sed ubi generosissimus Dominus Robertus de Melun Vicecomes Gandensis (ambo acerrimi religionis et fidei Catholicæ defensores et propugnatores) a sua legatione et expeditione, ad quam missus erat, rediit, et gubernacula Arthesiæ et Hesdini reassumpsit, mirum in modum vires et animum patriæ et omnibus Catholicis cum maximo hæreticorum metu et timore addidit et auxit. Qui præsentia et futura mala imminentia prævidentes, de remedio opportuno et salute patriæ, ac fide Catholica et Regis nostri obedientia retinenda cogitantes, comitia et dictos status (prout hactenus consuetum est) ad hoc oppidum convocarunt, (Episcopo Attrebatensi ob justum metum, qui cadere poterat in constantem, tunc absente) præsentibus tamen præcipue doctissimo et piissimo devoto Sanctitatis Vestræ oratore Joanne Saraceno, Electo dicti Monasterii, qui omnibus operam suam quam diligentissime, et non sine maximis impensis et vitæ suæ periculo præstitit, ac multis Abbatibus, Prælatis aliisque viris Ecclesiasticis, quibus se adjunxerunt nonnullæ aliæ provinciæ videlicet Hannoniensis, Insulensis, Duacensis,

Orciacum, et plurima nationis linguæ gallicæ oppida: qui se suaque bona omnia pro tuitione fidei et Regis obedientia conservanda obligare, et mortem etiam (si opus sit) oppetere parati sunt, si sua Catholica Majestas pacis conditiones honestas et legitimas acceptare, promissaque servare dignabitur. Quod procul dubio fiet, si Sanctitas Vestra auctoritatem suam cum Rege nostro interponat, et patriam istam una cum tribus istis prænominatis, tanquam ducibus nostris, apud se et augustissimum Cardinalium Collegium, et Regem nostrum commendatos habuerit, qui quidem et totus Clerus per has pedibus Sanctitatis Suæ advoluti, non solum fausta omnia et fœlicia Sedi Apostolicæ, et dicto Collegio et Regi precantur, sed eam nunc tibi, Pater Sanctissime, deferunt obedientiam, quæ vero Christi Vicario, certissimo Petri Apostolorum Principis successori, communi non unius urbis, sed totius orbis Pastori ab omnibus Christianis solet et debet exhiberi, non dubitantes sub nomine tuo Gregorii, et te gubernante, Deum mirabiles suæ potentiæ effectus ostendere velle. Tui enim Pontificatus tempore cuncta tam gravia, tam acerba et luctuosa, quibus Gallia impia hæreticorum tyrannide vexabatur, et penitus desperata succumbebat, quibus nunc Flandria misere opprimitur, quibus denique universus orbis languebat, velut salubri quodam exorto rebus humanis sidere repressa et sedata ipsi vidimus, alii audierunt. Nam ex veterum historiis tanquam certis auguriis colligitur, nullum Gregorii nomine Pontificem scriptis mandari, quo gubernante mirabilia a Deo facta non sint: aut enim insignes regnorum et provinciarum ad fidem conversiones, aut hæreses omnino explosæ et expugnatæ, schismata sedata et conciliata, infelicissimi dictæ Sedis Apostolicæ et Ecclesiæ hostes debellati sub Gregorianis Pontificibus commemorantur, quæ recensere longum esset: sperantes propterea (te duce et Deo optimo auspice) hanc patriam, vel rectius universam Rempublicam Christianam pristinum suum splendorem magno omnium gaudio, nulla interjecta mora, (nescit enim tarda molimina Spiritus Sanctus) recepturam. Quod faxit Christus Dominus Deus noster, qui Sanctitatem Tuam multum diuque Ecclesiæ suæ conservare velit et dignetur, fœliciterque valeat Beatitudo Vestra, cui nos omnes istamque patriam summopere commendamus. E dicto Monasterio Vedastino v. Kal. Martii anno MDLXXIX.

Sanctitatis Vestræ post beatorum pedum oscula devoti et humiles oratores
CLERUS ET ECCLESIASTICI OMNES PATRIÆ ET COMITATUS ARTHESIÆ.
De mandato dictorum Dominorum
Le Veau.

XCIII. — Gregorius laudat eorum in fide constantiam, atque hortatur, ut in proposito suo permaneant: addit deinde se de reconciliatione cum Rege egisse eundemque ad hoc paratissimum esse. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 238. l. 175.

Dilectis Filiis Clero atque Ecclesiasticis omnibus Patriæ et Comitatus Arthesiæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Non potuimus sine summo dolore et lachrymis legere eas literas, quas ad Nos dedistis; versabatur enim ante oculos hæreticorum, quem describebatis, furor atque immanitas in sacris templis atque aris diripiendis, vastandis, evertendis, in sanctis imaginibus confringendis, proterendis, in Catholicis Clericis exturbandis indignissimeque vexandis, in omni denique flagitio et sacrilegio exercitata atque efferata Christi hostium rabies. Sed gratias agimus Divinæ bonitati; conservavit enim sibi propugnatores suos, qui non curvaverunt genua ante Baal: vos ipsos dicimus, ac dilectos filios Odoardum Bournonvillum, Robertum Malum, Joannem Saracenum, aliosque fortissimos viros Christi zelo præditos, quorum veritatem atque operam praeclaram extitisse in impiorum furore comprimendo, inque ista regione ex illorum manibus eripienda ex vestris literis cognovimus. Recte autem pieque facitis, cum de nostra paterna voluntate omnia vobis pollicemini. Semper enim doluimus tam graves, tamque diuturnas nobilissimæ et florentissimæ provinciæ ærumnas, neque cessavimus a Deo, atque ab hominibus ea remedia quærere, quæ ad tantum incendium extinguendum, atque ad pristinam pacem tranquillitatemque restituendam summopere valere arbitrati sumus; idque cum Rege Catholico perpetuo egimus, maximeque agimus hoc tempore, certumque habemus illum vestram quietem cupere, conditionibusque æquis atque honestis contentum fore, quæque pollicebitur inviolate observaturum, hujus Regis voluntatis Nos testes ac sponsores sumus. Vos etiam in ista optima voluntate perseverate, conatusque omnes adhibete, ut ad optatissimam sanctissimamque pacificationem perveniatur. Videtis jam non tam cum Rege bellum geri, quam cum Deo, Sathanæque Ministros vestram calamitatem suæ impietatis propogationem ducere, eamque ad suum lucrum, atque ad Catholicæ Religionis eversionem arripere: qua amissa, actum est de universæ provinciæ salute. Hujus igitur exitii avertendi, pacisque restituendæ vos ipsos auctores ducesque præbete, eosque quos nominavimus, aliosque viros optimos, et Christi gloriæ, patriæque salutis cupidissimos vobis adjungite per eundem ipsum Christum, cujus causa agitur, cuique fidelissime inservitis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Pisca-

toris die XVIII. Maji MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno septimo.

Pontifex præterea summopere commendabat Episcopum Atrebatensem, quoniam plurimum studii et laboris ad hanc concordiam constituendam adhibuerat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 237. f. 173.

Venerabili Fratri Episcopo Ecclesiæ Atrebatensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Semper plurimi fecimus singularem prudentiam et pietatem tuam, certumque habuimus, omnibus cogitationibus atque actionibus tuis propositam esse Dei gloriam, provinciæque istius tranquillitatem et salutem. Quod igitur perpetuo laborasti, id hoc etiam tempore omni studio laborare te cumque istis Ordinibus agere, ut pacem et concordiam amplectantur, Regemque suum agnoscant, atque ad honestas conditiones perveniant, persuasum habemus; et si pateris, ut omnes tuos conatus huc conferas, rogamus. Aderit Deus suæ causæ, tuæque præstantissimæ voluntati atque operæ. Vides enim, sacrosanctam Religionem multis in locis gravissimas plagas accepisse, quæ utinam tam brevi sanari possint, quam brevi sunt illatæ, Sathanæque Ministros nihil aliud nisi de ea funditus evertenda cogitare atque agere: ea vero amissa de omni salute actum esse. Optima spe sumus, fore tua præstanti pietate et virtute, et Dei gloriæ zelo, ut tam gravibus tamque diuturnis ærumnais is finis reperiatur, quem semper optavimus, votisque omnibus a Divina bonitate expetivimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Maji MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno septimo.

Pax [*] tandem inita est XVI. Cal. Junias inter eos et Alexandrum Farnesium Principem Parmensem, qui in Belgii administratione Joanni Austriaco a Philippo Hispaniæ Rege sufficetus fuerat. Gregorius ideo peculiaribus litteris provinciarum Hannoniæ et Artesiæ Præsides ob præclarum suum in Religionem studium meritis laudibus extollit, graviterque hortatur, ut in tam sancto proposito permaneant. [*]

[*] Ipud Bonum Carpediem T. V P. I pag. 250

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 41 f. 211.

Dilectis Filiis Consiliis Provincialibus Hannoniæ, Artesiæ, Duaci.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Ex omnibus rebus, in quibus potest Catholicorum virorum industria et cura magna cum laude versari, summum locum tenet studium Catholicæ Religionis: est enim Religio hæc opus vere Divinum, atque ad salutem sempiternamque felicitatem pernecessarium, cumque nihil sit animarum salute Deo gratius, nihil potest esse ejus bonitati sacrosanctæ Religionis studio et zelo acceptius. Qua quidem in laude excellere vestram pietatem, et Deo gratias agimus et vobis gratulamur. Sic enim accepimus, vos Catholica Religione constantissime sanctissimeque tuenda, hujus ipsius in omni inferiori Germania acerrimos defensores haberi. Est hæc vestra laus maxima, fructus, qui inde ad sanctam Ecclesiam permanant uberrimi, præmia, quæ vestræ pietati a Deo reposita sunt, immortalia atque inestimabilia. Quod vos hortemur, ut istam voluntatem perpetuo retineatis, neque ullis difficultatibus deterreamini aut defatigemini, nihil est: summam enim spem habemus in Dei benignitate, quæ tantam vobis virtutem est elargita: magnam item in vestra sapientia, quæ sese ostendet in tam præclaro Dei munere agnoscendo et colendo. Debemus enim in summi beneficii loco ponere omnem opportunitatem pro Christi gloria et Catholicæ Religionis amplitudine laborandi. Voluimus autem, has litteras testes esse vestræ pietatis et laudis, nostræque paternæ erga vos charitatis. Cæteris in rebus summam fidem tribuetis venerabili fratri Archiepiscopo Rossanensi Nuncio nostro, sive ad vos venerit, sive scripserit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die I. Augusti MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

XCIV. — Ut ad conventum Coloniensem revertamur, nihil in eo prætermissum a Principum Legatis, ut Belgii Ordines æquis conditionibus ad pacem adducerentur. Atque hic præteriri silentio non debet Dux Clivensis, qui jam antequam conventus ille haberetur, plurimos labores susceperat ad funestissima Belgii dissidia tollenda, et ad hunc Coloniensem conventum suos Legatos iterum misit, quibus mandavit, ut eo omnes cogitationes et consilia converterent, ut Catholica Religio nullum detrimentum pateretur, atque ut æquis conditionibus propositis, Belgis ad obedientiam Regis Catholici revocatis, pax Belgio restitueretur. En suas literas ad Archiepiscopum Rossanensem Apostolicum Nuncium missas. [*]

[*] Nunt. Colon. Vol. I fol. 31

Reverendissimo Domino Joanni B. Archiepiscopo Rossanensi S. D. N. Pontificis Max. Nuncio, Amico Nostro inprimis Dilecto.

« Salutem et benevolentiam nostram, Reverendissime Domine, amice nobis dilecte. Literas Dominationis Vestræ XX. mensis Aprilis præteriti ad nos Colonia datas, hisce diebus accepimus, quibus significat, Sanctissimum Dominum Nostrum Pontificem Maximum libenter intellexisse, nobis a Cæsarea Majestate injunctum, ut componendis Belgii perturbationibus conventui Coloniæ indicto interessemus, quod nimirum Sua Sanctitas sibi persuasum habeat, nos nihil prætermissuros, quod ad Catholicæ Religionis nostræ incrementum ac Reipublicæ quietem et tranquillitatem pertinere possit. Agnoscimus sane, nos uti Christianum Principem nihil magis decere, quam ut totis viribus Dei Optimi

Maximi laudem et honorem quæramus, Catholicam Religionem tueamur, ac publicam pacem tranquillitatemque promoveamus. Itaque superiori tempore cum Cæsarea Majestas nos quoque pacis tractationi tollendisque funestissimis Belgii dissidiis adesse voluit, bonam operam per nostros Legatos navavimus, ita ut tum Dei beneficio de pace convenerit, quæ utinam rata firmaque permansisset, et non per osores publicæ tranquillitatis violata, et miserum Belgium in extremum discrimen adductum fuisset. Nostros igitur, quorum opera antea non infœliciter usi fuimus, ad hunc conventum Coloniensem pacis in Belgio constituendæ causa iterum destinavimus, ac in mandatis dedimus, nihil ut ipsis sit antiquius, quam omnia consilia eo dirigere, quo divini honoris inprimis ratio habeatur, Catholica Religio nullum detrimentum patiatur, Regi Catholico a subditis debita obedientia præstetur, illique rursus in gratiam recipiantur, ac pax nunquam satis laudata Belgis æquis ac tolerabilibus conditionibus restituatur confirmeturque, quod quidem nostros summa diligentia conaturos minime dubitamus. Quod vero Dominatio Vestra nobis tantopere gratias agat, quod per Commissarios nostros eam salutaverimus, necesse non fuerat, cum pro nostra erga Sanctissimum Dominum Nostrum et Sanctam Sedem Apostolicam obedientissima voluntate officium nostrum hoc postulaverit. Nobis quoque gratissimum fuit cognoscere, Dominationem Vestram ab ejus Sanctitate ad hunc conventum ablegatam, cujus virtus, pietas, prudentia dexteritasque summa in rebus gerendis mirifice commendatur. Deus igitur ardentibus votis implorandus, ut sanctissimo suo spiritu huic pacis tractationi totique actioni adesse, et consilia cordaque omnium eo dirigere velit, ut jam diu sperata pax eaque non solum Belgio, sed et universo orbi Christiano omnino necessaria tandem restituatur. Quod vero Dominatio Vestra tam humaniter nobis sua officia offerat, habemus gratiam, si qua in re vicissim grati aliquid Dominationi Vestræ præstare poterimus, efficiemus, ut re ipsa nostram propensam voluntatem benevolentiamque experiatur. Deus Optimus Maximus Dominationem Vestram quam diutissime servet incolumem et felicem. Datæ ex Arce nostra Clivensi v. Maji anno MDLXXIX.

Guilhelmus Dux Juliæ, Cliviæ et Montium, Comes Marchiæ et Ravensburgi, Dominus in Ravenstein etc.

GUILHELMUS DUX JULIÆ ETC.

L. Bramius S.

In eo conventu vel maxime effulsit Apostolicæ Sedis auctoritas, et universalis illa pastoralis sollicitudo, qua inter gravissimas rerum vicissitudines, et civiles motus perpetuo studuit populos ad officium reducere, Principibus æquitatis consilia proponere, causam Religionis tueri, sine qua nec populorum quies et felicitas, nec Principum auctoritas firma esse potest. Atque id quod pluribus posset evinci, confirmetur ex iis, quæ continentur in præclara oratione scripturarum sententiis roborata, quam Nuntius Apostolicus ad Principum Legatos habuit v. Idus Majas, qua die inauguratus Coloniæ fuit conventus. [*]

[*] Germania Vol 17. fol 297

Illmi et Rmi Patres ac Principes, Illustres, Nobiles ac Generosi Viri.

« Quod Sanctissimus Dominus noster Romanus Pontifex ea, qua premitur, universæ christianæ Reipublicæ cura ac sollicitudine in hac concordiæ tractatione summopere exoptat, nec novum, nec a vestræ mentis proposito alienum esse arbitror, ac firmissime teneo, idest veram, firmam, diuturnam pacem, qua nobilis illa ac alias lætissima Belgica provincia ad pristinam suam quietem et tranquillitatem quam primum restituatur, huc tendunt illius piissimi Patris ad omnes jam Principes legationes, exhortationes, exclamationes, et inprimis ad Deum Optimum Maximum diuturnæ preces, ac (ut uno verbo dicam) omnes hac tempestate Summi Pontificis cogitationes, desideria omnia huc potissimum respiciunt; intelligit enim tot tantasque perturbationes nullum tandem exitum habere posse, nisi regionum illarum omnium excidium certamque ruinam, nec non et hujus amplissimæ et nobilissimæ Germaniæ provinciæ, quam ipse Pontifex (ut jam omnibus manifestum esse potest) omni gratia ac munificentia prosequitur, ex his bellis, quæ tandiu in ejus foribus sustinet, non nisi præsens periculum et incommoda plurima: sed quod intollerabilius est, tot animarum quæ ante has turbas pietate et Religione viro optimo commendabantur, deceptionem ac perniciem: clamat igitur Summus Pontifex cum Propheta, veritatem et judicium pacis judicate in portis vestris, et veritatem tantum et pacem diligite. Non enim pacis speciem desiderat, sed pacem item et veritatem, idest veram (ut dixi) firmam, diuturnam: vera autem esse nequit sine vera fide ac Religione; nec firma sine ea fide, quæ semper est firma, semper eadem, nunquam non in soliditate firmata; neque diuturna sine ea, quæ a redemptionis nostræ initio continua, diuturna, perpetua semper fuit, eritque in æternum, hæc est Catholica, antiqua, Romana fides et Religio, quæ apud eos qui Christo nomen dederunt, et semper, et ab omnibus, et ubique una et eadem prædicata est, hanc integram inviolatamque servari in his pactionibus cupit et admonet: non enim tantum ortus ab occidente, quantum pax ab impietate disjungitur, loquitur namque Deus pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor. Sunt quidem aliquæ provinciæ seu civitates, quæ

arbitrantur se pacem habere, quod diversas in fide tolerant opiniones; sed si verius perspicaciusque res inspiciatur, levem ac temporaneam habent, et fucatam quandam speciem tantum et umbram pacis, sicut enim una fides unitatem conciliat, ita inter diversa in ea sentientes nusquam charitas, nullus verus amor, nulla quies, sed suspiciosa omnia insidiis semper ac terroribus exposita, atque ad discordias et seditiones paratissima.

« Dici non potest, quantopere gavisa sit ejus Sanctitas, cum primum intellexit vos, Patres præstantissimi ac Illustrissimi Principes, Illustres et Generosi viri, a Sacra Cæsarea Majestate (cujus providentiam et pietatem vel ex hoc quamplurimum commendat et extollit) ad tam pium, tam necessarium, tam exoptatum opus ablegatos fuisse, quanta spe erecta sit, cum præclarissimum Conventum hunc cogi audivit: attamen optimi Patris ac vigilantis Pastoris functioni deesse nolens, me etiam (licet indignum et tantæ rei imparem) adesse voluit, ut inprimis vos hortarer ac requirerem, imo etiam in visceribus Jesu Christi enixe rogarem, uti omnem curam, industriam et conatum forti firmoque animo adhibeatis, ut tam præclarum, tam optatum, quod cœpistis, ædificium perficiatis, tutissimoque ac firmissimo fundamento consolidetis, et tanquam supra montem positi omnia diligentes perlustrantes, compatiamini in aliquibus ex illis alioqui egregiis provinciis et civitatibus, mixtum esse non pauris spiritum vertiginis, dum, abjecta vera fide, vero ac legitimo Principe, credunt posse unquam pace et tranquillitate frui. Vestræ igitur erunt partes hanc ex illorum animis adimere ac radicitus evellere deceptionem, et ita serio solideque peragere, ut ii qui viam pacis non cognoverunt, sed constituerunt sibi Deos alienos, non solum ad verum Deum, veramque fidem omnino reducentur, sed adeo in veritate et justitia animum confirmant, ut deinceps vanitatibus et illusionibus hujusmodi perpetuo repulsis, exultent, quasi eis per Prophetam illum dictum sit: Ecce super montes pedes evangelizantium, et annunciantium pacem, celebra Juda festivitates tuas, et redde Altissimo vota tua, quia non adjiciet ultra, ut pertranseat per te Belial. Nec non et cum sapientissimo Onia illo apud Machabæos intelligant et agnoscant, sine regali providentia impossibile esse pacem rebus dari. Regem appello legitimum non adventitium. Non enim pax injustitiæ cohæret, sed imo (ut alius Propheta ait) est opus justitiæ pax. Cessent jam tenebræ, sanetur multorum cæcitas, ne projiciat Israel bonum, sed agnoscat benedictionem, reparetur disciplina, ubi labefactata est: revocetur justitia. Populi subditi sint, et fideles vero ac legitimo Principi. Princeps vicissim subditos habeat uti filios, insit misericordia. Parcatur pœnitentibus, redeuntes obviis (sicut ajunt) ulnis recipiantur. Instaurentur bonarum artium celeberrima studia. Redeant mercatores, confluant copiosæ merces. Restituantur antiquæ illarum provinciarum fides, Religio, obedientia, amor, lætitia, divitiæ, pax denique et tranquillitas: hoc inquam cupit, hoc monet, hoc urget sanctus Pontifex. Qui denique hæc omnia a Deo Optimo Maximo hujus celeberrimi conventus opera, prudentia ac pietate sperans, et ardenti charitate expectans, voluit me ejus nomine, tum suam apud Regiam Majestatem, et apud alios quoscumque opus fuerit christianos Principes, auctoritatem, tum etiam omnem opem, consilium, facultatem, et quicquid ab illa sancta Sede Apostolica pro illarum provinciarum levamine, ac consolatione emanare potest, promptissime spondere et offerre, quo tandem populus ille sedeat (ut verbis Isaiæ utar) in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.

En responsum. [*]

[*] Germania Vol 87. fol. 290.

Rme Pater Dne Dne Colendme.

« Ea quæ Rma Vestra Dominatio nomine Sanctissimi Domini Nostri Pontificis Maximi exposuit, recte et satis a Rmis et Illmis, Illustri et Generoso, et Nobilibus Dominis Commissariis imperialibus hic præsentibus fuerunt intellecta.

« In primis igitur Suæ Sanctitati Rmæ et Illmæ Celsitudines Suæ, Generosus Comes, et Nobiles Ducis Juliacensis Consiliarii subdelegati cum humillimis sacrorum pedum osculis debitam offerunt obedientiam.

« Deinde gratias agunt, quas possunt maximas, pro tam pia et vere paterna Suæ Sanctitatis de Republica christiana sollicitudine, has tam diligentes monitiones et cohortationes humillima devotione libenter suscipiunt et agnoscunt. Onus quidem gravissimum, et humeris suis fere intollerabile sese sustinere intelligunt, tamen Cæsureæ Majestatis voluntati refragari nefas esse putarunt.

« Paratissimos itaque sese pollicentur, tum in hoc gravissimo Belgicæ pacificationis negotio, tum aliis rebus omnibus totos suos conatus eo dirigere, omnes suos animi nervos eo intendere, ut nihil eorum intermittatur vel negligatur, quæ ad amplificationem gloriæ Dei, restaurationem et conservationem Catholicæ Religionis et pietatis, constitutionem quoque publicæ tranquillitatis et quietis pertinere videbuntur. In quibus omnibus neque Vestram Rmam Dominationem sua ope et consiliis ipsis defuturam confidunt. Interim sese Suæ Sanctitati humillime commendant, Vestræque Rmæ Dominationi quævis officia et promptissima obsequia deferunt.

Idem Apostolicus Nuncius Cæsarem deinde alloquens exponit, quanta in spe ob egregiam suam pietatem Pontificem esse, quantumque confidere, ut sine armis quies illis provinciis restituatur, et Catholica religio in sua integritate servetur. [*]

[*] Germania Vol. 17, fol. 300.

Sacra Cæsarea Imperialis Majestas.

« Quod Archiepiscopus Rossanensis Sanctitatis Suæ Nuntius Sacræ Cæsareæ Majestati Vestræ exposuit, hoc est in summa dolor intimus, quo ejus Beatitudo ob Christianitatis calamitates, ac præsertim ob præsentes Flandriæ inferiorumque regionum perturbationes in ipsis cordis visceribus jugiter afficitur: novit enim Sathanæ manifestam hinc patere occasionem, Religionem christianamque fidem graviter offendendi, rebellionibus ac seditionibus Regnorum provinciarum et populorum, nec non periculis notabilibusque damnis provinciarum circumvicinorumque statuum amplissimam aperiri viam. In manifestam trahi ruinam atque exterminium tam insignem ac decoram orbis partem, qualis est Flandria ipsæque inferiores regiones, ac denique vere dici posse universam christianam Rempublicam vehementer ex hoc concuti.

« Iis tot tantisque malis Sanctitas Sua non optavit solum, verum etiam, quantum in se fuit, ut aliquid adhiberetur remedium, enixe institit ac procuravit. Et quia armorum via nisi forsan magna cum temporis longinquitate, sed maxima illarum omnium provinciarum tam in temporalibus, quam in spiritualibus pernicie minus sufficiens videtor; nulla eidem Sanctitati Suæ superest consolatio quam Imperialis Majestas Vestra, in cujus pietate, prudentia, voluntate ac potestate, post Deum, omnem spem collocavit.

« Confidit enim Majestatem Vestram pro magna ejus fide ac christiana pietate consideraturam, quam ipsam deceat Religionis Catholicæ efficacissimum atque acerrimum esse Protectorem, omnemque suam auctoritatem adhibituram, ut in quibuscunque tractationibus illæsæ atque in sua integritate conservetur.

« Intelligit etiam, Majestas Vestra eximia ejus prudentia ac longe prospicit, si secus fiat, certissimum damnum et præjudicium accolis omnibus, præsertimque sui Imperii terris, certamque illarum regionum ruinam ex eo proventuram. De voluntate autem Majestatis Vestræ dubitare nemo potest, tum propter conjunctionem, quam habet cum Majestate Regis Catholici, tum etiam ob ejusdem Majestatis Vestræ erga hanc nobilissimam Germaniæ provinciam (quæ ex his tam vicinis perturbationibus non potest in prænarrata pericula et damna non incidere) amorem singularem, præterquam quod satis manifeste perspicitur Majestatis Vestræ desiderium, ut ii populi in antiquam suam quietem ac tranquillitatem redeant; sed imprimis cum reluceat ejus vere tanto Imperio dignus animus ad bonum, ac ad opera egregia Deoque gratissima (ut hæc sunt præ cæteris, quæ hac tempestate se exhibent) propensissimus.

« Facultas etiam Majestati Vestræ minime deerit: nam præter magnam ejus auctoritatem jam compertum videtur, Regiam Majestatem Catholicam integrum negotium ac tot perturbationum sedandarum curam ad Majestatem Vestram referre, arbitrarique licet consilia omnia statusque Flandriæ, ac omnes alios Principes seu Nobiles quoscumque, quorum interest, idem esse facturos, nisi forte nimis publicæ quieti ac denique sibi ipsi adversentur, et minus quam decet Majestati Vestræ confidant. Id autem tantum abest, ut Sanctitas Sua credat, ut speret potius et arbitretur saltem eorum majorem ac saniorem partem bonam ac veram prosequi fidem, publicam pacem et quietem quærere, honestatis ac veræ integræque Religionis Catholicæ, sine qua pax vera aut requies existere non potest, studiosam.

« Idque principium Sanctitas Sua summopere exoptat, ut scilicet essent tenebræ et lux reviviscat, cessent arma, quies et pax restituatur.

« Duo igitur hoc tempore Sanctitas Sua a Majestate Vestra vehementer expetit. Primum est, ut omni studio firmoque animo provinciam hanc præmissarum turbarum ac tumultuum sedandorum suscipiat, respiciens imprimis quæ ad Dei Optimi Maximi servitium ejusque sanctam fidem ac Religionem pertinent. Alterum est, ut eidem Nuntio, qui ob hanc præcipuam tamque gravem Religionis Catholicæ causam missus est, dignetur significare ea omnia, quæ a Sanctitate Sua, ut ad hunc tam optatum finem perveniatur, proficisci posse sibi videbantur; Beatitudo enim Sua uti amantissimus Pater omnem auctoritatem, omnesque suos conatus pro eadem Religione ac pace et tranquillitate illorum populorum, insigniumque provinciarum promptissime interponet et conferet. Quorum causa Majestati Vestræ placeat eidem etiam Nuntio favere, præsto esse eique consulere, qua ratione ac via prodesse possit in hujusmodi tractatione, in qua nulla major habenda est ratio, quam restituendæ et conservandæ Religionis Catholicæ Romanæ in illis regionibus.

« Ex quibus petitionibus satis intelligere potest, quantopere Sanctitas Sua confidat quantamque spem collocaverit in Cæsarea Majestate Vestra, quam Deus summa cum felicitate Sacrique Imperii, Regnorumque suorum amplificatione ad publicam consolationem diutissime conservet.

XCV. — Imperator Rodulphus, Philippus Hispaniarum Rex per suos Legatos cum Archiepiscopo Rossanensi Nuntio Apostolico totis viri-

bus in id intenderunt, ut pacis negotium absolveretur: verum Belgii Ordines vehementer obstiterunt. Nonnulli eorum, qui ab Ordinibus ad conventum Coloniensem missi fuerant, viri utique ecclesiastica dignitate ornati, licet ab hæresi et perduellione alienissimo animo essent, veriti non sunt mandata ab Ordinibus accipere, eaque Ordinum nomine in Coloniensi conventu proponere, quæ et religioni Catholicæ et Regis auctoritati valde adversabantur. In quibus sane error et falsa persuasio magis quam perversitas reprehendi debet, quippe cum iis visum, ita eo facilius hæreticorum atque perduellium animos leniri, atque Catholicos ipsos ab eorum furore eximi posse; quæ vero spes eos admodum fefellit, ut in simili re sæpius accidere solet. Rati etenim, quod eorum erroribus aliquantulum indulgere vel saltem non libere obsistere sibi liceret, graviorem calamitatem et rei catholicæ regiæque auctoritati intulerunt. Cum itaque sibi conscii essent, se ea in re graviter delusos fuisse, atque errasse, ad Pontificem confugiunt, veniam petentes, simulque spondentes in posterum omnem se operam daturos, ut boni quique confirmarentur atque ex impiorum imperio ad Apostolicæ Sedis et Regis observantiam revocarentur. (*)

(*) Colonia Vol. I. f. 81

Sanctissimo in Domino Patri Domino Dño Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

« Beatissime Pater. Quis ante motus fuerit rerum status Belgii, quamdiu religio Catholica Romana inviolata observabatur, et Respublica suis avitis legibus administrabantur, Regisque in subditos authoritas integra et subditorum erga Regiam Majestatem obedientia mutua quadam necessitudine constabat, ac quis denique ingravescentibus motibus et turbis rerum status sit subsequutus, alienum a proposito duximus repetere: quod alterius temporis faciem rerum Vestra Sanctitas aliquando coram inspexerit, et præsentis temporis calamitates ejusmodi sint, quæ non modo ad Sanctitatis Vestræ aures pervenerint, sed etiam magnitudine cladium ipsum pene orbem (proh dolor) compleverint, qua singula potius deplorare quam recensere visum est, omniaque Dei justissimis judiciis committere, qui patriam nostram potenti sua dextera tetigit, permisitque ob delicta populi et nostra, ut leo rugiens devoratis et depastis vicinis provinciis et Regnis Germaniæ, Angliæ, Galliæ, Scotiæ, quibus undiquaque cingimur, virus quoque suum et zizaniam per nostram patriam diffunderet, et inundatione exterorum conspirationeque intraneorum hæreticorum, seditionibusque militaribus miscendo divina humanis non antea conquiesceret, donec Respublica nostra pari cum dictis Regnis incendio deflagraret, et omni genere calamitatum, quibus res mortales obnoxiæ esse possunt, pessumdaretur. Cui malo cum ab initio obviam ire studuimus, et omnes cogitationes actionesque semper eo direximus, ut imprimis Religionem Catholicam Romanam pro ea, qua sumus Deo omnipotenti astricti, fide et vitæ professione ab omni injuria illæsam sartam ac tectam, et item Regiæ Majestatis authoritatem illibatam pro majorum nostrorum instituto et veteri consuetudine conservaremus. Ac quoniam videbamus, plerosque malis quibusdam artibus, subdolaque simulatione in cœtum Ordinum Belgii irrepere, animumque ad eversionem rerum humanarum divinarumque intendere, putavimus tunc nostri esse muneris et omnium Catholicorum nostra præsentia, authoritate et consiliis obsistere, et inclinantem Rempublicam hac unica, si fieri potuisset, vel continere et restituere, vel pejora quæque avertere. In quæ dum adlaboramus manemusque, apud Ordines Belgii non potuit optimorum quorumque synceritas et studium tantum, quin malorum impotentia et libido prævaluerit eo usque, ut plerisque in locis summa Reipublicæ in potestatem nefariorum dilaberetur. Itaque ibidem hæsimus, spe faciundi fructus, donec Conventus iste celeberrimus Coloniæ a Sacra Cæsarea et Regia Catholica Majestate pro pace ineunda inductus fuit. Ad quem, ut nostræ saluti consuleremus, et hac ratione consortio et consilio malignantium eximeremus, una cum aliquot aliis Catholicis, admixtis etiam adulterinæ religionis hominibus, nos delegari passi sumus, ejusmodi mandatis onerati, quæ et Religioni Catholicæ et Regiæ Majestatis authoritati adversa, iniqua graviaque ipsi quoque nos ab initio professi sumus, protestatique, neque nostra procuratione aut consilio articulos istius mandati esse descriptos, neque eosdem voluisse sollicitare et urgere, sed obiter tantum Cæsareæ et Regiæ Majestatis Commissariis, tum eorum, qui Rempublicam occuparunt, impotentiam et ferociam, tum miserorum Catholicorum lamentabilem statum exponere, si alterius religionis hominibus nihil fortassis concederetur, ut Regia Majestas, cognita periculi gravitate, quod Catholicis alias imminebat, pro sua prudentia et rerum dispositione reliquum moderaretur et constitueret. In cætero nullum genus officii prætermisimus, quo et negotium religionis Catholicæ et Regiæ Majestatis promoveri potuerit. Idque cum nostra sponte et voluntate faceremus, tum multo alacrius rem prosequuti sumus, ubi Vestræ Sanctitatis literis, et exhortationibus Reverendissimi et Illustrissimi Archiepiscopi Rossanensis Nuncii vestri confirmati fuimus, quæ omni ea reverentia et veneratione amplexi sumus, qua decet oves, qui nullum ovilis et sponsæ Ecclesiæ Christi Servatoris nostri præter Vestram Sanctitatem in terris Pastorem, Caput et Vicarium agnoscunt, a quo solo verum pabulum, veramque verbi divini interpretatio-

nem, et Ecclesiasticæ œconomiæ formam ac regulam sciunt se posse ac debere expectare. In cujus matricula et obedientia nos aliique Catholici, qui hic nobiscum sunt, et vivere et mori, neque unquam a doctrina sanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ voluisse, aut unquam velle discedere aut dissentire profitemur. Cujus quoque animi et una nobiscum voluntatis infinitus in Belgio est numerus, multaque milia, quæ ante Baal non curvaverunt sua genua, ingemiscentes et aspirantes, ut pace vel alio medio tandem a diro jugo servitutis et tyrannidis liberati, quo oppressi a pessimis hominibus tenentur, sub Clementissimi sui Regis et Principis imperio in avita religione Catholica Romana debitum obsequium, et servitium Vestræ Sanctitati libere possent profiteri et offerre. Itaque nostro et ipsorum nomine supplices ad pedes Vtæ Sanctitatis provoluti, gratiam, benedictionem et indulgentiam Apostolicam, et item liberationem a censuris ecclesiasticis, si quibus imprudenter aut aliter per hæc turbulenta tempora involuti sumus, nobis deprecantes, Vtam Sanctitatem rogamus, ut qua perpetua pietate paterna ac pastorali sollicitudine gregem Dominicum complexa est, eadem nos et ipsos deinceps prosequi, et apud Clementissimum Regem nostrum commendatos habere dignetur, et redeuntes quacumque tandem via in vestram et suam obedientiam consueta benignitate admittat. Nos quoque Regiæ Majestati privatim reconciliati, et benedictionem Vestræ Sanctitatis expectantes, omnem operam dabimus in confirmandis bonis, ac reducendis, si quos possimus, ex imperio improborum ad Vestræ Sanctitatis et Regiæ Majestatis obsequium; de quibus speramus Reverendissimum et Illustrissimum Dominum Archiepiscopum Rossanensem, qui de omnibus rebus plene instructus est, ulteriorem fidem facturum. Quod superest, humillimis precibus rogabimus Deum Optimum Maximum Vestram Sanctitatem Ecclesiæ suæ quam diutissime incolumem servet. Colonia Agripp. Anno MDLXXIX.

Sanctitatis Vestræ

Humillimi et devoti famuli

Fredericus Abbas Maricolensis – Joannes van Linden Abbas Sanctæ Gertrudis – Bucho Aytta Præpositus S. Bavonis Cathedralis Ecclesiæ Gandensis.

Veruntamen horum Ecclesiasticorum agendi ratio, ac Romani Pontificis et Principum conatus apud Ordines haud profuerunt, ut æquissimas pacis conditiones a Philippo et Imperatore oblatas amplectarentur.

XCVI. Ad pacem constituendam Ordinum Procuratores exhibuerunt Principum Legatis in conventu Coloniensi IX. Calendas Junias nonnullas conditiones, quæ omnino intolerabilia continebant, quæque haud sine magno Religionis, et Reipublicæ detrimento admitti potuissent, ut quisque videre potest. (*)

(*) Germania Vol. 43. fol. 108.

Reverendissimi, Illustrissimi, Generosi, Nobiles Sacræ Cæsareæ Majestatis Commissarii.

« Ad ea quæ heri et ante ratione obscuritatum et difficultatum, quæ se in articulis ab Illustrissimo Duce Arschotano et nobis Serenissimi Archiducis Austriæ Gubernatoris, et Ordinum Legatis exhibitis offerre, et ex iis moveri posse videntur, proposita sunt, ne ullum impedimentum aut mora tractationi inceptæ per nos inducatur, et ut amicæ, gratiosissimæ, gratiosæ et benevolæ exhortationi et petitioni vestræ acquiescamus, conati sumus, priores articulos quantum a nobis fieri potest juxta mandatum, quod accepimus, lenire et mitigare, quibus obscuritates et difficultates, quæ heri objectæ sunt, et quæ adhuc objici forte possent, Celsitudines et Dignitates Vestræ magna ex parte remotas et soldatas esse invenient. Eos articulos iisdem Celsitudinibus et Dignitatibus Vtis exhibemus cum hac necessaria declaratione, nos nihil amplius, quam quod his articulis continetur, præstare posse, uti nec præsens status rerum nostrarum et necessitates, in quibus versamur, amplius aliquid ferunt aut permittunt.

Sequuntur Articuli.

1. Concedatur utrinque perpetua oblivio sive amnistia omnium eorum, quæ facta sunt a tempore primorum motuum, et causa illorum quocumque modo aut loco, tam generaliter quam particulariter, ita ut eorum nulla fiat amplius mentio, exprobratio, aut inquisitio, quasi ea nunquam accidissent.

2. Rex Catholicus habeat gratum et ratum, quidquid factum, contractum, constitutum, decretum, conclusum, definitum, provisum, collatum aut quomodolibet actum per Serenissimum D. Archiducem Austriæ Mathiam, consilium Status atque Ordines, tam id quod concernit negotium bellicum, quam politicum.

3. Rex etiam promittat rata habere, et tenore præsentium rata habebit omnia privilegia, jura, usus, antiquasque consuetudines cujuscumque Provinciæ, Civitatis et Communitatis.

4. Omnes milites Hispani, Itali, Burgundiones, Germani, Franci, Angli, Scoti, omnesque alii extranei indifferenter utriusque partis egrediantur ex ditionibus Belgicis intra terminum sex hebdomadum. Interea tamen Princeps Parmensis deseret illico oppida et loca, quæ occupat vel detinet post invasum Namurcium, qualia sunt Arx et Civitas Namurcensis, Carolomontium, Bovinæ, Philippovilla, Lovanium, Leewa, Diestum, et alia, eaque reddet Ordinibus una cum tormentis bellicis, munitionibus et commeatu, et eorundem extraneorum loco collocabuntur in oppidis et arcibus, ubi expedire vide-

bitur, milites naturales Belgii, idque consensu et approbatione Ordinum generalium ac notanter ejus Provinciæ ubi collocabuntur.

5. Postquam autem Hispani et exteri Regii exierint, oppidaque, fortalitia et loca restituta fuerint in manus naturalium sicut dictum est, exauctorentur etiam atque exeant omnes exteri qui Ordinibus militant.

6. Supradicti quoque milites naturales, antequam ingredientur civitates, aut loca munita, præter fidelitatem quam jurabunt Regi Catholico ut Provinciarum Principi et legitimo Domino, jurabunt etiam fidelitatem Patriæ, Ordinibus generalibus et particularibus Provinciarum, quas ingredientur, ac notanter observare articulos in hac pace conclusos.

7. Omnes captivi utriusque partis liberabuntur sine aliquo prætio redemptionis, si modo ante hujus pacis communicationem non fuerint aliter obstricti: tamen ot teneantur respective expensas solvere. Si qui etiam ante hanc communicationem prætium redemptionis promiserint solvere, tenebuntur etiam satisfacere suæ promissioni.

8. Et quia Comes Buranus extra oppidum et Academiam Lovaniensem sine causa extractus est, vectusque ex Belgio contra privilegia tum dictæ Accademiæ, tum Ducatus Brabantiæ, idem Comes statim restituetur in libertatem, et remittetur in oppidum Antverpiense intra terminum trium mensium.

9. Quilibet utriusque partis restituetur et regredietur in sua bona immobilia, non obstante quacumque alienatione facta a tempore pacificationis Gandavensis, atque etiam in bona mobilia non distracta aut alienata.

10. Fiet etiam restitutio bonorum in Burgundia, Luxemburgo, Hollandia, Zelandia, aliisque locis ubi pacificatio Gandavensis non fuerit adimpleta, tam Ecclesiasticis, Principi Aurangiæ, quam omnibus aliis juxta dictam pacificationem.

11. Omnes naturales Belgii utriusque partis poterunt libere in Belgium reverti, ibique habitare, ea lege, ut præstent juramentum fidelitatis tam Regi, quam Patriæ ac Ordinibus generalibus, et particularibus ejus Provinciæ in quam revertentur, atque adeo sese observatoros omnes articulos hujus Pacis.

12. Pacificatio quoque Gandavensis Edictum perpetuum XVII. Februarii 1577. Bruxellæ publicatum, Unio sive Confœderatio Ordinum, ac aliæ securitates subsecutæ in omnibus aliis punctis et articulis observabuntur.

13. Excepto quod in iis Provinciis et locis, ubi Religio quæ dicitur reformata, Confessio Augustana vel Pax Religionis dicta Religions-Frid recepta est, omnia permanebunt in suo statu secundum eandem pacem Religionis, neque Religionis causa ulla fiat inquisitio, idque donec per conventum Ordinum generalium aliter provisum fuerit, quemadmodum pro maximo bono et quiete Provinciarum respective expedire videbitur.

14. Gubernatio generalis Belgii maneat penes Serenissimum Dñum Archiducem Mathiam iis conditionibus, qoas juravit. Quem si contingat mori, vel si forse sese vellet alio conferre, Regia Majestas non poterit committere alium Gubernatorem, nisi gratum Ordinibus ex suis liberis aut sanguine legitimo, qui tenebuntur jurare eosdem articulos ac conditiones, super quibus receptus fuit dictus D. Archidux.

15. Nulli in posterum admittantur ad Gubernacula Provinciarum, Civitatum, Castrorum et Fortalitiorum Capitaneatus, aut Præfecturas militum, neque ad consilia Status secretum aut financiarum, aut alia officia magni momenti, nisi naturales Belgii, bene idonei et bona illic habentes, quique steterunt a partibus Ordinum, gratique tam Ordinibus generalibus, quam Provinciis particularibus ad quas mittantur, ac alias juxta privilegia earum; qui primum et antequam admittentur, tenebuntur solemniter jurare hanc pacem, et particulariter etiam manutenere et observare privilegia, consuetudines, jura et usus generales et particulares Belgii, ac jurejurando promittere, si resciscant aliquid tractari in ejus præjudicium, quod ea de re certiores facient Ordines generales et particulares Provinciarum, sub pena quod habendi sunt pro perjuris.

16. Et quia Ordines sunt obligati Serenissimæ Reginæ Angliæ propter sinceram amicitiam, vicinitatem et auxilium, quod illis præstitit, ad utilitatem publicam ipsa comprehendetur reciproce in hoc tractatu, in confirmationem antiquorum fœderum perpetuo conservatorum inter Principes tam ejus Regni quam Belgii.

17. Similiter comprehendetur in eodem hoc tractatu Illustrissimus Dux Andegavensis Regis Christianissioi frater, tanquam defensor libertatis Belgicæ, cum recognitione quam Ordines ipsi promiserunt proponere et resolvere, quoniam tam liberaliter atque heroice operam navavit eorum defensioni ac conservationi; uti etiam comprehendentur omnes alii confœderati dictorum Ordinum.

18. Supplicabitur Suæ Sanctitati, Cæsareæ Majestati, Regi Christianissimo, Reginæ Angliæ, Duci Andegavensi defensori libertatis Belgicæ; omnibus Principibus Electoribus Germaniæ, et Duci Juliacensi tanquam studiosis otilitatis et tranquillitatis Reipublicæ Christianæ, ut iis placeat efficere, ut hic tractatus in omnibus suis partibus compleatur, et inviolabiliter observetur.

19. Hic tractatus reciproce jurejurando solemni super sancta Evangelia præstito confirma-

bitur, et a Rege approbabitur intra terminum trium mensium post conclusam hanc pacem, aut citius, si fieri potest. Actum Coloniæ XXIII. Maji anno MDLXXVIII.

His postulatis Dux Terræ Novæ Legatus Hispanus acriter intercessit, declarans Philippum haud pati posse in Belgicis ditionibus præter Catholicam religionem aliam induci, quin muneri suo desit, juramentum violet, et gravissimam perniciem afferat iis provinciis, quæ sub Catholica religione florentissimæ fuerunt; solummodo facultatem concedit iis, qui gravissimo suo detrimento, Catholica religione relicta, hæreticorum cultum velint profiteri, alio migrandi, quin bona amittant, quibus in Belgicis provinciis fruuntur. [*]

[*] Germania Vol. 47, fol. 230.

« Quod vero concernit Religionem, quæ omnibus Principibus vere Christianis jure esse debet commendatissima, haud potest S. Majestas ullatenus præterire, quin vestigiis Regum Catholicorum suorum majorum inhærendo percupiat ac mandet, in provinciis suis patrimonialibus retineri servarique Religionem Catholicam Apostolicam Romanam, ab omni ævo non solum ibidem receptam, verum etiam sub qua earundem Provinciarum subditi olim tantopere floruere, et in qua tam dictam S. Majestatem, quam cæteros suos prædecessores olim provinciis inauguratos, et mediante solemni jurejurando in Principes supremus ac naturales receptos fuisse, notorie constat. Quæ quidem supradicta Religio, exclusa quavis alia, libere, pacifice et absque ullo impedimento ubivis locorum per universas ditiones Belgicas posthac tradetur, et exercebitur, prout etiam Ordines Statuum S. Majestati non minus post, quam ante turbas præsentes, frequentibus litteris se passuros et procuraturos addixerunt; et sicut etiam jam pridem scripsere ad Sacram Majestatem Imperialem usque, adeo quod absque gravi nota, ut ne dicatur confusione universi status politici, haud possint in re tanti momenti propriis scriptis ulla ex parte contravenire.

« Enimvero tamen si qui subditorum vel incolarum occasione diversitatis, seu contentionis (proh dolor) suscitatæ circa uniformitatem Religionis, vel alia quapiam tum simili, tum dissimili de causa dictis provinciis quandoque excedere cupiant, S. Majestas promittet hoc cuilibet liberum fore integro quadriennio subsecuturo; dummodo interea temporis a scandalis ac rerum perturbatione studiose abstineant. Quo casu etiam liberrime fruentur omnibus suis bonis tam mobilibus, quam immobilibus, juribusque actionibusque; et poterunt ea ipsa qualiacumque fuerint etiam alio transferre, seu vendere aut alienare, prout eis videbitur. Imo et hoc amplius (si modo bona sua retinere malint) etiam poterunt absentes ad eorundem bonorum regimen, administrationem et receptionem in provinciis sibi eligere quæstores Catholicos qualescunque volent; ac præterea toties quoties voluerint ad provincias iterato redire, victuri tamen ritibus ac moribus pristinis, et ut personas Catholicas decet. Eritque hujuscemodi reditus ac facultas bona administrandi per se cuilibet bona fide permissus, statim atque Pastoribus, Officiatis ac Magistratibus locorum, ad quæ redire cupient, talis intentio ac voluntas insinuata fuerit. Ex qua quidem Regali indulgentia, nulli non perquam manifestum redditur, quod Sacra Majestas nihil minus quam bonorum confiscationes, ruinam et perniciem suorum subditorum appetat, multo autem minus quod rigore superiorum Placitorum ipsos perstringere constituerit, cum vel etiam paratissimus sit ea ipsa Placita ex consilio Ordinum Status competenter temperare ac moderari. Sub finem mensis Maji 1579.

XCVII. — Idem Dux omnium Legatorum Principum nomine iisdem Belgarum Procuratoribus a. d. VI. Idus Julias conditiones sane percommodas easque æquissimas proposuit, quas vero pertinaciter rejecerunt. [*] Frisii, qui propensiores quodammodo ad pacem videbantur, non minus aliis persistebant in iis articulis defendendis tanquam æquissimis, qui ab Ordinum Procuratoribus propositi erant. En eorum litteras. [*]

[*] Apud Dumont Corps diplom. T. V P. I. pag. 363.

[*] Germania Vol. 43, fol. 111.

Reverendissimi, Illustrissimi, Generosi, Nobiles Sacræ Cæsareæ Majestatis Commissarii.

« Quod hactenus ex mandato Sacræ Cæsareæ Majestatis ad Patriam nostram ex diuturni et calamitosi belli incendio liberandam cum Regis Catholici Principis nostri naturalis Mandatario Duce de Terranova, et Legatis Ordinum Belgii pro magno et incomparabili zelo promovendi Pacificationis negotio omnem operam impenderitis, hoc ipsum ut non parvi beneficii loco duximus, sed maximi semper fecimus, quod scilicet viri Principes tantas molestias, curas et labores Belgicæ Reipublicæ causa susceperitis, quo videlicet Belgium vestra (secundum Deum Optimum Maximum) potissimum industria et opera sublevatum, Principi suo naturali Hispaniarum Regi reconciliaretur et in tranquillum statum reduceretur. Summæ plane et extremæ ingratitudinis esset, tantum beneficium non omni gratitudinis officio prosequi, perpetuaque memoria celebrare, quamobrem eo nomine, quemadmodum decet, Celsitudinibus et Dignitatibus Vestris gratias quas possumus maximas agimus, utque in eo cœpto proposito et summo studio promovendæ Pacificationis negotio, sepositis nonnihil domesticis curis, Celsitudines et Dignitates Vestræ indesinenter perseverare velint, etiam atque etiam obnixe obtestamur, eoque magis quod salus et incolumitas Belgii ad

Sacram Cæsaream Majestatem, ac Celsitudines et Dignitates Vestras, ad commodum vestrorum subditorum imprimis quoque respiciat.

« Quod vero attinet ad postulationem Vestrarum Celsitudinum et Dignitatum, ut particulares provinciæ civitatesque super articulis Pacificationis transmissis respondeant, non expectata voluntate et judicio reliquarum provinciarum et civitatum fœdere consociatarum, non potuimus Vestras Celsitudines et Dignitates celare, quod isthac in parte separatim inconsultis confœderatis, jure et vigore generalis fœderis (quo inter sese indissolubili nexu omnes Belgicæ provinciæ colligatæ sunt) in causis tam gravibus non liceat ulla ratione cuiquam provinciæ quidquam statuere aut decernere, sed teneri omnia agere et decernere eo communi consensu et voluntate omnium provinciarum fœderi unitarum, eoque magis, quod admodum nuper majoris cautionis loco, salva et incolumi Pacificatione Gandavensi et generali Unione, arctius fœdus cum vicinis provinciis Trajecti fecerimus; quo nominatim cautum est, ne in belli pacisque negotiis quicquam citra communem adsensum et decretum omnium confœderatorum statui decernique possit, cui parti fœderis insistere tenemur, nec ab eo latum unguem (citra perjurii notam) discedere nobis ullo modo licere putamus. Quamvis hoc præterire non voluimus, articulos Pacificationis ad nos trasmissos in multis punctis seu partibus Pacificationi Gandavensi, perpetuo Edicto, nec non omnibus juribus et naturali rationi ex diametro quasi repugnare, ac idcirco nullo modo usque adeo tolerabiles et æquos nobis videri, quemadmodum a Celsitudinibus et Dignitatibus Vestris inconsiderato fortassis zelo (salva tamen reverentia Vestrarum Celsitudinum et Dignitatum) nimioque studio promovendæ Pacificationis negotio nobis commendentur: similiter inter reliquos articulos etiam illud inprimis iniquum et durum nobis visum fuit, quod de causa Religionis proponitur, nec id recipi posse, nisi cum summa pernicie et ruina omnium provinciarum, earumque incolarum judicavimus; quamobrem magnam spem de Celsitudinibus et Dignitatibus Vestris conceperamus, (harum et consimilium causarum et circumstantiarum intuitu, et ad majores occasiones rerum motusque evitandos) quod vestra intercessione approbationem articulorum ab Ordinum Legatis Coloniæ in actione Pacificationis propositorum, juxta ipsorum instructionis tenorem, a Regia Majestate obtinuissetis, siquidem articuli isti non solum tolerabiles, sed æquissimi et moderatissimi fuerint videlicet tempori locove propter præsentes necessitates accomodatissimi, tam ad conservationem inque tranquillum et pristinum statum reducendi Belgii, quam vicinarum provinciarum et ipsius Germaniæ, cujus imprimis ratione commerciorum interest, hosce motus Belgii componi.

« Quamobrem humillime, humiliter et officiose Celsitudines et Dignitates Vestras obsecramus, ut velint procurare apud Regiam Majestatem consensum et ratihabitionem prædictorum articulorum, profitemurque et testamur hisce præsentibus, nihil nos magis in votis habere, quam in legitima et debita obedientia, tranquilla pace sub Regia Majestate, modo vitæ, bonorum privilegiorumque securitas præstetur, et idonee caveatur, et insuper firmum et indubitatum Edictum de utraque Religione toleranda sanciatur. Deus author pacis Celsitudines et Dignitates Vras suo spiritu gubernet, et in actione inchoatæ pacis perficiendæ consilia vestra felicitet, diutissimeque incolumes servet. Leoverdiæ decimo Octobris MDLXXIX.

Celsitudinum et Dignitatum Vestrarum
Deditissimi
DEPUTATI FRISIÆ.
Ad mandatum prædictorum Ordinum
seu Deputatorum
ARTIUS FISMANDI.

XCVIII. — Delusa igitur omni spe honestæ pacis firmandæ, non est quidem mirandum, quod aliqui ex Legatis, imprimisque Præsules Trevirensis, Coloniensis et Herbipolensis ob pervicaciam ac perfidiam quarundam Provinciarum, quæ ad Belgii res componendas Legatos Coloniam miserant, de omni concordiæ tractatione abrumpenda cogitaverint. Frustra eos Pontifex admonet, ut hujusmodi consilium deponerent. Hæc igitur Trevirensi scripsit. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 52. fol. 319.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Trevirensi Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Certiores facti sumus Fraternitatem Tuam cogitare de discessu, scribimus ad venerabilem fratrem Archiepiscopum Rossanensem Nuncium nostrum, ut tibi exponat, quid maxime a te cupiamus. Sæpe enim usus docuit, ubi res videntur desperatæ, nec quidquam humana ope et consilio profici, tum maxime Deum adesse iisque optatum exitum tribuere. Gratissimum igitur Nobis facies, si Nuncio nostro omnem fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII. Octob. MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

Dum Legati octo mensium spatio perspexissent, quoscunque conatus ad res Belgicas componendas atque ad exoptatissimam pacem firmandam frustra omnino futuros, ex omnium sententia decretum fuit, solvendum conventum esse, omnemque tractationem abrumpendam. De quo eventu præfati Præsules Pontificem edo-

cent, simulque ferunt laudibus Archiepiscopum Rossanensem, qui tanquam Legatus a latere illi conventui præfuerat. [*]

[*] Colonia Vol. I. f. 18.

Sanctissimo in Christo Patri Dño Dño Gregorio ejus Nominis XIII. SS. Rom. et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Dño Nostro Clementissimo.

Post debitam obedientiam et devota semper sacrorum pedum oscula.

« Beatissime Pater. Octavum jam ingredimur mensem, quo gravissimum et laboriosissimum hoc Belgicæ Pacificationis negotium a Cæsarea Majestate nobis impositum inchoatum fuit, magisque in votis non habuimus, quam ut ope divina, Suæ Cæsareæ Majestatis authoritate, et opera nostra veram pacem æquis et tollerabilibus mediis ditionibus patrimonialibus Regis Catholici restituere, et Sanctitatis Vestræ piissimis desideriis et omnium bonorum expectationi satisfacere, adeoque tot Reipublicæ Christianæ hoc tam necessarium et gratum officium præstare potuissemus; sed cum ad exoptatum hunc finem et effectum, injuria forte temporum, peccatis sic volentibus. pervenire non potuerimus. finem tandem huic operosissimæ tractationi inviti imponere coacti sumus, ex causis quibusdam in scripto, partibus loco recessus publicato expressis, præcipue vero quod ex certissimis argumentis facile colligere poteramus, longiorem nostram moram huic negotio non tantum parum profuturam, sed etiam alio respectu gravissima præjudicia in futurum parituram esse, quemadmodum Sanctitatis Vræ Nuncius, Revmus in Christo Pater Dñus Johannes Baptista Castanæus Archiepiscopus Rossanensis, amicus noster et Dominus colendissimus, cui exemplum dicti recessus tradi fecimus, Sanctitati Vestræ plenius procul dubio referet et exponet.

« Fuit autem nobis memorati Sanctitatis Vestræ Nuncii præsentia, ejusque spectata prudentia, judicium gravissimum, singularis præterea in rebus agendis dexteritas et integritas longe gratissima et jucundissima. Qua de causa et Sanctitati Vestræ pro suo sanctissimo in Rempublicam Christianam, et nos affectu gratias non nisi maximas habere et referre possimus, Sanctitatique Vestræ nos ad suos pedes beatissimos humiliter provolutos, nostras Ecclesias, et nostra omnia humilima et promptissima, uti tenemur, obedientia commendamus. Quam Deus Optimus Maximus sanctæ suæ Ecclesiæ diu servet incolumem. Datæ Coloniæ Ubiorum duodecima mensis Novembris, anno Dominicæ incarnationis millesimo quingentesimo septuagesimo nono.

Sanctitatis Vestræ

Devoti

Jacobus Archiepiscopus Trevirensis - Gebardus Electus Archiepiscopus Coloniensis Princeps Elector m. p. - Julius Episcopus Wirceburgensis - Henricus Comes in Schwarzenburg - Joannes Lacuanianus.

Herbipolensis præterea Præsul peculiaribus litteris idem præstitit. [*]

[*] Colonia Vol. I. f. 19.

Sanctissimo Patri ac Domino Gregorio XIII. Sacræ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino Clementissimo.

Beatissime Pater.

Post devota pedum oscula.

« Literas, quas Sanctitas Tua xvi. Calendas Novembris mihi scripsit, ad me allatas, qua debui, cum veneratione exosculatus diligenter et attente perlegi, cognovique tum ex iis, tum ex sermone viri amplissimi prudentissimique, et mihi multis nominibus vehementer observandi Sanctitatis Tuæ Nuncii omnia, quæ Sanctitas Tua tum per epistolam, tum per illum coram mecum agere voluit. Quæ quidem omnia mihi tantæ semper curæ futura sunt, quantæ omnia maxima, minima Sanctitatis Tuæ mandata piis hominibus merito esse debent. De pacificatione autem non dubito, quin Sanctitas Tua per eundem suum Nuncium cognoverit semper omnia diligenter, quæ hoc loco per eos, quibus Cæsarea Majestas id negotii dederat, tanto jam tempore maximo cum labore et molestia, tanto sumptu, tantoque conatu tentata potius quam peracta sunt. Ego quidem certe nihil a Deo Optimo Maximo majoribus unquam votis expetivi, quam ut et Belgio tranquillitas et universæ Reipublicæ Christianæ, sublatis controversiis, concordia restitueretur. Et in hoc ipsum pacificationis negotium tanto studio, cura, diligentia, labore, toto semper animo incumbui, ut non Vobis tantum, quibus maxime cupio, Sanctitati inquam Tuæ et Cæsareæ Majestati, sed etiam aliis æquis, iniquis, omnibus hominibus videri debeam abunde satisfecisse. Quibus autem de causis, et quorum hominum culpa nulla vel iniquioris pacis ratio potuerit iniri, vel quamobrem nos tandem re infecta coacti simus hinc discedere, id ego Sanctitatem Tuam ex eodem illo, quem honoris causa toties nomino, Nuncio suo quam ex meis literis malo intelligere. Equidem quod jam restare unum video, et quam unicam deploratis rebus opem sperare audeo, Deo primum Optimo Maximo et hanc ipsam et universam pacem et tranquillitatem quotidianis votis, et secundum eum Sanctitati Tuæ me ipsum in primis et gregem meum, deinde cœtum Christi universum cum summa (ut par est) modestia et reverentia etiam atque etiam venerabundus commendo. Eundem ego Deum Optimum Maximum obnixe precor, ut Sanctitatem

Tuam nobis quam diutissime servet incolumem. Ex Agrippina Ubiorum Colonia xvi. Calendas Decembris 1579.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimus filius

JULIUS EPISCOPUS WIRCEBURGENSIS.

XCIX. — Itaque Legati omnes Cæsari infelicem pacis tractatus exitum renunciant : ipsum conventum a Belgis, libris etiam prælo excussis, ridiculum redditum conqueruntur : Regem Catholicum paci inserviendi causa plurimum de jure suo remisisse collaudant : quod demum obcæcatis obduratisque perduellium animis impensæ, curæ, labores, conatus sui in cassum abierint, minime a se stetisse, neque ipsos in causa fuisse nec segniter quicquam fecisse. (*)

(*) Germania Vol. 43. fol. 145.

Conclusio Prothocolli latine reddita.

« Optassemus, Clementissime Cæsar, sæpiusque a Deo Optimo Maximo ardentibus votis precati sumus, nullique labori pepercimus, quo Cæsareæ Vestræ Majestatis bona et paterna intentio locum habere, et nostri obsequiosi labores et molestiæ fructum meliorem producere potuissent.

« Gravissimis nostris, nostrarum ditionum et subditorum incommodis, magnisque sumptibus in hac Pacificationis tractatione plus quam septem integros menses frustra attrivimus : nihilominus tamen si adhuc aliquam verisimilem spem ad æquam pacem habere potuissemus, ad debitum Cæsareæ Majestatis Vestræ obsequium, et pro communi pacis bono libentissime nullo respectu, nec ulterioris moræ, laborum vel sumptuum habito, omnia quæ in nostra potestate sunt, impendere parati fuissemus.

« Postquam autem comperimus, quod Status qui suos Legatos huc miserunt, prioribus gravissimis enormitatibus, quæ non nisi maximis laboribus componi poterant, nullo modo acquieverunt, sed nunc primum, et post cœptam hanc Pacificationis tractationem, et antequam breve hoc tempus, quam Legatis suis præfixerunt, effluxisset, contra priora pacta et oblationes ultroneas, contra submissionem V*ræ Majestati factam, novas ligas et conjurationes fecerunt, et alia plurima de facto violenter peregerunt. Insuper quoque in tota hac tractatione ad tam frequentes et diligentes admonitiones apud Status tantillum obtineri non potuit, quod suis Deputatis, tam eminentibus et claris personis, saltem sufficiens mandatum dare, vel illud ipsum, quod jam expiraverat, mandatum renovare, et in eo contentas sex septimanas ad aliquod aliud tempus prorogare vellent.

« Præterea in hoc negotio tam dura et aspra media, imo potius extrema proposuerunt cujusmodi, in omnibus aliis actionibus, quæ ad nostram notitiam pervenerunt, non fuerunt proposita. Qui insuper sese nihil moveri passi sunt, ea quæ illis de prioribus actionibus et pactionibus sæpius inculcavimus, et in specie, quæ in Pacificatione Gandensi, Unione generali et Concordatis Bruxellensibus promiserunt, quæ præter hæc omnia Cæsareæ Vestræ Majestati, Regi Hispaniarum eorum Principi et Domino naturali in scriptis polliciti sunt, quæ denique per suos Legatos anno superiori Ordinum Romani Imperii Deputatis Wormatiæ referri fecerunt, quibus et alia quædam, simul et proprias suas jam diu perpessas calamitates frustra ad animum revocavimus.

« Qui præter hæc omnia a decimo octavo die mensis Julii usque in hodiernum diem, et sic in sedecim septimanis omnibus nostris tam verbalibus, quam in scriptis factis monitionibus non attentis nihil, exceptis supra allegatis generalibus responsionibus, quæ paci magis adversari, quam eam promoveri videntur, nec responderunt, multo minus resolutiones suas ad Pacificationis articulos propositos nobis transmiserunt.

« Interim tamen nos non latet, quam proterve et contemptim, ubique in Belgio, de hac Pacificationis tractatione et articulis propositis ipsimet loquantur et scribant, quales famosos libellos prælo excussos in publicum ediderint, et quam male nostros articulos interpretentur et calumnientur. Quæ quoque nuper et adhuc hodie in conventibus particularium Provinciarum ad impediendam diu desideratam pacem practicentur. Quæ etiam Arnheimenses suo scripto declararunt, et ulterius adhuc Ordines Phrisiæ, Leovardiæ congregati scripserunt, quod a multis etiam tales conditiones petantur, quas nec Rex, nec ejus Mandatarius ullo modo concedere velit, nec sine futura, quæ nobis fieri posset, exprobatione, memorabili læsione juris scripti et Sacri Imperii constitutionum, et omnes denique æquitatis a Rege extorqueri debeant vel possint.

« Contra vero in hac tractatione experti sumus, quam placide et mansuete Rex Hispaniarum tanquam Princeps ordinarius et naturalis Magistratus, sese erga suos subditos per suum Commissarium Ducem de Terranova exhibuerit, quam æquas, modestas, benignas, et tolerabiles conditiones Pacis illis pro parte ultro obtulerit, et pro parta ad nostram intercessionem concesserit, imo plura fere quam aliquis subditus a suo Magistratu honeste petere, vel ab alio quoque requiri posset, gratiose indulserit.

« Quod tamen hæc omnia, imo nec Cæsareæ Majestatis V*ræ auctoritas, nec nostræ fidissimæ monitiones apud Status locum habere non potuerunt, jamque tot dies post terminum peremptorium præterlapsum usque in hunc diem absque aliquo fructu præterierunt, non potuimus colligere a Statibus unquam serio constitutum fuisse, vel adhuc esse, quod sese cum Principe

et naturali Domino suo justis et æquis mediis reconciliari velint, vel quod etiam nos per longiorem nostram præsentiam aliquid utilitatis negotio adferre possemus.

« Quapropter partibus talem Recessum scriptis comprehensum, uti infra numero 69. videre licebit, publicari fecimus, nec necessum esse putavimus, ut nos diutius hic detineri pateremur.

« Et quamvis durante tractatione nos Majestati Vtræ pro tempore eorum, quæ acta sunt, informationem et relationem transmiserimus, noluimus tamen prætermittere, quin totius causæ acta, quantum ad rem pertinere et ad plenam negotii informationem sufficere putavimus, in ordinem redigeremus, et Vestræ Majestati loco ulterioris relationis transmitteremus. Humillime rogamus Majestatem Vestram Cæsaream velle nos, quod talem finem huic causæ dare coacti sumus, excusatos habere, cui nos et nostra humillime commendamus. Datæ Coloniæ xII. mensis Novembris, anno Dominicæ incarnationis millesimo quingentesimo septuagesimo nono.

C. — Gregorius tandem Margarethæ ab Austria gratulatur, quod Dei ope freta provinciæ Belgicæ regimen a Rege Catholico ei impositum non abnuerit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 72. f. 232.

Dilectæ in Christo Filiæ Nobili Mulieri Margaritæ Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecta in Christo filia Nobilis mulier salutem et Apostolicam benedictionem. Quo magis perspectam habemus singularem prudentiam et pietatem tuam, eo magis gaudemus laudamusque consilium Philippi Regis Catholici in Tua Nobilitate Flandriæ Gubernationi præficienda. Sapienter autem facis, cum in tantis difficultatibus periculisque totam te Divinæ voluntati et gratiæ committis; talem enim animum optima omnia consequentur. Nos quantum precibus a Deo impetrare poterimus, quantumque tibi tuisque auctoritate atque opera præstare, id totum Tuæ Nobilitati pollicemur. Benedictionem vero eam, quam postulas, et libentissime his literis ascribimus, et toto pectore a Domino Deo nostro precamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxI. Novembris MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

CI. — Scribit etiam Præsidibus Dolanæ civitatis in Burgundia, quæ Hispaniarum Regi parebat, eorum in re Catholica fovenda studium gratissimum sibi esse, et vehementissime gaudere, quod Jesuitarum Collegium instituerint. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII. ep. 65. f. 227.

Dilectis Filiis . . . . . Majori, Consiliariis et Civibus Urbis Dolanæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. In tam gravi, tamque deploranda Catholicæ Religionis in plerisque Germaniæ locis jactura vehementer Nos consolatur vestra pietas, et constantia in hujus ipsius Religionis sinceritate et Apostolicæ Sedis dignitate atque obedientia, congruenter vestro muneri, Catholici Regis Philippi voluntati et dilecti filii nostri Cardinalis Baumæ Pastoris vestri institutis retinenda et tuenda. Hæc enim omnia ex gravissimorum virorum literis testimoniisque, in primis vero ex dilecto filio Edmundo Agerio incredibili cum voluptate cognovimus. Itaque et Deo gratias agimus, et vestram ejus bonitati pietatem zelumque obtulimus, et bona omnia vobis ab eo precati sumus. Summopere autem probamus vestrum consiliom Jesuitarum Collegii instituendi, idque jam cœptum esse gaudemus: habebitis enim homines in iis, quæ ad Dei gloriam atqoe ad animarum salutem pertinebunt, paratissimos vigilantissimosque. Ei Collegio Prioratum eum, quem volebatis, concessimus, neque ulla in re vestris optimis Deoque acceptissimis conatibus, assiduisque pro Catholica Religione adversus finitimos hostes hæreticos dimicationibus auctoritate atque opera unquam deerimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxvIII. Novembris MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

CII. — Qui in Anglia, ut jam anno superiore vidimus Catholicæ religioni amplificandæ sedulo operam navabat, dignus propterea, ne ejus memoria decidat, fuit præstantissimus ille vir Scotus, Mariæ Scotorum Reginæ a secretis, idemque Episcopus Rossensis. De quo viro non videmur perperam facturi, si id narramus, quod non minus ad animi solatium, quam ad ejusdem pietatem exprimendam jovet. Is itaque, cum præterito anno exeunte Romam venisset, atque inde hoc ineunte in Germaniam profectus, ut cum Cæsare de vindicando jure in quædam monasteria, quæ Germanorum pietas antiquitus in usum Scotorum condiderat, ageret, in itinere, propterea quod ipsi nomen Rossanensi fere commune esset cum Nuntio Apostolico, qui eodem fere tempore ad Belgium pacandum sese Coloniam contulerat, valde ab hæreticis Theutonicis vexatur; has amantissimas et festivo quodam lepore aspersas litteras ad Archiepiscopum Rossanensem, Nuntium Apostolicum Coloniensem dedit, quibus ei injurias paratas sese tulisse refert, simulque cœnobiorum Scotorum negotium commendat. [*]

[*] Nuntiat. Colon. Vol. 1. fol. 39

Illño et Rño Domino Dño Archiepiscopo Rossano Nuntio Apostolico, Dño meo Observandissimo, Coloniæ.

Illñe et Rñe Domine.

« Magnarum sæpe rerum momenta in similitudine nominum posita fuerunt: nam nonnulli, quod eodem cum regibus quibusdam nomine appellarentur, regiis honoribus affecti, imo regna adepti sunt: mihi longe aliter usu venit, cui

non honorem, sed carceris molestiam nomen, quod mihi cum Illma Dominatione Vestra commune est, attulit. Cum enim Rossensis sim Episcopus, Rossanus creditus sum, qui ad evertendam conscientiæ (ut hæretici loquuntur) libertatem, verius dicerent omnium malorum licentiam, ab Italia in Germaniam missus est, atque ea de causa in vincula conjectus. Gaudeo tamen me religionis gratia perpessum ea esse, quæ fidei hostes Illmæ Dominationi Vestræ inferre cogitabant; gratulorque mihi, illius viri nomine detentum fuisse, cujus virtus pietasque in Deum toti orbi cognita est, et summa semper fuit in Serenissimam Principem meam Scotiæ Reginam, atque in omne nomen Scoticum benevolentia. Qua fretus, ego non dubitavi Illustrissimæ Dominationis Vestræ favorem et operam in re, quæ ad nationis Scoticæ jus conservandum attinet, implorare. Duo sunt gentis nostræ in Coloniensi Episcopatu monasteria ab aliis possessa. Gratissimum esset, si Illma Dominatio Vestra, dum Coloniæ comitiorum causa hæret, secreto inquireret, num aliqua sit eorum recuperandorum spes, et re cum Rmo Herbipolensi, ad quem etiam scripsi, communicata, vel simul vel seorsim cum Rmo Coloniensi loqueretur; et si fortassis non omnino de successu desperandum videatur, me certiorem faciat, atque Rmo Coloniensi commendet, ut si ejus negotii causa vel ego, vel alius a me missus eo proficiscatur, illum nobis faventem experiamur. Cupio enim per hanc Illmæ Dominationis Vestræ Reverendissimique Herbipolensis inquisitionem, aditum et viam ad jus nostrum repetendum tentare. Non dubito, quin Sanctissimus Dominus Noster omne nobis ad eam rem auxilium et patrocinium præstiturus sit, ut etiam in aliis per totam Germaniam repetendis fecit. Cæterum si quid est, in quo Illma Dominatio Vestra operam meam aut officium requirat, imperet, ego parendi partes mihi desumam. Deus Opt. Max. piis Illmæ Dominationis Vestræ aspiret votis. Parisiis 23. Junii 1579.

Illmæ et Rmæ Dominationis Vestræ

Studiosiss. et ad obsequia paratissimus

JOANNES LESLAEUS EPISCOPUS

ROSSENSIS SCOTUS.

CIII. — Res catholicæ in Anglia, præsertim vero in Scotia eidem Rossensi Præsuli, extincto etiam insigni ejus patrono Comite Atholio, satis prospere processuræ videbantur; unde legenda sunt, quæ ea de re Cardinali Comensi scripsit. [*]

[*] Gallia Vol. 11. fol. 238

Illmo et Rmo Domino D. Cardinali Comensi, Domino meo Observandissimo.

Illme et Rme Domine.

« Scripsi non ita pridem ad Illmam Dominationem V. nos eorum, quæ in Scotia geruntur ignaros esse, quod nuntiis, quos eo miseramus, redeundi facultas non esset. Nunc tamen Dei benignitate duo ex iis, qui illuc a nobis missi fuerant, inde 13. Maji reversi sunt, Robertus nempe Stuardus Capitaneus illustri in Scotia loco natus, et alius quidam, quorum literis et voce, quæ sequuntur, accepi. Proximo mense Aprili nobilium conventus Strivilingi habitus fuit, ubi omnium consensu decretum est, ut Regi liberum sit Strivilingi arce cum volet egredi, cunctisque regni partibus peragratis, subditis se ostendere, quo eum populus Principem suum Regemque agnoscat et amplectatur. Nobiles porro viri, qui se cautionibus pro ejus tutela obstrinxerant, obligatione soluti sunt. Nunc de familia ejus constituenda agitur, centumque nobilibus viris eligendis, quorum fidei Regii corporis custodia committatur. Idcirco plurimi e Gallia in Scotiam proficiscuntur, ut inter custodes corporis inque regiam familiam adscribantur. Cæterum multi verentur, ne si Rex parum firmo militum præsidio stipatus, quoquam prodeat, Mortonii opera in Angliam traducatur, penes quem paulo ante regni Scotici administratio fuit, quique occulta cum Regina Angliæ consilia in eum finem habere dicitur. Eoque major timendi causa ostenditur, quod Illustris Comes Atholius, qui inter cognatos Regis principem locum tenens, ejus veluti parens habebatur, pietatisque Christianæ studio Mortonium Scotici regni administratione dejecerat, post nobilium illum conventum in morbum incidit, quo post ingravescente, magno sui desiderio apud Regem cunctosque regni ordines relicto, extinctus est, ut isti affirmant, non sine veneni suspitione, quod ipsi in convivio quodam, cui Mortonius et nonnulli ejus partibus addicti aderant, porrectum esse existimatur. Dici profecto non potest, quantam cladem respublica Christiana illius viri abitu in partibus illis accepit. Is enim vere Catholicus princeps et Catholicorum omnium fautor egregius, id unum expetebat, et qua plurimum valebat, authoritate efficere conabatur, ut avita Christianorum religio Scotiæ restitueretur. Sæpius ad me scripsit, nihil se magis in votis habere, quam ut mihi aliquando in Scotiam redeundi facultas contingeret; neque enim se prius animo quiescere, aut mentis tranquillitate frui posse, quam me et Regi et sibi a latere et consiliis adesse videret. Verum bonam spem ex eo concipimus, quod Rex literis e Gallia in Scotiam evocavit dominum de Aubigny cognatum suum, qui vir acri judicio et prudentia singulari Catholicam religionem constantissime retinet. Eum Rex noster apud se habere cupit. Spes est, eum temporis progressu multum Scotiæ rebus commodare posse. Non est (credat mihi Illma D. V.) abbreviata manus Domini. Etsi egregium illum Atholiæ Comitem amisimus, potest tamen Deus

alium nobis (ut Scripturæ Sanctæ verbis utar) suscitare salvatorem. Relicti enim sunt multi, qui non curvaverunt genua ante Baal. Et quamvis non parum doloris ex clarissimi Comitis mihi intima amicitia conjuncti morte concepi, non tamen desistam religionis et reipublicæ causam in patria mea pro virili promovere. Et quidem hesterno die Christianissimum Galliarum Regem atque Illñum Guisiæ Ducem conveni et de omnibus instruxi, qui nobis omnem operam et auxilium pollicentur; addiderunt sese effecturos, ut quam citissime omnia, quæ ad Domini de Aubigny profectionem necessario sunt, expediantur. Multi præterea boni in Scotia supersunt, tam Comites quam alii nobiles atque omnium ordinum viri, quibus, si Christianorum Principum opibus juventur, facile erit improborum conatus et furorem infringere. Non dubito, quin Illña D. V. Sanctissimum Dominum N. de omnibus his certiorem faciet, pro cujus salute assidue Deo Opt. Max. preces offero, qui etiam Illñam D. V. incolumem diu in terris servet. Parisiis 15. Maji 1579.

Illñæ Dominationis Vestræ

Addictissimus servus

Jo. Episcopus Rossensis.

Quam in spem non levioribus caussis adductum fuisse hunc Scoticarum rerum experientissimum virum, non inani conjectura consequi posse videmur ex eo, quod paucis ante diebus eidem Cardinali significaverat, se mœroris potius tamen, quam lætitiæ argumenta habere, quæ scriberet. [*]

[*] Gallia Vol. 14. fol. 272.

Illño et Rño Domino D. Cardinali Comensi, Domino meo Observandissimo.

Illñe et Rñe Domine.

« Vellem atque omnino vellem, ne muneri meo deesse videar, de rebus Scoticis ad Illñam Dominationem Vestram sæpius scribere, si non adhuc is esset in Scotia nostra Reipublicæ status, qui viris bonis et Christianæ fidei studiosis mœrorem potius, quam lætitiam afferre possit. Si quidem hucusque nulla rerum in Scotia mutatio facta est, quæ scribi merito debeat. Neque tamen si quid ibi præter solitum accidisset, tam facile scire possemus, cum inde literæ non tam commode, uti antea ad nos perferantur. Nunciis enim, quos illuc misimus, non omnino libera est redeundi potestas, quorum nonnulli etiam publice detinentur. Dabo tamen operam, ut si quid ibi spei melioris affulserit, aut si res aliqua memorato digna contigerit, Illñam D. V. ejus quamprimum certiorem faciam. Et quamquam Angliæ Regina suis artibus proceres nostros ita sibi devinctos tenet, ut neque nobis, neque Principibus externis facile sit cum iis agere, ac de regni statu aut religionis negotio communicare; omnem tamen non desino movere lapidem, ut eos per literas et quacunque alia ratione possum, ad sanitatem et Ecclesiæ Catholicæ communionem revocem, hortaborque sedulo, ut hæreticorum fraudibus detectis ad melioris doctrinæ lucem oculos convertant. Neque id fortasse incassum Deo propicio faciam. Spero enim finitis comitiis, quæ in xxv. hujus mensis diem indicta sunt, liberiorem fore cum nobilibus Scotiæ tractandi facultatem, nisi forte in longius aliquod tempus, ut aliquando fit, rejiciantur. Ego interim et publica Scotici regni negotia et privata mea, de quibus antea per literas cum Rña D. V. egi, quanta possum, animi contentione benignitati vestræ commendo; quam Deus Opt. Max. in rebus humanis ad Christiani populi utilitatem diutissime conservet. Parisiis 9. Maji 1579.

Addictiss. et obsequentiss. servus

Jo. Episcopus Rossensis.

CIV. — Omnino non est dubitandum, ingens rei catholicæ in Scotia detrimentum Comitis Atholii subitam mortem, quæ magnam habuit veneni suspicionem, attulisse. Erat is ex primaria Scotorum gente, fidei catholicæ quam maxime addictus, juveni Regi gratissimus, qui eum veluti parentem intimo amoris sensu prosequebatur et colebat, ex quo fiebat, ut magnæ esset auctoritatis et apud Regem et apud regni proceres, qui quamquam Calvinianæ sectæ adscripti essent, per ipsum eo adducebantur, ut erga Catholicos faciliori essent voluntate. Verum illud optimo viro perincommodum accidit, ut æmulum et obtrectatorem sui Mortonium illum acerrimum Catholicorum insectatorem haberet. Rossensis Episcopus illius gratiæ confisus in spem venerat, facultatem sibi mox datum iri in patriam redeundi et Regis et principum virorum animos avitæ fidei magis magisque conciliandi. Hanc suam spem interceptam esse Mortonii scelere et perfidia Cardinali Comensi scribit: cui simul religiosissimi viri acerbam mortem refert: Mortonii vero in Hamiltonios aliosque Catholicos Scotiæ proceres crudelitatem acriter perstringit. [*]

[*] Gallia Vol. 14. fol. 270.

Illño et Rño Domino D. Cardinali Comensi, Domino meo Observandissimo.

Illñe et Rñe Domine.

« Accepi literas Illñæ D. V., quibus de comitiorum, quæ in Scotia mense Aprili habita sunt, successu certiorem se fieri velle ostendit, quod ea res non parvam Sño D. Nostro religionis in Scotia restituendæ spem fecerit. Omnes profecto boni optima quæque sibi ex illo nobilitatis conventu pollicebantur: nam Illñus Atholiæ Comes signum veluti quoddam iis qui bene sentiunt, ad bene de Republica sperandum sustulerat; tanta erat apud adolescentem Principem authoritate, ut loco parentis coleretur; Regem præcipuosque regni proceres, imo et nonnullos Calvinianæ sectæ ministros in eam

sententiam adduxerat, ut citra periculum possem in patriam apud illum divertere: hac tamen lege, ne quam religionis causa controversiam moverem, sed cum aliis Reipublicæ administrationi consiliis interessem. In quo sane non parum momenti situm erat, neque enim difficile fuisset temporis progressu religionis causam paulatim, et veluti aliud agendo promovere. Et ne quid nobis deesse videretur, ita mihi Principis animum conciliaverat, ut quæcunque in profectione Germanica ex nationis Scoticæ commodo et honore gessi, non gravate acciperet; quin potius de iis libenter verba fieri audiret; historiamque nostram atque alia, quæ in lucem emisimus, desiderare videretur. Quorum exemplaria nunc ad ipsum mittam per D. de Aubigni nobilem Gallum Regii Scotorum sanguinis, religionis Catholicæ imprimis studiosum, qui Regis adolescentis literis evocatus profectionem in Scotiam adornat. Hæc omnia partim ex Illm̃i Comitis Atholii uxoris literis, partim aliunde cognovi. Sed tantam rei bene gerendæ opportunitatem Mortonii perfidia nobis eripuit; cujus insidiis (ut certa omnium et constans opinio est) Atholius appetitus, veneno periit, maximo sui desiderio bonis omnibus relicto. Nam et Ecclesiæ Sacramenta omnia insigni pietatis exemplo ante mortem percepit; testamentoque prudentissime condito res suas constituit, literisque secreto ad Regem adolescentem scriptis, qua ratione se in posterum gerere atque inimicorum insidiis declinare, quosque in consilium adhibere deberet, admonuit. Post ejus obitum res in Scotia vergere in deterius videntur. Mortonius enim intolerabilis est, tyrannidem crudelissimam exercet; antiquissimam Hamiltoniorum familiam, quibus post Serenissimam Scotorum Reginam Mariam, filiumque ejus Principem adolescentem regni successio debetur, proscripsit. Castella eorum omnia detinet, plerosque occidit, quosdam in vincula conjecit, in his Comitem Arranium, mentis quidem impotem, familiæ tamen caput. Duobus Comitis fratribus, Joanni Arbrothiæ Commendatario, qui temporibus felicis memoriæ Pii Quarti Romæ fuit, et Claudio Pasleti etiam Commendatario, Catholicorum fautoribus, multisque aliis, qui saluti suæ fuga consuluerunt, aqua et igni interdixit, eosque tanquam parricidas, Regentis scilicet Scotiæ interfectores, crudelissimo edicto Regis nomine promulgato, læsæ Majestatis crimine damnavit. Atholii parentibus, ne de ejus injusta nece conqueri, aut questionem in authores movere possint, silentium est impositum. Quæ injuriarum atrocitas cum nobilibus generosisque animis alte insideat, rerum fortasse in melius mutationi occasionem ministrabit. Neque enim Hamiltonii aut Atholii parentes tam indigna impune patientur, sed armis quando alia ratione non possunt, jus suum tuebuntur. Post Hamiltonios etiam in Gordonios, eorum consaguineos et affines sevire constituit Mortonius, quorum Princeps Huntlæus Comes octodecim annorum adolescens, præclare indolis atque in religione Christiana optime educatus, obtenta prius Atholii, dum viveret, interventu licentia, Parisios nunc venit. Eum uti Joam aliquem Athaliæ crudelitati subtractum, ad meliora reservabimus, ut aliquando cultum Dei in Scotia restituat. Qui superiorum bellorum civilium participes fuerunt, non immerito verentur, ne pax inter ipsos et Mortonium inita infringatur. Mortonius, ne qui forte periculi metu fuga sibi consulant, curavit literas quasdam nomine Regis adolescentis publicari, dolis certe et fraudibus refertissimas, quæ animum crudelem atque Hamiltoniorum odio inflammatum satis declarant.

« Earum exemplar cum his mitto. Ego interim non desinam omnem movere lapidem, ut dispiciam, qua ratione Mortonii conatibus obviam iri possit, Principisque nostri adolescentis salutem conservari, qui certe in magno periculo versatur, ne aut Anglis dedatur, aut Mortonii insidiis e medio tollatur. Et quamvis spes nostra diminuta sit, non tamen omnino sublata. Supersunt plurimi boni, qui conjunctis cum Hamiltoniis, Atholiis, Gordoniisque viribus Mortonii tyrannidem evertere poterunt. Nam Atholii optimi patris optimus filius octodecim annorum adolescens, uti opum, ita pietatis virtutisque paternæ hæres, de injustissima parentis nece apud omnes Scotiæ ordines conqueritur; proceres nobilesque viros et quoscunque potest, sollicitat, atque ideo ducem se ad Mortonio resistendum præbere incipit, et nisi Mortonius externis, ut solet, auxiliis se muniat, ejus conatus facile concident. De propenso Sanctissimi Dñi N. atque Illustrissimæ Dominationis V. in me animo mihi gratulor, gratiasque ago quam maximas possim, efficiamque in Dei cultu pro virili promovendo, ne indignus ea benevolentia videar. Sed ad difficultates quod attinet, nulla tanta esse videtur, quin Sanctitatis Suæ munificentia et authoritate tolli possit. Et profecto si unquam, maxime nunc expedit, ut negotium promoveatur. Quod si, ut spero, fiat, Reipublicæ Christianæ plus quam mihi utilitatis accedet. Interim quicquid Sanctitati Suæ de ea re visum fuerit, in ejus voluntate conquiescam. Dedit ad me literas Serenissima Scotorum Regina 20. Maji scriptas, quibus significat, se prospera esse valetudine, summamque voluptatem accepisse de iis omnibus, quæ a me tum in Italia tum in Germania acta sunt, cavereque hortatur, ne Oratoris Anglici et aliorum, qui hic speculatorum officio funguntur, oculis expositus animos satis alioqui suspicaces ad deteriora cogitandum movere videar. Quod non tam com-

mode fieri posse, quam si in litore maris hærerem, uti antea ad Illm̃am D.V. scripsi, prospicio. Deus Opt. Max. Illm̃æ D. V. votis aspiret. Coloniæ sunt duo nostræ nationis monasteria, quæ a Germanis occupantur, sed quoniam ibi nunc celebrantur Principum Imperii comitia, commodum videtur ejus rei memoriam refricari. Itaque rogo, ut Illm̃a D. V. aliquot Brevia a Sm̃o D. N. impetret, ea forma, qua priora scripta sunt, ut possint ad Archiepiscopos, qui illic sunt, una cum literis commendatoriis ad Rm̃um Rossanum Episcopum mitti. Deus Opt. Max. Illm̃æ D. V. votis aspiret. Parisiis 20. Junii 1579.

Illm̃æ et Rm̃æ D. V.

Addictiss. et obsequentiss. servus
Jo. Episcopus Rossensis.

Altræ ad eumdem litteræ plura continent de Mortonii perfidia, de funere Atholii, in quo ejus parentes opportunitatem videbantur nacti, adolescentem Principem ab Mortonii insidiis eripiendi. (*)

(*) Gallia Vol. 14 fol. 312.

Illm̃e et Rm̃e Domine.

« Tanta est Illustrissimæ Dominationis Vestræ in gentem nostram benevolentia, ut non minore studio, quæ in Scotia quotidie geruntur, legat, quam a me perscribuntur. Quo fit, ut non desinam ego eam de omnibus, quæ illic accidunt, assidue certiorem facere, ac veluti perpetuam Scoticæ historiæ seriem literis meis texere. Jacobus Balfour, cujus superioribus meis literis mentionem feci, ex Scotia in Belgium rediit. Humanissime exceptus fuit a Principe Orangiæ in cognati gratiam, qui Scotorum Principi militantium ductor (coronellum vulgo vocant) strenuam in re militari operam navat. Is conspirationis illius et cædis, quæ in Henricum Principis nostri patrem perpetrata est, conscium se fuisse fatetur, Mortonium tamen uti præcipuum sceleris authorem accusat. Dumbretoniæ arcis præfectus nobilem quemdam virum opem tum a Gallorum Rege, tum a Reginæ Scotorum parentibus et ministris petitum misit, quod eum Mortonius minis et terroribus, atque agrorum populatione ad deditionem compellere conetur. Sperabamus ex hac arce Principem nostrum adolescentem in Galliam traduci. Quam spem non adhuc omnino abjecit præfectus. Princeps enim, etsi adolescentulus nondum maturæ ætatis, facile non immerito animadvertit, sibi a Mortonii et aliorum, qui ejus partes sequuntur, insidiis timendum esse, ob idque ex eorum manibus elabi desiderat. Atholii parentes ad quinque hominum millia, obtenta a Rege licentia, defuncto Comiti justa persoluturi funus per Strivilingum, Edimburgum usque ducere meditantur, ut ibidem corpus humo, ex qua desumptum est, restituant. Et ne quis id otiose ab ipsis fieri putet, hoc secrete agunt, ut Principem, qui plerumque in agris voluptatis et venationis causa versatur, stratagemate aliquo interceptum Mortonii crudelitati eripiant. Invaluit enim in Anglia rumor, conatus Mortonii eo spectare, ut quemadmodum sæpius promisit, Principem suum in Anglorum Reginæ potestatem redigat, quod sane illa avidissime expectat. Serenissima Regina mea secretarium suum Nau dictum, natione Gallum, ad Principem filium cum literis et muneribus miserat, statimque ab ejus profectione ad me atque ad alios scripserat, se solatii nonihil a filio sperare, cujus me, qui adversorum omnium comes fui, participem faceret. Quæ spes eam multum fefellit. Etenim cum Strivilingum nuntius appulisset, etiamsi proficiscendi facultatem a Regina Angliæ obtinuisset, ejusque literas illius rei testes ostenderet, quia tamen Princeps noster in literarum, quas mater ad ipsum mittebat, superscriptione non Rex, sed Princeps nominabatur, repulsum passus est, reque infecta redire compulsus, ut nec Reginæ matris literas, nec magni pretii munera Principi offerre potuerit. D. Hamiltonius, de quo ante scripsi, ab oratore nostro ad Gallorum Regem introductus humanissime exceptus est. Reverendissimo Domino Nuncio Apostolico, Hispaniæque oratori eam animi sui significationem dedit, ut nobis omnibus signum aliquod ad bene de se sperandum sustulisse videatur. Quod ego Illm̃æ Dominationi V. pro suo in gentem nostram candore gratissimum esse non dubito. Cujus votis ut Deus Optimus Maximus clementer aspiret, etiam atque etiam opto. Parisiis 19. Julii 1579.

Illm̃æ Dominationis Vestræ

Addictissimus servus
Joannes Episcopus Rossensis.

CV. — Magni sane momenti sunt, quæ hic solertissimus Præsul ad eumdem Cardinalem Comensem de perturbatissimis Scotiæ rebus scripsit. (*)

(*) Gallia Vol. 14. fol. 319.

Illm̃e ac Rm̃e Domine.

« Quas ad me Illm̃a Dominatio Vestra xv. Junii literas dedit, postquam mihi redditæ sunt, statim cum D. D'Aubigny in colloquium veni, qui jam Christianissimo Regi valedixit, summamque ejus benevolentiam expertus, intra paucissimos dies iter arripiet. Is profectionem suam Sanctissimo Domino Nostro probari plurimum gaudet, polliceturque operam se daturum, ut secrete monendo, paulatimque sanas in juvenile pectus opiniones instillando, Principem nostrum ab erroribus, quos ab impiis præceptoribus hausit, ad Catholicam fidem revocet. Sed ne quid, quo sacrum hoc negotium promoveri possit, intentatum relinquerem, rursus adii Christianissimum Regem, qui ut alia omittam, rem hanc D. D'Aubigny per me et alios no-

biles viros ad eum missos serio commendavit. Inde effectum est, ut D. D'Aubigny Sanctissimi Domini Nostri Nuncium me deducente conveniret; apud quem eadem quæ antea nobis promiserat, se nimirum omnes suas cogitationes, consilium, industriam in rem tam piam impensurum professus est. Singulos prætcrea, qui cum illo profecturi sunt, et imprimis Magistrum Henricum Keyr Serenissimæ Reginæ meæ Secretarium, virum sane prudentem et bonum, Christianæque pietati addictissimum, sedulo hortatus sum, ut crebris apud ipsum sermonibus suscepti muneris memoriam renovent. Cæterum existimo ego, efficacissimis atque assiduis Sanctissimi Domini Nostri precibus, optatum atque felicem his conatibus successum ab Immortali Deo impetrari posse. Quis enim dubitat ejus orationes et sacrificia superis esse acceptissima, qui summus in terris Sacerdos Christi vice fungitur, Ecclesiam toto terrarum orbe diffusam summa integritate atque innocentia moderatur? Sed nunc quod superest, historiæ nostræ licet tragicæ paucis persequar. Scripsi xxiv. Junii de gravissima Hamiltoniorum calamitate, quos Mortonius et ejusdem factionis homines prosequuntur. Appulit ante tres dies in hanc urbem D. Joannes Hamiltonius Commendatarius de Arbroth Principum nostrorum facile primus, qui Romæ Pii Quarti bonæ memoriæ temporibus fuit. Is filiorum Castri Heraldi Ducis natu secundus et Hamiltoniorum gentis caput (primogenitus enim Araniæ Comes mente captus est), religionis Catholicæ causam, si quando Deus illi opem ferat, multum adjuvare poterit. Optima spes inde affulget, quod nunquam se vehementem aut pertinacem Hæreticorum fautorem præbuerit: mihi nunc mentem suam plane aperuit, non obscure præ se fert, velle piorum et doctorum hominum consiliis uti, mihique et aliis Catholicis abunde satisfacere. Si quid (quod omen Deus avertat) Serenissimæ Reginæ, aut ejus filio humanitus accideret, proximus ipsi ad Regni successionem locus debetur. Ipse uno tantum itineris duce Anglo comitatus, peragrato secrete Angliæ Regno, in Galliam transivit; excipitur hospitio ab Oratore nostro Glasguensi Archiepiscopo hic Parisiis, omni alioqui præsidio destitutus. Oratori nostro et mihi consultissimum videtur, ut Sñus Dominus Noster eum Christianissimo Gallorum Regi commendet, qui etsi propenso in hominem animo sit, poterit tamen Sanctitatis Suæ authoritate ad opem ferendam magis incitari. Indeque eveniet, ut a Rege adjutus Sanctitati Suæ oneri non sit. Poterit Sanctitatis Suæ Breve vel ad Nuncium Apostolicum, vel ad Oratorem nostrum, vel ad me mitti; quam rem ut Illustrissima Dominatio Vestra curæ habeat, et Sanctissimo Domino Nostro proponat, etiam atque etiam rogo. Speramus enim, isto Joanne Hamiltonio et fratre ipsius Claudio religionis Catholicæ studioso, nec non Huntlæo Comite, qui eximiæ spei adolescens Aureliis agit, ducibus, veram pietatem aliquando in Scotia restitutum iri. Indictus est in Scotia conventus (Parlamentum vulgo vocant) ad 15. Novembris, in quo de Regis pubertate confirmanda, et curatoribus eligendis Hamiltoniorum quoque et aliorum proscriptione agetur. Interea nobiles cum Mortonio parum convenire, imo graves inimicitias nonnulli palam exercere dicuntur. Nam Jacobus quidam Balfour, nobilis eques, Mortonium coram adolescente Rege indignissimæ illius cædis quondam in Henricum Regis ipsius patrem perpetratæ reum agit, uti primum atrocissimi facinoris authorem. Quam ob rem Mortonius minus libere aulam Regiam frequentat; sed sibi metuens domi desidet. Rex decreta in Comitiis libertatu frui incipit, venationi aliisque honestis exercitiis etiam extra Castrum Strivilingense in vicinis nemoribus septis et agris sæpius operam impendit, ulterius paulatim progressurus. Deus Optimus Maximus piis Dominationis Vestræ votis aspiret. Parisiis 8. Julii 1579.

Illñæ et Rñæ Dominationis Vtæ

Addictissimus servus

Joannes Episcopus Rossensis.

En ipsius alteras haud minoris momenti litteras. [*]

[*] Gallia Vol 14. fol. 398.

Illño et Rño Domino D. Cardinali Comensi, Domino meo Observandissimo.

Illñe et Rñe Domine.

« Literis quas Sanctissimus D. N. ad Rñum Nuncium D. Joannis Hamiltonii causa dedit, redditis, accepi etiam, quas ad me Illña Dominatio Vestra scripsit. D. Hamiltonius tam Sanctitati Suæ, quam Illñæ Dominationi Vestræ plurimas et quam humilimas agit gratias. Rñus Nuncius officium suum apud Regem egregie præstitit. Dederunt ad me hisce diebus literas Illñus Atholiæ Comes defuncti filius, materque vidua, mulier profecto pietatis et prudentiæ laude percelebris, quas ad Setonium misi, ut Illñæ Dominationi Vestræ earum copiam faciat. In iis aperte indignam optimi et clarissimi Comitis necem deplorant, summamque erga me (utpote quem defunctus inter præcipuos amicos adscribi jusserat) benevolentiam ostendunt. In aliis porro literis, quæ occultiore, nec omnibus noto charactere scriptæ sunt, protestantur velle se mecum in omnibus, quæ ad illos scripsi consilium sequi, maxime in Catholicæ religionis et Serenissimæ Reginæ causa promovenda, Principisque adolescentis libertate asserenda. Sibi præterea constitutum esse, debitas necati Comitis pœnas jure, aut si id non detur, armis a Mortonio aliisque ejusdem factionis hominibus exigere: neque vero de illarum rerum,

quas animo conceperunt, felici successu desperant, cum Rex ipse adolescens in ipsorum partes omnino propendeat. Appulit huc D. Jacobus Balfour nobilis Baro, et regni nostri Senator prudentissimus, cujus antea mentionem feci, qui olim et Atholio et Mortonio familiaris, eorumque inimicitias sæpius componere aggressus, multorum utriusque consiliorum particeps fuit, nunc vero Mortonii tyrannidem declinans exilio, ut asserit, solum vertit. Is eadem quæ ab Atholio et prudentissima ipsius matre scribuntur, eorum nomine affirmat, quos paulo antequam navem conscenderet, est allocutus; remque omnem facili negotio confici posse, modo auxilium præsto esset ad repellendas Elizabethæ copias. Id ipse jam sæpius Regis Hispaniarum Oratori communicavit. Ego vero etsi homini consensum præbere videor, non tamen Sanctitatem Suam prius interpellandam esse putavi, quam tentatis primorum regni nostri animis, illi, qui possint et velint causam hanc suscipere, voluntatis suæ significationem scripto dederint; quod Balfour ab illis se impetraturum promittit. Ego interim illum bona spe foveo: nam etsi nondum sit Catholicus, tamen necessitate compulsus videtur partes nostras esse secuturus. Dum in Scotia esset, erat inter omnes Consiliarios ingenii et judicii acrimonia conspicuus, quanquam modo his, modo aliis privati sui commodi causa in his postremis tumultibus favere videretur. Setonii nostri pater adeo his Scotiæ perturbationibus distrahitur Claudii Hamiltonii generi sui causa, quem nunc Mortonius proscriptione atque omni injuriarum genere prosequitur, ut filii necessitatibus nullo modo subvenire possit. Quapropter ego illum Illmæ Dominationi Vestræ etiam atque etiam commendo, neque enim annua illa pensio, quam a Sanctissimo Domino Nostro habet, ad ea quæ ipsi necessaria sunt comparanda, sufficere potest. Deus Optimus Maximus Illmam Dominationem Vestram orbi Christiano diutissime servet incolumem. Parisiis 17. Augusti anno 1579.

Illmæ et Rmæ Dominationis Vræ
Obsequio deditissimus
JOANNES EPISCOPUS ROSSENSIS.

« Quamquam non soleam Illmam Dominationem Vestram de aliis, quam de Scotiæ nostræ rebus certiorem facere, quia tamen appulit huc ex Anglia quidam Serenissimæ Principis meæ Scotorum Reginæ Consiliarius, non possum non ea, quæ partim ab ipso, partim aliorum literis didici, ad eam rescribere. Postquam Jacobus Fizmoris cum Hispano milite in Hiberniam appulit, in Angliæ aula multum trepidatum est, Elizabetha omnesque qui ipsi a consiliis sunt, magno metu perculsi, miles in Anglia, qui Hispanorum impetum reprimat, conscribitur, classisque comparatur. Andegavensis Dux Christianissimi Regis frater nondum in Angliam trajecit, sed adhuc in continenti hæret, et modo Boloniæ Gallorum modo, Coleti aliisque locis maritimis agit. Quæ sit differendi conjugi causa, incertum est, nonnulli eam Hispanorum adventui, alii vero variis Consiliariorum Elizabethæ sententiis adscribunt. Etenim cum sexdecim numero sint, septem ex illis qui Reginæ charissimi sunt, contra matrimonium suffragia tulere, eamque adhuc vehementer a nuptiis deterrent. Reliqui novem, ut Ducem Andegavensem maritum assumat, adlaborant, non tam Ducis promovendi studio, quam invidia moti, ut nimirum alios, qui contrarium sentiunt, dignitate dejiciant. Si de nuptiis conveniat, conjiciunt omnes non fore diuturnas propter Consiliariorum dissentionem, sin minus, hostes in se Elizabetha Galliæ Regem fratremque Regis in suam Regnique perniciem commovebit. Consiliariorum nomina, qui suadent aut dissuadent, ex Setonio nostro Illma Dominatio Vestra (si velit) cognoscet. Interim benevaleat Illma Dominatio Vestra.

Illmæ Dominationis Vestræ servus
JOANNES EPISCOPUS ROSSENSIS.

CVI. — Galliarum Rex, cui non minoris curæ erant civiles, quam Religionis in Scotia res, tantum Præsulem admiratus, qui eo animi pollebat robore, ut non sine vitæ discrimine pro avita fide apud suos instauranda laboraret, inter carissimos habuit, cumque Pontifici quam maxime commendavit. [*] Cujus ad laudem in id consilii rescriptum est, quod una cum Archiepiscopo Glasguensi de Scotorum Seminario in Parisiensi Academia hoc anno instituenda inierint. En amborum illustrium Præsulum consilium, quod Romano Pontifici de ea re explicaverunt. [*]

[*] Mentione document. N. 21.

[*] Gallia Vol 11. fol. 330.

«Rationes quæ Rmos Dominos Archiepiscopum Glasguensem, Sermæ Scotorum Reginæ apud Regem Christianissimum Legatum, et Episcopum Rossensem induxerunt, ut de Scotorum in Academia Parisiensi Seminario instituendo cogitarent.

« Cum animadverterent Sacerdotum in Scotia numerum in dies minui, neminemque esse, qui in demortuorum locum succedat, cogitarunt Seminarii beneficio huic tanto malo occurri facile posse, cum præsertim non pauci sint adolescentes Scoti illustri ingenio et doctrina non vulgari, qui afflictæ Scotorum Ecclesiæ pro viribus subsidium ferre cupiunt: verum cum necessariis ad studia persequenda commoditatibus destituantur, de proposita sententia magno animi sui dolore inviti depelluntur.

« Verentur præterea, ne ubi Scotorum Princeps, cum puer pravis hæreticorum opinionibus imbuatur, adoleverit, difficilior sit ad Catholicam in Scotia religionem restituendam, quam in præsens futurus aditus; quæ causa fuit, ut

susceptum de Seminario instituendo consilium minime procrastinandum judicarint.

« Cum vero diu multumque, qua ratione Seminarii alumni sustentari possent, (quæ res sola a tam pio proposito eos deterrere poterat) deliberassent, tandem et huic incommodo his rationibus occurri posse judicarunt.

« Serfña Scotorum Regina trecentos nummos aureos Scotis, qui in Galliarum regno litteris operam navant, in annos singulos largitur, quam summam, ubi Seminarii quanta sit necessitas, et quam uberes inde sperari possunt utilitatis fructus, a Rm̃is Dominis didicerit, auctam, ut sperant, in Seminarii usus lubenter convertet.

« Præterea Seminarii fundamentum ab Episcopo Moraviensi, qui octoginta nummos aureos Scotis in doctrinæ studia in Academia Parisiensi incumbentibus testamento reliquit, jampridem jactum est. Cum vero summæ hujus dispensatio Rm̃o Episcopo Rossensi ex officio incumbat, eam ad Seminarii egestatem sustentandam addicet.

« Deinde non solum duo Rm̃i Domini, sed et alii Scoti, qui summo studio afflictæ patriæ opem et auxilium ferre conantur, ex suis angustiis ad Seminarii tenuitatem sustentandam aliquid largientur.

« Denique Sanctissimum Dominum nostrum, cum cæteris nationibus tam liberaliter prospexerit, Scotos, qui mille trecentos et amplius annos in Ecclesiæ Catholicæ obedientia constanter permanserunt, pro suo in Christi Ecclesiam paterno amore non omnino rejecturum certo sibi persuaserunt. Si vero (quod avertat Deus) de Sm̃i Domini nostri liberalitate spes eos frustrata fuerit, inanem se laborem sumpsisse magno Scotorum incommodo tandem sentient, cum sine liberalitatis ipsius subsidio institutum jam Seminarium nulla ratione subsistere possit.

« Ne passim omnes in Seminarii numerum cooptentur, judicarunt ad triginta numero esse admittendos, qui ingenio et morum probitate præstantes, Philosophiæ curriculum absolvissent, sic ut triennii spacio se in idoneos Ecclesiæ Catholicæ ministros evasuros spem darent.

« Cum vero Seminarii alumnis Ecclesiam Catholicam ab hæreticorum injuriis vindicare propositum esse debeat, non modo in Theologiæ studio diligenter erudientur, ac in primis in iis, quæ ab hæreticis in controversiam vocantur, et quæ ad christiani hominis mores informandos pertinent, sed et græcæ ac hebraicæ linguæ si non perfectam, aliquam certe cognitionem consequi contendent.

« Ordinarias in Collegio Claremontano Societatis Jesu lectiones audient; quotidie domesticis lectionum suarum repetitionibus intererunt, in hebdomadas singulas privatas disputationes instituent; cætera vero quæ ad domesticam disciplinam spectant, ex Anglorum Seminariis Reverendissimorum Dominorum judicio sumi poterunt.

CVII. — Quanti Pontifex hunc Præsulem Rossensem faceret, demonstrant litteræ, quibus consilium ejus exquirit, qui et quibus Ecclesiis in Hibernia potissimum præficiendi sint Episcopi. [*] [*) Reg. Gregorii XIII. An. VII ep. 226 f. 174]

Venerabili Fratri Episcopo Ecclesiæ Rossensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Tua pietas et zelus Nobis perspectissimus facit, ut libenter communicemus Fraternitati Tuæ ea consilia, quæ ad Christi gloriam, atque ad salutem animarum pertinere intelligimus, inque iis tuam operam postulemus; nihil enim est, in quo majore cum fructu versari possimus. Inter multas autem et quotidianas nostras sollicitudines non minima est ea, quæ de istius Regni Ecclesiis angimur, in quibus scis multas esse, quæ propter populorum probitatem et in sancta Religione colenda synceritatem non gravate optimos pastores acciperent tuerenturque. Verum ut Ecclesiarum ipsarum necessitas perspicua est, sic præficiendorum voluntas obscurissima; nec quidquam difficilius, quam de cujusque virtute et viribus vere existimare. Cupimus igitur tua opera adjuvari atque ex te cognoscere, ecquos putes præstare doctrina, scientia, pietate, cæterisque virtutibus cui Ecclesiæ præfici convenire. Mittimus etiam eorum nomina, de quibus aliquid accipere potuimus. Rescribes tum de his, tum de aliis, qui Tuæ Fraternitati in mentem venerint, sive isto in Regno fuerint, sive alibi, inquiresque quam diligentissime de iis capitibus, quæ cum his litteris mittimus: Nosque omnibus de rebus certiores facies, sententiamque tuam libere expones. Non dubitamus, te in hoc negocio eundem futurum, quem scimus esse in Episcopatu administrando, et Christi causa in multis maximisque difficultatibus tuenda. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quarta Aprilis MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno septimo.

CVIII. — Qui anno superiori ad Maronitas Montis Libani instaurandæ ecclesiasticæ disciplinæ causa, et ad earum gentium cum S. Romana Ecclesia conjunctionem magis magisque confirmandam a Pontifice missi fuerant, eximii viri Thomas Ragius et Baptista Elianus e Societate Jesu, ineunte verno tempore hujus anni, rebus ex sententia confectis, de illarum rerum statu Pontifici relaturi, ab eoque majora præsidia impetraturi in Italiam redierunt, secum Biblia Arabica advexerunt, et duos ejus gentis adolescentes, qui primi Romanæ Ecclesiæ doctrinis et institutis informarentur. Quam opta-

ta jucundaque hæc Romani Pontificis legatio religiosissimo Patriarchæ acciderit; quanto porro cum rei catholicæ fructu, qui missi fuerunt Legati, adlaboraverint, ejusdem ad Pontificem litteræ datæ mirum in modum aperiunt. [*]

[*] Armar. VII caps. 2. N. 10.

Perveniat utinam ad Sanctitatem Domini Papæ Gregorii Tertiidecimi in Urbem maximam Romam fideliter missa.

Petrus Maronitarum Patriarcha.

« Terram deosculabitur in obedientia debita, et in laudibus pluriois: et tunc prosternetur cum persona delinquenti sub plantis pedum mundorum, splendidorum, gloriosorum, justorum, optimorum, liberorum ab omni turpitudine, sorde et delicto, ambolantium in operibus placitis, continentium scientias spirituales, perseverantium in præceptis evangelicis, indicantium sacramenta divina, destinatorum ex parte Domini in gradu Papali, sedentium in cathedra Petri. Pater noster, et Dominus noster, et gubernator vitæ nostræ est Pater sanctissimus Papa Gregorius XIII. cum sua congregatione optima fratrum nostrorum Cardinalium, nobis charissimorum sociorum in servitio Patris sanctissimi sedentis supra sedem Petri, Christi Vicarii; concedat nobis Deus eorum benedictionem et misereatur nobis in exauditione eorum orationum Amen.

« Et præterea sciat Sanctitas Tua me Deum altissimum laudare, et ei psallere propter visitationem Sanctitatis Tuæ erga nos cum missione Nunciorum tuorum, et petimus a Deo, ut præsentia eorum non sit vana et sine fructu; quoniam duxerunt nos ad res plurimas, quas ignorabamus, et aperuerunt oculos nostros eorum bono itinere et eorum doctrina utili, et si ipsi apud nos remansissent, plusquam remanserunt, majori utilitati fuissent nobis. Et nobis et ipsis spes erat amplius propterea permanendi, sicuti instanter postulavi a Sanctitate Tua ante eorum missionem, ut permanerent apud nos, præsertim pater reverendus presbyter Baptista; sed ideo non consensimus eorum permansioni propter pestem, quæ apparuit in terris Aegipti et circuitu, et veremur ne ad istas regiones cito perveniat, ut mos est. Et indicium istius sunt morbilli, qui jam apparuerunt in regionibus nostris: quocirca meliorem vidimus eorum discessionem a nobis, ne eos amittamus cum damno nostro, et cum tædio Sanctitatis Tuæ. Et hac de causa non potuimus congregare concilium: sed confidimus in præsentia patris presbyteri Baptistæ præfati, qui scit linguam nostram, et legit libros nostros arabicos et gersonicos; est enim zelo præditus, et dilectus in ista diœcesi, in qua versatus est. Et veluti Sanctitas Tua benefecit nobis in eorum missione ad nos, ut comprobarentur status nostri et voluntas nostra, sic etiam existimamus Sanctitati Tuæ placuisse eorum permansionem apud nos, sicuti a Bonitate Tua et Sanctitate Tua petivimus, et ita speramus eos redituros ad nos secundo, ut compleant res multas ab eis inceptas. Obsecro, ut Sanctitas Tua beneficiat usque ad perfectionem, quemadmodum Deus, cui laus, benefecit sapienti Salomoni, qui petiit a Deo non bona, non divitias, neque inimicorum vindictam, sed sapientiam, qua provideret et gubernaret ejus populum. Ita cum missione ad nos patris presbyteri prædicti existimo, ejus intercessione me impetraturum a Sanctitate Tua, quid expto ad gubernandam diœcesim nostram in Dei semita et Ecclesiæ sanctæ. Postquam vero pervenerunt Nuncii vestri et Nuncii nostri, et post missionem quatuor epistolarum ad Sanctitatem Tuam, et charissimum nostrum Cardinalem Caraffam, neque habuimus responsum, et veremur, ne aliquis scripserit contra nos aliquid frustra absque veritate, et ideo etiam voluimus, ut redeant patres Nuncii vestri, ut nostri rationem reddant, ut præsertim pater presbyter Baptista; est enim versatus nobiscum, et cum Archiepiscopis et Episcopis et aliis. Et propter veritatis et justitiæ confirmationem volui subscriptiones fieri testium, et testificationis ab Archiepiscopis, Episcopis et aliis in actionibus nostris, quas perfecimus, et perficiemus; et cum ex ore duorum vel trium stet omne verbum, ita ex ore talis vel talis Archiepiscopi vel Episcopi et aliorum infrascriptorum in fine testificationis libere veritas elicietur. Et parte ex altera non mirum est, si dubitetur in puritate voluntatis nostræ, scio enim Patriarchas, prædecessores, et me etiam defuisse in aliquo, quod nobis Papæ antecessores in libris et epistolis eorum præceperunt. Et hoc evenit ex plurimis persecutionibus, in quibus versamur propter imperium gentis tirannicæ nobis dominantis; non enim aliquis remansit, qui seipsum liberare posset ex copia captivitatis et deprædationis et ruinæ, et occisionis et aliorum, quæ fiunt in nostris regionibus a gente tirannica. Deus, cui laus, nobis auxilietur, et nos liberet orationibus tuis Amen. Secundo non perceperamus perfecte præcepta vestra et libros vestros, sicut nunc percepimus a Nunciis vestris ore et literis, et hoc est clarum et publicum, et ideo, ubi intellexerim mandatum Sanctitatis Tuæ, illud accepi et obedientiam præstiti in quacumque re, et ita semper faciam Deo præstante: et ut manifestaretur hoc mandatum, statim io ejus præsentatione circumeundo unam partem et Archiepiscopus aliam publicavimus, et declaravimus quicquid Sanctitas Tua mandavit, et ob hanc causam non interfui semper cum Nunciis vestris, sed frater meus, qui est meus Vicarius, semper cum eis erat, et quicquid fecerit, illud approbavi, estque confirmatum penes me, et quæ publicavimus, in aliqui-

bus locis cœperunt illa exequi, nam diœcesis nostra est ampla, continetque circa ducentas villas; literas, ut certiores fierent, dedimus. Ritus enim gentis nostræ sunt antiqui et vetustissimi, nec sufficit, homines literis certiores facere, sed opus est omnino eos visitare, et ad eos progredi: hac de causa nos cogit necessitas ipsius patris Baptistæ habere præsentiam ad declarationem cujuscumque rei, et ad visitationem diœcesis mecum, vel cum alio. Et jam misissemus pueros, sed veriti sumus a contrariis nobis et Ecclesiæ sanctæ: quoniam nisi Nuncii vestri iterum venerint ad nos, præcipitabunt nos et ipsos in malum. Sciat Sanctitas Tua contrarios esse Ecclesiæ veluti Jacobitas, et Græcos et alios. Et ubi advenerint ad nos Nuncii vestri secundo, mittemus pueros. Et instanter peto a Sanctitate Tua, ut mittas ad me confirmationem mei gradus, sum etenim hujus rei indignus, sed hoc erit ex misericordia et pietate tua, et ut complaceas subditis meis; et supplico a Sanctitate Tua responsum petitionum, quas misimus antea ad Sanctitatem Tuam. Ne succenseas nobis in instigationibus Sanctitati Tuæ, quoniam hoc effecimus ex plurimis desideriis, ut conveniamus cum Ecclesia Romana, et veremur litteras nostras ad vos non pervenire, scire fecimus hoc Sanctitati Tuæ, post pedum deosculationem secundo et tertio. Et laus Deo soli.

« Scripta est die vigesima quinta Februarii anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono ab Incarnatione Domini in Monasterio Canubino.

Idem Patriarcha ad Cardinalem Caraffam Maronitarum gentis protectorem scribit, sese in magna esse cupiditate iterum apud se habendi patrem Baptistam Eliannm, qui et arabice optime sciret et ab sua gente gratiam iniisset: eo adjutore sibi omnino opus esse ad ea perpetranda, quæ cum eodem cœpisset. [*]

[*] Armar. VII caps. 3, n. 10

« Pervenist, Deo altissimo volente, in manum fratris nostri charissimi Cardinalis Caraffæ, Romam.

Petrus Patriarcha Marunitarum.

« Multiplicatam salutem perfectam summn cum honore, incolumitate et optimis gratiis. Pax Spiritus Sancti charismatum dona tribuentis, quam donavit Dominus Christus discipulis ejus mundis, illamet pax sit propria præsentiæ nostri charissimi excellentissimi, qui est corona capitis nostri et pupilla oculorum nostrorum, commiserans nostræ infirmitati, Dominus bonorum operum et bonitatum erga nos Cardinalis Caraffa Protector noster, perpetuum faciat Deus altissimus reliquum ejus temporis Amen. Sciat præterea Fraternitas tua nos maxima lætitia et exultatione esse affectos, eo quod multum acquisivimus ex doctrina et documentis Nunciorum vestrorum ad nos ex parte fidei, et ordinationum Ecclesiæ sanctæ nobis ostensarum a Patre Sanctissimo Papa, et a Dominatione Fraternitatis tuæ, et volente Deo, et ejus auxilio cum vestra fœlicitate liberali, vim faciemus nobis ipsis et aliis totius nostri gregis, ut perficiamus quicquid nobis indicaverunt et ordinaverunt nobis patres Nuncii vestri præfati: et tamen accidit nobis molestia et negocium, quod quidem scit Dominus, cui laus, in nostra separatione ab eis, et discessione eorum a nobis, cum conjuncta fuerint eorum societate corda et spiritus nostri, et nostræ afflictiones et angores fuerunt plures quam in gentibus Ephesi, quando dolore affecti sunt ex discessione et separatione Apostoli Beati Pauli, saltem afflictiones nostræ eorum afflictioni comparatæ sunt, sed eorum afflictiones rei veritate majores fuere, quonism privabantur spe amplius ad eos redeundi Apostoli secunda vice; nos vero confidimus in Deo et in Charitate vestra ipsos ad nos citiusredituros, et præsertim patrem Rev. presbyterum Baptistam, ut compleamus et perficiamus quicquid ab eo fuerit incœptum, et ita consolamur affectus et voluntates nostras, et si hoc non fuerit cito, velociter renovabitur apud nos angor et cruciatus plures quam fuerunt apud gentes Ephesi prædictas. Et non fuit nostræ voluntatis eorum separatio ita velociter, sed vidimus res necessarias cogentes ad id, quas postea dicemus et eas postmodum scire faciat frater ex Nunciis præfatis. Et prima causa est, quia eorum superiores miserunt eis, ut cito Romam adessent; secundo ex causa pestis, quæ cœpit apparere in Aegypto et ejus circuitu, et mos est, quando fuerit in Aegypto, cito aderit in his regionibus, similiter indicium hujus sunt morbilli, qui apparuerunt in his regionibus, et gentes hodie expavescunt, et pestis consuetudo est incipere in peregrinis, in servis et Francis; tertio quia interim, si voluerit Dominatio Vestra, poterit pater presbyter Baptista operam navare impressionibus, sicut congruum et utile est saluti animarum hujus populi, et ideo vidimus meliorem eorum reditum, ne aliquid eis accidat, et privabimur eis nos et vos: non enim sunt contemnendi, præsertim pater presbyter Baptista præfatus, et confidimus prius in Deo, secundo in vestra Charitate ejus reditum cito ad nos fore; cæterum propter spem nostram si voluerit Dominatio vestra, ipse ejus missionem non recusabit, etiam si fuerit intervallum itineris periculosissimum et longissimum; est enim homo timens Deum et zelo plenus super Christi gregem; et existimes eum hac vice, sicut Nuncios Moysis vel exploratores, quos misit ad terram Miad, ut explorarent et viderent ejus status, ut ei dominarentur, sicut factum est. Et nos multum valde veremur, ne idem nobis accidat, quemadmodum illis, qui eorum vano ser-

mone populos gentium terræ Miad deterrebant; sed speramus, ut isti Nuncii vestri fuerint similes Josue filio Nun, et Caleb filio Jufinæ; significabunt enim et loquentur cum veritate de nobis et de subditis nostris, quod si volueritis, nos capietis et mancipetis. Comprobabitur hoc vobis præsentia cujuscumque, quem vos mittetis ad nos. Et nunc iterum insto apud Deum et Charitatem vestram, ut ad nos remittatis patrem Rev. presbyterum Baptistam, quia præter eum nemo est idoneus ad hoc negotium; scit etenim linguam nostram, legitque nostros libros arabicos et gersonicos, nec opus est nobis interprete inter nos, et præsentia ejus erit utilitati et servationi plurimarum animarum. Et causæ istæ, quas nunc assero, necessarium reditum ejus cito ad nos reddunt, si volueritis perficere beneficium vestrum et zelum erga Christi gregem: primo propter convocationem et congregationem Concilii: secundo ad visitationem Diœcesis post Concilium; tertio ad respondendum et replicandum in quacumque re dubium nobis erit; quarto ad correctionem et lectionem librorum: quinto ad necessitatem et perseverantiam cujuscumque prædicti, quandoquidem hic verbis nostris non obeditur, sicuti apud vos. Verum quando adesset apud nos Nuncius Charitatis vestræ, omnes nihil transgredientur, nec opus est replicare id tuæ Dominationi in tua diligentia, ut eum remittas. Confidimus enim et speramus vos efficere omnia, quæ petivimus, et amplius, quoniam cognovistis nos, priusquam certiores fuissetis de nostris statibus et voluntate nostra erga Ecclesiam sanctam: a principio enim erat spes nostra ad obedientiam, et nunc perficiemus omnia verbo et facto, et non ficto, et Deus testis est, et super me erit judex: et ubi factum non fuerit, sicuti est in nostra voluntate, et non ad nos miseritis patrem præfatum, vel aliquem similem prudentem, qui linguam nostram callet, et zelatorem, erit nobis causa, qua excusabimur coram Deo, cui laus, et Dominatio vestra respondebit in die Judicii: et non erit voluntas nostra nisi bona ex parte harum regionum. Et si venerit ad nos aliquis ex parte Charitatis vestræ, speramus fore patrem presbyterum Baptistam præfatum, cui non est timor, nec jurgium a quacumque persona, nec aliquid mali perveniet ad vestros Nuncios, nisi prius in nobis inundaverit, et præter id Dominationem tuam aliud non faciam scire, nisi quæ sunt in mea voluntate, et quidquid excepto, tibi significabit oretenus pater Baptista; ipse enim versatus nobiscum est, et scit status nostros. Et socium ejus presbyterum Thomam non vidimus nisi semel, et secundo, quando venit ad nos rediens a Damasco, et apud nos mansit diem unum. Certiorem te fecimus post benedictionem et salutem tibi plurimam. Et laus Deo soli.

« Scriptum est die vigesima quinta Februarii 1579. ab Incarnatione Domini in Monasterio Canubino.

Quam bene Pontificis Legatis fructus suorum laborum constiterit, patefaciunt hæ ad Pontificem et ad Cardinales datæ litteræ, in quibus Episcopi et cœtus Presbyterorum ejusdem Patriarchatus se ea, quæ mandata sunt a Romana Ecclesia, fideliter servaturos, et Romano Pontifici ejusque successoribus in perpetuum fore devinctissimos confirmant. [*]

[*] Arm. VII caps. 3. N. 8.

« In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Unius Dei. Amen.

« Nos omnes, quorum scriptura manuum nostrarum est subscripta in fine hujus testificationis, notum facimus coram Trinitate Sancta Patre, et Filio et Spiritu Sancto Deo nostro, et Maria Virgine Dei genitrice, et Angelis, et omnibus Sanctis, Sanctitati Patris Maximi Papæ Gregorii nomine tertii decimi, et omnibus Papis futuris successive usque ad finem sæculi, et charissimo nostro Cardinali Carafæ Protectori humilis nationis nostræ cum omnibus nostris Dominis Cardinalibus excellentissimis, una cum Universa Ecclesia sancta, et omnibus assistentibus huic testificationi, qualiter sub data mensis Junii anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo adfuit, in Cannbino Monasterio Dominæ nostræ Virginis in Monte Libano benedicto, apud Dominum Patriarcham Michaelem tenentem nationis Maronitarum Primatum, in multorum præsentia, quorum subscriptiones sunt in his litteris, pater Reverendus presbyter Baptista et pater Venerabilis presbyter Thomas Noncii Domini Maximi Papæ superius nominati, perpetuam Deus faciat ejus altitudinem, et ab eis præsentatæ fuerunt litteræ Domini præfati cum litteris Indulgentiarum nostro Patriarchæ et toti nostro gregi, et contenta in litteris fuere, videlicet cessatio verborum qui pro nobis crucifixus est in hymno tersancto, et baptismi infantium in octavo die, cum celebratione chrismatis in quolibet magno die Jovis sancto, et ne concedamus corpus et sanguinem Christi pueris usque ad perfectionem annorum post confessionem, et ne ungatur chrismate nisi medium capitis baptizati, nec alibi, et ut confirmatio fidei fiat, cum adolescant pueri circa octavum annum, et correctio quarumcumque rerum contrariarum Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, quæ in libris reperiuntur. Et nos infrascripti testamur coram Deo Altissimo, et coram Domino Papa, et Protectore nostro Cardinali Carafa, Dominum Patriarcham prædictum accepisse patres Nuncios summa cum benevolentia et hilari fronte, et litteras et omnia, quæ præcepit Dominus Papa, et executioni demandasse, et etiam mandavimus, ut a nobis executioni demandentur, sicut jam incepimus, et perpetuo perseverabimus usque

ad finem temporis, et voluimus has testimoniales litteras scribere ad Sanctitatem Domini Papæ Maximi, et ad Protectorem nostrum charissimum Cardinalem Carafam et ad omnes Cardinales, et ad omnes huic assistentes, ne quispiam nostrum transgrediatur aliquid, quod nobis præcepit Dominus Papa Maximus, et mandavimus etiam ex parte fidei et ad perfectionem hujus, prout promisimus, nos perpetuo observaturos usque ad consumationem sæculi. Et hoc professi sumus corde salvo et voluntate vera, ut non credatur de nobis sermo nobis contrarius, et sic nos Deus adjuvet, et ejus sacra Evangelia, quod quicquid diximus verum est, et actiones, quas faciemus posthac, confirmabunt nostrum sermonem et testificationem. Et etiam testamur nos ipsos convenisse cum Nunciis præfatis, et præsertim cum patre Reverendo presbytero Baptista, et cum eo locuti sumus de fide et de ordinationibus Ecclesiæ Sanctæ, propterea quod linguam nostram intelligit et libros nostros legit, et ejus intercessio fuit nobis plurimo adjutorio, et petimus a Deo reditum ejus ad nos. Et hanc testificationem fecimus, ut sit nobis alacritas in executione cujuscumque præcepti Domini Papæ, ejusque successorum et Sedis Apostolicæ usque ad ultimam horam, et voluntas nostra est, ut conservetur ista testificatio in Archiviis Sedis Apostolicæ, et ejus exemplum in scrinio nostri Patriarchæ in testem nobis et omnibus successoribus. Et rogamus Deum altissimum, sicuti hoc nobis publicatum est intercessione ejus successoris, et Domini Sedis Apostolicæ, et intercessione Nunciorum ejus præfatorum, ita nos ipsos mori et vivere faciat sub ejus obedientia in sæcula sæculorum, Amen. Datum in Monasterio Canubino anno 1579 a Domino mense Martio.

Ego humilis Archiepiscopus Sergius testor quidquid est superius esse verum et justum.

Ego humilis Archiepiscopus David testor quodcumque scriptum est superius esse verum et justum.

Nos humiles inter presbyteros Archipresbyter Joannes et Archipresbyter Moyses testamur scripta superius esse vera et certa.

Et ego humilis Archiepiscopus David Acorus testor hoc esse verum et justum.

Et ego humilis Archiepiscopus Joannes testor omne scriptum superius esse verum.

Ego humilis Episcopus Clemens testor omne superius scriptum esse verum et justum.

Ego humilis inter Archiepiscopos Georgius testor omne scriptum esse verum et justum.

Testor ego humilis Archipresbyter Simeon, et Archipresbyter Sergius de Villa Cariat el Cabyat, superius dicta quatenus vidimus ex præcepto Papæ esse justa et vera.

Archipresbyter Michael et Archipresbyter Moyses et reliqui Sacerdotes nostri de Villa Xaara, superiora ex præcepto Domini nostri Papæ esse justa et vera.

Nos humiles Sacerdotes de Villa Antechel, Archipresbyter Helias et Archipresbyter Moyses et reliqui Sacerdotes, superiora ex mandato Domini nostri Papæ esse justa et vera, et in eis confidimus.

Et nos humiles Presbyteri de Villa Exuyta, Archipresbyter Lazarus et Archipresbyter Petrus et Presbyter Joannes testamur superiora ex sermone Domini nostri Papæ esse justa et vera.

Testor ego humilis Archipresbyter Xahata de Villa Manges sermonem Papæ credere esse verum et justum.

Archipresbyter Moyses et Archipresbyter Jacobus de Villa Seryae hunc sermonem esse verum et justum.

Et testatus est Archipresbyter Reschalla de Villa Dergamin hunc sermonem esse verum et justum.

Presbyteri Villæ Harb Mambra et Villæ Hayn el Borde testati sunt esse verum et justum.

Et testatus est Presbyter Joannes de Villa Caret Berhelium hunc sermonem esse verum et justum.

CIX. — In novo etiam Orbe, maxime vero in Archiepiscopatu Mexicano Patres Ignatiani, curis nunquam intermissis, in rem Catholicam amplificandam summopere incumbebant; quare et Mexicano Præsuli Gregorius congratulatur de ejus pietate, deque studio erga Patres Societatis Jesu. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An VII. ep. 363. f. 179.

Venerabili Fratri Petro Archiepiscopo Mexicano.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Gratissimæ fuerunt Nobis tuæ literæ; erant enim plenæ pietatis et studii, indicabantque vigilare te Christi gregis causa, ad disciplinam, ad custodiam, ad preces, quibus rebus optimi pastoris munus et cura summa cum laude et fructu explicatur. Gratulamur igitur Fraternitati Tuæ, gratulationemque hanc, quæ Christi gloriæ atque ejus gregis salutis causa suscipitur, verissimam et Christiana professione dignissimam judicamus. Quæ tuo nomine postulata fuerunt, concessimus omnia; semperque tuæ pietati, quibuscunque in rebus poterimus, libentissime gratificabimus. Mittimus etiam per dilectum filium Petrum Diaz ex Sodalitate Jesu, quem ad Nos cum literis ac muneribus miseras, nonnullas Sanctorum reliquias, quas tibi tuisque gratissimas futuras non dubitamus; earum enim aspectu renovatur memoria fortissimorum Christi militum, excitanturque animi ad ipsorum virtutes celebrandas atque imitandas; prædicaturque majore quodam affectu gloriosus

Deus in Sanctis suis, mirabilis in majestate sua. Munera fuerunt Nobis gratissima, deque iis gratias agimus. Quod Sacerdotes Sodalitatis Jesu tibi commendemus, nihil est; scimus enim, eos quam commendatissimos habiturum, quorum studio atque opera in vinea Christi fructuosissima uteris. Deus benedictus adsit perpetuo Tuæ Fraternitati sua gratia; dirigatque consilia atque actiones tuas omnes ad sui nominis gloriam, animarumque earum, quas tuæ fidei et vigilantiæ commisit, salutem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Maji MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno septimo.

CX. — Summus Pontifex, quem nullius unquam terrarum rei cura, ne longinqua quidem effugiebat, quo rebus fidei in novo Orbe opportuniori, qua fieri posset, ratione consuleretur, de Nuntio Apostolico in illas regiones mittendo, qui in Mexicana urbe degeret, meditabatur. Cujusmodi sapientissimum consilium per suum Nuntium Matritensem cum Rege Hispaniarum communicavit. [*] Dolendum autem est, quod votis Pontificis non successerit.

[*] Mantissa document. N. 23.

CXI. — Januenses ab Ecclesiastica immunitate violanda Gregorius deterret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An VIII ep. 41. f. 211.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Ducis et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem et Apostolicam benedictionem. Postquam scripsit ad vos nostris verbis dilectus filius noster Cardinalis Justinianus super Ecclesiastica immunitate violata, existimabamus vos superioris temporis commissa emendaturos esse, eamque Ecclesiasticæ jurisdictionis atque immunitatis rationem habituros, quam jus atque æquitas flagitabat, quamque vestra pietas pollicebatur. Sed fefellerunt spem nostram, quæ postea consecuta sunt: sic enim accepimus, vos curasse in jus vocari patrem ac fratrem Vicarii, quos vestræ jurisdictioni subjectos habetis; vestrum vero consilium eo spectare, ut hoc modo et Vicarii factum in Ecclesiastica jurisdictione tuenda ulciscamini, et eum in posterum a tali mente deterreatis. Quia vero nihil magis Nobis cordi est hujus ipsius jurisdictionis conservatione, neque passuri sumus, eam violari aut impediri, voluimus vos his litteris monere, ut cogitetis quid agatis: Nos enim ubi vos in tali consilio persistere, sicque Ecclesiasticæ jurisdictioni vim afferre intelligemus, utemur necessario nostra auctoritate, neque eam sic sperni et conculcari patiemur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die II. Septembris MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno octavo.

CXII. — Ducatus Mediolanensis Præsidem itidem monet, ne Marchioni Messerani in regendo Comitatu Crevacoris, qui a remota longe ætate in fide et jure esset Sanctæ Sedis, molestus sit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An VIII ep. 77. f. 236

Dilecto Filio Nobili Viro . . . . Status Mediolani Gubernatori et Capitaneo Generali.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Comitatus Crevacoris est in legitimo atque antiquo jure et dominio directo Romanæ Ecclesiæ et Sedis Apostolicæ. Is nunc possidetur a dilecto filio Marchione Messerani, qui quidem veretur, ne quid istinc damni incommodive accipiat. Quocumque autem nomine existimet Nobilitas Tua, aliquid juris adversus Marchionem habere Charissimum filium nostrum Philippum Regem Catholicum istius Status Mediolani causa, æquam non est a vi atque armis initium fieri. Rogamus igitur Nobilitatem Tuam, ut provideas, ne quid super ea Comitatu novi fiat. Si quid autem erit, quamobrem dicatur, Marchionem injuste possidere, Romanum Pontificem judicem esse oportet. Ubi igitur controversia ad Nos delata erit, id decernemus, quod jus flagitare intelligemus. Postulatio hæc æquissima est, pietas vero et prudentia tua omnia Nobis pollicetur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Novembris MDLXXIX. Pontificatus Nri anno octavo.

CXIII. — Ferrariensium Ducem officiosissimis cohortatur litteris, ne quæ ipsi cum Lucensibus controversiæ intercederent, eas armis magis quam honestis conditionibus velit componere. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII. ep. 263. f. 165.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Ferrariæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Scripsimus ad Nobilitatem Tuam hesterno die super iis controversiis, quas habes cum Lucensibus, significavimusque, quod optimum factu judicaremus, quibusque de causis existimaremus, haud convenire vi atque armis tractare id, quod posset jure et judicio obtineri. Postquam autem eas literas dedimus, accepimus Nobilitatem Tuam jam arma sumpsisse, exercitum instruxisse, eo denique progressum fuisse, quo minime voluissemus. Doluimus gravissime Italiæ pacem sic perturbari; possunt enim hæc, ut sunt omnia finitimis suspecta, eo evadere, quo minime cogitantur perventura. Incendium vero facilius multo excitatur, quam extinguitur. Neque convenit pietati et prudentiæ tuæ, Christianam Rempublicam tam multis calamitatibus oppressam, his etiam motibus tam intestinis, tamque Sedi Apostolicæ propinquis affligere. Ut autem Nos nostro officio et muneri satisfacimus in hortando et monendo, ut ab armis discedas, sic æquum est, te pietati tuæ et studio Nobis atque Apostolicæ Sedi obsequendi inservire, Nosque gravissima cura liberare, nostramque paternam charitatem agnoscere, ne-

que committere, ut videaris nostræ postulationi negasse id, quod ratio ipsa et rei æquitas magnopere exigit. Mittimus hac de causa ad Nobilitatem Tuam venerabilem fratrem Episcopum Cavensem, ejus verbis omnem fidem tribues. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima sexta Aprilis MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno septimo.

CXIV. — Pyrrho econtra ex Ducibus Cajetanis graves minas intentat, nisi ex iis Campaniæ oppidis, quæ ejus fidei commissa erant, latrones exturbet. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 236. f. 160.

Dilecto Filio Nobili Viro Pyrrho Caetano.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus exules et latrones, qui Campaniam vexant, sæpe per istud Felettini territorium iter facere, idque tuto et sine ullo impedimento aut molestia. Monemus et mandamus, ut eos isthinc repellas, operamque des, ut quos repereris, prehendas; sicque cogites hac potissimum de causa oppida cæteraque loca nobilibus viris commendari, ut ea purgata habeant, tueanturque a sceleratorum hominum injuriis et contagione; neque patiantur, ejusmodi homines in iis consistere aut versari. Quod si facere neglexeris aut distuleris, tuoque officio et muneri defueris, non deerimus ipsi nostro, procedemusque adversum te ad ea, quæ convenit decerni atque agi adversus eos, qui male versantur in rebus suæ fidei et custodiæ commissis, quique nostris atque Apostolicæ Sedis mandatis obtemperare recusant. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die undecima Martii MDLXXIX. Pontificatus Nostri anno septimo.

CXV. — Neque illud hic silentio præteriri fas est, quod non minus bonarum artium quam divini cultus cupidissimus Pontifex, per suum apud Magnum Etruriæ Ducem Nuntium, illum clarissimum virum Federicum Zuccarum pictorem id temporis haud ignobilem, magnificis largitionibus propositis, Romam accersivit, ut ædes Vaticani picturis exornaret. Pontificis nutui alacri quadam animi exultatione celeber ille vir parebat. (*)

(*) Mandiosa document. N. 23.



I. — Cæsar mense Januario ad res publicas Bohemiæ componendas comitia Pragæ habuit, quibus et Nuntius Apostolicus interfuit, qui usus hac opportunitate eidem supplicem libellum exhibuit, efflagitans, ut universale gymnasium Pragense, cujus splendor quodammodo tenebris et squalore obsitum jacebat, in pristinum restituere, et de hac re et Ecclesiæ et Reipublicæ perutili cum Summo Pontifice agere velit. (*)

(*) [illegible] document. T. 26.

II. — Enitebat quam maxime religiosum Olomucensis Præsulis studium: qui ad suorum in Sanctos Cyrillum et Methodium Moraviæ Apostolos venerationem augendam, per Cardinalem Comensem Pontificem exorabat, ut reliquias ex eorum ossibus, quorum corpora Romæ asservantur, ad se mitteret. Præterea ab eodem Cardinali poscebat, ut censum quemdam hospitii Bohemorum, Collegio Germanico de Urbe pro quatuor Bohemis juvenibus alendis adsignatum, eumdemque jamdiu solvi desitum, posthac persolvendum curaret. (*)

(*) Germania Vol. 45. fol. 107.

Illño ac Rño Domino, Dño Ptolomæo Novocomensi S. R. E. Cardinali, Dño suo Colendissimo.

Illñe ac Rñe Domine, Dñe Patrone observandissime.

« Dum singularem Dominationis Vestræ Illustrissimæ erga me, Ecclesiamque meam benevolentiam grata recordatione recolo, fit ut etiamnum eo liberior ad petendum redear, quo benignius ipsam nisi in re honesta et pia, quam petiturus sum, adfuturam non diffido. Cum itaque pro majori devotionis et pietatis studio in animis populi hujus, curæ meæ pastorali commissi, excitando reliquias sanctorum corporum Cyrilli et Methudii, qui olim Moraviam ad fidem Christi a paganismo converterunt, et quorum festum uti patronorum hic per totam diœcesim meam quolibet anno solemniter peragitur, a Sanctissimo Domino Nostro suppliciter petere constituerim, (quemadmodum id ipsum datis per R. patrem Antonium Possevinum Societatis Jesu literis facio) a Dominatione Vestra Illña obnixe efflagito, ut me in eorundem Sanctorum sacris ossibus impetrandis, et isthinc ex Urbe, ubi nunc (Divus quidem Cyrillus in Ecclesia Sanctorum Apostolorum, Divus Methudius vero in Aede Sancti Clementis ad Coliseum) requiescunt, in Ecclesiam meam Olmucensem debita cum veneratione transferendis, benigna intercessione sua apud eundem Sñum Dñum Nostrum juvare non dedignetur, ad reliqua beneficia eidem Ecclesiæ meæ præstita hoc quoque ut maximum, ita liberalissime a Deo Opt. Max. remunerandum, superadditura. Porro Dominationem Vestram Illñam certiorem fieri volo, fælicis recordationis Pium Papam V. intercessione Illustris Comitis Hieronimi Dozuazow, tunc ejus Cubicularii, applicasse Collegio Germanico quosdam reditus ducentorum aureorum ad Hospitale Bohemicum antiquitus pertinentes, in eum scilicet usum, ut in dicto Collegio quatuor adolescentes nationis Bohemicæ educarentur, prout aliqui a prædecessoribus meis isthuc transmissi educati fuerunt, qui jam sacris ordinibus initati in Ecclesia mea non inutilem operam na-

vant; quæ quidem summa cum (ut intellexi) ad præsens eidem Collegio minime solvatur, fit, ut huic nationi non parvum detrimentum afferatur, eapropter Illustrissimam Dominationem Vestram majorem in modum oro, ut mihi ea in parte pro sua humanitate, consilio, simulque ope et auxilio suo benigne adesse velit, ut ejusmodi reditus iterum dicto Collegio in præfatorum juvenum substentationem restituatur, de quo prænominatus P. Possevinus meo nomine cum Illma Dominatione Vestra latius aget; faciet enim Illustrissima Dominatio Vestra rem sua solita pietate dignissimam, atque huic nationi utilissimam, meque sibi antea devictissimum una cum dicta natione magis ac magis obnoxium efficiat, cujus gratiæ ac benevolentiæ me, paratissimaque mea studia officiosissime defero, Deumque Optimum Maximum incessanter oro, ut ipsam incolumem et florentem quam diutissime conservet. Cujus gratiæ ac benevolentiæ humiliter me commendo. Datæ Cremsirii Kalend. Octobris MDLXXX.

Illmæ et Rmæ Dominationis Vestræ

Observantissimus servitor

STANISLAUS EPISCOPUS OLOMUCENSIS mp.

Pius etiam Cæsar Episcopi Olomucensis ad SS. Cyrilli et Methodii ossa consequenda preces juvit petitione sua apud Pontificem. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 35. fol. 28.

Beatissimo in Christo Patri, Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Reverendissimo.

« Beatissime in Christo Pater, et Dñe Reverendissime. Post humilem commendationem filialis observantiæ continuum incrementum Sanctitati Vestræ in primis optamus. Ossa Divorum Cyrilli et Methudii Episcoporum sacra, qui fidem Catholicam primi in Marchionatu nostro Moraviæ docuerunt, Romæ delitescere accepimus. Ea ossa Reverendus, devotus, fidelis nobis dilectus Stanislaus Paulovius Episcopus Olomucensis, cujus in diœcesi colitur et celebratur quotannis horum Sanctorum memoria, ad ornamentum et thesaurum Ecclesiæ suæ valde expetit: eaque de re litteras ad Sanctitatem Vestram dare constituit. Cum itaque ejus Episcopi in Deum et in veram Religionem catholicam, quam afflictis his temporibus pro virili tueri et propagare contendit, ardens studium, et in Sanctitatem Vestram pietatem singularem exploratam habeamus, volumus, ut is Sanctitati Vestræ hoc nomine tanto magis commendaretur. Ac propterea rogamus Sanctitatem Vestram peramanter, ut ejus petitioni pro sua præstanti bonitate annuat, et ossa nominata ad ædificationem populi Moravici, et majorem ejus in Deum cultum illi concedat. Erit hæc Sanctitatis Vestræ benignitas et propensio ipsi Deo in primis grata; nobis vero, qui Sanctitati Vestræ omnia prospera et felicia evenire ex animo cupimus, perquam accepta. Praga nostra Regia XII. Novembris anno Dei Servatoris nostri MDLXXX. Regnorum nostrorum Romani et Imperii sexto, Hungariæ nono, Bohemiæ vero sexto.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius

RUDOLPHUS.

III. — Rector collegii pontificii Olomucensis consilium saluberrimum inierat sodalitatem ita dictam Marianam instituendi, quo tot tamque diversarum nationum juvenes arctiori pietatis vinculo inter se devincirentur. Quapropter tum Rector ipse tum cæteri omnes illi sodalitati adscripti Pontificem adprecantur, ut suum sodalitium apostolica auctoritate confirmare et indulgentiarum munere augere velit. [*]

[*] Germania Vol. 18. fol. 173.

Sanctissimo D. N. Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

« Congregatio assumptæ Virginis, hoc anno recens inter externos studiosos Olomucii in Collegio Societatis Jesu instituta, Sanctissimo Dño Gregorio XIII. in terris Christi Vicario, et pastori debitam in omnibus obedientiam, reverentiam et fidem.

« Multæ eædemque salutares et pernecessariæ causæ fuerunt, Bme Pater, quæ nos moverunt, ut secundum Christi Dñi honorem et opem, sub patrocinio et nomine assumptæ Virginis Mariæ Congregationem hoc anno intra cœtum studiosorum externorum Collegii Olomucensis Societatis Jesu institueremus. Videbamus enim, tot tamque dissitas studiosorum nationes et linguas nullo alio tam stricto et apto humani fœderis et amoris glutino, quam divino aliquo sodalitatis ineundæ complexu coalescere ac uniri posse. Neque ignorabamus, plurimos ante in hoc vitæ genere pie et fideliter nobis non præluxisse modo, sed quoque ad ejusmodi pia conciliandæ charitatis et pietatis augendæ studia exemplum et calcare dedisse. Quorum similitudinem, si tanquam in imagine viva in nostris animis exprimeremus, officiis nostris abunde facturos nos satis arbitrati sumus; præsertim cum ad has suscipiendas ingrediendasque rationes etiam ipse nos Christianæ pietatis ardor inflammarit, ob oculos ponens, tot saluberrimas hinc atque inde passim per orbem Christianum inter studiosos Collegiorum Societatis Jesu recte institutas, et nunquam satis laudatas Congregationes, quæ licet in sæculo vigeant, nihil tamen sæcularis consuetudinis apud eos, quibuscum vivitur, præ se ferunt: propterea quod videntur primordia et elementa quædam esse perfectæ solidæque probitatis; tum quoque ad ruinas Catholicæ fidei reparandas firma stabilisque consensio. Nemo enim ignorat, quam hoc tempore infœlici omnia disjecta sint, ut multis in locis vix aliqua facies Christianæ religionis affulgeat.

Præterea tantus contemptus est Marianæ laudis, et gloriæ Sanctorum omnium, ut nisi apud ferreum hoc sæculum Divorum immortalium monimenta ab interitu vindicaremus, plane impii haberemur. Quamobrem cum hæc omnia apud nostrum animum perpenderemus, unanimi consensu Beatissimæ gloriosissimæque Virginis, et præsertim assumptæ, inter nos externos studiosos sodalitatem instituendam esse conclusimus; leges, quibus omnia rite fierent et decenter, composuimus; officia, quæ ad pietatis, charitatis, obedientiæ cæterarumque virtutum ornamenta faciunt, distribuimus. Vidimus hoc nostrum institutum Reverendissimi Olomucensis Episcopi, et præcipuorum dominorum patriæ hujus authoritate et judicio probari. Sed hoc unum decus et firmamentum ad ultimum deesse conspeximus, quod nondum hæc nostra sodalitas Tuæ Sanctitatis authoritate, gratiis indulgentiisque roborata firmataque esset. Quocirca R. P. Possevinum, cum ex Svecia rediret, hucque Olomucio Romam transiret, rogavimus, ut ad pedes Tuæ Beatitudinis hanc novam nostram Congregationem afferret, et nomine nostro peteret, quo eandem paterno suo amore complecteretur, sua authoritate confirmaret, gratiisque quas indulgentias vocant, quasque separatim descripsimus, in omnem posteritatem muniret. Quod si robur et fides hisce nostris petitionibus accesserit, sequetur inter distantes nationes summa animorum consensio, pietatis augmentum, fidei propagatio, religionis custodia, conservatio honoris Mariani, Sanctorum Dei observantia, multorum Christi sanguine redemptorum salus. His Tuæ Sanctitati Congregationem hanc nostram, tanquam novam plantulam veris solidisque gratiis rigandam, erigendam roborandamque commendamus. Datum Olomucii in Conventu Sodalitatis Marianæ 25. Octobris anno salutis 1580.

T. S.

Congregatio Mariana
Flomanus Malissewski Rector ejusdem.
Michael Hahmannus Secretarius,
Cæterique fratres.

IV. — Gregorio valde doluit, Episcopum Bambergensem bonorum sui Episcopatus administrationi virum hæreticum imposuisse; eumque per Cæsarem commonefecit, ut primo quoque tempore istiusmodi virum amoveret. En Rudolphi litteras ea de re ad Canonicos Bambergenses datas. [*]

[*] Germania Vol. 48, fol. 270.

Rudolphus etc. etc.

« Honorabiles, Devoti, Dilecti. Procul dubio vos minime latet, qualiter Sanctissimus Pontifex superiori anno de prava et negligenti deputatione gubernii eorum locorum, quæ hactenus in Carinthiis ad Episcopatum Bambergensem pertinuerunt, aliisque multis excessibus, præsertim Vicariatum et Præfecturam eorumdem locorum homini hæretico ad extirpationem et oppressionem Religionis Catholicæ demandatam concernentibus conquestus sit; quod et nos eodem tempore ad Rmum Joannem Georgium Episcopum Bambergensem Devotum Principem nostrum scripserimus, atque etiam Suæ Sanctitatis Nuntius ipse coram hac de re cum Devotione Sua egerit.

« Tametsi autem Devotio Sua tunc temporis tum Sanctitati Suæ et ejusdem Nuntio, tum Nobis scripto et verbis eo usque se excusaverit, ut Devotioni Suæ videretur aliquo modo hisce querelis et accusationibus injuriam fieri; in reliquis vero, et signanter quoad Præfectum seu ejusmodi vicegerentem sese clare obtulerit, eundem primo quoque tempore dimissuram, et alium virum Catholicum in ejus locum suffecturam: cui quidem resolutioni ex parte quoque nostra clementer acquievimus, nihil minus dubitantes, quam ut Devotio Sua id re ipsa executura esset.

« Nihilominus Sanctitatis ejus nomine jam intelleximus, ejusmodi sollicitam remotionem non solum hactenus in suspenso fuisse, verum etiam eundem Sectarium iterum isti muneri et Præfecturæ denuo confirmatum præfectumque fuisse. Quod cum non parvam præbeat admirationem, atque insuper Nos, attentis dictis literis et promissione, conjicere nequeamus, quanam ratione talis nova præfectio effectum sortita fuerit, multoque minus credere possimus, id vobis consciis accidisse, considerando, quod si Sanctitas Sua ipsius officium exercere statuerit, multa quidem ac varia hujus rei occassione isti Episcopatui incommoditates et molestiæ suboriri possent. Itaque operæ prætium duximus, vos eorum quæ sic ad Nos deferuntur, additis etiam aliis literis, quas rursus eadem de causa ad Devotionem Suam scribimus, commonere ac hortari, ut omnem curam, diligentiam et operam omnino adhibeatis, quo priori Devotionis Suæ promissioni plene satisfiat, ac dictis locis talis præficiatur, qui Ecclesiasticis Prælatis conveniat, nec Ecclesiam Catholicam conturbare et subvertere tentet aut præsumat; quod per se justum et æquum est, et Nos plane de vobis non aliter pollicemur, quibus (quod reliquum est) Cæsaream nostram gratiam benigne deferimus. Datæ Pragæ die 20. mensis Martii 1580.

In eandem sententiam litteras etiam dedit ad Episcopum Bambergensem. [*]

[*] Germania Vol 48. fol. 273

Rudolphus etc. etc.

«Reverende Princeps, Devote, Dilecte. Qualiter Devotio Tua super litteris Sanctissimi Pontificis, et nostris commonitoribus proxime transmissis de Tuæ Devotionis persona et vita, aliisque notis imputationibus, maxime occasione Præfecti seu vicegerentis Devotionis Tuæ in

Carinthia, tum scripto apud Suam Sanctitatem et nos, tum coram verbis apud ejusdem Suæ Sanctitatis Nuncium sese excusaverit, obtuleritque, ac quid deinceps rogaverit, prout res exigebat, ac lubenti quidem animo ex Devotionis Tuæ litteris 11. Octobris nuper elapsi datis cognovimus; ita ut etiam tunc temporis ejusmodi resolutioni memoratis de causis acquieverimus, cum minime dubitaverimus, quin Devotio Sua pollicitis opere satisfaceret, ac in omnibus sese gereret, ut nullis citerioribus querelis, aut monitionibus opus esset. Postquam autem ex prædicto Suæ Sanctitatis Nuncio modo intelleximus, illud a Devotione Tua præstitum non fuisse, sed eo potius neglecto, Præfecti sui anterioris locum in Carinthia non tantum alteri juxta factam oblationem haud contulisse, verum etiam de novo eidem illius officii administrationem contulisse, ipsumque Tuæ Devotionis mandato immissum fuisse; quod de Devotione Tua (si tamen res quo præfertur modo se habent) afferri, non parum mirandum. Idcirco prætermittere noluimus, quin Devotionem Tuam ejus, quod nos accepimus, rursus certiorem faceremus, eamdem gratiose et serio admonentes, et petentes, ut id quod obtulit et promisit, adhuc fideliter reipsa exequatur; ac in isto negotio adeo se gerat, ut sua culpa nulli amplius hac in parte querelæ et accusationi locus sit. Si enim aliter quam opinamur fieret, sicque Devotio T. nihilominus in proposito pergat, facile æstimare poterit, prælibatam Sanctitatem S. id diutius non passuram, sed contra Devotionem Tuam quidpiam deliberaturam, quod eidem et suo Episcopatui admodum grave et incommodum foret. Quod Dominationi Tuæ nostra ex parte minime optamus, ac eidem cordi esse sincera intentione clementer monemus. Datæ Pragæ die 20. Martii anno 1580.

At cum hic Præsul jamdiu Pontificis voluntati parere detrectaret, Gregorius plenis indignatione litteris, nisi jussa illico faciat, extrema ei minatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 51. f. 366.

Venerabili Fratri Episcopo Ecclesiæ Bambergensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Oportuit, te jam dudum obtemperasse mandato nostro de Hofmanno hæresiarcha amovendo ab ea præfectura, quam ei tribuisti, gravissimumque erratum emendare; atque agnoscere, quam nefarium sit lupum ovibus a pastore ipso præfici. Tu vero non solum non resipuisti, sed excusationem etiam in peccatis quæsivisti, causasque isto tuo nomine et munere indignissimas comminisci voluisti. Memento te esse huic Sanctæ Sedi immediate subjectum, et statue, obtemperandum tibi omnino esse. Jamdiu Apostolicam adversus te auctoritatem exercuissemus, tuamque istam contumaciam fregissemus, nisi Charissimus filius noster Rodulphus Romanorum Imperator Electus rogasset, ut aliquid moræ interponeremus. Mandavimus venerabili fratri Joanni Episcopo Ecclesiæ Brixiensis Nuncio nostro, ut te nostris verbis moneret, Nosque certiores faceret. Fixum Nobis omnino est, nisi monstrum illud quamprimum amoveris, ea remedia adhibere, eaque adversum te decernere, quæ jus postulare intelligemus, atque ostendere, quantopere Christi grex Nobis commendatus esse debeat. Posthac nulla amplius commonitione utemur, sed auctoritate et potestate, quam Nobis impertivit Deus. Ipsi autem Nuncio omnem fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Septembris millesimo quingentesimo octuagesimo, Pontificatus Nostri anno nono.

V. — Interea cum Præsul iste a. d. VI. Id. Septembris vita excessisset, nihil Cæsari antiquius fuit, quam ut demortuo Antistiti vir Ecclesiæ Catholicæ in primis addictus, quique confirmationem a Pontifice peteret, ab se autem ratione feudorum regalia obtineret, successor daretur. Quamobrem etiam litteris pietate ac studio religionis plenis Herbipolensem et Augustanum Præsules commonuit, ut qua valerent apud Canonicos Bambergenses auctoritate id efficerent, quem maxime pium et prudentem virum sentirent, eum Episcopum eligerent. En litteras ad Episcopum Herbipolensem. [*]

[*] Germania Vol. 68. fol. 370.

Rodulphus etc. etc.

« Reverende Princeps, Fidelis, Devote etc. Reverendum Joannem Georgium quondam Episcopum Bambergensem paucos ante dies (præpotente Deo sic volente) diem suum obiisse, atque nunc alium quemdam idoneum in ipsius locum Augustissimo isti Imperiali Episcopatui præficiendum, Tuam Devotionem procul dubio non latet. Quamquam vero Capitulares ibidem simul ac de obitu ipsius nos certiores reddiderunt, clementissime monere non intermiserimus, ut in eligendo novo Episcopo summa cura in hoc incumberent, quo talis prædicto isti Episcopatui præficeretur, qui tam spiritualia quam sæcularia ejusdem negotia bene, utiliter, nec non digna cum authoritate administrare posset (ut etiam minime dubitamus, quin istius nostræ ex paterno in ipsos animo profectæ admonitionis justam rationem sint habituri, eidemque debitum locum relicturi). Tamen cum Devotionem Tuam non fugiat, quam miræ tricæ in his mundi turbis, atque ultimis quasi fæcibus hujusmodi electionibus atque postulationibus objici, quantæque insidiæ quibusdam in locis functionibus tam amplis, ad opprimendam antiquissimam eamdemque verissimam Catholicam religionem strui soleant, Tuam Devotionem utpote ei loco vicinam, cui et de Capitu-

laribus ipsis, et eorumdem qualitatibus præ aliis uptime constat, monendam duximus, ut ex parte sua quantumque omniuo fieri potest, hoc agat, quo in instituenda hujusmodi electione ante omnia primom gloria Dei Omnipotentis, suæque Ecclesiæ Catholicæ incrementum spectetur, deinde talis persona secundum Decreta Sacrorum Canonum, istiusque celeberrimi Episcopatus consuetudines atque statuta in Episcopum cooptetur, quæ orthodoxæ fidei professione satis probata, vitæ sanctimonia, morum integritate, singulari rerum gerendarum industria prædita atque ornata, huic tam Augusto Imperiali Episcopatui, et in Ecclesiasticis et in politicis negotiis administrandis utiliter præesse, deinde legitimam confirmatiooem a Summo Pontifice impetrare, denique a nobis etiam regalia super Feudis Imperii (prout moris est) consequi valeat ac possit. In quo Devotio Tua opus nobis gratissimum, Ecclesiæ vero Catholicæ utilissimum præstabit. Pragæ die quarta Octobris 1580.

Martinus ab Eyb, vir præstantissimus, omnibus consentientibus a. d. v. Idus Octobres ejus sedis Episcopus renunciatus est: quem Augustanus Præsul hoc ejus laudis elogio apud Pontificem est prosecutus. (*)

(*) Germania Vol. 10 fol. 170.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Dño Gregorio ejus Nominis Decimo Tertio Divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Dño meo Clementissimo.

« Beatissime Pater et Domine, Domine Clementissime. Obedientiam et reverentiam debitas cum humillimà mei commendatione, ad devota pedum beatorum oscula. Sanctitatis Vestræ Breve xv. Octobris ad me scriptum proximis diebus ea, qua decet et debeo, reverentia accepi, perlegi, ac ex eo Sanctitatis Vestræ erga me benignitatem et clementiam summopere cognovi. Cum autem ad ea, de quibus Sanctitas Vestra me benigoe hortatur, non solum propter meam erga Sanctitatem Vestram debitam observantiam, sed etiam erga celebrem istam Ecclesiam Bambergenseon, quæ a vere piissimo et sanctissimo Imperatore Henrico Secundo Augustali ac raro quidem exemplo fundata existit, privatam meam necessitudinem pari jure me non tam obligatum, quam etiam sponte paratum esse agnoscam; omne illud, quod hujus Ecclesiæ cum necessitas, tum utilitas requiret, pro virili mea adimplere conabor. Antequam tamen istud Sanctitatis Vestræ Breve mihi redderetur, Decanus et Capitulum, me quamvis legitimis impedimentis absente, tamen non nescio, electionem futuri Antistitis secundum ipsorum statuta et hactenus observatam laudabilem consoetudinem ocius instituerunt, ac more majorum secundum canonicas sanctiones in Episcopum elegerunt Reverendum Dominum mihi amicum dilectum Martinum ab Eyb, antea Decanum, virum, quem ob ejus probitatem, honestatem ac ipsius in Catholica religione, quam a juventute sua professus est, zelum et studium, ad id muneris cum primis idoneum et talem judico, quem Sanctitas Vestra auctoritate sua huic Ecclesiæ præficiat, ac sacri Palii usu cohonestet. Spero enim eum sui muneris et officii non immemorem futorum; sed magis ea omnia sedulo præstiturum, quæ Ecclesiæ sibi committendæ tam necessitas, quam utilitas postulare videbuntur, præsertim in Catholicæ religionis conservatione atque ejusdem amplificatione. Ego vero me in his etiam talem exhibebo, ut officio meo non defuisse videar. Deum Optimum Maximum oro, ut Sanctitatem Vestram in ejus Universalis Ecclesiæ fœlici regimine quam diutissime salvam conservet et incolumem: cui me et Ecclesiam meam Augustanam humillime commendo. Dilingæ xiii. Novembris anno salutiferi partus MDLXXX.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Humillimus et obedientiss. Capellanus

MARQUARDUS EPISCOPUS AUGUSTANUS.

VI. — Tandem aliquando diuturnis et exitialibus Monasteriensium dissidiis impositus finis est; nam Joannes Guilielmus Clivensis, qui jam ab anno MDLXXI. Episcopus postulatus fuerat, Pontificis auctoritate, summa omnium et Cleri et Civium gratulatione, diœcesim hanc administrandam suscepit. Qui postquam comperisset impium Westerholtium, Monasteriensium turbarum auctorem, cui Pontifex anno præterito, lata in eum excommunicationis sententia, omnibus juribus interdixerat, Romam se contulisset, ut si fieri posset, dolosis artibus circumventum Pontificem ad mitiora io se flecteret, eumdem etiam atque etiam rogat, ne isti perditissimo homini aures præbeat. (*)

(*) Germania Vol. 15 fol. 165.

Beatissimo Patri et Domino, Dño Gregorio ejus Nominis Papæ XIII, Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ P. O. M. Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater, Dñe Clementissime.

« Post debitam more majorum meorum observantiam. Non dubito, quin Sanctitas Vestra ex literis charissimi mei Parentis ac Illustrissimi Domini Dñi Gulielmi Ducis Juliæ Clivorum et Montensium etc. mense Majo et Augusto proxime præterito datis, abunde satis intellexerit, quo in statu res Monasteriensis Diœcesis constitutæ sint, et quemadmodum charissimo Parente meo ad unanimem petitionem et requisitionem cum ipsius Capituli ejus Ecclesiæ, tum omnium Ordinum, annuente et consentiente, onus administrationis sub beneplacito Sanctitatis Vñe susceperim: conventumque utrinque inter cætera fuerit, ut hac Septembris mense, in Dei nomi-

ne, hanc administrationem aggrederer. Qua de causa eodem charissimo meo Parente authore et comite, duodecima Calendas Octobris Horstmariam, quæ una est Sedium Episcopalium, Christo auspice, non minimo Subditorum applausu et congratulatione ingressus sum. Et licet hanc provinciam satis salvam, pacatam et tranquillam offenderim; tamen cum certum nuncium allatum sit, Conradum Westerholtium alias a Sanctitate Vestra propter maximas et urgentissimas causas excommunicatum, atque suis officiis et beneficiis privatum, jam Romæ agentem, non solum pro absolutione, verum etiam pro restitutione anxie et sollicite laborare, ut sui complices magnam spem conceperint, eum postulata impetraturum, propediem ad Ecclesiam Monasteriensem reversurum. Certe dici non potest, quantopere hoc ipsum multorum Primariorum virorum, præcipue vero eorum, qui Sanctitatis Vestræ Brevibus et mandatis hactenus obedientissime paruerunt, nunc vero præteritarum rixarum et dissensionum pertæsi pacifice et quiete vivere coeperant, animos perturbaverit et consternaverit, maxime cum animadvertant, prætactos complices eo nomine iterum cristas sumpturos et novas conspirationes molituros. Unde procul dubio eveniret, quod plerique de deferendis Ecclesiæ negociis, et alia vitæ ratione ineunda cogitare inciperent. Siquidem ex schismate, contentionibus, rixis et dissidiis antea per Westerholtium excitatis, facile conjici potest, imo certe persuasum est, post reditum istius Westerholtii ad Ecclesiam nihil aliud expectandum esse, quam totius Episcopatus interitum, adeoque fidei Catholicæ et Sanctitatis Vestræ ac Sedis Apostolicæ debitæ obedientiæ subversionem, dum sui ulciscendi et vindicandi causa quaslibet novas turbas dare, ad conspirationes, quas cum junioribus Canonicis superiori tempore contra jus et Sanctitatis Vestræ expressa mandata iniverat, reverti, et quemlibet Seniorum, eorumque, quos sibi adversarios fuisse putabit, impetere non destiturus sit.

« Quocirca pro singulari erga hanc Ecclesiam et Rempublicam Christianam affectu non debui obmittere, Sanctitatem Vestram ejus rei certiorem facere. Et quia eadem Sanctitas Vestra de hujus Westerholtii inobedientia et contemptu erga Sanctitatem Vestram et suos Ecclesiæ Monasteriensis Prælatos, item conspirationibus et seditionibus per ipsum in Ecclesia Monasteriensi motis, nec non illis injuriis, quibus sacrosanctam Catholicam Religionem et Principes in Germania viros afficere non erubuit, ex actis et scriptis alias per charissimum meum Parentem ac Prælatos dictæ Ecclesiæ Monasteriensis Romam transmissis, procul dubio satis superque informata est, ut jam plene intelligat, prædictum Westerholtium merito et excommunicatum et beneficiis privatum, nullaque venia dignum esse; profecto certo persuasum habeo, Sanctitatem Vestram pro singulari sua paterna sollicitudine, et erga omnes sibi commissas Ecclesias zelo deliberaturam et curaturam, quo authoritas catholica magis conservetur, neque in aliquem despectum adducatur, et quieti et tranquillitati hujus Ecclesiæ, quæ alioqui reverso Westerholtio, omnino perturbari posset, consulatur ac recte provideatur.

« Ad me quod attinet, dabo, Deo juvante, operam, ut durante administrationis meæ tempore omnia sint in tranquillo, et ne quicquam Catholicæ fidei vel obedientiæ Sanctitatis Vestræ et Sedis Apostolicæ detrahatur, sed Subditi in officio cum erga Deum, tum erga homines recte contineantur.

« Proinde Sanctitatem Vestram submisse oro, ut quemadmodum per suum Breve administrationem mihi commisit, ita etiam decretum administrationis per Capitulum unanimiter factum, uti antea a charissimo meo Parente et Capitulo Sanctitati Vestræ supplicatum fuit, benigne comprobare dignetur.

« Interea Sanctitati Vræ me meamque Dioecesim quam optime commendatam habere cupio, et Omnipotentem ex animo oro, ut Sanctitatem Vestram in fœlici suæ Ecclesiæ Regimine quam diutissime incolumem conservet. Datæ ex Arce mea Horstmar ultima die mensis Septembris anno 1580.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
Joannes Guilhelmus Postulatus et Administrator Episcopatus Monasteriensis, Dux Juliæ Cliviæ et Montis etc.
J. Horstorff.

VII. — Id etiam præstitit litteris fusiori calamo ad Pontificem scriptis Joannis Guilielmi parens Dux Clivensis, qui denuo scelestissimi Westerholtii nefanda præter fidem crimina in Ecclesiam Sanctamque Romanam Sedem commemorat. [*]

[*] Germania Vol. 27 fol. 15.

Sanctissimo Beatissimoque in Christo Patri et Domino, Domino Gregorio Divina Providentia Papæ XIII. S. Romanæ Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino Nostro Clementissimo.

Post debitam more majorum meorum observantiam.

« Sanctissime Beatissimeque Pater, Domine Clementissime. Post tot interpellationes, quibus V. S. statum et conditionem Sedis Episcopalis Monasteriensis hactenus declaravi, et satis evidenter explicavi, denuo Vestram Sanctitatem interpellandam, seu potius imploratione, cum Vestræ Sanctitatis authoritatis causa, tum mea æstimatione id requirente et flagitante, requirendam, uberiori Westerholtianæ causæ deductio-

ne extimavi. Brevibus Apostolicis a Vestra Sanctitate, seu gloria Hierarchici Ordinis et Ecclesiæ militantis in terris capite, emanatis et profectis, ut filius obedientissimus prompte et haud gravate cum hactenus satisfecerim, in eoque laboraverim, ut in Monasteriensi Episcopatu Vestræ Sanctitatis Ecclesiæque Catholicæ authoritas conservaretur, fides ortodoxa firma et inviolata maneret, pax et tranquillitas inter Capituli membra, ac demum Nobilitatem ipsam constitueretur ac confimaretur; tandem necessitate ac justitiæ causa id flagitante ac requirente, authoritate et decreto Vestræ Sanctitatis ille ejectus et suis beneficiis privatus est, qui in perniciem authoritatis Apostolicæ, fidei orthodoxæ, motu inter Nobilitatem et Capitulares excitato, in cædem et sanguinem florentissimi Episcopatus conjurasse videbatur, ut polluere ac contaminare funestoque exitu omnia fœdare et evertere tandem data occasione posset.

« Ad quam rem aliam spectant illæ voces, quæ ex abundantia cordis processere, quam ut iis latentes pectoris sui occultas fraudes ipse Westerholtius profunderet ac propalam omnibus faceret, quibus scilicet Hispanicam inquisitionem, quam subinde Romanam appellat, atrocitatis ac crudelitatis, ne dicam tyrannidis exquisito artificio ac Rhetorico colore elaborato, coram universa Nobilitate Diœcesis Monasteriensis (ad defectionem quasi eam sollicitans) in publico eorum conventu accusarit ac acerbissime traduxerit. Deinde amarulenta ac sarcastica commemoratio plenitudinis Apostolicæ potestatis, ac praticarum Romanensium creberrima mentio facta huc referenda. Quo tandem pertinebat et Frisingensis Administratoris personæ, ab educatione, institutione, fidei zelo, irrisio et calumnia ac contumeliosa Societatis Jesuitarum, de Catholicæ Religionis conservatione optime meritæ, indignissima notatio, quam quod Pontificiam authoritatem, Ecclesiæ orthodoxæ ac Romanæ doctrinam, Regiam Majestatem Hispaniarum, inquisitionis atroci commemoratione, ita ut apud Belgas factum, totumque cœtum Ecclesiasticum in odium atque invidiam hujus patriæ ac Episcopatus subditorum pertraheret auctoritate Vestræ Sanctitatis et Religionis Catholicæ observantia eversa ac conculcata, pace et tranquillitate interturbata, tandem in fortunas, vitam et necem Catholicorum ac omnium bonorum ut involaretur.

« Ab hac clade et pernicie, ne dicam communi calamitate, Episcopatu ac patria ejectione ac legitima privatione Conradi Westerholtii liberata, novæ perturbationes motusque repullulare ac suboriri haud dubiis conjecturis et argumentis videntur. Illo primum suis technis et imposturis seu doctis dolis et sycophantiis, deinde intercessionibus ac implorationibus Christiani Orbis primorum capitum emendicatis, id apud Vestram Sanctitatem agente atque urgente, ut bona Præbendæ ac Scholasteriæ ac Ecclesiasticorum beneficiorum jam legitima possessione per successores occupatorum, in Vestræ Sanctitatis authoritatis contumeliam, meæ æstimationis jacturam, Capituli in odium et invidiam majoremque motum et dissidium, occasionemque ribellionis et inobedientiæ complicium Westerholtii, possessorum vero non leve detrimentum bonorum existimationis, nominis et famæ jacturam, sequestratoribus extraneis constitutis aut constituendis sequestranda et conservanda esse.

« Quamvis rumore non incerto hæc ad me perlata sint, fidem tamen rumori adhibere vix potui, cum in animum inducere nequeam Vestram Sanctitatem unquam admissuram, ut legitime suspensus, excommunicatus et præbendis ac beneficiis suis jure exutus, per sententiam condemnatus et privatus, appellatione privationis tanquam frivola a Vestra Sanctitate rejecta et reprobata, unquam restituendus sit, quo ipsa sequestratio pertinere videtur. Quod si huic interturbatori aut sequestrum, aut, quod absit, restitutionem decerni contingat, non suppressa, sed potius excitata hujus patriæ videbitur calamitas et tragœdia. Homo enim arrogantissimus et vafer ex doctis dolis consotus, ad seditionem et motum instructus, die noctuque, nulla occasione intermissa, in eo totius erit, impenseque laborabit, ut authoritate Apostolica eversa, Catholica Religione proculcata, tandem etiam Senioribus et sanioribus Monasteriensis Capituli membris graviter afflictis et proculcatis, Episcopatum universum perdat, totamque incolumitatem patriæ adversariis Catholicæ Religionis prodat, atque in manus tradat, quo superiorum temporum tot Statuum inferioris Germaniæ legationes, ad omnes conventus seu dietas nobilitatis hujus patriæ, ne dicam commiustiones pertinuisse videntur, quibus omnibus perturbationibus hac restitutione non tam finis impositus, quam camino oleum adhibitum esse videbitur, nunquam interturbatore illo quiescente, magis id adeo aliis ut incommodet, quam proprio emolumento subserviat, dum mala mens ac malus animus nihil quam fastum et ultionem spiret. Multis illo oppresso nunc silentibus, illo vero respirante et refocillato acriter evigilaturis, et ad proterviam majoremque irregularitatem revolaturis.

« Quæ Vestræ Sanctitatis decreta fuerint, et quo loco interturbatorem illum Vestra Sanctitas habuerit, copiæ Brevium Apostolicorum de anno incarnationis 1577. diei 29. Junii, item de anno 1578. diei 8. Aprilis, item de anno 1579. diei 15. Augusti hic adhibitæ Vestræ Sanctitati in memoriam revocabunt. Idem Vestræ Sanctitatis ac meum de interturbatore illo ac calum-

niatore judicium sententiamque esse, ex Brevibus Vestræ Sanctitatis ad Sacram Cæsaream Majestatem, Capitulum Ecclesiæ Monasteriensis respective, anno incarnationis 1579. die 15. Augusti in hac eadem causa destinatis et transmissis, apertissime apparet. Cum in utrisque Apostolicis et in literis Vestræ Sanctitatis ad me missis de industria et accurato studio, ut appareat, iisdem verbis Vestræ Sanctitatis sententia explicetur: Nos enim Conradi appellationem calumniosam judicamus, et cæteræ quidem appellandi causæ frivolæ sunt, illa vero importunissima, nostra videlicet decreta adversari Germanorum libertati, Conradi calumnia manifesta est. Sic enim interpretatur ille libertatem sitam esse in detrahendo Sedi Apostolicæ, in cujus authoritate contemnenda, in Ecclesiarum pace turbanda. Hoc autem Catholicorum Germanorum facit nemo. Sunt vero propriæ Conradi artes.

« Hisce literis Apostolicis, quarum etiam copias simul transmitto, diligenter consideratis et expensis, Vestram Sanctitatem imploro, ut hæc similia Vestra Sanctitas in animum revocans, in causa Westerholtiana debite ac legitime procedi demandet, vel juxta decretum Vestræ Sanctitatis per Breve Apostolicum mihi sub dato anno Domini 1578. die Aprilis 8. aliquando transmissum, cum incarcerari ac custodia emancipari procuret, quo super criminibus, de quibus suspectissimus et notorie reus, conventus judicio sistatur, et pro delicti gravitate sententia ac decreto Vestræ Sanctitatis condemnetur ac puniatur, ac tale in ipsum exemplum constituatur, quo improbi a sua improbitate deterreantur, insontes vero et oppressi releventur ac refocillentur. Sin aliter fiat, in grave authoritatis Sanctitatis V̄ræ nominis ac æstimationis meæ præjudicium cedet, quod Brevibus V. S. Apostolicis mihi transmissis, ut filio obedientissimo convenit ac par est, paruerim ac satisfecerim, filiumque meum unicum hæredem, fratre proh dolor ejus in Urbe Romana amisso; filio meo similiter charissimo, cujus anima æterna fruatur gloria, e conspectu ac oculis meis ad administrationem occupandam, ad laborem et nescio quas formidabiles perturbationes et molestias transire permiserim. Restituto enim Westerholtio, ea omnia quæ pro tuitione ac defensione authoritatis Vestræ Sanctitatis, ac patriæ istius incolumitate et tranquillitate hactenus a me facta ac peracta sunt, non tacite solum, sed propalam ab omnibus proscinderentur et damnarentur. Interturbatoris vero illius egregia facinora, atque atrox facinus omnium ore commendandum ac celebrandum passim promulgaretur. Quid hinc expectandum sit, et quid tandem cogitaturi Principes Orthodoxi et Catholici, tanta acerbitate risi et illusi, ne dicam cum adversariis Catholicæ religionis periculosissime commissi et exagitati, quanquam tardi et difficiles in mandatis ac Brevibus Pontificiis exequendis posthac se se declaraturi sint. Vestra Sanctitas melius secum animo reputatura est, quam id aut dici aut scribi possit. Nam si Sedes Apostolica non modo non puniat ejusmodi homines, sed ne quidem procedeat contra eos, et in ipsa Curia Romana securos vagari, et tandem impune abire eos patiatur, sive id timiditate fiat, sive alia quadam causa, quis tandem ipsos puniat, et ubi locorum contra ipsos procedendum erit, nisi Hierarchico Ordine dissoluto, quod Deus avertat, tandem ad Ecclesiæ Advocatos Jurisdictio propter conniventiam devolvatur, ut Vestra Sanctitas haud difficulter intelligat, quid tandem ex hujusmodi lenitate seu conniventia sperari debeat aut possit.

« Non obstante, quod a meo isthic agente cognoverim, Vestram Sanctitatem contra interturbatorem illum procedendum decrevisse, implorationes tamen seu favores a magni nominis viris pro Westerholtio fieri intellexi, quibus hactenus tutus et munitus, ne dicam roboratus, ad trimestre spacium in conspectu ac in oculis Vestræ Sanctitatis idque in Urbe Romana vagetur, versetur ac erret, nullo examine contra eum intentato, ut vix tandem conjectari possit, quid de negocio tam notorio ac manifesto expectari debeat. Et ut supra memini de sequestro mihi similiter relatum, quo amotis possessoribus Canonicatus ac Scholasteriæ Westerholtii, alii deputentur in sequestratores possessionis et beneficiorum ac fructuum. Cum vero hæc ad Ecclesiæ Monasteriensis ex antiquis et diuturnis mutibus ac dissentionibus, ad quietem aliquam ac concordiam jam revocatæ, novas flammas atque incendia turbarum, contentionum ac rixarum materiam spectent, ac alio referri nec debeant nec possint, ad non leve præjuditium et innovationem possessionis, quam possessores Westerholtianorum beneficiorum per multos menses quietissime et pacifice continuavere, et etiam nunc continuant, Vestræ Sanctitatis sollicitudinem imploro, ne in negotio præsenti maximis difficultatibus aggravato leviter, (quod absit) sed lente deliberato ac maturo judicio procedi Vestra Sanctitas curet. Ex superioribus enim querelis vel jam tandem irrefragabiliter, quæ contra Westerholtium in actis sunt exhibita, Vestra Sanctitas perspexit et percipere potuit, quod interturbator ille de manifestissimo perjurio convincatur, utpote qui emissa professione fidei, qua juravit se curaturum subditos sui Regiminis Catholicam fidem docere et tueri, nihilominus postea in publicis conventibus et dietis sollicitaverit pro libertate Religionis, id est Confessionis Augustanæ, affirmans, quinque Episcoporum ætate ac regimine eam conscientiarum libertatem concessam et usita-

tam fuisse, cum e contrario constet, eam perpetuo reprobatam, et singulis semestribus synodo celebrata exceratam et condemnatam; cui et hoc accedit, quod Tridentina Synodus a piæ recordationis Episcopo postremo publicata sit, ac Catechismus Tridentinæ Synodi Pastoribus ipsis decreto legendus et observandus traditus, quo nulla nota hæreseos huic Episcopatui inuri aut aspergi possit. Ad extremum visitatio decreta erat, quam casu fatali Episcopi accelerato, Westerholtius ratione locustenentiæ continuare et absolvere debuisset, sed studiose illa protelata ad libertatem Religionis spectavit, qua pandebatur non fenestra conjugii solum, sed cujusvis criminis ac sacrilegii; ut de provocatione ad civilem Magistratum taceam, Brevibus ac mandatis Apostolicis elusis, et in contumeliam Sedis Apostolicæ ab arbore (pro nefas) suspensis, quo facto hæreticorum vel ad minimum fautorem et defensorem aut hæreticum sese declaravit, quod et sarcasticæ et amarulentæ illæ voces profusæ, ne dicam maturo et deliberato animo contra plenitudinem potestatis Apostolicæ, Hispanicæ seu Romanæ inquisitionis authoritatem sub prætextu libertatis conscientiæ requisitæ, in scripturam famosumque libellum redactæ, manifestissime declarant, cujus asseverationis scripturam bona fide ex germanico in latinum translatam, item acta injuriarum et processum Fiscalis diligenter, si Vestra Sanctitas expendi curaverit. Ex iis vel jam tandem necessario consequetur, interturbatorem illum ipso jure beneficiis suis dudum fuisse privatum, vel attenta notorietate commemorati scripti per ipsum publice Statibus Monasteriensibus exhibiti, propediem privari debuisse, ut nulla vel juris vel æquitatis ratio admittat vel patiatur, hujusmodi periculosum sequestrum, quod turbarum sit plenum, ac ad manifestissimam innovationem publici status tendat, concedere aut elargiri. Nam quæ necessitas urgebit parvi aut exigui temporis sequestrum, quod certe exigui temporis futurum erit, si Vestra Sanctitas in ejus crimina animadvertere ac justitiam administrare velit. Præterquam quod Vestræ Sanctitati perpendendum reliquimus Westerholtiana beneficia hominibus probis et Catholicis, exceptis muneribus et officiis, quæ ejus complices haud gravate susceperunt, in eum finem collata et assignata fuisse, quo interturbator ille ab Ecclesia et Capitulo Monasteriensi repelleretur, pax et tranquillitas sæpius frustra requisita, Ecclesiæ et Nobilitati quasi ex postliminio facilius restitueretur, et reparata simul cum Ecclesiastica disciplina Pontificalis authoritas rediret. Ad quam rem Vestra Sanctitas suam voluntatem et sententiam non solum coram meo et Capituli agente, verum etiam coram Regis Hispaniarum Legato seu Ambasiatore benignissime declaravit, Vestram Sanctitatem post discussionem negocii, quod Westerholtius ad se purgandum in itinere versaretur, præfatis possessoribus nova provisione succursuram esse. His omnibus semotis nulla præsentis negotii seu causæ difficultas suboriri potest, quod ego una cum filio meo charissimo Administratore Monasteriensi, cum ipso Capitulo ad omnem obedientiam Vestræ Sanctitati præstandam prompti, alacres ac parati simus, ut nulla subsit ratio juris vel æquitatis, quæ Vestram Sanctitatem ad hujusmodi periculosum sequestrum permittendum inducere vel commovere possit.

« Petimus itaque Vestram Sanctitatem, ut major habeatur ratio Catholicæ fidei, pacis et tranquillitatis publicæ, quam implorationis aut emendicatæ intercessionis eorum, qui procul ab hac patria absunt, ejusque statum nec causæ hujus merita, vel rationes me moventes non intelligunt, aut ab intercessione pro interturbatore illo facta, privatum aliquod commodum seu emolumentum sperare (etsi ex longinquo) videantur.

« Et cum ex tractatione rerum Monasteriensium jam aliquot annis agitata, meam fidem et integritatem Vestra Sanctitas plene et haud dubiis argumentis perspectam ac cognitam habeat, decet, ut Vestra Sanctitas nostræ integritati in hoc negotio fidem majorem et uberiorem adhibeat, et ea quæ juri ac æquitati consona sunt, decernat. Eadem enim fide et integritate in administratione, tuitione ac defensione patriæ commemoratæ nos in posterum versaturos pollicemur ac promittimus, idque Vestræ Sanctitatis ductu, voluntate et assensu, ut hactenus a nobis factum in omnibus observando et sequendo, quod et nobis ad extremum vitæ terminum firmiter statutum. Et quamvis ob causas commemoratas satis prægnantes et graves, juri ac æquitati consonas, omniumque nationum legibus et consuetudinibus confirmatas, decreto Pontificio Vestræ Sanctitatis hactenus stabilitas, durum mihi videatur Westerholtio sequestrum aut restitutionem decerni. Id tamen si contingeret, in non leve præjudicium authoritatis Apostolicæ, administrationis mei charissimi filii, Capituli Monasteriensis, tamen ferendum et æqua mente sustinendum foret, ac Deo Optimo Maximo æquissimo Judici committendum, et patienter, quantum fieri posset, ferendum. Interim tamen eam curam et sollicitudinem Vestra Sanctitas sibi commendatam habeat, ut Hierarchici Ordinis Præsul, ac ministerii Ecclesiastici Ecclesiæque militantis caput, cui eloquia Dei ac inexhausta sanguinis Christi unda ex plenitudine Apostolicæ potestatis concredita est, Germania atque Belgio miserabiliter afflicto, ut a vertice ad plantam usque pedis vix in eo sit sanitas, ut patria commemorata, quantum

fieri possit, ab hujusmodi calamitate et miseria, hactenus majori ex parte defensa et tutata, in posterum conserventur. Ad quam rem omnes nostras fortunas Vestræ Sanctitati offerimus, et id facile futurum speramus, si hominibus hæreticis, aut hæreticorum fautoribus aliisque interturbatoribus Reipublicæ, qualis Westerholtius, acriter, mature, remediis congruis ac magno animo occurratur; quod Vestram Sanctitatem facturam minime dubitamus. Hoc enim homine inquieto restituto aut præsente, nullus concordiæ locus futurus est. Atque his Sanctitati Vestræ me quam humillime commendo, quam Deus Optimus Maximus quam diutissime fœlicem et florentem ad ejus gloriam et Reipublicæ Christianæ salutem conservare dignetur. Datæ ex arce mea Hambach pridie Calend. Decembris anno 1580.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentiss. filius

Guilhelmus Dux Juliæ etc.

P. Langer.

VIII. — Electus Coloniensis Præsul eo studio, eaque animi fortitudine rem catholicam in conventu Coloniensi propugnavit, ut omnibus magnam sui admirationem fecerit. Quod nimirum perplures tum Nuntii Apostolici, tum Legatorum Principum ad Pontificem litteræ testantur. Legas ad calcem quas Dux Terræ Novæ scripsit. [*] Gregorius aden tantorum virorum de hoc Præsule testimonio confisus, nihil dubitavit, quin illum auctoritate Apostolica confirmaret, laudaretque vehementer. [*]

[*] Mantissa document. N. 25

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 142. f. 283.

Venerabili Fratri Gebardo Archiepiscopo Coloniensi, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Confirmavimus electionem tuam, ut postulabas; idque libentissime fecimus, quia certam habemus Fraternitatem Tuam isto in gradu amplissimo omnem curam ad Dei gloriam, ad animarum salutem, ad Catholicam syncoritatem tuendam, iisque in locis, in quibus depravata est, restituendam: cujus quidem voluntatis magnum argumentum dedisti in rebus Belgicis; sic enim accepimus, te omni cura et studio de pacificatione nixum fuisse, semperque vigilasse, ne quid Catholica Religio detrimenti acciperet; neque enim potuisset aliter pax consistere: providisse etiam de gymnasiis hæretica peste correptis e tua Civitate amovendis, de Senatoribus Catholicis eligendis, iisque jurejurando proprio et certo, atque ab hæreticorum calumniis libere obligandis, de hæreticorum conventibus prohibendis, de libris summa cura et diligentia cudendis atque edendis, omnibus denique remediis adversus hæreticorum insidias atque impetus adhibendis. Hæc enim omnia narravit Venerabilis frater Archiepiscopus Rossanensis tanto nostro cum gaudio, quantum non facile est commemorare. Perge igitur, ut cœpisti, quæque tanta cum pietate et laude aggressus es, perfice ac tuere, certumque habe semper Deum tuæ pietati causæque suæ affuturum, quæque possunt videri humanæ sapientiæ difficilia, et summa cum facilitate explicaturum. Si qua autem in re opus esse intelliges nostra auctoritate atque opera, fac Nos certiores; habebis paratissimos. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Martii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

Quod et Canonicis Ecclesiæ Coloniensis significavit: eosdem insuper exhortatur, ut tam præstanti Præsuli opera et consilio adsint. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 141. f. 284

Dilectis Filiis Decano et Capitulo Ecclesiæ Coloniensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Ex quo tempore elegistis Gebardum tum Ecclesiæ vestræ Canonicum, dignumque judicastis, quem Archiepiscopum et Pastorem haberetis, existimavimus vos in eo negocio summam rationem habuisse Ecclesiæ vestræ dignitatis ac tranquillitatis, et Dei gloriæ, quod etiam vestris literis affirmastis, neque vero fefellit Nos spes nostra, ea enim cognovimus de præstanti Electi pietate, prudentia, zelo, quæ maxime optabamus. Itaque electionem, ut postulabatis, confirmavimus. Vestrum nunc erit Venerabili fratri nostro, Archiepiscopo vestro amantissime obtemperare, gravissimumque illius onus vestra obedientia atque opera allevare, omnibus in rebus Dei gloriam propositam habere, pacem et charitatem eam inter vos colere, quam Christus voluit esse certissimum discipulorum suorum insigne; omnibus denique in rebus curare, ut nullam cuiquam offensionem tribuatis, ne vituperetur ministerium vestrum, hæc vos diligentissime observaturos in Domino confidimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Martii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

IX. — Colonienses quoque cives, hac opportunitate arrepta, gravissimis verbis ad Catholicam Religionem tuendam, hæreticos vero comprimendos excitat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. IX ep. 34. f. 331.

Dilectis Filiis Senatui et Consulibus Reipublicæ Coloniensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Etsi nihil necesse esse intelligimus viris Catholicis, summa semper cum laude in fide orthodoxa colenda et tuenda versatis, hujus ipsius fidei causam commendare; tamen hoc Nos facere cogit gravissimum munus Nobis a Deo impositum, et summa hæreticorum perfi-

dia, quorum studio ac conatibus in Christi grege perdendo inferiorem esse pastoris, cæterorumque præfectorum curam ac vigilantiam in tuendo, absurdissimum est, neque tantum gregi, sed præfectis quoque ipsis exitiosissimum. Illud vero cavendum in primis est, quod monebat Sanctissimus Hieronymus. Super nefaria, ajebat ille, hæresi, quod multam patientiam geris, et putas Ecclesiæ visceribus incubanter posse corrigi lenitate, multis Sanctis displicet, ne dum paucorum pœnitentiam præstolaris, nutrias audaciam perditorum, et factio robustior fiat. Quam multas vero provincias et regna cunctatio ista et pacis spes perdiderit, exploratum esse sapientiæ vestræ non dubitamus. Et vero quæ potest esse participatio justitiæ cum iniquitate, quæ societas luci ad tenebras, quæ conventio Christi ad Belial, quae pars fideli cum infideli, quis consensus templo Dei cum Idolis? Gerunt hæretici inane quoddam Christianorum nomen; cæterum illi tantum absunt a Christo, quantum a fide, fundamentum enim fidei Christus est. Verissime autem dicitur, neque ullam esse posse majorem concordiam, quam de Deo, deque Catholica fide consensionem, neque ullum majus dissidium aut graviores inimicitias, quam de fide et Religione susceptas. Rogamus igitur vos per viscera Jesu Christi, cujus causa maxime agitur, perque ejus sanguinem, quo redempti estis, ut quemadmodum ipsius gratia in fide Catholica consentitis, sic summa animorum consensione hæreticorum conatibus obsistatis, Christique ipsius opus, hoc est animarum salutem commendatam habeatis, fideique eversores, salutis hostes ab ista Republica vestræ charitati commissa propulsetis tanto studio atque ardore, quantum Christi sanguis, et totius corporis vulnera quasi tot ora efflagitant, neque sinatis aut veteres hæreses istic consistere, aut novas, quas excitari et clandestinis cantiunculis ali accepimus, latius disseminari ac serpere. Adsit vobis virtus Christi, cujus charitas has a Nobis literas expressit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Julii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

X. — Archiepiscopo Trevirensi de concordia cum suis civibus instaurata valde gratulatur [*]; gaudetque in primis ei facultatem oblatam esse Religionem Catholicam magis asserendi, et Ecclesiasticam disciplinam tutius certiusque excolendi. Commendat denique vehementissime Abbatis Fuldensis causam. [*]

[*] Vide Hontheim hist. diplomat. Trevirensem T. III.192 164.

[*] Reg Gregorii XIII. An. IX. ep. 40. f. 330.

Venerabili Fratri Jacobo Archiepiscopo Treverensi, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Controversiam eam, quam habebas cum tuis Treverensibus de jurisdictione, tandem finitam esse, et secundum te judicatum fuisse, Treverensesque ipsos summo consensu factum probasse, tibique Civitatis possessionem clavesque tradidisse, seque etiam jurejurando obstrinxisse, jamque omnia pacata et tranquilla esse, jocundissimum Nobis fuit ex literis Fraternitatis Tuæ cognoscere; ob eam scilicet causam, quam scribis, quamque tibi summopere semper cordi fuisse certum habebamus. Gaudemus igitur, datam esse Fraternitati Tuæ potestatem pietatis exercendæ, in rebus gravissimis, maximeque propriis pastoris curæ et diligentiæ, nimirum in Ecclesiastica disciplina restituenda, in Catholica Religione conservanda, inque hæreticorum omnis religionis et sanctitatis hostium colluvie ex ista nobilissima Civitate ejicienda: hæc diligentissime curaturum te, et nostra bonorumque omnium de tua virtute opinio, et tuæ ipsius literæ Nos dubitare non sinunt. Illud etiam rogamus Fraternitatem Tuam, ut causam dilecti filii Balthasaris Abbatis Fuldensis quam commendatissimam habeas, et quantum possis, de restitutione, aut certe de compositione agas. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Julii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

Habes etiam litteras ejusdem Archipræsulis, quibus exoptatissimum bone eventum Pontifici significat, simulque quanto in studio sit rei Catholicæ augendæ significat; consilium denique exponit Societatis Jesu Collegium in oppido Confluentiæ instituendi, quodque Gregorio valde sit probatum, id nimirum sibi accidisse gratissimum. [*]

[*] Germania Vol 13. fol. 161.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Gregorio ejus Nominis XIII. Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Post debitam obedientiam et devota semper sacrorum pedum oscula.

« Beatissime Pater ac Domine, Domine clementissime. Quemadmodum controversiæ eæ, quæ cum Civitate mea Trevirensi mihi et antecessoribus meis diuturnæ satis et graves fuere, tandem XVIII. proxime elapsi mensis Martii Pragæ per Cæsaream Majestatem et suæ Majestatis, nec non aliorum Romani Imperii Principum Electorum ad hoc deputatos Commissarios et Consiliarios, latis desuper publice diversis sententiis, decisæ, indeque palam omnibus factum sit, mihi et prædecessoribus meis inique eas lites motas, Civesque nostros injustam, nos justam fovisse causam, Sanctitati Vestræ ex suo ad aulam Cæsaream Nuntio, Rmo et Illmo Domino Horatio Marchione de Malaspina et amico meo colendo (siquidem suæ Dilectioni per Cancellarium meum sententiæ ejus copia statim post publicationem communicata fuit) innotuisse existimo. Cum autem animum meum subeat, Sanctitatem Vestram paterna sua sollicitudine

non parum causæ hujus expeditioni, quo ea maturaretur, momenti attulisse, intermittere non debui, quin Sanctitati Vestræ immensas hoc nomine haberem gratias, hancque ejus quoque certiorem redderem, quod post latam sententiam, et obtentam via juris et justitiæ causæ totius victoriam, mihi longe optimum Dei singulari munere accidit, nimirum quod Cives et populum ipsum pacatiorem multo obsequentioremque, quam fore putaram, invenerim. Unde bona omnium pace, nemine reclamante, vicesima quarta hujus una cum Canonicis Metropolitanæ meæ Ecclesiæ Trevirensis, quos Civitate exulare rebellione sua coegerant, Civitatem ingressus sum, claves rursus in potestatem meam redierunt, ipsaque Communitas se mihi publice fidelitatis juramento adstrinxit, et in reliquis quoque obsequentem exhibuit; ita ut Dei singulari adjutorio in eorum, quæ mihi adjudicata sunt, possessionem absque strepitu restitutus sim. Nunc vero id mihi maxime cordi atque curæ est, quo auxiliante Deo, Ecclesiæ meæ Metropolitanæ aliarumque, et totius Cleri hujus meæ Civitatis statum pristino nitore, quoad possibile, restituam, Ecclesiasticam disciplinam instaurem, hæreses, si quæ irrepsere, extirpem, pacem denique tranquillitatemque Civitati, administrationem atque omnem ejus politiam bonis firmisque initiis fundando reddam. Quod Dei adjutorio effectum iri brevi spero.

« Scripsit ad me nuper Rmus in Christo pater Dominus Joannes Baptista Castaneus, Archiepiscopus Rossanensis et amicus meus colendissimus, Sanctitatis Vestræ literas una transmittendo, quibus debita cum reverentia (nam quod ad eas Sanctitatis Vestræ literas, quæ causam Fuldensem concernunt, et prius his ad me emanarunt, attinet, adnitar sedulo, ut Sanctitatis Vestræ mandato et voluntati, quantum in me erit, satisfaciam) exosculatis atque perlectis cognovi, etsi prædicatione ea Sanctitatis Vestræ me indignum agnoscam, studium tamen meum operamque in pacificationis negotio præstitam Sanctitati Vestræ probari, quo nomine non potui non summopere lætari: quemadmodum et illud non parum gandii animo meo attulit, quod a Sanctitate Vestra propositum meum erigendi novum Collegium Jesuitarum in oppido meo Confluentinensi laudatum, quodque Sanctitatem Vestram ad consentiendum postulatis, hujus rei causa per memoratum D. Archiepiscopum Rossanensem Sanctitati Vestræ meo nomine expositis, propensam intelligam. Quare a Sanctitate Vestra quam humillime enixeque rogo, ut postulatorum eorum memor esse, et literarum desuper opportunarum et necessariarum expeditioni gratiose annuere atque adsentiri velit. Hoc Sanctitatis Vestræ beneficio animarum saluti et juventutis meæ Diœcesis probæ institutioni plurimum consuletur. Quam Deus omnipotens Ecclesiæ suæ Catholicæ et nobis quam diutissime salvam atque incolumem conservet. Ejusdem Sanctitatis Vestræ tutelæ me meamque Diœcesim quam devote commendans. Datum ex Civitate mea Trevirensi die ultima Maji anno etc. MDLXXX.

Sanctitatis Vestræ

Devotus

Jacobus Archiepiscopus Trevirensis.

XI. — Herbipolensis Præsul Pontifici plurimas agit gratias, primo de facta sibi facultate Sanctorum reliquias ex quocunque Germaniæ loco extrahendi, præsertim ex iis locis, quæ vel hæreticis referta erant, vel in eorum potestatem venerant; quo etiam cavebatur, ne eædem reliquiæ contemptui haberentur: deinde quod Seminarium nuper ab se conditum reditibus auxerit. (*)

(*) Lit. Principum Vol. 3. fol. 183.

Sanctissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Gregorio XIII. Sacrosanctæ Romanæ et Catholicæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Post devota pedum Vestræ Sanctitatis oscula beatorum et humillimam mei commendationem.

« Beatissime Pater. Duo Brevia nuper a Sanctitate Vestra ad me gratissime missa (quorum alterum facultatem extrahendarum sacrarum Reliquiarum ex quocunque Germaniæ loco, alterum Seminarii mei Herbipolensis necessariam sustentationem concernit) tanta cum animi mei lætitia et oblectatione accepi, quanto antea desiderio et aviditate eadem a Sanctitate Vestra mihi concedi optavi et expectavi. Pro quibus si non quas debeo, at certe quas possum maximas gratias ago. Ut autem Sanctitas Vr̃a se isthæc beneficia non male posuisse jam nunc intelligat, dedi accuratam operam, ut Sanctorum Reliquiæ, quæ alioquin horum temporum injuria passim apud nostros in contemptum venerunt, indiesque apud eosdem vilescunt, magis decenti loco cum debito honore reponantur, conserventur et habeantur: deinde ut Seminarium Herbipolense certis, et pro numero alumnorum convenientibus reditibus, juxta præscriptam in Sacro Concilio Tridentino contributionis formam, primo quoque tempore ita firmetur et stabiliatur, ut Sanctitatem Vestram hujus in me vel potius in Seminarium collatæ gratiæ, non modo pœnitebit nunquam, quin potius ex eadem collatione brevi uberem voluptatem et Ecclesia hæc speratam utilitatem accipiet.

« Quod reliquum est, Sanctitati Vestræ me meamque Ecclesiam quanto possum studio et animi submissione enixe commendo et trado, quam, ut Deus Optimus Maximus universali suæ Ecclesiæ quam diutissime superstitem faciat, salvam et incolumem conservet, ex intimo pe-

ctoris voto exopto. Datæ in Urbe mea Herbipoli xxv. die mensis Junii anno MDLXXX.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius

JULIUS EPISCOPUS HERBIPOLENSIS.

XII. — Archiepiscopus Salisburgensis in diutinum morbum implicitus, atque adeo ab Diœcesi curanda impeditus Pontificem supplex adiit, ut sibi facultas fieret Episcopum Coadjutorem cum fotura successione adsciscendi. Cujusmodi consilium se iniisse dicit, auctoribus tum Feliciano Episcopo Scalensi, Nontio Apostolico, tum ipsis Ecclesiæ Cathedralis Canonicis, qui id ea maxime de causa suadebant, ot turbarum motibus, qoos Præpositus Capituli, homo plane perditus, excitaverat, quique ægrotante Præsule omnia ad arbitriom et libidinem miscuerat, omnis via ioterclauderetur. [*]

[*] Germania Vol. 45. fol. 190.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

« Sanctissime Pater ac Domine, Domine Clementissime. Præmissa omui obedientia et reverentia cum humillima mei commendatione, ac devoto sacrorum pedum osculo. Cum gravis et anceps morbus apoplexiæ, qui me ante sesqui annum ferme corripuit, vires tam animi quam corporis adeo labefactasset, ut iu summo vitæ discrimine versari, nec rebus gerendis ullam cogitationem, nedum curam impendere posse viderer, intimi consiliarii mei tum Ecclesiastici, tum etiam laici multis causis in medium adductis oretenus et scripto effecerunt, ut eis rerum eum spiritualium, tum temporalium administrationem curamque omnem permiserim, sperans id Ecclesiæ meæ commodo utilitatique cessurum : verum cum Decanus proxime depositus Wilhelmus de Trautmansdorff, qui inter omnes quasi principem locum usurpabat, dum me morbo ac molestiis occupatum obsessumque videt, taotum sibi imperium vindicasset, ut cæteris præ se neglectis solus omnia agere, proprio nutu decernere, cœlum terramque miscere, suum commodum quærere, huic Ecclesiæ periculum ac perniciem creare velle observaretur, Rñdus Dominus Episcopus Scalensis Saoctitatis Vestræ Nuntius, cui a nonnullis Canonicis aliisque viris erga hanc Ecclesiam bene animatis admonito, illius actiones facile perspectæ erant, et scopus quasi prævisus vicem meam Ecclesiæque meæ amice dolens, effecit apud Sanctitatem Vestram, ut hoc munus, quod ille male gerebat ac præter modum usurpabat, Præposito et quibusdam aliis a Capitulo deputandis per Breve commissum fuerit, ita tamen ut consensus etiam meus interveniret. Quod sane debitum etiam effectum habuisset, nisi ille (ut est ingenio ad dolom parato), miris technis proprio marte effictis longe secus hominum voluntates expressisset, quam re vera erant, ut postea optime animadverti. Impedivit ille executionem, quam Ecclesiæ salutarem ac fructuosam (at suis consiliis contrariam) fore sciebat, imo etiam magno conatu obstitit, quo minus præfatæ literæ Apostolicæ Capitulo ostenderentur, procul dubio in hunc finem, ne tractatus, quem clam inceperat ac sensim promovere meditabatur, in ipso limine rueret, ac minus suum sortiretur progressum. Post hæc viam sibi jam quasi structam ac munitam existimans, nefarias et pestiferas quasdam actiones moliri et instituere cœpit contra hujus Ecclesiæ dignitatem utilitatemque, contra honorem ac salutem meam, contra suam fidem et patriæ charitatem, contra omnia jura divina et humana ac Capitularia statota, quæ nisi mature Dei in primis clemeotissimi auspiciis, deinde etiam aliqoorum provido consilio fuisseot oppressæ ac restinctæ, jam fere in maximo rerum incendio et perturbatione versaremur. Hoc nimirum est, quod me longe magis quam ipsa vis morbi afflixit et cruciavit. Licet autem ille propriis literis, quarum inventus est magnus fascis, aperte convictos et pœnis mulctatus, modo in arcis eustodia retineatur, ita varios tamen coocitavit motus, ut minima etiam vestigia metuenda siot, nisi primo quoque tempore omnis occasio tollatur. Quare Capitulum peremptorie convocatum, inter cætera diligenter mecum egit de aliquo Coadjutore ex illorum gremio instituendo, propter gravissimas causas et Ecclesiæ meæ multiplices necessitates com futura successione, cujus fideli opera et studio utar in his, quæ ipse præstare valetudine prohibeor. Re itaque diu mecum considerata, et cum R. D. Sanctitatis Vestræ Nuntio præfato ob ejus in me synceram benevolentiam amoremque, ac nonnullis aliis mature communicata, deliberavi, concessique, ut Canonici Coadjutorem cum futura successione, qoi cum adjunctis Consiliariis ad res spirituales ac temporales hujus Ecclesiæ bene gerendas et procorandas idoneus sit, et cor suum ad Deum habeat directum, Spiritus Sancti numine invocato eligant, ea tamen conditione, ot summa rerum penes me sit, quamdiu vitam Deus concesserit. Ad hæc ne prius electio Coadjutoriæ scilicet instituatur, quam Sanctitas Vestra ad eam benignum consensum præbeat, et post electionem ne Electus ad muneris sui executionem accedat, nisi post obtentam confirmationem Apostolicam. Hanc ob causam et pro obtinendo Sanctitatis Vestræ consensu ablegavi ad Sanctitatem Vestram præsentium latorem Joannem Fenzouom, a præfato Rñdo Dño Noutio ex ejus familiaribus mihi roganti concessum, ut pro ea, qoam habet, Romanæ Curiæ experientia maturum hujus negotii successum diligenter solicitet, quem statim expediri ac di-

mitti maxime cuperem; multum enim periculi in mora videtur positum, veluti ex sæpedicti R. D. Vestræ Beatitudinis Nuntii literis Sanctitas Vestra diffusius intelliget. Quod reliquum est, Beatitudinem Vestram sacris pedibus provolutus quam humiliter oro, ut me Ecclesiamque meam etiam in posterum non minus commendatam sibi habeat, quam hactenus clementissime factum est: Sanctitati Vestræ Dominus Deus omnia bene vertat ac fortunet. Datæ Salisburgi die x. Maji 1580.

Ejusdem Beatitudinis Vestræ

Humilimus et devinus Cappellanus
Joannes Jacobus Archiepiscopus
Salzburgensis.

[*] Reg. Gregorii XIII. An. IX. ep. 2. fol. 308

Gregorius ejus precibus libenter annuit. [*]

Venerabili Fratri Joanni Jacobo Archiepiscopo Salisburgensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis Fraternitatis Tuæ, quas Nobis reddidit dilectus filius Joannes Fenzonus, quem ad Nos misisti, cognovimus, quantopere angaris de rebus Ecclesiæ tuæ, cupiasque talem tibi Coadjutorem adjungi, qualem res ipsa maxime postulat; ejus nimirum, cujus tum præsenti opera, tum futura in Archiepiscopatu successione Ecclesiæ istius nobilissimæ tranquillitati atque incolumitati provideatur. Quæ quidem cogitatio et cura dignissima est pietate tua, et perpetuo tum Ecclesiæ tuæ amplitudinis, tum gregis tibi a Deo commissi salutis studio; quo etiam ardere te in tam molesta, tamque gravi valetudine non potest sine summa tua laude et bono contingere. Faciat igitur Fraternitas Tua, quod tantopere cupit, curetque, ut Coadjutorem habeat virum optimum, Dei timore, charitate, doctrina, prudentia præditum, tamque gravi munere sustinendo idoneum, omnique ex parte, quoad fieri poterit, perfectum. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Junii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

XIII. — Idem Præsul, narrata tristissima suæ Diœcesis conditione, Abbatem S. Lamberti in Styria superiore, resque ejus monasterii Gregorio quam maxime commendat. [*]

[*] Germania Vol 43. fol. 178.

Sanctissimo in Christo Patri et Dño, Dño Gregorio XIII. Divina Providentia Sanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Colendissimo.

« Sanctissime Pater ac Domine, Dñe clementissime, præmissis obedientia ac reverentia tum debitis, quam condignis, cum humilima mei commendatione, ac devotis beatorum pedum osculis. In quibus miseriis, ærumnis ac calamitatibus non tantum catholica religio, sed etiam universus cleri cœtus in his partibus positus sit, non dubito Sanctitatem Vestram experientia ipsa, et optimorum virorum scriptis, et querelis jamdudum cognovisse: et comprobat illud cum Turcica tyrannis, tum hæreticorum ex omni parte grassantium et oppugnantium quasi conatus, quibus cum Dei præpotentis ope, ac Sanctitatis Vestræ et catholicorum Principum auxilio resistitur, omnes vires, facultates ac reditus misere afflicti cleri ita exhauriuntur, ut omnis interitus merito pertimescendus sit. Quod quidem Joannes Abbas monasterii Sancti Lamberti, in Styria superiori siti, omni commendatione dignus, hactenus cum gravissima jactura expertus est, adeo ut sine Sanctitatis Vestræ, tamquam supremi et unici sui Ordinarii, auxiliatricibus manibus sese et conventum suum sustinere non posse, apud Sanctitatem Vestram humilimis suis literis conqueri sit coactus. Ut autem præfatus Abbas, vir et pastor utique pius et vigilans, optatum votorum suorum consequatur exitum, arbitratur, illud etiam intercessione mea facilius impetrari posse; quare suis precibus hac in parte non potui deesse, fidens Sanctitatem Vestram pro sua innata bonitate ac pietate, maximoque zelo, quem pro conservanda catholica religione et monastica vita habet, clementissime suas partes esse interposituram. Est enim Christiana Respublica, quod Sanctitatem Vestram minime latet, in eo statu, ut nisi aliquid novi remedii adhibeatur, omnia omnino ruinam minitentur. Oro igitur Sanctitatem Vestram quam humilime ad ejusdem pedes provolutus, ne preces et obsecrationes jam nominati Abbatis et conventus sui aspernetur: est enim illud non tantum ad insignem Sanctitatis Vestræ laudem universo mundo cognitam, sed etiam Christianæ Reipublicæ nunquam intermorituram utilitatem redundaturum: et ego me quoque hoc beneficio ita affectum esse arbitrabor, ut Sanctitati Vestræ perpetuas agere gratias merito debeam, quam Deus Omnipotens pro felicis Ecclesiæ suæ regimine diutissime florentem et salvam conservet, cujus sacris pedibus me denuo humilime commendo. Datum Salisburgi die XXIII. mensis Novembris anno Domini MDLXXX.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Humilimus et devotissimus Capellanus
Joannes Jacobus Archiepiscopus
Salzburgensis.

XIV. — Hæc Diœcesis, præsertim ejus pars, quæ Ducatui Styriæ est finitima, rusticorum tumultibus, qui jam inde a Lutheri tempore excitati fuerant, valde vexabatur, ut Canonicus quidam Salisburgensis Episcopo Scalensi Nuntio Apostolico refert. [*]

[*] Germania Vol 82. fol. 18.

Reverendissime in Christo Pater ac Domine, Domine Nuntie Apostolice dignissime.

« Reverendissimus noster mediocriter valet, laus Deo, sed turbatur ex tumultibus Flaccia-

norum rusticorum, qui in Valle Caciana Carinthiæ Ecclesiam Parochialem involarunt, ibique perniciosam hæresim violenter exercent: quæ ad hoc malum remedia parentur, expecto. Quod si rebus labentibus serius succurratur, timendum est, ne idem attentari siut nostri rustici, qui citra Taurum in regione Rastadiana habitant, ubi idem hæresis pullulat. Dicitur Lutheranos Clagenfurtenses non paucos illius hæresis Flaccianæ citasse, quosdam proscripsisse, cæteros vinculis tenere, nec sibi parum ab illis furiis timere. Sic miseri illi inter se digladiantur. Deus det pacem Ecclesiæ suæ Catholicæ, cujus protectioni nos, meque simul Reverendissimæ D. V. studiosissime commendo, eamque diutissime valere cupio. Datæ Salisburgi die XIX. Februarii etc. 1580.

Rmæ Dominationis Vestræ

ad servitia paratissimus

Jo. Baptista Fickllerus D. etc.

XV. — Cum Carolus Archidux Austriæ nihil magis studeret, quam ut res Ecclesiæ in Ducatu suo Styriensi ad Pontificis vota componerentur ac regerentur; cumque Episcopus Scalensis, cui hæc provincia anno superiore commissa fuerat, in Germania maximis Ecclesiæ negotiis distineretur, a Pontifice petiit, ut alium Episcopum illuc mitteret, qui huic operi tanta cum laude ab Episcopo Scalensi suscepto, ultimas manus apponeret. Gregorius optimæ Principis voluntati libentissime obsecutus, ad eum misit Germanicum Malaspinam, virum præstantissimum. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et sæculi V. Vol 29. ep. 7.

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Fecimus semper omnia libenter, quæcumque velle te animadvertimus, hoc autem, quod non tua ipsius causa, immo vero hoc nomine maxime tua, quæ Dei causa percupere Nobilitatem Tuam cognovimus, facimus libentissime. Nihil enim potest Nobis jucundius accidere, quam ea a Catholicis Principibus laborari, quæ maxime pertineant ad Dei gloriam, Catholicæque Religionis amplitudinem; nihil optatius, quam posse nostra auctoritate atque opera illorum pietati inservire, nostroque muneri satisfieri. Quia igitur cognovimus, decrevisse te, pro tua præstanti pietate Catholicæ Religionis rebus in tua ditione providere, quæque adhuc integra essent, conservare, quæ depravata, restituere, cupere vero aliquem habere, cujus opera et consilio ad hæc uti posses, misimus Alexium Nepesinæ Ecclesiæ Episcopum, quia vero ille in itinere obiit, mittimus nunc dilectum filium Germanicum ex Marchionibus Malaspinæ, utriusque Signaturæ nostræ Referendarium, Nuntium nostrum, quem semper plurimi fecimus propter præstantem tum generis, tum animi nobilitatem, prudentiam, modestiam, humanitatem, integritatem, cujus operam ad tam necessarium, tamque præclarum negotium fructuosissimam fore in Domino confidimus. Non dubitamus, Nobilitatem Tuam omnibus in rebus, de quibus et in adventu ipso, et in posterum tecum aget nostris verbis, omnem ei fidem tributuram. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VI. Septembris MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

XVI. — Carolus tanta animi promptitudine saluberrima Nuntii consilia est amplexus, ut edicto ad omnes Provinciæ suæ civitates misso vetuerit, parentes Catholicos filios suos hæreticis magistris instruendos tradere; jusserit vero ad collegium Græcense Societatis Jesu mittere. [*]

[*] Germania Vol. 81. fol. 133.

Carolus etc. etc.

« Potestis sine dubio quam obedienter meminisse, quid nos vobis jam antea duabus vicibus, tum 30. Martii elapsi anni 75. tum 10. Aprilis præsentis anni 80. in causa liberorum vestrorum, quos artibus liberalibus instituendos censetis, clementissime scripserimus, nimirum quod severe et serio mandaverimus, ut juventutem vestram ab externis ad nos non spectantibus scholis revocaretis, et illam non alio quam ad nostrum Archiducale Collegium mitteretis. Sed quoniam hujusmodi res hucusque non modo non effecta, (nulla habita ratione nostræ clementissimæ et æquissimæ admonitionis) verum etiam nullum adhuc nobis, cur haetenus neglecta sit, transmissum responsum est, abundantissimas causas haberemus hanc vestram inobedientiam et negligentiam pœna significata castigandi. Adhuc tamen amplius serio vobis mandamus, ut huic et præcedenti nostro clementissimo decreto sine ulteriori dilatione obedienter et efficaciter satisfaciatis; et nihilominus etiam de causis dilationis vestræ una cum numero liberorum vestrorum, quos hinc inde in alienas scholas studendi gratia mittitis, nos quam primum certiores facietis, nec ulteriorem amplius ob hanc rem admonitionem expectetis. In hoc nostræ seriæ voluntati fiet satis. Grætii 21. Octobris anno 1580.

Gregorius statim sibi faciendum existimavit meritis illum laudibus efferre, ac simul exemplis ab tota ecclesiastica antiquitate petitis monere, ut imperio suo subjectos a legendis hæreticorum libris arceret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An IX. ep. 87. f. 371.

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. De edicto Nobilitatis Tuæ, quo pueri prohibentur ad hæreticorum scholas ire, jubenturque Magistris Catholicis uti, tanto cum gaudio accepimus, quantum æquum fuit Nobis afferre laudem tuam Dei gloriam, anima-

rum salutem. Nihil enim debet esse Catholicis Principibus commendatius Catholica Religione; nihil potest esse huic ipsi Religioni, ac Dei gloriæ adversarium magis impia hæreticorum doctrina; nihil hac peste animabus Christi sanguine redemptis exitiosius. Vetus hæc cautio est; fuit enim olim proposito anathemate interdictum, ne Catholici hæreticorum libros haberent, legerentve, mandatumque illorum scripta omnia Episcopis tradi et cremari, neque id modo decreverunt in Conciliis Patres, sed optimi etiam Principes executi sunt. Itaque Theodosius ex decreto Synodi Ephesinæ, Nestorii et Theodori Mopsuesteni libros cremavit; adjecit etiam Porphyrii Apostatæ libros adversus Christianam Religionem editos; Justiniani quoque jussu cremati fuerunt libri Anthymi et Severi, quas Quinta Synodus Constantinopolitana hæreticos esse judicarat damnaratque. Duorum item illorum portentorum Vuicleff et Hus scripta Synodi Constaotiensis Decreto incensa fuerunt. Videbant enim viri sapientissimi, nihil melius, nihil Catholicæ Ecclesiæ salutarius fieri posse, quam si huic cancro, qui subito universas Civitates ac Provincias corripere solet, ignis quamprimum adhiberetur; teneram vero ætatem, facilemque ut ceram ad quamvis formam accipiendam, hoc veneno imbui: quod quidem edicto tuo prohibitum est, exitiosissimum esse omnes intelligunt. Hortamur igitur, ut hoc, quod tanta cum gloria et fructu suscepisti, constantissime retineas, edictumque istud quam diligentissime servari facias, cæteraque omnia, quæ pro Catholica Religione animo concepta habes (pleraque enim ad Nos perscripsit dilectus filius Germanicus Malaspina Nuncius noster) exequaris. Aderit Deus pietati tuæ, redditque, ut solet, facillima ea, quæ nonnunquam videntur humanæ prudentiæ difficillima et desperata. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Decembris millesimo quingentesimo octuagesimo, Pontificatus Nostri anno nono.

XVII. — Cum plurimi in eodem Ducatu degerent, quibus Pius PP. IV. particularibus quibusdam rationibus permotus, indulserat, ut sub utraque specie sacræ mensæ communicarent, Nuntius Apostolicus id in primis sibi esse curandum duxit, ut comiter monendo et suadendo hosce Catholicos homines ad communionem sub unica panis eucharistici specie induceret. Quod ut facilius certiusque fieret, hortabatur Episcopos, ut juxta ea monita, quæ ad eos mitteret, per Sacerdotes, qui animarum curam gerebant, Ecclesiæ doctrinam de communione sub utraque suos subditos docerent, eisque explicarent, quam egregie sibi consulerent, qui sub una tantum specie essent communicaturi. Quibus vero id persuaderi non posset, communionem sub utraque specie permittendam, præsertim quod ita exterius fidem de Eucharistiæ sacramento plene profiterentur, et a periculosa hæreticorum consuetudine abhorrerent; cæteroqui nihil instandum, nisi ut quædam conditiones proponerentur, a quibus discedi non liceret. Habeas hanc explicationem mira admodum sapientia refertam. (*)

(*) Germania Vol. 31. fol. 269

Conditiones observandæ in assumptione Eucharistiæ sub utraque specie.

« Pontifex non sponte, aut libenter, sed ut piissimus pater, qui etiam invitus interdum ægrotantium filiorum voluntati obsequitur, quasi coactus permisit laicis sub utraque specie communicandi facultatem; propterea quod Suæ Sanctitati a Principibus harum regionum huic rei remedium postulantibus relatum fuit, plerosque ex reliquiis Catholicorum, cum non esset huic eorum desiderio satisfactum, se cum hæreticis conjunxisse.

« Primo igitur curare debent Episcopi, quibus concessio facta est, ut omnino Suæ Sanctitatis forma Brevis servetur, ejusque executio serio, sed tamen suaviter exigatur; alioquin nec absolutiones a talibus factæ valerent, nec calicis usus, cum absque facultate fierent: nam utrumque a Sacerdotibus ab Epispcopo juxta Brevis formam electis, aut per ipsum subdelegatis fieri debet.

« Ut eligant Catholicos Sacerdotes, qui in sua provincia utranque speciem decenti ordine servato, ac omni offensione vitata, quæ posset oriri inter communicantes sub utraque et sub una tantum specie, ministrare possint, illam ex devotionis fervore petentibus, qui cum Ecclesia Romana conjunctionem habeant.

« Ut Curati in confessionibus et concionibus eos, qui utranque postulant, ad accipiendam unam tantum speciem ut tutiorem, acceptiorem, Sanctæque matri Ecclesiæ approbatiorem cohortentur, eas rationes in medium afferentes, quas hisce adjunctæ erunt: verum si qui in sua sententia persistant, eos sequentibus conditionibus curent informandos.

« Ut Ecclesiæ Romanæ fidem et doctrinam sequantur, ac profiteantur, ut credant in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento tam sub una quam sub utraque specie verum et integrum Christi Corpus esse.

« Illos, si forte accideret, ut ab Ecclesia iterum prohiberetur, sub una tantum specie communicaturos.

« Ecclesiam Romanam nec errasse, nec errare, quæ exceptis solum Sacerdotibus cæteros tam clericos, quam laicos sub una specie communicat.

« Ut contriti et confessi munere sacramentalis absolutionis accepto, ad ipsam sub utraque sumendam accedant.

« Qui fuerint hæresi contaminati absolvantur, et hisce conditionibus admittantur ad Eucharistiam.

« Non posse eos extra Missæ sacrificium communicare.

« Qui sub utraque communicant, abscindant capillos superioris labri, et alios omnes, qui possent aliquam Sacramento irreverentiam afferre.

« Mandandum est autem Sacerdotibus, ne iis omnino, qui sub una adhuc communicarunt, utramque concedant.

« Ut omnes abusus in calicis administratione tollantur; quamvis eo in genere maxima insit difficultas ob multorum Sacerdotum incuriam ac negligentiam, ideo in hanc curam Episcopis erit diligentius incumbendum.

« Periculosum est reservare sanguinem ob multos enormes casus, et summam irreverentiam, quæ Sacramento irrogatur. Quare omnino curandum esset, ut nullo modo servaretur; sed quando essent, qui sub utraque peterent, tunc celebrans consecraret, quantum pro se sacrificante et pro communicante sufficeret; sicque tolleretur omnis difficultas.

« Si autem agatur de infirmis, inducendi essent ad unam speciem in tali casu, afferendo causas justas, videlicet pericula itinerum, cum ad pagos vel ad loca remota esset deferendum Sacramentum; nec putarem difficulter id posse persuaderi, cum alioqui teneantur credere tantum sub una esse, quantum sub utraque.

« Quod si omnino servandus esset sanguis ultra dies octo, quin renovaretur, nullo modo reservari deberet. Facile enim ex qualitate vini species corrumpitur, ideoque magna Sacramento irreverentia incurritur.

« Quibus rationibus adduci possent, ut qui sub utraque specie communicant, ad unam reducerentur.

1. Qui sua sponte communicat, etiam ubi concessus est usus calicis, et servatis conditionibus, minorem capit fructum: quia qui sub una communicat, ex obedientia communicat; qui autem sub utraque, ex permissione: melior autem obedientia, quam victima 1. Reg. Cap. 15. quo in genere a Domino Rechabitæ 35. Cap. Hieron. laudati fuerunt, quod servarent obedientiam Patris ipsorum de non bibendo vino.

2. Magis placet Deo, si nos in Sacramento unitatis conformemus filiis suis et amicis, quam inimicis: qui autem sub utraque communicant, magis se conformant hæreticis.

3. Qui sub una communicant, profitentur suam fidem tantum esse sub una, quantum sub utraque: qui autem sub utraque communicant, etsi credant, non tamen profitentur ita aperte, aut erubescunt profiteri suam fidem.

5. Ritus communicandi sub utraque specie hoc tempore introductus est ab hæreticis, qui contra Ecclesiæ obedientiam id faciunt; quare periculosus. Omnia enim eorum inventa merito a fidelibus sunt fugienda, maxime si habeant majorem speciem boni. Vide Luc. cap. 4. et Act. c. 16.

5. Periculosum est sequi morem hæreticorum: experientia enim nos decet, quod consuetudo facit nobis rem magis placere, hinc difficilius relinquitur; imo facilius aliquis in errorem labitur.

6. Qui communicat sub utraque, præfert suum Ecclesiæ judicium, cum illa ex indulgentia calicem permittat, mallet autem filios suos sub una esse.

7. Qui Catholici sub una communicant, offenduntur aliorum communione, quia non profitentur aperte se Catholicos, dum facto fidem adversariorum profiteri videntur, etsi aliud mente credant et sentiant.

8. Qui sub utraque communicant, minus videntur amare Ecclesiam; quia quos magis amamus, eos libentius imitamur.

9. Communiter tales pravo aliquo judicio laborant, aut credunt communionem sub utraque utiliorem esse, quod est gravis error; aut ita faciunt, quia sibi ita placet; et sic ostendunt spiritum dissentionis et non pacis; vel etiam quia ab aliis nollent contemni, vel illos non offendere, et sic diligunt magis gloriam hominum, quam gloriam Dei, et magis cupiunt placere hominibus, quam Deo.

« Hæc maxime in confessione, vel privata conversatione talibus persuaderi possent.

« Quibus quidem conditionibus, quæ superius proposui, si acquiescerent, se omni animo assentirentur fiducia petentibus majoris devotionis studio sub utraque specie communionem, hanc illis licentiam negari non posse existimarem.

XVIII. — Gregorio, qui in Carolum ita animo afficiebatur, ut nihil non ejus causa vellet, valde molestum accidit, se frumentum ad Segnienses mittendum ei commodare non posse; propterea quod urbs ipsa Roma difficillima re frumentaria uteretur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII. ep. 93. f. 250.

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil unquam fecimus libentius, quam ubi aliqua in re Nobilitati Tuæ gratificati sumus, talem vero animum Nos tuæ excellenti pietati debere profitemur; perspectum vero esse Nobilitati Tuæ gaudemus. Quo autem cupimus magis tuo desiderio omnibus in rebus satisfacere, eo gravius dolemus, Nos temporum difficultatibus tum bujus Urbis, tum cæterorum Ecclesiasticorum locorum necessitatibus impediri de frumento Segniensibus mittendo. Usi su-

mus anno sterilissimo, cogimurque hujus Urbis sustentandæ causa frumenti aliunde comparare, idque magno precio. Dolemus igitur hanc in re ereptam esse Nobis facultatem tuæ postulationi satisfaciendi; voluntas quidem certe nunquam eripietur. Qua etiam de re apertius cognosces ex iis ipsis, quos ad Nos cum literis misisti. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die v. Januarii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

XIX. — Felicianus Episcopus Scalensis hoc etiam anno sedulitate, labore et solertia effecit, ut apud Clerum tam saecularem quam regularem ecclesiasticæ disciplinæ forma et instituta suam vim retinerent: idque præcipue in Svevia et Bavaria. Ut aliquod exemplum edamus, hic suas litteras subjicimus, quibus Prælatos monasteriorum Ordinis S. Benedicti in Bavaria commonebat, ut Monachii commune Ordinis collegium conderent, in quo qui Ordini nomen dare vellent vel jam dedissent, in sacris litteris erudirentur. [*]

[*] Germania Vol 52. fol. 26.

Litteræ Reverendissimi Nuntii Apostolici ad Abbates deputatos quatuor circulorum Bavariæ in Degernsee, Nidernaltach, Allerspach et Seon, pro erectione seminarii religiosorum Monachii.

« Venerande nobis in Christo dilecte. Nihil ambigimus, quin R. T. satis perspectum, quanto conatu ac studio laboraverimus, ut Ecclesia Bavariæ, præsertim Monasteria regularium personarum multis gravaminibus, quoad ejus fieri posset, levarentur liberarenturque, et Ecclesiastica immunitas debitam dignitatem ac statum retineret, in quo negotio, quid effectum sit, cum singularis pietas, summaque erga Ecclesiasticum ordinem animi propensio Serenissimi Ducis ipsam æquitatem ex conscientiæ, qua est integerrima, dictamine complectentis, ac vestrorum Monasteriorum splendori et commodo opportune consulere satagentis docet, tum non mediocris fructus, qui vestris rebus accessit inde, attestatur. Quæ sane commoditas, et Serenissimi Ducis beneficæ voluntatis declaratio, ac comprobatio esset potius Monasteriis supervacanea et perniciosa futura, quam utilis ac necessaria, si in quos debet usus non converterentur. Quomodo hactenus in plerisque Monasteriis regulares personæ vixerint, hoc est, quam libere, immodeste, parum frugaliter et sine ullo Dei timore, doctrinæ sapientia ac regulæ observatione, id ita notum esse compertum habemus, ut nostra non egeat commemoratione. Quæ ut deinceps corrigantur, et ad meliorem frugem inducendam, ut oportet, emendentur, ea, quam modo adepti estis, commoditatis opportunitate et occasione utendum inprimis, ac Seminarium pro juventute vestra erigendum videtur, veluti jam vos Prælati deputati cum Serenissimo Duce convenistis. Præterquam quod enim digna successione in Monasteriis longam posteritatem propagabitis, habebitis etiam unde vestra juventus christianæ pietatis, doctrinæ, eruditionis, sapientiæ, religionis, modestiæ, devotionis, et aliarum virtutum omnium præcepta et ornamenta petat capiatque. Quare R. T. nomine Sm̃i Dñi nostri significamus, ut priusquam elabantur feriæ Pentecostes proxime futuræ in hac Civitate Monachiensi, quæ cæteris locis commodior propter multas non parvi momenti opportunitates existimata et delecta est, hujusmodi Seminarium, id est, collegium pro regulari juventute instituatis perpetuo duraturum. Quod non solum omnia Monasteria circuli tui commonefacies, verum etiam cum Abbatibus in Nidernaltach, Allerspach et Seon, aliorum trium circulorum deputatis, ad quos ejusdem exempli literas dedimus, convenies de domo commoda hic statim emenda et disponenda, de taxatione et assignatione portionum, pro qualitate et facultate singulorum Monasteriorum, ad necessarios sumptus faciendos, ac regularium numero pro rata portionum mittendo, et de instituendis regimine ac disciplina regulari, professioni consentaneis. Quæ omnia atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria, prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituetis, eaque ut semper observentur, operam dabitis. Volumus autem, ad mentem Sanctissimi Domini nostri, ut lectiones in scholis Reverendorum Patrum Societatis Jesu audiantur. Quod si ad constitutum tempus res ad effectum producta non fuerit, R. T. sciat, hoc negotium Serenissimo Duci a Sua Sanctitate e vestigio commissum iri. Si quid autem circa præmissa aut alia occurret, de quo nos consulendos arbitraremini, id facere non intermittetis. His paucis R. T. bene valeat, et pro nobis preces ad Deum effundat. Data Monachii Calendis Februarii 1580.

XX. — Neque vero defuere inter Regulares viri præstantissimi, qui Episcopi Scalensis consilium cupidissimo animo sequerentur: ac primi quidem Prælati monasteriorum Benedictinorum in Svevia, qui eumdem exorabant, ut privilegium, quod a Summis Pontificibus eorum Patres impetraverant, eligendi scilicet inter se qui visitatorum munera per sui Ordinis monasteria fungerentur, sua auctoritate confirmaret. [*]

[*] Germania Vol. 53. fol. 8.

Litteræ Visitatorum Sveviæ Ordinis Divi Benedicti etc, ad Rm̃um Episcopum Scalensem Nuntium Apostolicum.

Salutem a Christo Jesu precamur sempiternam.

« Maxime esset optandum, Feliciane omnium virtutum et sapientiæ laude singulari clarissime, ut ea, quæ olim a prudentibus Ordinis nostri majoribus pietatis et religionis conservandæ causa divinitus inventa atque instituta sunt, hanc

nostra ætate in omnibus ejusdem Ordinis nostri Congregationibus summo studio observarentur. Sic eveniret facile et nullo negotio, ut omnes rectam salutaremque viam Regulæ Sanctissimi Patris nostri Benedicti tenerent, aut qui divertissent, in eam revocarentur studio, consilio, monitis et auctoritate eorum Patrum nostri Ordinis, quibus olim ea, quæ contra vivendi honestam rationem essent, tollere et renovanda tertio quovis anno renovare, Summorum et Sanctissimorum Pontificum pietate concessum fuit. Eadem ratione fieret etiam necessario, ut omnes viam virtutis et religionis nostræ simplicem, rectam, apertam, principio fortasse difficilem et asperam, exitu certe salutarem et gloriosam ingrederentur. Sed fit nonnunquam, ut rationem deferentes a præscripta via aberrent, et inde abusus etiam nonulli, postea per alios tollendi, exoriantur. Difficile namquo est, aliquid reperire, maxime in rebus bene agendis, quod ex omni parte sit et existat semper perfectum. Hanc ob causam, Feliciane sapientissime, olim Patres Ordinis nostri, quibus regulari observantia nihil unquam erat antiquius, ab iis quos Deus Optimus Maximus Vicarios suos inter homines constituerat, sapienter petiverunt, ut Visitatores pro uberiori cultu monasticæ disciplinæ inter se constituere liceret, qui ea semper tollerent, et visitantes propulsarent, quæ ad statum nostræ religionis labefactandum erumperent; quod jure ac merito a Summis Pontificibus impetraverunt. Ea enim quæ ad Dei gloriam in omni vita et quovis statu augendam spectant, a nullo debent hominum unquam impediri. Nos igitur infrascripti Abbates piorum nostrorum Patrum vestigiis insistere volentes, et privilegia hæc salutaria pro viribus (cum necesse fuerit) persequi cupientes, petimus, et omnibus precibus obsecramus, ut ea tu quoque, Feliciane Scalensis Episcope Rme, confirmare et benevolentia paterna prosequi digneris, cum juxta ea nos Visitatores regulares pro Monasteriis quibusdam Ordinis nostri visitandis designati simus. Et ut huic nostræ petitioni, et cæteris quæ præsentium litterarum latores D. Jodocus Abbas Wiblingensis, et F. Augustinus coram tecum agent et communicabunt, fides, dubio quocunque etiam minimo ablato, adhibeatur, sua uterque nostrum manu subscripsit, et easdem sigillis nostris certissimis obsignavimus. Datæ ex Monasterio Ochsenhausen decimo die mensis Decembris anno 1580.

Andreas Abbas Ochsenhausanus.
Georgius Abbas Zwifaldensis.

Felicianus hoc consilium laudans, peramanter cupientique animo eorundem votis annuit. (*)

(*) Germania Vol. 31. fol. 11.

Responsum Rmi Dni Episcopi Scalensis Nuntii Apostolici, ad literas Visitatorum Sveviæ Ordinis Divi Benedicti.

« Reverendi Patres, Amici nobis syncere dilecti. Literæ vestræ maxima nobis lætitia affecerunt, quod enim aliqua Ordinis et circuli vestri Monasteria sese in congregationem redegerint, et vos Præsides ac Visitatores designaverint, prout ex literis vestris et ablegatis ad nos Patribus intelleximus, in eo Sacri Concilii Tridentini decreto satisfactum, majorum vestrorum morem aliquot sæculis intermissum, ac temporum injuria labefactum in pristinum usum revocatum, Sanctissimi Domini nostri voluntati et expectationi responsum, ac Monasteriis bene conservandis peropportune consultum et prospectum animadvertimus, quod, ut vobis omnibus divina auxiliante gratia perpetuis temporibus faustum fœlixque sit, a Deo immortali precamur, optamusque certo sperantes, vos hujus facti et exempli plures habituros imitatores ac socios. Quod autem in nobis est, ita vobis gratificandi animo sumus parato, ut nihil nobis antiquius existimemus, quam ut vobis juvandis omnia benevolentiæ et facultatis nostræ studia conferamus; quod summa voluntate et egregia mentis alacritate facimus, uti apertius ex adjuncta confirmatione nostra, quam amplam et luculentam juxta potestatem nobis a Sancta Sede Apostolica traditam esse voluimus, perspicietis, atque ex Patrum vestrorum a nobis cum expeditiono revertentium uberiori relatione oretenus audietis, quibus plura eorum exponenda commisimus, quod longiores literas nec valetudo nostra satis imbecilla, neque occupationes admodum arduæ gravesque paterentur. Cæterum tum vobis ipsis, tum etiam universæ congregationi vestræ communiter et separatim omnem nostram auctoritatem, gratiam, consilia et auxilia ad quæcunque vestra privata et publica negotia conficienda libenter deferimus, nos in vestris precibus Deo commendari maxime cupientes. Datæ Ratisbonæ die 29. Decembris 1580.

XXI. — At vero Protestantes nihil non moliebantur, quo hujusmodi apud Claustrales disciplinæ instaurandæ consilium impediretur; sin minus, tardaretur. Itaque in id omnes suas vires intendebant, ut nefanda Regularium vitia foverent alerentque, eosque per summum nefas allicerent, non modo ad votorum Deo nuncupatorum fidem fallendam, sed ad desciscendum ab religione Catholica omnino. Hinc factum est, ut Ratisbonæ perditissimus quidam homo, hæresi addictus, tres Sanctimoniales fœminas ex monasterio S. Claræ hujus urbis turpissimis artibus ad fugam, simulque ad Confessionem Augustanam amplectendam pellexerit. Hæ perditæ mulierculæ cum ante fugam, tum vero deinceps omnibus voluptatis illecebris sese dedidissent, aliis etiam criminibus non abstinuerunt. Vasa enim sacra ex argento perplura, aliamque suppellectilem monasterio propriam

clam abstulerunt atque scelestissimo illi homini, penes quem latitabant, tradiderunt. Bavarorum Dux tantum facinus haud inultum ferens, Senatum Ratisbonensem litteris non minus comminatione quam æquitate et sapientia plenis cohortatus est, ut fugitivas illas mulierculas, quas ipsi futiles levissimasque rationes causati defendebant, monasterio restituerent, suæ apostasiæ atque eorum, quæ ab monasterio surripuerant, rationem reddendas. Poscebat præterea, ut res ablatæ redderentur, atque perditissimus ille homo, qui in se tot facinora admiserit, meritas pœnas lueret: neque enim ad id valere Religionis Pacificatio deberet, ut ejus obtentu criminosis hominibus impune quid esset. En ejus litteræ ad Camerarios Senatumque Ratisbonenses, quæ mirifice aperiunt turpissimas artes, quibus Protestantes abutebantur ad perditos Catholicos ab avita fide abducendos; eosque fœdissimis quibusque criminibus implicitos omni honestate, vel potius justitia repugnante tuendos. (1)

(1) Germania Vol 129, fol 687

Guilielmus Comes Palatinus Rheni etc.

« Dilecti nobis. Literas vestras fugitivas illas mulierculas e Monasterio S. Claræ Civitatis Ratisponensis, Abbatissam scilicet, Priorissam et Procuratricem concernentes accepimus, et ex iisdem non sine summa admiratione cognovimus, quod harum trium regularium personarum fœdifragarum, votisque suo et juramento Deo facto oblitarum, quæ ad summas suas levitates et scandalosissimos excessus perpetratos, et inde etiam ad arreptam fugam per concivem vestrum Job Mor aurificem, per conjugem, filios et filiam ejus, postposita omnis honestatis ratione, invitatæ, persuasæ et seductæ fuere, causam ita suscipiatis, foveatis, easdem detineatis, nec non etiam delicta earum ac malefacta sub prætextu pacificationis religionis, quam male et contrarie allegatis, excusare juvetis atque ita restitutionem petitam denegatis, cum tamen vobis esse obscurum non possit, hæc omnia non solum cum jure, æquitate, vicinitate amica, sed etiam cum præfata religionis pacificatione ex diametro pugnare, si quidem in ea expresse mandetur et provideatur, ne quis status alius alium vel cuivis subjectos suos ad diversam religionem urgeat, seducat, vel contra Ordinarium ac Magistratum suum quemvis in tutelam ac defensionem suscipiat, aut ulla ratione patrocinatur. Verum enimvero luce meridiana clarius est, omnibusque nimis manifestum, neminem prorsus, quam dictum Job Mor, conjugem, filios ac filiam ejus tribus istis monialibus ad fugam datam, nimiamque et immodicam vivendi libertatem assumptam, ansam dedisse. Neque vero id etiam clam esse potest, eas ab hominibus istis levibus et impudicis, jam ab aliquo tempore, ad omnes levitatis et impudicitiæ ac turpitudinis notas instigatas, imo etiam postremo ad respuenda et abjicienda claustralia sua vota Deo et Ordini facta, ad denegandam Sanctam veramque Catholicam nostram religionem, aliaque inhonestissima ac nefanda facinora commotas esse. Neque sic malorum finis esse potuit, si quidem re vera certissimo constet, ipsum Mor et uxorem suam scienter admisisse, indulsisse, consilium etiam et auxilium adhibuisse, quod duo sui filii cum tribus istis monialibus fœdifragis non brevi tempore, antequam aufugerent, prohibita levitatis commercia, omnesque turpitudinis notas, honestate rejecta, exercuerint. Quæ quidem omnia quivis Magistratus Christiana disciplina imbutus, cujuscumque tandem religionis sit, multo magis punire, quam connivere vel patrocinari jure deberet: sicuti plane dubitandum non est, quin etiam Ethnici et infideles isti talia et tanta facinora inulta non reliquissent. Quæ cum ita se habeant, non est, quod moniales profugæ se hac in parte religionis pacificatione frui et gaudere posse sperent, nec vos, quominus easdem restituatis, causam justam prætendere potestis. Licet enim hac religionis pacificatione subjectis utriusque status concedatur ab illa religione ad Catholicam, vel ab hac ad confessionem Augustanam transire, et ideo etiam loca et possessiones mutare posse, de iis tamen tantummodo intelligendum est, qui motu proprio, sive conscientia dictante, sua sponte, non persuasi hanc vel illam religionem relinquunt, aliamque asciscunt. Cum autem tres istæ mulierculæ apostatæ Catholicam religionem non proprio motu denegarint, sed ad hoc per concivem vestrum probabite et fallaciter ex nimia et immoderata animi sui levitate commotæ et persuasæ sint, ideo religionis pacificatione in hac causa frui nequeunt, et vos juxta tenorem et constitutiones ejusdem petitam restitutionem juste denegare non potestis. Eodem modo trium monialium inhonesta acta, impudicitiæ ac turpitudinis gesta, quæ non parvo temporis spatio ante arreptam fugam, cum adhuc in Monasterio jurisdictioni regulari subjectæ essent, maximo cum scandalo exercuerunt, sub prætextu dictæ religionis pacificationis dissimulari et dirimi possunt; si quidem eas vocationem istam ad Augustanam confessionem propter excessus perpetratos, et meritam pœnam jam effingere verisimile sit: neque vero unquam Cæsareæ Majestatis, Electorum, Principum et Statuum intentio et voluntas ea fuit, ut per ejusmodi constitutionem res inhoneste et turpiter actas, et nefanda scelera libera facerent; sed ea tamen de causa, ut aggravatis conscientiis succurrerent. Erat igitur harum trium levium personarum officium, si plane putarint, se in Catholica et Orthodoxa nostra religione, et claustrali vitæ disciplina syncera et salva conscientia diutius perse-

verare non posse, hunc defectum suum et propositum ordinario et legitimo clericali Magistratui, vel ad minus Conventui explicare atque exponere, et tum primum cum horum consensu vel præsentia, non autem ita clam et furtim aufugere, et tam se quam totum Monasterium tanta morum levitate ac vitæ turpitudine prius contaminare. Ex quo equidem satis perspicue colligere licet, eas ad mutandam religionem multo magis, et potius per carnis lascivientis luxuriam et spiritum immundiciæ, quam per timorem Dei incitatas et impulsas fuisse. Quæ cum ita sint, multo minus religionis pacificationis commodo esse potest, qui aliis sub prætextu religionis bona sua ac res fortunæ aufferunt, et clam surripiunt, prout per istas levissimas mulierculas factum esse, res ipsa loquitur. Astuta enim, audax et impudica hæc fuga, non ita misera et omni ope destituta, quemadmodum earum schedula ad vos data, qua versutam professionem Augustanæ confessionis fecere, absque omni veri similitudine declarat, meditata fuit et præsumpta : sed adeo clarum est, ut nemo ignoret, quod priusquam terga darent, pro levi et scandaloso earum exitu optimo sane viatico sibi providerint, Monasterio, ad quod licet nihil attulerunt, nec etiam pro Ordinis ac regulæ suæ constitutionibus proprii quidquam habuerint, certe satis amplam vasorum argenteorum suppellectilem, literas, rosaria, vestimenta, telas multaque alia contra juramentum et votum, quod fecerunt, abstulerint, et hæc per aliquot dies continuos ad aurificis tanquam latronis ædes, partim per se, partim vero per alias impudentes et inhonestas personas præmiserint, detulerint et occultaverint. Cum igitur hæc omnia, neque religionis pacificatione, nec alio quovis modo excusari et subticeri nequeant, nobisque hoc tempore administratio Episcopatus Ratisbonensis in ejusmodi casibus a supremo Magistrato commendata et credita, absque eo quod dicta Ecclesia Cathedralis cum omnibus sibi subjectis et adjunctis, inter quæ etiam Monasterium Sanctæ Claræ numeratur et comprehenditur, tutelæ et protectioni nostræ addicta et commissa sit : idcirco nostrarum partium est, omnes ejus jurisdictiones, auctoritates, privilegia et immunitates pro posse tueri, conservare, et in perpetua ac constanti dignitate continere, defendere et juvare. Primo igitur iterum atque iterum a vobis petimus, ut tres profugas mulierculas istas ad Monasterium suum, quo antehac fuerunt, restituatis, ut ibidem pro officiorum suorum administratione, impensis et expensis juxta Ordinis et regulæ, in quam jurarunt, constitutiones Conventui in præsentia Magistratus clericalis ordinariam, rectam, fidelem et honestam rationem faciant, et quicquid clam et prohibitis modis ex Monasterio deportarunt, mutarunt et abstulerunt, id totum integrum eo reportent et reddant. Quod si fiat, ab vocatione præterita ad Augustanam confessionem ulterius non detinebuntur, sed iis juxta religionis pacificationem Monasterio rursus egredi liberum permittetur. Cum enim harum adeo magnam curam habeatis, causamque earum in tantum foveatis, nec nos easdem tanquam confessionis vestræ participes vobis invidere debemus. Secundo cum tandem clarum sit et perspicuum, et necessitate ita exigente, ulterius etiam probari ac demonstrari possit, aurificem, uxorem ejus et ambos filios Joannem et Christophorum, totius hujus rei et pudendi ac reprehendi excessus solos et veros authores esse, neque solummodo tres istas mulierculas ad denegationem Catholicæ religionis adduxisse, sed etiam ad immoderatam levitatem, effrenatam vivendi libidinem ac furta easdem instigasse, ansamque dedisse, necnon etiam mulierculas istas voti sui Deo facti immemores, cum sublatis et arreptis bonis in ædes suas suscepisse, et in hodiernum diem secum detinere ; quæ omnia religionis pacificationi omnino contraria sunt, ideo nobis plane de vobis pollicebimur, et sperabimus, vos contra hanc religionis pacificationis violatorem debitam animadversionem et pœnam ex officio, sine prolixiori processu et ornatiori accuratione non expectata constituros, atque omnino id quod juxta religionis pacificationem, ad quam tantopere vos refertis, necessarium ac justum erit, competenter facturos, sicut et vos et quivis Magistratus pro juris, æquitatis ac honestatis ratione debetis. Quod si hoc modo certo fieret, aliud nihil suspicari et sperare possemus, quam vos ad amicam et benevolam vicinitatem, non solummodo parum esse animatos, sed potius etiam nos urgere promptos, et his atque aliis religionis pacificationis violatoribus contra ejusdem ac totius Provinciæ conventiones hospitio apud vos suscipere, cohabitare concedere, receptaculum et sustentationem præbere, iisdem in prohibitis suis actibus patrocinari, et per consequens vos omnium indecentium supra enumeratorum gestorum participes reddere paratos.

« Quocirca posito casu, quod tres istas mulierculas profugas ad debita ratiocinia facienda, ac restitutionem bonorum ablatorum præstandam non reddituri, neque in deportatorem eorundem bonorum authorem et instigatorem hujus mali, Jub Mor aurificem meritam pœnam non præsumpturi, sed eundem impudentem et inhonestum virum inultum apud vos diutius commorari ac sustentari permissuri essetis ; cum tamen a vobis multo meliora expectemus, omnia et singula, quæ Sacri Romani Imperii religionis et Provinciarum pacificationes in ejusmodi personarum rem, opes ac corpus præsumere et constituere permittunt, præsentium tenore no-

bis expresse reservamus, licet multo gratius nobis esset vobiscum in amica ac benevola vicinitate permanere, omnemque gratiosam voluntatem vobis eshibere mallemus. Quod quidem pro inevitabili necessitate ad literas vestras replicas vos ignorare nolnimus, et desuper declarationem ulteriorem expectamus. Datum in nostra Civitate Monachiensi die xxvii. Februarii anno 1580.

XXII. — Iisdem fere Protestantium artibus Prior Carthusianorum monasterii Pruelensis juxta Ratisbonam se irretiri passus, monasterio valedixit, et simul ab fide Catholica discessit. Hic vero mox se recognoscens, perpetrati criminis pœnituit et ad saniorem mentem rediit. Quare demississime petiit, ut publica admissorum delictorum confessione, non sine lachrymis facta, in Ecclesiam Catholicam reciperetur, inque suum Ordinem restitueretur. Episcopus Scalensis, qui tum Ratisbonæ versabatur, infelicis hujus viri precibus eximia charitate obsequens publice cæremoniis ab Ecclesia præscriptis, summa omnium qui interfuerant gratulatione et lætitia, cum Ecclesia antea conciliatum Ordini suo reddidit. [*]

[*] Germania Vol 129, fol 746.

Copia Instrumenti Notarii.

« In nomine Domini Amen. Anno a Nativ. ejusdem MDLXXX. Indict. VIII. die vero Mercurii, feria quarta quatuor temporum et festo S. Matthæi Apostoli et Evangelistæ, quod est 21. mensis Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini Dñi Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno nono, in Ecclesia S. Viti monasterii Carthusianorum in Prüel prope Ratisbonam, mane post summum officium in choro præfatæ Ecclesiæ, juxta dispositionem libri Pontificalis, coram Rño in Christo Patri et D. D. Feliciano Episcopo Scalensi, et Sanctissimi D. N. Sanctæque Sedis Apostolicæ ad partes Superioris Germaniæ etc. Nuncio, cum potestate Legati de latere etc. in habitu et paramentis Pontificalibus induto, nec non fratribus Carthusianis ejusdem monasterii et multis aliis, præsertim officialibus ac famulis monasterii, atque me Notario publico et testibus infrascriptis ad hoc specialiter requisitis, Religiosus Prior Fr. Philippus Ungerer, patria Spirensis, Carthusianus professus Friburgensis, olim hujus monasterii in Prüel Prior, nunc autem hospes, flexis genibus ante fores Ecclesiæ personaliter constitutus, humiliter petiit a Rño D. Nuntio Apostolico ab excommunicatione aliisque censuris absolvi, et in gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ et Ordinis sui restitui. Quo peracto et expeditis interrogatoriis articulorum fidei, recitatisque orationibus in Pontificali Romano descriptis, a præfato Rño D. Nuntio Apostolico fuit in Ecclesiam usque ad altare majus introductus, ubi rursus genibus flexis cum solitis cæremoniis, habens præ oculis S. Dei Evangelia ac propriis manibus tangens, hæreses omnes et singulas a Sancta Ecclesia Catholica damnatas, et præsertim eas, quibus ipse integro fere anno paulatim misere involutus et occæcatus fuerat, latino idiomate juxta formam manu ipsius propria superius descriptam publice abjuravit: deinde fidei Catholicæ professionem in primis latina, tum etiam vernacula lingua alta voce edidit, et a Rño Dño Nuntio Apostolico prædicto gratiam et misericordiam, præsertim absolutionem e vinculo excommunicationis cæterisque censuris Ecclesiasticis, quibus ligabatur, iterum humiliter petiit, omnem sibi injungendam pœnitentiam facere paratus, prout ea omnia et singula superius ante fidei professionem, similiter manu propria descripta, eidem Rño D. Nuntio Apostolico humiliter obtulit, et se hæc omnia inviolabiliter observaturum ad S. Dei Evangelia solemni se juramento obstrinxit. Quo facto, Reverendissimus D. Nuntius Apostolicus juxta formam in Romano Pontificali præscriptam, præmissis orationibus et cæremoniis solitis, eundem Fr. Philippum Ungerer solemniter a vinculo excommunicationis absolvit, et communioni fidelium restituit, nec non habitum Ordinis iterum induit. Quibus peractis Clerici et Religiosi, qui erant præsentes, hymnum Te Deum laudamus etc. cum Collecta cantantes gratias Deo egerunt. Prædictus autem Fr. Philippus ante supradictum summum altare genibus flexis preces ad Deum omnipotentem devotas fudit; deinde post summum altare a Rño D. Joanne Baptista Pihelmair Episcopo Almirensi S. Theologiæ Doctore, Suffraganeo et Vicario Ratisbonensi, quem idem Fr. Philippus in confessarium cum consensu Rñi D. Nuntii Apostolici præfati et sui Prioris elegerat et petierat, cui etiam ante hunc actum generalem totius vitæ confessionem sacramentalem fecerat, salutari sibi pœnitentia injuncta, a peccatis etiam absolutus est, et sub sanctissimo Missæ sacrificio, quod præfatus Reverendissimus D. Nuntius Apostolicus in summo altari postmodum celebravit, sacrosanctam Eucharistiam sub una specie devote sumpsit, atque totus hic actus feliciter Deo dante absolutus est. Super quibus omnibus et singulis præmissis supradictus Rñus D. Nuntius Apostolicus, pro se et præfato Fr. Philippo petiit a me Notario infrascripto, sibi unum vel plura publicum seu publica fieri et confici instrumentum et instrumenta. Acta sunt hæc sub anno, indictione, die, mense, Pontificatu et loco ut supra, præsentibus Rño, Venerabilibus, Religiosis et egregiis viris DD. Joanne Baptista Episcopo Almirensi Suffraganeo et Vicario supradicto Ratisbonensi, P. Niniano Winzeto S. Theologiæ Doct. et profess. S. Jacobi Scotorum Ratisbonæ Abbate Ordinis Divi Benedicti, F. Simone

Lorichio Priore, F. Joanne Brunone Vicario, F. Leone, F. Reinero, F. Joanne Presbyteris professis, F. Patro et F. Reimundo Novitiis supradicti monasterii Carthusianorum in Prüel, P. Marco Antonio Realdo Priore monasterii S. Thomæ Ratisb. Heremitarum S. Augustini, P. Simone Hundpellero Conventualium S. Francisci Guardiano Ratisb., D. Andrea Rhumelio Rm̃i D. Nuntii Apostolici supradicti Sacellano, et D. Ottone Hinzenhauser parocho in Prüel, nec non Magnificis Nobilibus et Clarissimis viris DD. Balthasaro Hoflinger J. U. D. Rm̃i et Illm̃i Archiepiscopi et Principis Salisburgensis Consiliario, Joanne Baptista a Ninguarda etc., Jo. Ludovico Trainer in Au et Præpronn Consiliario Ducali Bavarico et Præfecto oppidi Am Hoff, Juda Machabæo Kölderer in Burckstall Consiliario Salisburgensi et Ratisbonensi, cæterisque officialibus et familiaribus aulicis prædicti Rm̃i D. Nuntii Apostolici et Episcopatus Ratisponensis, nec non monasterii præfati in Prüel quamplurimis, testibus ad præmissa vocatis, et specialiter, nec non multis aliis præsentibus tam Clericis quam sæcularibus generaliter requisitis.

«Et ego Georgius Marperger Clericus Ratisbonensis Sacra Imperiali auctoritate publicus ac in Archivio Romanæ Curiæ immatriculatus, et officii Vicariatus Ecclesiæ Ratisbonensis Notarius juratus, quia supradictis prænominati Venerabilis fratris Philippi Ungerer personaliter constituti hæresum omnium abjurationi, fidei Catholicæ professionis editioni, petitioni, oblationi et juramenti obstrictioni, nec non per Reverendissimum D. Nuntium Apostolicum absolutioni et hymni decantationi, totique huic actui una cum prænominatis Dñis testibus personaliter interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, ideo me manu propria subscripsi in fidem et testimonium omnium præmissorum legitime requisitus.

XXIII. — *Habeas etiam, qua de Scalensis Episcopi laboribus et curis rectius existimare possis, quæ is Summi Pontificis nomine Episcopo Passaviensi jussit servanda, ad corruptos sui Cleri mores corrigendos, et Concilii Tridentini præscripta in suam diœcesim inducenda.* [*]

[*] Germania Vol 32. fol. 200.

« F. Felicianus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Scalensis, ad partes Germaniæ superioris etc. Sanctissimi Domini Nostri, Dñi Gregorii divina providentia Papæ XIII. dictæque Sedis Nuntius cum potestate Legati de latere, Reverendissimo et Illustrissimo Domino Domino Urbano Episcopo Pataviensi salutem in Domino sempiternam. Sanctissimus Dominus Noster præter ordinarias facultates et privilegia Apostolica, quibus nos in functione muneris nostri ad fidelium ac devotorum usum liberaliter suffulsit, et de Sedis Apostolicæ benignitate cumulate providit, specialiter etiam injunxit, ut per nos ipsos, vel alium seu alios viros probos et idoneos possimus Patriarchales, Primitiales, Metropolitanas et alias Cathedrales, ac Collegiatas et Parochiales Ecclesias, nec non omnia et singula Monasteria tam virorum, quam mulierum, Prioratus, Præpositatus, Præposituras et loca sæcularia, et quorumvis Ordinum, etiam mendicantium regularia, nec non Hospitalia etiam exempta, dictæque Sedi Apostolicæ immediate subjecta, vel quocunque alio privilegio suffulta, eorumque Capitula, Conventus, Universitates, Collegia, et personas tam sæculares quam regulares, etiam ut præfertur, exemptas et subjectas, quoties nobis videbitur, Apostolica auctoritate visitare, ac in illorum statum, formam, regulas, instituta, regimen, statuta, consuetudines, vitam, ritus, mores et disciplinam, tam conjunctim, quam divisim, ac tam in capite, quam in membris diligenter inquirere; nec non Evangelicæ et Apostolicæ doctrinæ, sacrorumque Canonum, et generalium Conciliorum decretis, et Sanctorum Patrum traditionibus atque institutis inhærendo, et prout occasio rerumque qualitas exegerit, quæcunque mutatione, correctione, emendatione, revocatione, et renovatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoverimus, reformare, mutare, corrigere, et etiam de novo condere, condita sacris Canonibus non repugnantia confirmare, abusus quoscunque tollere, regulas, institutiones, observationes et Ecclesiasticam disciplinam, ubicunque illæ exciderint, modis congruis restituere et reintegrare, prædicti Concilii Tridentini decreta, ubi nondum introducta sunt, proponere et custodiri præcipere, ipsasque personas tam sæculares, quam regulares, etiam exemptas ad debitum et honestum vitæ modum revocare, ac quidquid inde statuerimus et ordinaverimus, perpetuo observari facere; contra inobedientes, et etiam contra falsarios, usurarios, raptores, incendiarios, ac alios criminosos et delinquentes quoscunque etiam exemptos, eorumque fautores ac receptatores, cujuscunque dignitatis, ordinis vel conditionis fuerint, per viam accusationis vel denunciationis, aut ex officio etiam summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura Judicii inquirere et procedere, reosque prout Canonicæ requirunt sanctiones, et alias nobis expedire videbitur, punire, nec non quascunque personas adversus sententias, res judicatas, et contractus quoscunque, prout juris fuerit, in integrum restituere, juramenta quæcunque ad effectum agendi duntaxat quibuslibet relaxare etc. ut constat ex Bulla data Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXXVIII. Cal. Maji, Pontificatus ejusdem Sanctissimi Dñi Papæ Gregorii anno sexto. Cum itaque in concordatis, quæ dum Ec-

clesia Pataviensis Wolgango Dominationis Vestræ antecessore defuncto vacabat, ab ejusdem Ecclesiæ Canonicis per id temporis existentibus, ad instituendam successoris electionem congregatis, condita sunt, a futuro Episcopo observanda, in quæ etiam Dominatio Vestra juravit, et per hujusmodi Canonicam electionem divina interveniente gratia ad dictæ Ecclesiæ regimen postea assumpta, subscripsit ante obtentam confirmationem, nonnulla capita deprehenderimus, per quæ nescimus, et qua etiam mala consuetudine prætensa sacri Canones violantur, et rectus Ecclesiasticæ disciplinæ ordo pervertitur. Inprimis enim jus Episcopale ita debilitant atque infringunt, ut non solum Canonicos, sed neque alios Clericos deliquentes tum Cathedralis, tum etiam aliarum Ecclesiarum ad Capituli collationem pertinentium, ubicunque illæ existant, etiam in hac Civitate Episcopus punire et corrigere possit: quo factum est hactenus, ut tales Clerici in publico et notorio concubinatu vixerint et vivant, præbuitque illis exemplum caput et os Capituli Bernardus Schwartz Decanus proxime defunctus, quem concubina et numerosa prole quasi antesignanum sortiti sunt. Per eandem licentiam et impunitatem aliqui Clerici, etiam Canonici per civitatem non tam noctu, quam etiam interdiu laicorum more vestiti, et aliquando armati discurrunt, nec Episcopi auctoritatem, quam ferme sustulerunt, reverentes, neque potestatem Magistratus secularis, quam eodem modo eversam nihil faciunt, metuentes. Habent etiam Canonici non solum domos suas, sed interceptam etiam aream ad anteriorem partem Ecclesiæ Cathedralis sitam, et claustrum sive circuitum eidem Ecclesiæ ad levam contiguum, ita ab omni jurisdictione Episcopi et Magistratus exempta, et quibus voluerunt privilegiis et prærogativis donata, ut cujus ibi omnia facere spe impunitatis sit integrum liberumque. Hoc nimirum in causa est, quod multi laici mercatores et alii maxime nundinarum tempore, in prædictis locis carnibus sub omnium oculis vesci diebus ab Ecclesia prohibitis non pertimescunt; et in ambitu Ecclesiæ Cathedralis ad rerum ibidem venalium tutamen ancillas noctu parum quiete et honeste versantes relinquunt.

« Quid si idem in privatis etiam ædibus Canonicorum factum est? Prædictus enim Decanus sacro Quadragesimæ tempore et diebus Sabbathinis (ut sane cum magno dolore audivimus) et ipse carnes comedebat, et aliis Clericis, qui secum erant, opponebat, ne alia etiam commemoremus, quæ in hoc genere pias aures offendere merito debent. Idem Decanus, cum plurium beneficiorum nomine Capituli haberet collationem, neglecta præsentatione Ordinario, Sacerdotes vel in fide religioneque Catholica parum synceros, aut certe ineptos quosque et indignos ad ea promovebat. Qui excusso Episcopali jugo alta ferentes capita, sibique omnia licere putantes, in summa rerum licentia et libertate vitam scandalosam secure traducebant, nullas Ordinarii admonitiones, nedum correctiones admittentes. Et cum nullam ab Ordinario accepissent potestatem administrandi Sacramenta, ea tamen et ministrabant, et pro libito suscipiebant Cooperatores et Sacellanos, absque ullo Ordinarii consensu et scitu, et contra sacros Canones ac decreta provincialia, inter quas multi Monachi apostatæ, Clerici fugitivi, imo etiam meri laici, impii, sacrilegi et nefarii homines ad Missæ celebrationem et Sacramentorum administrationem admissi sunt. Cujus rei exemplum recens in promptu est Joannis Ederi laici in carcere adhuc existentis, qui Tobiæ Lupi nomen studiose ementitus, et a quibusdam parochis ita susceptus, septem annis sacris operatus est, et Coadjutoris officio functus. Præterea cum dicta concordata etiam prohibeant, ut Decanus confirmationem obtineat, et contra sacra jura rectamque consuetudinem capitularem electionem sufficere statuant, Decanus non habens auctoritatem, et ipse Sacramenta administrat, et alius, quibus Ecclesias Decanatui incorporatas confert, administrare jubet. Insuper, cum per eadem concordata Decanus jus causarum matrimonialium sibi usurpet, hactenus leges sacri Concilii Tridentini et Synodi Provincialis de matrimonio clandestino Decanus defunctus observare contempsit, ac multis etiam adulteris literas tolerantiæ, et aliis, qui legitime fuerant copulati et diu aliquando cohabitaverant, divortium concessit, potestate etiam facta ut cum aliis contraherent. Sacro etiam Quadragesimæ tempore publicam nuptiarum celebrationem, cum gravi Catholicorum offensione permisit. Idem tantum abest, ut constitutionum Provincialis Synodi executionem promoverit, ut maxime potius obstiterit, quo minus ad effectum adducerentur. Sacerdotibus autem concubinariis ita favit, eosque amplexus est et in oculis habuit, ut non solum in fœtido concubinatu jam existentes confirmaverit in malo proposito, sed alios etiam Clericos tanti flagitii immunes expertesque ad lutulentum concubinatum pellexerit induxeritque. Postremo vitæ Clericorum liberrimæ ac scandolosæ ita omni ex parte et in quocunque criminis genere connivit, indulsit, atque in utramque aurem indormivit, ut omnibus omnia sine piaculo et pœna licerent, quasi non esset Rex in Israel. Hinc est, quod ad hujusmodi absurdos abusus, graviaque scandala e medio tollenda, priusquam altiores agant radices, officii nobis a Sanctissimo Domino nostro demandati partes serio ac mature interponendas, necessariis et opportunis remediis allatis, ad communem hujus Episcopatus utilitatem, ac disciplinæ Ec-

clesiasticæ debitum in eo restitutionem conservationemque duximus. Nihil vero ambigimus, quin Dominatio Vestra probe teneat, quod notat glos. in c. 27. de jurejurando, vacante Ecclesia, Canonicos nihil posse disponere de rebus Episcopatus in ipsius præjudicium 12. q. ij. c. Si quæ de reb. et 1. Ne se va. p. to. nec reditus Episcopales diminui q. de reb. Eccl. non alien. ut sup. Ut quicquid transactum sit et constitutum in præjudicium Episcopatus, id totum rescindi atque in pristinum statum restitui debeat. Quod sane Dominatio Vestra et debuisset efficere, et optimo jure potuisset. Ut ibidem recte habet glos. adducens et. 12. q. ij. c. non liceat, et 35. q. 9. c. quod quis commisit. Nec erat, quod Dominationem Vestram absterreret juramentum datum, quo tempore Ecclesia vacabat, qua uti ibidem glos. productis etiam rationibus probat, licet tum Dominatio Vestra tanquam Canonicus consenserit, post tamen velut Episcopus revocare potuit. Nec debet juramentum tunc datum Dominationi Vestræ ullo modo esse religioni, quoniam non modo glos. ibidem, verum etiam ipse textus Canonis expresse habet, juramentum in damnum Ecclesiæ datum esse magis perjurium, nec eam ob caussam servandum, tantumque abest, ut ullam inducat obligationem, ut etiam pœna vindicandum expiandumque sit. Proinde sacer Canon prædicti cap. 27. de jurejur. concludit: quodcunque in damnum juris Episcopalis repertum fuerit ita attentatum, in statum debitum, appellatione remota, esse reducendum. Quare cum perspectum nobis sit, Dominationem Vestram ob certos respectus non fuisse hactenus ausam jus suum Episcopale exercere, in integrumque revocare, delinquentes Clericos punire et corrigere, aliaque multa ex officio obire, quæ hujusmodi sublato timoris humani obstaculo, et sua sponte et libenter facturam fuisse plane non dubitamus; nos auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, Dominationis Vestræ vices supplere volentes, non solum hujusmodi concordata, sed etiam Capituli statuta, non quidem omnia, sed ea tantum, quæ juris Episcopalis executionem impediunt, ac Sac. Conc. Tridentini decretis, et Synodi Provincialis constitutionibus quoquomodo repugnant, tenore præsentium rescindimus et annullamus, ac rescissa, annullata et irrita esse decernimus. Nos quidem cupivissemus ipsi prædicta concordata et Capituli statuta emendare, atque ad sacrorum Canonum præscriptionem, rectique ordinis æquabilitatem revocare, si tantum temporis nacti ex aliis occupationibus negotiisque fuissemus, nobis tamen admonentibus, Venerabile Capitulum eam in se fidem et curam pie recepit, ut brevi tam concordata, quam statuta expurgare, corrigere, et ad æquissimam lancem Sacri Concilii Tridentini et Synodi Provincialis ponderare, reducere et accommodare, nostro etiam accedente judicio, velit. Interea tamen, ut Dominatio Vestra jus Episcopale libere ac sine ullo impedimento ad Ecclesiæ dignitatem tuendam, et gregis sibi commissi salutem procurandam exercere atque exequi, nec non præsentibus scandalis et incommodis debito modo providere, ac deinceps ne talia fiant, præcavere possit: hæc pauca, quæ sequuntur, ordinare, et ad effectum adducenda Dominationi Vestræ et successoribus Episcopis pro tempore existentibus in virtute sanctæ obedientiæ committere, ac demandare voluimus, prout committimus ac demandamus, præcipientes omnibus Canonicis aliisque Clericis, tam capitibus, quam membris hujus Ecclesiæ, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ et alia arbitraria, ut obediant. Quod si quid in oppositum attentatum fuerit, id totum irritum sit et inane.

1. In primis statuimus et ordinamus, ut Decanus nuper canonice electus, et post ipsum ejus successores perpetuis temporibus, ubi fuerint rite electi, a Reverendissimo Episcopo Ordinario suo statim confirmationem obtineant, cum auctoritate exercendi spiritualia munera in subditos suos Canonicos, aliosque Clericos, nec non etiam facultate administrandi sacramenta in Ecclesiis Decanatus officio incorporatis, aut a Capitulo concessis. Quæ omnia a Reverendissimo Ordinario semper gratis concedantur.

2. Licet Capitulum aut Decanus nonnullas habeant Ecclesias incorporatas, quibus partim Vicarios perpetuos præficiunt, partim etiam, cum vacant, liberam habent potestatem conferendi, quibus volunt; decernimus tamen ac declaramus, ut qui ad hujusmodi Ecclesias assumti fuerint, non prius possessionem illarum possint obtinere, quam Reverendissimo Ordinario fuerint præsentati, ab eoque debito examine præmisso approbati, auctoritatem administrandi Sacramenta etiam acceperint.

3. Nullus Parochus, aut quocunque alio nomine Ecclesiæ alicujus Rector, quamvis sit Canonicus, aut etiam Præpositus vel Decanus, audeat in posterom Cooperatorem aut Sacellanum suscipere, nisi illum Reverendissimus Ordinarius, vel ejus in spiritualibus Vicarius seu Officialis examinaverit et admiserit, inspectis in examine diligenter formatis, et dimissoriis, si alterius sit Diœcesis.

4. Nemo confessiones audiat aut ad audiendas admittatur, qui Parochi aut Cooperatoris officio non fungatur, vel alias ab Episcopo aut ejus Officiali prævio examine expositus non sit.

5. Omnes Parochi cæterique Ecclesiarum Rectores, cujuscunque status, conditionis ac præeminentiæ existant, etiam regulares et quomodocunque exempti, subsint visitationi et cor-

rectioni Reverendissimi Episcopi in iis ad minus, quæ ad rationem administrandorum Sacramentorum pertinent, ubi, quando et quotiescunque ipsi Episcopo expedire visum fuerit.

6. Nolentes derogare vetustæ consuetudini Capituli Ecclesiæ Cathedralis, permittimus, ut Capitulum et Decanus in Canonicos, cæterosque Clericos delinquentes Cathedralis duntaxat Ecclesiæ jus et potestatem habeant animadvertendi; ita tamen ut ubi illi bis aut ter suum officium neglexerint, nec moniti debitis modis providerint, Episcopus ipse hujusmodi delicta nemini parcendo, dignis pœnis deinceps vindicare possit.

7. Sub divina obtestatione, et Sñi Domini Nostri indignatione mandamus Reverendissimo Ordinario, ut diligenter inspiciat, efficiatque sedulo, ne Clerici, tam extra quam intra Civitatem, etiam Canonici Ecclesiæ Cathedralis libros prohibitos teneant aut legant, vel carnes diebus vetitis ab Ecclesia comedant, aut concubinas aliasve suspectæ conversationis mulieres habeant. Et quos ita delinquentes repererit, eos prout juris fuerit, puniat, corrigat et castiget, ædes etiam illorum visitari faciendo, præsertim quos suspectos habuerit, non obstantibus quibuscunque privilegiis, immunitatibus, prærogativis et consuetudinibus Ecclesiæ Cathedralis, quibus in hoc derogatum esse volumus.

8. Admoneat etiam Canonicos et alios Clericos, præsertim Ecclesiæ Cathedralis, ut quotidie horis canonicis et summo officio intersint, ac noctu se domi contineant, nec interdiu egredi audeant, nisi Clericorum more decenter induti, et ebrietatem ac publica œnopolia vitare studeant. Si quis secus fecerit, vel noctu discurrendo, aut interdiu cum armis vel in habitu seculari incedendo, aut alias levitates viro ecclesiastico indignas committendo, eum capi et juxta excessuum qualitatem puniri jubeat. Canonici autem prima et secunda vice Capitulo seu Decano corrigendi tradantur; sed si deinceps ita deliquerint, tum ab Episcopo ipso libere ac serio castigentur, ut alii Clerici. Negligenda enim est gratia in eo, qui frequentata peccandi consuetudine emendationem, ac sui ipsius honorem negligit.

9. Tempore nundinarum curet Episcopus, aream Canonicorum et ambitum Ecclesiæ Cathedralis per suos diligenter perlustrari, et personas tam sæculares quam Ecclesiasticas, contra fidei religionisque Catholicæ decreta, aut morum honestatem aliquid patrantes, capi et puniri.

10. Quoniam causas matrimoniales ad jus Episcopale pertinere dignoscimus, prohibemus Capitulo et Decano, ut deinceps talem sibi auctoritatem usurpent, sed eam totam Ordinario integram liberamque relinquant, nisi Ordinarius ipse Decano, aut alicui ex Canonicis idoneo vices suas in hoc specialiter demandaret, aut Vicariatus officium committeret; et tunc sententiæ et omnia acta conscribantur, et fiant sub nomine Ordinarii, cujus persona et auctoritas refertur.

11. Quam diligentissime caveat Vicarius sive Officialis Episcopi, ne cui adultero tolerantiam quoquo modo indulgeat, aut matrimonium de novo cum alia contrahendi potestatem faciat, nisi prius per evidens testimonium certo constiterit de morte alterius conjugis; neque inter rite copulatos divortium permittat, nisi juxta juris præscriptum et absque concessione ulterius nubendi. Ita etiam nullo plane modo publicam et solemnem nuptiarum celebrationem in Quadragesima, aut aliis temporibus ab Ecclesia prohibitis fieri patiatur.

12. Ad abolenda etiam matrimonia clandestina, per quæ multis malis aditus est, sedulam navet operam, ut formula Sacri Concilii Tridentini Sess. XXIV. Cap. 1. Decret. de reform. matrimon. tradita, in contrahendis matrimoniis ad debitum effectum ubique adducatur. Quo sane multum faciet, si ea decreta juxta ipsius Concilii, et Synodi etiam Provincialis mandatum, quam sæpissime populo in parochialibus ecclesiis sub concione per totam Diœcesim proponantur et explicentur, et ad illa processus ac sententiæ causarum matrimonialium in Consistorio accommodentur, quod ut deinceps fiat etiam nos serio præcipimus.

13. Postremo eam provinciam Ordinario specialiter imponimus, attendendi procurandique, quoad ejus poterit, ut constitutiones provinciales tam a Canonicis, quam ab aliis Clericis fideliter executioni mandentur.

« Hæc sunt, quæ in præsentiarum Dominationi Vestræ proponenda et mandanda habuimus, iterum monentes, ac per viscera Jesu Christi Salvatoris nostri, cui rationem reddituru est de Ecclesia sibi commissa, obsecrantes, ut eorum seriam executionem cordi habere velit. In quorum omnium et singulorum fidem ac testimonium his sigillo officii nostri, quo in talibus uti consuevimus, munitis, propria manu subscripsimus. Datæ Pataviæ in Aula Episcopali anno Incarnationis Dominicæ MDLXXX. die vero vigesima mensis Augusti, Pontificatus prælibati Sanctissimi Domini Nostri Domini Papæ Gregorii XIII. anno nono.

XXIV. — Inter cætera hoc suæ pietatis exemplum edidit Dux Bavariæ, qui in religionem sibi duxerit, quod pius ejus pater jam vita functus partem quamdam horti Patrum S. Francisci de Observantia, his quidem consentientibus, sine ulla intercedente Sedis Apostolicæ facultate, in ædificium Ducalis Bibliothecæ construendæ convertisset; dubius igitur animi, num

parens et ipsemet eo facto in ecclesiasticas censuras incurrerint, ab Episcopo Scalensi demisse petiit, utrumque ad cautelam absolveret. Damus Scalensis ea de re litteras testes priscæ et venerandæ Principum hujus ævi pietatis. [*]

[*] Germania Vol. 88, fol. 1.

« Fr. Felicianus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Scalensis etc. Serenissimo Principi ac Domino, Dño Guilhelmo Comiti Palatino Rheni, utriusque Bavariæ Duci, salutem in Dño sempiternam.

« Expositum fuit nobis, quod Serenissimus Albertus genitor Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ decem ferme annis antequam ex humanis emigrarit, quandam areolam, sive extremam partem horti Franciscanorum regularis observantiæ hic existentium, in qua lupulos ad præparandam cervisiam serere consueverant, libero fratrum consensu interveniente acceperit, ibique Bibliothecam, quæ nunc cernitur, crexerit a fundamentis: cum autem Illustrissima Celsitudo Vestra ex eo, quod non accesserit facultas Sanctæ Sedis Apostolicæ, nonnihil scrupuli habeat, dubitetque, ne forte aliquæ censuræ intervenerint, requisivit petiitque a nobis, sibi et Serenissimo genitori suo super hoc de Apostolica benignitate et indulgentia opportune provideri. Nos igitur attendentes liberum prædictorum fratrum, quos sigillatim interrogavimus, consensum intervenisse, et Monasterium inde singulis annis centum florenos a præfato Serenissimo genitore proprio motu, per instrumentum anno Domini 1569. in festo Sancti Michaelis Archangeli, cum sigilli ducalis appensione et propriæ manus subscriptione, confectum et scriptum, deputatos, et ad festum ejusdem Archangeli Michaelis numerandos in perpetuum habere, hujusmodi piæ petitioni inclinati, auctoritate Apostolica nobis concessa, et qua hac in parte fungimur, tenore præsentium tam Illñam Celsitudinem Vestram, quam Serenissimum ejus genitorem felicissimæ memoriæ, a censuris, si quas præmissorum occasione quomodocumque incurrerint, ad cautelam absolvimus, et absolutos esse decernimus ac declaramus, confirmantes et ratificantes dictorum fundi concessionem, et Bibliothecæ ibidem constructionem. In quorum etc. Quibus etiam Guardianus et Vicarius dicti Monasterii suo ac totius Conventus nomine subscripserunt, sigillo Monasterii pariter appenso. Datum Monachii anno etc. 1580. die 8. Januarii Pont. etc. anno octavo.

XXV. — In comitiis regni Hungariæ Posonii mense Februario habitis, viri præcipue ex nobilitate in tuendis Ecclesiæ juribus præstiterunt. Cum enim sedes Metropolitana Strigoniensis et Episcopalis Nitriensis aliquot abhinc annos pastoribus orbatæ essent, regni Ordines ex communi sententia negaverunt sese Cæsaris postulatis circa res publicas satisfacturos, nisi ante in designandis ad utramque sedem Episcopis Cæsar satisfecisset. Hæc amicus quidam, qui comitiis interfuerat, Apostolico apud Cæsarem Nuntio retulit. [*]

[*] Germania Vol. 48, fol. 218.

« Prima capita propositionum in hac Dieta factarum intellexit Dominatio Vestra ex primis literis; quæ deinceps consecuta sint, ita brevibus accipiat. Status et Ordines regni omnes unanimiter nolunt quicquam ad propositiones Sacræ Cæsareæ Majestatis respondere, imo ne tractare quidem de illis, nisi prius S. M. Archiepiscopatum Strigoniensem et Episcopatum Nitriensem conferat. Agriensem vero suo Episcopo integrum restituat, ac tam has, quam alias Prælaturas sine aliqua proventuum diminutione Prælatis utendas relinquat; nec putet D. V. hæc ex status ecclesiastici procedere practicis; imo certo credat, ex nobilitatis et aliorum ordinum status sæcularis voluntate moveri. Dolent diminui aut confundi eorum potentiam et auctoritatem, qui alias publicæ libertatis defensores habiti sunt.

Gregorius ea de re per Episcopum Agriensem etiam edoctus, ipsum et reliquos Hungariæ Præsules commonuit, ut id apud Cæsarem omni studio urgerent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII. ep. 146. f. 260.

Venerabili Fratri Stephano Episcopo Ecclesiæ Agriensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Venit ad Nos cum litteris Fraternitatis Tuæ dilectus filius Franciscus Ditalevius; legimus eas libentissime. Facit autem tua pietas, ut non dubitemus, te in tuo munere omni cum diligentia versari, ad Dei gloriam atque ad animarum tibi commissarum salutem. Quod etiam facere te, ex ejusdem Francisci sermone cognovimus: quo in negocio offerimus Fraternitati Tuæ omnem nostram auctoritatem atque operam, ubi per Nos aliquid profici posse intelliges. Illud autem magnopere postulamus, ut in isto conventu una cum aliis venerabilibus fratribus agas cum Charissimo filio nostro Rodulpho Romanorum Imperatore Electo, ne patiatur, vos diutius sine Metropolitano esse, non dubitamus, id te diligenter facturum. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xxiii. Martii mdlxxx. Pontificatus Nostri anno octavo.

XXVI. — Episcopus Vercellensis impigre diligenterque Visitatoris munus per Helvetiam obibat, obsistentibus interdum ipsis religiosarum familiarum Præsulibus; adeo ut Gregorio necesse fuerit Helvetios monere, ut ad illorum audaciam infringendam Visitatori Apostolico præsto essent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII. ep. 118. f. 151.

Dilectis Filiis Quinque Pagis Helvetiorum Catholicorum Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam bene-

dictionem. Magnum semper nostris atque Apostolicæ Sedis rebus præsidium situm esse intelleximus in vestra singulari virtute et pietate; eam autem hoc tempore imploramus tanto studio, quantum res ipsa postulat. Nulla alia de causa misimus venerabilem fratrem Episcopum Ecclesiæ Vercellensis Nuncium, nisi ut provideremus Christi gloriæ atque animarum saluti. Dolemus gravissime nostro optimo desiderio obsistere eos, quos maxime oportuit favere, Apostolicamque authoritatem omni cum demissione revereri et colere. Prior siquidem Carthusianorum in Ittingen et Abbas Vettingensis Ordinis Cistereiensis magna cum contumacia et Visitatoris nostri despectu sese gesserunt; Præfecti item Turguviæ et Badæ. Certum habemus, talia vobis inscientibus accidisse. Rogamus vos, ut ostendatis Præfectis, Sanctæ hujus Sedis auctoritatem esse vobis quam commendatissimam. Illud etiam ut Visitatori adjumento sitis ad Abbatis et Prioris cæterorumque, qui in eadem crimina inciderint, insolentiam coercendam puniendamque. Erit hoc Deo acceptissimum vestraque perpetua virtute dignissimum. Omnia fusius ex eodem ipso Nuncio cognoscetis, cupimus, ut ejus verbis fidem tribuatis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Februarii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

XXVII. — Hinc illud etiam factum est, ut cum Ecclesiasticis viris ii, qui publicas Pagorum res curabant, ad molestiam Episcopo Vercellensi creandam sese conjungerent: quare denuo oportuit, ut Gregorius cum Helvetiis de tanta rei indignatione graviter expostularet, suaderetque, ut Visitatori adessent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An IX ep. 72 f. 263.

Dilectis Filiis Septem Pagis Helvetiorum Catholicorum Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Quam indigne tractatus fuerit venerabilis frater Episcopus Ecclesiæ Vercellensis Nuntius noster a Præfectu Turgoviæ, ab Abbate Cuyzlingensi, a Lautscriba, cognitum vobis esse arbitramur. Durissime autem omnium se gessit Lautscriba, nec quidquam studiosius curavit, quam Ecclesiasticæ jurisdictioni adversari rectisque Nuntii actionibus obsistere. Poteritis omnia planius ac minutias ex Nuntio ipso cognoscere. Cur talia committerentur, causa nulla erat: neque enim Nuntius quemquam illorum læserat, neque aliud laborabat, nisi ut ea exequeretur, quæ ad Dei gloriam magnopere pertinerent, quæ etiam vobis pro vestra pietate summopere cordi esse non dubitamus. Rogamus, ut quemadmodum illa vobis inscientibus commissa, sic Apostolicæ auctoritati tam graviter læsæ satisfieri curetis, libenterque audiatis ea, quæ a Nuntio ipso proponentur, piisque ejus actionibus semper auxilio sitis; eumque omnibus in rebus quam commendatissimum habeatis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Novemb. MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

XXVIII. — Quod etiam Nuntius ipse Apostolicus, Præsul nimirum Vercellensis, libero satis animo præstitit, cum consilia sua sane sapientissima de instauranda collapsa utriusque Cleri disciplina, deque re Catholica provehenda, cum Præsidibus quinque Pagorum Catholicorum Lucernæ ad comitia convocatis communicaret. [*]

[*] Helvetia Vol. 2. fol. 198.

Propositiones in Comitiis Lucerinis quinque Cantonum Catholicorum XIV. Calendas Februarii anno 1580. exhibitæ.

Illustres ac Potentissimi Domini.

« Quod Dominationibus Vestris Illustribus ac Potentissimis hoc ipso III. Calendas Novembris de prompta Sanctissimi Domini in Collegio Helvetico, Mediolani jam erecto, censibus augendo voluntate significavi, id jam re ipsa ex parte præstitum est, cum præter illam Novariensem Præposituram Sanctæ Crucis, quam Sanctitas Sua tum prædicto Collegio annexuit, nuper etiam Præceptoriam S. Antonii Papiensis eidem attribuerit, ac perpetuo univerit, ita ut jam ad duo coronatorum millia census illius annui excreverint; neque vero hic desinet Sanctissimi Dñi liberalitas, quando firmiter adeo fundare et stabilire hoc Collegium constituit, ut perpetuo vestræ juventuti alendæ, atque in sacris litteris et morum castitate erudiendæ large sufficiat.

« Verum hoc Collegio non contentus, ut paternæ erga vos charitatis et sollicitudinis certiora præbeat argumenta, institui etiam cupit Constantiæ, cujus Diœcesi estis subjecti, Seminarium ad Concilii Tridentini præscriptum, in quo tot pueri ex vestra ditione ali instruique debeant, quot ex ea censuum portione, quam Helvetiæ monasteria dicto Seminario ex ejusdem Concilii decreto contribuent, sustentari poterunt, ne vestræ regionis proventus alienorum, sed vestrorum tantum adolescentum usui cedant.

« Hoc siquidem negotium cum serio tractandum sit, non quidem eo animo Dominationibus Vestris Illustribus propono, ut nunc deliberetur, verum ut postquam Curia rediero, commode et tractari et deliberari possit: id nunc vehementer cupio ac peto, ut aliqui communi omnium Dominiorum auctoritate eligantur, quibuscum illud perficere valeam, et Sanctissimo Domino hanc animi consolationem, quam summopere desiderat atque a vestra pietate expectat, quamprimum afferre: sic animadvertet Sanctitas Sua, hac præcipua ratione posse religionis Catholicæ labentes res restaurari, quando

certissimum est, ob Ecclesiasticorum hominum negligentiam atque ignorantiam, malosque mores tantam jacturam, his præsertim in partibus, fecisse Catholicam fidem veramque religionem.

« De transitu salis per Mediolani provinciam permittendo, qua de re nomine vestro supradictorum Comitiorum tempore ad eundem Sanctissimum Dominum diligenter perscripsi, Sua Sanctitas responderi per Illustrissimum Cardinalem Comensem mihi jussit, non potuisse statim se, cum id negotii ad Cameram Apostolicam pertineat, deliberare, mandasse tamen, ut efficacissime cum dictæ Cameræ Officialibus hac de re agatur, ut quoad ejus fieri potest, vestræ postulationi vestrisque votis satisfiat.

« Hæc et alia multa humanitatis, benevolentiæ et charitatis officia ab illius Sanctitate expectare jure possunt in dies Dominationes Vestræ Illustres, sed nollem equidem, propensam illius atque adeo ardentem in vestris commodis et procurandis, et promovendis animi voluntatem vos ulla ratione frigescere vel etiam tepescere faceretis: si enim quæ nuper ad aures nostras pervenerunt, aliqua ex parte intelligeret, verendum fortasse esset, ne ardens illius studium non refrigesceret modo, sed etiam ad aliquam animi indignationem vergeret.

« Quæ quidem quoniam indigna videntur, de quibus ego apud vos me excusem, vel etiam quæ animos vestros ulla ratione a me avertere, vel quicquam prorsus commovere potuisse videantur, ideo prudens omitto, ut certe non meæ tantum, sed vestræ etiam simul consulam existimationi; si quis autem vestrum, ut possit ignaro vulgo certius respondere, penitus ex me omnia cognoscere cupiat, unicuique privatim satisfacere non gravabor, nihil dubitans fore, ut omnes et singuli actiones meas non excusent modo, sed imo non sine magna meæ patientiæ admiratione commendent.

« Nam vel hoc unum humanitatis meæ atque eximiæ erga vos propensionis testimonium, quem non commoveat, atque adeo convincatur, quod cum inauditis illis contumeliis apud Ittingense et Vettingense cœnobium a Præfectis vestris exceptus essem, nihil tamen contra illos, uti certe jure poteram et debueram, agere ante, quam omnia ad prudentiam arbitriumque vestrum deferrem, voluerim? Quibus de rebus non est, quod fusius vobiscum agam, cum ex literis meis Friburgo ad XIII. Calendas Januarii datis Dominationes Vestræ Illustres satis instructæ fuerint: si vero Nuncios Apostolicos ita inhumaniter apud vos tractari, dumque ausus temerarios aliqua ratione pro dignitate Sedis Apostolicæ restituenda a vobis cohiberi sperant, adhuc ipsos tamquam inhumanos atque imprudentes deque vobis male meritos passim haberi patiemini, neque prudentia atque auctoritate vestra hisce incommodis occurretis, diligenter videte, quo animo hæc sit accepturus et laturus Sanctissimus Dominus, qualisve labes vestræ avitæ pietati, atque erga Sanctam Sedem Apostolicam observantiæ aspergi jure possit.

« Quod autem hæretici homines in me indignos sermones ex prohibito in monialium monasteria illic ingressu sparserint in vulgus, non ad modum equidem miratus sum; sed quod a vobis ullius momenti existimati sint, non levis, fateor, me cœpit admiratio. Quando enim in VII. Cantonum Comitiis jam deliberatum est, clausuram monialium ex Tridentini Concilii decreto servari omnino debere, non video, cur melioris conditionis aut laxioris, ut verius dicam, licentiæ hæretici quam Catholici esse debeant.

« At in iis, quæ illos attingunt, ad evitanda scandala et seditiones, quæ exoriri possunt, antequam aliquid statueretur, bonum erat cum Catholicis Dominis omnia pertractare. Dicam equidem me illius sententiæ fuisse, ut omnia vobis communicarem, cujus rei certissimum illud esse potest indicium, me nihil fere hactenus de monialium clausura uspiam constituisse, præterquam in Tennichenensi monasterio. Quo quidem in loco quæcunque decreta sunt, in vestri gratiam decrevisse me affirmare possum, qui alterius monasterii illius decreta tum editurus vero non eram, ex Comitiis Badensibus eo me contuli, ut vobis ipsis, qui apud me efficacissime interceperatis, rem gratam facerem, Abbatissamque illam ex voto et desiderio vestro, peculiari tamen Sanctissimi Domini facultate nixus, quamque ex conscientia mea magis idoneam judicabam, constituerem, uti Dei gratia quamquam non sine magnis ob illarum monialium pertinacissimam contumaciam laboribus constituta est. At vero in reditu meo et res omnes, quas recte constitutas me reliquisse credideram, ita perturbatas comperi Nobilis cujusdam hæretici monialis junioris fratris aut cognati opera et fraude, qui non ipsi solum, sed uxor illius etiam semel atque iterum ingressi erant in monasterium, et cum reliquis etiam monialibus prandium sumpserant, ut necessarium duxerim, ipsius etiam Abbatissæ rogatu illorum ingressum prohibere. At ne illos peculiariter tangere viderer, verbis generalibus ingressum prohibui, uti ex litteris meis ad Abbatissam datis facile est intelligere, quæ tamen cum Præfecti vel potius Scribæ astu Tiguri, priusquam Luceriæ fuerint promulgatæ, videant Dominationes Vestræ Illustres, quo religionis studio id factum sit. Acceperam siquidem jamdiu hæreticos Dominos Catholicis omnem monasteriorum in rebus, præsertim spiritualibus, administrationem omnino cessisse; atque ideo credidi nihil mihi cum illis hanc ob causam negotii esse futurum, et quamvis illis submolestum id fortasse videri posset,

non illos tamen in re tam aperta et jam deliberata, quamquam adeo efficaciter Tridentinum Concilium non Episcopis solum, sed etiam Principibus temporalibus observandam injungit, quicquam unquam conquesturos.

« Hæc autem nescio, quo pacto continere me non potui, quin vobis explicarem, ut ex his paucis apertius reliqua omnia de me inique adeo evulgata judicare possitis. Nec enim de falsa pecuniæ a secretario meo petitæ insimulatione quicquam attingere nunc proposui, ne in causa, quæ vel ad me vel ad familiarem meum spectat, judicium ferre velle ipse videar. Brevi enim credo adfuturum Sanctissimi Dñi rescriptum, cujus virtute hujus facti veritas liquido cognoscetur, neque vero sumere sibi debuit Frovfeldi Præfectus, aut laicus quispiam judex testes contra me, aut clericum ullum ex meis præsertim domesticis examinare, Regularesque præcipue testes, quo certe sine ecclesiasticarum censurarum incursu fieri non potuit.

« In reliquis iterum dico, si quisquam ex me actionum mearum privatim rationem discere cupiat, nihil vereor, quin is, quicunque fuerit, a me contentus, nimiamque humanitatem meam admirans abeat, uti hactenus affirmare me posse arbitror evenisse, qui certe nihil unquam, quod concedere potuerim, vestræ cujuspiam intercessioni non concesserim.

« Quocirca rogo vos in visceribus Christi, ut prudentia ac pietate vestra incommodis omnibus futuris ita prospiciatis, ut et Sedis Apostolicæ auctoritati, et vestræ existimationi rite consultum sit; de me vero vobis persuadeatis velim, quibuscunque in rebus pro dignitate et conscientia mea licuerit, vestro desiderio vestrisque petitionibus satis me semper facturum: sic vos Deus omni felicitate augeat, sanctique sui Spiritus lumine perpetuo illustret, candidam vero meam erga vos voluntatem ita semel vobis aperiat, atque animis imprimat, ut nihil deinceps, quod a malevolis ad vos referatur, opinionem illam, quam de me jam pridem concepistis, immutare unquam valeat, aut quicquam prorsus imminuere. Ex solitis nostræ habitationis ædibus XIII. Calendas Februarii MDLXXX.

Illustrium ac Potentiss. Dominationum Vestrarum

commodis inservire paratissimus
JOANNES FRANCISCUS EP. VERCELLENSIS
ET APOSTOLICUS NUNCIUS.

XXIX. — Non sine ratione ideo Pontifex cum Helvetiis de gravissima injuria ab Sedunensibus eidem Præsuli irrogata acriter conqueritur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 116. f. 263.

Dilectis Filiis Septem Pagis Helvetiorum Catholicorum Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Quanta cum indignitate et contumelia cives Sedunenses venerabilem fratrem Episcopum Ecclesiæ Vercellensis Nuncium nostrum ingressu civitatis prohibuerint, facile vos aliunde cognovisse existimamus. Non merebatur hoc certe persona ipsa, munus, quod a Nobis impositum sustinebat, muneris ipsius causa: neque enim quidquam aliud unquam Nobis propositum fuit, nisi Dei gloria et salus animarum, quo in negocio Episcopus ubique prudentissime se gessit. Solent urbium aditu arceri latrones atque hostes, non Episcopi missi ab hac Sancta atque Apostolica Sede. Hoc vestræ humanitati ac pietati indignissimum videri non dubitamus: exploratum etiam habemus, id nonnullorum scelestissimorum ejus civitatis hæreticorum consilio atque opera factum fuisse, repugnante maxima Valesianorum parte. Commendamus igitur vobis Episcopum omnibus in rebus, rogamusque, ut curetis, huic contumeliæ a Sedunensibus aliqua ex parte satisfieri; ipsorum enim maxime interest sese gravissima infamia liberare, erroremque suum agnoscere, et quod perperam factum est, emendare: satisfaciendi rationem ipsi pro vestra prudentia facile excogitabitis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Februarii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

XXX. — Quis non admiretur libertatem, qua ipse Vercellensis Præsul de injuriis contumeliisque, quas ipsum per Sedunenses perferre oportuit, cum Præsidibus Pagorum Catholicorum expostulavit. Damus has ejus litteras, omissis solummodo documentis, quorum mentionem facit, quæque suam narrationem corroborant. [*]

[*] Helvetia Vol. 2. fol. 103

Illustres et Potentes Domini.

« Quod a nobis de Sedunensi nostra profectione atque accepta contumelia intelligere cupitis, Illustres ac Potentes Domini, id quamquam submoleste facimus, denegare tamen non possumus pro eo, quo erga vos affecti sumus, studio ac benevolentia, et pro egregia vestra erga Sanctam Sedem Apostolicam observantia, cujus quidem dignitatis tuendæ zelo magis, quam alia causa adductos vos hæc a nobis exposcere non dubitamus. Rem igitur omnem explicare conabimur, litterarum etiam ipsarum, quæ ultro citroque missæ sunt, exemplis seorsum exhibitis, ut apertius ipsorum Sedunensium inhumanitas aperiatur. Itaque cum adhuc Luceriæ essemus, dedimus litteras ad Episcopum Sedunensem die XXX. Julii, quæ litteræ A. signatæ sunt. Quarum quidem litterarum responsum accepimus, dum Zurzachii essemus die 27. Augusti, sed horam ferme ante redditæ erant litteræ Senatus Valesiani per diversos nuncios, qui separatim se venisse ostenderunt: et licet litteræ Valesianorum datæ essent tres dies ante,

quam illæ Episcopi, et significare viderentur Dominos illos de mea visitatione aliunde, quam ex Episcopo intellexisse; manifestum est tamen, Episcopum ipsum meas litteras cum illis communicasse, quod ipse postea non negavit: litteræ autem sunt signatæ B. et C.

« Ad illas igitur litteras rescripsimus statim, ut videri potest in litteris signatis D. et E.

« Atque his quidem de rebus ad Sanctissimum Dominum diligenter cum retulissemus, quid ejus Sanctitas rescripserit, neque æquum est hoc loco ponere, neque necessarium, satis est dicere, Suam Sanctitatem omni humanitate quæsiisse illorum contumaciam vincere, quemadmodum etiam facile dignosci potest ex litteris, quas ad Reverendissimum Episcopum et Senatum ipsum Valesii dedit, quas cum Episcopo ipsi ostenderimus, non ei tamen quamquam efficaciter rogati, nisi proprias reddere voluimus.

« Nos igitur cum proxime elapsis diebus Friburgi essemus, qui et visitationem omittere cupiebamus, et Sanctissimi Domini desiderio satisfacere, et aliqua certe etiam ratione illorum existimationi, ne tanquam Schismatici Romæ haberentur, consulere, id consilii inivimus, quod ex litteris Friburgo ad eundem Reverendissimum Episcopum Sedunensem datis facile est colligere, quæ quidem sub hoc signo F. invenientur.

« Cum supradictis litteris præmissus est Sedunum D. Marcus Antonius Bellinus, Canonicus ordinarius Mediolani, VII. Cal. Januarii una cum Canonico Friburgensi, et uno ex pedissequis nostris. Datumque illi est in mandatis, ut Reverendissimo Episcopo referret, nobis in animo fuisse hac ratione Diœcesis Sedunensis visitationem, quam a Dominis Valesianis non libenti animo suscipiendam noveramus, declinare, quam alioquin Sanctissimus Dominus exacte fieri, ut in Helvetiorum finibus ubique jam factum erat, facile jussurus esset, et Dominorum Helvetiorum legatis etiam adstantibus perfici omnino vellet.

« Quod si fortasse Sedunensium animos (quod tamen vix suspicabamus) obstinatos adeo vidisset, ut nullo pacto adventum nostrum laturi essent, Episcopo ipsi insinuaret, Dominationem suam Reverendissimam satis nostro desiderio facturam, si in Sancti Mauritii monasterio nobis obviam veniret; nos enim Sedunum ire statuisse, potius ut Episcopo quam ut Dominis sæcularibus salutem diceremus; quare si cum illo esse, et S. Mauritii sociorumque ejus sacrosancta ossa ac reliquias venerari licuisset, sicut certe maxime cupiebamus, prope integre ex animi nostri sententia et voto cessura omnia.

« Primo igitur Calendas Januarii Friburgo discedentes ad III. Calendas apud Sanctum Mauritium hospitati sumus.

« Sequenti die moniti a D. Bellino per litteras et per Canonicum Friburgensem, qui nobis obviam venit, nostrum adventum lætanter expectari, nosque humanissime exceptum iri a Reverendissimo Episcopo, necnon convocatum jam esse Generale Consilium pro adventu nostro solemnius excipiendo, nihilque tandem esse suspicionis, quin omnia bene et feliciter succederent, processimus; cumque jam ad horæ spacium Seduno proximi essemus, obviam nobis prodierunt duo equites cum sclopetis ad equi sellam appensis, unus quidem nomine appellatus Egidius Lussen, alter N. qui nobis reddidit modo etiam, nescio quo, ut in processu constat, satis impudente litteras, quæ sub hac nota G. legi possunt.

« Quibus lectis et D. Wolphgango traditis, ut germanico idiomate illas declararet D. Joanni Senatori Friburgi, itineris comiti nobis a Senatu Friburgensi adjuncto, respondimus nos non visitatum accedere, sed salutatum tantum, uti jam nostris litteris ad Reverendissimum Episcopum datis significatum erat. Et quid si vellemus transire in Italiam, num ideo denegaretur nobis transitus? aliaque ejusmodi a Dño Joanne dicta sunt, sed frustra omnia, respondentibus illis, se non habere aliud in mandatis, quam ut nobis redderent Senatus litteras, easque exequi curarent, multaque verba inhumana protulerunt, quæ in processum relata, non est, cur hic prolixius enarreotur.

« Quare sub noctem retrocedere coacti, vix hospitium invenimus in Villa S. Petri hora ferme sexta.

« Quo ex loco Sedunensium litteris respondimus, atque ad Episcopum etiam scripsimus, quamquam non nisi die sequenti redditæ sunt litteræ, ipsi quidem Episcopo mane per pedissequum nostrum, quem Sedunum ablegaveramus, quæ notantur lit. H; aliæ autem ad Senatum Sedunensem redditæ sunt a prandio Martiniaci ipsi Egidio Lussen, et cum reliquis hac lit. I. notatæ recensentur.

« Dum igitur essemus in equis, celebrata jam missa, prid. Calendas ejusdem mensis, ecce nuncius quidam adventare Episcopum refert, ut prandeat nobiscum in dicto Villæ loco.

« Cui responsum est ire nos Martiniacum, ibique expectaturos ad prandium suam Dominationem Rñam, si adesse dignabitur.

« Cum autem paulum progressi essemus, ecce alter nuncius equester festino gradu adcurrens, adesse Reverendissimum Episcopum nunciat, quare constitimus, dumque ille prope esset, et ab equo descendisset, nos quoque descendimus, atque ad amplexum humaniter illum accepimus, qui quidem primu rogare nos cœpit, ne illum ejus facti ulla ratione esse participem existimaremus, quin imo se eam ob causam ma-

ximum dolorem atque indignationem animo concepisse.

« Nos autem paucis acceptam contumeliam ita exagerantes, ut non inulta abire sinenda ullo pacto esset, invitavimus illum, si vellet Martiniacum usque progredi, ibi maturius agere nos posse de omnibus, quæ necessaria viderentur: ille autem libenter annuens, et in via et in hospitio multis egit, ut nos placaret, timens, et jure quidem, nos Seduni civitatem interdicto subjecturos. Rogare igitur, ne paucorum culpa omnibus noceret: sic enim testabatur, cum eo deliberatum prius esse, ut nos honorifice ac benigne susciperemur; mutatum vero fuisse consilium paucis, nempe 15 aut 16 Senatum cogentibus, atque iis quidem inter se ipsos discrepantibus. Actum etiam esse de nos iterum invitando et observando, ut omnino Seduno accederemus (qua tamen in re multum urgere non est visus): ipsum autem satius duxisse nobis obviam venire, ut quæ nostra esset voluntas certius intelligeret.

« Ad hæc in summa respondimus, nos quidem ex animo hanc injuriam dimisisse, imo Deum rogare, ut ita illis crimen dimitteret; sed cum auctoritatem Sedis Apostolicæ nimis aperte læsam cognosceremus, ideo oportere nos diligenter considerare, quid nobis esset in re tanti momenti statuendum. Neque vero amplius nos etiam rogatos Sedunum redituros, qui id non e dignitate nostra esse existimaremus.

« Itaque dilata in sequentem diem deliberatione, in mitiorem partem inclinantes, litteras Decano Sedunensi, qui nos comitatus fuerat jussu Revm̃i Episcopi ad Sanctum usque Mauritium, dedimus ad ipsum Episcopum et Senatum Valesii universum perferendas, quin etiam monitorias litteras ad duos Senatus Sedunensis Consules duosque alios: quas quidem litteras omnes Decanus ipse præsentibus RR. DD. Mario Antonio Bellino supradicto et Hieronimo Verduro pollicitus est, se singillatim iis, ad quos pertinerent, redditurum: supradictæ autem litteræ legi possunt sub litteris L. M. et N. Atque hoc quidem loco subticenda minime videtur eximia Reverendissimi Episcopi in hoc genere humanitas, qua non tantum Martiniaci, ubi prandium una sumpsimus, sed etiam in Sancti Mauritii hospitio, licet contra multum conati essemus, subministrare voluit expensas, neque ulla ratione est passus, hospitem quicquam prorsus a nobis recipere.

« Nemine autem illorum Friburgi die præstita VII. neque VIII. comparente, sententiam quidem contra citatos tulimus, nihil tamen aliud contra illos, neque etiam de interdicto decrevimus, rogati quidem ab Illustribus Dominis Friburgensibus, sed etiam ob causam, ut antequam ad ulteriora procederemus, Reverendissimi saltem Episcopi responsionem expectaremus.

« De his omnibus ad Sanctissimum Dominum diligenter retulimus, proprio etiam Nuncio e S. Mauritio Romam ablegato. At quo animo sit hæc auditura Sanctitas Sua, judicent Illustres DD. VV., dolenti quidem ob grave illorum crimen, Sedisque Apostolicæ dignitatem graviter læsam, quamquam fortasse etiam inhumanam adeo contumeliam, sine ulla causa nobis inflictam, summi ipsius Dei vindictæ relinquendam jure censebit; si enim leges, non dicam sacræ, sed civiles, quæ de injuriis ulciscendis honoris sæcularis causa a militaribus viris servari solent, inspiciantur, sine ulla quidem controversia affirmare potest, Sedunenses potius quam nos ipsos injuria illa fuisse affectos.

« Atque hæc quidem scriptis mandare voluimus a DD. VV. Ill. rogati, ut piæ illarum sollicitudini satisfaceremus, atque ut ipsæ etiam cognoscant, si inhumanitatem illam aut verius impietatem ex sacrorum canonum jure vindicabimus, nos nihil sine gravissima justissimaque causa decreturos, nempe ut Sedis Apostolicæ, cujus Nuncium gerimus, auctoritatem tueamur.

« Sic vero de me omnino statuant velim DD. VV. Illustres, ita me propriam injuriam Sedunensibus facile condonasse, ut me potius maximas eis gratias habiturum profiteor, qui mihi hanc aliquid contumeliæ in nomine Jesu Christi Vicarii patiendi occasionem præbuerunt. Recte valeant Illustres, pii ac potentes Domini, omnique felicitatis genere e liberalissima Dei Omnipotentis manu perpetuo cumulentur. Ex solitæ nostræ habitationis ædibus XIIII. Calendas Februarii MDLXXX.

Illustrium ac Potentium Dominationum Vestrarum

commodis inservire paratus
Jo. Franciscus Episcopus Vercellensis
et Apostolicus Nuncius.

« Neque vero omittendum hoc loco videtur delegatis, atque excusationibus a Reverendissimo Episcopo et Senatu Valesiano, necnon a Sedunensibus ad nos missis.

« Siquidem nodius tertius Luceriæ comparuerunt duo legati ipsius Reverendissimi Episcopi et universi Senatus nomine, qui nobis litteras signatas O. et P. reddiderunt, (alter enim, de quo in litteris Senatus fit mentio, Gubernator scilicet Agaunensis, impeditus, venire non potuit) exponentes, quæ a suis Dominis habuerant in mandatis, cum omni quidem humilitate atque obedientiæ significatione in hanc fere sententiam. Primo post dictam suorum nomine salutem, veniamque loquendi summa cum reverentia petitam, enixe nos rogarunt, ne erratum illud, quod breviter narraverunt, toti provinciæ adscribere-

tur, ne innocentes una cum sontibus pœnas luerent, atque etiam cum ipsis nocentibus, qui pauci quidem fuerant ex Sedunensibus, clementer ageremus; universum autem Valesii Senatum ægerrime id tulisse, vocatosque Sedunenses acriter corripuisse. Quod vero ii, qui moniti a nobis fuerant, non comparuerint, excusarunt ex Imperatorio et Pontificio privilegio, cujus virtute nemini liceret extra provinciam Valesii evocato judicio sisti; observare igitur, ut non abnueremus eos in provincia sua puniri, non enim permissurum Senatum illos impune abire; summis tandem precibus efflagitare, ut acquiescere vellemus, et parcere; periculum enim subesse non leve seditionis, quod paulo ante vix effugerant cum magna etiam sanguinis effusione. Postremo instantissime petere, et Pontificias litteras ad Valesianum Senatum directas, quas Rmo Episcopo denegaveramus, redderemus, ne indigni a nobis judicarentur, qui a Summo Pontifice salutem et benedictionem acciperent.

« Ad hæc respondimus nos, ut legere est sub his signis Q. et R. quamquam paulo fusius verbis, in eandem tamen omnino sententiam, quæ ex dictis litteris colligi potest.

« Hesterno vero die mane adfuit etiam Sedunensium legatus, qui oretenus quidem utcunque satisfecerat, sed lecta epistola ab eo exhibita, quæ cum aliis reposita est littera S. notata, non potuimus non respondere in eum, qui ex epistola nostra T. signata colligitur, modum, multo vero prolixius atque explicatius coram, post exhibitam ab eodem legato scriptis excusationem, quæ cum reliquis scriptis est signata V. quam quidem, ut quacumque ratione suos Dominos excusaret, potius exhibuit, quam quod rationi congruum esse cognosceret; sic enim visus est non diffiteri.

« Ipsi quoque Reverendissimo Episcopo post frigidam adeo a Sedunensibus acceptam excusationem alias litteras dedimus, quæ sub hoc signo X. notantur, et certe digna admiratione videtur obstinata illorum Sedunensium (quamquam vere credo pauciorum esse culpam) contumacia, qui licet factum inexcusabile esse cognoscant, quacumque tamen ratione excusare volunt potius, quam crimen fateri, neque vident, dum culpam confiteri recusant, seque ipsos excusare nituntur, non leviter et imprudentiæ et levitatis item nos arguere et accusare. Eo quippe solet peccatum homines non vere pœnitentes adducere, ut de peccato in peccatum labantur, et dum quærant de peccatis excusationem, novo semper crimine magis obstringantur.

« Hæc vobis subticenda non esse judicavimus, ut omnibus DD. VV. Illustribus repræsentatis piæ illorum petitioni, et desiderio integre satisfaceremus; iterum valete in Domino divino Sancti Spiritus lumine illustrati, ut non in hoc modo, sed in omnibus etiam aliis rebus ad divinum honorem pertinentibus recta et salubria consilia inire semper valeatis.

Idem Jo. Franciscus Episcopus
Vercellensis et Nuncius.

XXXI. — Haud absimili animi fortitudine impavidus hicce Præsul Bernensibus indignationem, qua, dum nihil moratus per ipsorum urbem transiret, a concitata plebe sceleratissime tractatus fuerat, exprobravit. Quibus litteris et idem Nuntius omnes simul calumnias a se depellit, et confirmat alienissimum a sua cogitatione, et a mente Pontificis fuisse, dissidiis causam præbere, et Catholicos ad arma sumenda in Helvetia excitare. Memoratu sane digna sunt, quæ ibi ad Bernensium impudentiam retundendam proferuntur; propterea quod egregie faciunt etiam ad refellendos posterioris ævi scriptores Protestantes, qui ausi sunt affirmare Gregorium XIII. in Helvetia ad civiles motus Catholicorum animos inflammasse. [*]

[*] Helvetia Vol. 2. fol. 383.

Dominis Bernatibus.

« Dei Omnipotentis gratia, pax Christi, et lumen Spiritus Sancti. Illustres ac potentes Domini. Cum verum ipse considero memoriaque repeto, qui mihi hesterno die Bernæ acciderit, non satis mirari possum, qui factum sit, ut Bernates Domini, qui humanitatis laude erga omnes præcellere student, quique in generalibus Thermipolitanis comitiis proxime habitis aperte declararunt, offensos se non leviter fuisse, quod ego præterito anno Berna transiens apud illos suscipere hospitium noluissem; cupere vero se vehementer, ut deinceps apud illos diverterem, quo ipsi sua humanitatis officia mihi exhibere possent, nuper tantam animi offensionem, antequam excusationem ullam meam accepissent, mihi ostenderint, quantum hostibus, a quibus durissimum sibi jam motum esse bellum noscerent, vix ostendere debuissent. Et quanquam humanioribus utcunque verbis DD. VV. Illustres gravem illam et acerbam jussionem, ne illarum fines attingam amplius, ipsæ mihi exposuerunt, injuriæ tamen ac contumeliæ tum verbis, tum factis mihi, meisque extra omnem ordinem, ut ex schedula hisce adjuncta discere poterunt, palam per civitatem vestram irrogatæ postulare videntur, ut pro vestra prudentia, nisi indigni ejusmodi facinoris vos quoque participes judicari velitis, illæ aliqua ratione emendentur; non mea quidem causa, Deum testor, qui non ignominiam ullam mihi illatam, sed potius decus atque ornamentum additum existimo, non tam quod pro catholica vera atque antiqua religione (hoc enim apud vos nihili fieri certo scio, quando vos diversam, atque omnino contrariam religionem tuemini) quam quod pro justitia aliquid contumeliæ referre mihi contigerit. Ita enim in Evangelio legitur, ex ipsius Christi

apertissima sententia, eos, qui persecutionem propter justitiam patiuntur, beatos fore. At hoc ipsum, quod pro justitia hæc sim passus, nulla ratione fatebuntur DD. VV. Illustres, quæ potius inique me in illos Porrentrutenses cives, suæ ipsarum religionis professores egisse, contumeliosoque hæreticorum nomine compellasse contendent; ad hæc ego respondebo, si humaniter ac civiliter agere velimus, ac ratione duci, non propria voluntate, aut impetu quodam præcipiti. Mitto sane omnem de religione disputationem, de qua non ita facile conveniremus, scio; sed civiles, quæso, ac morales leges præ oculis sumamus. Dicam autem primo, quod me DD. VV. Illustres insimularunt, multa me contra vel præter mandata mea præstare, vel moliri in ipsarum dedecus ac detrimentum, gravem mihi certe conquerendi occasionem præberi, nimiæque imprudentiæ, simulque audaciæ me argui; sed contra ego pace vestra dixerim, studere me quam diligentissime quæcumque a Sanctissimo Dño Papa Gregorio XIII. mihi injuncta sunt, præstare, nihilque prorsus contra illius Sanctitatis voluntatem aut jussa unquam facere cogitarem. Neque vero legati solent, aut debent Principis sui mentem aut mandata, nisi cum expedit, exponere aperireve omnia: quibus tamen ex verbis ne sinistra aliqua DD. VV. Illustribus incidat suspicio, illas certiores facio, nihil minus cogitasse hactenus Summum Pontificem, quam pacem aut quietem Helveticam infringere vel turbare. Deinde si ego vestros subditos, aut vobis fœderatos ad Catholicam religionem adigere tentavi, si contra fœdus aut libertatem vestram quidpiam molitus sum, vobis causam offensionis præbuisse non eam inficias; at vestros religionis viros Porrentruti excommunicare volui, atque in exilium ejicere, quid hoc (fateor) ad DD. VV. Illustres pertineret, non intellexi, neque satis adhuc intelligo, cum ii extra omne Helveticorum fœdus constituti, Basileensi tantum Episcopo atque Imperatori in temporalibus, Archiepiscopo autem Bisuntino Ordinario in spiritualibus, nobisque tanquam Apostolico legato subjecti sint: at vero Bernatem virum Friburgi commorantem pariter ad Catholicæ Religionis professionem compellere volui, hujus enim facti, ut vere fatear, hic non memini, neque id mihi ad memoriam revocavi, quamquam eo fortasse DD. VV. se læsas existimant. Verum enim vero quando ipsæ Catholicum virum ad se divertentem non ut hospitem quidem, sed domicilium contractum Catholico ritu vivere non patiuntur, quid ipsæ a Catholicis Dominis non eandem diligentiam adhiberi consentiant? huic siquidem axiomati si contradicant, se parum æquitatis jurisque naturalis amicos esse ostendent. Id ego præstiti equidem Friburgi, et præstabo itidem, ubicunque apud Catholicos Dominos ejus rei assensum præbentes fuero, hominemque invenero, qui aliam quam Catholicam, Romanam, veramque religionem profiteatur; neque jure arbitror, Bernates Dominos aut alios quospiam Lutheranæ, Calvinianæ, seu Zvinglianæ, alteriusqoe religionis sectatores de me ulla ratione conqueri posse. Hæreticos vero illos, quos ad Catholicam fidem adducere studui, dixisse, me non abnuo; sed quod eodem nomine Bernates appellaverim, mihi non sum conscius, post Thermipolitana præsertim Comitia, in quibus hoc de vocabulo easdem querelas audivi: sed esto, quod interdum exciderit verbum illud, nihil ego aliud significare voluisse me testor, quam hominem Christianum a Catholica religione dissidentem; nam de Chetzeri significatione ego non disputo, qui hujus vocabuli vim interpretandam Germanis relinquo, apud quos etiam extra Helvetiæ fines non adeo perperam sonare audio; satisque mihi esse arbitror, latini verbi significationem ac jure me posse facile defendere, quod nihil aliud probri aut contumeliæ prorsos secum afferat, quam quod res ipsa fert, a Catholica religione dissidere. Quod autem commercium, vel consuetudinem inter vos et alios Helvetios vobis fœderatos, propterea quod diversæ religionis cultores sint, prohibuerim, id expresse negare non dubito, manifestamque mihi injuriam fieri assero; quemadmodum item falso impositum mihi fuisse constanter affirmo, quod belli causas serere inter Helvetios quæram atque studeam. Quid vero illud fuit, Episcopum Lausanæ ad residentiæ suæ munus præstandum inducere voluisse? an non hoc ipsum erat bellum commovere? Fateor equidem ego me operam dedisse, ut Friburgi, quæ pars illius diœcesis est non obscura, resideret, non Lausanæ tamen, quod etiam si per justitiæ leges quæsiissem, non viderem, qui DD. VV. Illustres adeo mihi infensæ esse debuissent, quæ justitiam adeo diligere et colere se profitentur; sed cur offensas unquam ire suspicari jure debui, quod Lausanensis Episcopus Friburgi sedem figeret? an non est harum ovium Catholicarum legitimus pastor? an non illas ex Evangelico præcepto pascere debet verbo et exemplo, illarumque vultum agnoscere, spiritualesque morbos curare, eas a lupis custodire et servare, et pro eis animam suam ponere? quæ quidem pastoralia munera absens Episcopus nullus præstare unquam poterit; sed postquam eum residere nolle, nisi magnis sibi paratis censibus, illiusque adventum Friburgensibus Dominis non gratum admodum futurum accepi, non ulterius ego nunc urgebo, neque is Friburgum veniet hoc tempore; ab omni liberæ sint, volo, hanc ob causam solicitudine DD. VV. Illustres. Neque igitur belli causas ullas sparsi, neque spargere studeo; veritatem

tamen non celabo, si aliqua mihi ratione liceret vos ad unionem Catholicæ religionis pacifice adducere, quo cæteris Helvetiis Catholicis, quibus fœdere juncti estis, religionis etiam vinculo, quo nullum amoris aot amicitiæ arctius est, conjuncti essetis, facerem equidem quam libentissime, crederemque me, si id assequi possem, Helvetiorum Reipublicæ maximam utilitatem et commodum, honorem atque existimationem allaturum, deque hac universa patria atque inclita natione optime esse meritum; sed quando id minime sperare mihi licet, neque etiam, si liceret, vi armisve assequi certe coner; quod si moliri vellem, contra Summi ipsius Pontificis, cujus Nuncium Apostolicom ago, mandata et voluntatem, quam quidem omni studio ac diligentia pro mei officii ratione, ut supra testatus sum, exequi curo, sane facerem, quandoquidem illius Sanctitas eximius est ac constans pacis et amator et cultor. Quod si æque esset ad arma et vindictam propensus, non levem profecto illi occasionem movendi fortasse belli nunc obtulissent DD. VV. Illustres, dum publicum illius legatum per vestram civitatem transeuntem sisti jussistis, graviterque atque imperiose interrogastis, qui æque placidis verbis stetisset, vobisque respondisset, ac fecisset satis, eique præterea serio inhibuistis, ne fines vestros ulterius attingeret, quod ipsum quippe est gentium, ne dicam Helvetiorum Catholicorum vobis fœderatorum, quibus ego in Catholica ipsorum religione conservanda et augenda servio, jus violare, ut reliqua contumeliarum genera a populo nobis irrogata, famulumqoe meum in tetrum carcerem inhumanissime conjectum, ac post horam eductum extra portas civitatis vi, malisque verbis expulsum prætercam, quando multo minores ob injurias legatis suis inflictas, magnos interdum Principes ad gravissima bella et Regnorum ipsorum excidia incensos, atque incitatos novimus. Qua quidem in re, quod ego coram DD. VV. significavi, id hisce literis repeto, cogitare illas debere mature ac diligenter, quid agant; me quidem facile a finibus vestris abstinere posse, sed non id fortassis æquo animo laturos Catholicos Dominos Helvatios, ad quorum aliquos accessus itidem mihi non patebit, si ditionem vestram attingere non liceat; tum vero publicæ personæ ac legato, si non Summi Romani Pontificis, quem pro Christi Vicario agnoscere nequaquam vultis, at certe Principis maximi, cui Imperator et Reges, Principesque omnes Catholici obediunt ac genuflectunt, atque alii etiam Principes non catholici tamquam supremo Principi ac Domino primum locum sine ulla controversia concedunt, gravem hanc injuriam, contra jura omnia gentium, naturæ et civilia, absque ulla justa legitimave causa inferri. Atque hæc quidem volui sincere atque amice DD. VV. Illustribus insinuare. Ipsæ pro sua prudentia atque humanitate omnia, tamquam a fido consiliario et communis pacis ac quietis amico profecta, boni consulant; rebusque omnibus gestis diligenter consideratis prudenter prospiciant, quæ sint illarum partes. Ego enim vel acerbius duriusve iterum lacessitus, nullam nihilominus oltionem quæram, sed omnia Divinæ bonitati ac providentiæ committam; mea vero pietatis et charitatis officia vobis promptissime semper exhibebo; quibus etiam meliora Spiritus Sancti charismata, ut rite recteque ex Dei ipsius voluntate de rebus suis omnibus deliberare certius tutiusque valeant, veramque præterea ac perpetuam felicitatem a Domino precor. Datum Friburgi III. Idus Decembris 1580.

XXXII. — Bernenses quodammodo mira Præsolis libertate perterriti, simulate per litteras Præsidibus quinque Pagorum Catholicorum inscriptas de injuria a suis civibus Nuntio Apostolico illata sese purgant, novis tamen calumniis et mendaciis contra eundem in medium prolatis. [*]

[*] Helvetia Vol. 2. fol. 392.

Probis, Prudentibus, Honestis, Sapientibus, Scultetis, Landtamannis et Senatoribus Cantonum Luceriæ, Uraniæ, Svithiæ, Subsilvaniæ Inferioris et Soperioris Silvæ Cheniæ et Tugii, nostris sigillatim bonis amicis, fidelibus, antiquis confœderatis generatim et sigillatim etc.

« Nostra amica et benevola officia, et quicquid honoris, amicitiæ et bonitatis habemus, sint vobis parata. Boni, honesti ac prudentes, singulares boni amici, et fideles, chari veteres Confœderati, vos adhuc (uti non dubitamus) recenti memoria tenere existimamus, quid Quatuor Evangelicarum Civitatom honesti Oratores, elapso Februario, in Comitiis Thermipolitanis proposuerint, ac conquesti sint, propter D. Episcopi Vercellensis Papisti Nuncii negocia et practicas, quibus moliebatur eam, quæ est nobis vobiscum et reliquis Caotunibus Confœderatis, subditorum utriusque partis communionem, unitatem et bonam intelligentiam, in qua hactenus non respecta religione ac separatione viximus, et adhuc Deo adjuvante ita manebimus, discindere, nos in dissensionem atque inquietem adducere; et qui de more nos hoc contumelioso nomine hæretici compellare ac insectari solet. Et quicquam propter hæc a præfatis Quatuor Civitatum Oratoribus sit petitum, quomodo discessum sit, et quid promissum, articulus ille continet, cum præfatus Episcopus pro excusatione negotiorum in Comitiis ultimo habitis, cum ratio redderetur, optime se purgaret, velletque eo loci animum suum explicare, si hoc ab eo requireretur. Excusationem illam optimo animo accepimus, et de hisce omnibus optime confidebamus. Ex eo vero tempore (cum pu-

taremus illum jam ex Helvetia concessisse) relatum est nobis, quomodo non solum in suo more nos et nobis religione conjunctos insectandi perduret; verum etiam omnibus perniciosis consiliis et constitutionibus contra nos aliquot nostras ditiones et subditos ad rebellionem concitaverit, idque operæ perficere moliebatur.

« Contigit autem elapso die Sabbati, dictum Episcopum illa ipsa hora, qua nos et plebs in area solita atque tribunali, ubi condemnari rei solent, congregata erat ad condemnandum maleficum hominem aut furem, cum familia sua ad nos advenire; sed propter multitudinem populi, quæ totam plateam obstruebat, non poterat transire; jussimus itaque, ut ad cauponam Coronæ, quæ proxima erat, diverteret, eumque certiorem fecimus, nos habere quædam illi proponenda. Quo facto is in præfatam cauponam se contulit. Nos vero dissoluto judicio denuo congressi sumus, quidnam proponendum sit, deliberantes: postea vero a Senatu aliquot ad id designati sunt, qui eo se e vestigio contulerunt, ut ei gravamina nostra propter negocia ipsius in hisce regionibus, et malam practicam, qua ad nostram perniciem uteretur, serio proponerent, admonerentque, ut ea abstineret, nos atque nostros absque contumelia in pace et quiete vivere sineret, exinde vero ditionem nostram vitaret. Ut vero proposita gravamina, voluntatem atque arbitrium nostrum intellexit, aliquot perniciosissimas practicas contra nos est confessus; deinde etiam excusavit. Excusatione vero facta, dixit se ea non prosecuturum, sed intermissurum; nec quicquam in detrimentum tentaturum. Mandatum vero de vitanda ditione nostra sibi gravissimum fore, diligenterque petiit, ut id revocaretur, eumque libere ditionem nostram transire sineremus, pollicitans, quod se erga nos amice gerere atque exhibere velit. Cum autem designati nostri Oratores non haberent potestatem, decreta nostra mitigandi, seu revocandi, polliciti sunt ea se nobis propositoros gravamina, conaturosque, ut amicam et quam optat responsionem accipiat: et sic eum salutantes, quemadmodum et ipse fecit, hac voluntate quisque domum suam abiit. Postquam vero Episcopus una cum familia equo denuo insedit, Friburgum adhuc profecturus, hæc ei (eum nos modo discessimus) evenerunt, ut quidam de plebejis et de pueris minoris ætatis, qui plerumque homines peregrinos admirantur, atque ideo ad cauponam concurrerant, et præfati Episcopi famulum niveis globis impetierunt: nec præterea alia insolentia, quam clamore, sunt usi. Quod magistratui, qui eum benevolo animo transire permiserat, displicuit, atque ideo etiam tam insolentem et minoris ætatis juventutem inquiri ac puniri curavit, ipsis et aliis junioribus hominibus ostendentes, hoc atque aliis modis hospites peregrinos præter ipsius Senatus voluntatem non esse lædendos, sed eis pacificum et quietum transitum permittendum: et quia certum nobis est, plura, quam facta sint, addi posse, atque ad vos nobis dilectos confœderatos contrarium sine fundamento deferri, consultum ac necessarium nobis visum fuit historiam rei gestæ totam referre, ac petere, ut iis, qui plura addunt, quod certe fieri posset, hac in causa, fidem non habeatis; sed confidatis, et sciatis nobis id non gratum accidisse; verum honestum Senatum (quibus immodestæ juventutis, et plebejorum rusticitas, audacia, insolentia ac immodestia displicere debet) multum inde doloris accepisse, nec id impune abire permisisse, credentes certo vos non alio, quam æquo animo, accepturos; hisce nos Dei gratiæ commendamus. Dat. Bernæ 12. Decembris 1580.

CONSUL SENATUSQUE CIVITATIS BERNÆ.

XXXIII. — Quæ mendacia Præsul, ut sui moris erat, multa cum libertate litteris ad Præsides septem Pagorum Catholicorum satis fortiter perstrinxit. [*]

[*] Helvetia Vol. 2. fol 201.

Ad Septem Cantonum Catholicorum Dominos.

Illustres ac Potentissimi Domini.

« Postquam injurias Bernæ mihi illatas ad DD. Vestras Illustres ac Potentissimas magis quam ad me, qui ex eis summam mihi gloriam partam sentio, pertinere sane existimo, æquum est, ut de omnibus, quæ deinceps consecuta sunt, ad illas referam diligenter. Necessarium siquidem duxi ad Bernates Dominos statim literas dare, quibus apertius, omni tamen cum modestia et humanitate, facinoris in me extra omnem causam et ordinem commissi magnitudinem eis insinuarem, certiusque ea omnia, quæ mihi objecta fuerant, vel objici intellexeram, diluerem. Jam vero, cum ipsi ad me literas dederint, quibus liberum mihi transitum hac tantum vice concedunt, deinceps autem in priori sententia permanent, ut mihi sit eorum finibus interdictum, quanquam excusare nituntur contumelias mihi præter ipsorum voluntatem, ut ipsi ajunt, inflictas, respondendum putavi, quemadmodum ex adjuncto fasciculo certius omnia intelligere poterunt, in quem literas omnes atque adeo rei ipsius gestæ historiam in idioma Germanicum conversas inclusi, quo facilius sine mora ab omnibus et singulis vestrum omnia percipi, et rite perpendi possint.

« Quia vero suspicor eos ad singulorum Cantonum Dominos literas hac de re perscripsisse, quales jam ad Illustres Dominos Friburgenses dederunt, quarum quidem, etsi tradi mihi non permiserunt Illustres Domini exemplum, sententiam tamen utcunque accepi, ideo ad illas quoque, quibus iterum gravissime lædi me animadverti, respondere debeo. Cum enim in rei

gestæ narratione duo præcipua injuriarum capita silentio involvant, nempe de arresto mihi expresse et minaciter injuncto, ac de famulo in carcerem conjecto, testenturque aliter, quam ipsi narraverint, referentibus aliquidve adjicientibus fidem adhibendam non esse: hoc equidem novum est injuriarum genus, quo non jam ab ipsa plebe, aut a pueris, sed a Senatu ipso me affici magis doleo; hac enim ratione reddere me adhuc mendacem volunt. Nam quod machinationes aliquas me confessum asserant, si Episcopum Lausanæ ad Friburgi residendum inducere, aut Porrentruto hæreticos ejicere tentasse, hæc enim machinatio fuit, non abnuam; sin autem belli motus, aut pacis perturbationes, ut vociferare illos audio, me quæsiisse insimulant, mendacii certe illos, et quicunque id affirmare voluerint, arguere non timebo. Verum etiamsi omnia, quæ confingi contra me possunt, vera esse concedam, adhuc tamen non video, qua ipsi ratione sibi jus dicere debuerint, an non potius DD. Vestris Illustribus querelas suas ante proponere, quam me inhumaniter adeo atque imperiose sisterent, et tanquam facinorosum hominem, inauditum, etiam exilio mulctarent. Hæc omnia repræsentare DD. VV. Illustribus ac Potentissimis volui, ut rectius deliberare possint suo tempore. Ego enim, cum in Helvetiam rediero, post festum Sanctissimi Corporis Domini diem, aut etiam, citius si illæ maturandum reditum meum censuerint, officio meo non deero, quibuscunque rationibus eæ mihi significaverint expedire, ut et veritas elucescat, et cœptus reformationis cursus nequaquam ab eis impediatur, Catholicaque ipsa religio in Helvetia non ita oppressa jaceat, sed augescat magis ac magis in dies; DD. VV. Illustribus ac Potentissimis recti consilii, veræque sapientiæ et christianæ fortitudinis præcipua dona, ac reliqua præterea omnia Spiritus Sancti charismata largissime infundi precor a Domino, ut in tanti momenti rebus, et quæ agenda sunt, rite dispiciant, et quæ sapienter deliberaverint, fortiter ac viriliter exequantur; neque illas vero ad sumenda arma velim accendere, quando minime id opus esse existimo, sed viriliter certe agere debent, ne jugum hoc sibi imponi, aut in Religionis Catholicæ libertatem tyrannidem ita apertam exerceri patiantur.

Datum Friburgi 15. Cal. Januarii 1580.

Legati quinque Pagorum, qui inter Catholicos Helvetios primas tenent, prono sane animo injuriam Nuntio Apostolico irrogatam ulciscendi, Friburgenses et Solodurenses sibi fœderatos ad Comitia Lucernæ vocant, in primam Lunæ diem ab insequentis anni Epiphaniæ festo indicta, quo hujusmodi res omnium suffragiis decerneretur, justisque Vercellensis Præsulis expostulationibus satisfieret. [*]

[*] Helvetia Vol. 2. fol. 161.

Litteræ quinque Cantonum ad Friburgenses et Solodurenses.

« Nostra amica et benevola obsequia, et quicquid honoris, amoris ac boni exhibere possumus, vobis sint parata. Probi, prudentes, honesti, chari, sigillatim fideles chari Confœderati, concives ac fratres, ex adjecto exemplo intelligere licebit, quæ contumeliæ, minæ et contemptus inauditus superioribus diebus amplissimo in Christo Principi Domino Episcopo Vercellensi, Summi Pontificis Legato per Helvetiam, Bernæ, dum illac iter faceret, contigerit atque exhibitus sit. Cum vero Domini ac Senatus noster singularem displicentiam, ac dolorem (uti decet) ex ea re acceperint, dum cogitarent ac perpenderent, quod hæ contumeliæ ac minæ tali personæ, atque Ecclesiastico Prælato dignitatem designati Legati gerenti, tantæ potentiæ, ac summi capitis Christianitatis, cui se omnes Christiani esse subjectos profitentur, illatæ, non solum nominato Potentatui ac Episcopali personæ, sed etiam nobis celebribus Catholicis Cantonibus Confœderatorum, apud quos (ut ante dictum est) tale Legati munus sustinet. Quæ sane a charis nostris Confœderatis nominatæ Civitatis Bernæ nulla ratione sibi expectanda putavit, ut missam faciamus magnam illam querelam ac dolorem, quem dicti Bernates per Oratores designatos in communibus nuper habitis Confœderatorum Comitiis ex sæpedicto Episcopo se accepisse dixerunt, quod sæpius Berna iter faciendo nunquam eo diverterit, idque ipsis a Principali illius Gratia in contemptum fieri putandum sit, offerentes si ipsius Principalis Gratia hospitium apud eos suscepisset, aut adhuc susciperet, omnem amicitiam atque honorem. Quapropter huc nos legarunt, ut de ea causa pro necessitate conferamus, idque postea (ut æquum est) ad vos perferri curare voluimus, ut autem rei gestæ gravitatem animadvertimus, quanquam præfati vestri ac nostri chari Confœderati Bernates interim se scripto quodam fucato ac colorato Dominis ac Magistratibus nostris, quemadmodum solum a quibusdam junioribus ea tragedia absque eorum conscientia, voluntate ac mandato excitata sit, se excusare niterentur: ad hoc similis causa satis magni momenti, ubi transitus mercatui prohibetur, per vestrum ac nostrum subditum in Locarno tentata, quemadmodum ex adjecto scripto intelligere potestis; quod quidem communium et singularium Confœderatorum Cantonum non parum interest. Commodum nobis visum fuit, nobis septem Catholicis Cantonibus alia singularia comitia ob has duas causas constituere, ut fecimus, eaque constituimus atque indiximus ad diem Lunæ proximam post diem festum Epiphaniæ anno 1581. in oppido Lucerino nocte illa in hospitio sint, amice petentes,

ne id vobis una cum Legatis vestris, potestate sufficienti a vobis accepta, grave videatur, quid Bernatibus hac atque alia de causa dicendum sit, consulendum atque inquirendum, et si Bernensis hujus historiæ acta plura habueritis, afferre. Hæc omnia nostri Domini ac Magistratus, et nos pro nostra persona cum omni fidelitate, et fideli, civili, confœderato ac fraterno animo acturi in patriæ salutem etc. fideliter id aliquando compensaturi auxilio nobis divino, et illibatæ Virginis Mariæ annuente, quæ vos et nos semper in hac charitate atque amicitia conservet, et cum omni gratia defendat. Dat. nostrorum omnium nomine signo oppidi Lucerini impresso. Die Martis in vigilia Sancti Thomæ Apostoli anno 1580.

Quinque Cantonum Confoederatorum Lucernæ, Uraniæ, Svitiæ, Subsilvaniæ, Tugii designati Legati hoc die comitiali Lucernæ congregati.

XXXIV. — Quanta animi fortitudine Præsul iste in negotium reformationis cleri, imprimisque regularis incubuerit, pauca quæ adducimus exempla probant. Itaque Abbatem inclyti monasterii S. Mariæ Eremitarum, vulgo Einsiedlen nuncupati, turpi concubinatus vitio contaminatum, aliisque delictis, quæ temporali monasterii administrationi damno erant, reum dejecit, atque per octo annos omni auctoritate tam spirituali quam temporali privavit. (*)

(*) Helvetia Vol. 2. fol. 293.

« In causa et causis contra R. D. Adamum Aoer Abbatem Sanctæ Mariæ Heremitarum in Einsidlen.

« Viso toto processu contra ipsum D. Abbatem formato, omnibusque in eo contentis ac diligenter discussis, visis præsertim ejusdem D. Abbatis submissionibus bonæ gratiæ Sanctissimi Domini et nostræ sæpius in actis per eum repetitis, visis denique videndis et omnibus consideratis de jure considerandis, postremo visa assignatione eidem facta ad opponendum, et proponendum cum monitione ad hanc nostram diffinitivam sententiam audiendum, sub hac die 11. Julii et hora quarta post meridiem, et ipso minime comparente, licet aliquantulum post horam expectato, cujus absentia præsentia Dei suppleatur,

« Nos Jo. Franciscus Bonhomius Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Vercellensis et Comes, ac Sm̄i D. N. D. Gregorii divina providentia Papæ XIII. apud Dominos Helvetios, Rhætos Confœderatos etc. Nuncius, sedentes in hippocausto, sive cubiculo prope aulam magnam hujus palatii Episcopalis Curiensis, super una cathedra lignea corio munita, quam pro nostro idoneo tribunali elegimus, dicimus, sententiamus et pronuntiamus, ut infra:

« Christi nomine et ejus gloriosissimæ matris semper Virginis Mariæ humiliter invocato,

« Attentis prædictis omnibus, et præsertim ipsiusmet Abbatis in actis confessionibus factis, attento inter cætera scandalo, quod non leve dedit populo, ob malam et inhonestam vitam, quam per multos annos duxit in detrimentum, et dedecus non modicum religionis et monasticæ vitæ, nulla habita voti castitatis, quod in emissione professionis Deo servare promisit, ratione, attento etiam quod multo gravius æstimari debet peccatum, quod per eum, qui cum aliis præsit cæteris virtutibus et vita puriori præcellere debet, committitur; ex his itaque et aliis ad hoc animum nostrum monentibus,

« Dicimus et diffiniendo declaramus, ipsum D. Adamum Aoer (Heer) Abbatem esse suspendendum ab omni administratione ipsius monasterii Einsidlensis per octo annos, a Calendis Augusti proxime futuri inchoandos, et ulterius arbitrio Summi ipsius Pontificis, cui immediate subjectum est monasterium, prout per hanc nostram diffinitivam sententiam illum suspendimus, et suspensum esse volumus et condemnamus, mandantes insuper eidem, ne ullo modo sub quovis colore accedat, vel accedere præsumat ad monasterium ipsum Sanctæ Mariæ in Einsidlen durante toto tempore prædicto octo annorum, ut etiam illi appropinquare per tria milliaria sub pœna excommunicationis, ac privationis omnis officii ac beneficii ipso jure et facto per ipsum D. Abbatem incurrenda, et quam incurrisse ex nunc prout ex tunc eum declaramus. Præterea pro salutari pœnitentia eidem injungimus et mandamus, ut singulis sextis feriis per annum integrum, a die intimationis præsentis nostræ diffinitivæ sententiæ inchoandum, jejunet in pane et aqua, atque in eisdemmet sextis feriis recitet genibus flexis septem psalmos pœnitentiales cum litaniis, precibusque et orationibus consuetis in remissionem suorum peccatorum.

« Et ita prout supra dicimus, diffinimus, declaramus, privamus, suspendimus et condemnamus omni meliori modo etc.

Jo. Franciscus Episcopus Vercellensis
et Nuncius ac Visitator Apostolicus.
(L. S.)

« Lata et data supradicta sententia Curiæ in supradicto hypocausto die lunæ 11. mensis Julii 1580. præsentibus R. D. Antonio Caresana Canonico Ecclesiæ Vercellensis, D. Jo. Baptista Modena Sacrista ejusdem Ecclesiæ et Capellano, et D. Luca de Donatis Civitatis Montis Politiani.

« Et ego Julius Guidius Apostolica auctoritate Notarius in supremum omnium fidem me subscripsi.

Julius Guidius Apost. Auct. Not.

Abbati S. Mariæ Heremitarum.

« Reverende admodum in Christo Pater. Mit-

to ad te sententiam in tua causa eo ipso die 11. præteriti mensis, quo te ad illam audiendam monueram, Curiæ latam; eam suscipias velim omni cum humilitate, atque etiam gratiarum actione.

« Scito autem, quamvis nulla in sententia ipsa Præposituræ S. Geroldi mentio facta sit, ejus tamen me esse voluntatis, ut in illa tu Præpositum te geras, uti optare te, cum Curiæ essemus, intellexi: quare si ad me rescripseris, idque humiliter petieris, post mensem, aut alterum, tibi eam Præpositi curam atque administrationem committam; neque enim æquum videbatur, te eodem tempore, quo tibi pœnitentiam injungerem, Præpositum etiam constituere: id autem tibi indulgeo, ut jejunium quod tibi in pane et aqua observandum injunxi, si minus tibi aquam ferre posse videbitur, quod tuæ conscientiæ relinquo, vinum adhibere possis. Porro, si sapies, te graviter coram Deo peccasse agnosces, qui toties votum castitatis cum juramento emissum violasti; neque vero tibi videri debet gravior injuncta pœnitentia; sed graviorem multo meruisse te, Deo ipsi, cui fidem fregisti, quotidie fatearis, hortor ac suadeo: subinde cavebis diligenter, ne unquam amplius cum mulieribus commiscearis, alioquin severissimum me judicem experieris, quemadmodum hactenus humaniter te suscepi atque omni deinceps humanitate, si parueris, sum tractaturus: cave itidem, ne hoc annorum, quo suspensus es, spacio aliquem monachorum litteris tuis quasi ad monasterium adhuc rediturus sollicites; ego enim culpam istam nequaquam levem æstimabo: præterquam quod si ulla spes unquam fuerit, te superstitem redire ad monasterium posse, illam unam mihi crede futuram, si tuæ in melius mutatæ vitæ fama commoti Domini Svithenses a Summo Pontifice pro te intercedent: vix enim etiam post octo annos elapsos, Dominis Svithensibus contranitentibus, in pristinum restitui te posse sperandum est; interim igitur tibi consulo, ut nihil tale cogites, nedum cum aliquo hac de re verbis aut litteris agas, sed omnia Deo ipsi committe, eique uni stude et recte servire et unice placere. Si fortasse durius tibi esse videretur, non posse in Rapersvillæ civitatem, patriam quippe tuam, quæ quidem uno ferme milliari ab Einsidlen distat, aliquando divertere, idque ut tibi interdum liceat, a me petieris, ejus rei tibi etiam non omnino denegabo facultatem. Vale in Domino, pœnitentiamque ita ex corde humili et contrito perage, ut Deus tibi omnia crimina ignoscat, suamque gratiam largissime concedat; quem tu quoque pro me assidue roges, velim. Datum Lucerniæ Cal. Sextilibus 1580.

XXXV. — Eadem ferme severitate Friburgi in Priorem Patrum Augustinianorum animadverterat, cumque lata excommunicationis sententia a consortio fidelium publice rescidit. Iste enim se caput omnium Ecclesiasticorum tum regularium tum secularium Visitationem Apostolicam impugnantium constituerat, eamque scriptis, conviciis et calumniis valde refertis, convellere conabatur. En quæ Vercellensis Præsul ea de re Friburgensibus significat, monens etiam, ut ludimagistrum hæreticum apud ipsos commorantem removeant. [*]

[*] Helvetia Vol. 2 fol. 301

Ad Dominus Friburgenses.

Illustres ac Potentes Domini.

« Nunquam equidem persuadere mihi potuissem, in Dominorum Friburgensium ditione hominem ullum reperiri, qui in reformationis progressu facessere mihi posset negocium; cum jam Dominationes Vtæ Illustres tot tamque insignia eximiæ erga Sanctam Sedem Apostolicam observantiæ, atque adeo exactæ obedientiæ argumenta et verbis mihi ipsi sæpe repetitis, et litteris ad Sanctissimum Dominum luculenter datis, et re ipsa ita palam præstitissent, ut nemini prorsus de propensa ista vestra ad solidam reformationem voluntate dubitare fas esset: verum cum non hominem modo invenerim, sed clericum eumque regularem, qui quidem quo magis Sanctæ Sedis Apostolicæ authoritatem suscipere, atque præ cæteris colere debuerat, eo contumacius, atque omnino impudentius in meauthoritatemque hanc, quam sustineo, Apostolicam se gessit, non satis mirari potui, quo factum sit, ut apud Friburgenses Dominos, qui tanta pietate atque obedientia excelluerunt, clericus regularis extiterit, qui cæteris omnibus universæ Helvetiæ hominibus contumacia atque impudentia, imo vero diram etiam impietate, quæ proxime ad hæresim accedit, longe antecessit. Sed dum cogitanti hæc mihi sanctissimi Apostolici Collegii, ex quo sane Judas proditor fuit, subiret recordatio, id credidi occulto aliquo Dei ipsius judicio, quod perscrutari nobis non liceat, contigisse; vel etiam fortasse, ut magis ac magis pietas elucescat vestra, aut ut justæ ultionis exemplo alii, ad quos pertinet, Apostolicis jussis obtemperare perdiscant. Ego enim, qui spiritualem excommunicationis gladium non ita facile distringere soleo, imo vero in nullum alium hactenus in Helvetia ita districtxi, Priorem istum Sancti Augustini anathemate percutere compulsus sum: quam quidem deliberationem, gravem adeo ac severam, nisi ego inissem, officio meo nimis defuisse argui profecto poteram; neque satis videbam, qua ratione nimiam meam indulgentiam, si tot tantasque injurias Sedi Apostolicæ in mea persona a regulari viro irrogatas, abire inultas essem passus, excusare unquam apud Summum ipsum Pontificem potuissem: et siquidem cum laicis viris, qui non ita statim Ecclesiasticarum rerum sunt gnari, connivere aliquando opportunum es-

se concesserim; cum clericisque item sæcularibus, qui sui Ordinarii juribus detrahi dum putant, non facile interdum Apostolicis jussionibus acquiescunt, paulum, quoad ii rem penitius intelligant, sustinere; cum regularibus vero, qui nullo medio interjecto omnino Sanctæ Sedi Apostolicæ sunt subjecti, neque connivere, neque sustinere Apostolicus Nuncius, si sapit, debebit quidem; alioquin de anctoritate sua cum cæteris actum esse intelligat, necesse est. Quamquam ego cum Priore longe diversa ratione egi, qui certe illius impudentiam ac manifestam contumaciam non eo solum tempore, quo primum Friburgum veni, sed quo etiam reversus sum, iterum, nuncque tertio xx. ferme dies, nunc ferendo aut dissimulando, nunc humanissime admonendo, illum quidem ad frugem ac resipiscentiam revocare omni studio conatus sum; verum enimvero cum frustra omnia a me in illum pietatis et humanitatis officia exhiberi, humanitateque illum abuti adverterem mea, postremoque ipse monitus, ut coram me adesset, renuisset venire, et coram Senatu vestro, si quicquam esset mihi cum illo agendum, non alias se mihi suarum actionum redditurum rationem, responderit, necessarium duxi, noo tam pro dignitate mea retinenda, quam pro illius audacia compescenda, quam etiam, ut Civitati vestræ, ne tali lue (quæ quidem non procul est ab hæresi aut schismate) inficeretur, prospicerem, illum excommunicationis vinculo cohibere; tum vero, ut excommunicatus ab universo populo vitetur, quemadmodum sacri Canones jubent, schedulas publice de illius excommunicatione proponi, et affigi jussi, neque enim alii, necessitatis casu excepto, cum eo loqui aut consuetudinem ullam habere deinceps poterunt, alioquin et ipsi excommunicationis (sed minoris quidem, nisi fortasse adjungeretur contemptus) pœnam incurrent. De quibus omnibus admonere volui Dominationes Vestras Illustres, ut pro sua pietate ac prudentia, quæ suorum civium periculo præcavere debent, illum curent ab omni aliorum commercio abstinere, ut excommunicatos decet; de reliquis autem omnibus, quæ contra illum gesta sunt, singulisque illius impudentissimis atque impiis responsionibus libenter vos fecissem certiores, si opportunum fuisset; ut nihil omnino esset, quod vel proximos, si qui sunt, fautores in illius excusationem adducere posset, quanquam hoc officium minus necessarium futurum cum Dominationibus Vestris duxeram, quas quidem non ita facile multis illius nugis, aut etiam mendaciis fidem adhibituras existimavi. Sed ne in longiorem commentarium evadant hæ meæ litteræ, ea tantum attingere, quæ aliquibus videntur causam illius utcunque tueri posse, nempe litteris Pii Quinti Pontificis Maximi Ordinis sui Regulares ab omni visitatione, et jurisdictione aliena fuisse omnino exemptos; quamobrem justam ipse habuisse causam videtur, jurisdictionem nostram detrectandi; quod tamen ipsum ridiculum est certe, Summum videlicet Pontificem voluisse, cum ab Ordinariorum jurisdictione regulares exemit, a sua etiam ipsius jurisdictione, suorum Nunciorum liberare. Quod etiamsi factum esset, adhuc tamen mihi is parere debuerat, cui nunc Sanctissimus Dominus, qui nuns Sancti Petri successor, Christi vices in terris agit, Romanus Summusque Pontifex Gregorius XIII. peculiaribus litteris, quas et Priori ipsi ostendi ac legi volui, nec non Archigrammateo vestro, tanquam peculiari amico meo exhibui perlegendas, mandavit, ut regularium omnium Helvetiæ universæ monasteria inviserem, atque ad disciplinæ regularis observantiam redigerem. Quod vero levius crimen videatur, quam quod excommunicationis pœna vindicari debuisset coronam in capite gestare nolle, aut rugosas ad collum interulas deferre; id scire debent quicunque Priori quavis favent ratione, non ob ejusmodi culpas, sed ob contumaciam, quæ quidem nunquam leve existimatum est crimen, fuisse illum excommunicationis gladio percussum; quanquam etiam quæcunque ad habitum clericalem pertinent, levia dici non debent, quæ sane magni fecisse constat sacros antiquos Canones in Ecclesia Dei vel ante nongentos et amplius annos; coronæ autem ritum, quam in capite gestare debet conspicuam unusquisque clericus, regularis autem maxime pro sui ordinis ratione, ab Apostolicis usque temporibus observatum non ambigimus. Reliquum est jam, ut cum Dominationes Vestræ Illustres jure illi optimo inflictam fuisse hanc pœnam intelligant, curent omni studio ac diligentia, quantum ad illarum officium pertinebit, ut ne sui cives illius consuetudine inficiantur corrumpanturve. Quo vero pacto cum excommunicatis agendum sit, discere poterunt ex Reverendo Præposito, a quo etiam nonnulla ad commune Civitatis vestræ commodum spirituale, reliquaque omnia ad hanc causam pertinentia penitius, si libuerit, intelligere poterunt, quocum fusius hac de re locutus sum.

« De Henrico autem Iffmanno Laupersvillensi, qui ex Bernatum ditione paucos ante annos Friburgum migravit, publicumque scribæ, ac prope etiam ludimagistri officium exercet; quique a nobis jussus fidei Catholicæ professionem emittere omnino recusavit, libellumque hæresi infectissimum omni contentione repetiit: multa dicere possem, ac fortasse deberem; sed prudens nunc omitto, postquam Dominationes Vestras Illustres monuero, esse illum re ipsa hæreticum hominem, hoc est in hæresi obstinatum, meo quidem judicio, (quod sane falli nunc

minime reor, si quid fas unquam est ab externis actibus de ullo judicare) ideoque dignum, qui omnino e finibus vestris quamprimum eliminetur; qui certe, si apud quinque Cantonum Dominos deprehensus esset, non nisi capite plecteretur: proinde cogitent, velim, diligenter Illustres Domini, quæ quantaque consequi possint in populo suo damna atque incommoda, si ejusmodi hominem non impune modo in civitate ista vivere, sed etiam publicis officiis fungi permittant. Dominationes Vestras Illustres ac Potentes optime valere in Domino cupio, vereque sapientiæ lumine illustrari, ad rite recteque Rempublicam suam perpetuo administrandam. Datum ex Arce S. Vincentii III. Cal. Septembris 1580.

Postea, petentibus Friburgensibus, eundem Priorem, perpetrati delicti pœnitentem, a pœna inflicta liberavit atque fidelium communioni restituit. (*)

(*) Helvetia Vol. 2. fol. 380.

Ad Dominos Friburgenses.

Illustres ac Potentes Domini.

« Quamvis non ita facile, propereve illos absolvere Ecclesia Sancta consueverit, quos prius gravi ex causa maturaque deliberatione a communione fidelium segregavit, ut ii per aliquod temporis spacium solida quædam veræ pœnitentiæ argumenta ostendant; multorum tamen, qui ex vestro Senatorio ordine sunt, aliorumque nobilium Friburgensium precibus adductus, Priorem S. Augustini, quem quidem ob nimiam illius ac prope inauditam contumaciam, non ante mensem a latæ in eum sententiæ die elapsum absolvere cogitaram, in gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ recipere non recusavi; eoque magis, quod ille nonnullam haud fictæ pœnitentiæ atque humilitatis præbere visus mihi est significationem. Faxit Deus, ut ex intimo corde resipiscat, et detrimentum non leve, quod ipse tot scandalis exhibitis populo isti Friburgensi attulit, nunc veræ humilitatis atque obedientiæ, sanctissimæque vitæ exemplo resarciat. Quam vero prompte illum absolverim, quamque humaniter absolutum exceperim, multi qui adfuerunt, referre Dominationibus Vestris poterunt, atque adeo ipsemet, qui certe humanitatem sibi a me exhibitam ex parte cognoscere se ostendit. Qua ex re constare facile potest, illius ne odio vel ut Canonicis Sancti Nicolai morem gererem, uti ipse futiliter ajebat, et aliqui etiam alii imprudenter criminabantur, quicquam egerim, an non potius, ut illum Christo Domino, qua liceret ratione, lucrifacerem. Diu feliciterque valeant Illustres Domini, de meque ita statuant, nimiam mihi humanitatem sæpenumero posse jure objici, severitatem autem vix unquam aut ne vix quidem. Dat. Juniæ Cal. Septembris 1580. Illustrium etc.

XXXVI. — Lucellensis etiam Abbas Ordinis Cisterciensis visitationi Apostolicæ in suo monasterio peragendæ sese opponere in animo habuit; veruntamen Vercellensis Præsul mox eum ad saniora consilia hisce litteris revocavit. (*)

(*) Helvetia Vol. 2. fol. 382.

Abbati Lucellensi.

« Reverende admodum uti frater in Domino Charissime. Ex litteris hesterno die, dum in itinere essem, mihi a tabellario vestro redditis, causam istam Lucellensem, quam quidem sopitam jam atque absolutam esse censebam, in majores quam antea difficultates adduci video: hæque ipsæ litteræ, etiamsi nollem ego durius quicquam in vos decernere, tantum si ad Summum Pontificem mitterentur, contumaciæ vestræ testes multum certe vobis Ecclesiæque vestræ incommodi afferre possent, ac fortasse ad iter Romanum suscipiendum, causamque ibi coram Sanctissimo Domino dicendam adigere. Quid enim causæ erat, quod superioribus meis litteris humanitatis adeo atque officii plenis acceptis, adhuc mihi obedientiam præstare detrectaret Paternitas tua? aut culpam etiam suam Ordinarii, nempe Cisterciensis Ordinis Superiorum, qui si adessent, se ipsos sine ulla dubitatione authoritati Apostolicæ subjicerent, offensione prætexeret? Nam quod de sæculari potestate, advocatiæ officio fungente scribit, non tam miror, quam doleo, advocatiam istam vestram in dominium transiisse. Neque vero quicquam erat, si ex instituto ac proposito meo res successisset, quod vel ipsi Domini Ensishemiani Consiliarii, quos etiam interesse non abnuissem, non conqueri dicam, sed ne suspicari quidem jure potuissent; credideramque omnino et ipsis, et Serħo Domino Archiduci, cui sane occasionem omnem cum Sanctissimo Domino altercandi, aut minus pium, quam hactenus a Sanctitate Sua existimatus est, Principem se ostendendi, minime gratam fore, quicunque sapit, judicare facile potest, vobis autem præcipue rem me longe gratissimam facturum; sed postquam diversa adeo ratione pium meum desiderium, meæque benevolentiæ officia interpretari, atque ubi timor nullus esse debet, trepidare Paternitatem tuam video, meamque dignitatem vestris his litteris rursus in discrimen adduci animadverto, quid facto opus sit, cogitabo. Ac ne prolixior sim, quam oporteat, consulo, ut superiores litteras meas in manus iterum sumat, easque diligenter perpendat sibique statuat, me humanius etiam, quam scripsi, omnino acturum, atque omnia rite vestro Ecclesiæque istius commodo fuisse compositurum, dum tamen obedientiam mihi in monasterio isto, ubi talem tantamque injuriam accepi, præstitam esse, Beatissimo Pontifici testari potuissem. Tua jam Paternitas sibi recte consulat, atque hanc quietis opportunitatem humaniter adeo sibi oblatam effluere ne sinat, ne postea prætermissæ occasio-

nis illam, sed frustra, pœniteat. Porro si Porrentrutum, ubi quatuor aut quinque ad summum dies morabor, venire deliberaret, et ubi non a me solum, sed a Rño etiam Episcopo humanissime exciperetur, certius fortasse propositum intelligeret meum, quo securior omnium eorum, quæ sine causa timet, periculorum evaderet. Ad Dominorum Consiliariorum litteras nunc minime respondeo, quod Germanicum illius, quod ad me miserunt, responsionis exemplum, nondum latine redditum, considerare non potui, propediem tamen, antequam hinc discedam, responsurus; iis autem Paternitas tua, ut alias solet, hasce meas communicare poterit, cui ego præpotentem Deum rogo, ut sanctum recti consilii charisma largiatur, suæque gratiæ uberrimum rorem semper infundat. Cognoscere ex Paternitate tua cupio, quo factum sit, ut litteræ, quas ego v. Cal. Sextiles tabellario vestro recta ad vos redeunti Lucanæ tradidi, non ante viii. Cal. Septembris, nempe mense ferme integro elapso, Dominis Consiliariis redditæ sint. Datum Porrentruti Idibus Septembris 1580.

Cum Lucellensis monasterii bona pleraque sita essent Ensisheim, quod oppidulum in Archiducis Ferdinandi provincia Alsatiensi est, Abbas Magistratum hujus loci sibi propitium reddiderat, prætendens visitationem inscio Archiduce haud peragi posse: sed Vercellensis Præsul minime veritus est Magistratum Ensishemensem de ipsius munere edocere, monereque, ne Abbatis causam sane absurdam patrocinaretur. (*)

(* Refert. Vol. 2 fol. [illegible])

Consiliariis Ensishemii.

« Magnifici, Strenui ac Generosi Domini. Si litteras meas ad Abbatem Lucellensem Lucanæ datas, quas sane vobis communicatas ab illo fuisse non ambigo, recte perpendissent Dominationes Vestræ, credo equidem, nunquam ad me ejusmodi litteras perscripsissent, quales nudius tertius, cum Porrentrutum venirem, Dambellum accepi: licet enim non nulla excusatione ob præstitam Serenissimo Archiduci fidem tueri se posse videantur, prudentiæ tamen erat vestræ, non pietatis dicam, quando hanc non illas magnifacere ex multis argumentis conjicere posse mihi videor. Apostolicum Nuncium gravissime in provincia vobis commissa læsum: sed humaniter ac tranquille adeo componere omnia studentem, ac ne ulla inter Serenissimum Principem vestrum Summumque Pontificem controversiarum offensionisve oriatur occasio, providere omni ratione conantem, non modo non impedire, sed etiam consilio et ope, si oportuisset, juvare. Nam quod ejus deliberationis, quam cum Rño Dño Basileensi Episcopo itidem inierunt, exemplo excusare se apud me velint, non est, quod pluribus respondeam; neque enim ut dialectici ajunt, ad vim argumenti refellendam, si incongruum adducatur, multum conferre solet: et siquidem in ditione sibi concredita quicquam innovari, visitationesque ullas extra ordinem fieri, nisi Serenitatem Suam ante moneant, pati nolint, quod quamquam ipsis minime licet, cum Ecclesiarum dominium ad illas non pertineat, ferri tamen utcunque posse fortasse videretur; illud profecto, quod ordinariam etiam visitationem locorum, ac personarum minime exemptarum impedituras se esse affirmant, qua ratione tollerari possit in viris Catholicam fidem ac pietatem profitentibus, non video; cum etiam satis noverim ejus mentis non esse Archiducem ipsum Serenissimum, qui in aliis suæ ditionis diœcesibus Ordinarios non impedit modo, sed suum munus obire cupientes egregie juvat. Porro Dominationes Vestræ, quas sacrorum Canonum peritas esse non ignoro, si pietatem, quam scriptis profitentur, re ipsa atque ex animo colerent, commisuras nunquam putarim, ut tam manifeste censuras Ecclesiasticas incurrerent, non eas modo, quas jampridem Joannes Papa ejus nominis XXII. in capit. quod incipit, Super gentes, in extravag. comminatus est, sed eas etiam, quæ a Summis quibusque Pontificibus in litteris quæ in die Cœnæ Domini legi solent, latæ jam ac declaratæ sunt, in quibus ii præcipue excommunicationis gladio ipso facto feriuntur, qui Legatos vel Nuncios Apostolicos impediunt, vel ne mandatis Apostolicis pareatur, vetant.

« Litteras ego nullas a Sua Celsitudine habeo, quas, quoniam minime esse necessarias existimavi, cum præsertim hanc provinciam visitare non constituerim, non impetravi, sed ne petii quidem: Lucellam tamen omnino iturus sum, eo plane consilio, quod in litteris meis supradictis ad Abbatem datis perspicere potestis: ex quo Serenitatis Suæ animum offendi ulla ratione posse nequaquam est suspicandum: si quid vero impedimenti mihi a Dominationibus Vestris objectum erit, certo sciant, curaturum me omnino, ut Apostolica dignitas, quam sustineo, non abeat indefensa inultave. Videant ipsæ diligenter, ne sine ulla causa tale incendium fortasse excitent, quod non facile deinceps extinguatur: Principemque tandem suum nimia ista, et solertiore, quam par est, diligentia non leviter offendant: de litteris meis ad Serenissimum Archiducem mittendis, expectandoque a Celsitudine Sua responso, nihil est, quod ullam curam suscipiant: ego enim post quatuor circiter dies, diutius in his partibus morari non possum, quem alio multa graviaque negocia avocant. Deum autem Maximum exoro, ut vestras mentes suo divino lumine illustret, quo tutius atque adeo melius, quid suo officio incumbat, discernere ac deliberare valeant. Datum Porrentruti 18. Cal. Octobris 1580.

Ad eosdem.

« Magnifici, Nobiles ac Strenui Domini. Gratissimæ mihi fuerunt litteræ vestræ idibus Septembris datæ, quas egregii viri D. Pius Conradinus Brombachius Serenitatis Suæ fisci Advocatus, et D. Joannes Hecklerus Secretarius hic in monasterio Lucellensi mihi reddiderunt; sed longe id gratius accidit, quod quicquid in nomine vestro a me petierunt, seu Dominationes Vestras optare significarunt, id omne ipsi, antequam me alloquerentur, accersiti, me ultro præstiturum acceperunt; quos præterea omnibus visitationis actibus interesse volui, ut Dominationibus Vestris fideliores testes esse possint eorum omnium, quæ hic acta per me sunt. Et quoniam iis etiam consiliorum meorum rationem exposui, quæ quidem eo præcipue tendebant, ut et Sanctissimi Domini jussa exequerer, et simul Serenissimi Domini Archiducis offensionem evitarem, omnem autem inter eos controversiæ occasionem amputarem, ideo, ut in iis, quæ meo nomine Dominationibus Vestris referent, illis fidem adhibeant, rogo. Quam ob causam longior non erit hæc nostra epistola. Bene igitor valere Dominationes Vestras in Domino cupio, cœlestibusque divinæ sapientiæ muneribus perpetuo cumulari. Datum ex Lucellensi Cœnobio 16. Cal. Octobr. 1580.

XXXVII. — Has inter molestias illud ingenti solatio fuit Pontifici, quod Visitatoris labores apud Friburgenses uberrimos fructus sequuturos esse ex eorum litteris cognoverit. Quibus valde laudatis, de Collegio Societatis Jesu in eorum urbe instituendo jamjam se statuisse affirmat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII. ep. 98. f. 256.

Dilectis Filiis Consuli et Senatui Friburgi, Helvetiorum Catholicorum Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Legimus vestras litteras, datas postridie Natalis Domini Nostri, tanto cum gaudio, quantum non facile est commemorare: erant enim plenæ pietatis: quid autem potest Nobis optatius aut jucundius esse eorum studio atque opera, quos intelligimus de Christi gloria summopere laborare, quæque ad eam pertinent cupidissime amplecti, atque omni ope niti, ut in hac cura suo muneri Sanctæque Sedis Apostolicæ auctoritati cumulatissime satisfaciant. Hoc et fecisse vos et facere paratos esse ex vestris litteris cognovimus, quibus perlectis vestram pietatem Deo obtulimus, vobisque tum in hac, tum in futura vita omnem fœlicitatem ab ejus bonitate precati sumus. Sic enim vere affirmare possumus, vestrum studium certare cum nostro desiderio: utinam possit nostra opera nostro desiderio vestroque studio satisfacere; quantum autem in Nobis erit, nitemur, ut nulla in re vestræ pietati defuisse videamur; cui etiam Nos omnia studia debere profitemur, tanta cum charitate, quantum filiis optimis rectarumque rerum cupidissimis deberemus. De Collegio Jesuitarum, quia intelligimus, quanto cum fructu apud vos futurum sit, libentissime providimus, mandavimusque ea fieri, quæ ad id necessaria esse judicavimus. Omnia fusius cognoscetis ex venerabili fratre Episcopo Ecclesiæ Vercellensis Nuncio nostro, quem a vobis diligi, inque decretis adjuvari, gratissimum Nobis est. Nos enim semper eum plurimi fecimus, propter insignem prudentiam, integritatem et Dei gloriæ zelum. Datum apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Februarii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

Ac re vera Friburgenses a Pontifice per Episcopum Vercellensem ad perficiendum hocce salutare consilium excitati, paullo post id persecuti sunt. [*]

[*] Helvetia Vol. 8. fol. 300.

« Nos Consul et Senatus Urbis Reique publicæ Friburgensis in Helvetiis, Universis harum litterarum inspectoribus notum fieri volumus. Cum Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus D. Joannes Franciscus Episcopus Vercellensis, Sacræ Sedis Apostolicæ ad Helvetios Nuntius, visitationem eam, quam a Sanctissimo in Christo Patre ac Domino Gregorio XIII. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifice Summo calamitosis hisce temporibus in mandatis accepit, nostra in Urbe et ditione prosequeretur, iisque mirifica in nos benevolentia in ipso visitationis suæ curriculo signis haud dubiis, innumerisque in nos et Rempublicam nostram beneficiis collatis abunde declarata, ad institutionem Collegii delectis ex Societate Jesu professoribus nostra in Urbe, quod non sine insigni ejus ornamento et commodo foret, instruendi hortator et suasor fuerit, ut pro unione et annexione Monasterii Marsens Ordinis Præmonstratensis in agro nostro, supplices ad Sanctissimum Pontificem dederimus litteras, nostramque operam et sumptus ad ædificium ex Societatis Jesu Patrum sententia pro locorum opportunitate construendum ultro obtulerimus; quibus ab ipsa Sanctitate Sua, adnitente prædicto Reverendissimo D. Nuntio, impetratis, etiam Societatis Jesu in Superiori Germania Præposito Provinciali operam suam ad morem Summi Pontificis voluntati hac in parte gerendum offerente, res denuo ob gravissimas quasdam et evidentes Reipublicæ nostræ incommoditates eo redierit, ut de institutione et instauratione illius Collegii sistenda cogitaremus. Prædictus Reverendissimus Dominus Nuntius, postliminio coram nobis oratione habita, ad edendum hoc christianæ pietatis opus Reipublicæ nostræ non minus necessarium, quam honorificum suasor fuit, remque eam tantæ molis non esse, quin ejusdem Monasterii Marsens

annuis proventibus, prout subductis rationibus sibi constabat, facile sustentaretur, sicque ædificii construendi sumptuum magnitudine terreremur, cautum fore, ne quos ex ærario nostro publico sumptus nisi voluntarios faceremus, affirmavit. Quo factum est, ut priore nostro responso et earum, quas ad Pontificiam Sanctitatem dedimus, litterarum tenore denuo perpenso, habita præterea ratione, quantum cuilibet bene constitutæ Reipublicæ ornamentum et incrementum afferat ejusmodi schola piis juxta, ac eruditis doctoribus instructa, in qua juventus non modo bonarum litterarum et artium peritiam, sed et christianæ catholicæ fidei et pietatis fundamenta cum incorruptorum castimonia morum, certissimis Reipublicæ olim bene administrandæ adminiculis hauriat et imbibat. Nos, ut quibus orthodoxæ fidei propagatio cordi semper fuerit, et esse debuerit, beneficium hoc ab ipso Summo Pontifice nobis concessum recusare nefas ducentes, prædictum Monasterium Marsens cum omnibus et singulis bonis et possessionibus, decimis, censibus, redditibus et proventibus eidem pertinentibus, ad Collegium Reverendorum Societatis Jesu Patrum nostra in Urbe instituendum, uniri omnino permisimus, permittimusque tenore præsentium, relicta Reverendissimo Domino Episcopo Vercellensi omnimoda potestate eandem institutionem, quibus oportuerit rationibus, maturandi, Reverendos insuper Societatis Jesu Patres primo quoque tempore vocandi, omniaque ad Collegii hujus stabilimentum pertinentia, absque ulla cujusvis contradictione et impedimento, dum id absque ærarii nostri publici gravamine fiat, administrandi et disponendi. In quorum fidem et robur nos hasce litteras per Guhelmum Techtermann Archigrammateum nostrum subsignatas, secretiori Urbis nostræ sigillo communivimus. Decimo quinto Calend. Septembris anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo quingentesimo octuagesimo.

XXXVIII. — Episcopum quoque Basileensem vehementer probat de Diœcesis visitatione naviter ab eo suscepta: seque ei scribit curaturum, ne suos in restituenda Ecclesiastica disciplina conatus administri Archiducis Ferdinandi in Alsatia interpellent. [1]

Venerabili Fratri Episcopo Ecclesiæ Basileensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Magnam Nobis voluptatem attulerunt litteræ venerabilis fratris Episcopi Vercellensis Nuncii nostri, quibus Nos certiores fecit, diligentissime vigilantissimeque versari Fraternitatem Tuam in Diœcesi visitanda, ecclesiasticaque disciplina in ea restituenda et tuenda. Ut autem ex hac tua voluntate atque opera lætati sumus, sic vehementer doluimus nonnullorum improbitate, quos accepimus in Alsatia tam salutaribus tamque necessariis laboribus obsistere. Scribimus hac de re ad Ferdinandum Archiducem atque ad ejus in Alsatia ministros. Tu vero, frater, perge, ut cœpisti, summamque spem in Deo habe; ipsius enim causa agitur, neque ulla res tanta sit, quæ te ab incœpto dimoveat; aderit semper Deus conatibus tuis: Nos etiam ut Dei ipsius ministri, semper erimus paratissimi. Fac igitur Nos certiores omnibus de rebus, in quibus nostra auctoritate atque opera aliquid profici posse intelliges. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Martii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

En litteras eadem in re ad Ferdinandum. [2]

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ.

GREGORIUS PP. XIII.

Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quia certum habemus, Nobilitatem Tuam cupidissime amplecti omnem opportunitatem Deo inserviendi, non dubitamus, has litteras fore tibi gratissimas. Venerabilis frater Episcopus Ecclesiæ Basileensis magna cum laude et zelo versatur in locis sui Episcopatus visitandis, inque Ecclesiastica disciplina restituenda et tuenda. Accepimus enim a nonnullis ministris tuis in Alsatia impediri: certum habemus, id fieri te inscio; nullam vero causam esse posse tam salutaris, tamque necessarii negocii impediendi. Rogamus Nobilitatem Tuam quantum possumus, ut huic malo mederi velis, ac providere, ut Episcopus non solum non impediatur, sed a tuis etiam adjuvetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Martii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

XXXIX. Ferdinandus Archidux animadvertens, quod si Episcopatus Curiensis, cui in spiritualibus proxima non pauca Tyrolensis Comitatus oppidula subessent, in deteriorem conditionem lapsus unquam esset, id valde religioni iis in locis obfuturum; quo is erat in rem catholicam studio, Episcopum Curiensem sibi ad Pontificem quam maxime commendandum esse censuit. Hunc Præsulem, ut jam superioribus annis narratum est, Diœcesani ipsi magnopere aversabantur, gravibusque affecerant injuriis, ita ut sibi consultius fore existimaverit, si in vicum aliquem Tyrolensem, qui suæ jurisdictionis ecclesiasticæ esset, per aliquod tempus se reciperet: idque effecit ipso Pontifice suadente. Interea nonnulli ex primoribus Curiensibus auro inhiantes, timore Dei ab se excusso, Præsule absente peropportunam rebus suis augendis occasionem esse putabant, bona Episcopatus propria in æs suum mutandi; aliaque præterea facinora in gravissimum ejus Ecclesiæ damnum

[1] Reg Gregorii XIII An VIII ep. 131 f. 279.

[2] Reg Gregorii XIII An VIII ep. 133 f. 280.

perpetrarunt. Neque his haud contenti quidquam dubitaverunt, omnium a se Ecclesiæ Curiensi illatorum damnorum ipsum Episcopum reum facere, a quo ea essent resarcienda; imo eo impudentiæ vel potius nequitiæ venerunt, ut suo Episcopo diem dixerint, (ea fuit decima prima Novembris) qua ad suam sedem reversum esse oportuerit; si ad dictam diem non adfuisset, Episcopatum, alio in ejus locum suffecto, abrogandum ei esse decreverunt. Tantum autem nefariis istis hominibus sua fraus processit, ut suis artibus Scalensi et Vercellensi Episcopis circumventis gnavum ac sedulum hunc Præsulem, veluti inertem et nullam sui gregis curam habentem traduxerint: ex quo factum est, ut illi duo Apostolici Nuntii multo secus ac pro ejus meritis statuerint. Ferdinandus igitur, cui res tota erat perspecta, Curiensis Præsulis causam apud Pontificem gerendam aggressus, ab eodem petiit, ut ad ea solvenda, quæ Curienses pro suo jure sibi contendebant, quinque millia coronatorum mutua dare huic tam afflictato Præsuli haud gravate ferret. (1)

(1) Germania Vol. 28, fol. 130.

Beatissimo in Christo Patri et Domino Dño Gregorio XIII. Sanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater et Domine, Dñe Clementissime.

« Humillimam mei commendationem, filialem observantiam, et pedum oscula beatorum. Cum divina aspirante gratia, Sanctitas Vestra Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, veræque Catholicæ Religionis nostræ Caput et Princeps sit constitutus, nemini dubium est, quin eadem Sanctitas Vestra pro sanctissimi muneris sui ratione, et pro sua summa perpetuaque benignitate et clementia illud potissimum agat ac moliatur, ut indies in melius provehatur Christiana pietas, et quæ hactenus vitio temporum collapsa sunt, quantum in se est, restituat. Quo quidem nomine Sanctitas Vestra ab omnibus Christifidelibus pie colitur, et summis laudibus effertur. Itaque Catholicæ Religionis zelo adductus facere non possum, quin Sanctitati Vestræ humillime per literas significem, antiquissimum Episcopatum Curiensem, qui sua jurisdictione Ecclesiastica longe lateque in provinciam meam Tyrolensem protenditur, ac in ea provincia bona stabilia et largos proventus habet, unde et merito me suum defensorem et protectorem agnoscit, aliquamdiu ob graves vicinos, qui sunt Trium Ligarum homines, nec non nonnullos subditos suos, qui temporis lapsu prædicto Episcopatui multa detraxerunt, in talem ruinam et calamitatem incidisse, ut jam plane pauper et opibus suis spoliatus inveniatur; aliis quoque multis oneribus, et exactionibus taliter gravatus sit, ut, nisi Sanctitas Vestra his suis maximis necessitatibus subveniat, timendum sit, ne antiquissimus ille Episcopatus Curiensis penitus corruat; præcipue vero postquam Reverendissimi Episcopi Scalensis et Vercellensis, ambo Sanctitatis V. Nuntii Apostolici, inter ipsum Episcopum Curiensem et Episcopatus sui adversarios, qui indesinenter omnis generis debita et vexationes in medium proferunt, sententiam quandam protulerunt, cujus vigore Episcopus intra breve temporis spatium adversæ parti quindecim millia florenorum dare et exolvere tenetur. Quæ quidem ille absque Sanctitatis Vestræ gratiosa et liberali contributione et auxilio solvere aut præstare non poterit, cum alioqui vix tot facultates suppetent, unde cum parva sua familia honeste se exhibere ac sustentare possit. Ne autem tantus et tam antiquus Episcopatus tam misere pereat, sed aliquo modo ab interitu conservetur, pie ac demisse admodum rogo Sanctitatem Vestram, ut pro insigni sua pietate et clementia benignis oculis, et affectu paterno Episcopatum illum afflictum et pene jacentem respicere, atque ad obligationem illam gravissimam dissolvendam summam quinque millium coronatorum Episcopo sæpedicto gratiose præstare dignetur. In quo Sanctitas Vestra opus sanctum et Deo Opt. Max. gratissimum faciet. Quod et ipsum ego, quacumque occasione potero, cum mea filiali observantia erga Sanctitatem Vestram promereri studebo, eidem me humillime commendans. Datæ Œniponte vigesima secunda die mensis Augusti, anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo.

Vestræ Sanctitatis

Obediens filius Archidux Austriæ
FERDINANDUS.

Curiensium vi ac dolis oppressa Præsulis innocentia ex alteris Ferdinandi litteris prodit: quibus iterum illum Pontifici commendat, ab eoque flagitat, ne iis, quæ ab suis Nuntiis delata fuerint, faciles aures præbeat: nec quicquam inaudita causa, contra Episcopum, qui se propediem purgaturum confidit, velit decernere. (1)

(1) Germania Vol. 26 fol. 158.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Dño Gregorio Decimotertio Sanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Dño meo Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater et Domine, Dñe Clementissime.

« Humillimam mei commendationem, filialem observantiam et pedum oscula beatorum. Dominus Beatus Episcopus Curiensis hisce diebus mihi exponendum curavit, sese non nihil vereri, ne fortasse Rñi Scalensis et Vercellensis Episcopi, Nuncii Apostolici, apud Sanctitatem Vestram querelas quasdam contra ipsum proponant, quibus Vestra Sanctitas permota, inaudita causa, aliquid gravius adversus eum statuat: adeoque humiliter a me petiit, ut pro eo apud

S. V. benigne intercederem. Quum itaque Episcopatus Curiensis jurisdictio Ecclesiastica se in provincia mea Tyrolensi late extendat, atque ibi multa bona stabilia et amplos reditus possideat, egoque eundem probum, doctum, Catholicum et exemplaris vitæ diligentem quoque Episcopum esse plane cognoscam, quem etiam ob has præclaras dotes omnes honesti et religiosi viri plurimum observant et colunt, libenter hoc officii genere sum prosequutus, cum ut eidem propensum et amicum animum meum erga ipsum ostenderem, tum ut in hac quoque parte Catholicæ nostræ fidei præsto essem. Omni igitur humilitate ac filiali observantia rogo atque obsecro Sanctitatem Vfam, ut præfatum Episcopum Curiensem mea causa unice commendatum habeat; neque prius de rebus suis aliquid statuat, quam ipse fuerit etiam legitime et sufficienter auditus. Quemadmodum Sanctitatem Vestram idipsum nihilominus facturam minime dubito. Quod ego mea filiali observantia de Sanctitate Vestra quovis loco et tempore promereri conabor, eidem me humillime commendans. Datæ Oeniponte vigesima secunda die mensis Augusti anno etc. octuagesimo.

Vestræ Sanctitatis

Obediens filius Archidux Austriæ
Ferdinandus.

XL. — Nihilo tamen minus Gregorius de interitu Episcopatus Curiensis justis de causis pertimescens, in sententia Scalensis et Vercellensis Præsulum manebat. Itaque scribi ei Ferdinando videbatur, ab eoque poscebat, efficeret omnino, ut Curiensis Antistes, quam primum fieri posset, in suam diœcesim reditum paret, ad statutamque diem S. Martino sacram Curiæ Rhætorum adsit: quod si secus fiat, minatur se graviter in eum Præsulem animadversurum, vel ut ipsi alius sufficeretur permissurum. (*)

* Reg. Gregorio XIII An. IX ep. 53 f. 318.

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Magna Nos semper humanitate et clementia usos esse erga venerabilem fratrem Beatum Curiensis Ecclesiæ Episcopum, ipsemet testis est: idem etiam in posterum faciemus, idque tuæ commendationi dabimus, quoad scilicet salva Ecclesia illa nos facere posse intelligemus. Sed quia Diœcesani ipsi apertissime dicunt, velle se omnino Episcopum præsentem habere, neque velle ultra diem Sancti Martini expectare, alioquin decretum habere, quoniam sine Episcopo sunt, Episcopatus ipsius bona occupare: idque illos facturos non dubitamus, agiturque de perpetuo, ut vides, illius Episcopatus interitu: ubi enim semel bona illa fuerint a laicis occupata atque inter se divisa, amplius recuperari numquam poterunt. Quoniam igitur res huc pervenit, alterutrum faciendum Episcopo omnino est, ut aut ad suam Ecclesiam eat, ibique ad constitutam diem præsens sit, aut certe Episcopatum deponat, ut possit alius eligi, qui commissum sibi Christi gregem pascat tueaturque. Et vero quid unquam tale auditum est? oves pastorem maximis clamoribus revocare, illum vero eas tanquam pestem refugere, et luporum rabiei relinquere; neque aliter posse quam vi et minis reduci. Hoc amplius ferri non potest, tuæque pietati horrendum videri non dubitamus. Illud etiam certum habemus, te Episcopum hortaturum, ne velit diutius cunctari, neve expectare, ut Nos nostra auctoritate ac potestate in hoc negocio uti cogamur, veniamusque ad ea, quæ minime vellemus: veniemus autem necessario, neque enim debemus nostram operam Christo, et animarum saluti negare. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Octobris MDLXXX. Pont. Nostri anno nono.

XLI. — Cum Gregorius has litteras daret, nondum eas acceperat, quas ad eum sui purgandi causa Episcopus Curiensis scripserat, quæque sunt hujusmodi. (*)

(*) Germania Vol. 15 fol. 108

Sanctissimo Patri ac Domino, Domino Gregorio XIII. Sanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino suo Clementissimo.

Beatissime Pater.

« Humillimam mei commendationem, ac beatorum pedum oscula Sanctitati Vestræ offero. Quia Ecclesia mea jam a multo tempore suorum adversariorum impetu ac continuo incursu afflicta periclitatur, ego vero tam diuturna corporis imbecillitate penitus confectus, eidem opportuna remedia adhibere minime possum: permotus sum eum rerum eventum Sanctitati Vestræ præsentibus intimare, et consilium ac auxilium ab eadem Sanctitate Vestra humillime postulare. Sciat igitur Sanctitas Vestra, subditos Ecclesiæ meæ superioribus mensibus literas suas ad me direxisse, quibus petierunt, ut vel residere apud Ecclesiam, vel resignare omnino velim. Et illam petitionem confirmavit authoritas Rīni Nuntii Apostolici Episcopi Vercellensis, qui non minus me, ex eorumdem nimirum instinctu, ad alterutrum horum præstandum compellere intendit. Ego porro per hoc tempus, quo onus id de jussu Sanctitatis Vestræ sustinendum mihi erit, plurimum innitor Brevi Apostolico a Sanctitate Vestra obtento, per quod concessum mihi est, extra propriam residentiam, sub Principe tamen Catholico et apud parochiam meam, quæ etiam hujus diœcesis est, manere. Sed nec sine hac securitate a Sanctitate Vestra impetrata possibile mihi esset, tum propter varias causas, (quas Sanctitas Vestra a Serenissimo Archiduce Ferdinando et me intellexit) tum pro-

pter morbum, quo adhuc detineor, de loco in locum migrare, quum nec lecto egredi valeam. Quantum ad resignationem spectat, hyeme præterita resignavi Episcopatum in manus Vestræ Sanctitatis; paulo tamen post per Illmum ac Rmum Dominum Cardinalem de Altemps certior factus sum, hanc esse mentem Vestræ Sanctitatis, quod pro viribus meis Ecclesiæ ulterius, ut hactenus, præesse debeam, usque dum de idonea persona provisum sit. Hinc, Sanctissime Pater, istum officialem meum Zachariam Scarpatert, harum latorem, ad Sanctitatem Vestram ablegavi, ac consilium Vestræ Sanctitatis imploro, qualiter mihi ad festum S. Martini proximum, quo Rhæti suam dietam celebrabunt, agendum sit: ad id enim tempus responsum meum de residendo vel resignando expectabunt. Si Sanctitas Vestra jubeat Capitulo resignare, contentus sum, modo aliquis inter eos idoneus reperiatur, conscientiam autem meam gravare nollem. Timeo futurum schisma majus, quam antea, quum multi sint, qui ambiunt, et rustici (quibus Nuntius fere nihil solet denegare) forsan aliquem intrudant omnibus bonis adversantem, idque in maximum Ecclesiæ præjuditium. De quo substituendo consultum mihi videtur, ut Sanctitas Vestra pro solita sua cura diligenter attendat, nec nimis Nuntio suo habenas laxet.

« Aliud quod mihi facessit negotium est. Quoniam petitionibus dicti Nuntii Sanctitatis Vestræ non pro voto suo satisfacere possum tum causa morbi, tum etiam quia hac in re magis versatus aliud subinde et minus malum eligo, possem apud Sanctitatem Vestram deferri. Id ut Sanctitas Vestra recte intelligat, præsens nuntius meus, qui quasi omnibus actis interfuit, rationem sufficienter reddet: cui ut Sanctitas Vestra benignissimas aures præbeat, ac cum gratioso responso remittat, summopere rogo: nec non ut pensionem annuam de reditibus Ecclesiæ in Tyrolensi Comitatu in vino, frumento et similibus requisitis ad summam quingentorum florenorum, (cum alii octingentos habuerint) quibus frugaliter vivere possim, benigne mihi deputare velit. De qua nisi Sanctitas Vestra mihi provideat, frustra a Nuntio suo, qui mihi modo (nescio cujus instinctu) quasi in omnibus adversatur, quicquam ejusmodi expectandum foret. Offero me ac protestor, quod nihilominus in his locis jurisdictionis Serenissimi Archiducis Ferdinandi commodis Ecclesiæ, quod in me est, consulere cupiam. Has denique literas, rogo, eumprimis Sanctitas Vestra eo animo suscipiat, quo a me scriptæ sunt, qui scilicet officii mei esse putavi, de his, quæ Ecclesiæ meæ incomberent, Sanctitatem Vestram penitus informare, nec quicquam reticere; cordi enim mihi semper fuit, Sanctitati Vestræ ac Sedi Apostolicæ in omnibus parere, ac in re tam ardua sine ejusdem præscitu et jussu nec quicquam attentare. Hæc vel plura Sanctitas Vestra ex Rmo Cardinali de Altemps quoque cognoscet. Hisce me et Ecclesiam meam Sanctitati Vestræ commendo. Datæ Merani quinta die mensis Octobris anno nostri Salvatoris nati MDLXXX.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus Capellanus
BEATUS EPISCOPUS CURIENSIS.

XLII. — Episcopus etiam Lausanensis ab suis, quorum plerique in hæreticorum numero erant, omnibus fere Episcopatus bonis spoliatus fuerat. Quem igitur in proximis Badensibus comitiis de rebus suis vindicandis agere oportebat, Cæsar his ad Helvetios datis litteris gratia et auctoritate prosecutus est. [*]

[*] Germania Vol 52. fol. 48.

Rudolphus etc. etc.

« Honesti, Dilecti, Fideles etc. Quo pacto temporibus præteritis Episcopatus Losanus cum suis attinentiis alienatus, atque a Civitate Bernensi occupatus et usurpatus fuerit, probe vos nosse intelligimus. Quoniam vere ad nos defertur, quod in proxime imminenti et circa veniens festum D. Joannis, in Civitate Badensi indicto communi confœderatorum conventu Episcopus sit ibidem Losanæ, pro restitutione dicti Episcopatus et rebus illi sublatis acturus et inquisiturus; cumque præterea idem Episcopus sit Princeps ac Status Sac. R. Imperii, par est, ut nos tanquam Romanus Imperator pro officii nostri ratione, ejus hac in parte, patrocinium suscipiamus, et restitutionem prædictam promoveamus. Quamobrem prætermittere non potuimus, vos interim commonefacere, elementique affectu hortari, ut in hac restitutione tales vos exhibeatis, quales ex jure et æquo convenit, quo prædictus Episcopus ad suam fundationem seu Episcopatum, ejusque proventus ac pertinentias rursus pervenire possit. Quæ res vobis (præter id quod per se justa est) apud Electores, et Principes ac Status Imperii magno bono et commodo erit: et nos etiam qualibet occasione oblata, ad id nostra gratia Cæsarea recompensandum, inclinati semper ac propensi erimus.

Datum Pragæ secunda die Maji anno 1580.

XLIII. — Dum in Polonia militum armorumque apparatu ac strepitu omnia circumsonant, in comitiis regni die secunda Januarii Varsoviæ habitis una omnium sententia continuandum contra Moscum bellum conclamatum fuit, paratissimoque atque alacri animo omnia, quæ ad conficiendum bellum necesse essent, ab Ordinibus non minus quam a Clero suppeditata Regi fuerunt. Qua in re, ut sæpissime factum est, ex hæreticis nonnulli, divitiis atque opibus pollentes, extitere, qui ad jura Ecclesiæ Catholicæ labefactanda Clerum imprimis his oneribus et impensis opprimendum esse suaderent. Ho-

rum vero injuriis cum Episcopi, Nuntio Apostolico auctore, fortiter restitissent, Rexque eis faveret, omnes hæreticorum molitiones ad irritum ceciderunt. (*)

(*) Montisà document. N. 88.

Absolutis Comitiis, Electus Bertinorensis, Nuntius inquam Apostolicus, solemni maxime cum pompa in Ecclesia Cathedrali Varsoviensi Episcopus sacris ritibus inauguratus: quibus cæremoniis Rex et Regina cum Ordinibus regni regiisque administris, Legati Principum, Episcopi fere omnes, tum etiam spectatissimi magno numero viri tam ex Clero quam ex Nobilibus, cæterisque civibus interfuere.

XLIV. — Ecclesia hujus regni perincommoda sane conditione utebatur, quod Archiepiscopus Gnesnensis, qui Metropolitanam sedem obtinebat, ob diuturnam animi et corporis ægritudinem, cum confecta esset ætate, (octuagesimum enim fere annum attigerat,) minus sui esset compos: tantaque istius in suos erat obsequentia, ut vel a levissimis hominibus, nedum a pueris ipsis regeretur. Non mirandum igitur est, si ea agitaverit animo, vel persuaderi sibi siverit, quæ prudentibus hominibus risui, sin minus commiserationi essent. Atque ejusmodi id fuit, quod suis suadentibus novum provinciale Episcoporum concilium habere statuerat, in quo decreta Tridentina iterum promulgarentur, legesque in postrema synodo provinciali Petricoviæ latæ denuo confirmarentur. Quamobrem et Nuntius Apostolicus, importuno Archipræsulis consilio vix comperto, eumdem Pontificis verbis etiam atque etiam dehortari studuit his litteris. (*)

(*) Polonia Vol 17 fol 179

Reverendissime Domine.

« Superioribus mensibus pro officio mei debito Illmam Dominationem Vestram sæpenumero tam per certos homines meos, quam per litteras meas certiorem feci, esse nonnullos summæ auctoritatis viros, quos ipsa non ignorat, qui nulla vi aut necessitate cogente, tam a me quam ab ipsa enixe contenderent, ut primo quoque tempore Provincialium Episcoporum Synodus iterum cogeretur: qua de re cum diu multumque mecum cogitarem, viderenque illos ipsos amplissimos homines de ea, quæ sibi contigit, procuratione Ecclesiastica non admodum sollicitos esse, parumque laborare, quemadmodum in suis diœcesibus (quæ recta est sacrorum Conciliorum ratio) depravati hominum mores corrigerentur, ac collapsa veteris Ecclesiæ disciplina restitueretur, imo nedum Sacri Tridentini, verumetiam proxime superioris Gnesnensis Concilii sanctissima decreta passim contemni, et nihili pendi, non potui id, quod erat, non suspicari, coactionem ejusmodi longe alio spectare, quam speciosa et magnifica verba Concilii convocandi præseferant. Cumque in hac custodia Provinciæ a Sancta Sede Apostolica ita positus sim, ut Clerum Poloniæ, quoad ejus fieri possit, omnibus curis tuear, vacuumque mea vigilia reddam, gravissimorumque præterea virorum auctoritate admonitus, animadverterem Reipublicæ Ecclesiasticæ, nisi conatibus istis mature obviam itum esset, maximam pestem importari posse, rem totam ad eum cujus est de controversiis Ecclesiasticis summum et sapientissimum judicium, Sanctum Romanum Pontificem per litteras detuli. Commota Sanctitas Sua rei cum gravitate, tum novitate, protinus mihi imperavit, ut quam diligentissime possem toto animo excubarem, ne quod ex ea re Dei Ecclesia detrimentum caperet, simul cum Rma D. Vestra suo nomine agerem, ne omnino quicquam de novo Concilio Provinciali indicendo decerneret, nisi prius Sanctitate S. Sanctaque Sede Apostolica consulta. Beatitudinem Suam multorum et honestissimorum virorum litteris et sermonibus edoctam fuisse, verbis quidem Concilium Provinciale ab uno atque ad summum altero intempestive flagitari, re autem ipsa ea consilia iniri atque agitari, quæ si perficerentur, totius religionis Catholicæ, Cleri atque Ecclesiarum status in summam rerum omnium perturbationem ac periculum adduceretur. Quod quidem si nostra facilitate et incuria (quod Deus omen avertat) eveniret, cum ejus doloris ac calamitatis prima et præcipua pars Rmæ D. Vestræ potissimum obventura esset, non dubitat Sanctitas Sua, quin Rma D. Vestra ista præsertim ætate, et valetudine, quæ gravioribus curis ac molestiis minime opprimenda est, hortationi ac mandato suo apostolico libenter et ex animo sit paritura. Ego cum is sim, qui jussis edictisque Pontificiis omnia tribuere, et imprimis parere didicerim, nactus opportunitatem summæ nobilitatis ac singularis prudentiæ viri, itemque, quantum ex ejus sermone cognovi, dignitatis ac honoris Illmæ Dominationis Vestræ cupidissimi, qui isthuc proficiscebatur, has litteras confestim ad Rmam Dominationem Vestram exaravi, rogans et obtestans, ut ita in tanto suo aliorumque sibi charissimorum periculo se gerat, itaque ad has litteras rescribat, ut et Sanctitatis Suæ expectationi abunde respondeat, et nemini prorsus, ne malevolentissimo quidem, de suo erga Clerum, Ecclesiasque amplissimi et nobilissimi Regni paterna cura, et vigilantia dubitandi locum relinquat. Opto Rmam Dominationem Vestram in Domino semper bene valere. Varsaviæ die xvii. Junii mdlxxx.

Archiepiscopus enimvero optime se gessit: errore namque cognito Apostolici Nuntii dicto audiens fuit, datisque ad eum litteris Pontificis jussis obtemperaturum se nunciavit. (*)

(*) Polonia Vol 17 fol 219

Reverendissime Domine Frater, et Amice Observantissime.

« Fateor me equidem de habenda Synodo

Provinciali curam et cogitationem suscepisse, ac ea de re unum fere mensem scripsisse ad Reverendissimos Dños Coepiscopos, ut mihi suam quisque hac in parte sententiam aperiret. Neque id urgente aliqua instantia, sed pro debito officii mei faciendum putavi, ut Sacrosancti Concilii Tridentini, et nostri Provincialis Petricoviensis ante triennium habiti decretis satisfacerem, quæ Provincialem Synodum triennio quoque lapso per Archiepiscopum institui requirunt. Hoc ipsum et Sacræ Tridentinæ et nostræ Synodi Petricoviensis constitutionum necessaria executio, tum quoque Judicum Ecclesiasticorum novi Tribunalis non satis exacta instituta provisio videbatur efflagitare. Nunc autem ubi consultationem hanc nostram Sanctæ Sedis Apostolicæ ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ judicio intempestive periculoseque agitari comperio, deinceps hac in parte mihi cautius progrediendum, nec aliud omnino statuendum existimo, quam id quod Sanctæ Apostolicæ Sedis censura comprobari intellexero. Si quas autem ex litteris Reverendissimorum Dominorum Episcoporum Comitii hujus cogendi rationes prægnantes afferri sentiam, illis cum Reverendissima Dominatione Vestra communicatis, libenter consilium Reverendissimæ Dominationis Vestræ sequar, meam intentionem ad beneplacitum Sanctæ Sedis Apostolicæ, religionis Orthodoxæ conservationem, Cleri et Ecclesiarum hujus Regni tranquillitatem, ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ judicium studiose accommodaturus. Quod superest mea studia et officia Rñæ Dominationi Vestræ defero, quam bene valere ex animo cupio. Lovicii 21. Junii 1580.

Rñæ Dominationis Vestræ

Frater et amicus integerrimus
Jacobus Uchanski Archiepiscopus
Gnesnensis etc. manu sua ppria.

« Plura tam de hoc præsenti negotio, quam de aliis quibusdam Reverendissimus et Magnificus Dominus Coadjutor meus Vestræ Rñæ Dominationi referet, quem ejusque hoc totum negotium, et maxime illud quod plurimum ad decus et emolumentum tam Ecclesiæ Sanctæ quam Reipublicæ Regni hujus spectat, Rñæ Dominationi Vestræ quam diligentissime commendo, rogans vehementer, ut eum causamque hanc ipsius paterno animo ac benevolentia amplecti, et favore promotioneque sua prosequi dignetur.

Idem Archiepiscopus manu sua ppria.

Quare et Gregorius eumdem pro merito laudat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. IX. ep. 51. fol. 317.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Gnesnensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Sapienter facit Fraternitas Tua, dum non cessat eorum conatibus obsistere, qui rerum suarum privatarum causa res novas moliuntur, magno, ut talibus in rebus fieri solet, cum Catholicæ Religionis Regnique istius detrimento. Facilius autem multo nascenti, quam confirmatæ corroboratæque hominum audaciæ resistitur. Et quamquam certum habemus eadem semper voluntate fore te; tamen quia nihil magis cordi Nobis esse potest, rogamus, ne te ullius hominis auctoritate ab ista sententia dimoveri sinas. Semper plurimi fecimus prudentiam, auctoritatem, zelum tuum; inque eo tum in hoc negocio, tum in cæteris, quæ ad Dei gloriam pertinebunt, facillime acquiescimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die decimasexta Septembris millesimo quingentesimo octuagesimo. Pontificatus Nostri anno nono.

XLV. — Nec dubitari quidem potest, quin hic vir se semper talem præbuerit, quem illa tempora eaque regni conditio poscebant. Is enim ab anno MDLXII. quo infula Gnesnensi ornatus fuerat, invicto animi robore in acie, ut ita dicam, Episcoporum Ecclesiæ jura contra Dissidentium pravorumque Catholicorum ausus et molitiones acerrime propugnaverat. Cum autem nunc ingravescente ætate pristini roboris aliquantulum remisisse videretur, Episcopus Bertinorensis præsto fuit, qui venerandi Præsulis animum erexit, simulque ex manibus levissimorum hominum, a quibus hoc tempore fere in omnibus rebus circumducebatur, liberavit. Suasit præterea, ut ad catholicæ juvenum educationi consulendum in sua diœcesi collegium Societatis Jesu constitueret; quod religiosissimus vir percupienti animo præstitit litteris per universam diœcesim missis. [*]

[*] Polonia Vol. 17. fol 441.

« Jacobus Uchanski Dei gratia Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus natus et Regni Poloniæ Primas ac primus Princeps, significamus quorum interest universis, quod nos in tanta Christianæ religionis fluctuatione, pro debito pastoralis officii, de civitate et diœcesi nostris Gnesnensibus plurimum sollicitì, diu rationes omnes investigavimus, per quas afflictam Catholicam fidem, et fere nutantem juvare, ad pristinamque tranquillitatem et dignitatem in eis renovare valeremus; nullumque præsentius invenimus remedium et præsidium magis salutare, quam Patres Societatis Jesu, qui sedulo in vinea Domini laborantes, pueros in avita religione instituunt, purum populo prædicant Evangelium, ac frequentibus sacrificiis et orationibus Deum fidelibus reddere satagunt propitiatum, in aliquem locum dictæ diœcesis congregare, matura itaque de loco prædicto deligendo deliberatione præhabita. Demum nostræ mentis oculos direximus ad oppidum Regium Calissiense, diœcesanum nostrum, situ loci felix, habitatorum copia refertum, nobilium frequentia ornatum, ac Ecclesiarum numero et decore insigne, in quo (sicut

**ex relatione Reverendi Domini Stanislai Grothowski Canonici Ecclesiæ Collegiatæ Calissiensis, Sacræ Regiæ Majestatis Secretarii, et famiiliaris nostri accepimus) a duobus circiter annis hæreticorum Synagoga introducta, pro Dei verbo hæreses seminantur in populo fideli, et in cujus districtu, quæ horum temporum fert calamitas, sectæ plurimæ grassantur Sectariorum, et plurimæ Parochiales Ecclesiæ tam in Regiis quam nobilium bonis prophanatæ, illarumque bona a Tenutariis occupata reperiuntur. Attendentes igitur, quod in Ecclesia Sancti Nicolai Calissiensis Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini, prout ex visitatione Ecclesiarum dicti oppidi de mandato nostro facta constat, regulari observantia penitus pessumdata, scandalum plerumque viget et offendiculum conscientiarum, concedimus ad Dei laudem, et consentimus, si ita Sanctissimo Domino et Serenissimo Regi nostro videbitur opportunum, quod Canonici dicti Ordinis in præfata Ecclesia Sancti Nicolai nunc degentes transferantur ad alias eorum Ecclesias, inibique Collegium dictæ Societatis erigatur et instituatur, et Ecclesia ipsa Sancti Nicolai, una cum domibus aliisque bonis et reditibus omnibus, eidem Collegio applicentur et appropricutur. In quorum fidem præsentes litteras manu nostra subscriptas, et sigillo, quo in talibus utimur, muniitas fieri fecimus. Datum ex Arce nostra Lovicicnsi die XIII. Augusti anno Domini MDLXXX.

JACOBUS UCHANSKI ARCHIEPISCOPUS
GNESNENSIS ETC. manu sua scrip.

Collationata concordat cum suo originali.

Spinus Bizarrus Rñi Domini
Nuntii Apostolici Notarius.

Idem Pontificem de hoc suo consilio, deque tristissimo rerum statu certiorem facere non prætermisit. [1]

[1] Polonia Vol 17 fol. 162

Sanctissimo Domino Nostro.

Beatissime Pater.

« Novit Tua Sanctitas, quam sit hæresibus (proh dolor) in partibus his divulsa jam pene et distracta unitas nominis Christiani, nec dubito, quin nobis paterno compatiatur affectu, et nobiscum lachrimas conjungat communes, quorum Pastoralis cura in hæc calamitosa tempora incidit, et rerum omnium incommoda. Quare de salute gregis mihi crediti sollicitus, æque ac potui, primum in Domino jactavi meum cogitatum, ut ipse me enutriret, animumque firmaret, et mentem instrueret, quo tempestive possem afflictæ succurrere Catholicæ religioni. Deinde in eam curam et cogitationem deveni, ut omnia tentarem, per quæ tot hæreses extirpari, et corrupti hominum mores ad meliora vitæ fruges provide revocari valerent. Equidem agnosco tempora, difficultates occurrunt, incertum consiliorum nostrorum eventum esse non ignoro; sed quia scriptum est: Revela Domino viam tuam et spera in eo; magis Dei clementiæ confidens, quam propriæ diffidens imbellicitati, nihil intentatum relinquendum duxi, quod pium hoc adjuvare possit propositum meum. Sed homo senex et circumdatus infirmitate, impares ad tantum subeundum onus humeros meos sentiens, præsertim cum Sæculari nobis fuerit potestate sublatum, ut quos Dei timor a malo non revocat, Ecclesiastica valeam coercere severitate disciplinæ: eorum statui auxilium implorandum, qui nonnullis Suffraganeis meis maxime sunt probati, Patrum videlicet Societatis Jesu, quorum Collegium in Terra Callisiensi meæ Diœcesis instituere (Domino concedente) decrevi, quæ Terra Silesiæ antiquæ hæresum nutrici adjacet, et situ loci felix est, ac habitatorum copia referta, Nobiliumque frequentia decora, nec non Ecclesiarum numero insignis; sed Synagoga hæreticorum a biennio ibi constructa fœdata, ac Nobilium hæreticorum bonis circumsepta, maximo discrimini est objecta, ibi messis multa et operarii pauci. Quare spero eorumdem patrum sedula opera non modicum Orthodoxæ fidei commodum accessurum. Supplico igitur Sanctitati V., dignetur pro sua benignitate assensum ad hoc impartiri benevolum et benedictionem Apostolicam, ut sub ejus auspiciis et authoritate fortes Dei milites feliciter pugnent, et crescant in Ecclesia Dei ex eorum laboribus fructus in dies uberiores. Testis est ille, qui corda scrutatur, et cujus ineffabili providentia ordinem suscipiunt universa, me in tot angustiis versantem, animam pro Ecclesia Sancta devovisse meam: sed aliter statuit bonitas immensa. Ego vero laborem in hac decursa ætate, si adhuc futurus sum populo necessarius, (cum beato illo Pontifice) non recuso, fiat voluntas Domini: optimam voluntatem de Republica Christiana promerendi, numquam in me patiar desiderari, quod unum præstare possum efficaciter. Quod reliquum est, servitia mea humiliter defero Sanctitati Tuæ, quam Deus omnipotens incolumem diu pro suæ Ecclesiæ Sanctæ beneficio conservare dignetur. Datum Lovicii die sexta mensis Septembris anno Domini MDLXXX.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus servitor ac devota creatura
JACOBUS UCHANSKI ARCHIEPISCOPUS
GNESNENSIS manu sua pp̃ria.

Cujusmodi consilium Gregorius non probavit modo, sed ad illud maturandum stimulos ei subdidit. [1]

[1] Reg. Gregorii XIII An IX. ep 65. f. 258.

Venerabili Fratri Jacobo Archiepiscopo Ecclesiæ Gnesnensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis Fraternitatis Tuæ datis superiori mense facile perspeximus zelum

tuum in deplorando Catholicæ Religionis rerum statu, tam late tamque graviter ab hæreticorum perfidia afflicto, inque providendo, ut tum præsentibus, tum futuris malis occurratur. Sic autem par est, optimum pastorem agere, animarum interitu dolere, neque tamen animo cadere, nec Sathanæ machinationibus succumbere; sed remedia adhibere, omnique conatu resistere, hæcque agentem spem omnem in Divina ope fixam et locatam habere. In primis vero probamus prudentissimum consilium tuum de Collegio Sacerdotum Sodalitatis Jesu constituendo, nec quidquam melius fieri posse judicamus, cogitationemque istam tibi a Deo immissam esse, certum habemus. Norunt enim omnes illius Ordinis Sacerdotum pietatem, et studium inexhaustum Christi gloriæ, atque animarum salutis, quantoque cum fructu versentur in hominibus salutari doctrina, ac sacrosanctis Sacramentis alendis, atque ad synceram pietatem instituendis. Matura igitur tam præclarum negocium perficere, summamque facultatem tibi a Deo oblatam sempiternæ gloriæ promerendæ sine ulla cunctatione arripe, certumque habe, te nihil Divinæ Majestati gratius facere posse. Quidquid enim Sacerdotum illorum laboribus proficietur, id omne ad tuom meritum redundabit, referesque inde a Deo coronas gloriæ in dies illustriores. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Octobris MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

XLVI. — At vero aliter omnino in rebus fidei se gesserunt nonnulli Episcopi, ac præsertim Cracoviensis et Premisliensis. Horret enimvero animus referre, quæ sint ausi; vix fortasse narrando fidem quis faceret! Comitiis exeunte mense Januario absolutis, Cracoviensis Episcopus in principe Varsoviensi templo Episcopalibus insignibus ornatus, Episcopo Premisliensi adsidente, omnibus fere regni Proceribus tum Catholicis tum hæreticis inspectantibus, virum et mulierem hæreticos solemniori Ecclesiæ ritu in matrimonium conjunxit. Gregorius cum id cognovisset, litteris quibus nihil fieri potest sapientius, nihil humanius, eum commonefecit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 128. f. 281.

Venerabili Fratri Episcopo Ecclesiæ Cracoviensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Delatum fuit ad Nos, te Episcopalibus insignibus ornatum sacro in templo junxisse in matrimonium manifeste hæreticum cum muliere item hæretica, easque benedictiones adhibuisse, quæ solent Catholicis adhiberi, summo cum tui gradus munerisque dedecore, Catholicorum mœrore et scandalo, hæreticorum gaudio ac triumpho. Quod enim spectaculum indignius aut luctuosius potuit bonorum oculis offerri? Sedet Episcopus, hoc est Apostolorum successor, Deique sacerdos et Christi ovium pastor, Apostolicamque doctrinam in templo Dei in omnium conspectu conculcat. Contra clamat Apostolus, Rogo vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula præter doctrinam, quam didicistis, faciunt, et declinate ab illis. Minatur Dominus Episcopo Ecclesiæ Pergamensis, quia patiebatur esse ibi Nicolaitas. Canon Apostolicus afficit anathemate Episcopum, qui tantum cum hæretico oraverit. Jubet Leo, ut Episcopus pellat ex Ecclesia hæreticum eum, qui sacris mysteriis intersit, utiturque verbis gravissimis. Cum inimicis, inquit, Crucis Christi nulla consensione jungamur, ne impiorum consortio sanctitas fidelium polluatur; lux separetur a tenebris; fugiant filios diaboli filii veritatis; in templum Domini, quod est Ecclesia Christi, nihil profanum oportet admitti. Monet Episcopos omnes Ambrosius his verbis: Omnis, qui pastor est Ecclesiæ, societatem hæreticorum, quantum potest, vitare debet, ne per occasionem familiaritatis eorum corda simplicium veneno suæ malitiæ corrumpant; sicut enim lupus inter oves sine laceratione earum versari non potest, sic nec hæreticus inter simplices. Tu vero hæreticos sacro in templo omnibus inspectantibus amplexaris, eorum conjunctione gratularis, viperarum propagationem exoptas et precaris; et quidem cum scias Varsoviæ, qua in civitate hæc gesta sunt, publico decreto prohibitum fuisse, nuptialem benedictionem hæreticis adhiberi. Illud vero quam congruenter! celebratur ad eam conjunctionem missa de Spiritu S., in qua solemnes precationes sunt: Veni S. Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et Deus, qui corda fidelium S. Spiritus illustratione docuisti etc. Quid ergo? fideles hæretici? infideles igitur Catholici! Speramus dolere te, neque in posterum quidquam tale commissurum esse; nullam denique Nobis causam præbiturum gravius conquerendi aut agendi. Amavimus semper paterne, amamusque te, cupimusque, ut certum habeas, ab hac charitate, summoque existimationis tuæ, Christique gregis salutis desiderio has litteras profectas esse. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Martii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

Eadem charitate et prudentia Antistiti Premisliensi succensuit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 126. f. 282.

Venerabili Fratri Episcopo Ecclesiæ Premisliensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus, non solum interfuisse, sed præfuisse etiam te Varsoviæ sacro in templo nuptiali hæreticorum benedictioni: doluimus graviter crimen tuum, disciplinæ Ecclesiasticæ depravationem, Catholicorum dolorem,

hæreticorum lætitiam ac triumphum. Nihil enim potuit fieri alienius ab ista tua dignitate et munere pastorali, nihil Catholicorum oculis acerbius offerri, nihil committi hæreticorum nequitiæ optatius; contrariarum enim voluntatum, contrarias esse oportet affectiones et motus: triumphant hæretici, ubi vident Ecclesiasticam disciplinam conculcari; mœrent anguntur que eodem facto Catholici. Scis autem Sanctos Apostolos anathemate interdixisse, ne Episcopi cum hæreticis orent; Patres omnes gravissime eam pestem detestari atque a fidelium communione arcere; nominatim etiam Episcopis præcipere, ut pellant ex Ecclesia hæreticos eos, quos viderint sacris mysteriis interesse: illud etiam sciebas, in eadem ipsa Ecclesia Varsoviæ publico decreto prohibitum fuisse, hujusmodi benedictiones hæreticis adhiberi. Quam igitur tibi excusationem reliquisti vetustissimorum, recentiumque decretorum violatorum, Episcopalis dignitatis ad hæreticorum obsequia demissæ atque abjectæ, populi Dei gravissimo scandalo afflicti? Excusatio nulla est: pœnitentia parata ac pernecessaria. Speramus te factum dolere, statutumque habere, nunquam amplius quidquam tale committere; causas etiam illas agnoscere, unde hæ literæ sunt profectæ, nostram scilicet paternam erga te charitatem, et Dei gloriæ Catholicæque Religionis dignitatis zelum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decimanona Martii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

Nec minus humaniter admonuit Præsulem Posnaniensem, qui adeo se facilem præbuerat, ut Varsoviæ, in urbe sacræ suæ ditionis id facinoris perpetrare Episcopo Cracoviensi permiserit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 160. f. 262.

Venerabili Fratri Episcopo Posnaniensi.

GREGORIUS PP. XIII.

Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Certiores facti sumus, gravissimum facinus commissum esse Varsoviæ, quæ in tua Diœcesi est, Episcopum scilicet Cracoviensem præsente, et suffragante Episcopo Præmisliensi, in templo sancto omnibus inspectantibus, et Catholicis indignantibus et gementibus, hæreticis ridentibus triumphantibusque, hominem manifeste hæreticum cum muliere item hæretica in matrimonium junxisse, solemnesque illis benedictiones adhibuisse, neque ullam publici scandali, Ecclesiasticæque disciplinæ, Pontificis dignitatis et muneris, sanctorum canonum, gravissimique anathematis rationem habuisse. Scripsimus ad utrumque Episcopum, monuimusque ea, quæ illos antea scire, considerare, diligentissimeque observare oportuit, neque dubitamus, graviter dolere tantam indignitatem atque Ecclesiasticæ disciplinæ eversionem. Facies igitur, ut moneas nostris verbis omnes, sive Episcopos, quoties oportunitas dabitur, sive cæteros Sacerdotes, ut a tali facinore abstineant, caveantque, ne cui hæreticorum nuptiales hujusmodi benedictiones impertiant; quod etiam in ipsa Ecclesia Varsoviensi summo omnium consensu decretum fuisse accepimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Martii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

XLVII. — Cracoviensis Præsul aliud alii adjunxit facinori. Nepti namque suæ cum hæretico homine sponsalia indulsit, ambos mox in matrimonium sollemnioribus Ecclesiæ ritibus conjuncturus. Quod dum is molitur, Nuntius Apostolicus litteras Pontificis ad Præsules Cracoviensem, Premisliensem et Posnaniensem, quas modo attulimus, acceperat; sicque nihil fecit moræ, quominus Cracoviensi eas redderet, quibus crimen admissum reprehendebatur; eumque vehementer obtestatus est, ut publice patratum crimen, publice quoque corrigeret, caveretque, ne se novo cum hæreticis contactu contaminaret: ante tum hæreticum juvenem, tum neptem ad fidem Catholicam reducendos curet, quam in matrimonium jungat. [*]

[*] Polonia Vol. 17 fol. 231.

Episcopo Cracoviensi.

Reverendissime Domine.

« Quam indigne tulerit pro sui Pastoralis officii munere Sanctissimus Dominus Noster Romanus Pontifex nuptialem benedictionem, quam haud ita pridem Reverendissima Dominatio V.ra in Ecclesia Varsaviensi, frequenti omnium ordinum conventu, summa cum honorum offensione hæreticis hominibus impertivit, idque contra, atque sacrorum Canonum decreta vetent, sapientesque homines a tanto viro expectarent, ex Apostolicis litteris, quas sine nostris ad Reverendissimam Dominationem V.ram venire noluimus, facile colligere poterit, etsi scio aliorum multorum cum litteris, tum sermonibus idem cognovisse. Quamobrem Reverendissimæ Dominationi Vestræ magnopere auctor sum, ut se quam diligentissime Sanctitati Suæ per literas primo quoque tempore purget, et quod suæ fidei constantiæque est, mihi jam promissa persolvat, hæreticorumque conversioni eo studio, eaque cura incumbat, ut susceptam superiori facilitate non sapienter maculam sapientiori consilio modo tollat atque eluat, peccatumque illud palam corrigat, quod publice admissum est. Hoc autem commodissime atque elegantissime efficiet, si fratris filiam, quæ in sua manu est, atque eum, cui proxime desponsa est, Nobilem adolescentem utrumque a veræ pietatis cultu, et a Sancta Catholica Religione temere, ut audio, aberrantem, priusquam connubio jungantur, in rectum colendæ religionis studium auctoritate sua traduxerit, et Ecclesia Dei reconciliaverit;

quod ut serio faciat, non mea tantum, quam Reverendissimæ Dominationis Vestræ causa vehementer etiam atque etiam opto atque oro. Opto Reverendissimam Dominationem Vestram in Domino semper bene valere. Varsaviæ die 2. Junii 1580.

Revmæ Dominationis Vestræ etc.

Jo. Andreas Episcopus Brittnoriensis,
Nuncius Apostolicus.

At Præsul Cracoviensis neque humanissimis litteris Pontificis, neque gravioribus Nuntii permotus, tantum abfuit, ut ab incœpto destiterit, ut sui muneris oblitus, omnique timore Dei abjecto, Cracoviæ die D. Petro Apostolorum Principi sacra in suis ædibus, se præsente, Præpositum Muchoviensem, nequissimum simoniæ labe contaminatum hominem; illi connubio ritu catholico benedicere jusserit. [*] Eo porro amentiæ vel impietatis processit, ut puerum Comitis Podoski Capituli Cracoviensis Præpositi, a quo Pontificis et Nuntii Apostolici litteræ redditæ sibi fuerunt, suis ipse manibus male habere non dubitaverit. Quibus cognitis, strenuus quidem vir, Nuntius Apostolicus, veritus, ne si excommunicationis sententiam, præsertim contra Præpositum et Episcopum proferret, gravius quid contingeret, consultius censuit usque adeo supersedendum, donec Romanus Pontifex, quæ hac in re essent agenda, statuisset. Veruntamen ne res tam tristis exempli latius contactu suo manaret, cæterosque inficeret, illas Pontificis litteras, quibus impia istius facta reprehendebantur, ad omnes regni Episcopos misit.

[*] Rationes document. § 27.

XLVIII. — Dum Episcopus Cracoviensis in sua pertinacia perseveraret, Joannes Zamoiskius regni Cancellarius, belliquc Præfectus, simili in causa insigne pietatis exemplum dedit. Annuerat, ut soror sua nobili cuidam juveni hæretico sine Romani Pontificis dispensatione nuberet. Eam ob rem graviter reprehensus ab Episcopo Plocensi, eidem ingenue fatetur per errorem se lapsum esse, ac præterea pollicetur se nihil prætermissurum, ut in posterum pietate et observantia legum Ecclesiasticarum culpam commissam emendet et eluat. [*]

[*] Polonia Vol. 17 fol. 283.

Reverendissime Domine, Amice Observandissime.

« Ex iis litteris Reverendissimæ Dominationis Vestræ, quæ me absente in aulam allatæ sunt, intellexi desponsationem sororis meæ cum Domino Dzialinio, Præfecto Brodnicensi, aliorsum accipi, quam vellem, et cum contemptu Sanctæ Ecclesiæ conjunctum fuisse interpretari. Qua quidem in re quidquid erroris accidit, id haud quaquam a contemptione aut alieniore a pietate erga Sanctam Ecclesiam studio profectum fuisse, pro mea rectissima conscientia vere affirmare possum. Equidem cum primum isti matrimonio assensum meum accommodarem, hoc spectabam sperabamque maxime, adolescentem nobilissimum atque optimo cæteroquin animo, commodissimisque moribus præditum, ad Ecclesiæ Catholicæ cultum adductum iri; quod etiam nunc futurum omnino confido, dum illum jam propendentem video: sed cum istud subito fieri non posset, et in hoc nostro et horum temporum graviore statu, ut multarum rerum, ita primariæ hoc in regno Comitum Gorcanorum familiæ rationem aliquam habendam esse judicaretur, accederet etiam magna nuptiarum properatio in ipso occupationum plenissimo exitu Comitiorum, error serius, atque adeo tum primum animadversus est, cum vitari jam non posse videretur: de quo si ego in tempore admonitus fuissem, aut ea de re maturius Revmo Domino Legato Apostolico constitisset, quoquo modo fecissem, ne qua præbita fuisset gravius ulciscendi occasio. Sed spero eam offensionem facile refellet meus perpetuus Ecclesiæ Catholicæ cultus, pro quo prælia quotidie sustineo, et gravia plurimorum odia inimicitiasque suscipio. Et tamen errorem illum ita ut dixi ortum, pro mea erga Sanctam Ecclesiam pietate libenter profiteor, et omni genere pœnitentiæ luam, majoreque in posterum cura omnibus in rebus rei Ecclesiasticæ consulendi compensabo; quod Reverendissima Dominatio Vestra de me certo omnibus poterit polliceri. Hoc ego de ea re, pro meo animi dolore, quem ista ex suspicione permagnum accepi, scribere ad Reverendissimam Dominationem Vram volui: quam diutissime bene valere exopto. Datum Vilnæ die XII. mensis Junii anno Domini MDLXXX.

XLIX. — Instauratio regularis disciplinæ apud Claustrales, et in primis apud Cistercienses, auspice Nuntio Apostolico, felices lætosque progressus in dies habebat. Hæc ea de re Visitator hujus Ordinis Nuntio scribit. [*]

[*] Polonia Vol. 17. fol. 380.

Illustrissimo et Reverendissimo Domino Episcopo Brittonoriensi, apud Serenissimum Poloniæ Regem Nuntio Apostolico, Domino meo Observandissimo.

Illme ac Revme Dñe mi Observandissime.

« Magno me afficit honore Illustrissima et Reverendissima Dominatio Vestra, quæ suis ad me XI. Maji literis meas sibi gratas fuisse scribere dignatur. Ita ei placet monasticam nostram rusticitatem interpetrari. Ex eodem charitatis suæ fonte procedit etiam, quod exitum hujus nostræ Congregationis se avide expectare dicit. Is quidem fœlicius cessisset, et mea in eo quantulacumque diligentia non tantum aucta, verum etiam prudentius directa fuisset, si Illustrissimæ et Reverendissimæ Dominationis Vestræ cum sapientissimis suis consiliis authoritas accessisset. Quod sane ipsi Congregationi, et maxime mihi perutile ac honorificum semper judicavi. Sed in ea deliberatione acquiescere me opor

tuit, eorum infirmati, quos præsertim hac prima vice invitare potius quam terrere debui. Spero tamen cum Dei gratia, exitum ipsum non multum a sanctissimis ejus optatis recessurum, si Abbates fecerint, quod sancte promiserunt. Nam undecim qui jam receptu habitu regulari interfuerunt, quæ ad institutam in monasteriis suis reformationem continuandum ac stabiliendum secundum nostri Ordinis regulam, statuta laudabilesque consuetudines necessaria sunt, et a me per articulos illis oblata, se servaturos facturosque, ut a religiosis suis serventur, sub certis pœnis et pro transgressionum qualitate gravissimis receperunt, constitueruntque de competenti religiosorum numero in unoquoque monasteriorum, pro cujusque facultatum quantitate, brevi habendo, ac postea semper retinendo. De Seminario, in quo juniores professi bonis moribus ac literis instruentur, deque cæteris, quæ si fiant, paulatim disciplina nostra regularis reflorescerct. Reliquum ergo erit, ut eorum omnium bona sequatur executio, quam nunc omni studio et diligentia qua potero prosequar, et in hac secunda visitatione, quam in monasteriis Prussiæ sum aggressurus, curabo, ut firmum aliquod ipsius executionis extet principium. De iis omnibus fusius cum Illña et Rña Dominatione Vestra communicabo, et quid me hac visitatione peracta facere velit, ex ea intelligam, si scire potero, quo loco eam convenire debeam, prout vehementer opto. Nam præter id scit mihi sponsam datam fuisse, quam curare debeo, sic tamen ut propterea huic officio meo deesse nolim. Videbit etiam ex ea, quæ cum præsentibus est, copia duorum Brevium Suæ Sanctitatis, quæ Generalis noster nuper ad me misit, mihi quoque committi visitationem monasteriorum nostri Ordinis in Cæsaris ditionibus. De qua tamen nihil nisi ex Illustrissimæ et Reverendissimæ Dominationis Vestræ jussu ac judicio constituere vellem. Quando enim semel me ejus fidei ac clientelæ commisi, in tanti momenti rebus ut mihi dux et author esse, ac si consultum ei videatur visitationem illam a me debere suscipi, ad Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Nuntium apud Cæsaream Majestatem, ut exemplo Illustrissimæ et Reverendissimæ Dominationis Vestræ facultatem ad id necessariam mihi obtineat, scribere, suasque ea de re literas ad me Posnaniam mittere velit, humillime supplico. Sane cum sua erga nostrum Cisterciensem Ordinem merita hoc recentiore cumulabit, tum etiam eos, in quos ipsius visitationis fructus, si quis futurus est, redundabit, sibi plurimam devinciet, et me magis ac magis, quem tot singularis suæ benevolentiæ favoribus ornaverit. Quæ beneficia servitiis meis omnibus semper recognoscam, Deumque rogabo, uti nunc supplex facio, ut ea omnia Illñæ et Reverendissimæ Dominationi Vestræ in præsenti futuraque vita copiosissime refundat. Ejus manus humillime exosculans officia mea quam reverenter possum ei offero, et quod Abbates nostri hic congregati a me petierunt. Ipsos eorumque monasteria continuæ suæ protectioni ac benevolentiæ commendatos ut habeat pari cum reverentia supplico. Ex Monasterio Vangrovicensi 25 Junii 1580.

Illñæ et Rñæ Dominationis Vræ
Humillimus ac Obñms Servitor
FRATER EDMUNDUS A CRUCE A. CASTELLIONIS
ET CISTERCIENSIS COMMISSARIUS.

Eadem fere nunciat Cardinali Morono, totius Ordinis Cisterciensis patrono: cui significat etiam, se ab Episcopo Posnaniensi impediri, quominus denuo ejus Diœcesis monasteria perlustret. [*] [*] Polonia Vol. 17. fol. 310.

Illustrissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Morono Sacri Collegii Decano, Meritissimo Nostri Cisterciensis Ordinis Protectori Vigilantissimo, Domino meo Observandissimo.

Illustrissime et Reverendissime Domine, Domine mi Observandissime, et Protector noster Observandissime.

« In visitatione monasteriorum nostrorum Cisterciensis Ordinis in Polonia, quanta potui cum diligentia et studio versatus sum hactenus. Nunc autem fructus, si qui ex ea proveniunt, Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationi Vestræ tanquam primario præcipuoque authori ac Domino debentur. Proinde illos in codicillis descriptos, ad eam mitto, ac cum omni reverentia offero. Sunt quidem illi diversi generis. Nam alii jam producti, alii expectandi, alii etiam qui spinis quibusdam exortis suffocantur. Primi etsi pauci sunt ac tenues, ex iis tamen terræ mihi commissæ, quæ superiorum temporum vitio diu jacuit inculta, non inutilem omnino fuisse præsentem culturam facile colliget. Saltem eam non esse sterilem, aliquod erit argumentum. Qui vero futuri sunt, Dño Deo incrementum præbente, spes est, eos fore uberiores. Videbit enim Illustrissima et Reverendissima Dominatio Vestra, quæ Abbates pro sua suorumque reformatione communi consensu statuerunt, ac servanda sancte susceperunt. Ea sunt velut melioris frugis semina, quæ si ad optatam maturitatem pervenerint, suaviores fructus pietatis ex hoc suæ disciplinæ regularis agello Illustrissima et Reverendissima Dominatio Vestra percipiet. Ejus prudentissimo judicio ac censuræ subjiciuntur, in eis mutet aut adimat quæ non convenire, addat vero quæ conducibilia salutariaque judicaverit. Sic limata ac confirmata, si ei videbitur, poterunt aliquot imprimi exemplaria, ut non modo his monasteriis, sed aliis etiam usui esse possint. Nam licet in claustris cum claustralibus recludi deberent, ta-

men difformationis antea publicæ reformatio modo publica multos ex prioribus impuritatibus scandalizatos ædificaret, aliis autem, qui non minus iisdem remediis indigent, communicari ac prodesse possint. Superest de spinis illis, quæ nascentia ipsius reformationis germina opprimunt; sed id plenius intelliget tum ex informatione super impedimento mihi a Reverendissimo Domino Episcopo Posnanensi dato, ne suæ Diœcesis monasteria iterato visitarem, tum etiam ex supplicatione, quam ad Illustrissimos et Reverendissimos Dominos Cardinales Congregationis Concilii Præsides ut dirigerem, Reverendissimus Dominus Nuntius Apostolicus me monuit. Verum de ea supplicatione, deque impedimento illo, ac de cæteris illis omnibus aliud nihil fiet, quam quod Illustrissima et Reverendissima Dominatio Vestra constituerit. Tantum autem confidunt præcipui Abbates nostri de singulari Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ protectionis ac tutelæ præsidio, ut tanquam pervigil et attentus familiæ hujus Cisterciensis Paterfamilias, sui favoris oculos ab eis nunquam sit aversatura. Ipsi vicissim per me pollicentur, se inquantum poterunt agros fertiles imitaturos: non quod possint plus ei reddere, quam ab ea acceperint, facturos tamen, ne ullis ingratitudinis tribulis obsiti videantur. Ego vero quod unum possum, eos officii sui monere, adhortari, urgere etiam non desinam, nec quicquam prius de meis ad id conatibus remittam, quam deputatus fuerit, qui institutum opus virilius meliusque, quam ego possim, persequatur. Dum autem Illustrissimæ et Reverendissimæ Dominationis Vestræ mandata super iis omnibus expecto, Deum Optimum Maximum precor, ut ad Ecclesiæ suæ continuum ornamentum nostrique Ordinis præsidium eam servet incolumem, cujus venerandas manus reverentissime deosculor. Varsaviæ vi. Octobris MDLXXX.

Illmæ ac Revmæ Dominationis Vræ
Humillimus Servitor
FRATER EDMUNDUS A CRUCE A. CASTELLIONIS CISTERCIENSIS COMMISSARIUS IN POLONIA.

L. — Laudandi item sunt Patres Augustiniani, qui in idem alacriter nitebantur; seque ad sanctioris vitæ instituta redituros Nuntio Apostolico profitebantur. [*]

[*] Polonia Vol. 17 fol. 306.

Illmo et Rmo D. D. Jo. Andreæ Dei et Apostolicæ Sedis Episcopo Brittonoriensi, ad Serenissimum Poloniæ Regem a Latere Nuntio, Domino et Patrono Clementissimo, Warschoviæ.

Illustrissimæ Dominationi Vestræ plurimam in Domino salutem optamus.

« Admonitionem Illustrissimæ Dominationis V. grato accepimus animo, et eum, quem Illma D. V. præfecerat nobis, amplexi sumus, et tanquam filii obedientissimi mutuo observavimus, statuentes in posterum rectius vivere, moresque compositiores habere, totamque religiosam, ut decet, ducere vitam. Sed quia a Capite Ordo dependet, elegimus secundum conscientias nostras Reverendum Patrem Simonem Moisevium Sacræ Theologiæ Doctorem, Vicarium Generalem in Provincialem nostrum; resistebat quidem multum, et rogabat nos omnes, ut ab hoc onere esset liber; ultimo tamen precibus nostris victus concessit locum. Nunc etiam ut Illustrissima Dominatio Vestra admonest, obsecramus, ut cœptum peragat opus, et ea quæ honorem Dei, Ecclesiam suam Sanctam et Religionis ornamentum afferunt, disponat. Speramus enim, adjuvante Deo, in brevi nos erecturos, et pristinum splendorem consecuturos. Valeat in Domino Illustrissima Dominatio Vra, nosque tanquam filios obedientissimos solito prosequatur amore. Datum in Casimiria Cracis ex Conventu Sanctæ Catherinæ prima die Julii 1580.

Illmæ Dominationis Vestræ
Filii obedientissimi
Deffinitores Capituli Ordinis Divi Augustini
PATER STANISLAUS CANCIUS DEFINITOR — PATER AMBROSIUS DEFINITOR — PATER CHRISTOPHERUS CONRADI DEFINITOR — PATER FRANCISCUS ZABEZIUS DEFINITOR.

LI. — Præstantissimus Culmensium Præsul summam sibi laudem comparavit, quod nulli parcens curæ, nulli labori, hæreticos homines eosque minime multatos Culmensi civitate excedere coegerit, atque eorum plerosque, ejurata hæresi, in Ecclesiæ Catholicæ fidem restituerit. Cujus rei, quod ex votis successerit, magnam se Nuntio Apostolico partem debere scribit; eidemque nunciat, se in teterrima urbis peste valde morbo tentatum jam convaluisse. [*]

[*] Polonia Vol. 17 fol. 336.

Reverendissimo in Christo Patri, et Domino Domino Joanni Andreæ Caligario Episcopo Brittonoriensi, et ad Sacram Regiam Majestatem Poloniæ Nuncio Apostolico, Domino Fautori Observandissimo.

Revme in Christo Pater et Domine, Domine fautor observandissime.

« Revertente isthuc familiari Reverendissimi Domini Procancellarii, et ad me deflectente, religionem quandam duxi, nihil ad Reverendissimam Dominationem Vestram dare litterarum, præsertim cum vel unicum argumentum occurreret, quod spero maxime Reverendissimæ Dominationi Vestræ gratum esse futurum. Significaveram quidem antea Reverendissimæ Dominationi Vestræ, quod mihi certamen esset cum hæreticis Culmensibus institutum. Id varia et mutua contentione eo tandem perductum est, ut cedere et e Culmensi civitate exire impii homines coacti fuerint. In his autem Nobilis quidam vir et clarus Georgius Raczinievius, cum

multum diuque frustra repugnasset, cum sui similibus hæreticis ex ea civitate demigravit. Nec tamen multi, sed perpauci, et ii duobus exceptis ex infima fece plebis excesserunt: reliqui abjurata hæresi Catholicam sunt alacriter fidem complexi. Ita quod Deus Optimus Maximus perpetuum esse velit, perpurgata ea civitas ab hæreticorum monstris libera jam et immunis est. Quod quidem ego secundum Deum Rmæ Dominationi Vestræ maxime acceptum fero, quæ non solum ad eam rem aggrediendam perficiendamque consilium mihi impartivit suum, verum etiam eos stimulos et quasi faces quasdam admoverit, ut scelus esse judicarim, tam salutare consilium, tamque salubria Rmæ Dominationis Vestræ monita ulla ex parte negligere. Quæ quia nobis tam fœliciter successerunt, ab Reverendissima Dominatione Vestra peto, ut pro sua pietate hanc sollicitudinem meam et benevolentia et gratia sua prosequatur. Magnifici Palatini Sandomiriæ et Pomeraniæ Lubaviensem Præpositum negotiorum eorum caussa, quæ etiam Reverendissima Dominatio Vestra illic promovit, in Gallias allegarunt, nihil omnino illo belli domestici incendio deterriti; cupiunt enim vel saltem scire, quid Rex animi habeat, velitne illis, an omnino recuset satisfacere. Pestis hic non paucis in locis grassatur, et quidam etiam plane communis et vulgatus morbus invaluit, qui vix neminem non tentat, et me ante paucos dies non mediocriter afflixit; sed jam per Dei gratiam optime valeo. Cupio item et Deum Optimum Maximum oro, ut Reverendissima Dominatio Vestra quoque quam pulcherrime valeat, cujus etiam gratiæ me, ac promptissima paratissimaque obsequia mea studiosissime commendo. Datum Lubaviæ penultima Octobris anno Domini 1580.

Revmæ Dominationis Vestræ

Addictissimus et obsequñus servitor

Petrus Costka Episcopus Culmensis.

LII. — Neque deerant hæretici, qui alicubi divinis humanisque juribus violatis, in Catholicorum templa debaccharentur, quidquid in iis sanctissimum esset, per horrenda sacrilegia pedibus protererent. Quod et ingenti omnium offensione atque adeo indignatione Wlosczowæ in Diœcesi Gnesnensi accidit; quamobrem Rex Sendomiriensi arci Præfecto mandavit, ut sua auctoritate efficeret, tam horrendi flagitii auctor intelligeret, se rem ausum esse, quæ et Regi vehementissime displicuerit, et Dissidentium de religione fœderi repugnarit. (*)

(*) Polonia Vol. 17. fol. 261.

Stephanus etc.

« Magnifice, syncere nobis dilecte. Cum ex literis Reverendissimi in Christo Patris Domini Jacobi Uchanski Archiepiscopi Gnesnensis, Legati nati et Regni nostri Primatis, tum ex autenticis jurejurando testimoniis magno cum dolore intelleximus, quam horrendum et abominabile facinus Nobilis quidam Martinus Cresa, proximis præteritis feriis Paschæ, in oppido suo Wlosczowa perpetraverit. Sic enim accepimus eum, in societatem sibi adjuncto Simone quodam, uti fertur, Synceritatis Vestræ ministro concionatore, ipso die Paschæ templum populo ad Dei laudes veteri Catholico more congregato refertum, non sine tumultu ingressum esse, et templum quidem ipsom omnibus ornamentis nudasse ac despoliasse. Sanctam vero Eucharistiam in conspectu innocentis populi in terram abjectam, partim pedibus protrivisse, partim canibus disjecisse, magno fidelium hominum scandalo. Detulit hoc quidem ad nos Reverendissimus Dominus Archiepiscopus, quod ea res in sua Archidiœcesi facta aut potius designata sit. Verum nos ad tanti facinoris immanitatem vehementer exhorruimus, neque præterire potuimus, quin ad Synceritatem Vestram ea de causa scriberemus, tanquam ad Senatorem nostrum loci et authoritatis Primarium, atque loco illi, ubi hoc factum est, vicinum, et cujus prudentia et moderatio nobis aliis in rebus perspecta sit, etiam in ea re tanti momenti animum nostrum illi testaremur. Hoc sane facinus multis de causis ejusmodi est, ut nihil æque possit cum tanta ejus indignitate comparari, ac in primis facile videt Synceritas Vestra, hoc facto ejus confœderationem dissidentium de religione violatam esse, cum ab ipso ita tumultuarie, ut gravioris etiam alicujus stragis occasio dari possit, actum sit. Poterat ille bonus vir tenere quam voluit religionem, sed illudere Deo, nobis, legibus, toti patriæ et publicæ morum honestati, et pietati simplicium hominum, et rem velut ex instituto ad tumultum deducere, conari non debebat. Qua de re protestandum est, ne postea quam ad nostram noticiam ea res pervenit, eam silentio prætereuntes illius approbatores quodammodo esse videamur, atque utinam de illa non intellexissemus, aut potius utinam in Regno nostro nunquam facta fuisset. Habet animum nostrum Synceritas Vestra perspectum. Faciat pro sua auctoritate, atque erga nos studio et fide, ut id is homo intelligat, quantopere nobis factum ipsius displiceat, atque utinam non brevi experiatur, quantopere Deo ipsi displiceat. Bene valeat Synceritas Vestra. Datum Vilnæ die x. Junii anno 1580. Regni quinto.

Stephanus Rex.

LIII. — Ut res belli Moscovitici paucis complectar, hæc erunt satis. Magnus Moscorum Dux amicitiam cum Poloniæ Rege se simulabat initurum, simul ac novas belli artes copiasque parabat: cujus rei Palatinus Smolencensis Magnum regni Cancellarium admonebat. (*)

(*) Polonia Vol. 17 fol. 11.

Illustris et Magnifice Domine etc.

« De rebus, quæ ad Smolencham gerantur,

Magnificentiam Vestram certiorem reddendam putavi. Hostium ex duodecim munitionibus magnus est auctus numerus, quorum Dux Joannes Ozarow Palatinus est. Horum qui bello apti esse viderentur, quatuor millia in arce Smolencha recensentur. Cæterum Mikita Romanovius cum ampliori exercitu affuturus speratur. Magnus etiam Dux triginta campestria tormenta ad præsidium arcis misisse, et iis tormentis novum vallum muniro jussisse fertur; nam ad festum trium Regum certo nostrorum exercitum adventurum sperant; neque enim Kozaci horum pactorum per literas Magnifici Magni Ducatus Lithuaniæ militum præfecti generalis publicatorum rationem habentes, quiuino ex proximis finibus numerosis turmis in hostiles ditiones populabundi excurrunt, Orsanensibus et milite mercenario (Magnifico Domino copiarum præfecto prohibente) solummodo exceptis. Ego et alii Duces Centuriones pacta hæc inviolata conservamus, hoste tamen minime confidente, ac in dies sese muniente. Hoc illi tantum desideratur, difficulter eum militem conscribere posse, auro etiam et argento (ut perhibent) militarem hominem ponderaret. Auxilia hucusque etiam ex remotioribus ipsius Hunlis, et regionibus expectantur, in quibus parvam, ac ue iisdem quidem, quos a suo habet latere, integram spem ponere videtur. Filii etiam cum patre minime concordes, prout id mihi est indicatum, quod Deus Optimus Maximus in ipsius ignominiam perpetuam convertere dignetur. Theodorus filius ipsius, cui non pauci Moschoviticæ Nobilitatis adhærent, paternæ tyrannidis sævitiam, et rerum omnium confusionem (post tam insignem huic hosti illatam cladem) amplius dum ferre non potest, ad Sacram Regiam Majestatem sponte venire in animu statuisse fertur, et Smolenchæ affuturus speratur. Hic igitur si aderit, providendum erit diligenter. Ego meis exiguis attritis facultatibus, unde postea res petatur, plane dubito, quanquam ipsius Smolencham adventus varie accipi debet. Quæ omnia melius Magnificentia Vestra pro sua industria perpendet et æstimabit. Præfecti militum Regiæ Majestatis, me equites et pedites pro excubiis, et præsidio exercitus habere volunt, cum non sit unde illis persolvatur stipendium. Id etiam Magnificentiæ Vestræ significandum esse duxi, Magnum Ducem certiorem factum, hæc noviter extructa valla circa Smolencham arcis munitionibus minime esse profutura, cujus rei gratia Germanum quendam, ejus artis bene peritum, ablegaverat, qui dum illa valla obequitans circumiret, et obticens caput moveret, ad Magnum Ducem confestim properavit. Hæc itaque valla diruenda esse sperant, quod ne fiat, Deus Optimus Maximus prohibeat; omnes enim exploratores, et ipsi denique Mosci ad me venientes ea valla, quæ nullo negotio vel primo impetu possunt occupari, facile munitiones paratas Regias futuras, unanimi voce fatentur. Datum Orsæ 4. Januarii 1580.

LIV. — En ipsius Magni Ducis ad Regem Poloniæ de pace tractanda litteras confidentissimo refertas astu. [*]

[*] Polonia Vol. 17. fol. 97.

« Nos Magnus Dux Joannes Basilii totius Russiæ, Wlodsimiriensis, Moschoviæ, Novogrodensis, Smolenscensis, Twirski, Inhorski, Permski, Wiaczki, Bolharski etc. Stephano Dei gratia Regi Poloniæ et Magno Duci Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Samogitiæ, Masoviæ, Principi Transilvaniæ etc. Quod superioribus diebus ad nos misisti Internuntium Venceslaum Lopaczinski, per eundemque remisisti nobis literas nostras, in quibus nos, præsentibus tuis Nuntiis, Sanctam Crucem deosculati sumus, tuasque simul literas injecisti, in iisdemque nobis scripsisti, qua de causa potissimum inter nos fœdus istum, et juramentum Nuntiorum tuorum in nihilum redactum est. Interim nos equum ascendimus, et tu quoque tuum ascendisti, tuus etiam Internuntius Venceslaus in nostram patriam venit Smolenscum; nos vero tunc temporis in patrimonio nostro in Pskowo fuimus, ipsique Venceslao longum ad nos iter erat faciendum. Interim quoque bellum inter nos ortum est. Misimus quoque ad eum aulicum nostrum Domnego Baima Wasilowicz et notarium suum Iwanum Philippi filium de Serzeczniowo, ac jussimus apud eundem Venceslaum tuas literas recipere, ut nobis notum sit, quam ob causam ad nos hasce literas misisti: idemque Venceslaus tuus Internuntius aulico nostro præfatas literas reddidit: erant autem in illis scripta, animo deliberato, quo inter nos fœdus distractum est, verba intollerabilia ac minus decentia, quod quidem nou admodum spectabat. Postmodum vero nostri Bojari a nobis humiliter postulabant, ne amplius Christianorum sanguis effunderetur, ut consentiremus illis, ac cum tuis Consiliariis convenire ac pacta inire possimus, ut iidem Consiliarii te ad ea reducerent ac persuadere velint, ut etiam pacem desideres, effusioque sanguinis Christianorum absit; prout nos Christiano more Bojaris nostris cum tuis Consiliariis de pace convenienda polliciti sumus, et omnibus finitimis mandavimus, ut cum tuis omnibus dominiis tranquilliter manerent. Postea vero misisti Internuntium tuum Bogdanum Proszilka cum literis, in quibus ad nos scriptum erat, ut Internuntium tuum Venceslaum Lopaczinski ad te remitteremus, ac simul cum eo literas nostras allegavimus, in quibus scriptum erat ad te, quod Internuntius tuus Venceslaus in Moschovia erat, nos vero in nostro patrimonio in Novogrod et in Pskow fuimus, quam ob causam illum tam cito remittere non potuimus. Cum autem Mo-

scoviam perveniemus, statim tuum Internuntium remittemus ad te. Habentes autem propensam animi voluntatem ad pacem ineundam iu iis literis scripsimus, ut nobiscum fraternum amorem, singularem amicitiam, bonamque vicinitatem desideres, simulque literas salvi conductus eidem Internuntio Bogdano dedimus, eundemque itinere solito per nostrum patrimonium Smolenzko ire permisimus. Nunc jam pervenientes ad nostrum dominium Moscoviam, tuum Internuntium Venceslaum ad te remisimus, cum illoque misimus aulicum meum Ielizaro Iwanowicz Blagowa: quod vero in tuis literis expressum fuit per Venceslaum missis, super his nullam mentionem facimus; nam non ad bonum pertinet. Dante vero Deo remittas ad uos Oratores tuos; interim vero Bojaros nostros hac de re certiores faciemus; prout æquum erit pacta et concordiam ineundam curabimus. Tu quoque nunc Christiano more, quem te esse profiteris, desideres pacem Christianam, ac fraternum amorem inter nos habere: secundum literas nostras salvi conductus a nobis missas, Consiliarios tuos quamprimum mittere non prætermittas, qui hoc negotium inter uos facillime componerent; ut etiam similiter mandares in omnibus locis finitimis tam in Regno Poloniæ, quam in Ducatibus Lithuaniæ, Livoniæ, ne bellum denuo suscipiant, et in pace tranquillitateque vivant. Similiter nos quoque in omnibus finitimis locis et in Livonia cum Regno Poloniæ ac Magno Ducatu Lithuaniæ severe præcepimus, ut in pace et bona vicinitate fraternoque amore maneant. Nostrumque aulicum Ielizarum non retinendo ad nos quamprimum transmittas. Datum in nostro Dominio Grodu Moschoviæ anno a Creatione Mundi 7088. die 6. Januarii, Regni nostri 46. Domininrum vero nostrorum Rosicensis 32. Kasanensis 28. Astrahanensis 25.

Habeas alteras ejusdem litteras, quibus de redemptione vel permutatione ex utroque exercitu captivorum agit. (*)

(*) Polonia Vol. 17. fol. 99.

« Nos Magnus Dux Joannes Basilii totius Russiæ, Wlodimiriæ, Moschoviæ, Novogrodensis, Czar Kasanensis et Czar Astrachensis, Dñus in Pskow, et Magnus Dux Smolenscensis, Twerski, Boruski. Persmski, Wiacski, Bolcharski etc. Stephano Dei gratia Regni Poloniæ ac Magno Duci Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Livoniæ, Massoviæ, nec non Principi Transylvaniæ etc.

« Cum casu quodam nostri Palatini, cæterique multi homines ad manus et in potestatem tuam pervenerunt, igitur nunc a te summopere petimus, ut nostri causa id efficeres, quemadmodum homo Christianissimus, ut nostros istos Palatinos ac omnes homines captivos in reemptionem et in commutationem mutuam dares juxta cujuscunque statum, dignitatem atque conditionem, ne miserrimi fame pereant, et ut nostro aulico Ielizaro Iwanowicz Blagowa mandes, eorum nomine ad nos literas dare, qui ex illis remanserunt, et ut cum eis, si fieri potest, sermonem habeat præsentem, permittas. Hoc autem ut nostri causa facias, istos nostros captivos in reemptionem ac commutationem jubeas, qui unus alio esset consimilis. Tuos autem captivos, qui in uostra potestate sunt, jussimus illos ad nos in unum locum deducere, paratosque habere, ut postquam tu nos ea de re certiores facies, tum nos permutationem mutuam tuorum subditorum cum nostris faciendam præcipiamus. Deinde etiam ut nostro aulico Ielizaro Iwanowicz Blagowa permittas, tuorum captivorum literas, nostris etiam captivis literas perferendas ad suos cognatos liberum et licitum sit. Quod quidem minime dubitamus, ea omnia te libenter uostra causa facturum. Erit id nobis gratissimum, si a te quod cupimus, auferemus; quod quidem etiam homini Christiano conveniet, si literis tuis ad uos de iis omnibus significabis. Datum in Ducatu nostro Dworze Arcis Moscoviæ anno a Creatione Mundi 7088. die 6. Januarii, Ducatus nostri 46.

LV. — Verumtamen prudentem sagacemque Regem hæ Mosci artes nec latuerunt, nec fefellerunt, ut patet ex iis, quæ ad Magnum regni Cancellarium scripsit. (*)

(*) Polonia Vol. 17. fol. 71.

« Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Princeps Transylvaniæ.

« Magnifice, syncere, nobis dilecte. Cum Boczki appulissemus, rediit ad nos Lopaczinski Internuntius noster ex Moscovia, qui eas literas, quas Synceritati Vestræ mittimus, a Magnifico Palatino Vilnensi nobis reddidit: ex quo nihil fere aliud intelleximus, quam ea quæ nobis perscripta sunt. Nam a Tyranno Drohobusum relegatus, atque fere ad festa Natalis Domini ibi in arcta custodia habitus fuerat, ubi quantum per custodes licuerat, non vulgari diligentia adhibita cognovit, Moscum, audita expugnatione Polocensi, perturbatum fuisse, atque pro festo Natalis Moscoviam, quo etiam Lopaczinski Drohobuso quatuordecimo usque die deductus erat, ingressum fuisse. Præterea hoc satagere, ut exercitum numerosum ex Tartaris Cazaiuis conscriberet, qui ut Lopaczinski relatum est, pauci expectantur, præsertim cum rebellionem contra ipsum moliantur. Cum autem ab eo expediretur, hoc responsum illi datum est, illum liberum ad nos redire jubere, Internuntiumque suum addere, qui nomine suo literas nobis redditurus est. Addit etiam se intellexisse, Moscum per hunc Internuntium suum pacem a nobis postulare, flagitareque, ut Oratores nostri ad eam tractandam ad illum mittantur. Hæc sunt, quæ ex Lopaczinski accepimus; si quid dein-

ceps ad nos novi inde perlatum fuerit, Syuceritatem Vestram certiorem faciemus, quam bene valere cupimus. Datum in Boczki die XXII. Februarii anno Domini MDLXXX. Regni vero nostri anno quarto.

Rex tandem indignatus subdolas Mosci artes Senatoribus regni aperuit; eosque ad continuandum bellum sibi præsto futuros confidere scripsit. [*]

[*] Polonia Vol. 11. fol. 101.

« Magnifice, nobis dilecte. Qusudoquidem ita visum est Dominis Senatoribus, qui tum ad nos venerant, ut Internuntium Moschorum Eliasarum Blagoha primo quoque tempore audiremus, latere Sinceritatem Vestram noluimus, 12. die Martii, potestate nos adeundi Grodnæ illi data, binas literas, in quibus præter consuetudinem suam titulum Livoniæ Ducis et Polocko omittit, ab eo recepisse. Primis quidem uos invitat, ut ad tractandam pacem oratores nostros ad eum mittamus; alteris, ut captivos nostros Moschos vel permutatione vel pretio in propria dimittamus. Verumenimvero cum proxime præteritis Comitiis, consensu omnium Senatorum accedente, quod Sinceritas Vestra bene meminit, ea deliberatio ita definita sit, ut nullum oratorem nostrum in negotio pacis in Moschoviam mittamus; sed potius ferro cum eo decernamus, ac Deo bene juvante, injuste ab illo Reipublicæ erepta recuperemus: animadvertamusque id cum dignitate nostræ Reipublicæ facere uon posse, ac præterea Moschum id potissimum agere, ut futurum tempus æstatis bello gerendo accommodatum tractatibus extrahat. Internuntium illius absque ulla detentione, ut tanto melius intelligat, nos rem serio agere, omniaque ad continuandum hoc bellum in prompto habere, cum eo responso literis nostris breviter expresso, et ejusdem mensis expedivimus, Nos per DD. Consiliarios nostros illi concessisse, ut si sibi expedire videbitur, oratores suos ad uos de pace tractanda mittat, sin minus, nullam causam uos habere, cur per oratores nostros de pace cum eo agamus. Quod autem ad captivos attinet, cum neminem ex nostris insignem a Moschis toto hoc tempore captum sciamus, credimus uegotium hoc alterius et non præsentis esse temporis. Quare cum Sinceritas Vestra ex literis istius Tiranni, quas præsentibus adjungimus, animadvertat, necessario bellum iis, quibus maxime poterimus, viribus nobis continuandum esse, postulamus ab illa, ut pro suo erga Rempublicam studio, quandoquidem perspectum habet nos pro bono Reipublicæ istius nou modo, quæ possumus, sed etiam ea, quæ nobis charissima sunt, vitam et sanguinem profundere paratos esse, pro sua virili in ea communi patriæ necessitate Rempublicam adjutam esse velit. Dabimus vicissim operam, ut Sinceritas Vestra intelligat, nobis hunc gratificandi illius animum non modo gratum fuisse, sed et benevolentia et gratia nostra Regia, offerente sese occasione, prosequuturos esse. Sinceritatem Vestram bene valere cupimus. Datum Grodnæ die ... Martii anno 1580. Regni vero nostri anno quarto.

STEPHANUS REX.

LVI. — Cujusmodi consilium cum Nuntio quoque Apostolico communicavit. [*]

[*] Polonia Vol. 17. fol. 108.

Reverendissimo in Christo Patri Domino Joanni Andreæ Caligario Britonoriensi Episcopo, ac Sanctæ Sedis Apostolicæ Nuntio, Sincere Nobis Dilecto.

« Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazoviæ, Samogitiæ, Princeps Transilvaniæ.

« Reverendissime in Christo Pater, sincere nobis dilecte. Quod Sinceritas Vestra ea, quæ ex Italia habuit, nobis communicaverit, pergratum nobis accidit. Latere quoque Sinceritatem Vram nolumus, Moschi Consiliarios Internuncium suum ad Senatores nostros, non expectato prioris, quem non ita pridem Grodna expediveramus, ad eum reditu, misisse, atque jam Wilnæ adventum Senatorum operiri. Quare cum tam frequentes Iuteruuncii ab eo commeent, existimamus res illius quodammodo vel in angusto esse positas, vel tempus bello idoneum tractatibus extrahere velle; sed nos nihilominus, Deo propitio, inceptum bellum continuare statuimus. De iis autem, quæ iste Internuncius adferet, Sinceritatem Vestram certiorem faciemus, quam bene valere cupimus. Datum Grodnæ II. Aprilis anno Domini MDLXXX. Regni vero nostri anno quarto.

STEPHANUS REX.

Quum varii rumores metum Nuutio Apostolico injecissent, Rex eumdem confirmat metuque liberat; precaturque insuper, ut quod superiori fecerat, hoc etiam anno ne prætermittat, pro felici nimirum armorum successu publicas in universo regno supplicationes indicere. Addit præterea Moscum ad bellum extrahendum summopere eniti, se vero nihil morari, quominus equum conscendat. [*]

[*] Polonia Vol. 17. fol. 273.

Reverendissimo Joanni Andreæ Caligario Episcopo Britonoriensi, ac Sanctæ Sedis Apostolicæ Nuncio, Sincere Nobis Dilecto.

« Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazoviæ, Samogitiæ, Princeps Transilvaniæ.

« Reverendissime, sincere nobis dilecte. Redditæ sunt nobis Sinceritatis Vestræ literæ, ex quibus intelleximus Sinceritatem Vestram illa, quæ vario rumore ad eam delata sunt, altius cordi infixisse: quare cum omnia non nisi recta faciamus ratione, non est quod hæc tantopere Sinceritatem Vestram afficiant; nam quod et istis diebus quidam ex Nobilitate proditionis deprehensus sit, non miretur Sinceritas Vestra;

universo enim vitæ suæ tempore omnibus flagitiis deditus erat, in quo puniendo summam omnibus videmus promptitudinem. Nos sane consilia et negotia nostra Domino Deo committimus, et speramus illius divinam bonitatem actiones nostras benedictione sua prosequuturam esse. Itaque cum postridie equum nostrum conscendamus, ac hostem nostrum primo quoque tempore aggredi constituerimus, postulamus a Sinceritate Vestra, ut quemadmodum præterito anno pro victoria nostra, ac incolumitate exercitus supplicationes in universo Regno publicaverat, easdem et præsenti tempore indicendas curet. Factura est Sinceritas Vestra rem nobis gratam. Quam bene valere cupimus. Datum Vilnæ die xiii. Junii anno Dñi MDLXXX. Regni vero nostri quinto.

« Nuncius Moscoviæ Ducis heri a nobis publice expeditus, hodie rursus habere se ulteriora mandata, quæ exponeret, dixit: admissus igitur exhibuit literas fidei ejusdem Ducis, penes quas promittebat, dominum suum legatos, ut ipsi dicunt, magnos missorum esse, si interim ab armis abstineretur. Cum autem trahendo tempus nobis amittendum non sit, respondimus, nos quinque septimanis præstolaturos fore adventum Nunciorum, ac interim ab armis ut abstinerent nostris mandaturos. Replicanti illi temporisque brevitatem tergiversanti, ac omnino ne interim equum conscenderemus petenti respondimus, eam profectionem nostram non impedire, imo potius pro(v)are adventum Nunciorum brevitatemque temporis, quod propius in illis oris simus futuri. Atque nunc hactenus, deinceps vero faciat Deus Magnus, quod placitum est in oculis ejus.

Stephanus Rex.

LVII. — Zamoiskius Nuntio Apostolico significat, Regem arma in Moscum illaturum itineri sese dedisse, additque ex Mosci copiis ingentem ab Tartaris multitudinem cæsam fuisse. (*)

(*) Polonia Vol. 17 fol. 230

Reverendissimo Domino, Domino Joanni Andreæ Caligario Episcopo Brotonoriensi, Nuntio Sedis Apostolicæ, Domino et Amico Observandissimo.

Rñe Domine, amice observandissime.

« Cum puer Reginalis Majestatis Varschoviam rediret, aliquid illi litterarum ad Reverendissimam Dominationem Vestram dandum putavi. Regia Majestas progreditur, ut cœpit, versus Czasnicum, inde etiam non cunctando ad fines progredietur. Si quæ hostis legatio venerit, deludi se ac tempus sibi extrahi non patietur, ac sine mora cognoscet, an sua ipsi Moschus reddere velit. Si viderit nolle, sed tantum verbis ducere, non committet, ut cesset. Certis nunciis et aliunde, et etiam ex nobili quodam Moscho ad Wielikolukum capto, qui hodie ad Regiam Majestatem adductus est, Regia Majestas comperit, Tartaros contra Moschum quoque occasione usos esse, Regnum ejus longe lateque populasse, ut ad Colomnam usque arcem xux. milliaribus tantum a Moscha urbe distantem pervenirent. Quo loco cum copias quasdam Moschi obvias haberent, eas ceciderunt. Adversus Regiam Majestatem exercitum Mscislavio et Nicolao Romani ductoribus mittit, qui ad Vielunam collectus esse dicitur. Nec est aliud, quod hoc tempore Rñæ Dominationi Vestræ scribam. Commendo me tandem illius solito amori. Datum ex Horodisliize die 29. mensis Junii anno Domini 1580.

Rñæ Dominationis Vestræ

Studiosiss. amicus servire paratus

Joannes Zamoiski

Cancellarius mpp.

Eadem Palatinus Vilnensis Reginæ refert. (*)

(*) Polonia Vol. 17 fol. 181.

Serenissima Regina Domina,

Domina Clementissima.

« Scribo S. Reginali Maj. Dominæ meæ Clementissimæ, Regiam Majestatem bene sanam et incolumem esse. Certior fiat Majestas Vestra xii. Julii accepisse nuntium Serenissimum Regem, quod dederit Vicegerens Smolescensis ad Dominum Philonem Palatinum Smolescensem eo nomine litteras, significans, Internuntium Magni Ducis Moscoviæ venire ad Serenissimum Regem, prævenientem solemnes legatos. Postmodum 15. Julii venerunt litteræ, adventasse legatos solemnes, quorum nomina hæc sunt Dapifer et Vicegerens inferioris Novogrod Iwan Wasilowicz Syczky auliens, et Vicegerens Solitomiski Romanus Michalowicz Piwow, Diachuma Druzma Pantaki filius. Comitatus vero peditum cum aulicis numerus 500. equorum vero 700. Regia Majestas expectabit exercitum ad feriam quartam in eo loco, postmodum proficiscetur Vitepskum, et ibidem Nuntios Moscoviticos recipiet, ibique prout Deus Omnipotens Suam Majestatem informabit, vel in hanc vel in illam partem negotium totum declinabit. Multitudo magna undique ad Regiam Majestatem militum confluit, quorum adventus præter omnem opinionem Serenissimo Regi arridit. His Reginali Majestati, Dominæ meæ Clementissimæ, humiliter me commendo. Datum 17 Julii 1580.

Vtæ Reginalis Majestatis

Servitor

Ostafius Volovicz D. Vilnensis.

Summa aliarum litterarum.

« Milites Polonos egregie instructos in expeditionem bellicam venisse, ita ut Rex et Ungari rei militaris expertissimi plurimum mirarentur. Postquam exhibuissent sese Serenissimo Regi, excurrerunt magno cum impetu in equis bombardas breviores emittendo. Ad Smolenscum vallum magnum Moschus parari fecit, ad unum miliare cum medio. Sed majori cum utilitate

erit, si ad Vielikoluki Serenissimus Rex proficisceretur, prout jam est constitutum. Post discessum Palatini Polocensis a Smolensco Moschi volebant incursionem facere in Dominia Serenissimi Regis, sed nostri pedites Kosakones illos invasere, et interfecere ad centum Moschos, ita ut nullus evasit: ex nostris unus interfectus, reliqui vulnerati: in summa Dominus Deus nobiscum. Scripsi per Dominum Kobilinzki alias a Tartaris millia Moschorum interfecta esse.

LVIII. — Quot dolis et interpellationibus Moscus Regem morari atque ejus impetus retundere studuerit, quos econtra animos Stephanus ad illud bellum gesserit, ea quæ Zamoiskius Nuntio Apostolico scripsit, plane demonstrant. (*)

(*) Polonia Vol. 17. fol. 391.

Reverendissimo in Christo Patri Domino Jo. Andreæ Caligario Episcopo Bertinoriensi et a Sede Apostolica Legato, Domino et Amico Observandissimo.

Rme Domine, Amice Observandissime.

« Post meas superiores proximas litteras, quas ad Reverendissimam Dominationem Vestram dedi, a Mosco Nuncius cum litteris ad Regiam Majestatem in stativa exercitus, quæ ad Czasniciam habebantur, venit, decima nona Julii die, qua quidem ipsa induciæ, quæ Vilnæ quinque septimanarum hosti concessæ fuere, exibant. In litteris hæc erant: Oratores se mittere Dapiferum et vicesgerentem in inferiore Novogroda Iwanum Sziczki, Jaroslavium aulicum ac consiliarium et vicesgerentem Elatniscium, Romanum Machalscium Piwow, scribam, Tomam Druzinum Pautekiovae filium, eos in finibus ad sextam aut summum quintam decimam Augusti diem futuros esse, postulare se, ut Vilnæ a Rege audiantur. Nam ut in castris aut ullo alio loco, quam ubi sedes Regia sit, Regem salutent ac mandata dicant, consuetudini superiorum temporum morique majorum repugnare: faceret igitur Regia Majestas, et Vilnæ Oratores expectaret. Datum huic subito per litteras responsum est, Regiam Majestatem conservatis induciis Oratores adhuc expectasse: ut Vilnæ eos audiat, id vero integrum sibi non esse, neque se posse magno suorum cum detrimento cum exercitu suo intra ditiones suas diutius hærere. Quod si tamen Oratores accederent, eos se quocumque ad se loco pervenirent, auditurum esse. Hoc nuncio, tali cum responso tantum dimisso, allata altera etiam a Mosco epistola est, qua de Oratoribus suis, quos jam in cursu esse affirmat, eadem perscripsit; de loco autem, quo audirentur, nihil postulavit. Responsum a Rege eandem est in sententiam, cum ad se Oratores pervenissent, quæ dicere vellent, se cogniturum, et si quæ dicturi essent, æquitati convenirent, Regiam Majestatem ea minime repudiaturam, neque ipso in bello ab æquæ fidæque pacis tractatione abhorrere; interea tamen se cum exercitu progressurum, quæque agenda putaret, administraturum esse. Multis se maximisque causis permoveri, cur moram interponere agendis rebus nullam amplius possit, et necessario sibi suspicandum, ne quæ de Oratoribus audiendis scribantur, ea temporis eximendi causa postulentur; quod ne amplius eximatur etiam sibi atque etiam videndum esse. Videret Magnus Moscoviæ Dux, quid sibi de Oratoribus suis faciendum esse existimet, se duo tantum polliceri, quocunque loco ac tempore ad se Oratores accessissent auditum, et si justa dixerint, iis locum apud se relictum iri. Hæc mutuo per litteras hoc tempore acta sunt. Czasnicii cum in Senatu deliberatum esset, quo se Regia Majestas cum exercitu potissimum conferret, duæ potissimum fuere sententiæ, quarum altera Smolensciam, altera Wielikolukam oppugnandam disserebatur; sed itum in illam est, quæ de Wielikoluka dicebatur, ea potissimum causa, quod illo loco arma penitus in hostiles ditiones inferantur, et ex illo et peti et teneri uberrimæ et fructuosissimæ aliæ provinciæ facillime possint, bellum etiam illa in regione cultura et commeatu præstanti commodius geri posse, denique propinquitatem loci, et rerum gerendarum seriem a finibus Regiarum ditionum eo imprimis ducere. Ad Wielikolukam igitur oppugnandam Rex cum exercitu proficiscitur. Ad Dhunam flumen Vitepscio opposita arx hostilis est, quæ Vielissia dicitur, ad eam cum meis copiis, quas hoc in bellum duco, a Regia Majestate præmittor, ut locum oppugnem præsidiaque dejiciam, quod in Dei benignitate situm est. Regia Majestas cum omni exercitu me quinta post die consequi, constitutum habet. Quæ post gerentur, ea Reverendissimam Dominationem Vestram scire faciam, quam bene valere exopto. Datum ex statione mea tribus a Witepska miliaribus die xxvi. Julii anno Domini 1580.

Rmæ Dominationis Vestræ

Studiosiss. amicus servire paratus
Joannes Zamoiski Cancell. mpp.

Neque eo tamen minus Moscus ab spe fallendi Regis depulsus, uno eodemque tempore et bellum gerebat et de pace legatos mittebat. At Rex, qui ad cavendum animum attendisset, et persequendo bello instabat, et in dies magis armorum felicitate utebatur, ut Magni Cancellarii litteræ ad Nuntium Apostolicum datæ testantur. (*)

(*) Polonia Vol. 17. fol. 410

« Jam gratia divina superatis difficultatibus itinerum et sylvarum ab una hebdomada, ad Wielcheluchi pervenimus. Quarta dies est, ex quo tormentis bellicis oppugnatur, in aliquot locis arx jam incensa fuit et ad hoc tempus ardet. Sed dictu mirabile est, quam strenue se defendant, qui in præsidiis sunt. Hesterna die venerunt ad Regiam Majestatem Oratores Moschi, quorum numerus erat cum mercatoribus sep-

tingentorum. Prima vice dixerunt non functuros se officio legatorum, nisi in ditionibus Regiæ Majestatis; verum dum arx arderet, exclamabant, o Deus, ite ad Regiam Majestatem, volomus jam referre legationem nostram; sed legationem illorum nescimus, quo tendat, nihil adferunt præter verborum vanitatem inauditam. Petierunt a Rege, ut in primis restituat Poloczchum, et reliquum quod possidet terræ Livoniæ. Ad hoc responsum est illis, hoc fieri non posse, et satis acriter objurgati sunt. Illi audito tali responso dixerunt se jam nolle Poloczko. Pro captivis offerunt Regi arcem Jezierzisca: de arcibus Livoniæ ne verbum quidem. Mirabilis et memoratu digna dies 2. Septembris, qua et Oratores sunt auditi, et arx vehementissime tormentis bellicis oppugnata, ita ut orationes illorum non exaudiebantur. Nihilominus pessimi nebulones ausi sunt petere, ut Serenissimus Rex ab arce discedat, arcem tormentis bellicis non oppugnet: nam alias orationem referre non posse. Responsum est illis, eos impossibilia petere. Est magna spes arcis cito capiendæ, quo moturi simus castra, adhuc nescitur. Hiems erit apud nos a duobus hebdomadis: omnium rerum abundantia. Terra, difficile dictu est, quam fertilis sit. Illi qui sunt in arce, auxilia sibi affutura sperant. Dominus Petrus Kloczevius, Capitaneus Malogoscensis et Castellanus Zavichostensis, globo trajectus occubuit, et hesterna die multi insignes viri ex bombardis interfecti sunt. Die 3. Septembris ex Castris ad Vieleluchi.

Idem alteris ad eumdem litteris præclara Regis gesta enarrat.

[1 Polonia Vol 17 fol. 171.]

Reverendissimo in Christo Patri et Domino, Domino Joanni Andreæ Caligario Dei gratia Episcopo Brittonoriensi Sñi Domini Nostri per Poloniam Nuncio, Domino et Amico Observandissimo.

Rñe Domine, Domine Observandissime.

« Quod hoc tempore meæ litteræ ad Reverendissimam Dominationem Vestram rarius adlatæ sint, fecit mearum occupationum magnitudo, quæ me inde a primis stativis ad Czasniciam ingens hac in militia distinuit, atque etiamnum ita tenet, ut me his scribendis, quam meum studium erga Rñam Dominationem Vestram ferat, breviorem efficiat. Verum si quam Rña Dominatio Vestra vel ex hac brevitate vel tarditate illa molestiam accepit, eam spero mitigabit voluptas, quam legendis hisce ob res bene feliciterque a Regia Majestate gestas accipiet. Anteaquam Regia Majestas ad ipsos Moscoviæ fines accessisset, me cum meis copiis ac parte sui exercitus ad arcem Vielisinm, in Dhunæ ripa ex superiore fluminis loco Vitepsio oppositam, oppugnandi causa præmisit, quam cum munitionibus cinxissem, sexta Augusti cum prima luce oppugnare cœpissem, sub noctem Dei beneficio cepi, ac Regiæ Majestati tradidi, quæ cum postea Usuatum ad alteram arcem hostilem, ad flumen Usuatum sitam, movisset, ceptæque jam essent munitiones agi, præsidium deditione arcem Regiæ potestati permisit. Inde copiis omnibus contractis Velicolucum Rex progressus, cum jam castris ad arcem positis a Mosco Oratores venissent, et in Senatum introducti superbe inepteque postularent, ut se Rex cum exercitu intra fines suos referret, negarentque se, antequam id faceret, mandata dicere posse. Rex indignitate illa repudiata, me cum copiis meis, quas ad Vielisium habueram, et maxima parte universi peditatus flumen Lovatum transire, et propius arcem castra facere jussit, eoque ex loco arcem munitionibus oppugnavit, ac quatriduo omni conatu summaque vi adhibita, ad quintam Septembris diem conflato incendio præsidium dejecit, et Velicoluco potitus est. Oratores Moscici cum, Lucensi oppugnatione jam suscepta, dicturos se mandata significassent, admissi nihil attulere, quod ad justæ honestæque Regi et Reipublicæ pacificationis rationes pertinerent: cumque se alia a suo Principe mandata non habere affirmarent, peterentque, ut dare ad Magnum suum Ducem litteras liceret, quibus eum de conditionibus a Rege latis facerent certiorem: impetrata facultate dedere, et dedit Regia Majestas etiam suas, ad quas cum hostis responderit, Sua Majestas, quid illi sit animi, certius cognoscet. Constat et illum et ejus omnes summa consternatione teneri: quæ effecit, ut Regi tam longe in ditiones hostiles progresso, se cum exercitu hostis nusquam ostenderit. Quæ deinceps gerentur, de iis non prætermittam Reverendissimam Dominationem Vestram certiorem facere. Reverendissimam Dominationem Vestram bene valere cupio. Datum ex castris Regis ad Velicolucum die octava mensis Septembris anno Domini MDLXXX.

Rñæ Dominationis Vestræ

studiosiss. amicus servire paratus

JOANNES ZAMOISKI

CANCELLARIUS mpp.

Stephanus ipse quid rerum gesserit, quamque longe absit, ut oblatis a Mosco conditionibus pax inter sese constitui possit, Nuntio Apostolico scripsit. [1]

[1 Polonia Vol 17 fo. 161]

Reverendissimo in Christo Patri Domino Joanni Andreæ Caligario Episcopo Brittonoriensi Sedis Apostolicæ Nuncio, Grate Nobis Dilecto.

« Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Livoniæ etc. Princeps Transilvaniæ.

« Reverendissime in Christo Pater, grate nobis dilecte. Cum inde unum ex Aulicis nostris ad Serenissimam Conjugem nostram expediremus, noluimus intermittere, quin Paternitatem Vestram de præsenti statu rerum nostrarum, quis

sit, per litteras nostras certiorem redderemus. Is vero est talis. Captis Vielizio et Uswiath arcibus, huc Vielgielukum ad arcem et præsidio et munitione firmam satis, nos cum toto exercitu contulimus. Hæc cum deditione in potestatem nostram devenire salva non posset, apposito per nostrum militem igne, postquam sumpsisseot incendia vires, jamque postmodum, et nobis ipsis jubentibus, ut sedaretur flamma, non posset restringi, a die oppugnationis ejus arcis quarta die. Quinta videlicet die hujus mensis, in favillam et cineres abiit tota. Interim vero miles contineri non potuit, quin in hostium nonnullos sæviret. Si vero plectebantur potissimum, qui aliquoties, captis Poloczko et aliis arcibus, a nobis libere dimissi, abusi nostra humanitate contra nos iterum arma sumpserunt: promiscuæ tamen multitudini, imbellæ item plebi, fœmineoque sexui parcitum est. Antequam autem cœpta erat arcis oppugnatio, admissi erant a nobis Nuncii Moscovitici ad exponendam legationem, quam in prima audientia eo prætextu exponere recusabant, quod essemus in hostico, et non in propria terra, postea mutata sententia, et legatiooem exposuere, et ad tractatus de pace ineunda nobiscum deveoere. In primis tractatibus et Polociam cum castris pertinentibus, et Livoniam cum Curlandia a nobis repetebaot, Principisque sui fraternitatem offerebant. Demum vero in ulteriori tractatione, Polociam et ea quæ in Livonia tenemus, concedebant nobis. Quibus conditionibus cum non aquiesceremus, postulabant a nobis Ioternuocium aliquem mitti ad Moschum, significatum illi, iis conditionibus pacem inter nos constitui non posse. Quod quidem fieri permisimus, ipsorumque Internuncio et nostrum adjunximus, perscripsimusque illi satis expresse, si velit pacem, non ea quæ nos tenemus, sed quæ ille tenet nostra, nobis concedat; nominatim vero, ut tota Livonia et Curlandia nobis cedat. De aliis differentiis facilius inter nos transigi posse. Atque cum litteris in eam sententiam scriptis eos Internuncios ablegavimus, pridie quam ignis arcem occupasset. Quid porro polliceri nobis debeamus de constituenda pace, cum de futuris contingentibus non sit determinata scientia, non videmus. Interim tamen quoad ii Internuncii non redierint, cum hostium copiæ, et arces in propinquo esse dicantur, non feriabimur, Deo dante, cui ut actionum humanarum directori, nos totumque commendamus negotium. Bene valeat Paternitas Vestra. Datum a Wielgieluki die sexta Septembris anno Domini MDLXXX. Regni vero nostri anno quinto.

Stephanus Rex.

LIX. — Rex cum ingenti copiarum numero Livoniam ingressus, Velisium, Vielicolucum, Nevelam, Zavolociam, aliasque nonnullas urbes satis munitas in potestatem suam redegit. Moscus his rerum angustiis pressus iterum atque iterum, composito ad simulationem animo, moram temporis quærens, pacis conditiones Regi offert. Hic autem non conditiones modo, sed quaslibet vel brevissimi temporis inducias, quæ belli intermittendi causam præberent, rejecit, affirmans se hanc unam conditionem admittere, ut Moscus tota Livonia excederet. Sub finem anni Stephanum in Poloniam ad hyberna reversum, effusi obviam cives ei gratulaturi honoresque habituri, in urbem ovantes plaudentesque deduxerunt. Antea vero Rex et de rebus in bello gestis, et de proximo in Poloniam reditu Nuntium Apostolicum certiorem fecit. [*]

[*] Polonia Vol. 17. fol. 534.

Reverendissimo Domino Joanni Andreæ Caligario Episcopo Britonoriensi Sanctæ Sedis Apostolicæ Nuncio, Sincere Nobis Dilecto.

Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazoviæ, Princeps Transylvaniæ.

« Reverendissime, sincere nobis dilecte. Pergratum Nobis est, quod Sinceritas Vestra ad nos sæpius scribat, et novis externis, quæ nostra scire interesse existimat, reficiat: nos inde nihil aliud novi Sinceritati Vestræ scribimus, quam Dei beneficio nos sanos et incolumes medius tertius Vilnam pervenisse, ac post duodecim dies Grodnam nos conferre velle, ubi refectis corporibus nostris et jumentis Warsoviam contendemus. Expediverat cum non modico exercitu proximis elapsis diebus Moschus Denenscham unum ex aulicis sibi charissimum, ad intercipiendum nostros pabulatores, qui cum nonnullis viris insignioribus Dei benignitate, et virtute militum nostrorum sub arce ipsa Turopcza, aliis cæsis et profligatis, in potestatem nostram pervenit. Miseramus etiam Magnificum Regni nostri Cancellarium ad capiendam arcem hostilem Zawoloce, rebus nostris valde opportunam, ubi cum per aliquod tempus cum hoste et natura loci certasset, perfectis pontibus et aliis, quæ ad superandam paludem et militem mœnibus apponendum erant necessaria, dum jam arcem adoriri vellet, diffisi rebus suis et virtutem militum nostrorum veriti, integram arcem nobis tradiderunt. De rebus vero aliis gravioribus, postquam Warsoviam pervenerimus, cum Sinceritate Vestra conferemus. Quod reliquum est, Sinceritatem Vestram bene valere ex animo cupimus. Datum Vilnæ die v. Novembris anno Domini MDLXXX. Regni vero nostri anno quinto.

Stephanus Rex.

LX. — Alteris litteris Rex eidem facit spem Societatis Jesu Collegium Claudiopoli in Transilvania instituendi. [*]

[*] Polonia Vol. 17. fol. 570.

Rmo in Christo Patri Domino Joanni Andreæ Caligario Episcopo Britonoriensi, et San-

ctæ Sedis Apostolicæ Referendario, ad Regnum Nostrum Legato, Sincere Nobis Dilecto.

« Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ etc. et Princeps Transylvaniæ.

« Reverendissime in Christo Pater, sincere nobis dilecte. Quod Sinceritas Vestra pro suo erga nos studio sæpius nobis scribat, magnas illi habemus gratias. Delectarunt nos etiam cum historia ab Hungaro descripta, (erat historia translationis S. Gregorii Nazianzeni Romanæ solemni pompa celebratæ,) tum et cathalogus adolescentum, sumptu Pontificis Maximi Olomucii litteris operam dantium. Verum quod ad ejusmodi Gymnasii instituendam rationem Claudiopoli in Transylvania attinet, de eo ac aliis, quando quidem propediem ipsi Varsoviæ sumus adfuturi, coram conferemus. Interim volentes Sinceritatem Vestram venationum nostrarum participem reddere, illi alcem et cervum mittimus, quos ut grato animo accipiat, rogamus. Sinceritatem Vestram bene valere cupimus. Datum Grodnæ die XXII. Decembris anno Domini MDLXXX. Regni vero nostri anno quinto.

Stephanus Rex.

Quanto studio, quantaque pietate Rex res divinas curaret, litteræ, quas Petrus Scarga, clarissimum Societatis Jesu lumen, hac de re ad Nuntium Apostolicum dedit, apprime docent. [1]

[1] Polonia Vol. 17. fol. 336.

Illustri et Rmo Dño Dño Joanni Andreæ Caligario Dei gratia Episcopo Britonoriensi, S. D. N. ad Serenum Poloniæ Regem Regnumque Nuncio, et Dño Dño mihi Obsermo, Warszaviæ.

Illustris et Rme Dñe, Dñe mihi obserme.

Pax Christi.

« Magno nos omnes affecit dolore frustrata spes adventus Vestræ Rmæ D. Vilnam, quæ cum jam sit hoc tempore prorsus discedente hinc Regia Majestate sublata, solatur nos litteræ ipsius, quas tam humaniter et benigne ad nos mittit. Post discessum hinc R. P. Provincialis, qui fuit 27. Maji, unicas a Vra Rma D. recepi, quæ me vehementer recrearunt. Libenter ea ad ipsam scribam, quæ communem bonis omnibus lætitiam afferunt in propagato Christi nomine et Ecclesiæ ejus honore. Inter quæ illud prætereundum non est de piissimo Principe nostro Regi Stephano, si unquam hoc maxime tempore ferventem erga Dei cultum zelum, et pro animabus Christi Apostolicam quandam sollicitudinem videtur mihi declarasse. Grodna ibat ipsios Majestas Caunam et inde Vilnam, in illo itinere quamcunque per villas videbat Ecclesiam, ad quamlibet quasi Archidiaconus aliquis descendebat, et exactissime omnia de Parocho, de ejus Vicario, de populi in rebus Religionis profectu, de templi ornatu, de concionibus, de vita Sacerdotis inquirebat. Postea in quodam mecum colloquio deplorabat statum Ecclesiarum illarum, quod in nulla idoneos Sacerdotes, præterquam apud D. Advocatum Vilnensem Stokliscis invenisset; absentiam Parochorum et desolationem Ecclesiarum, in quibus nullum reperiebat Sacerdotem, populique errantis, omni doctrina destituti, calamitatem accusabat ipsius Majestas. Hinc factum est, ut in illa sententia, quam illi Vestra Rma Dominatio persuaserat, vehementer confirmaretur, non daturum se cuiquam Parochiam ullam, nisi Sacerdos esset idoneus et ad residentiam obligatus; quod hic reipsa probavit. Nam in Ouixtensi Plebanatu per mortem Rmi olim Vilnensis vacante, totius fere Senatus intercessionibus, qui illi aulicos vel nudos Clericos licet idoneos commendabant, dimoveri ab ea mente non potuit, residentem et probatum in rebus spiritualibus Sacerdotem requirens. Cumque illi aliquot ex inferioribus Sacerdotibus commendarentur, dubitans, quis eorum sit dignior, rem totam meo judicio detulit: quod cum ego recusassem et meam operam cum his, qui a Synodo ad tale examen deputati sunt, conjunctum vellem; illos ad duas tum vacantes Parochias elegit, quos examinatores commendaverunt.

« De Polocensi nostrorum missione adeo ante discessum fuit Regia Majestas sollicita, ut nullum fere die prætermiserit, in quo non mihi aliquid per D. Fabium ad eam rem spectans significari vellet. Postulavit a me Majestas ipsius, ut eos Sacerdotes, qui sunt Poloeiam destinati, ipsemet deducerem, et exactis ibi ad summum decem diebus reque omni oculis subjecta, si quid esset in aliqua re difficultatis, ad ipsius Majestatis cognitionem Superiorumque nostrorum cautionem deferrem. Volui me exonerare hoc itinere, eo quod a R. P. Provinciali nihil haberem commendatum; sed in ultimo colloquio cum ipsius Majestate habito tot mihi ipsius Majestas attulit rationes, ut non sim amplius ausus quicquam in excusationem afferre; præsertim quod intellexerim, Palatinum illum Polocensem hæreticum quosdam hæresiarchas hinc Vilna accersire, ut nobis forsitan opponat istos lupos, nostraque ministeria impediat. Subiit mihi in mentem et vicinitas castrorum Regiæ Majestatis cum Polocia, ne forte illuc excurrerem, et propterea me adesse optaret. Itaque cras, Deo volente, itineri nos trademus, traditi a fratribus gratiæ Dei. Rogo, excuset meam hanc interpretationem voluntatis Superiorum apud R. P. Provincialem, ne videar aliquid ultra nutum S. obedientiæ commisisse. Sed si hic esset R. P. Provincialis, idem judicaretur, non dubito. Tandem me gratiæ Vestræ Rmæ D. humillime commendo. Vilnæ 20 Junii 1580.

Vestræ Rmæ Dominationis

Servus indignus

Petrus Scarga.

LXI. — Ad Sveciam quod attinet, illud sane bonis omnibus dolorem luctumque non levem attulit, quod illa sacra expeditio, quos omnes expectabant, non pepererit fructus, levioremque exitum habuerit, quam initiorum molimina postulare videbantur. Neque id eo pertinere quis putet, ut cuipiam illorum, qui hanc sacram expeditionem capessiverunt, succenseamus: quod abest longissime. Nihil a Possevino vel industriæ vel laboris prætermissum est, ut omnia in maximum rei catholicæ commodum ac Svecorum salutem verterent: verbo, scriptis, qua maxima poterat constantia, prudentiaque non minori tum Regem, tum aulicos ac principes viros tractavit; eosque ut in eo consilio, quod inivernut, Religionem Catholicam postliminio in Sveciam revocandi, perseverarent, sapientibus et monitis et rationibus cohortatus est. (*)

(*) Cf. Theiner. Schweden etc. T. III doc. N. 153-156 p. 124-148.

Mira equidem sunt, quæ iste diligentissimus atque invictus a labore vir non longo temporis intervallo, quo in Svecia versatus est, pro Dei gloria excogitavit gessitque. Digna enim vero memoratu sunt, quæ ille, in Ostrogothiam a Rege evocatus, Vastenis egit in illo percelebri monasterio S. Birgittæ, quod ab ipsa conditum fuerat, ut sanctimoniales virgines, quæ triginta jam annos inter hæreticos, ab iisque multifariam tentatæ, fidem Catholicam retinebant, in eadem confirmaret, sanctis mysteriis reficeret, aliisque Religionis præsidiis muniret. Audiamus Possevinum ipsum hæc narrantem. (*)

(*) Germania Vol. 86, fol 250.

Earum rerum quæ Vastenæ contigere narratio, dum pater Possevinus eo evocatus a Rege, aliquot hebdomadas ibi substitit anno 1580.

« Vastenum Gothiæ orientalis oppidum, arce, quam Gostavus hujus Regis pater condiderat, et lacu, qui dicitur Vetter, 50. Italicis miliaribus versus Septentrionem et Occidentem patens, deinde templo ac monasterio Sanctæ Birgittæ percelebre est. Templum hoc e lapide quadrato peramplum et cupri laminis tectum integrum, ex utraque parte monasterium habet, hinc monachorum, quorum ex viginti quinque, qui solebant in eo degere, unus tantum superstes est; hinc monialium, quæ cum vigente Catholica religione sexaginta esse solent, duodeviginti modo sunt, eum et ante paucos annos ne octo quidem numerum implerent. Monachi vero et moniales Sanctæ Birgittæ regulam servant.

« In Virginum monasterii intimo ac tuto loco Sanctæ Birgittæ et Beatæ Catharinæ ejus filiæ ossa, caput Sanctæ Ingridis, multorumque aliorum Sanctorum reliquias divinitus inter tot persecutiones conservatas ipsi vidimus, atque has venerati, nonnihil ossium Sanctæ Birgittæ et Beatæ Catharinæ a Venerabili Abbatissa accepimus.

« Porro totum ædificium templi et monasterii Sanctæ Birgittæ tale est, ut in toto Septentrione nullum ejusmodi vel tantum esse credatur. Quod licet a Danis aliquando combustum ex parte fuerit, instauratum est tamen hoc Rege, Abbatissa procurante, quæ virgo maximam et solidam virtutem semper præ se tulit.

« Est præterea in oppido schola centum scholasticorum; ac denique Nosodochium, in quo senes, invalidi et ægroti aliqui ad sexaginta numerantur, quorum pro charitate curam gerit Petrus Abrahami sexagenarius, qui cum uxore fidem Catholicam retinuit, nullumque habens filium, bonis tamen affluit, et pacatam vitam degit; et tamen Nosodochio præest Lutheranus pastor. Scholæ autem Ericus quidam præest, qui catholicus est, pietatisque aliquod edidit specimen. Hic autem a patre Laurentio Norvego primum edoctus et ad fidem Catholicam conversus, deinde adventu nostro confirmatus, alios nonnullos Ecclesiæ adjungere non malo successu conatus est.

« In hoc oppido Rex erat, eum ab eo per aulicum evocatus pater Possevinus Tornesundio, exceptus a primariis, qui ei obviam venerant: decem post dies quam discesserat, huc pervenit. In ipso autem monasterio, in quo erant quondam monachi, hospicium non sine Divina providentia nobis est assignatum. Hac enim occasione plura in ea, Rege mandante, instaurata sunt, et ea, quæ mox scribentur, facilius effici potuerunt.

« Nam dum Regis nomine consiliarii et secretarii una cum eodem patre iis de rebus agerent, quarum concessionem Rex a Summo Pontifice urgere non cessat, ille deligendis secreto aliquibus adolescentibus pro seminariis pontificiis, ludimagistro et ejus hypodidascalo in fide firmandis, a quibus fidei professionem accepit, operam dedit. Demum eidem ludimagistro, qui publice concionatur, duobusque de Societate, quarto item alii, qui animum ad Societatem adjecit, exercitia spiritualia tradita sunt. Sed et postquam pro ratione Brevis mandatique pontificii res hujus monasterii disposuit atque firmavit, exercitiis spiritualibus omnes monasterii virgines, quibus sæpe per quadragesimæ tempus concionatus est, adhibito interprete, munivit. Consiliariis ipsis regiis cum catholicos libros distribuisset, piis libellis quibusdam in linguam Sveticam vertendis, Sanctorum antem, qui fidei fundamenta jecerunt in his regnis, vitis colligendis opera data est; ad quæ item accessit novæ grammaticæ Sveticæ procurata conscriptio, quæ paulo post, Deo aspirante, edetur in lucem, adjuncto Canisii catechismo.

« Triginta porro erant anni, cum ab hæreticis ex hoc regno exacti prorsus erant Episcopi, religiosique pene omnes: cumque virgines hæ solæ cælesti presidio munitæ in mediis faucibus

Sathanæ viverent, bonis et reditibus satis amplis, vasis omnibus argenteis et ornamentis Ecclesiæ ditissimis spoliatæ, hæreticis autem ministris in eorum templum introductis, per omnia tentatæ, quo virginitatis voto violato sanctum propositum desererent; Dani autem cum bello Gothiam, igne autem et cædibus ipsum hoc monasterium invaderent: pectora tamen virginum, ac præsentis potissimum Abbatissæ, quæ Catharina Benedicti dicitur, nunquam expugnare potuerunt. Tredecim vero ante annos Abbatissa a Sororibus delecta, nunquam (Antistitum vel aliorum absentia, quibus haec esset impertita facultas) confirmata fuerat. Quod et Priorissæ contigerat. Tres aliæ professæ dubitabant, num professionem legitime aliquando edidissent. Septem aliæ virgines aliquot annos expectabant aquæ motum, idest aliquem qui Sanctæ Sedis Apostolicæ numine illas ad professionem admitteret. Cum primum ergo pater Possevinus in hoc regnum rediit, tabellarium cum literis et piis donis ad eas præmisit, ut se pararent ad id, quod postea divino beneficio consecutum est. Deinde pater Joannes Ardolphus collegii Germanici alumnus cum pontificis literis missus est, ut eas excoleret. Quod item paulo post, Deo suaviter omnia disponente, per patrem Stanislaum Varsovicium de Societate, qui huc cum Regina venerat, magna ex parte accuratius est factum, exhortationibus ad eas de earum vocatione et votis, deque quatuor novissimis per interpretem habitis. Tandem superveniens pater Possevinus, et noctes aliquas decenti in loco et secreto (quod pene omnes, qui ad catholicam fidem sunt propensi, ex alicujus minis timebant ad eum venire) cum virginibus collocutus, examine singularum præmisso, eas ad professionem antelucano tempore Dominicæ Quinquagesimæ admisit, canoniceque juxta Concilium Tridentinum delectas, et accepta ab utraque fidei professionem a Pio Quarto edita, Abbatissam et Priorissam confirmavit: omnibus vero, quæ decebat, præfatus Sanctissimam Eucharistiam porrexit, quæ fuere decem et septem præter domesticos nostros quinque. Virginem autem, quæ nondum sextumdecimum annum compleverat, bono animo esse jussam, ut non ita multo post admitti posset ad professionem, curavit. Inde Eucharistiam in vas argenteum, quod illis attulerat, impositam procedentibus omnibus, quique apud nos sunt, in intimo illo monasterii loco, ubi sanctæ reliquiæ sunt, locavit super arca Sanctæ Birgittæ, texitque pretiosissimo velo, quod auro et unionibus intertextum erat, et a Summo Pontifice cum aliis rebus, quando istinc secundo discessit, acceperat. Tum instituta est oratio ad ejus formam, quæ dicitur quadraginta horarum, quam virgines singulis diebus pro ratione reliqui laboris et orationum nunquam intermisere.

« Jam qui virginum illarum sanctæque illius Abbatissæ fuerit sensus, intimumque solatium, qui item communis nostrum cum illis fletus, cum pauperculæ virgines nulla nobilitatis vel auxilii humani spe inter imminentes continenter insidias et clades, sed tamen perpetuo divinæ bonitati sacrificassent, cumque post tot annos Christus earum sponsus ad eas redire, et tam certo corporis sui pignore illas tueri velle ostenderet, non equidem facile dixerim. Nobis certe viscera tunc præsertim commota sunt prorsus, cum lachrymas defluentes ex oculis Abbatissæ videremus, quæ post adolescentiam suam quinquaginta annos in monasterio, mediisque fluctibus sine ullo naufragio imperterrita constiterat. Itaque conversus pater ad virgines: Ecce (inquit) patientiæ fructum cernitis. Neque enim sine divino auxilio et hujus vestræ matris perseverantia, quæ mater aliquando incendio Danico ardere potius voluit, quam de hoc monasterio extrudi, vos tanto bono perfrueremini. Itaque mementote, cui fidem præstitistis, nec ulla re terreamini. Potentem autem Domini dexteram toties expertæ, eandem esse adhuc, et futuram semper ipsamet inconcussa fide credite. Faciebant igitur ad Deum quasi ignita desideriorum et gemituum jacula virgines, ut ipsis etiam mentibus nostris insolitum quemdam spiritus ardorem diffundi sentiremus. Nec jam ad hæc regna profectionem doleremus, qui divino plane consilio, ad confirmandum hoc unicum in quinque septentrionalibus regnis fidei et virginitatis propugnaculum, missi imprimis fuisse intelligere videremur: cum scilicet nulli lapides ejusmodi antea apparuissent, ex quibus ad evangelii normam aptatis, Catholicæ religionis ædificium suo tempore instaurari posse crederetur. Ipsi Jesu virginum sponso æterna sit laus. Amen.

« Interea vero dum virgines illæ agendis Deo gratiis operam dabant, P. Nicolaus Mylonius, qui cum P. Joanne Ardolpho et aliis nostris negotio interfuerat, ita ad pietatis studium arctius suscipiendum excitatus est, ut paulo post schedam ad Patrem Possevinum attulerit, qua Sanctæ Sedi Apostolicæ obedientiam integram pollicebatur, sibique prolixam barbam in Sathanæ et ministrorum hæreticorum (ut ille ajebat) contemptum præcidi curaverit.

« Sathanas autem in Aquilone, ubi suam sedem posuerat, tantarum nuptiarum exitum ægerrime ferens impulit, ut eadem ipsa die in idem templum Sanctæ Birgittæ (a quo tamen virginum locus, ubi sacra fiunt, secretus est) aliqui cum maximo comitatu venirent, missam (si Deo placet) Lutheranam audituri; verumtamen id facinus non permisit Deus inultum, eo præsertim in templo, ubi ex ordinis Sanctæ Birgittæ legibus matrimonia celebrare nemini licet. Cum autem Lutherani hymnum, qui dicitur

Gloria in excelsis, cantarent, vere gloriosum in suis virginibus se Christus ostendit, qui fecit, ut tabulatum ob frequentiam populi in templo excitatum rueret, quo cadente triginta partim attritis ossibus, quorum novem adhuc in Vastenensi Nosodochio supererant, partim mortui sunt. Sie illas ejusmodi nuptias funesta hæc cæremonia conclusit. Nec defuere mulieres duæ, quarum altera vetula Vastenensis Nosodochii ægrotis inserviens asseruit, visum a se tune equo nigro nigrum equitem insidentem, qui in templum ingressus, ubi tetigit tabulatum, casus ille, de quo dictum est, secutus est. Altera vero a dæmone obsessa, quæ, quo tempore id contigit, sensit a dæmonio liberatam, qui tamen eam postea iterum confecta re arripuit.

« Post eam diem reliquis monasterii rebus disponendis (quod sæpe per alios sacerdotes faciebat pater) vacatum est, habitis deinde (ut dictum est) per interpretem variis ab eo exhortationibus, Eucharistia tertio (sed postea sæpius per P. Ardolphum eo remissum, ubi adhuc est) virgines munitæ sunt. Decimaque octava virgo ad probationem admissa, et pretiosiore, quam ex Urbe attulerat, casula et antependio ac 60. aureorum nummum eleemosina nomine Pontificis donatum est monasterium.

« Abbatissa autem, quæ latine novit, cum Pontifici Maximo literas manu propria scripsisset, quibus hoc monasterium totumque Sanctæ Birgittæ ordinem gratiis actis commendabat. Literas item, hortante patre Possevino, ad omnia monasteria dedit, quibus animata et quasi novo fœdere inter sese astricta, concordi remigio, ad bravium alacrius tenderent, atque uno ex hoc bono reliqui ordinis instaurationem ipsa per suos, adjuvante Summo Pontifice, procuraret; hoc enim monasterium totius ordinis Sanctæ Birgittæ caput est.

« Vasteni autem, atque adeo in omnibus his regnis duo omnino Sveci Catholici Sacerdotes sunt, quorum alter Sanctæ Birgittæ monachus, septuaginta tres annos natus, alter monasticis votis liber prope septuagenarius est. Utrique Joannes est nomen. Sed hic nervorum morbo debilitatus, ut nec sine scipionibus movere se, et rarissime (incumbens tamen altari) sacrum facere poterat. Cum autem hic divinum honorem magis, quam alter ille zelare videretur, virgines illo ut confessario utuntur, a quo prius nonnulla quæ ad hoc munus rite obeundum edocto, professio fidei æque atque ab altero coram patre Possevino et aliquibus aliis pronunciata est, addito iis de rebus jurejurando, quæ ad rite eorum munere fungendum in his regionibus sunt necessaria.

« Cæterum ut Divinæ erga has virgines providentiæ signa quædam commemorentur, quibus Christus earum sponsus clarificatus est, operæ pretium erit sequentia subdere.

« Primum Joannes ille monachus olim in vincula conjectus, deinde ut uxorem acciperet coactus, a dæmonibus ipse cum uxore correptus fuit, quod quidem sibi contigisse nobis retulit, rogante Deum ejus monachi sorore sanctimoniali, quæ illius salutem avide sitiebat; liberatus tandem a dæmone abjecit uxorem, quæ deinde alteri nupsit. Tum ad mortem damnatus, denique et mortem evasit.

« Cum vero nulli prorsus sacerdotes hic essent, octo subinde virgines diem obierunt; sed ea constantia ut ipsi Abbatissæ, antequam morerentur, confitentes eam precarentur, ut earum peccata quamprimum potuisset, earum nomine catholico alicui confessario exponeret.

« Decimus vero ac septimus annus agitur, cum quidam, tribus virginibus ex Sanctæ Birgittæ monasterio abductis, capitibus item ex statuis Bm̃æ Virginis et Sanctæ Birgittæ (quæ statuæ ex alabastro erant) serra amputatis, in earumque ventres capitibus morionum et dementium effictis, incidit in insaniam, quæ hactenus durat, et ex qua omnibus remediis adhibitis nunquam resipuit. Cumque trabibus, quæ altare templi Sanctæ Birgittæ fulciebant, pontem quendam stravisset, ex ipso ædificio, quod ex dirutis templis extructum erat, paulo post se in lacum dejecit, unde vix salvus extractus est, homine tamen ex suis demerso. Postea idem monasterium ejusdem fuit carcer, cujus bona, ut ex altero Sanctæ Ingridis monasterio alienata fuerant.

« Catholicus autem sacerdos, cui nomen Nicolaus Erici, patria erat Sudercopia, quod oppido Vasteno decem magnis Sveticis miliaribus distat, cum ab hæreticis seductus uxorem duxisset, Vasteni aliquot annos pastorem egit Lutheranum. Hic duodecim ante annos, octava die post festum Sancti Martini cum in templo Sanctæ Birgittæ concionaretur: Scio (inquit) scriptum esse in libro Sanctæ Birgittæ, revelationes illas ei ab angelo factas esse; verum non ita est. Non enim cælestis angelus, sed infernalis dæmon eas dictabat. Quæ cum dixisset, sic frequenti populo obmutuit, ut vix tantum balbutiret. Deinde statim a dæmone correptus et in vesaniam incidens, cum diu ita vixisset, a Danis, qui Gothiam invaserant, ubi extortæ ab eo pecuniæ majorem summam exigerent, nec interrogatus aliud effari quam balbutiendo posset, interfectus, et in ipso horto monasterii Sanctæ Birgittæ humatus est; quem licet postea exhumarunt, tamen (uti Abbatissa retulit) nunquam inde ex jactis seminibus fructus, quales antea maturescebant, extitere. Itaque ab ea coacti, ut loco benediceretur et aqua sancta aspergeretur, id factum est eo meliore spe, quod ipsa Abbatissa, cum Romana quædam semina accepisset, ob urbis devotionem ea quamprimum eo in loco serere voluit.

« Quo vero tempore adhuc Gostavus regnabat, vestis (præter alia), quam vocant pluviale, ex argento pulcherrime contexta, et ex virginum sacrario dempta in vestem nobilissimæ cujusdam fœminæ conversa est; qua tamen veste illa non ita multo post uti potuit, sed divino judicio decessit.

« Populi interea licet sub Lutherano jugo teneantur, jamque animi ebrietati et libertati assueti magna ex parte vestigia pietatis antiquæ obliti sint, Sanctam tamen Birgittam venerantur, atque ad templum interim confluunt, aquam item ex puteo monasterii, quem Sanctæ Catharinæ dicunt, Sanctæ Birgittæ filiæ, ex religione bibentes.

« Sed et ipse Rex sanctitate Abbatissæ et loci motus est dudum, ut illi reditus quosdam certos reddi curaverit, multoque majores attribuere velit, ac postquam Vastenum rediit, septingentos argenti marcas, et quingentos nummos aureos hungaricos dedit aurifabris, unde conficeretur et deauraretur arca argentea Sanctæ Birgittæ, quæ antea sublata fuerat.

« Patri autem Possevino denique post multos dies significavit Rex, si virgines sponte vovere vellent, sibi gratum fore, ut eas ad professionem admitteret. Quod etsi antea erat factum, annuit tamen pater.

« Ex hoc autem præter alia Divinam providentiam agnovimus, quæ teneras virginum mentes et omni humano solatio destitutas Regis mandato firmiores erat reddituru.

« Cum hæc ita sint, multa vero alia de sanctitate hujus loci memoratu digna dici possent; facile intelligetur gratissimum fore sacrificium Deo, si itentidem paterna Summi Pontificis cura et charitate, uti jam cœpit, is adjuvetur. Incredibile autem forsan est ei, qui id non est expertus, quantum hujusmodi animabus, quæ omni humana ope egent, inde ardor accedat, quo postea orationes pro benefactoribus emissæ in Dei ipsius cor sine dubio ascendunt et penetrant.

« Porro ratio adjuvandi ea videtur esse expeditior, (quamdiu nempe religionis Catholicæ cultui locus non datur) ut quo tempore nundinæ fiunt Vasteni, quæ licet quater in anno fiunt, tamen ad diem festum Purificationis Beatæ Virginis solent esse, confluentibus externis, celebriores, Suffraganeus aliquis ex vicinioribus Inferioris Germaniæ locis huc se conferat, quasi mercatoris personam gerens, et in nundinis empturus aliqua, quæ ut facilius fiant, non deerunt illi literæ publicæ, quas catholici Canonici Lubecenses procurabunt, quibus per Daniam huc accurrat. Ubi vero hic esset, vel ad illum Sacerdotem septuagenarium vel ad Petrum Abrahæ, cujus est catholica uxor, vel ad Ericum ludimagistrum, vel potius ad ipsam Abbatissam vel Priorissam recta adire poterit, quibus nomine Pontificis salutatis, virgines soletur et Eucharistia muniat, sanctoque Chrismatis sacramento confirmet, quod quantopere necessarium sit, ubi præsertim tot hæresum tenebræ terroresque sunt, judicent, qui tanto sacramento ipsos etiam Apostólos muniendos fuisse a Domino sciunt. Præter id quod etiam in ecclesiasticis historiis est proditum, incidisse in hæresim quosdam, qui divino hoc sacramento non fuere muniti. Sed et hæc Abbatissa ex quadam religione permittere non audebat, ut virgines Extremæ Unctionis oleo inungerentur, quod pie putaret sine Confirmationis sacramento illud alterum conferri non posse; qui tamen scrupulus ei exemptus est.

« Hac vero occasione novum oleum afferri poterit, aliique occulti Catholici sacramento eo muniri, visitari et firmari sic poterunt, ut aliquando ubi plenitudo temporis apparuerit, sanguinem (si largiatur Deus) instaurando aut amplificando Christiano huic ædificio intrepide profundant. Cum autem viderint, se Ecclesiæ Catholicæ esse cordi, non tam facile (uti factum est et ipsi cernimus) animum despondebunt, sed et filios tanquam pignora dabunt, quod nobis quoque fecere, ut in Catholicis Seminariis excolantur.

« Certissime autem spero, quando opera Dei perfecta sunt, si divinus ipse oculus, qui suarum creaturarum cooperationem requirit, viderit, a Sancta Sede Apostolica non solum cum hoc, sed et cum pluribus aliis monasteriis, quæ inter medias hæreses in Germania consolationem a Deo expectant, serio agatur, nec labori, nec sumptibus, (qui tamen non erunt adeo magni) nec vitæ parcatur, futurum, ut ex parvis seminibus magna aliquando messis existat, cum non sine causa istud monasterium tamquam arcam Noe et seminarium Deus ipse mirifice sustentaverit; Christi autem Domini proprium sit, relictis nonaginta novem ovibus, centesimam in deserto quæsitam propriis humeris ad ovile referre.

LXII. — Nec minoris momenti sunt, quæ Possevinus narrat sibi cum Rege intercessisse, fidem Catholicam spectantia. In quibus plura continentur acta dictaque a Rege, quæ eundem catholice omnino sentientem produnt. (*)

(*) Germania Vol. 46. fol. 341.

« Quæ Lincopiæ contigere, postquam Rex Serenissimus Sveciæ nos evocavit Vastenis, quindecim dies ante Pascha.

« Lincopia civitas est sine mœnibus, ubi sedes Episcopi est, olim florentis, dum Catholica religio vigebat. Nunc qui dicitur Episcopus, is Luteranus est, cui Canonicorum et Presbyterorum loco uxor cum decem filiis, et ancillis quibusdam est domi.

« Templum e quadrato lapide peramplum est, olim contectum cupro, quod fuit excursione Da-

norum ablatum; templi materia, quæ cuprum sustinebat, incensa. Ornamenta vero et fenestræ, vel sublatæ, vel fractæ; sed adventu Serenissimi Regis illico jussum est, ut reficerentur. Variisque operariis adhibitis non solum illud templum, verum etiam alterum cum monasterio Sincopia leucam Svedicam distans instauratur, in quod sanctimoniales, uti solebat antiquitus, Rex imponi desiderat.

« In hac civitate etsi Pater Possevinus fere semper continuit se domi, quam ei Rex non procul ab arce seu Palatio Regio assignarat, ejus tamen Majestas non raro, ac sæpe singulis diebus per quosdam suam mentem ipsi Patri variis de rebus indicabat.

« Interea excolendis aliquibus ac præcipue domesticis opera data est. P. Varsevicio quindecim plus minus dierum spatio tradita exercitia spiritualia sunt, quibus absolutis illemet nobili Polono eadem tradidit, cum P. Visocius ante illum duobus Polonis eadem aliis dedisset.

« Sanctissimum Sacramentum apud P. Possevinum in sacello quam ornatissime positum est, ut homines aulici atque alii quidam latitantes ad pietatem excitarentur, ac sese pararent ad Jobilæum lucrandum, quod in diem Ascensionis ex Summi Pontificis concessu cadebat. Venere sedulo quotidie pii, veniuntque adhuc, cum adhuc Sanctissimum Sacramentum habeatur.

« Anglus interim Jurisperiti filius (jam hic quidem vir) ad religionem Catholicam se adjunxit. Is erudiendus in fide traditus est P. Nicolao Milonio, ob linguæ Germanicæ notitiam. Quod quidem perdiligenter sic fecit, ut non solum fide, sed et pietate imbutus sit. Deinde cum antea sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum percepisset, iterum idem per se ipse sumere voluit, cum hinc in Moscoviam iter esset ingressurus.

« Mulieres quædam vetulæ cum multos annos aliquem catholicum confessarium expectassent, tandem avide sacramenta sumpsere, quæ singulis pene diebus sua paupertate et simplicitate nixæ audenter ad sacrum veniunt. Inter eas quædam erat, quæ habuerat antea cum reliquis hujusmodi sermonem. Quid istos (inquit) falsos sacerdotes Luteranos de confessione adire volumus, quibus nulla absolvendi facultas est? Quin potius ego ad rudera illa a Catholicis olim extructa ibo, ibique genibus flexis lapidem illum in testem advocabo coram Deo, cui potius quam istis peccata mea confitebor. Alia item cum decumberet, jamque morti appropinquaret, dum ab uno laico Norvego e nostris domesticis invisitur, ita in fide catholica confirmata est, ut cum, usi omni diligentia, nunquam potuissemus ad ejus confessionem audiendam sacerdotem mittere (quod a suis, tum ab uxore Pseudoepiscopi hoc animadvertentibus observaretur); id tamen effectum sit, ut nulla ratione pateretur ministrum hæreticum ad se venire, præmonita, si perstaret in fide catholica, votumque confitendi haberet, certissime a Deo ejus misericordiam se consecuturam. Itaque et constanter eo in proposito decessit.

« Alter item adolescens Pomeranus amanuensis Regius ad Ecclesiam venit, quem sacramentis munivimus.

« Senex autem Scheningensis, cujus tres filios accepimus catholice instituendos, et ad Seminaria partim emittendos, plenus dierum Catholicus factus est: ad quem accessit Chirurgi filius, qui Germanice ac Svedice noscens apud nos est, quem eo utiliorem fore speramus, quo ex ejus arte occasio multa præberi suo tempore poterit, sanandis et corporis et animæ vulneribus multorum.

« Reliqui Catholici Paschatis et Ascensionis die plerique, omnes tam apud patres Varsevicium et Visocium, quam apud nos sanctis Sacramentis sese communierunt; quod quidem die sanctissimo Pentecostes aliqui item fecere; Regina Serenissima Sveciæ idem iisdem diebus faciente.

« Rex autem latentis in animo pietatis aliqua interdum signa edidit. Cum enim templa quædam et cœnobium quondam Dominicanorum in hac civitate conspexisset, quæ Luteranæ impietatis ruinas aperte monstrabat, nec vero, qui dicuntur pastores aliquid instaurarent, commotus ira adversus eum, qui in æde majore concionatoris Luterani munus obibat, sic publice in foro civitatis, præsentibus consulibus et reliquis Regiis ministris, illum est allocutus: Adesdum (inquit) audio te jejunium quadragesimæ traduxisse, sanctumque ab Apostolis traditum institutum convellere: ego te profecto quibus dignus es modis accipiam, teque nolentem quadragesimam, faciam octogesimam velis nolis jejunes. Tu autem semper concionares: Jagh troo, jagh troo – ego credo, ego credo; deinde opera negas: atque interim ignoras, dæmones item credere, sed et contremiscere; verum enimvero nisi etiam credas, faciam tamen te contremiscere. Tum miser ille sæpe procumbens in genua, modo autem excusationes prætexens, modo se meliora concionaturum asserens, abiit, cum Rex ministro Regio instaurationem ejus loci procurandam mandavit. Pseudoepiscopum autem, qui Pontificem Maximum vocaverat Antichristum, quique ejusmodi alia blasphemia blaterabat, per secretarios egregie objurgari jussit. Cumque Pseudoepiscopus videretur optare colloquium cum P. Possevino, diceret autem se vereri, quin id Regi futurum esset ingratum, Rex id inaudiens Pseudoepiscopo significari jussit, non solum sibi gratum fore, si cum P. Possevino colloqueretur, verum etiam ut erga eum signa reverentiæ ederet; quod homini elato (exigui licet

corpusculi) permolestum fuit. Interea P. Possevinus, ut et Deus justificaretur, ac ne ullam ad maledicendum ansam Pseudoepiscopus haberet, dono piorum librorum eum mitiorem, ac minus attentum ad nostra promovenda reddere curabat. Sed cum is iterum atque iterum dixisset, optare se, si quid controversi scripto a nobis ad se mitteretur, se scripto esse responsurum, P. Possevinus se de nulla re ambigere, quæ quidem ad fidem orthodoxam spectat, respondit: sin vellet antiquæ vestigium Ecclesiæ et catholicæ veritatis cognoscere, se loco Augustanæ, Augustinianam confessionem ad eum mittere: ut qui tanti faceret D. Augustinum, quanti se facere dicebat, scripto si quid haberet adversus sanctum Doctorem, id proderet. Paucos post dies, lectis aliquibus Augustinianæ confessionis locis, respondit, se non mirari, si a Catholicis (quos ille Pontificios vocabat) patres admitterentur, quippe qui cum Ecclesia catholica convenirent; sed et Vincentii Lirinensis libellum perlegit et alia: verumtamen Vittembergæ haustum venenum identidem evomebat, ad canonem Scripturarum, quod solent hæretici, mendacia sua referens. Satanas autem cum efficere nequivisset, ut ministro suo Pseudoepiscopo catholicus sacerdos, id est P. Possevinus, quasi tributi loco scripta sua dijudicanda afferret, visus est aliam rationem inire, qua labem aliquam nostris (si potuisset) aspergeret. Itaque ad domicilium nobis assignatum, cui Pseudoepiscopi propinqua domus erat, modo una, modo altera Pseudoepiscopi filia, quæ dicuntur virgines, et quidem grandes natu accesserunt. Hæ in hypocausta se insinuare, quærere, ubinam essemus, quidve ageremus; deinde vagari per reliquam partem domus eorum, qui nos hospitio excepere. Quod eum procaciter facere pergerent, et quidem earum aliqua sola ad cubiculum aliquot nostrorum domesticorum laicorum, quorum unus ex morbo decumbebat, ascendisset, relata Patri Possevino re, qui necdum illarum aliquam viderat, antevertendam Satanæ rabiem sic existimavit. Scribit igitur schedam P. Nicolao Milonio, ne quid relaturo excidat, quem curat, ut postera die cum ea Pseudoepiscopum adeat. Porro hujus schedæ hæc erat summa: P. Possevinum sæpe rogare voluisse D. Martinum, (hoc Pseudoepiscopo nomen est) ne tam licenter pererrare permitteret solas suas virgines, præsertim in domo nostra: destitisse autem id officii præstare, sperantem, earum patrem fore tam providum, suoque nomini sic consulturum, ut intra cancellos majoris verecundiæ arctius ipsas detineret; verumtamen cum novissime adhuc in ipsa nostra cubicula (vel laicis domesticis admirantibus) eædem sese ingerere studuerint, cogi se pro charitate, quæ esse inter nos debet, ut ab eo petat, tales excursiones velit suis filialibus prohibere: confidere autem hoc in bonam partem acceptum iri; præsertim cum verum evangelium, vera bona opera, et conservationem omnis honestatis nos doceat: cumque (ut inquit etiam ad perpetuam virginitatem servandam Apostolus) qui domi servat virginem suam, melius facit. Mulieresque etiam velandas propter Angelos admoneat: sciat autem ipse Martinus, eum qui domesticorum suorum curam non habet, infideli esse deteriorem. Cæterum si quod hujusmodi posthac accidisset, P. Possevinum ea reverentia, qua deberet, curaturum, ut id Regi referretur, cui quantopere castitas et male declinandi omnis occasio curæ esset, probe omnes noveramus. Accedit igitur Pater Milonius ad Pseudoepiscopum, qui scheda satis pacate lecta, paullo tamen post adversus cœlibatum et primatum Ecclesiæ sic exarsit, ut longus inter utrumque sermo habitus, brevis dialogismi non inutilis conscribendi eidem Milonio occasionem præbuerit, quem ille forsan non multo post et ad Regem et isthuc mittet. Ea re peracta, ab fido amico eadem scheda Regi perlecta, non minimum momentum habuit, tum ad animum ejus veritate præoccupandum, tum ad persuadendum, quantæ ex conjugiis sacerdotum turpitudinis occasiones existerent, si cœlibatus (quod Rex aliquando cupere videbatur) catholicis sacerdotibus laxaretur.

« Commodum autem accidit, quod Rex ista præscisceret, ut diu antea meditaretur increpare Pseudoepiscopum iis de rebus, quæ permoleste de illo audierat. Itaque ad se evocatum, præsentibus quatuor Regiis secretariis et Illustri familiæ Regiæ viro Procancellario, tres peœ integras horas Pseudoepiscopum allocutus est. Sermonis capita hæc fuere: Conqueri se, quod Pseudoepiscopus promissis ante triennium de religione suis non steterit, quique Pontificem Maximum et alios amicos suos Catholicos impudenter convellat. Quod item Pontificem Maximum Antichristum vocet, quem esse Summum Sacerdotem et Ecclesiæ præesse, ostensis, qui erant præparati, S. Irenei de Pontificum successione usque ad Evaristum, et aliis D. Augustini locis, ubi agit de Antichristo, Rex ipse additis perefficacibus rationibus asseruit. Quo in sermone non semel Luteranos hæreseos redarguit. Pseudoepiscopo autem, num sibi interloqui liceret petenti, respondit: Si quid ex Sancta Scriptura, vel ex Patribus attuleris, per me licet, sin minus, tace; neotericos enim istos tuos nolo. Eo responso et veritatis vi frenum injectum est Pseudoepiscopo, ut prorsus obmutuerit. Tum inter alia multa Rex subdidit, scire se ab Pseudoepiscopo dubitari, P. Possevinum, quod a Pontifice Maximo esset missus, ad illum reformandum, aut Episcopatu abdicandum venisse: verum se illa cura liberare Psendoepiscopum.

Nec enim a Pontifice solum, verum etiam ab Imperatrice et ab aliis amicis Principibus, aliis de causis P. Possevinum rediisse. Ad extremum, cum Rex se utriusque tabulæ custodem esse diceret, atque eidem aut viveret, aut doceret, omnes reditus se oblaturum, ac insuper illum pœna mulctaturum minaretur, dixit irate subridens: Ite missa est. Pseudoepiscopus vero abiens, ac submissa voce fremens, Svedice respondit: Deo gratias.

« Hæc dum agerentur, præclara accidit adolescentis coram Rege, virginis coram Regina eodem die catholicæ fidei ac virginitatis confessio. Redierat ineunte autumno anni superioris Laurentius Montanus, collegii Germanici alumnus in Sveciam, quem summis beneficiis a Pontifice Maximo devinctum furor ingrati animi cum hæresi, quam ille in Urbe alte in corde texerat, invasit. Hic per Regnum hoc passim, et in aula collegium Germanicum et catholicam Ecclesiam dictis, scriptoque mirifice mordebat, cum ecce Divina providentia fecit, ut opportune alter Svecus Ericus Falcus, satis ob familiam cognitus, in patriam reverteretur. Hic auditis quæ a Laurentio dicebantur, evocatus ac per Deum adjuratus a Rege, vera ut sibi de collegio Germanico referret, de quo Laurentius ille execranda narraverat; respondit, esse meras Laurentii calumnias atque mendacia. Locum illum esse sanctum, disciplinæque omnis bonæ Seminarium. Nihil ibi cuique deesse. Cur ergo (Rex inquit) inde discessisti? Respondit Ericus: Fateor ingenue, me dum in eo collegio essem, qui tali disciplinæ minus assueveram, non potuisse id, quod mihi tum videbatur esse jugum, ferre; sed ubi ex eo me subduxi, liquido cognovi, quanta de felicitate decidi. Tum percontatus a Rege de cibo, quo alumni alerentur: Omnia (respondit) liberaliter suppeditantur. Tum Rex: Ero (inquit) collegio illi gratus. Deinde cum adhuc de Erico quæreret, ubinam post exitum e collegio fuisset, respondit, se annum plus minus apud Illmum Cardinal. Hosium piæ mem., fuisse, nempe usque ad ipsius obitum, quem obitum Regi cupienti ordine ita narravit, ut Rex, qui a Cardinali antea fuerat alienior, eum commendare magnopere cœperit. Sed et inter alia Rex: Dic mihi, ait, cujus religionis es? Ille, qui (ut hanc bonam confessionem confiteretur) sacramentis pridie ejus diei, Patre Possevino monente, apud nos sese communicaverat: Catholicus, inquit, omnino sum, Rex; qui statim, nec utriusque speciei, nec aliarum rerum mentione facta respondit: Et ego tibi (respondit) ero pater, tantum probus esto: Catholicos enim diligo, si probi sint. Deinde et pecuniam, qua æs alienum, quo erat obstrictus, et annuam pensionem, qua studia sua posset absolvere in aliqua catholica civitate, datis literis Regiis, eidem attribui jussit. Ericus autem antequam Regem adiret, a nobilibus quibusdam ferocibus lacessitus, multis injuriis ac minis territus verebatur, ne quid a Rege gravius pateretur. Itaque cum declinare hos impetus statuisset, receptus apud nos, colloquiisque et libris et sacramentis non semel confirmatus, non solum id egit apud Regem, quod diximus, sed cum Pseudoepiscopo sæpius, fide constantissime defensa, alios item ad catholicam religionem adducere conatus est: cujus opera certe etiam in aliis rebus perutilis Ecclesiæ catholicæ fuit, isque postea fratres duos ad Seminaria uti admitterentur, modeste rogavit.

« Sed et iis diebus cum a Laurentio Montano literas Ericus accepisset convitiorum plenas, quibus collegium Germanicum et Romam pessime accusans, illum a pietate dehortabatur, eas statim ad nos attulit: quibus cum P. Joannes Ardulphus respondisset, atque insuper collegii Germanici narrationem pie texuisset, id magni certe ponderis fuit, non solum ad eluendas, quas impius ille hypocrita veritati asperserat maculas, verum etiam ad Regem qui hæc rescivit, et Regios secretarios erga Germanicum collegium, atque in primis erga Summum Pontificem optime animandos. Hæ vero Patris Ardulphi literæ atque narratio a Patre Nicolao Milonio ad Rectorem collegii Germanici sunt missæ.

« Venio ad virginis confessionem, quam Regis soror admodum Luterana apud Catholicam quandam Polonam nobilem mulierem esse jusserat, ut acu pingere disceret. Ad eam mulierem Italo nuptam, cum P. Possevinus sacerdotem misisset, ut eam cum familia sacramentis muniret, sacerdos Dei beneficio octo vel novem ad fidem catholicam convertit, inter quos ea fuit virgo. Post aliquot dies ad irrigandas novellas illas plantas idem remissus, quærit de virgine, quo in statu illa sit: hæc se cupere perpetuo virginitatem servare, inquit, et adeo in monasterium Sanctæ Birgittæ ingredi: difficillimum videbatur, eam ab obsequiis Regiæ sororis avellere. Ac tamen ut divinæ res sunt, quæ fidei et patientiæ exercitationem requirunt, quattuor mensibus ea re Deo commendata, tum negocio Reginæ exposito, illa certum hominem, cui prius exercitia spiritualia tradiderat Pater Visocius, mittit die nocteque currentem, qui magno animo ire porrexit, quod sentiret se ad sponsam ad Christum adducendam proficisci; cum interdum etiam equos paratos non inveniens, sellam equi duabus leucis in humeris ferret, et pedibus iter faceret. Ea igitur 14. circiter dies post una cum honesta muliere, et aliis quibusdam, quibus sacerdos noster a Patre Possevino evocatus accesserat, venit in hanc civitatem. Tum Regina mittit ad eam, scrutatura, num per se ipsa id consilii virginitatis asservandæ invenerit? annuit virgo. Interrogata, num id publice

testari auderet? Etiamsi mille homines adsint, id, inquit, fatebor. Regina ergo ad se illam accersiri jubet, præsentique aula, et virginibus pluribus, atque his quidem plerisque omnibus Luteranis ea de re quæsita, eadem respondit. Tum Regina cum aliquot equitibus deduci eam Vastenum ad virgines jubet; ea Catherina vocabatur, pietatem et solidam virtutem ac mansuetudinem præ se ferens. Et sancti quidem voti compos illa facta est, cum etiam ea ex familia esset, quæ una plus cæteris monasterio Vastenensi, fideique Catholicæ esset infensa.

« Interea Regis soror, quæ antea cum Regina mirum certamen de hac anima certaverat, cum et ipsa homines præcurrere ad virginem abripiendam (erat enim prope Stocholmiam) jussisset, qui eam deinde paulo antea a Reginæ aulico abductam invenere, cum Rege fratre satis ardenter egit, ut telam hanc a Spiritu Sancto contextam omnino præcideret. Itaque fratrem virginis monet, ut flens a prandio ad Regis genua provolvatur, ab eo petat sororem unicam et alia ejusmodi. Tum Regis soror, primum placide, deinde acrius etiam volens intermiscere quiddam ex Dei verbo, idem urget. Cui Rex: Ego ista melius, quam tu soror, cognosco. Regina id quod fecit, et bene fecit, et facere debuit, ac potuit. Qui servat virginem suam Deo, melius facit, quam qui homini nuptui dat. Tibi tacendum est de Scriptura Sacra: scriptum est enim, mulieres in Ecclesia taceant. Cumque multa in eandem rem dixisset, surgens Rex ne salutatam quidem reliquit. Porro scribi jussit, ut quam diligentissime virgo asservaretur, ac ne quid injuriæ monasterio inferretur. Porro non inscio Rege hæc prius omnia fuerant a Regina procurata, et ad exitum perducta.

« Interea Stocholmiæ Satanas furebat, et absente Rege, multa malevoli moliti sunt, quibus quæ collegii laicorum initia ibi fuerant instituta, ea funditus everterentur. Quoniam vero eo in loco commorantis P. Laurentii Norvegi concionibus aliqui non ita multi catholici fovebantur, atrox in eum et cæteros tempestas oborta est. Primum autem igne (ut conjici potuit) collegii partem exurere tentarunt, quo extincto, famulum collegii non multos post dies petere, et in custodiam tradere voluerunt. Hoc tumultu sedato, dum minister hæreticus adversus Purgatorium, ignem, fidemque catholicam acerbe inveheretur, collegii cantor non ita pridem catholicus factus, zelo motus, mentiris (inquit) o minister, ego vero etiam tanti facio tuum, quod vocas sacramentum, quod te in Missa dicis conficere, ut eo vel sordes meas tergerem. Acuente populi animos ministro, comprehenditur cantor et in vincula conjicitur. Ipsi vero P. Laurentio Norvego prædicandi munere ad tempus Regis nomine a præfectis arcis Stocholmiensis interdictum est: quem Patrem Laurentium etiam quæsitum ad necem fuisse, rumor percrebuit. Sævitum est postea in Catholicos, ita ut non solum contumeliis, verum etiam lapidibus et verberibus, ac quidem usque ad sanguinem aliqui ipsius collegii male accepti sint; qui tamen licet adolescentes et laici, in fidei tamen confessione (Deo miserante) alacres perstitere. Quæ omnia ubi variis nuntiis, literis item nostrorum ad aures Regis pervenerunt, is ad P. Possevinum mittit quæsitum, equid agere debeat de Patre Laurentio, ac de cæteris rebus. Pater, rogato ad eam rem Deo commendandam et consulendam cum suis spatio, per schedulam respondit: Dispicere dignetur ejus Majestas id, quod ad majorem Dei gloriam, salutem animarum ac dignitatem Regiam pertineat, se in optimam a Deo partem accepturum, quicquid, a Rege tum in ea, tum aliis in rebus pro sua prudentia statueret. Tum verbo ei, qui schedulam Regi esset allaturus, dicit, quæ sibi remedia viderentur, ut et ne quis tumultuum ciendorum culpam in Catholicos, si quid deinde moveretur, conjiceret: ac vero ne malevoli quoque licentius furerent. Rex his auditis nobilem quemdam et ex secretariis primarium unum Stocholmiam mittere statuit. Interea per literas jussit, ut inquireretur et adeo animadverteretur in seditionis auctores; qui tamen majoris ignis incendendi rationes alias sedulo quærunt, Principum eorum studio nixi, qui vere evangelii lucem ferre non possunt. Et hæc quidem acta sunt novissime usque ad diem hanc 22. Maii 1580.

LXIII. — Ex iis porro, quæ Possevinus de celebri illo conventu cleri Lutherani, qui ab Rege Lincopiam convocatus fuerat, refert, quisquis facile intelliget, quanto firmius Rex in sententia avitæ fidei in Svecia instaurandæ perstabat, tanto difficilius, quod re experiri maxime optabat, sibi futurum. [*]

[*] Germania Vol. 16. fol. 356.

Conventus eorum, qui dicuntur Pastores Luterani, habitus a Serenissimo Rege Svetiæ, cum eos ex Ostrogothia Lincopiam evocaret, ipsa die Corporis Christi hujus anni MDLXXX.

«Serenissimus Rex, cum plura de Pseudoepiscopo Lincopensi Martino Olai Gestricio audivisset, quæ ejus Majestati erant ingrata, cumque illum antea de multis admonuisset, tandem statuit Pseudoepiscopatu illum abdicare, et Pseudoparochos ad se accersitos alloqui. Quod quidem in Regio Palatio ipsa die Corporis Christi, secunda nempe Junii die anni hujus 1580. fecit.

« Aderant præter septuaginta Pseudoparochos ex nobilitate plures sæculares, inter quos Domini Obenschildus Bielche Ostrogothiæ gubernator et Regni consiliarius, Gustavus Banner Marscalcus et consiliarius Regni, Ericus Bragde filius primogenitus Illustris Domini Co-

mitis Petri, qui assidue Serenissimi Principis Sigismundi Regis filii aulæ magister adest.

« Ex secretariis D. Nicolaus Brasch, Joannes Erici, Henricus Matthei, Olaus Svercheri, Petrus Erasmi.

« Ipse Princeps Sigismundus non aderat, sed ad ostii rimam aurem apponens omnia, quæ locatus est Rex, audivit.

« Porro Regis sermo hujusmodi fuit: se Pseudoparochos advocasse cum ad finem, ut intelligerent, Martinum haud amplius post hoc futurum eorum Episcopum, cui proinde nemo obedire deberet. Plures esse causas, cur id deliberasset, sed eas primarias, quod Martinus seditionis auctor non desisteret adversus Regem populos commovere, quodque esset perjurus, quippe qui nunquam jusjurandum id in rem contulisset, quod ante triennium ipsi Regi de quibusdam religionis capitibus jurasset. Id autem eo tempore fuit, quo Rex falsos hujus Regni Episcopos una cum Pseudoparochis ea de re, ac de admittenda sua Liturgia Stocholmiam evocaverat. Jusserat enim tum Liturgiam quandam edi, quæ Lateranæ missæ loco in templis recitaretur, eo animo (ut ille aliquando nobis dixerat) ut paulatim antiqua veraque religio restitueretur.

« Abdicato itaque Martino, in ejus locum administratorem sufficit Petrum Michaelis Pseudopræpositum Lincopensem, cui se Episcopatum ita credere dixit Rex, ut si ille staret iis, quæ cupiebat, tum denique Episcopatus etiam nomine insigniretur. Deinde Olaum quendam Petri Pseudopastorem, quod multa blaterasset ac debacchatus fuisset adversus veritatem, quodque novissime dixisset, Spiritum Sanctum esse in Ecclesia ac neminem alium Vicarium Christi, abdicavit Pseudopastoratu.

« Tum aliqua præfatus subdidit, se item Laurentium Norvegum Collegii Stocholmensis et concionandi officio privasse, non in gratiam Pseudopastorum, sed quod item ille jusjurandum Regi ante triennium habitum non præstitisset, quodque indiscrete et imprudenter in multis se gessisset.

« Præterea sub pœna capitis et amissionis bonorum jussit, ne quis Pseudopastorum scripta vel libros Laurentii Norvegi, ne quis item Abrahæ Luterani ministri scripta vel libros haberet. Cum vero Pseudopastores negassent, quidquam se Laurentii Norvegi habere, de scriptis tamen Abrahæ nihil dixerunt.

« Tum de ratione concionandi sic sermonem est orsus: Ita vos existimare debetis, nec Wittenbergæ, nec Genevæ, neque Lipsiæ, nec omnino alicubi, neque Romæ allegatum esse Spiritum Sanctum. Si cujus vero particularis hominis sensum sequi velimus, aut si de singulis, qui hic estis, verbi Dei declarationem petamus, certe si unicuique pro suo libito respondendum sit, erunt quot capita, tot sententiæ. Itaque cum veritas una sit, unanimem consensum Patrum omnino volo vos sequi: Luteri vero, Zvinglii et aliorum Neotericorum explodere. Cum autem hactenus separatam ab omnibus catholicis Regnis religionem vos habere velitis, videtis jam vos errare sicut boves. Quoniam vero nullam integriorem versionem Sanctæ Scripturæ habemus, quam antiquam Latinam, Græcam et Hebraicam, quæ vero Biblia a recentioribus versa sunt, ea scatent mendaciis et depravata sunt, operam dabo, ut ii errores edantur, ac vobis tradantur. Quod si quemadmodum audio, vos dicitis, ad me ea quæ ad religionem pertinent, haud spectare: scitote, ad me quidem attinere politicam Regnorum administrationem; verum tamen ut Christianus sum, atque ut ad me quoque pertinet, ne errores in meo Regno excrescant, debeo et ista curare. Ad hæc et ejusmodi alia cum quidam e Pseudopastoribus Regi dixisset, sese omnes cupere religionem sequi illius pii Patris Gostavi, Rex acute et paucissimis respondit: Non pii Patris, sed piorum Patrum; ille enim decipi potuit. Cum vero de Martino Pseudoepiscopo Rex inter alia dixisset, se illi etiam fortassis jussurum, ut caput amputaretur, aliquis Pseudopastor submissa voce dicens: Etiamsi amputetur ei caput, anima ejus erit apud Deum: jussus est cum altero procaciore Pseudopastore aulam Regis sequi, qui Rex postridie illius diei Lincopia Nodercopiam discessit.

« Denique Rex mandavit, ut posthac ejus Liturgia esset in usu; id nisi fieret, se ablaturum bona et reliqua Pseudopastoribus: sibi vero alios sacerdotes non defuturos.

« Ægre hæc tulerunt plerique illorum, atque cum Rex Luterana et Melanchtonis scripta detestaretur, ex iis unus respondit: Nobis sane nunquam licuit Patres legere, quos nec habuimus, a pueris autem versati in his tantum libris, non miretur Vestra Majestas, si alia ignoremus.

« Videbatur esse tum opportunum, si Rex multos catholicos libros parasset, quos ejus nomine distributos et legissent libentius, et majore cum auctoritate idem aliis insinuassent. Sed Rex, qui hæc omnia per se ipse, nulli nostrum communicata re, fecerat, minus item videtur assecutus esse eorum, quæ optare videbatur.

« Eadem die cum cœnaret ac postridie ejus diei cum pranderet, tam multa locutus est de religione antiqua et catholica, ut Regina ipsa obstupesceret. Ad Marssalcum autem Regni conversus: Ego in multis (inquit) propter vos nobiles nolui me aperire. At nunc ita sentio cor meum et conscientiam impelli, ut si mihi cum ipsa vita decem Regna sint amittenda, nolim amplius dissimulare. Quod si quis vestrum voluerit a me deficere, ego de vobis supplicium

sumam. Quæ cum diceret, sæpe in ipsius Sigismundi filii ac Principis ora oculos intendebat, quasi illum animans ad eadem retinenda et propugnanda.

« Tertia itaque Junii die jussit, ut coram Secretariis in magno templo Lincopensi Pseudopastoribus hæc iterum proponerentur, quæ nisi observassent, scirent, se illis omnia, ut eos præmonuerat, ademptarum.

« Primum, ut non solum Pauli, sed et Jacobi epistolam de justificatione, fideque ac operibus recte posthac interpretarentur.

« Deinde, ne in Pontificem Maximum et Ecclesiam Catholicam debaccharentur, cum ex hac re oriantur inter Principes amicos dissidia, et in Regnis seditiones. Quare ne item in aliquos alios (designans nos) inveherentur, quandoquidem ejus Majestati nobiscum alia essent agenda.

« Præterea, ut hortarentur populos ad orationem, eleemosynam, statutaque jejunia Quadragesimæ et aliorum temporum, abstinentiam item o carnibus diebus Veneris et Sabbathi observanda. Tempus enim jejunandi, tempus non jejunandi, tempus opera pia agendi, et ejusmodi alia dixerat pridie ejus diei Rex, cum publicam habuisset concionem.

« Denique, ut suam admitterent Litorgiam, jussit.

« Hæc cum major illorum pars audivisset, (nam aliqui ad sua redierant) responderunt se facturos, quod Cathedralis Ecclesia Lincopensis esset factura. Quo responso aut elabi, aut minore pudore ex parte Luteranam doctrinam deserere velle existimati sunt.

LXIV. — Cum igitur Possevinus videret, nullam superesse spem operæ aliquo cum compendio in Svecia navandæ, ne omnem agendæ rei viam obstrueret, infixos Regis animo acres conscientiæ aculeos relinquens, nullo officiorum et urbanitatis genere prætermisso, ab eo facultatem abeundi petiit, unaque cum sociis patribus Guilelmo Good et Laurentio Norvego die S. Laorentio sacra discessit. Rex eumdem quidem prolixe admodum Pontifici commendavit litteris, pietate et obsequio non minus in ipsum Pontificem, quam in Ecclesiam Catholicam insignibus. [*]

[*] Lit Principum Vol. 20. fol. 51.

Beatissimo in Christo Patri, Domino Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Beatissime Pater.

« Beatitudini Vestræ omnia felicia et fausta ad Divini nominis gloriam, et Apostolicæ Sedis incrementum et utilitatem exoptamus. Quæ Beatitudo Vestra anoo superiore de Reverendo Domino Possevino, Vestræ Beatitudinis Internuntio, ad nos perscripsit, ea ita in illo experti sumus. Ac cum ille nunc annum integrum in nostris Regnis sit commoratus, difficultatesque fere omnes, mentem præterea nostram et rerum statum apud nos optime cognoverit, ejusdem prudentiæ ac sinceritati, quæ ipsam maximopere nobis commendarunt, fidentes negotia nostra ipsi concredimus, Vestræ Beatitudini nostro nomine significanda, tum præterea apud Serenissimum et Potentissimum Romanorum Imperatorem, et Serenissimum Regem Poloniæ atque alibi pertractanda: ex quibus Vestra Beatitudo intelliget, eandem prorsus in nobis esse ad pietatem propensionem, et cum Principibus Christianis fovendi amicitiam idem studium, quod semper in nobis fuit eritque. Idem vero cum speremus de paterna Vestræ Beatitudinis erga nos benevolentia in omnibus nostris negotiis promovendis, finem his litteris faciemus, reliqua eidem Reverendo Domino Possevino, ut fusius referat, committentes. Interea Beatitudinem Vestram, quam diutissime felicem et incolumem ad honorem Dei, et Ecclesiæ Christianæ propagationem et emolumentum vivere et valere cupimus. Ex Arce nostra Steckburgensi IV. die mensis Julii anno Domini MDLXXX. Regni vero nostri duodecimo.

In Christo Beatitudinis Vestræ

Obsequentissimus filius

JOHANNES R. S.

Quibus etiam adjunxit officiosissimas litteras Regina, per Possevinum Pontifici reddendas; in quibus præterea negotium suum Neapolitanum commendavit. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 18 fol 52.

Beatissimo in Christo Patri, Domino Gregorio XIII. Pontifici Maximo, Domino Clementissimo.

Beatissime Pater.

« Post diligentem officiorum et studiorum nostrorum commendationem, Beatitudini V.ræ omnia felicia et fausta ad Divini nominis gloriam, et Apostolicæ Sedis incrementum et utilitatem diligenter precamur. Quandoquidem Reverendus Dominus Antonius Possevinus Beatitudinis Vestræ Internuntius, qui in nostris Regnis annum nunc integrum est commoratus, in Italiam reverteretur, noluimus prætermittere, quin nostris litteris eandem Beatitudinem Vestram officiose salutaremus, nos quoque cum Domino nostro marito charissimo, et liberis dilectissimis, ejusdem devotissimis ad Deum precibus perdiligenter commendaremus. Ac cum præfatus Reverendus Dominus Possevinus statum Regnorum nostrorum, mentem præterea cum nostram, tum Serenissimi Domini mariti nostri optime intellexerit, ut Vestræ Beatitudini omnes circumstantias significare possit, voluimus nos hisce nostris esse breviores, cujus relationi fidem indubitatam adhibeat, rogamus, omnino confidentes, Vestram Beatitudinem nostri semper rationem habiturum esse diligentem. Illud quoque unice et officiose petimus, ut nostra negotia Neapolitana Suæ Beatitudini habeat com-

mendatissima, ac præterea quemadmodum speramus, solita benevolentia nos uostrosque complecti et prosequi non desistat. Quod superest, Beatitudinem Vestram quam diutissime salvam et incolumem ad Dei honorem et Ecclesiæ Christianæ propugatiooem et emolumentum conservare velit, Deum Opt. Max. diligenter rogamus. Ex Arce nostra Steekburgensi II. die mensis Julii anno Christi MDLXXX.

In Christo Beatitudinis Vestræ

Obedientissima filia

CATHARINA.

LXV. — Celeberrimus ille uuiversi Cleri Gallicani couventus, primum Meloduni, deinde Lutetiæ Parisiorum habitus, cujus acta anno superiore recensuimus, pridie Kal. Februarias hujus anni finem habuit. Archiepiscopus Lugdunensis, qui ei præfuit, e vestigio Poutifici, quæ in Ecclesiæ bonum decreta fuere, retulit, precatus, ut ea rata sua auctoritate baberet; simul significat nihil adhuc de Concilii Tridentini promulgatione impetrari ab Rege potuisse, responsum tamen se accepisse, quod spem quidem non adimeret omnem. [*]

[*] Gallia Vol. 13. fol. 93.

Sanctissime Pater.

« Ex literis Nuncii tui et sermone multorum perlatum ad te fuisse non dubitamus, quibus caussis adductus Rex Christianissimus, Cleri Gallicani conventum Meloduni primum, deinde Lutetiæ cogi voluerit.

« Itaque illis apud te explicandis cur modo immoremur, nihil opus esse existimamus. Unum vero Sanctitati Tuæ persuasum esse impense velimus, nos omnia, quæ in nobis sita erant, magnis animis exercuisse, ut Tridentinæ œcumenicæ synodi decreta, Regis nostri authoritate recepta et promulgata, hoc in Regno religiose et fideliter observarentur.

« Porro quamvis ea sola, unica certaque ratio esset, qua Ecclesiæ nostræ suus splendor restitueretur, abusus, quibus turpiter deformatur, profligarentur, extirparentur hæreses, quibus crudeliter discerpitur, nefarium denique tolleretur schisma, quo hujus quondam florentis Imperii opes atteruntur, tandemque, nisi summa cura cito provideatur, funditus evertentur: tamen hac in re nihil adhuc potuimus a Rege impetrare, dum veretur, ne Concilii promulgati colore homines factiosi, et incolæ rebelles novas res obstinate magis moliantur, novisque consiliis adversus Regni statum scelerata conspirent: sperat autem temporis progressu rerum suarum securitati melius iri consultum. Quod ubi summo Dei beneficio fuerit consequutus; sancte recepit nihil se omissurum eorum omnium, quæ ad verum Dei cultum conservandum, sanctæque Catholicæ Ecclesiæ dignitatem tuendam pertinere videbuntur. Interim vero dum promulgando Tridentino Concilio commodius et opportunius tempus expectatur, ab Archiepiscopis Concilia Provincialia indici atque ex veterum Canonum præscripto jussit celebrari.

« Huic tam sancto tamque necessario negotio peragendo nostrates Archiepiscopi et Episcopi omnem animi propensionem, solicitudinem et diligentiam adhibituros se profitentur, quo unanimi convenientium sacerdotum decreto Ecclesiastica disciplina corruptissimorem nostrorum temporum vitio prolapsa instauretur, et quæ ab antiquis Patribus pro Ecclesiastici status integritate divinitus fuerunt sancita, sed magna Præpositorem incuria nunc jacent obliterata, in usum revocentur; maxime autem quæ pre moderandis moribus, corrigendis excessibus et componendis Ecclesiasticis controversiis Tridentina synodus sancte constituit, inconcusse observentur. Verum etsi omnes hujus Gallicanæ nostræ Ecclesiæ Antistites unum illud studeant, nihil aliud in votis habeant, hoc unum imprimis exoptent, tamen non parum adjumenti et authoritatis Tua Sanctitas ad Religionis ac pietatis caussam promovendam allatura est, si dignetur literis suis Diœcesanos omnes adhortari, ut huic Conciliorum Provincialium operi studiose incumbant: quorum remedio nullum inveteratis Ecclesiæ malis curandis promptius, utilius efficaciusve esse potest.

« Illud autem te ignorare, Sanctissime Pater, nolumus, nos Regi Christianissimo annua tredecies centena millia libellarum Turonensium subsidii nomine in sexennium concessisse, modo tuæ Sedis Apostolicæ assensu et authoritate concessio nostra confirmetur. Quamobrem obnixe rogamus te omnes, ut hanc largitionem nostram ratam babere velis, quam vel hoc uno nomine in Ecclesiæ utilitatem cessuram facile judicabis, si cogites exitiosas tempestates, universo ordini nostro jam jam impendentes, ea concessione averti et depelli posse.

« Cæterum quorumdam capitulorum schedulam Tuæ Sanctitatis Nuncio tradidimus: qui benigne pollicitus est se bona fide curaturem, ut de omnibus, quæ hisce capitulis continentur, propediem certior efficiaris. Atque cum alio illa non spectent, quam ad Dei cultum, gregis Christiani curam, pacem inter Ecclesiastici ordinis viros retinendam, suaque sanctis Ecclesiis jura asserenda, pro bonitate tua confidimus postulatorum nostrorum rationem te habiturum. Interea vere tantisper dum expectamus, quid super his Sanctitas Tua decernat, vehementer a te petimus, ut Ecclesiam nostram Gallicanam fide, religione, constantia, virtute, nulli alteri Christiani orbis Ecclesiæ olim cedentem, nunc vere variis procellis, iisque periculosissimis jam nimium diu jactatam ac misere afflictam tuo favore complecti, authoritate tueri, et paterna pietate juvare non desinas.

Sanctissime Pater,

Deum Optimum Maximum supplices precamur, ut te Optimum Maximumque Christiani orbis Pontificem suæ Ecclesiæ salvum et incolumen quam diutissime conservet. Lutetiæ pridie Calendas Martii 1580.

P. Depinac

Archiepiscopus Lugdunensis, Galliæ Primas, nomine totius Gallicani Cleri conventus, cui præsedit, S. V. pedes quam humillime osculatur.

A Cardinali etiam Comensi idem Præsul efflagitat, ut qua polleret apud Pontificem auctoritate, Cleri Gallicani precibus suffragaretur, iis maxime, quæ ad subsidium ita dictum ecclesiasticum referebantur. Id enim Rex a Clero postulaverat, ut Hugonottorum contra avitam fidem et Rempublicam molitiones coerceri frangique possent. [*]

[*] Mantissa document. N. 28.

Rex quoque eadem per suum Oratorem a Pontifice vehementer petit. [*]

[*] Ibidem N. 29.

LXVI. — Et re quidem vera Hugonotti, causam prætexentes, quod conditionibus, in quas Pacis Neracensis edictum conditum fuerat, ab Rege sibi concessis non staretur, septimum religionis causa bellum commissuri, iterum arma arripueraut. Itaque Rex Navarræ, perduellium caput et dux, Majo mense ineunte Cadurcum nobilem urbem, Episcopali sede et Academia illustrem, ex improviso armis aggressus, diu acriterque civibus propugnantibus, in potestatem tandem suam redegit, crudelemque in modum diripuit. Exceperunt mox complurium aliorum in eadem Aquitania, tum deinceps in Pictonibus, Sanctonibus, Septumania ac Delphinatu oppidorum obsidiones, direptiones, cædes. Quæ cum Regi, nihil minus cogitanti, miraque in securitate degenti delata essent, palam seditiosos homines armis persequendos, initæque pacis leges servare cogendos statuit. Quapropter tres celerrime parari instruique exercitus jubet: quorum alter Faram in Piccardia recuperatum iret; alter in Aquitaniam contra Regem Navarræ proficisceretur; tertius tumultuum comprimendorum causa Delphinatum peteret. Singulis exercitibus singulos perficiendis pro suo quemque ingenio ex sententia rebus aptissimos, atque eos maxime gnaros, rerumque prudentes duces præficit. Cum enim ad Faram recuperandam maturato opus esse, idque magni sua interesse existimaret, propterea quod in media Gallia sita, Lutetiæ proxima ac subsidiis ex finitimo Belgio accipiendis peropportuna esset, eo Jacobum Matignonium Marescallum præmisit, cujus opera, si quid gravioris momenti esset aggrediendum, uti solebat. Cum porro Navarræ Regem (cujus plurima ipso regio nomine, vel propinqua cum Rege cognatione erat rebus novandis vis) reprimendum magis quam opprimendum esse putaret, ne res publicæ in extremum discrimen adducerentur, adversus eum misit Armannum Bironium Marescallum, qui pristinam erga eum animi inclinationem nondum exuerat. Cum denique in ea sententia esset, ut nollet hominum ex Catholicorum fœdere animos ab se alienare; cumque horum caussam potentissima Guisiorum gens in se suscepisset, hujusque rationem habendam esse perspiceret, Carolo Duci Mayennio copias in Delphinatum ducendas permisit; idque eo consilio fecit, tum quod is mitioris esset quam frater ingenii; tum vero quod in ea provincia nihil magni momenti agendum esse censebat. Res profecto, ut Rex animo præceperat, contigerunt. Quo factum est, ut Hugonotti cum undique se opprimi frangique viderent, viribus suis diffisi ad pacem petendam pertinaces animos flecterent. [*] Quæ tandem in Petrocoriis apud Flexiam die vigesima sexta Novembris composita et firmata a Rege, die vigesima sexta Decembris Blesis rata habita fuit. Inde per quinquennium fere toto regno tuta pax tenuit.

[*] Mantissa document. N. 30.

LXVII. — Catharina Medicea iterat ad Pontificem preces de Lenoncurtio in sacrum Cardinalium senatum cooptando [*]. Idem facit Rex de Cardinali Valdemontano Episcopo Tullensi [*], et Foxio Archiepiscopo Tholosano [*] tandem renunciandis; tum de conferendo Magno Hierosolymitani ordinis Alverniæ Prioratu hieromiliti Francisco de la Chambre nuncupato [*]; tum etiam de remittendo id Joanni a Combesio, S. Victoris Bajocensis Abbati designato, quod nomine annatæ ab eo erat persolvendum [*]. Porro Stephanum Sichæum Provincialem Dominicanorum, virum de Ecclesia, deque Ordine suo optime meritum, ad comitia pro novo Magistro Generali dicendo Romam profecturum Gregorio impense commendat. [*]

[*] Ibidem N. 31.
[*] Ibidem N. 32.
[*] Ibidem N. 33.
[*] Ibidem N. 34.
[*] Ibidem N. 35.
[*] Ibidem N. 36.

LXVIII. — Bituricenses, quod experientia tenerent, quanti interesset animarum salutis ab optimis quibusque viris Ecclesias administrari, vehementiori studio Pontificem denuo exorant, ut suæ Ecclesiæ Præsulem Mimatensem, omnium votis exoptatum, tandem præficere velit. En litteras, quas studiorum Universitas in laudem ejus Episcopi ad Pontificem dedit. [*]

[*] Litt. Principum Vol. 33. fol. 89.

« Beatissimo Papæ Gregorio XIII. Pontifici Maximo, Rector et Universitas Biturigum

S. P. D.

« Agitur jam annus quintus, ex quo hæc provincia pastore vidua jacet in squalore et luctu maximo, dum frui non potest eo, quem Regia Majestas defuncto nominavit successorem, Dño Reginaldo de Beaune Episcopo Mimatensi, piissimo ac doctissimo; nimirum tracta nescimus quibus de causis translatione, et ordinatione ejus in hunc diem: quæ res multa toti provinciæ creat pericula, creabitque longe plura, nisi tua

pietas subvenerit, et hunc quamprimum nobis, quem optat clerus omnis Biturigum, omnes ordines expetunt, hæc Universitas maxime desiderat, pastorem dederit et patrem. Causa autem hunc potissimum desiderandi quædam singularia et præcipua nobis est. Confluunt in hanc Universitatem studiosi adolescentes quamplurimi, partim discendi Juris, partim aliarum disciplinarum gratia, quibus vix satis fuerit pastor quilibet, vigilacem postulant et probum, qui tam prosit exemplo quam doctrina, et omni quoque disciplinarum genere instructum; nec alium novere, in quo eæ dotes ac beneficia Dei magis eluceant. Quamobrem simul ac certiores facti sumus de eo Archiepiscopo Biturigibus præficiendo, et clerum et nobiles ac plebejos omnes per literas Sanctitatem Vestram rogare et obtestari, volumus et nos supplices Universitatis nomine eorum desideriis preces nostras adjungere. Per Deum te obsecrant, ut ne tali viro nos diutius carere sinas, cujus doctrina et providentia certo confidimus, brevi fore, ut nimirum sane multi, qui in hac provincia grassantur hostes Ecclesiæ Catholicæ vel resipiscant, vel repente sibi, quo aufugiant, alium locum quærant. Quandiu enim antehac Ecclesia huic similes pastores habuit, nulli extitere in ea perfidi, nulli rebelles, et vel hodie quo loco existit, optimus aliquis protinus conticescit, vel exulat inde sua sponte omne id hominum genus, ut scriptum est, diabolum dum sibi resistentem aliquem videt, statim per fugam alio se conferre. Proinde certi sumus, illo nobis dato pontifice, brevi fore totam hanc provinciam omnis hæreseos expertem, quia hoc illi semper curæ pretium fuisse scimus, ut hæreticos longissime abigeret, si minus, quod etiam non difficile est, curva in eis quæ sunt, corrigere posset, constantes autem in fide tueretur, protegeret, arceret ab illa hominum peste atque colluvie. Habes, Sanctissime Pater, Regis Christianissimi et omnium ordinum vota, habes consensum et preces omnium; fœlices sumus si his etiam accesserit benignitas tua, eo jure, quod merito Sedi Vīæ amplissimæ debetur, remisso, prout Tuæ Sanctitati conveniens videbitur et æquum, nempe habita ratione facultatum hujus Ecclesiæ, quæ perexignæ sunt, ob vastata ubique incursu hæreticorum prædia ad eam pertinentia, quæ ille restituere decrevit; nec potest aliter quam si in eo exprimendo, ut benignum et liberalem Pontificem addecet, S. T. officium quam fructum potius sequatur, spectet. Deus Opt. Max. Sanctitatem Tuam, Bñe Pater, diu nobis et Christiano orbi servet incolumem. Avarici Biturigum x. Calendis Martii MDLXXX.

De mandato D. Rectoris et consensu totius Universitatis Biturigum

Cethovée
Scriba dictæ Universitatis.

LXIX. — Hic autem non putamus prætereundum silentio esse, quam Henricus Galliarum Rex, in sua vivendi ratione legum ecclesiasticarum religiosus observator esset. Is enimvero infirma affectaque valetudine adduci non poterat, ut per majora jejunia carne aliisque interdictis cibis vesceretur. Quam obfirmata hac in re esset sententia, ex eo colligitur, quod providus Pontifex Nuntio suo Parisiensi mandatum dedit, ac pluribus quidem verbis, ut omnia experiretur, quæ ad Regem ab ea sententia abducendum valerent, efficeretque, ne salubribus uti cibis sibi in religionem duceret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 128. f. 271.

Dilecto Filio Anselmo Dandino Nostro et Sedis Apostolicæ apud Regem Francorum Nuncio.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus, Charissimum filium nostrum Henricum Galliæ Regem infirmiore valetudine esse, quam ut possit ea salva perseverare in eorum ciborum usu, qui huic sacrosancto Quadragesimali jejunio maxime conveniunt; recusare autem, ut est magna religione præditus et divinarum legum institutorumque observantissimus, aliis vesci. Quia igitur intelligimus, illum magno in periculo versari, incolumem vero conservari tum Galliæ ipsius, tum universæ Catholicæ Ecclesiæ plurimum interesse; mandamus, ut cum horteris nostris verbis, præcipias etiam, si ita opus esse intelliges, in virtute sanctæ obedientiæ, ut hac in re medici sui consilio utatur; agas etiam cum medico ipso, cum eleemosynario, cum concionatore, cum eo, cui Rex sua crimina confiteri solet, ut hoc idem ei suadeant, inducantque eum ad obediendum nostris monitis; omnia denique facias, ut Rex a cibis noxiis valetudinique suæ adversariis abstineat, salubribusque utatur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Martii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

LXX. — Propter civiles tumultus provinciarum Occitaniæ et Delphinatus, superius narratos, res Avenionenses et Venusinæ maximo in periculo versabantur. Hugonotti enim earum regionum id unum sequebantur, ut has pontificias ditiones facerent suas, fidem Catholicam exinde radicitus evellerent. Omnia direptionibus, incendiis, cædibus, cæterisque id genus flagitiis infesta faciebant: quod vero armis subjicere non possent, id assequi insidiis, fraudibus, proditionibus moliebantur. Id porro dolendum fuit, quod perversis nonnullis Catholicis sese illis adjungere non fuerit verecundiæ. Igitur improbi illi homines, cædibus assueti, per latrocinia ac rapinas vitam traducentes, omnium eorum, qui in iis pontificiis ditionibus magistratus gerebant, vitæ insidias struebant. Atque eo sceleris processerunt, ut fœdum consilium inive-

rint interficiendi spectatissimum illum virum Dominicum Grimaldum, qui tanta cum sapientia atque omnium plausu Comitatum Venusinum regebat. Qui cum non sine divini numinis auxilio ex nefariis manibus evasisset, scelestissimi homines ejus fratrem cum aliquot equitibus crudeliter contrucidarunt. Iidem vitæ etiam clarissimi Episcopi Carpentoractensis insidiabantur. [*] Legas, quæ Venusini de hac crudeli luctuosaque re Pontifici retulerunt. [*]

Beatissime Pater, post beatorum oscula pedum.

« Nunquam quidquam nobis, inter tot ac tantas bellorum civilium calamitates, quibus tandiu premimur, accidit, quod hanc totam vestram provinciam tantopere conturbarit, commoverit et afflixerit, quam quod hisce proximis diebus in Rm̃um Dñum Grimaldum, Rectorem nostrum observandissimum, de Sede Apostolica ac de nobis tam bene meritum, commissum et perpetratum fuisse Sanctitas Vestra intelliget. Cum, Beatissime Pater, nihil a quoquam temerarius, nihil funestius, nihil nefarius ausum, aut tentatum unquam fuisse nemini non exploratum sit, quandoquidem perfractis totius verecundiæ cancellis, omnique fide labefactata, omni denique magistratuum authoritate contempta, summi item Principis nostri majestate depressa, in tantum nefas prosilire et proruere non dubitarint quidam vestræ ditionis insani et perditi homines, ut vestræ hujus provinciæ Rectorem aggredi ac trucidare conati sint, magno ad id armatorum et nefariorum hominum a circumvicinis provinciis conflato numero; necnon ejus fratrem, alterius Beatitudinis Vestræ levis armaturæ cohortis ducem, cum plurimis ejus equitibus, et aliquot civibus Carpentoractensibus, crudelissime, infinitisque vulneribus discerptum occidere non veriti sint, eo quippe die, Bm̃e Pater, quo ad civitatem Carpentoractensem (caput hujus vestræ provinciæ) intercipiendam, paratas esse insidias ab Illm̃o Cardinali Arminiaco nuntiatur. Cujus facinoris causa, Beatissime Pater, quamvis ob tot et tam insignia ejusdem Domini Grimaldi in nos benemerita, et propensissimum omnium nostrum in eum animum, tota hæc vestra provincia magno luctu et incredibili mœrore afficiatur: nihilominus hoc uno maxime angimur atque cruciamur, quod cum dignitatis Beatitudinis Vestræ, et Sedis Apostolicæ authoritatis præsertim conservandæ causa, tale adversus eum odium conflatum fuerit, inde apertam fore viam ad omne genus sceleris et tyrannidis videamus; quodque quieti securitatique publicæ (sine qua nemo est qui velit vivere) ullum vix relictum iri locum, atque ideo vestram hanc provinciam in majus, quam unquam antea, discrimen vocari valde dubitemus. Quamobrem, Beatissime Pater, supplices ad Sanctitatis Vestræ pedes venimus, eamque, quantum a perpetua et constanti fide nostra fieri potest, obsecramus et obtestamur, ut (si unquam antea) nunc certe multo magis saluti, securitatique nostræ consulat; ac ne quid majestati dignitatique Beatitudinis Vestræ detractum sit, provideat, et ut hi qui magistratus munere, Beatitudinis Vestræ causa, nunc funguntur, quique in posterum suscepturi sunt, tuto et libere munus suum administrare, bonosque tueri ac fovere, nefariorumque audaciam reprimere possint. Cujus rei causa omnem operam et industriam, omne studium ac fortunas expendere, nunquam recusabimus; vitam denique ipsam, liberos ac prolem omnem, sine ulla exceptione, cuivis periculo lubentissime subjiciemus; ita ut Beatitudo Vestra semper intelligat de fide, obsequio et devotione, quibus erga Sanctitatem Vestram, et hanc Sedem Apostolicam obstringimur, nihil unquam detractum aut imminutum iri posse. Deinde Deum Optimum Maximum assidue precabimur, ut Beatitudinem V. diu multumque salvam et incolumen conservet. Carpentoracti die 31. Martii 1580. Humilissimi et in perpetuum devotissimi

Sanctitatis Vestræ

Subditi et servuli

Electi Comitatus Vestri Venaissini.

LXXI. — Grimaldus haud ita multo post Romam se contulit, ut Pontifici calamitosam rerum Avenionensium conditionem coram exponeret. Præterea Cardinalis Arminiacus per Latium Rugierum, quo Comes Pirrhus Malvetius militum Præfectus a secretis utebatur, Pontificem de impiis Hugonottorum conatibus edocuit. [*]

LXXII. — Avenionenses et Venusini omnibus precibus reditum Præsidis Grimaldi a Pontifice et Cardinali Comensi expetiverunt. [*] Gregorius, statu illarum regionum et ditionis suæ cognito, Grimaldum ab se dimisit, datisque amplissimis facultatibus, quæ quieti publicæ restaurandæ essent aptissimæ, jussit eum reditum Avenionem maturare: præterea subsidium militum eo misit, quos, ut tutius iter per Provinciam facerent, Præfecto ejus commendavit. [*]

Dilecto Filio Nobili Viro Priori Galliæ, Provinciæ Gubernatori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Mittimus Avenionem rerum nostrarum causa trecentos milites in Italia collectos, quos deferent triremes nostræ. Rogamus Nobilitatem Tuam, ut jubeas eos tota ista Provincia, cui præes, commeatu cæterisque rebus omnibus, quibus indigebunt, justo pretio juvari, eosque quam commendatissimos habeas, ut possint tuto Avenionem pervenire. Erit hoc Nobis gratissimum,

[*] Mandosia document. N. 37.
[*] Avinione Vol. 9. fol. 211.
[*] Mandosia document. N. 38.
[*] Ibidem N. 39.
[*] Brevia Greg. XIII et Sixti V. Vol. 29. ep. 38.

tuaque pietate et perpetuo rerum nostrarum studio dignissimum, cumque Christianissimi Regis rationibus maxime conjunctum: nam ipsius quoque non parum interest, nostram illam ditionem ab hæreticorum communiumque hostium vi liberam conservari. Commendamus igitur hoc negotium Nobilitati Tuæ, quantum rei ipsius necessitas postulat, quantumque eximia tua virtus pollicetur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xx. Junii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

LXXIII. — Galliarum Rex, et Catharina Medicea una cum iis, qui Delphinatus et Occitaniæ provinciis præerant, sedulam operam in Avenionenses tumultus sedandos contulerunt. Ex quo etiam fieri debuisset, ut ditiones pontificiæ in Gallia aliquanto essent pacatiores; quod vero secus accidit. Cum igitur Avenionensium res diuturnis bellis supra pestem, qua impræsentiarum affligebantur, ita essent labefactatæ, ac prope datæ in ultimum discrimen, illos cives denuo a Pontifice precari oportuit, ut suæ ipsorum inopiæ præsto esset, subsidiumque, quo levarentur, mitteret. [*]

[*] Avignone Vol. 8. fol 145.

« Beatissime Pater, quemadmodum qui in procellosa maris periculo constituti, hoc unum tantummodo cupiunt, ut ad salutis portum appellere possint: sic hæc vestra Avenionensis Civitas in profundo miseriæ et necessitatis delapsa, ad Sanctitatem Vestram uti tutissimam ancoram et salutis portum amœnissimum confugit. Cum etenim jam a longo tempore fuerit eadem vestra Civitas, tum multis bellicis graviter onerata, quos tantum abest ad ultimum punctum redactos esse, quinimo in dies crescentes per maximum nobis timorem incutiunt, ob sceleratos et perfidos Sacrosanctæ fidei et Sanctitatis Vestræ inimicos, qui adversus eandem Civitatem vestram adversa multa moliri non desinunt: tam gravia onera perferre, et immensas expensas pati ea de causa coacta fuit, semperque cogitur, ut ad ultimum usque periodum redacta reperiatur, nullusque illi amplius remanserit modus, quo prementibus sibi necessitatibus mederi possit. Exhausto siquidem ære publico, Civiumque particularium facultatibus fere consummatis, ne unus quidem reperiri potest, qui etiam sub fœnore afflictam illam Civitatem adjuvare velit. Quibus tam grandibus necessitatibus pestiferi morbi egregia contagio (quod maxime dolendum est) accessit, quæ miseros subditos tanta cum strage pressit, ut a tribus hinc mensibus inclusus eorum numerus occubuerit, ad cujus medelam quantas expensas fieri conveniat, vix certo dici potest. Multi enim sunt Medici et Chirurgici, qui propter periculum cui se subjiciunt, non nisi sub gravibus salariis operas suas locare voluerunt; multi etiam sunt valetudini Civitatis præfecti, qui labores suos carissimo pretio vendunt, fuere debilesque et ægrotantium multitudo, quibus nedum medicamenta, (quæ non nisi difficillime haberi possunt) sed et alimenta ex publico subministranda sunt, quibus omnibus oneribus quatuor millium aureorum numerus singulis mensibus vix sufficere potest. Est etiam mendicantium egregia multitudo, quos uno in loco extra Civitatem constituto (vulgariter nuncupato à S. Rus) reducere necessarium fuit. Cum siquidem perspicerent Consules cæterique dictæ Civitatis administratores eosdem mendicantes, ut victum sibi quæritarent, hac et illac quotidie per Civitatem divagari in maximum Reipublicæ detrimentum, cum eo modo contagia illa pestifera multis in locis disseminarent, tutissimum esse duxerunt eosdem a Civitate expelli et in dicto loco concludi, ibique sumptibus publicis educari; in qua expensa non mediocris necessaria est, crescente maxime dictorum mendicantium numero, in quibus alendis diebus singulis summa ducentorum florenorum expenditur, majoresque futuræ sunt expensæ, quo major dictorum mendicantium creverit numerus. Hæc aliaque cætera bellicæ calamitatis onera, quæ ab anno 1562. hanc Civitatem vestram miserrime oppresserunt, et in dies opprimunt, tanta et talia sunt, ut vix amplius possit miseranda illa Civitas respirare, nullo sibi penitus relicto modo, quo prædictis oneribus satisfacere possit; quinimo eadem ad tantam penuriam redacta fuit, ut pensiones annuæ (quæ summam quindecim millium coronatorum annuatim excedunt) solvi minime possint, nimisque creditoribus diversis, a quibus proximioribus elapsis annis ob extremam granorum penuriam mutuæ pecuniæ acceptæ fuerunt, satisfieri. Quo fit, ut nullos invenire possimus, qui Civitatem istam his miserandis temporibus adjuvare velint, calamitatem et paupertatem illius dignoscentes, ideoque metuentes, ne in posterum sibi non satisfiat.

« Quamobrem (Beatissime Pater) prælati Consules (post pedum vestrorum devota oscula) nomine deplorandæ illius Civitatis vestræ, genibus flexis, et in terram prostrati, ad Sanctitatem Vestram humillissime confugiunt, quam voce deprecantur, ut Cives Avenionenses ejusdem Sanctitatis Vestræ subditos et servos obsequentissimos amore paterno amplecti dignetur, eorumque (qui tantis hinc inde premuntur calamitatibus) sua humanitate misereri, qui cum omni alio auxilio se destitutos esse dignoscant, vestris tantummodo gratiis, amore, dilectione et liberalitate respirare, et Civitatem vestram conservare posse sine dubio confidunt. Deus ille Optimus Maximus, qui sine fine vivit et regnat, Sanctitatem Vestram felicissime et ad Nestoreos annos conservare dignetur.

LXXIV. — Res Lusitaniæ propter Henrici obitum in summam turbationem devenerunt.

[*] Contin. Annal. Ecclesiast. T. II. p. 779.

« Die nona Januarii, narrat Spondanus [*], celebrari cœpere comitia regni Lusitaniæ, a Rege Henrico anno superiori Amerini indicta, ad tractandum de successore ipsi designando. Ubi cum declarasset, licet Rex Philippus sæpius eum interpellasset, ut ipsum regni successorem designaret, se nihilominus semper rem distulisse, donec de jure partium contendentium plene edoceretur; id vero cum sedulo fecisset, et mature pensitatis et examinatis singularum rationibus, exploratisque peritorum sententiis, tandem comperisset, inter Philippum et Bragantinam controversiam remanere: hanc tamen sententia dirimere se varias ob causas periculosum censere, satiusque videri, ut amice et pacata via res transigeretur: ac proinde illos monere, ut in commune consulerent, quo ex eorum deliberatione de re omni deinceps statueret. Hæc propositio cum Syndicorum civitatum animos mirum in modum perculisset, qui non alium Regem quam Lusitanum cupiebant, ac rem ad electionem deducendam esse perstrepebant; nequaquam de ea amice componenda, aut ad paucorum judicium adducenda audire sustinuerunt. Adeo, ut Rex ita affectis animis pronunciare intempestivum existimans, eorum petitioni utcumque assenserit, concedens ut rationes, ob quas ad electionem admitti deberent, allegare intra triduum liceret. Lætis ea gratia, quod se Regem arbitrio suo creaturos confiderent, haud datum est diu gaudio frui. Henrico interim, qui jam cum Amerinum se contulit, ægrotabat, ultima die Januarii ex hac vita sublato, sub mediam noctem hora et momento a se prædictis; cum eodem tempore Luna deliquium passa esset, Rexque in principio ejus deliquii mori cœpisset, et in fine expirasset, manu candelam tenens: cum eadem hora ante sexaginta octo annos in lucem editus fuisset. Regnavit menses septemdecim.

« Post ejus mortem apertis testamenti ante octo menses conditi tabulis, repertus est successionem ei deferre, qui causa in jure disceptata vinceret, nisi ipse ante mortem, causa plene cognita, jam eum nominasset. Quinque vero Gubernatores, quos vidimus constitutos, qui curam regni gererent post Regis obitum, ejus administrationem susceperunt. Ad quos Philippus simulque ad Ordinum conventus, et Cameram Olypponensem scribens petiit, ut se juxta Henrici avunculi voluntatem ante obitum significatam, quandoquidem de jure suo cunctis abunde constaret, sine dilatione Regem declararent, quod si facerent, paratum se privilegia ac libertates eorum confirmare, et novas, si opus esset, addere; si recusarent, armis se jus suum persequi decrevisse.

« Philippus autem, ne res in longum traheretur, duos paratos habens potentes exercitus terra marique, maritimi imperium commisit Alvaro Bassano S. Crucis Marchioni, Hispanicarum triremium præfecto, et bello nuper contra Turcos multum laudis adepto; terrestrem jussus in Lusitaniam ducere clarissimus et experientissimus tota Hispania atque Europa belli imperator Ferdinandus Alvarus, Albæ Dux.

LXXVI. — « His igitur (prosequitur idem Spondanus) potens Philippus exercitibus et ducibus, securusque a Turcis per triennales inducias cum Amurate eorum Imperatore pactas redditus; cum interim haud ignoraret, quam sinistri rumores de se passim non solum in Lusitania, sed etiam per Italiam spargerentur, quasi vi alienum regnum invaderet, calcata juris ratione, cui se infirmiores competitores subjecerant, aliquid famæ dandum ratus, familiari sibi dissimulatione, totum negotium rursus ad conscientiæ normam examinandum nonnullis Theologis suis Complutensibus, dum nihilominus nullam bello inchoato moram interponeret, per otium discutiendum permisit, quærens ab iis: primo, si cum sibi de jure suo certo constaret, obligaretur alicui se tribunali submittere, quod ipsi regnum adjudicaret; deinde si, Lusitanis recusantibus eum admittere, antequam lite cum aliis competitoribus disceptata judicio obtineret, posset propria auctoritate regni possessionem armis apprehendere, hoc proposito, quod nullo scrupolo se teneri sentiret; tertio, an jusjurandum, quo Lusitani sese obstrinxisse dicebant de non admittendo Rege, qui non in judicio declaratus esset, excusationi esset pro non recipiendo Rege legitimo. Ad quæ Theologi prorsus voto Philippi congruentia respondentes dixerunt, nullo eum conscientiæ vinculo obligari ad subjiciendum se hac in re jurisdictioni aut arbitrio alterius cujuscunque, cum nullum agnosceret se superiorem; nec quidem et undecim illorum Judicium, qui ab Henrico fuerant olim constituti; cum certum esset, ipsos a se nullam habere auctoritatem, et quæ a Rege mandata fuerat, ipsius morte expirasse: vel denique ipsius Summi Pontificis, quod res mere soli esset, neque quicquam admistum haberet, cujus respectu sacri fori deberet intercedere auctoritas. Ac proinde nec Lusitanos ulla jurisjurandi religione teneri, quandoquidem nemo esset, vel auctoritate vel jure Philippo superior, qui de causa posset cognoscere. Quæ Theologorum sententia postea publicata est: ejusque auctoritatem Philippus ad arma jam sumpta etiam accedere voluit: ac secundum eam missis ad se Lusitanorum legatis responsum dedit, significans e duobus alterum eligendi necessitatem impositam eis esse, aut scilicet bellum, aut ipsius in Regem receptionem cum privilegiorum et immunitatum confirmatione.

LXXVI. — Hoc responso rebus perturbatioribus redditis, et regni Gubernatoribus parum inter se concordantibus, pluribusque eorum ad Philippum inclinantibus; ut tamen munus suum exequi viderentur [*], in speciem cuncta ad defensionem pararunt, potius ut plebis insanientis furorem ea diligentia placarent, quam quod ullum inde operæ pretium sperarent: miseruntque in Galliam ad Regem, in Italiam ad Pontificem, in Germaniam ad Imperatorem, in Angliam ad Reginam, quaquaversum ad cæteros Principes pro auxiliis et hominum et pecuniarum: quæ omnia frustra fuerunt.

[*] Nuntiat. document. N. 41.

Dux Bragantiæ procul dubio tum anteibat omnes, qui jus in Lusitaniæ regnum prætendebant. Hic itaque et ejus conjux Pontificem adeunt, poscentes, ut, levissimis rationibus, quas tum Philippus Rex, tum infelix ille Antonius Crati Prior pro se attulissent, rejectis, sua jura ac præcipue Catharinæ uxoris tueri velit. Habes sane quidem pluribus verbis de hac re litteras ab Catharina ad Pontificem datas, in quibus nescio quid magis mireris, ingenii in muliere sensus, an patriæ charitatem, in Sanctam Sedem Apostolicam obsequium et fidem? [*]

[*] Lit. Principum Vol. 34. fol. 263.

Beatissime Pater.

« Catharina neptis Emmanuelis Regis, filia Infantis Odoardi et Infantis Elisabethæ, Joannis Ducis Brigantiæ et Barcellorum uxor, sacratissimos Tuæ Sanctitatis pedes supplex exosculor. Scis, Pater Beatissime, Henricum Regem, patruum Dominumque meum, postquam Sebastiano successit, eos omnes ad judicium vocasse, qui de ejusdem successione contendere posse videbantur, ut lata sententia declararet, cui illa jure deberetur. Inter eos, qui in jus vocati sunt, Philippus Rex Catholicus, etsi ad Regem Oratores miserit, qui eumdem illius legitimum successorem esse affirmarent, et ejus rei declarationem importune exigerent, procuratores tamen nunquam misit, qui (ut par erat et Christianum Principem decebat) observato juris ordine causam agerent. Dominus vero Antonius Infantis Ludovici naturalis filius, cum se ex legitimo matrimonio procreatum asseruisset, in ejus rei fidem multos exhibuit testes, ex quorum dictis apparuit, nullo unquam tempore ejus parentes aut de præsenti aut de futuro sponsalia contraxisse; idque, re diligenter inspecta, pronunciavit Henricus Rex tamquam tuus et Sedis Apostolicæ delegatus. Cumque res judicata fuisset, nescio, quas ab Apostolica Sede litteras impetrasse ajunt eundem Dominum Antonium, quibus referunt (nec enim res est in comperto) Sanctitatem Tuam in irritum revocasse ea omnia, quæ Henricus Rex in hac causa decreverat, ita ut denuo agitanda sit, et oporteat dependentem ex illa successionis Regiæ quæstionem suspendere, quousque natalium controversia terminetur. Dum hæc gerebantur, Rex Catholicus multas undique copias parari jussit, magnas instruxit classes, multosque alios belli coegit apparatus: nec deerant, qui affirmarent illa omnia eo consilio fuisse comparata, ut si Henricus Rex alium sibi successorem designasset, ille vi et armis Regnum occuparet. Quamvis autem de Rege Catholico nihil tale liceat suspicari, his tamen difficultatibus usque adeo perturbatus est Rex Henricus, ut videretur velle Regnum Philippo Regi tradere non lata sententia, sed pactis initis, existimans hac ratione Christianæ Reip. paci recte consuli. In id totius Regni comitia in hoc oppido celebravit, meumque consensum et litteris et missis ad me oratoribus, oblatisque in meum privatum commodum multis, utilissimisque conditionibus petiit Rex et Judex, et prope extorquere conatus est, asserens totius rei dubium versari quidem inter Philippum Regem et me tantummodo; interim tamen oportere, ut ego meo juri cederem, ne si sententia pro me lata esset, Rex Catholicus armorum vi illius executioni sese objiciens Lusitaniam invaderet, et non solum Regna hæc, sed et aliæ Christianorum Respublicæ bellorum damna paterentur. Egn vero, Pater Sanctissime, cum memoria repeterem, quibus miraculis Deus Opt. Max. abhinc multis annis Lusitanum Imperium a Castellæ Regnis majorum nostrorum virtute sejunctum, ad hæc usque tempora conservatum amplificaverit, quantisque vitæ periculis se libenter obtulerint præteriti Lusitanorum Reges mei progenitores, ut libertatem, quam semel his Regnis quæsierant, perpetuo conservarent; non potui adduci, ut propositis a Rege pactis cum patriæ traditione consentirem; quin potius constantissime et sæpissime respondi, nihil me de jure meo esse remissuram in gratiam Regis Catholici, quo Regna hæc Castellæ Regnis jungerentur, nec aliud pati posse aut meum in patriam amorem, aut Lusitanorum Regum memoriam. Ne autem videri potuisset moveri me privatis potius commodis, quam publicæ libertatis desiderio, ingenue obtuli Henrico Regi, cessuram me juri meo in gratiam Theodosii Barcellorum Ducis mei primogeniti, ut ille cum altera ex Infantibus Catholici Regis filiabus nuptias contrahens in Regno succederet post obitum Regis Henrici: quin etiam significavi, me aliis pactis cum mei juris renunciatione consensuram, dummodo Lusitanæ Reipublicæ libertas, et naturalium regum successio conservaretur: si hæc non placerent, mihi in animo esse de meo jure diligenter agere, ut si pro me sententia pronunciaretur, eandem divini numinis auxilio, etiam Catholico Rege repugnante, Lusitanus populus exequeretur: nec credendum esse de Rege optimo et Principe Christiano, eum contra divinas et humanas leges, neglecta auctoritate rei judicatæ,

[*] Contin. Annal. Ecclesiast. T. II. p. 779.

« Die nona Januarii, narrat Spondanus [*], celebrari cœpere comitia regni Lusitaniæ, a Rege Henrico anno superiori Amerini indicta, ad tractandum de successore ipsi designando. Ubi cum declarasset, licet Rex Philippus sæpius eum interpellasset, ut ipsum regni successorem designaret, se nihilominus semper rem distulisse, donec de jure partium contendentium plene edoceretur; id vero cum sedulo fecisset, et mature pensitatis et examinatis singularum rationibus, exploratisque peritorum sententiis, tandem comperisset, inter Philippum et Bragantinam controversiam remanere: hanc tamen sententia dirimere se varias ob causas periculosum censere, satiusque videri, ut amice et pacata via res transigeretur: ac proinde illos monere, ut in commune consulerent, quo ex eorum deliberatione de re omni deinceps statueret. Hæc propositio cum Syndicorum civitatum animos mirum in modum perculisset, qui non alium Regem quam Lusitanum cupiebant, ac rem ad electionem deducendam esse perstrepebant; nequaquam de ea amice componenda, aut ad paucorum judicium adducenda audire sustinuerunt. Adeo, ut Rex ita affectis animis pronunciare intempestivum existimans, eorum petitioni utcumque assenserit, concedens ut rationes, ob quas ad electionem admitti deberent, allegare intra triduum liceret. Lætia ea gratia, quod se Regem arbitrio suo creaturos confiderent, haud datum est diu gaudio frui. Henricus interim, qui jam cum Amerinum se contulit, ægrotabat, ultima die Januarii ex hac vita sublato, sub mediam noctem hora et momento a se prædictis; cum eodem tempore Luna deliquium passa esset, Rexque in principio ejus deliquii mori cœpisset, et in fine expirasset, manu candelam tenens: cum eadem hora ante sexaginta octo annos in lucem editus fuisset. Regnavit menses septemdecim.

« Post ejus mortem apertis testamenti ante octo menses conditi tabulis, repertus est successionem ei deferre, qui causa in jure disceptata vinceret, nisi ipse ante mortem, causa plene cognita, jam eum nominasset. Quinque vero Gubernatores, quos vidimus constitutos, qui curam regni gererent post Regis obitum, ejus administrationem susceperunt. Ad quos Philippus simulque ad Ordinum conventus, et Cameram Olypponensem scribens petiit, ut se juxta Henrici avunculi voluntatem ante obitum significatam, quandoquidem de jure suo cunctis abunde constaret, sine dilatione Regem declararent, quod si facerent, paratum se privilegia ac libertates eorum confirmare, et novas, si opus esset, addere; si recusarent, armis se jus suum persequi decrevisse.

« Philippus autem, ne res in longum traheretur, duos paratos habens potentes exercitus terra marique, maritimi imperium commisit Alvaro Bassano S. Crucis Marchioni, Hispanicarum triremium præfecto, et bello nuper contra Turcos multum laudis adepto; terrestrem jussus in Lusitaniam ducere clarissimus et experientissimus tota Hispania atque Europa belli imperator Ferdinandus Alvarus, Albæ Dux.

LXXVI. — « His igitur (prosequitur idem Spondanus) potens Philippus exercitibus et ducibus, securusque a Turcis per triennales inducias cum Amurate eorum Imperatore pactas redditus; cum interim haud ignoraret, quam sinistri rumores de se passim non solum in Lusitania, sed etiam per Italiam spargerentur, quasi vi alienum regnum invaderet, calcata juris ratione, cui se infirmiores competitores subjecerant, aliquid famæ dandum ratus, familiari sibi dissimulatione, totum negotium rursus ad conscientiæ normam examinandum nonnullis Theologis suis Complutensibus, dum nihilominus nullam bello inchoato moram interponeret, per otium discutiendum permisit, quærens ab iis: primo, si cum sibi de jure suo certo constaret, obligaretur alicui se tribunali submittere, quod ipsi regnum adjudicaret; deinde si, Lusitanis recusantibus eum admittere, antequam lite cum aliis competitoribus disceptata judicio obtineret, posset propria auctoritate regni possessionem armis apprehendere, hoc proposito, quod nullo scrupolo se teneri sentiret; tertio, an jusjurandum, quo Lusitani sese obstrinxisse dicebant de non admittendo Rege, qui non in judicio declaratus esset, excusationi esset pro non recipiendo Rege legitimo. Ad quæ Theologi prorsus voto Philippi congruentia respondentes dixerunt, nullo eum conscientiæ vinculo obligari ad subjiciendum se hac in re jurisdictioni aut arbitrio alterius cujuscunque, eum nullum agnosceret se superiorem; nec quidem et undecim illorum Judicium, qui ab Henrico fuerant olim constituti; cum certum esset, ipsos a se nullam habere auctoritatem, et quæ a Rege mandata fuerat, ipsius morte expirasse: vel denique ipsius Summi Pontificis, quod res mere soli esset, neque quicquam admistum haberet, cujus respectu sacri fori deberet intercedere auctoritas. Ac proinde nec Lusitanos ulla jurisjurandi religione teneri, quandoquidem nemo esset, vel auctoritate vel jure Philippo superior, qui de causa posset cognoscere. Quæ Theologorum sententia postea publicata est: ejusque auctoritatem Philippus ad arma jam sumpta etiam accedere voluit: ac secundum eam missis ad se Lusitanorum legatis responsum dedit, significans e duobus alterum eligendi necessitatem impositam eis esse, aut scilicet bellum, aut ipsius in Regem receptionem cum privilegiorum et immunitatum confirmatione.

LXXVI. — Hoc responso rebus perturbatioribus redditis, et regni Gubernatoribus parum inter se concordantibus, pluribusque eorum ad Philippum inclinantibus; ut tamen munus suum exequi viderentur [*], in speciem cuncta ad defensionem pararunt, potius ut plebis insanientis furorem ea diligentia placarent, quam quod ullum inde operæ pretium sperarent: miseruntque in Galliam ad Regem, in Italiam ad Pontificem, in Germaniam ad Imperatorem, in Angliam ad Reginam, quaquaversum ad cæteros Principes pro auxiliis et hominum et pecuniarum: quæ omnia frustra fuerunt.

[*] Manticæ document. N. 41.

Dux Bragantiæ procul dubio tum anteibat omnes, qui jus in Lusitaniæ regnum prætendebant. Hic itaque et ejus conjux Pontificem adeunt, poscentes, ut, levissimis rationibus, quas tum Philippus Rex, tum infelix ille Antonius Crati Prior pro se attulissent, rejectis, sua jura ac præcipue Catharinæ uxoris tueri velit. Habes sane quidem pluribus verbis de hac re litteras ab Catharina ad Pontificem datas, in quibus nescio quid magis mireris, ingenii in muliere sensus, an patriæ charitatem, in Sanctam Sedem Apostolicam obsequium et fidem? [*]

[*] Lit. Principum Vol. 34 fol. 283.

Beatissime Pater.

« Catharina neptis Emmanuelis Regis, filia Infantis Odoardi et Infantis Elisabethæ, Joannis Ducis Brigantiæ et Barcellorum uxor, sacratissimos Tuæ Sanctitatis pedes supplex exosculor. Scis, Pater Beatissime, Henricum Regem, patruum Dominumque meum, postquam Sebastiano successit, eos omnes ad judicium vocasse, qui de ejusdem successione contendere posse videbantur, ut lata sententia declararet, cui illa jure deberetur. Inter eos, qui in jus vocati sunt, Philippus Rex Catholicus, etsi ad Regem Oratores miserit, qui eumdem illius legitimum successorem esse affirmarent, et ejus rei declarationem importune exigerent, procuratorem tamen nunquam misit, qui (ut par erat et Christianum Principem decebat) observato juris ordine causam agerent. Dominus vero Antonius Infantis Ludovici naturalis filius, cum se ex legitimo matrimonio procreatum asseruisset, in ejus rei fidem multos exhibuit testes, ex quorum dictis apparuit, nullo unquam tempore ejus parentes aut de præsenti aut de futuro sponsalia contraxisse; idque, re diligenter inspecta, pronunciavit Henricus Rex tamquam tuus et Sedis Apostolicæ delegatus. Cumque res judicata fuisset, nescio, quas ab Apostolica Sede litteras impetrasse ajunt eumdem Dominum Antonium, quibus referunt (nec enim res est in comperto) Sanctitatem Tuam in irritum revocasse ea omnia, quæ Henricus Rex in hac causa decreverat, ita ut denuo agitanda sit, et oporteat dependentem ex illa successionis Regiæ quæstionem suspendere, quousque natalium controversia terminetur. Dum hæc gerebantur, Rex Catholicus multas undique copias parari jussit, magnas instruxit classes, multosque alios belli coegit apparatus: nec deerant, qui affirmarent illa omnia eo consilio fuisse comparata, ut si Henricus Rex alium sibi successorem designasset, ille vi et armis Regnum occuparet. Quamvis autem de Rege Catholico nihil tale liceat suspicari, his tamen difficultatibus usque adeo perturbatus est Rex Henricus, ut videretur velle Regnum Philippo Regi tradere non lata sententia, sed pactis initis, existimans hac ratione Christianæ Reip. paci recte consuli. In id totius Regni comitia in hoc oppido celebravit, meumque consensum et litteris et missis ad me oratoribus, oblatisque in meum privatum commodum multis, utilissimisque conditionibus petiit Rex et Judex, et prope extorquere conatus est, asserens totius rei dubium versari quidem inter Philippum Regem et me tantummodo; interim tamen oportere, ut ego meo juri cederem, ne si sententia pro me lata esset, Rex Catholicus armorum vi illius executioni sese objiciens Lusitaniam invaderet, et non solum Regna hæc, sed et aliæ Christianorum Respublicæ bellorum damna paterentur. Ego vero, Pater Sanctissime, cum memoria repeterem, quibus miraculis Deus Opt. Max. abhinc multis annis Lusitanum Imperium a Castellæ Regnis majorum nostrorum virtute sejunctum, ad hæc usque tempora conservatum amplificaverit, quantisque vitæ periculis se libenter obtulerint præteriti Lusitanorum Reges mei progenitores, ut libertatem, quam semel his Regnis quæsierant, perpetuo conservarent; non potui adduci, ut propositis a Rege pactis cum patriæ traditione consentirem; quin potius constantissime et sæpissime respondi, nihil me de jure meo esse remissuram in gratiam Regis Catholici, quo Regna hæc Castellæ Regnis jungerentur, nec aliud pati posse aut meum in patriam amorem, aut Lusitanorum Regum memoriam. Ne autem videri potuisset moveri me privatis potius commodis, quam publicæ libertatis desiderio, ingenue obtuli Henrico Regi, cessuram me juri meo in gratiam Theodosii Barcellorum Ducis mei primogeniti, ut ille cum altera ex Infantibus Catholici Regis filiabus nuptias contrahens in Regno succederet post obitum Regis Henrici: quin etiam significavi, me aliis pactis cum mei juris renunciatione consensuram, dummodo Lusitanæ Reipublicæ libertas, et naturalium regum successio conservaretur: si hæc non placerent, mihi in animo esse de meo jure diligenter agere, ut si pro me sententia pronunciaretur, eandem divini numinis auxilio, etiam Catholico Rege repugnante, Lusitanus populus exequeretur: nec credendum esse de Rege optimo et Principe Christiano, cum contra divinas et humanas leges, neglecta auctoritate rei judicatæ,

arma moturum, si rite et recte pronunciata sententia declaratum foret, successionem hanc eidem non deberi. Porro Henricus Rex belli tempestates extimescens his non acqoievit, et ulterius progrediens, me non solum non consentiente, sed palam reclamante, de Regno eum Philippo Rege pacisci procurabat. Etenim ubi Prælati Regnique proceres, et civitatum oppidorumque insignium procuratores hic convenerunt, eisdem Internuncio Antonio Pinheiro Episcopo Mirandensi illud idem Rex proposuit, quod paulo antea ad me scripserat, nempe successionis Regiæ controversiam solum inter me et Catholicum Regem esse dubiam, seque pro bono pacis longe utilius esse credere rem pactis componere, quam sententia decidere. At Lusitanus populus (ea est hominum in patriam et fides et amor singularis) illa Regis significatione maxime commotus est, ab illo pro amplissimo munere expostulans, ut me ipsius legitimam hæredem declararet, et asserens in re dubia omnes leges, omniaque jura naturali favere potius quam extraneis: id si faceret, nihil his Regnis jucundius esse posse, nec curare se bellorum damna, quæ Lusitani lacessiti pro libertate fortiter essent perpessuri: si vero aliud placeret, paratos eos esse, ut ostenderent jus creandi Regem ad Lositanum populum pertinere, Rege Lusitano sine liberis decedente: eos vero hanc ipsam eligendi Regis potestatem ad se jure spectantem eidem Henrico Regi concessuros, ut quem vellet ex Regio sanguine descendentem (dummodo tamen in Regno Lusitano natus et educatus esset) sibi successorem destinaret. Verum Henricus Rex usque adeo belli pericula effugere conabatur, ut rursus misso Episcopo apud eosdem instaret, affirmans, nihil magis bono publico expedire, quam si hæc causa extrajudiciali compositione sopiretur. Certum tamen est, Episcopum aot proprii muneris et Episcopalis sinceritatis oblitum, aut io re gravissima levissime versatum, his addidisse rem non ita esse dubiam, ut nuper ex mandato Regis affirmaverat, imo Regem Henricum prope esse, ut sententiam pro Rege Catholico pronunciaret: Offendit sane omnium mentes et aures hæc Regis aut verius Episcopi Internuntii incostantia et varietas, eo maxime quia certissimum erat, omnibusque notum, Regem Henricum nondum, quas mei procuratores juris allegationes eidem pro me obtulerant, aut legisse, aut viris doctis (ut res exigebat) legendas tradidisse, ut ab illis posset intelligere, pro quo sententiam dicere deberet; et constabat, Episcopum in media luce Catholici Regis ministris ita favere, ita de illius causa disserere, ut non tam Lusitani Præsulis, quam Castellani hominis et diligentis procuratoris a Rege Catholico destinati personam ageret, ita ut constans fama increbuerit, illum ea omnia ex sua officina sine Regis mandato edixisse, ut populom commovere posset, eique persuaderet in re desperata consultius esse cum Rege Catholico ante sententiam pacisci, quam post rem pro eo judicatam eidem subjici sine conditionibus, quas ajebat illum in populi gratiam ante sententiam facile fuisse admissurum. Sed ex hac ipsa Episcopi licentia et liberrimo illo agendi modo cum summa rerum contradictione conjuncto, apertissime populus cognovit, hæc omnia temere foisse dicta; atque imo rei acerbitate commotus a Rege Henrico petiit, ut sententiam proferret, cumque in primis de jure electionis agentem audiret, plane professus, se nullo unquam tempore pacta aliqua cum Rege Catholico initurum. Cum autem hæc omnia ad Regem Henricum delata essent, doluit graviter suo nomine dictum fuisse, eum prope esse, ut sententiam pro Rege Catholico pronunciaret, affirmans longe se esse ab hujusmodi sententiæ pronunciatione, nec eousque a viris doctis accepisse, quid juris esset in hac controversia; idque rursus per eundem Episcopum populo declaravit. Multa hoc loco possem enarrare, Pater Sanctissime, quibus Sanctitas Tua non leviter moveri potuisset, quæ tamen non sine causa prætereo. In has angustias deductus Rex Henricus, et diuturno morbo ingravescente obiit pridie Kalendas Februarii, et condito testamento designavit eum Regiæ dignitatis successorem, quem judices eo adhuc vivente in id electi legitimum esse Regni hæredem judicarent: ex quo etiam constat, eum de compositione et concordia ob id solum cogitasse, ut publicam pacem retineret. Vides, Pater Sanctissime, quanta mala immineant Lusitanæ Reipublicæ non solum Rege destitutæ, sed multis de Regia successione contendentibus expositæ: nec fieri potest, quin (ut Patrem amantissimum decet) nostram fortunam maxime doleas, cum scias, quam benemeriti sint Reges et populi Lusitani de te, et Sede Apostolica, in cujus obsequio et obedientia se semper tam pie et tam diligenter exercuerunt, ut nulli Principi, nulli nationi in hoc officio postponantur. Ego, Pater Beatissime, eo sum animo, ut sine ulla aut pacis aut juris divini humanive offensione de meo jure agendum esse constituam, prout in hunc usque diem agi volui: et id est, quod omnes alii hujus successionis Prætensores facturi sunt, si jure fecisse videri velint, quodque et te, Pater Sanctissime, et Apostolicam Sedem probare, optare et curare oportet. Interim tamen si quis vim huic Regno inferre voluerit, et per injuriam conatus fuerit me meo jure privare, constituo, Pater Beatissime, viriliter tueri patriæ libertatem, et in Regni defensionem, meique juris conservationem quoscunque etiam adversariores hostes invitabo, certo sciens, non posse mihi imputari incursio-

nes, mortes aut incendia, et si quæ sunt graviora mala, quæ ex bello consequentur non sine gravi Christianæ Reipublicæ periculo, imo vero illorum omnium velut auctorem damnandum esse eum, qui neglecto justitiæ ordine se propria auctoritate Henrici Regis successorem asserere, et istius Regni possessionem violenter invadere tentaverit. Spero autem ultra totius Regni unanimem consensum, quo Lusitani omnes parati sunt vitam pro tuenda libertate prodigere, non defutura esse mihi auxilia non modo Christianorum Principum, quos pro eorum religione certum est in justitiæ favorem sponte venturos, quin etiam Infidelium Regum, qui sese jam libenter offerunt in Regni defensionem: et quod præcipuum est, confidentissime spero Deum Optimum Maximum pro patria et justitia pugnantibus ita fauturum esse, ut inimicorum armis facile resistamus. Verum tui muneris est, Pater Beatissime, qua fieri possit diligentia, et summa Sedis Apostolicæ auctoritate et potestate interposita, omnino curare, ut Rex Catholicus arma deponat, et cum bona pace legitimam judicum sententiam patienter expectet, ne si contra fecerit, universa Hispania, imo et omnes Christianorum Respublicæ bello exardeant cum non levi religionis jactura. Id si pro rei dignitate præstiteris, Pater Sanctissime, probabile est, Regem Catholicum Apostolicis consiliis commotum, de jure suo sine ulla pacis perturbatione actorum fore, quod et ego de me, et de Lusitano etiam populo polliceor. Si autem, Pater Beatissime, aut Sanctitas Tua his malis occurrere distulerit, aut Rex Catholicus tuis monitis non auscultans sese in officio noluerit continere, apud te et Sedem Apostolicam, et in conspectu Dei Optimi Maximi semel et iterum meo et Lusitanæ Reipublicæ nomine profiteor, Pater Sanctissime, nihil mihi, nihil Lusitano populo aut gravius aut molestius esse posse, quam contra Christianos vicinosque et amicos arma sumere: sumpturos tamen nos esse ea libentissime pro retinenda libertate, pro repellenda vi et injuria, pro juris et justitiæ violatione evitanda, pro quibus semper licuit, et semper licebit vitam exponere. Illud etiam rursus profiteor, me et Lusitanum populum (ad exemplum majorum nostrorum) et obsequio et obedientiæ Sedis Apostolicæ firmissime adhærere, nec posse nos ulla unquam bellorum perturbatione commoveri, quominus eodem semper animo simus erga te, Pater Bme, et Sedem Apostolicam: teque certissimum esse exopto, me et meos, in quocunque statu nos aut pacis aut imminentis belli exitus reliquerit, in T. S. servitium et obsequium semper fore propensissimos. Datæ in oppido de Almeirim Non. Februarii anno salutis humanæ 1580.

Osculor sacros Tuæ Sanctitatis pedes

Caterina.

Dux quoque Brigantiæ uxoris litteras suis ad Pontificem precibus prosequutus fuerat. [*]

[*] Lusitania Vol. 5. fol. 36.

Beatissime Pater.

« Joannes Dux Brigantiæ et Barcellorum, Marchio Villævicosæ, Comes Ourensis et Arraiolorum, Dominus Montisfortis et Montislæti, Sanctitatis Tuæ sacratissimos pedes exosculor. Accessit nunc, Pater Beatissime, præteritis malis mors Henrici Regis Dominique mei, quæ nobis multo graviora alia comminatur, ut Sanctitas Tua ex literis Dominæ Catharinæ uxoris meæ charissimæ poterit intelligere. His omnibus facile occurret Sanctitas Tua, si sine ulla mora primos bellorum motus reprimere curaveris, et omnes qui de successione Regis Henrici contendunt, admonueris, ut sine ulla pacis perturbatione de suo jure agant. Id te facturum esse sperant boni omnes, et non solum hujus Regni antiquissimum erga Sedem Apostolicam obsequium promeretur, sed et quæ tibi incumbit, totius Reipublicæ Christianæ cura persuadet. Ego, Pater Sanctissime, constanter credo, te pro tua pietate semper probaturum illorum consilia, qui de pace et jure cogitant, et damnaturum illos, qui per vim et injuriam id usurpare contenderint, quod legibus non audent exigere. Datæ in oppido de Almeirim pridie Nonas Februarii anno salutis humanæ MDLXXX.

Osculor sacros Tuæ Sanctitatis pedes

Ilo Duque.

LXXVII. — Interea Antonius pari odio in Philippum Regem et in Ducem Brigantiæ flagrans, Pontificem supplex adiit, ut sibi in patrio regno recuperando adesse vellet. [*] Is enim populari confisus favori die decima nona Junii Santarenii, ac paullo post die vigesima quarta ejusdem mensis Olyssipone Rex fuit renunciatus. Quo ex facto, dum omnia ubique ingenti trepidatione incertisque consiliis agerentur, Albanus Dux cum terrestri exercitu et Santacrucios cum classe Lusitaniam invadentes, per multa loca receperunt.

[*] Mantova document. N. 12.

« Inter quæ, narrat idem Spondanus [*], supervenicns per dispositos equos Alexander Cardinalis Riarius a Pontifice, antequam nuncius Romam pervenisset de Antonii proclamatione, destinatus, qui Philippo suaderet arma deponere, et causam judicio Sedis Apostolicæ submittere; multo aliam, quam speraverat, rerum faciem inveniens, nihil operari potuit: excusante Philippo, optasse quidem se ab initio ut res citra vim componerentur; sed Antonio creato Rege, ac violata regni Ordinum per illam vitiosam creationem auctoritate, res amplius integras non esse, bellumque inchoatum intermittere perinde esse, ac si victoriam hosti traderet. Qui nihilominus diploma per Lusitaniam publicari mandavit, quo plenam præteritorum gratiam faciebat iis, qui ad obsequium sibi debitum rediissent et

[*] Contin. Annal. Eccles. T. II p. 761.

Antonii partes desererent; excepto tamen a gratia Antonio et iis, qui circa ipsum erant, ac seditionibus causam dederant. Hæc cum anxium de urbis Olysipponensis fide Antonium tenerent; ipseque homo pusilli animi minorisque sensus, cerneret res suas in deterius quotidie collabi, quæsivit cum Philippo pacisci, rogans, contentus esse vellet, ut ipse, quo honestius caderet, Ordinibus regni significaret, se imparem contra Philippi potentiam esse, ac proinde ipsis liberum esse rebus suis consulere. Verum Philippus, qui jam maximam regni partem possidens, conditiones nullas vellet, Antonii nuncium ad Albanum remisit: qui variis ludificationibus miserum Regem postremo ad prælii aleam ex desperatione adegit. Initum autem est illud die 25. Augusti ad vicum Alcantaram, mille passus ab Olysippona distantem, Antonio longe copiarum numero, longissime ducum ac militum experientia Albano inferiore. Quare et nulla fere pugna in fugam versus est, (eodem tempore classe ipsius non longe inde in Tagi fluvii faucibus absque ullo pene certamine in potestatem Sanctaecrucii concedente) et in fuga hasta in facie sauciatus parum abfuit, quin caperetur. Urbem Olysipponam per unam portam ingressus ac per alteram subinde egressus, recta Santaremum concessit cum quadraginta circiter equitibus. Ubi non aliter acceptus quam sub conditione alio se quamprimum conferendi, (insigni ac juxta deplorando inconstantiæ rerum humanarum exemplo, ut quo loco ante duos menses tanto populi concursu ac favore ei tanquam Regi acclamatum fuerat, eidem vix privato tutus receptus esset); inde Conimbricam, rursumque ad alia varia loca divertens, cum a parte exercitus ad eum insequendum immissa ita urgeretur, ut nullibi tuto ei esse liceret; demum suis valedicens mense Octobri per domos nobilium ac Cœnobia, aliaque loca, diversoria subinde mutans usque ad Junium insequentem latuit tanta sive suorum caritate ac fide, sive Hispani nominis odio, ut nullius præmii spe proditus fuerit, (constituit enim Philippus pretium in caput ejus, tanquam perduellis et tranquillitatis publicæ perturbatoris, octoginta ducatorum millium ei, qui aut illum occidisset, aut vivum sitisset, exsolvendum): et quamvis diligenter a discurrente huc illuc milite pervestigatus, nunquam reperiri potuerit, etiamsi non semel inter eosdem ipsos, qui eum quærebant, incognitus fuerit, et aliquando ipsam Olysipponam intraverit: qui postremo salvus in Galliam navigavit. Cum interim non solum Olysippona eodem prælii die in potestatem Albani, sed et subinde universum reliquum regnum ad obedientiam Philippi concesserit; universo bello intra quinquaginta octo dierum spatium confecto.

LXXVIII. — Philippus, qui hoc bellum, auctore potissimum magno illo viro Cardinali Granvellano [*], gerendum susceperat, Antonio Crati Priore profligato, Lusitaniam ingressus, nihil antiquius habuit, quam ut Ducem Brigantiæ intimæ necessitudinis et amoris vinculo sibi conciliaret obstringeretque. Itaque ubi primum Dux salutaturus Regem convenit, peramanter cum allocutus est, magnoque in honore habuit: Magistri Equitum sive Conestabilis regni dignitatem, a majoribus acceptam, eidem hæreditario jure auctam confirmavit, ac Velleris aurei torquem contulit. Forte acciderat, ut per eos dies Philippi uxor extremum diem obiret: Brigantiæ Dux, quod est sapientis hominis uti opportunitate, Hispaniarum luctum Lusitanorum rebus recreandi consilium inivit. Quo igitur Lusitaniæ calamitatibus consuleretur, conjunctioque inter Philippum ac Lusitanum populum firmior sanctiorque esset, statuit filiam suam Regi in matrimonium dare. In quam sententiam eo magis venerat, quod Henricus Rex dum inter vivos ageret, cogitaverat eamdem filio Regis Catholici dare nuptum; qua re sperabat omnia dissidia, omnesque tum intestinas, tum externas de regni successione contentiones prorsus extinctum iri. Quo consilio Dux Brigantiæ permotus ad tuendam ab exitiabili bello patriam, ne cives cum civibus bello decertarent, Pontificem exoravit obsecravitque, ut Regi Catholico illas nuptias suaderet, quibus res facile componi possent. [*]

[*] Mantissa document. N. 43.

[*] Lit. Principum Vol. 34. fol. 204.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Beatissime Pater.

» Joannes Dux Brigantiæ et Barcellorum, Marchio Villævicosæ, Comes Ourensis et Arraiolorum, Dominus Montisfortis et Montis Lætitiæ, Sanctitatis Tuæ pedes supplex exosculor. Tam gravia sunt mala, quæ Lusitana Respublica jamdiu patitur, ut non solum apud Sanctitatem Tuam, sed apud omnes nationes sint notissima, et ad commiserationem maxime movere debeant non modo Sanctitatis Tuæ pectus pientissimum, sed et Christianorum omnium, imo etiam hostium animos, cum videant hoc Regnum abhinc multis annis pace florentissimum, ac singulari quadam juris et Christianæ pietatis observantia ubique commendatissimum, hac tempestate ita esse deperditum, ut post longam de Henrici Regis successione controversiam, ac infelicem Gubernatorum moderationem in belli plusquam civilis damna et injurias gravissimas inciderit, Antonio Infantis Ludovici bon. mem. illegitimo filio omnia perturbante, et per crudelissimam tyrannidem sub Regio nomine, quod injustissime et indignissime usurpaverat, divina humanaque omnia permiscente. Etenim ille seditionis vi et perturbatione crediderat fieri potuisse, ut concitato Lusitano populo, et conciliata

acclamatione plebis, nonnullorumque nobilium, qui ejusdem partes contra jus et fas improbissime secuti sunt, Rex Portugalliæ evaderet sine ullo jure jurisque fundamento aut colore. Certum enim, et apud omnes provincias, urbes, oppida, vicos, singulosque totius Lusitaniæ homines notum erat, semperque fuit, Infantem suscepisse illum ex fœmina quadam soluta et ignobili, ideoque omnibus cognitum fuerat, et sine ulla unquam dubitatione perspectissimum, eumdem non sine gravi Reipublicæ et Majestatis offensione de Regia dignitate obtinenda cogitare incepisse. Horum equidem malorum, Pater Beatissime, ego nec causa fui, nec eis vel levissimam præstiti occasionem. Principio quidem, cum D. Catharinam uxorem meam Henricus Rex in jus vocasset, decisurus ad quem illius in hæc Regna successio pertineret, ejus actionem observatis semper his solum, quæ licita et justa erant, mediis fovi et persecutus sum. Deinde vero Henricus Rex (eo quod ei juris quæstio inter Catholicum Regem et D. Catharinam tantum modo dubia videretur) missis in id Oratoribus, religione et auctoritate gravibus conatus fuit nobis persuadere, ut cum Rege Catholico de Regni successione ita pacisceremur, ut illum, D. Catharina consentiente, ipse vivens sibi successorem designaret, et inter alias conditiones, quæ in meæ domus honorem et augmentum optimare offerebantur, Princeps legitimus Regis Catholici filius et hæres uni ex meis filiabus desponderetur. Nos autem his consentire recusavimus, quum nihil aliud nobis erat in animo, quam de jure nostro diligenter et ingenue agere, nec existimabamus ulla alia ratione melius, quam servato juris ordine, non solum nobis, sed paci, sed patriæ consultum iore. Cum vero Antonius per id tempus perditissimorum hominum tumultuarias quasdam copias coegisset, et jam illorum clamoribus atque impetu Rex appellaretur, urbemque Olissiponem venisset, ac jure omnino neglecto, per vim et arma Regiam dignitatem retinere vellet; cumque Rex Catholicus juri suo fidens, et Antonii temeritate commotus exercitum, quem maximum comparaverat, terra ire, classesque instructissimas mari Olissiponem navigare præcepisset, plane intellexi, Pater Sanctissime, meam tantummodo operam deesse ad absolutum Lusitaniæ exitium, privatarumque et publicarum rerum devastationem. Si enim ego tum temporis vel Antonio accessissem, vel D. Catharinam juri etiam suo summopere confidentem Reginam similiter acclamari procurassem, nullatenus fieri potuisset, quin Regnum hoc trifariam divisum funditus everteretur. Quapropter probabilis ruina, quæ Christianæ religioni ex bellorum licentia minabatur, patriæ amor, et non solum Lusitanarum opum direptio, sed etiam innocentium futurus interitus, Catholicique Regis obsequium, cui multis non tantum sanguinis, sed etiam aliis rationibus obstricti sumus, multiplexque alia consideratio nos coegerunt, Pater Beatissime, ut re mature perpensa, hæc omnia nostris commodis nostræque expectationi et juris confidentiæ anteponeremus. Idcirco ubi primum Antonius insanire cœpit, etiam antequam Regni Gubernatores invasisset et effugasset, in hoc oppidum nos recepimus, Regique Catholico notum fecimus velle D. Catharinam in ejus gratiam juri suo cedere, dummodo Princeps ejus filius filiæ nostræ matrimonio jungeretur, et nonnulla alia fierent ex his, quæ nobis nuper Rex Henricus, sciente et petente ipso Rege Catholico, obtulerat. Hujus consilii hæc potissima fuit ratio: quia cum jam inter Antonii arma et tumultus nullus legibus locus relictus fuisset, certissimaque omnium pernicies futura esset, si ego exactis jam Gubernatoribus Regni causam tueri, aut D. Catharinæ jus vellem defendere, atque ideo oporteret vel Antonii tyrannidi consentire, vel Regi Catholico obtemperare, æquum sane et justum mihi visum est, Catholici potius Regis imperio subjici. Quamvis autem Rex Catholicus hæc omnia, quæ eidem nostro nomine dicta sunt, libenter audierit, et non semel huic negotio ultimam manum imponere decreverit, ejus tamen absolutionem belli morbique, quo nuper graviter laboravit, impedimenta retardarunt; quibus etiam accessit mors Catholicæ Reginæ, quæ proximis diebus cum summo totius Hispaniæ dolore diem obiit extremum. Hæc omnia multo ante hunc diem ad Sanctitatem T. scripsissem, Pater Sanctissime, ut par erat, et in meis soleo; sed putavi satis me facturum, si de illis certiorem facerem Cardinalem Riarium Tuæ Beatitudinis a latere Legatum missum: atque ideo cum primum ille in Catholici Regis Curiam venit, curavi, ut meam in his negotiis mentem cognosceret, et consilium intelligeret: cognovit ille, probavitque et ad Sanctitatem Tuam retulisse dixit: sperabamque ego Sanctitatem Tuam pro singulari tua humanitate et favore, quem non semel in meis rebus expertus sum, in hac, quæ cum boni publici causa conjungitur, per eumdem Legatum Catholicum Regem exhortaturam exoraturamque fuisse, ut cum D. Catharina tam liberalem se exhiberet, quantum decet Regem omnium optimum, memoremque controversiæ super successione Regni agitatæ, quam Henricus Rex moriens non absolvit, et vivens inter illum et eamdem Catharinam usque adeo dubiam esse declaravit, ut palam professus fuerit, nescire se, pro quo ex illis sententiam dicturus esset. Quin etiam, Pater Beatissime, licet mihi compertum non sit, quæ officia Cardinalis Legatus Tuæ Sanctitatis nomine apud Regem Catholicum hucusque præstiterit, non dubito, quin ei

injunxeris, ut et solicite et graviter de nostris tractaret rebus. Porro posteaquam Regina Catholica ab hac vita excessit, boni omnes me admonent, ut de Principis cum mea filia sponsalibus, quæ ego valde expectabam, nunc agere desinam, et potius a Rege Catholico petam, ut cum illa contrahat matrimonium, mihi quidem amplissimi muneris et honoris cumulatissimi loco habendum, Lusitanis vero omnibus egregiæ consolationis, atque pro his malis et calamitatibus singularis cujusdam compensationis vice celebrandum. Asserunt enim futurum esse, ut maxime in ipsa acceptorum damnorum memoria recreentur, si viderint Catholicum Regem cum Lusitana fœmina conjunctum, perquam facilius et probabilius, quam per ullam aliam Reginam ab eo gratiam et favorem se impetraturos sperare possint. His addunt, nihil tam naturale esse, quam hujusmodi nuptias ad confirmandam Lusitaniam in obsequio Regis Catholici, et amore erga illius Regiam Majestatem, nihil aptius ad retinendam pacem, nihil congruentius, nec dignius, quo D. Catharina sibi satisfactum esse debeat confiteri, quam si videat filiam, quam mire diligit, a Rege Catholico acceptam in uxorem, et Regnum (ad quod ipsa aspirabat) pacifice possidentem. Adjiciunt etiam, hoc uno posse Regem Catholicum sibi in omne ævum immortalem gloriam et nominis commendationem comparare, eo quod si passus non est Regni causam per electos olim in popularibus Comitiis, et ab Henrico confirmatos judices terminari; ita tamen rem omnem melior ipse judex componit, ut sibi debitam Regni possessionem ab Antonio violenter et inique invasam vindicaverit, nec oblitus juris, quod D. Catharina ad eandem obtinendam sibi competere asserebat, ejus dilectissimam filiam in uxorem ducens non solum Lusitaniæ Reginam, sed et imperii totius Hispaniæ sibi consortem esse velit. Et sane usque adeo hoc visum est Rege Catholico dignum et rationi consentaneum, ut non desint Prælati gravissimi et primariarum civitatum hujus Regni, oppidorumque decuriones, qui velint hoc ipsum a Rege Catholico pro maximo beneficio et totius Lusitaniæ felicitate petere, sperantes, illum benigne eorum petitioni responsurum. Verum ego, Pater Sanctissime, qui meas omnes spes in Deum Optimum Maximum semper conjicio, quique Sanctitatis Tuæ et Apostolicæ Sedis obsequium studio ardeo propensissimo, tum demum intelligam, et sperabo Regem Catholicum mea hæc et Lusitaniæ vota auditurum, cum Stās Tua id ipsum ab illius Majestate pro bono et tranquillitate hujus Regni petere dignabitur. Futurum enim esse credo, ut Princeps Tuæ Sanctitatis et hujus Sanctæ Sedis filius obsequentissimus tuis monitis, precibusque in re justissima et honestissima exoratus, hoc matrimonium quamprimum contrahat, ex quo non solum publicam pacem, sed etiam Regiam prolem speramus ad divini nominis gloriam, et Christiani Orbis defensionem summe necessariam hoc tempore, quo tam rari sunt Principes Christiani, per quos et Apostolicæ Sedis auctoritas et Catholicæ fidei veritas defendi valeat et confirmari. Ideirco ubi primum mihi in mentem venit cogitatio expetendi has nuptias, mox constitui a Sanctitate Tua, Pater Beatissime, humiliter petere, ut consideratis his, quæ hac in re cuicumque eam tractanti sese libenter offerunt, omnesque æquitatis et honestatis rationes expendens per tuas literas Regi Catholico persuadere velis, ut hoc matrimonio contracto et nobis et Lusitaniæ consulat; et insuper Cardinali Legato injungas, ut (quæ ejus prudentia est) rem hanc cum Rege Catholico pro dignitate et qualitate negotii assidue conferat, et opportune pertractet, quousque eam ad optatum exitum perducat. Horum operum, ut et tuorum omnium, Pater Beatissime, quemadmodum Sanctitas Tua in terris mercedem aliquam nec sperat, nec condignam potest accipere, ita in cœlo accipiet copiosam. Ego vero, qui pro tam singulari beneficio nec æqualem gratiam Sanctitati Tuæ referre, nec habere possum, quique nihil habeo, quod non multo ante hoc tempus Sanctitati Tuæ devoverim, quanta fieri possit animi contentione Deum bonorum omnium remuneratorem exorabo, ut Beatitudinis Tuæ personam Sanctissimam Ecclesiæ suæ diutissime servet incolumem, et post longos vitæ præsentis annos eam in numerum cooptet electorum. Datæ in oppido de Monsaraz Nonis Decembris anno salutis humanæ 1580.

Osculor sacros pedes Sanctitatis Tuæ

Ho Duque.

LXXIX. — Gregorius, qua erat in suum gregem sollicitudine et caritate, eaque non in singulos minus quam in universos, initio hujus anni Franciscum Toletum e Societate Jesu, doctissimum virum, Lovanium misit, ut Michaelem Bajum, Concilii Tridentini olim Theologum, eundemque Universitatis Lovaniensis Cancellarium, ad complures propositiones, quæ in ejus operibus editis continebantur, easdem anno MDLXVII. a Pio V. et anno superiore ab ipsomet Gregorio damnatas, corrigendas induceret. Cum autem eidem Toleto multa, quæ ad animarum salutem facilius expediendam pertinerent, agenda commisisset, amplissimis eum in foro conscientiæ facultatibus munivit. [*] [*]Reg. Gregorii XIII. An. VIII. ep. 110. f. 261.

Dilecto Filio Francisco Toleto Concionatori Nostro.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Cum alias felicis recordationis Pius Quintus in suis literis, datis Romæ Calendis

Octobris anno sub Incarnatione Domini MDLXVII. nonnullos articulos, sive propositiones tanquam hæreticas, scandalosas et piarum aurium offensivas damnaverit, prohibueritque, ne in posterum liceret eas tenere loquendo, sive disputando, aut scribendo sub censuris et pœnis gravissimis, perpetuæ scilicet dignitatum, graduum, honorum, beneficiorum, officiorumque privationis, nec non inhabilitatis et excommunicationis ipso facto incurrendæ, a qua nullus alius præter Romanum Pontificem, excepto mortis articulo, posset absolvere, prout in dictis literis, quarum clausulas hic volumus haberi pro expressis latius continetur: volentes animabus fraude Sathanæ deceptis mederi, tibi, cujus fidei et prudentiæ Nobis jamdiu perspectæ et cognitæ, gravissima hujus Sedis Apostolicæ in Germania peragenda et conficienda negocia commisimus, omnes in illis locis laicos, clericos, sæculares, regulares, qui dictis literis contraveniendo in censuras et pœnas in eis contentas incurrerint, si eos pœnituerit, et in posterum a dictis erroribus obstinere, dictisque literis parere proposuerint, in foro conscientiæ per te ipsum absolvendi, liberandi, restituendi, injuncta eis pro modo culpæ pœnitentia singulari, harum tenore potestatem atque auctoritatem impertimur. Non obstantibus in contrarium quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die II. Februarii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

Quibus facultatibus eundem jam ornatum voluerat per universam Germaniam, ut hæreticos homines in Ecclesiæ sinum reduceret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An VIII ep. 108. f. 257.

Dilecto Filio Francisco Toleto Concionatori Nostro.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Inter cætera Apostolicæ Sedis negocia gravissima, quæ tuæ fidei et prudentiæ in Germania, quo te mittimus, peragenda commisimus, hoc etiam animarum fraude Sathanæ deceptarum salutis desiderio annumerari volumus, ut possis in illis locis omnes utriusque sexus sive laicos, sive clericos, tam sæculares, quam regulares, qui hæretici aut schismatici fuerint et a Catholica fide aberraverint; omnes item qui articulos vel opiniones aliquas specialiter o Sede Apostolica suspectas vel scandalosas, vel hæresim sapientes declaratas crediderint, defenderint, aut privatim publiceve docuerint, si ad te venerint, eosque suorum errorum pœnituerint, ab excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, pœnis, in quas propter hujusmodi crimina incurrerint, (modo prius sponte et corde syncero ac fide non ficta schismatica, hæreses erroresque suos coram te detestati fuerint, anathematizaverint, abjuraverint, atque ab his cæterisque similibus excessibus in posterum abstinere promiserint, hæreticique ipsi et schismatici in gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ recipi et admitti instanter postulaverint) in forma Ecclesiæ, injuncta eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, aliisque injungendis, prout ipsorum saluti expedire cognoveris, in foro conscientiæ duntaxat per te ipsum recipere, absolvere et reconciliare, etiamsi ex aliqua constitutione aut provisione speciali absolutio hujusmodi fuisset Sedi Apostolicæ reservata. Omnes item, qui hæreticorum libros etiam in indice prohibitos, scienter legerint, retinuerint, hæreticosque ipsos aut schismaticos receperint, eorumve fautores, aut defensores fuerint, si in futurum ab hujusmodi pestifera lectione dictisque excessibus abstinere firmiter proposuerint, ab excommunicatione aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, quibus dictis de causis innodati fuerint, in forma Ecclesiæ consueta injuncta eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, aliisque injungendis in eodem foro absolvere et liberare; eumque iis, qui clerici fuerint, super irregularitate, tam hæresum, errorum, aut schismatum causa, quam quia libros hæreticorum prohibitos tenuerint scienter, legerint, seu alias in suis ordinibus ministraverint, vel divinis se immiscuerint, aut alias quomolibet præmissorum occasione contracta, (iis tamen qui hæretici sacramentarii fuerint, et in sacris ordinibus constituti ab altaris ministerio, sacramentorumque omnium administratione perpetuo vel ad tempus arbitrio tuo suspensis) alio canonico impedimento non obstante, in foro duntaxat conscientiæ dispensare similiter ut possis, licentiam et facultatem tibi tenore præsentium concedimus et impertimus. Non obstantibus in contrarium facientibus, quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Januarii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

Mitissimus Pontifex Bajum, paternum in modum monet, ut cum Toleto perinde ac cum eo ipso se agere existimet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An VIII ep. 108. f. 260.

Dilecto Filio Michaeli Bayo, Cancellario Universitatis Lovaniensis et in Sacra Theologia Professori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Mittimus dilectum filium Franciscum Toletum Concionatorem nostrum, quem semper plurimi fecimus, propter excellentem doctrinam, probitatem, integritatem, pietatem, inque omni virtute præstantiam. Quid negotii sit, ex ipso cognosces: Nos enim ei eum his literis mandata etiam ad te dedimus. Ut autem Nos in te paterne diligendo nostro officio et muneri non desumus, sic convenit, te tuo non deesse in nostra charitate agnoscenda, inque san-

ctæ obedientiæ virtute amplectenda, nostrisque, atque Apostolicis mandatis prompte alacriterque exequendis. Cupimus ut id facias, neve te humana ulla cogitatione distrahi, atque abduci sinas. Quæ autem Toletus tecum aget, eadem Nos ipsos coram agere existimabis; itaque omnem ejus verbis fidem tribues. Deus benedictus adsit tibi sua gratia, Nosque consoletur ex tua obedientia. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima nona Januarii millesimo quingentesimo octuagesimo, Pontificatus Nostri anno octavo.

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 140. f. 258.

Quod et mandat Theologis Lovaniensibus. (*)

Dilectis Filiis Theologis et Professoribus Universitatis Lovaniensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Mittimus ad vos cum his litteris et mandatis dilectum filium Franciscum Toletum Concionatorem nostrum, virum propter excellentem doctrinam, prudentiam, pietatem Nobis gratissimum. Quæ per eum vobiscum agi velimus, ex eodem ipso cognoscetis, superque iis omnem ei fidem tribuetis, Nosque ipsos eadem coram agere existimabitis. Perspectam habemus vestram excellentem pietatem, perpetuumque omnibus in rebus nostris Apostolicisque mandatis obtemperandi studium, quo quidem nomine magno semper apud omnes bonos in honore et prædicatione, apud hanc vero Sanctam Sedem summo etiam in amore fuistis. Nulla igitur in re gratia, auctoritate, opera nostro desiderio deeritis; neque enim de nostris commodis laboramus, sed de Catholicæ Religionis tranquillitate, de animarum salute, de Christi gloria, quæ quidem omnia vobis quam commendatissima esse certo scivimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Januarii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

LXXX. Toletus rem ex sententia Pontificis egregie confecit: Bajus Sanctæ Sedis de suis propositionibus judicio acquievit, ut hæc ejus fidei confessio ostendit, quam hic afferimus ex claro viro Joanne Baptista Du-Chesnio Societatis Jesu depromptam. (*)

(*) Histoire du Bajanisme p. 155-160 et app. p. 31 Duaci 1731. 1.

Confessio Fidei Michaelis Baji.

« Ego Michael de Bay Cancellarius Universitatis Lovaniensis agnosco et profiteor, me ex variis colloquiis et communicationibus habitis cum R. P. D. Francisco Toleto Concionatore Suæ Sanctitatis, et ad hanc rem specialiter misso, super diversis sententiis et propositionibus jam olim a S. D. N. Pio V. felicis recordationis sub data Kalend. Octobris anno 1567., et nuper a Gregorio XIII. moderno Pontifice Maximo sub data 4. Kal. Februarii anno 1579. iterato damnatis et prohibitis, ita motum et eo perductum esse, ut plane mihi habeam persuasum, earum omnium sententiarum damnationem atque prohibitionem jure meritoque, ac non nisi maturo judicio et diligentissima excussione præmissis factam, atque decretam esse. Fateor insuper plurimas ex iisdem sententiis in nonnullis libellis a me olim, et ante emanatam Sedis Apostolicæ super iis censuram conscriptis, et in lucem editis contineri et defendi etiam eo sensu, in quo reprobantur. Denique declaro me in præsentiarum ab iis omnibus recedere et damnationi a Sancta Sede factæ acquiescere, neque posthac illas docere, asserere, aut defendere velle. Datum Lovanii die 24. Martii anno 1580.

MICHAEL DE BAY.

Bajo præterea exemplum litterarum Pii V., quod humiliter postulaverat, Gregorius misit, felicia omnia adprecatus. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. IX. ep. 17. fol. 323.

Dilecto Filio Michaeli Bayo Cancellario Universitatis Lovaniensis et in Sacra Theologia Professori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Mittimus exemplum publicarum literarum sanctæ memoriæ Pii V., quas tum per literas, tum per dilectum filium Franciscum Toletum postulasti. Quidquid autem acciderit, in quo possimus tuæ charitati gratificari, nunquam committemus, ut ullum a Nobis amantissimi parentis munus desiderari possit, hocque certum te habere volumus, te quoque vicissim tuæ pietati, optimique filii officio, summæque bonorum omnium expectationi omnibus in rebus cumulatissime satisfacturum esse persuasum habemus; quo nomine omnem tibi a Domino Deo Nostro tum in hac tum in futura vita fœlicitatem precamur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Junii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

LXXXI. — Gregorius Lovaniensium Doctorum pietatem, quorum quidem in reducendo ad saniorem mentem Bajum non postremæ fuerunt partes, merito laudavit: eis duo millia aureorum dono misit, facta eis optione vel inter se partiendi, vel in Universitatis commodum conferendi. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. IX. ep. 13. f. 340.

Dilectis Filiis Rectori et Universitati Studii Generalis Lovaniensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Ex vestris literis, quas Nobis reddidit dilectus filius Franciscus Toletus Concionator noster, ubi primum istinc rediit, eque Toleto ipso cognovimus de vestris angustiis, de quibus etiam sine ullius confirmatione aut testimonio ex ista calamitate et vastitate, quam vestræ provinciæ gravissimorum bellorum diuturnitas attulisset, facile existimare potuissemus. In tantis vero tum asperitatibus rerum, tum difficultatibus temporum, non minus, quam olim

in summa tranquillitate semper claruisse vestra studia in optimis disciplinis colendis, edocendisque, inque Catholica Religione, non in ista tantum Civitate, sed in cæteris etiam istius Provinciæ locis tuenda incredibiliter lætati sumus. Deoque gratias egimus, ejusque benignitati vestram pietatem et labores obtulimus. Mittimus vobis duo millia aureorum; poteritis mille inter vos dividere; ex reliquis communia vestræ Universitatis debita persolvere; aut etiam si mille parum vobis esse videbuntur, tota duo millia inter vos partiri; hoc enim vestro arbitrio permittimus. Quod vos hortemur, ut tales sitis, quales semper fuistis, nihil est; certum enim habemus, nihil vobis tam curæ esse, quam Dei gloriam, Catholicæque Religionis amplitudinem. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VI. Augusti MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

Eadem de causa sese spectatissimis viris, qui rem publicam Lovanii regebant, gratificari voluisse scribit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. IX. ep. 11. f. 341.

Dilectis Filiis Burgimastris, Scabinis et Consiliariis Oppidi Lovaniensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Molestissimum Nobis fuit, ex vestris literis, atque ex sermone dilecti filii Francisci Toleti Concionatoris nostri de vestris calamitatibus cognoscere; jucundissimum autem intelligere, perspectam vobis esse nostram paternam erga vos voluntatem, vosque in tantis cladibus in Christi charitate perseverare, nec tam de vestris ipsorum malis, quam de ignominia Christo, Catholicæque ejus Ecclesiæ illata dolere atque angi; neque tamen in Christi causa animo deficere, proque eo assidue decertare: quo quidem nihil potest esse præstantius, nihil vestra gloria dignius. Non cessavimus cum Rege Catholico de vestris rebus agere, vosque ei quam diligentissime commendare, speramusque vos officii nostri jam aliquem fructum percipere cœpisse. Pergite ut facitis, pro Christi gloria pugnare, certumque habete, nunquam Nos vobis auctoritate atque opera defuturos; omnia enim vestræ pietati debere agnoscimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die sexta Augusti MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

LXXXII. — Qua in tristissima conditione religionis res essent in hisce Belgii provinciis præ nequitia ac furore hæreticorum, apprime demonstrant litteræ Ducis Clivensis, quas ad Pontificem dedit. Imprimis viri illi vitam monasticam professi petebantur, ex omnibus fere locis expellebantur, eorumque monasteria diruebantur, solo æquabantur. Cujus rei causa pius ille Dux pro optimis illis exagitatis, rebus omnibus expoliatis viris privilegia quædam ab Pontifice exposcebat, quo eorum miserrimæ conditioni occurreretur. [*]

[*] Litt. Principum Vol. 36 fol. 314.

Sanctissimo Beatissimoque Patri et Domino Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Dño meo Clementissimo.

« Post debitam more majorum meorum observantiam. Sanctissime Beatissimeque Pater, Domine Clementissime. Ut Belgicæ Provinciæ intestinis odiis, dissidiis et bellis affluant, nemo melius, quam qui Religionem Catholicam profitentur, et Ecclesiasticæ militiæ sint ascripti, proh dolor, sentiunt. Hi enim bonis omnibus exuti, patria exulant, et ne animum unquam revertendi habeant, eorum pia loca, domicilia et monasteria passim penitus devastarunt. Et inter omnes eum nemine pejus agitur, quam qui se monasticæ vitæ et regulæ dederunt, eo quod nec eorum apud suos in aliis provinciis summa et inopia oppressis commiseratio sit ulla. Ad hæc quantumvis necessitas de jure legem non habere deberet, tamen beneficio hoc præessendi alicui parochiali Ecclesiæ, aut alio beneficio Ecclesiastico ob canonum prohibitionem gaudere prorsus non permittuntur, adeo nisi aliunde remissione canonum ad tempus adjuventur, vereor multa incommoda eventura. Inter has miserabiles personas satis dolenter mihi exponi fecit Frater Engelbertus Gerhardi ab Ummer, professus Monachus Monasterii vulgariter Zibekelæ, ordinis Cisterciensis, Davendriensis Diocesis, vir multis animi dotibus præditus, doctrinæ, bonæ vitæ et conversationis, Monasterium prædictum, quod in finibus Frisiæ situm est, et in quo professionem emisit, ab Ecclesiæ Romanæ hostibus non solum dirutum, sed in planitiem plane redactum, propterea illinc hunc non sine vitæ periculo se subducere demisso habitu oportuisse. In istis itaque, Pater Sancte, afflictionibus et miseriis, hoc malum additur, quod nec habitu apud ignobile vulgus usque adeo exoso, nec exercitii sui Ordinariis locorum, præmissis non obstantibus, nisi Sanctitatis Vtæ licentia obtenta, uti possit et valeat, prout latiori supplicatione Sanctitati V. referet. Quare ejus causam meo judicio piam eidem commendo, quamque etiam non abs re facturam scio, si ei beneficium aliquod ecclesiasticum cum cura vel sine cura in titulum ad tempus, habitu decenti sacerdotali et professione permanentibus, licentiam concedat obtinendi, S. V. et Romanæ Ecclesiæ me meaque cum plurima salute in Universalis Ecclesiæ commodum offerendo. Datæ in oppido meo Clivensi die IV. mensis Augusti anno MDLXXX.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
GUILHELMUS DUX JULIÆ.

LXXXIII. — Hæretici, ut eorum moris est,

odio præ cæteris in benemeritos Ignatianos Patres exardescebant: eusque Tungro ad Mosam, ubi præclare in juventute erudienda suam operam probabant, collegiumque instituerant, expulerunt. Hi Leodium eum se recepissent, non ita multo post Alexandri Farnesii belli Præfecti opera Tungrum sunt revocati: qui vir ita eos fovendos suscepit, ut a Pontifice petierit facultatem, ex qua census quidam ecclesiastici in hac urbe Collegio ipsorum condendo stabiliendoque addicerentur. (*)

(*) Mantuso document. N. 41.

LXXXIV. — Cæsari Comitia Imperii ad res Belgicas componendas Norimbergæ habituro Gregorius Episcopum Brixiensem mittit. (*)

(*) Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 20. ep. 29.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Cristo fili noster salutem etc. Certiores facti sumus, decrevisse Majestatem T. Conventum habere Norimbergiæ super pacificatione Belgicarum rerum. Noluimus deesse nostro officio et muneri, in proprio Nuntio hunc mittendo, ut præsto sit tum in hoc negotio, tum si quid aliud erit, in quo possit nostra, atque Apostolica auctoritate tuæ optimæ voluntati inservire ad Dei gloriam, provinciæque illius tranquillitatem, Catholicæque Religionis amplitudinem. Elegimus igitur Venerabilem fratrem Joannem Episcopum Ecclesiæ Brixiensis, quem a Tua Majestate diligi non dubitamus, tum propter ejus virtutes, tum propter singularem fidem, atque observantiam, quam in omnibus tuis rebus perspicere potuisti. Gratissimum Nobis facies, si omnem ei fidem super iis rebus, quas ei commisimus, tribues. Tuam autem pietatem nostræ, bonorumque omnium expectationi perpetuo responsuram non dubitamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Julii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

Gregorius cum vereretur, ne quid iis in Comitiis Ecclesia ab hæreticis detrimenti caperet, summopere rogavit eos Germaniæ Præsules, qui interesse illis solebant, ne accedere morarentur, utque suo Nuntio in Ecclesiæ commodis curandis adessent. Damus litteras ad Trevirensem. (*)

(*) Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 20. ep. 31.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Treverensi, S. R. Imp. Principi Electori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Molestissimi Nobis acciderunt nonnullorum sermones affirmantium, Fraternitatem Tuam decrevisse istic manere, neque velle in eo Conventu, qui Norimbergiæ futurus est, interesse. Nullam enim necessitatem tantam esse posse judicamus, quæ te debeat ab illo Conventu abstrahere. Nam sive de Belgica tantum pacificatione agendum erit, ut dicitur, sive ut ipsi magnopere veremur, hæretici voluerint aliquid adversus Catholicam Religionem, ut solent, moliri, quid potest tantum esse, quod Episcopus debeat Christianorum tranquillitati, Catholicæque Religionis dignitati atque incolumitati anteponere? Et quamquam magnam spem habemus in eximia prudentia, et pietate Charissimi filii nostri Rodulphi Romanorum Imperatoris Electi, tamen scimus, quantum momenti præsentia, auctoritas et zelus tuus sit allaturus. Hortamur igitur, atque etiam si pateris, rogamus, ne velis in hoc negotio tuo muneri, Ecclesiæ necessitati, Christi causæ deesse; Nos quantum possumus, non desumus; nam præter Nuntium nostrum, qui apud Rodulphum est, alium etiam hinc mittimus, ut in tam gravi negotio provideatur Dei gloriæ, Catholicæque Religionis amplitudini. Tuam vero Fraternitatem voluntate, atque opera cum Nuntiis nostris conjunctissimam fore non dubitamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Julii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

LXXXV. — Dolani in Burgundia quam maximas gratias Gregorio agunt de sibi concesso quodam Prioratu, ad novum Jesuitarum collegium fundandum: addunt porro huic beneficio maximum per eum cumulum accessurum, si efficiat, ut idem Regi Catholico probetur. (*)

(*) Hispania Vol. 31 fol. 100.

Sanctissimo Domino Nostro.

« Quas Sanctitati Vestræ gratias agamus, reperire non possumus, quod non modo nos eadem, qua solet omnes fideles Christianos, propensione sit prosecuta, sed etiam eo benignitatis adducta, ut nobis, nil simile meritis, tam prompte liberaliterque concessionem instaurandi Patrum Jhesuitarum Collegii, nec non Prioratus unionem indulserit. Id certe ineffabilis ac vere paterni sui in nos amoris testimonium, quando jam aliud non possumus, ita nostris animis posterorumque inhærebit, ut illud nulla temporis injuria sit deleturum. Hoc enim cum ad Sanctæ Romanæ Catholicæ fidei (quam unice amplectimur amplexurique perpetuo sumus) propagationem conservationemque pertineat, erit nobis istud suum in nos beneficium insuperabilis clypeus, quo finitimorum hæreticorum insidias propellimus sub fœlicibus Sanctæ Sedis Apostolicæ, et Catholici Hispaniarum Regis Principis nostri auspiciis. Qui enm nil magis in votis habeat, quam ut regiones, quibus imperitat, in Sanctæ Sedis obedientia perseverent, laudavit hoc nostrum, ut intelleximus, de construendo Collegio consilium. Sed quoniam nullum aliud expressum suæ voluntatis, favoris et auxilii, quod ab ipso petimus, penes nos habemus judicium, quam ex literis Illmi Cardinalis Granvellani ad quosdam hujus urbis Cives scriptis, res nostra in suspenso tantisper erit, nisi Sanctitatis Vestræ

jussu Legatus in Aula Hispanica agens, hanc Regiæ voluntatis declarationem urgeat. Id adhue a Sanctitate Vestra humillime, et quanta possumus observantia, cogimur exposcere, ut quod ab ea tam pie, præclare fœliciterque initium sumpsit, ejusdem etiam authoritate, qua valet apud Principem nostrum, ad optatum exitum perducatur. Hoc nos jam Sanctitati Vestræ tot tantisque beneficiis astrictos magis reddet obnoxios, ut ejusdem sanctissimos pedes deosculando, et humillimum nostrum officium devotionemque offerendo Deum perpetuo precemur, quatenus divina sua bonitate Sanctitatem Vestram diutissime nobis totique orbi conservet incolumem. Datum Dolæ 12. Kal. Februarii 1580.

Sanctitatis Vestræ

Humillimi et obedientissimi
Major, Consules, et Cives Dolani.
R. Labbet Secretarius.

Bisuntinorum purpuratum Præsulem Gregorius monet, ut quæ Episcopus Vercellensis Capitulo suo Bisuntino præscripserat, re ipsa servari curet; Virgines Deo devotas secundum Concilii Tridentini decreta in clausis monasteriis esse jubeat, synodumque provincialem quam primum cogat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An IX ep. 61. f. 336.

Dilecto Filio Nostro Claudio Cardinali Baumæ Nuncupato.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Scripsit ad Nos venerabilis frater Episcopus Vercellensis, noster ad Helvetios et Rhetos Nuncius ordinarius, quibus de rebus tuo hortatu Capitulum Ecclesiæ tuæ atque alios monuerit. Judicavimus ea omnia prudenter cogitata esse ad Dei gloriam, atque ad disciplinæ Ecclesiasticæ synceritatem: idem etiam intelligere et judicare te non dubitamus. Illud etiam persuasum habemus, te eadem prudentia et charitate, qua illa moneri voluisti, curaturum, ut perficiautur, diligentissimeque serventur. Hortamur etiam, quantum possumus, de Seminario: scimus, esse in tua diœcesi vim magnam beneficiorum Ecclesiasticorum: confidimus etiam venerabilem fratrem nostrum Antonium Cardinalem Granvelanum rei tam piæ, tamque necessariæ sua ex parte non defuturum, cumque eo, si opus erit, diligentissime agi curabimus, cum cæteris nihil negotii erit. Quia vero non possumus nostro muneri deesse, teque tuo satisfacere omnino velle persuasum habemus, neque ipsi debemus a monendo desistere, neque tua charitas ab exequendo. Fœminarum monasteria non solum in reliqua diœcesi, sed in ista etiam Civitate adversus Concilii Tridentini decreta adhuc aperta esse, non potest sine maximo scandalo et animarum ruina contingere. Quid autem isthic acciderit de Abbatissa illa, et tu optime nosti, et utinam non tam esset pervulgatum. Providendum igitur necessario est, ut clausa sint monasteria. Incumbe in hanc curam, Deumque ipsum suæ causæ adfuturum certum habe. Hortamur etiam de synodo Provinciali, quam tibi perfacile est cogere: habes enim tres tantum Suffraganeos, quos compertum habemus venturos libentissime. Hæc cæteraque omnia, quæ ad Dei gloriam atque animarum salutem pertinebunt, summo studio curaturum esse te non dubitamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Octobris MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

Habeas denique ea, quæ Vercellensis Præsul iis Canonicis servanda præscripsit; digna plano quæ legantur, quod et stylo cultiori nitent, et eam prudentiam atque urbanitatem cum summa gravitate conjunctam habent, qua non immerito S. Romanæ Sedis Nuntii semper apud exteras nationes permagni habiti sunt. [*]

[*] Helvetia Vol. 2. fol. 312.

Admonitiones ad Decanum et Capitulum Bisuntinum.

« Reverendi Domini uti fratres in Christo Charissimi. Egregiæ humanitatis, quam erga me exhibuistis, ac præcipue cujusdam erga Sanctam Sedem Apostolicam obedientiæ multa, eaque non obscura argumenta me impellunt, ut vos omnibus pietatis ac singularis benevolentiæ officiis prosequar semper. Quare cum eorum, quæ a me petiistis, non ero immemor, curaboque omnino, quoad ejus fieri poterit, ut jura Ecclesiæ et Capituli vestri in pristinum restituantur, tum hoc tempore prætermittere nolui, quin vos quarundam rerum, in quibus, dum istic essem, peccare vos animadverti, paterne admonerem, vestro sane isto pietatis studio, propensaque ad reformationem voluntate, quam ostendistis, fretus, ut eandem vim apud vos hæ monitiones habituræ sint, ac si certa graviaque mandata essent. Qua quidem ratione non tantum existimationem istam obedientiæ, promptæque voluntatis vestræ sustinebitis, atque adeo apud Sanctissimum Dominum augebitis; sed etiam visitationis Capituli vestri, atque adeo totius Bisuntinæ Diœcesis, alioquin fortasse illius Sanctitatis jussu faciendæ incommodum, atque impensas facile evitabitis. Hortor igitur, atque enixe suadeo, ut pauca hæc reformationis capita, quæ infra attingam, omni studio complectamini, atque omnino in usum primo quoque tempore recipiatis.

« Illud autem primo loco cavendum est, ut in insigni adeo Ecclesia, tamque rite instituta, divina officia ita persolvantur, ut non modo scandalum ullum audientes inde capere possint, sed immo ad pietatem magis ac magis excitati abeant. Nempe animadverti ita celeriter interdum cantari alternos psalmorum versiculos, ut quæ in fine versiculorum sunt verba, nulla ra-

tione percipi possint; tum vero etiam aliquos animadverti pedibus elevatis, apertisque ad tibias vestibus, oscitantium in modum ita in choro adesse, nt nihil minus, quam divinis laudibus interesse, cogitare se ostendant; cum autem inclinare se in Sanctissimi Sacramenti elevatione debent, genua non in subselliorum solo flectunt, sed ubi sedere solent, ita reclinant, ut toto corpore extolli potius, quam inclinari plaue videantur: canere igitur omni studio debetis, ut omnes distincte, tractimque psallentes, gestu etiam atque habitu decenti servitutis vestræ, quam Deo exhibetis, pensum quam diligentissime persolvere studeatis; necnon simul omnes, quoniam communi officio operam datis, vos pariter, cum opus est, inclinetis simulque surgatis. Neque vero leve quicquam esse arbitremini, quod ad ministerium hoc laudes Divinas concelebrandi sedulo præstandum pertinet, cum id vere Angelorum munus sit, atque in conspectu sanctissimæ Trinitatis præstetur.

« Verum ut Missæ deinceps non tam solemnes, quam privatæ majore cum munditia celebrentur, sedulitatis ac diligentiæ erit vestræ providere, ut et plura corporalia parata sint, diligentiusque purgentur atque amylo melius inficiantur; purificatorii vero usus omoino adhibeatur, ad illum nempe, quem ego nou levem existimavi, abusum omnino tollendum, ut linteolo, quod ad altare appensum a laicis tangi potest, calix post sacratissimi sanguinis sumptionem abstergatur. Curandum præterea erit, ut Missæ privatæ, hoc est, quæ sine cantu celebrantur, non nisi ministro, qui superpelliceo indutus sit, adstante atque inserviente, nec non ubi opus est, respondente, celebrentur; duæque saltem candelæ non nimis tenues, sed honestæ formæ semper adhibeantur; subinde albæ atque amictus uon resarciendæ solum, sed integræ et novæ conficiendæ non paucæ sunt in utraque Ecclesia vestra, ubi pleraque ejusmodi linea, sed alia etiam multa serica, ut puta casulæ, stolæ, manipuli, dalmaticæ, atque id genus ornamenta trita jam ac prope indecentia visa sunt, quæ sacrosaneti Sacrificii usui amplius sint. Itaque si de suppellectili ecclesiarum vestrarum diligentiorem aliquam curam uunc susceperitis, multa profecto, quæ hisce litteris inseri nimis prolixum esset, (nou enim conficere decreta est animus) vos ipsi in hoc genere animadvertetis.

« At vero Diaconos et Subdiaconos, qui solemni Missæ diebus festis inserviunt, minime communicare sum miratus, cum id Tridentino Concilio sit constitutum; nec enim rationem illam, quod Concilium id non præcipit, sed hortatur tantum, alicujus momenti esse debere apud pios, cultusque divini studiosos existimaram. Quod autem deambulare in ecclesia etiam divinorum officiorum tempore nonnulli vestrum soleant, id certe nequaquam clericis concedendum esse videtur, quod Pius Quintus gravi adeo constitutione Calendas Aprilis Pontificatus sui anno primo edita, laicis etiam viris interdixit. Plerosque item vestrum monendos satis perspexi, ut frequentiores posthac divinis officiis interesse velint, minusque frequenter per Civitatem spaciari.

« Porro in turpissimo illo concubinatus crimine e Capitulo isto vestro, cujus quidem suspicione aliqui apud populum non leviter laborant, penitus eliminando omnis cura adhibenda est, quod vix certe unquam exacte curabitur, (cum diversis nominibus singuli facile celaturi sint culpam suam) nisi generatim de cohabitatione mulierum diligentius aliquid constituatur; etsi non omnioo prohibeudus videatur mulierum famulatus, (quamvis id certe tutius esset, magisque Capituli conveniret istius dignitati atque existimationi) at illæ tantum in universis Canonicalibus ædibus habitare permittantur, quæ sacrorum canonum permissu sine suspicione habitare cum clericis possunt; nempe mater, avia et soror, ac fratris uxor, aut etiam ex fratre vel sorore neptis, (quanquam id non sine periculo esse interdum docuit experientis) ac præterea quinquagenaria, quæ vitæ suspectæ nunquam fuerit; nulla præterea cujusvis generis fœmina, sine peculiari Ordinarii scriptis tradita facultate.

« Sed illud quoque, in quo Conc. Tridentini decretum minime hactenus observastis, animadvertendum fuit, quod eos, qui neque in sacris constituti sint, neque ea etiam ætate, qui ad illos promoveri possint, in Canonicos admittere soletis; quamvis enim iis neque ullum in Capitulo suffragium, neque distributionum aliquam partem concedatis, adhuc tamen sacri Concilii legi non satis facitis, qua cautum expresse est, ut singulæ præbendæ in omnibus Cathedralibus Ecclesiis sacrum ordinem annexum habeant; immo vero id vobis quamprimum statuendum esse censeo, Illustrissimi etiam Domini Archiepiscopi ad Tridentini Concilii præscriptum adhibito consensu, ut omnibus et singulis præbendis sacer ordo presbyteratus, diaconatus aut subdiaconatus ita annectatur, ut tamen dimidia saltem pars sacerdotales sint. Neque illud vero parvi faciendum esse existimo, quod resignationes, quanquam simpliciter factas, et in mensibus tantum Capitulo permissis, interdum admisistis, nulla habita Pii V. constitutionis ratione, quam sanctus ille Pontifex de resignationibus ab ordinariis, atque ab inferioribus nou nisi certis conditionibus servatis, admittendis, Cal. April. anno 1568. edidit; qua ex re manifeste constat, nisi diligens cautio adhibeatur, ne beneficium ulli, qui affinis, aut familiaris sit resignantis, qui-

ve cum illo tractatum ullum habuerit, conferatur, maximum subesse gravium censurarum, ne illas subeatis, periculum, quemadmodum in ipsius constitutionis lectione facile est animadvertere. Et quoniam pari modo, quoties novum Canonicum in numerum vestrum recipitis, in ejusdem Pontificis decretum, quod literis Prid. Calendas Julii anno 1570. editis continetur, atque etiam in Trident. Synodum, quæ quidem nihil, quod in usus pios non convertatur, in Canonicorum admissione persolvi, erogarique concedit, committere soletis, trium præsertim annorum fructus nuper proviso nequaquam permittentes, ideo vos moneo diligenter, ut literas illas Pontificias in manus sumatis; seduloque videatis, ne posthac ab illarum præscripto latum quidem unguem discedatis; neque enim confirmatio vestrorum privilegiorum, quæ tantum in genere a Summo Pontifice, ut ab Illustrissimo et Reverendissimo vestro Archiepiscopo post discessum istinc meum intellexi, vobis concessa est, tutos reddit. Quod si adhuc fortasse non acquiescatis, enixe rogo, ut pro salute animarum vestrarum, Capitulique vestri integritate servanda, exemplum vestræ privilegiorum confirmationis ad me mittatis, nihil plane dubitantes, quin ego de negocio isto, tanquam si unus ex vestro numero essem, sincere, atque amanter omnino respondeam, vobisque uti amantissimis fratribus fideliter consulam: Constitutionum autem Pontificiarum, quarum supra mentionem feci, exempla equidem mitterem, nisi librum quem bullarium vocant, ante tres annos Romæ typis impressum, in quo constitutiones quotquot a Gregorii VII. temporibus usque ad Gregorium XIII. a Summis Pontificibus editæ, sed in corpus juris nequaquam relatæ extant, diligenter omnes descriptæ sunt, apud vos, vel apud Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Cardinalem et Archiepiscopum vestrum Bisuntinum esse, persuasum haberem. Earum tamen si vos nullam habere potuisse cognitionem intellexero, exemplum statim mittam, ut certe in rebus tanti momenti nequaquam a vobis peccetur.

« Ut vero capitula deinceps vestra certius ad rectam rerum vestrarum administrationem semper dirigantur, æquum certe est, ut quæ Pii Quinti jussu in parvo Sanctæ Mariæ Virginis officio in cujusvis Congregationis initio, et fine recitandæ preces leguntur, ad implorandum Spiritus Sancti lumen atque auxilium, eæ ne a vobis omittantur, sed ante, et post Capitulum semper omnibus genua flectentibus religiose ab ipsius Capituli præfecto recitentur; singulis quoque mensibus optimum esse duxerim, quemadmodum in aliquot Italiæ locis non sine magno spirituali fructu in usum jam receptum est, Capitulum peculiare, quod spirituale vocetis, licet, habere, in quo nihil aliud prorsus, quam de rebus ad Ecclesiæ cultum, ac divina officia, spiritualemque vivendi rationem spectantibus, consulatur, agaturve. Has porro monitiones, seu hortationes potius, ita suscipiatis velim, ut a vestri amantissimo vestræque non tam salutis, quam existimationis, atque honoris studiosissimo profectas, quæ quidem sint vobis meæ erga vos paternæ charitatis, atque eximiæ cujusdam omnibus officiis cumulatæ benevolentiæ testes. Gratam subinde a vobis ac sedulam responsionem expectabo, quo Sanctissimo Domino testari possim, minime indigere vos diligentiori visitatione; sed peculiari tantum aliqua Sanctitatis Suæ ope, quo jura vestra a laico magistratu usurpata recuperentur. Qua sane ego in re, omnibusque aliis, in quibus operam vos requiretis meam, omnia officia, omnemque curam, ac sollicitudinem vobis spondeo, ac polliceor. Ita præpotentem Deum rogo, ut potiora suarum cœlestium gratiarum munera vobis perpetuo conferat, ac largissime impertiatur. Dat. Porrentruti 15. Cal. Octobris 1580.

LXXXVI. — Longe aliter se res Ecclesiæ habebant in Comitatu Luxenburgensi, qui Regis Catholici ditione continebatur. Regii administri omnia fere, quæ Episcoporum jurisdictionis erant, ad se trahebant, et ad libidinem arbitriumque componebant: immunitatem ecclesiasticam ludibrio habebant. De quo solertissimus quidem Azotensis Episcopus, Suffraganeus Treverensis, cum Pontifice conquestus est. Habeas ejusdem litteras cum singulari Collegii Germanici, in quo educatus edoctusque fuerat, commendatione. (*)

(*) Germania Vol 15. fol 170.

Sanctissimo Dño D. N. Gregorio XIII. Pontifici Optimo Maximo.

« Post sanctorum pedum oscula, ac debitæ obedientiæ oblationem, quæ T. S. ab omnibus, qui in Christi ovili sunt, debetur, Beatissime Pater, haud sine magna ingratitudinis nota intermittere possum, quin voluntate, cum re nihil dignum totius ecclesiæ monarchia præstare valeam, me beneficiorum, quibus omnibus modis Tua Sanctitas me devinctum sibi reddidit, memorem me ostendam. In primis Tuæ Sanctitatis beneficiis septem pene annis in collegio Germanico, omnium virtutum domicilio, magnifice et liberaliter educatus sum, donec tam philosophiæ quam Theologiæ studiorum cursum conficerem, conclusionesque ex tota Theologia collectas ac Tuæ Sanctitati dicatas, quibus publicum mei studii exhiberem testimonium, defenderem: et deinde ad meorum præceptorum ac moderatorum, quos post Tuam Sanctitatem in terris tanquam parentes merito veneror, consilium et institutionem primus sub Tuæ Sanctitatis paterna cura in Collegio Germanico magnifice, et non sine magno totius Germaniæ fructu reparato, constructo et fundato a Tua Sanctitate creatus

doctor Theologus. Deinde eum jam abhine quatuor annis discessum in Germaniam pararem, Tuæque Sanctitati ad agendum gratias in Thusculano agro adessem, honorificum viaticum pro in Germaniam fœlici reditu dari præcepisti. In Germania cum duobus annis fuissem, ac in vinea Domini laborassem, beneficiumque ecclesiasticum, unde vivere pro statu possem (siquidem Romæ ex Tuæ Sanctitatis commissione ad mensam Collegii Germanici ordinatus eram) non haberem, mihi ad significationem Rmi Domini nostri Archiepiscopi Treverensis Præposituram S. Simeonis in civitate Treverensi contulisti, et ad extremum ad promotionem ejusdem Domini, meis non exigentibus meritis, me assumpsisti, et confirmasti in Episcopum Azotensem ante dimidium annum, ut Suffraganeus sim Treverensis. Pro his omnibus beneficiis mihi a Tua Sanctitate collatis, quid referre possem, ignoro. Gratias immensas habeo, non quod me honoribus cumulaverit, siquidem care satis emitur, quod cum tanto periculo possidetur; sed quod semper tam bonæ et propensæ erga me voluntatis fuerit. Ut beneficiorum memorem me ostendam, Deum semper pro Tua Sanctitate precabor, meosque labores Ecclesiæ sanctæ et Tuæ Sanctitati offerro. Rmus Dñus noster Archiepiscopus Treverensis multum solicitus est de sua Ecclesia et ovibus sibi commissis; sed multum avocatur negociis Imperii et aliis tam privatis quam publicis. Haud omittere valeo, quin Tuæ Sanctitati, ad quam spectat videre, ne quid in domos Dei detrimentum accedat, providere, significem, quomodo fere totus ecclesiastici status ordo ac domus Dei immunitas perturbetur ac violetur a Rectoribus et Gubernatoribus Catholicissimi Regis Hispaniæ, qui gubernant in Ducatu Lutzenburgensi, ac jurisdictioni ex magna parte subsunt Ecclesiæ nostræ diœcesis. Hi enim vendicant sibi contra jus divinum et humanum jurisdictionem ecclesiasticam in multis, beneficia conferunt, ad eadem instituere contendunt, clericos concubinarios propria auctoritate puniunt, non tam, ut credendum videtur, zelo religionis et puritatis, quam amore temporalis commodi. Ad hæc pastores, qui curam animarum habent sub eorum regimine, ita milite et exactionibus aggravant, ut vix miseram vitæ sustentationem habeant, aut suas ecclesias cogantur relinquere. Ecclesiasticorum et etiam monasteriorum bona arrestant, occupant, eosque directe et indirecte, ne iis uti possint pro sua necessitate et commoditate, impediunt, exactionibus exhauriunt, partem bonorum ecclesiasticorum detrahunt sub variis coloribus, aliisque modis ita molestant, ut quamvis catholici velint esse et nominari, hæreticos, ut ex his Tua Sanctitas colligere potest, facto se ostendant. Jurisdictio ecclesiastica, nisi aliquo modo huic rei prospiciatur, perit, nec sine ira Dei tam horrendum sæcularium potestatum abusum sub dissimulatione transire censendum est. Reverendissimus Dñus noster Archiepiscopus Treverensis dissimulat, vel timore potestatis motus, vel alia ratione, et differt cum magna totius Cleri querela: singulares ecclesiasticæ personæ non possunt obsistere. Non dubitari potest, eos de jure tum ex Bulla Cœnæ Domini, tum ex jure canonico excommunicatos esse; nullam tamen interim sibi conscientiam faciunt. Hæc Tuæ Sanctitati significanda duxi, ut cogitet, an amplius hujusmodi dissimulanda sint, vel dissimulari queant sine ecclesiæ confusione: ac cogitet, quid consilii adhibendum, ne ecclesiæ vilescat auctoritas, nostroque Archiepiscopo Treverensi scribat, non tamen significet Suæ Celsitudini, me Tuæ Sanctitati hæc denunciasse. Precor Deum Optimum Maximum, ut Tuam Sanctitatem Ecclesiæ Romanæ, quæ omnium Ecclesiarum magistra est, nostræque Germaniæ quam diutissime in animo et corpore incolumem conservet. Vale, Sanctissime Pater, mihique tuæ benedictionis Apostolicæ manum impartiri digneris: semper ego pro Tua Sanctitate obligatus manebo ad offerendum meas indignas preces. Datum Treveris 24. Octobris anno Domini 1580.

Tuæ Sanctitatis

Ad pedes minimus servus

Petrus Bynsfeldius Suffraganeus Treverensis ac Collegii Germanici alumnus.

LXXXVII. — In Anglia crudelissime exagitabantur Catholici, ut narrat Spondanus, [*] ex edicto Reginæ Elisabethæ contra eos promulgato occasione Sacerdotum Anglorum, qui ex Collegiis seu seminariis ejus gentis, quæ Romæ, Remis, Duaci constituta erant, frequentes in patriam transmittebant ad consolandos secreto Catholicos, eisque Sacramenta administranda. Quos cum ministri hæretici falso suggererent Reginæ, submitti a Pontifice ad subditos a fide et obsequio ejus abstrahendos, et Pii V. Pontificis sententiam contra eam exequendam; viamque præmuniendam Pontifici et Hispano jam pridem Angliæ expugnationem cogitantibus: his suasionibus commota Elisabetha 15. Julii edictum promulgavit, ut quicunque liberos, pupillos, cognatos, aut alios quoscunque, quorum cura ad eos spectaret, in transmarinis partibus haberent, post decem dies eorum nomina Ordinariis exhiberent, et intra quatuor menses domum revocarent, reversosque statim iisdem Ordinariis repræsentarent: non revertentibus pecunias directe aut indirecte non suppeditarent: Sacerdotes ex Seminariis emissos, et Jesuitas nemo hospitio exciperet, foveret aut sublevaret: qui secus fecissent, rebellium ac seditiosorum fautores haberentur, ac regni legibus tenerentur. Subauditum enim fuerat de Roberti Personii Somer-

[*] Contin Annal. Ecclesiast. T. II. p. 783.

settensis et Edmundi Campiani Londinensis, Sacerdotum Societatis Jesu, adventu in Angliam; qui ementito habitu, nunc militum, nunc nobilium, nunc alio, per rura et Catholicorum ædes, urbesque occulte perambulare cœperunt, strenue verbis et scriptis peragentes: Personius quidem, ut erat natura ferocior, vehementius; Campianus autem suavior et politior, moderatius: uterque autem adeo ab subditis in Reginam commovendis alienus, ut etiam antequam in Angliam migrarent, a Pontifice petierint, obtinuerintque, Pii V. sententiam in Reginam latam eatenus temperari, nullum ut Catholicum Reginæ subditum in conscientia obligaret rebus sic stantibus, quo minus ei tanquam legitimæ suæ Principi obediret civilibus in rebus. Quod tamen ipsum non desiverunt ministri regii, ubi resciverunt, in crimen vocare, quasi aliquod fuisset ab iis de his factum dubium. Adversus quorum exprobrationes, et pro omnibus Jesuitis ac Seminariis Anglicanis, edidit Guillelmus Alanus Anglus, postea Cardinalis, apologiam, qua omnes adversariorum calumnias et fallacias potenter disjecit: addita piissima admonitione et consolatione christiana ad afflictos Catholicos Angliæ.

LXXXVIII. — Itaque Elisabetha ex illegitimo prorsus Henrici VIII. cum Anna Bolena conjugio nata, inde ab exordio regni sui anno MDXXXVIII, instigantibus hæreticis, consilium susceperat, vestigiis Henrici et Eduardi inhærendi, et fidem Catholicam a regno penitus avellendi. Hunc in finem in Angliæ comitiis effecit, ut quæcumque pro avita fide restituenda a Regina Maria acta erant, abolerentur. Præterea lata lege omnem auctoritatem Ecclesiasticam sibi tanquam supremo Ecclesiæ capiti vindicavit, et pœnis propositis, jussit omnes Archiepiscopos, Episcopos, ac reliquum clerum juramento obstringi, quo profiterentur se spiritualem potestatem in Elisabetha venerari, rejecta auctoritate illa a Christo Domino instituta, cui Anglia firmissime adhæserat. Deinde deturbatis sacris imaginibus a templis, proscripto Missæ sacrificio, interdictis Ecclesiæ Catholicæ ritibus, omnia præscribere juxta Novatorum placita cœpit. Eorum qui in religione perseverabant, pars exules abire cogebantur, pars in carcerem detrudebantur. Atque hæc jam evenerant, antequam Romanus Pontifex S. Pius V. Constitutionem ederet, qua Elisabetham omni regio jure privatam declaravit. Post eam promulgatam Elisabetha, quæ jam iniquum consilium perficere statuerat, oblatam sibi occasionem putavit, qua acrius in Catholicos sæviret, neque ullum crudelitati modum adhibuit, postquam Philippus II. instructa classe, quæ Invincibilis appellabatur, bellum Angliæ inferre decrevit. De iniquis Catholicorum vexationibus legendæ sunt literæ Alani ad Cardinalem Comensem, quæ demonstrant, quam graviter Elisabetha occasione seu potius prætextu illius belli Catholicos, præsertim insigniores et nobiles acrius insectaretur. [*]

[*] Anglia Vol. 2. fol. 173.

Illmo ac Rmo Domino Cardinali Comensi Domino Suo Benignissimo.

Illme ac Rme Domine Cardinalis.

« Non ita pridem ad Vestram Amplitudinem misi edictum illud, quod Angliæ Regina per ditiones suas dudum contra Catholicos, non religionis quidem nomine, sed suspectæ proditionis et confœderationis cum profugis causa publicaverat. In quo suos admonet, diu multumque Papam et Hispaniarum Regem ab hostibus et transfugis suis solicitatos esse de sibi inferendo bello; ad quod se ita instructam esse jactitat, ut nullam externam vim timeat, jubens suos in officio et fide permanere; nec quidquam vel a seditiosis civibus, vel ab exteris terra marive paratis copiis pertimescere: porro in suos subditos, qui ullius confœderationis cum profugis rebellibus conscii sint, se acrius quam pro consuetudine et natura sua imposterum animadversuram. Mox post hoc edictum, quod voce proximum per totum regnum erat publicatum, jubet per omnes provincias sibi subjectas ad carcerem rapi, vel custodiæ hæreticorum mancipari omnes potentiores et insigniores Catholicos; quod primo quoque tempore ac pene subito executioni mandatum est; eademque opera diligentissime inquisitum est in sacerdotes, in primisque adversus duos Jurisperitos, quos hac æstate misimus, et Jesuitas. Sed tanta cura et solicitudine vicissim occuluntur et custodiuntur illi a Catholicis, ut paucissimi hactenus in hostium manus venerint. Interceperunt etenim duos tantum Remenses presbyteros; Romanum unum.

« Tantus est numerus jam nobilium vinctorum, ut coacti sint e carceribus omnibus Londinensibus illos veteres pro religione incarceratos, Reverendissimum Episcopum Lincolnensem, aliosque Ecclesiasticos plurimos, ad alias arces procul ab urbe dissitas, ut recens comprehensis locale detur, amandare. Idemque Eboraci (quæ etiam est celebris in illa insula civitas) factum est paulo prius. Sed multi id factum existimant, quod in illis urbibus detenti sacerdotes præcipuos passim cives et ex nobilitate multos converterint, atque ad constantiam verbo et exemplo persuaserint. Tractant eos cives aut nobiles severius, qui vel in illo Romano vel in isto Remensi Collegio filios habere noscuntur. Atque hæc persecutio gravior est et ad plures pertingit, quam ulla unquam his annis antea. Nam quod hactenus non attentarunt, religionis nomine etiam quidam ex proceribus, non quidem in carcerem, sed in custodiam hæreticorum dati sunt.

« Quæ omnia præter solitum facere putantur

eo consilio, ne Catholici se hostibus, si qui sint futuri, (futuros autem plane impotenter timent) conjungant. Et de iis, quos conclusos habent, erunt fortasse in omnem eventum utcunque securi; sed cæteros, qui vel dissimulatione vel aliis artibus evadunt præsens periculum, provocant potius et irritant ad aliquid audendum vel faciendum, ubi Deus dederit tempus, non solum pro liberatione animarum, sed amicorum etiam indignissime vinctorum.

« Atque certe totus Catholicus populus tam dedecorosa unius fœminæ tyrannide anima et corpore afflictus, aviditate ineffabili expectat a Deo aliquam redemptionem. Pro hac clamamus ad Sanctissimum Dominum Nostrum, summum justitiæ in terris ministrum, exules; pro hac ad ipsum gemunt compediti; pro hac ad ipsum supplices tenduut manus innumerabiles afflictæ animæ, oves suæ: non quod dubitemus, quidquam illa nota mihi Sanctissimi Gregorii viscera facere posse, quod non faciant; aut unicum illum parentem in terris nostrum majus, aut melius velle pro nobis posse quam vult; sed ut saltem communicatione calamitatis apud Sanctissimum Dñum et parentem nostrum amantissimum, atque apud Clementiam T. nonnihil (ut sit) justissimum de gente nostra dolorem leniamus. Certe omnes prudentes ominantur hanc novam sævitiam futuram ipsius hostibus perniciosam. An vero ultra carceres aliquid intentaturi sint, incertum est: et illa ulteriora consilia expectantur a conventu Ordinum, qui brevi futurus esse putatur. Religio vero hac contradictione et multorum admirabili constantia fit judice illustrior, planumque redditur omnibus, non jam de religione, quam hostes nullam habent, sed de firmitate imperii et terrenæ fœlicitatis agi et certari. Dominus Jesus Vestram Illñam Dominationem, magnum præsidium nostrum diutissime servet. Remis 12. Sept. 1580.

Vestræ Rñæ et Illñæ Pateroitatis

Diminutissimus in Domino servus

Gulielmus Alanus.

« Hanc particulam Calendarii mittendam censui, ot ex solemni festo nativitatis Elisabethæ celebrato 7. Sept., proximo die, qui est Nativitatis S. Deiparæ, neglecto videntis, ad quantum superbiæ gradum illa Regina venerit, quæ præter aliud inaugurationis suæ celeberrimum festum, etiam hoc habere voluit suæ nativitatis. »

Personius e Soc. Jesu ille, qui superius a Spondano tanquam vir ferocis indolis exhibetur, cum potius ob animi sui moderationem commendari debuisset, qui Catholicos, licet iniquissime vexatos, voluntate Pontificis in obedientia Reginæ confirmavit, in suis ad Cardinalem Comensem litteris accurate exponit, quænam essent hæreticorum artes, quænam vexationes contra Catholicos adhiberentur, quam admirabilis esset plurimorum constantia, qui labores et quæ sollicitudines susciperentur, ne perversum impiorum consilium perfici posset. (*) (*) Armar. XIV. caps. 2. N. 43.

Ex litteris Patris Roberti Personii 17. Septembris anni 1580. Londini.

« Persecutionis æstus, quæ modo per universum hoc regnum in Catholicos fit, vehementissimus est, et qualis a conversione Angliæ non est auditus. Trahuntur ubique in carceres nobiles, ignobiles, viri, fœminæ, ipsi etiam pueri vinciuntur cathenis ferreis, spoliantur bonis, privantur lumine, et publice tam edictis, quam sermonibus concionibusque infamantur apud vulgus proditorum et rebellium nominibus. Causæ hujus tantæ persecutionis putantur, primo malus Anglorum successus in Hybernia, tum Hispanicæ classis in Angliam per superiorem æstatem iotentatio, denique adventus Jesuitarum in hanc Insulam, et magna hominum conversio, quæ ab illis facta est, quæ tantum stuporem hæreticis injecit, ut quid dicant faciantve, videantur plane non habere. Maxime autem consternati sunt ex quadam protestatione fidei suæ, ac religionis et causæ, propter quam in Angliam venerant, quam in scriptis suis nominibus subsignatam apud amicum quendam deposuerant, veriti ne si in carcerem conjicerentur, fingerent hæretici, ot in aliis multis facere solent, eos recantasse. Quam protestationem cum ille, cujus custodiæ commissa erat, alteri communicasset, et ille alteri, factum est brevi, ot in manus infinitorum hominum, et ipsorum etiam Consiliariorum Reginæ perveniret.

« Intelligimus jam ante unum mensem oblata esse nomina plusquam quinquaginta millia, qui recusabant adire Ecclesias hæreticorum, postea inventa sunt, multo, opinor, plura.

« Hæretici a Catholicis, cum eos in carcerem conjiciunt, hoc unum exigunt, ut veniant ad Ecclesias suas, et intersint concionibus et officiis. Nuper etiam propositum fuit quibusdam Nobilibus, ut si vel semel in anno Ecclesias hæreticorum adirent, etiam facta prius protestatione, se non religionis aut approbandæ illius doctrinæ causa venire, sed solum ut exhibeant externam Reginæ obedientiam; et tamen omnes id constantissime facere recusant. Et quædam Matrona nobilis, cum ei optio daretur, ut vel maneret in carcere, vel transiret tantum per medium Ecclesiam, nullam ibi moram faciens, nec ullum signum reverentiæ exhibens, respondit se nullo modo velle. Alius puer decem, opinor, annorum, fraude quadam suorum inductus, ut sponsam quandam ipso nuptiarum die, sicuti mos est, præcederet in Ecclesiam, et reprehensus postea a suis æqualibus, flere cœpit inconsolabiliter, nec ullam admittere voluit consolationem, donec me post paucos dies invenisset, et ad pedes procumbens, vi maxima lachrymarum

confessionem peccati sui faceret. Alia sunt infinita similia.

« Nos, licet edictis publicis prohibeatur omnibus nostra conversatio, tamen avidissime ubique expetimur, et multi longa itinera, ut solum nos alloquantur, suscipiunt, seque et omnia sua in manibus nostris deponunt. Ideo summopere necessarium est, ut fiat nova nostrorum missio, et si fieri potest, non pauciores quam quinque mitterentur, unus Hispanus, alter Italus, et tres Angli, quos doctissimus esse pernecessarium est, propter multos implicatos casus conscientiæ, qui contingunt ex eo, quod nullus hic facultates amplas habet, nec possit Apostolica Sedes facile consuli, cum crimen sit læsæ Majestatis.

« Ingens est necessitas Episcopi alicujus, qui nobis oleum sacrum ad baptismum, et extremam unctionem conficiat, ob cujus defectum redacti sumus in maximas angustias, et nisi Sua Sanctitas mature nobis in hac re succurrat, nesciemus brevi, quid sit faciendum.

« Torquet valde adversarios, quod nulla crudelitatis via possunt vel unum hic Catholicum a proposito suo dimovere, imo ne puellulas quidem. Quædam enim virgo nobilis sexdecim annorum cum interrogata a Pseudoepiscopo Londinensi de Summo Pontifice constanter ei responderet, et publice etiam illuderet, jussa est ad publicum lupanar duci, sed illa inter eundum clamabat, fidei Catholicæ causa, non turpitudinis se ad eum locum ablegari.

« Cum nuper nobilis quidam pirata, natione Anglus, cum præda plusquam duorum millionum auri in Indiis Occidentalibus addati, appulisset, Orator Regis sui nomine prædam repetiit, sed Regina causas tergiversandi quærens, causata est, quod Rex Hispaniæ dedisset portum navibus Pontificiis proficiscentibus in Hyberniam, et cum præterea quæsisset, cur Pontifex non lacessitus ita infestaret Regnum suum, respondit ille, se potius mirari, quod plura non attentaret contra ipsam, a qua tam indigne tractetur, non solum negando omnia jura Ecclesiastica, quod ab antiquissimis temporibus ab Angliæ Regibus Sedi Apostolicæ tributa fuerunt, verum etiam libellis, concionibus, picturis inhonestis, et infinitis aliis modis, quibus ejus auctoritas infamatur et in contemptum adducitur. In quam sententiam cum plura dixisset, tum quidem Regina tacuit, postea tamen cuidam Nobili viro dixit, Summum Pontificem scripsisse sibi, paratum se esse omnem cultum Protestantium approbare, si illi titulum superni capitis Ecclesiæ restituat. Sed de hujusmodi fictis literis sæpe in his partibus fit sermo.

« Ego hic Londini tueor me crebra mutatione loci: nusquam enim ultra biduum consisto propter inquisitiones diligentissimas, quæ ad me capiendum fiunt. Obruor autem negotiis fere infinitis, quibus a summo mane usque ad multam noctem post persoluta divina officia, factasque conciones, binas nonnunquam in die, vacare cogor. Itaque expecto subsidium tum ex nostris, tum ex Collegio Suæ Sanctitatis.

« Omnes hic Catholici extensis ad Cœlum manibus gratias agunt Deo, et Suæ Sanctitati, quod tale Collegium Romæ præter omnem illorum expectationem constituerit, deinde Suam Sanctitatem summis precibus per viscera misericordiæ Salvatoris nostri obtestantur, ut illud Collegium tueatur, et pro necessitate præsentis temporis augeat.

« Ante biduum, cum Sacerdos quidam nomine Clistonius per plateas catheuis onustus duceretur, tam hilari vultu gradiebatur, ut populus miraretur: quo ille animadverso cœpit alacriter valde ridere, quod magis admirans vulgus petiit, cur ille rideret solus in suo casu tam misero, in quo ceteri homines eum miserabantur: respondit ille, quia ipse majus lucrum quam ceteri ex ea re percepturus esset. Principio hujus persequutionis quidam in Angliæ provincia quadam timore perterriti, promiserant, se venturos ad Ecclesiam Protestantium, quo audito uxores eorum restiterunt, minitantes se eos relicturas, si ipsi propter humanos respectus obedientiam Dei et Ecclesiæ relinquerent. Similia multa contigerunt in filiis, qui a parentibus se ob eamdem causam separarunt.

Quantopere odio in Catholicos exarserit Elisabetha, colligitur etiam ex iis, quæ Nuntio Apostolico Parisiensi a quodam Hiberniæ presbytero relata fuerunt. (1) (1) Gallia Vol 13 fol. 112.

« Mensis jam totus agitur ex quo sacerdos Hibernus appulit Ruthomagum, sicut indicatum erat quatuor abhinc diebus mihi per literas cujusdam intimi amici, qui solvebat ex Hibernia, quantum conjectura assequor, in initio mensis Augusti. Refert ille quidem Comitem Desmoniæ, et D. Nicolaum Sanderum Anglum, Sacræ Theologiæ Doctorem cum toto exercitu Catholicorum adhuc hærere in castris, in loco satis tuto, ubi antea solebant. Summe expectabant tunc temporis externa subsidia, sine quorum auxilio parum, aut nihil possunt promovere. Sed ex literis, quas heri accepimus, et a viris etiam dignissimis audivimus, quinque naves grandissimas, armatis militibus et munitionibus bellicis onustas, et a Sancta Sede, ut fertur, missas, apud quemdam Hiberniæ portum paucis abhinc diebus incolumes appulisse. Idcirco tremit mirabiliter serva flagitiorum Angla et tota suorum hæreticorum caterva. Fremunt et furiunt, et altos clamores edunt, atque temere affirmant, se certo certius scire regnum Angliæ statim esse invadendum ab externo hoste, et bellum cruentum a Papa Romano, et Hispaniarum Rege sibi inferendum. Propterea nobiles quique Catholi-

ci, et aliquot etiam Principum, qui plurimum possunt cum populo, vel incarceraotur, vel committuntur custodiæ illorum, quibus Regina magnam adhibet fidem, vel jubentur sub pœna capitis non longe discedere a curia Reginæ, vel ah eo loco ubi jubentur sistere, ne domi suæ in propriis ditionibus degentes, ubi populus illos summo prosequitur honore et amore, congregent suos subditos et amicos, atque hosti ingredienti statim adjungant sua subsidia. Imo vero in quantum posterius audivimus, Regina ipsa tanto furore et insania modo est accensa, quoniam audivit quinque istas naves in Hibernia incolumes appulisse, ut non satis esse supplicii putet, optimos quosque incarcerare, omnique libertate privare, nisi etiam, quod scelus ipsum gravius efficit, bonis omnibus, reditibus ac possessionibus spoliet. Idcirco publico edicto jam decrevit omnia illorum bona et terras proscribere, et fisco addicere, qui nolunt interesse, dum hæretici publicas et sacrilegas suas preces in templis balbutiunt, et sacramenta prophana non secundum Christi Domini Nostri institutionem, sed Joannis Calvini inventionem ministrant. Proximum jam supplicium, quod expectant Catholici, et hoc ultimum est capitis pœna; hic est patriæ nostræ miserrimæ, et omni lacrimarum foute plangendæ præsens status, cui nisi aliquo salutari remedio opportune occurratur, actum pene erit tum de religione ipsa, tum de iis qui eam catholice et constanter profitentur. Sed tamen quo magis sævit Satanas in suis ministris, eo magis appropinquare nostram redemptionem speramus. Det Dñus Deus afflictis Catholicæ Religionis ergo consolationem et V. Rñæ Dominationi diuturnam vitam. Vale Præsul amplissime. 26. Septembris 1580.

LXXXIX. — Protestantes scriptores, ac præsertim Anglicani, in iis exponendis, quæ ad hanc historiam pertinent, cum non possint inficiari, inique actum fuisse in Catholicos ab Elisabetha, conantur suadere, Romanos Pontifices S. Pium V., et Gregorium XIII. præcipuam causam præbuisse legum severitati et crudelitati, qua Catholici vexati in Anglia fuerunt. Sed quam immerito hæc scriptores effutiant, ipsa historiæ veritas evidenter ostendit. Ea sane quæ egit Elisabetha, antequam Constitutio Romani Pontificis Pii V. promulgaretur, et bellum adversus Angliam a Philippo II. susciperetur, nequeunt ullo defensionis aut excusationis adminiculo ab ipsa constitutione aut bello juvari. Jam vero hæc, de quibus aliqua superius innuimus, ejusmodi sunt, quæ satis declarant, quam infenso in Ecclesiam animo esset Elisabetha, et probant, ipsam ante S. Pii V. constitutionem adeo in sua voluntate, atque etiam crudelitate obfirmatam, ut nulla spes esset, fore, ut a sui perversitate consilii quapiam ratione retraheretur. Præterea si perpendissent ii scriptores, quænam vero egerint Romani Pontifices, et quibus causis permoti fuerint, ut eo modo se gererent, quo se gessisse constat, non auderent de sapientissima agendi ratione Romanorum Pontificum detrahere, et quod attinet ad S. Pii V. constitutionem, facile concederent, tunc temporis omnium fuisse sententiam, illam constitutionem a Romano Pontifice edi oportere; qua de causa Principes, et ipse Imperator ita egerunt apud Romanum Pontificem, ut nonnisi post diuturnum tempus ad illam constitutionem promulgandam adductus fuerit. Intelligerent etiam iidem scriptores, S. Pium V. in sua constitutione id spectasse, ut jus universale, quod illegitimos filios a regno excludebat, tueretur, dignitati ipsius Anglicæ gentis consuleret, et catholicum populum a durissima tyrannide liberaret, quam in illum Elisabetha exercebat. Quod si dicant consultius fuisse, præsertim postquam vis contra jus in Anglia prævaluerat, confirmare Catholicos in Reginæ obedientia, neque id, inquam, facere prætermisit Romanus Pontifex, qui, referente Spondano, aperte etiam concessit, obstante utut sua constitutione, Catholicos posse in temporalibus Elisabethæ parere.

Bellum autem a Philippo II. contra Elisabetham susceptum longe abest, ut probet, vera esse, quæ contra Romanum Pontificem Gregorium XIII. dictitant adversarii. Siquidem qui ad factorum seriem spectet, fateri cogitur, non solum iniquissime actum contra Catholicos, antequam de bello ineundo Philippus cogitaret, sed plures profecto fuisse causas, quibus Philippus moveretur ad bellum Angliæ inferendum, etiamsi nulla accessisset voluntas Pontificis. Quis enim ignorat, Elisabetham secreto fœdus inivisse cum Belgia rebellibus, qui Hispanicam dominationem evertere moliebantur? Quem latet Anglos ipsos, qui pro retinenda avita fide e patria extorres erant, ad Philippum confugisse, ut suis armis prohiberet, quominus diutius perduraret persecutionis acerbitas, in qua Catholici non solum bonis spoliabantur, sed exilio, carcere aut gravioribus aliis pœnis multabantur, postquam frustra implorasset aut fidem a Regina datam, aut libertatem, quam hæretici prædicabant, simul ac omnem vim in Catholicorum perniciem convertebant. Quod si huic bello non repugnavit Pontifex, quin immo favit, ut religionis jactura impediretur, Catholici ab illa calamitate erigerentur, utque ea saltem libertas Catholicæ Ecclesiæ concederetur, quæ nulli sectæ denegabatur, nihil certe invenitur in agendi ratione Romani Pontificis, quod aut justitiæ, aut Pontificis dignitati, aut mansuetudini, quæ in Ecclesia debet eminere, adversetur.

Atque ex iis, quæ dicta sunt, illud etiam exurgit, falso omnino affirmari Romanum Pontificem

operam illi bello promovendo dedisse, ut per vim hæretici ad Ecclesiam reducerentur. Nihil magis exploratum est, quam Ecclesiam sine ulla vi constitutam et amplificatam, quovis tempore eos solos in fidelium communionem recepisse, quos, perspicuis argumentis constaret, veritatis vi convictos sincero animo christianam religionem amplecti. Quare quæcumque de bellis aut contra infideles, aut contra hæreticos initis a Principibus proferri possunt, tantummodo evincere possunt, quantum Ecclesia probaverit, Principes Christianos posse ac debere Ecclesiam contra hostium impetus defendere, potiori etiam jure, quo possunt ac debent Reipublicæ perturbatores sua auctoritate comprimere. Atquo hinc patet, quid sit iis respondendum, qui ut possint sine ullo metu Ecclesiam Christi aggredi, ut eidem etiam omne externum præsidium adimant, opponunt vetustissimorum temporum monumenta, quibus nulla vis adhibita fuit ad impetum hostium Religionis comprimendum. Namque in Ecclesiæ exordio, dum latissime per omnes regiones Christiana religio diffundebatur, nondum Respublicæ, et regna idololatriæ superstitionem penitus depulerant, nondum, qui imperium exercebant, Christianam religionem susceperant, ut posset ab iis defensio contra persecutores Christiani nominis implorari. Præterea factum illud vetustissimorum temporum, quod luculentissimum argumentum præbet divinæ illius virtutis, qua Ecclesia instructa potuit brevi innumera hominum agmina ad Christum adducere, frustra obnitente aut superstitione, aut crudelitate hostium Christiani nominis, confirmare etiam valet, nullo in discrimine de Religione et Ecclesiæ causa timendum, licet Principes Ecclesiæ patrocinium aut prodiderint, aut deseruerint: sed nullum certe argumentum præbet, ut exinde inferri possit vel Principes muneri suo non deesse, si Ecclesiam sua auctoritate, atque armis etiam contra occultas machinationes, vel contra apertam vim non tueantur, aut Ecclesiam non recte agere, si in gravissimo aliquo discrimine Principum opem in sui defensionem vocaret. Atque hæc. quibus plenissime refelluntur ii omnes, qui de Ecclesiæ agendi ratione obloquantur, invicte demonstrant, nulla ex parte reprehendi posse Gregorium XIII., si bellum a Philippo II. contra Elisabetham susceptum probaverit.

XC. — Sed ut cætera percenseamus, quæ ad miserrimam Ecclesiæ conditionem in Anglia pertinent, omittenda non sunt, quæ scribit Asaphiensis Episcopus, qui existimavit rei catholicæ consuli posse, si plures Episcopi titulares in Britanniam mitterentur, ut miseros illc Catholicos consolarentur, utque sacerdotes in illa temporum calamitate, opportunis facultatibus in ministerii munere obeundo ornarent. In his litteris Episcopus patriæ suæ amantissimus vir, dolet valde, ac prope illacrymatur, sibi ad eam reditum interclusum esse, propterea quod et Regina cæterique omnes, qui cum ea sentirent, maximo in se afficiebantur odio. Cum id consilium Cardinali Comensi communicaret, eidem et Comitem Westmorlandiæ, strenuum fidei Catholicæ assertorem, propterea domo patriaque exclusum, bonisque omnibus spoliatum, etiam atque etiam commendat. [*] [*] Mantissa document. N. 44.

XCI. — Hoc etiam anno Catholici in Scotia viri non irritam profecto spem fovebant fidei suorum patrum instaurandæ. Hinc Rossensis Præsul pro virili huic rei studebat, tum litteris ad Scotiæ Proceres missis, tum scriptis in lucem editis, iisque præsertim quibus demonstrabat, Scotiæ Reginæ jus esse ad Angliæ regnum. His porro scriptis et adversarios ipsos non leviter commotos, et Principem suum oblectatum fuisse ad Pontificem scripsit. [*] [*] Gallia Vol. 13. fol. 299.

Beatissime Pater.

« Etsi institutam Beatitudinis Vestræ mandato, dum Roma discederem, affulgente tum spe aliqua Religionis Catholicæ instaurandæ, in Scotiam profectionem adhuc distuli, ob subitam Reipublicæ nostræ mutationem, quæ prematuram, planeque bonis omnibus acerbam piæ memoriæ Comitis Atholiæ mortem excepit, tamen non destiti, tum frequentibus per nuncios et literas exhortationibus Catholicos officii sui monere, tum nutantes confirmare, planeque ab Ecclesia alienatos ad Religionis Catholicæ studium libris hoc consilio editis incitare, in quibus licet dignitatis, antiquissimi regni, et utilitatis publicæ causam agere videri volui, tamen non pauca ad Apostolicæ Sedis obedientiam, et avitæ pietatis propagationem, uti ferebat occasio, nec sine fructu aspersi. Nam non solum Catholicos, sed ipsos etiam adversarios et præ cæteris Principem nostrum, meorum monumentorum lectione vehementer oblectari audio. Quo sane factum est, ut dum paulo attentius mecum cogitarem, quanto nunc cum totius Religionis Catholicæ detrimento, florentissimum Angliæ regnum ab hæreticorum omnium patrona occupetur, quantoque cum periculo et discrimine totius pene Christianismi adversæ Religionis proceres ad diadema illud aspirent, operæ pretium me facturum existimavi, si universam Regum Angliæ successionis seriem, a quingentis plus minus annis repetitam ob oculos ponerem, ut omnibus constare possit, extincta saltem legitima Henrici VIII. sobole, jus universum, suffragantibus etiam legibus Anglicanis, devolvendum esse ad Serenissimam Mariam Scotorum Reginam, licet Religionis nostræ hostes hujus clarissimum alioqui jus omnibus quibus possunt modis obscurare contendant, ne quam ipsa constantissime Religionem Catholicam profitetur,

susceptis Reipublicæ gubernaculis, instaurandam, et pristinæ dignitati apud Anglos restituendam curet. Ne quis igitur vel ipsis competitoribus vel eorum fautoribus excusationi locus esset reliquus, hunc libellum omnibus Principibus Christianis inscribendum putavi, inter quos cum Principem facile locum Tua Sanctitas tueatur, mearum partium esse existimavi, tuæ primum Beatitudini hoc ingenioli mei monumentum offerre: non equidem certe quod ullum hac de re apud Sanctitatem Tuam scrupulum superesse, arbitror, sed ut quæ coram de Serenissimæ Principis meæ titulo aliquoties breviter disserui, fusius atque uberius hinc cognoscere possis. Quanta igitur possim animi submissione contendo, ut et huic meo labori patrocinari, et solito me amore complecti, Tua Sanctitas dignetur, ne hostibus de rebus meis adversis exultandi occasio detur, certo me proventu destitutum videant, qui divini cultus, et dignitatis Ecclesiæ propagandæ studio, bonis omnibus, immo et patria ipsa, quæ una omnes omnium charitates complectitur, lubens careo. De statu porro Regni nostri, et quid spei reliquum sit, ex Illmo Cardinali Comensi, ad quem hisce de rebus fuse scripsi, Sanctitas Vestra cognoscere poterit. Interea Deum Optimum Maximum precari non desinam, ut ad Ecclesiæ præsidium, et nominis tui decus Tuam Sanctitatem quam diutissime servet incolumem. Parisiis 9. Julii 1580.

Beatissimæ Paternitatis Vestræ

Humillimus et obsequentissimus
servus et orator
Joannes Episcopus Rossensis.

Idem Præsul eo fidentiori erat animo, propterea quod cognovisset Aubignium maximam iniisse ab Scotorum Rege gratiam, eundemque renunciatum fuisse Comitem Lenoxium, qui primarius in eo regno nobilitatis est titulus. Quippe is erat, qui totum studium in eo ponebat, ut Regem in avitæ fidei cupiditatem induceret, eamque adeo profitentibus conciliaret. Idem igitur apud Cardinalem Comensem illius operam mirifice commendans, refert, pecuniæ inopia, uti ab eo acceperat, impotem ipsum fore ad ea, quæ pro fide Catholica meditabatur, perficienda; nihil tamen factum esse propius, quam ut juvenem Regem manibus adversæ factionis eriperet. (*)

(*) Gallia Vol. 13. fol. 380.

Illme et Rme Domine.

« Desideratum mensibus jam aliquot scribendi argumentum tua prudentia dignum, quas a Domino Aubigno, qui nunc plurimum apud Principem nostrum gratia et auctoritate valet, literas accepi, attulisse videntur. Nec enim committendum putavi, quin cum Illma Dominatione Tua eas communicarem, quoniam ad statum Reipublicæ nostræ pertinent, cujus Sanctissimum Dominum nostrum cognoscendi desiderio teneri non dubito. Accipies igitur literarum ejus exemplar hisce meis inclusum, gallice scriptum, in quo, commemorato primum studio in Serenissimam nostram Reginam ejusque filium suo, animi constantiam fideique firmitatem pollicetur, licet, ut tanto facilius conatus suos ad fœlicem et optatum exitum perducat, hæreticis arridere cogatur. Quæ res ne sibi apud Smum Dominum Nostrum fraudi esse possit, cupit sibi, si quid hac in re delinquat, Auctoritate Pontificia remitti, atque ejus rei penes me testimonium manere. Qua de re ubi ex Illma Dominatione Tua cognovero, quid animi habeat Smus Dominus Noster, curabo ut Dominus d'Aubignio secretis nunciis certior fiat. Queritur præterea se in rebus conficiendis, pecunia necessaria destitui, idque negotii mihi commendat, ut apud Regem Christianissimum ejusque matrem, aut alios quoscunque, a quibus subsidii aliquid sperandum sit, hanc causam agam, favorem quidem et benevolentiam Rex ejusque mater promittunt, sed præterea nihil. Hic ego plane consilio destituor, nam nec a Serenissima nostra Regina, aliis oneribus pecuniariis omnino exhausta, aliquid sperari potest; nec Smum Dominum Nostrum appellare audeo, eum tamen vehementer dolendum sit, si optima nobilis hujus voluntas, et propensissimum tum in Principe nostro ad Ecclesiæ gremium revocando, et Religione apud nostrates instauranda studium, ob tam exiguæ pecuniæ summam restingatur vel etiam remittatur. Quid igitur hic a me fieri debeat, ab Illma Dominatione Tua cognoscere primo quoque tempore cupio. Nam proximis diebus rogatu Illmi Cardinalis Burbonii, ut nonnullam in muneribus ecclesiasticis operam ei navem, Rothomagum proficiscar, ubi moram trahere cogito, quod locus sit multo commodior ad res cum Domino d'Aubignio, et cæteris nostratibus ex animi sententia expeditius conficiendas. Est enim urbs prope maritima, et a nostratibus ultro citroque commerciorum causa comitantibus multum frequentata. Scribit insuper Dominus d'Aubignius, nimium abfuisse, quin 6. die Aprilis Principem nostrum de ipsius consensu, ex adversæ factionis potestate ereptum, in castrum Dumbartonium perduxisset, unde in Galliam brevissimus est trajectus: id quod postremis literis, verbis licet tectius et occultius significat, ne adversarii aliquid odorerentur, si forte in eorum manus literæ occultis licet characterismis descriptæ pervenissent. De reliquo Domini D' Aubigni progressu, ubi certi aliquid intellexero, Illustrissimam Dominationem Tuam certiorem faciam. Interim majorem in modum rogo, ut Celsitudo Tua apud Sanctissimum Dominum Nostrum meminisse negotii mei velit, et quandoquidem nihil mihi certi a Regia liberalitate promittere possum, qua solet

humanitate conari, ne mihi Sñi Domini Nostri favor benevolus præcludatur. Vale. Parisiis 9. Julii 1580.

Illñæ et Rñæ Dominationis Tuæ
Addictissimus Servus
Jo. Episcopus Rossensis Scotus.

XCII. — Huic optimo Præsuli tanta in spe illud præter opinionem expectationemque accidit, ut quam a Cæsare incluti Scotorum Monasterii Vindobonensis restitutionem petierat, consequi nulla ratione potuerit; propterea quod multorum vicissitudine casuum, non sine ipsorum Scotorum culpis et offensionibus, illud cœnobium, annuentibus Pontificibus Nicolao V. et Paulo II., Monachis Germanis in possessionem cessisset; quæ ipse Cæsar fuse disseruit. [*]

[*] Germania Vol. 48. fol. 203.

Rudolphus etc. etc.

« Regia Majestas, Dominus noster clementissimus, benigne intellexit ea, quæ superiori anno nomine Serenissimæ Principis et Dominæ, Dominæ Mariæ Reginæ Scotorum etc. etc. per Serenitatis Suæ Oratorem Rñum Dñum Joannem Lesleum Episcopum Rossensem, ratione Monasteriorum nonnullis in locis Germaniæ pro Scotis fundatorum, præsertim vero, ac in specie, ratione Monasterii Beatæ Mariæ Virginis Viennensis (Scotorum dicti) proposita postulataque fuerunt.

« Capta igitur super iisdem informatione necessaria, Majestas Sua comperit, quod etsi ab initio jam dictum Monasterium pro Scotia et Hybernis præcipue fundatum fuerit, idque ob eam, quæ tum erat, ipsorum pietatem ac vitæ sanctimoniam, postmodum tamen iisdem Scotis de pio isto studio plurimum remittentibus, et ad diversam vitæ rationem deflectentibus, sicque fundationis istius causa cessante, ab ipsa etiam fundatione recessum sit; ac primo quidem a Papa Nicolao V., tempore quondam Alberti Regis Hungariæ et Archiducis Austriæ, ista constitutum fuisse, quod in dictum Cœnobium non solum Scoti, verum etiam aliarum nationum Religiosi, maxime vero Romani recipi possent. Cumque demum Scotiæ nationis Religiosi adeo obstinatos se præberent, ut potiusquam hujusmodi reformationi locum dare, ac Germanorum cohabitationem ferre, dicto Monasterio ac omni ejus administratione prorsus cedere, illaque ad manus reformatorum a præfato Nicolao V. deputatorum libere resignare maluerint, factum esse, ut iidem reformatores, resignatione illa acceptata, pertinaces Scotiæ nationis Religiosos authoritate Apostolica a dicto Monasterio ejusque administratione excluserint, quin et a tota ista provincia ac diœcesi recedere jusserint atque relegarint; tantum vero abesse, ut ullum ad Monasterium illud regressum iisdem Scotis reservarint, ut etiam non multo post ad Divi quondam Imperatoris Federici III. instantiam, prælibatus Nicolaus V. Summus Pontifex idem Monasterium a Scotis ac ejusdem nationis Cœnobiorum incorporatione, visitatione, superioritate, omnique jurisdictione et potestate prorsus exemerit, atque insuper deputatis ad hoc specialibus Commissariis, ejus provinciæ Diœcesano, sive Ordinario, nimirum Episcopo Pataviensi, illud subjecerit; quod demum post Viennensem Episcopatus erectionem, Papa Paulus II. ejusdem loci Episcopo subesse voluerit.

« Quæ cum ita se habeant, ac non modo memoratum Monasterium Beatæ Mariæ Virginis Viennensis, una cum ejusdem pietatis Religiosis, ipsaque natione Germanica, verum etiam jam dicti Ordinarii tanto tempore in pacifica hujusmodi exemptionis possessione fuerint, (ut interim multa alia quæ ad convellendas Scotiæ nationis prætensiones adduci possent prætereantur) Majestas Sua Cæsarea benevole sibi pollicetur, præfatum Dñum Episcopum Rossensem ac ipsam Serenissimam Reginam Scotiæ huic Majestatis Suæ informationi acquieturos, neque sæpe dicti Monasterii Viennensis restitutionem ulterius ursuros esse; cum eo jampridem Summorum Pontificum auctoritate res deducta sit, ut nulla hujusmodi restitutionem petendi idonea causa possit esse reliqua.

« Et hæc quidem Cæsarea Majestas eidem Domino Episcopo, vel ejusdem hic relicto sollicitatori responderi clementer voluit. De cætero ipsi Domino Episcopo benevolentiam suam Cæsaream benigne deferens. Decretum Pragæ die 7. mensis Aprilis 1850.

Vidit S. Vichausenus.

(L. S.)

P. Obenburger.

XCIII. — Italis hoc anno lugenda fuit mors magni Principis, Ducis inquam Sabaudiæ, de Ecclesia, deque patria sua optime meriti. In regnum ei successit Carolus Emmanuel, quem Gregorius de acerbo ejus luctu solatur, et in rei catholicæ tuendæ studio confirmat. [*]

[*] Brevia Greg XIII. et Sixti V. Vol. 20. ep. 20.

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Emanueli Duci Sabaudiæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Nihil potuit Nobis gravius accidere obitu clarissimi Ducis Emanuelis patris tui. Doluimus autem tum privatam tuam, tum communem totius Christianæ Reipublicæ jacturam. Fuit enim vir ille humanitate, prudentia, fide, et tum in pace, tum in bello virtute singulari, inque Catholica Religione tuenda, ejusque hostibus arcendis pietate eximia. Sed quando visum est Divinæ bonitati illum ex hujus vitæ miseriis ad præmia ejus virtutibus reposita evocare, debes tuum mœrorem consolari optimi parentis beatitudinis cogitatione. Nos vero consolatur etiam spes optima virtutis tuæ; sic enim sperare par est, te non

opum modo et potentiæ, sed multo etiam magis paternæ laudis hæredem fore, nihilque Catholicæ Religionis amplitudine, et Dei gloria commendatius habiturum. Quo autem facilius possis in iis, quæ recta esse intelliges uti nostra auctoritate atque opera, mittimus ad Nobilitatem Tuam venerabilem fratrem Vincentium Ecclesiæ Montis Regalis Episcopum, nostrum et Sedis Apostolicæ Nuntium ordinarium, virum præstanti doctrina, prudentia, integritate, pietate præditum, Nobisque his nominibus carissimum, atque a parente tuo magno semper in honore habitum. Non dubitamus, te omnibus in rebus eam illi fidem tributurum, quam Nuntio nostro tribui convenit, quamque Nobis ipsis tribueres. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Septembris MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

XCIV. — Præsulem Salutiarum Gregorius monet, ne ullas sui muneris partes prætermittat in suis subditis hæreticorum adloquio et congressu prohibendis. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. IX. ep. 4. fol. 309.

Venerabili Fratri Episcopo Salutiarum.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Quantum sit munus optimi Pastoris Catholicam Religionem tueri, et laborare, ut pure sancteque colatur, quantum contra Sathanæ studium in hominibus ab ea abducendis, inque hoc certissimo salutis fundamento convellendo, perspectum esse Fraternitati Tuæ facile arbitramur: Sathanæ vero, ministrorumque ejus conatibus cedere Catholicorum Pastorum studia, absurdissimum est. Neque vero hæc eo scribimus, quod existimemus, te in hoc genere nostris monitis indigere, sed quia libenter te hæc audire et recognoscere persuasum habemus. Facies igitur, ut Catholicos omnes tuæ curæ vigilantiæque commissos moneas horterisque, ut in fidei synceritate constantissime perseverent, hæreticorum insidias caveant, eorum consuetudinem vitent, sermonem tanquam certissimum venenum horreant, omnia sibi potius perferenda esse ducant, quam ut fidem Catholicam deserant, hoc unum certissimum maximumque malum esse intelligant, a Deo sejungi, cætera, quæ putantur adversa, ingens lucrum afferre, ubi ea Christi amore subire voluerint, neque defuturam ipsis Dei gratiam, modo ipsi nolint gratiæ deesse. Hæc Fraternitatem Tuam per te, atque alios privatim publiceque tuis proponere, eosque hortari, monere, rogare volumus. Sic vero existimabis, nihil posse fieri aut tua curatione dignius, aut Christo acceptius, aut ejus plebi ad salutem fructuosius. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Junii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

XCV. — Januenses præclarum pietatis sapientiæque specimen dedere, cum ad suos juvenes sanis fidei Catholicæ doctrinis imbuendos, bonisque litteris ornandos patres Ignatianos accerserunt. Ea de re Pontificem supplices adeunt, ut iisdem ædem sacram Beatæ Mariæ de Vineis una cum adjacente claustro, Collegio instituendo percommodam attribuere velit. (*)

(*) Lit. Principum Vol. 33 fol. 68.

Sanctissime et Beatissime Pater.

« Vere equidem dixisse, et præclare sensisse nobis videntur illi, qui ignaviæ deditos ab omnibus fere malis occupatos, quique otio vacantes in perniciosissima quæque ruere affirmant; intellexerunt etenim sapientes viri, homines nihil agendo male agere, et otium atque ignaviam publicarum privatarumque rerum omnium maximam esse pestem; quare nihil utilius mortalibus evenire posse censemus, quam si frugiferis actionibus incumbant, et ætatem honesto aliquo negotio consumant, virtus enim operum est, non verborum; sed hoc ab adolescentibus præcipue observandum esse arbitramur, ut ea juvenes discant, quæ viris usui futura sint. Ante omnia vero pietas et religio est amplectenda, quæ verorum præmiorum cognitione ad bona incitat, et pœnarum a malis coercet; unde videmus (cum in hanc cogitationem mentis aciem intendimus) juventutem nostram piis religiosisque præceptoribus indigere, a quibus honestæ vitæ institutionem potissimum petat. Inter omnes autem nulli sunt arbitratu nostro aptiores Sacerdotibus Jesuitis, quorum doctrinæ puritatem, religionis sinceritatem, vitæ morumque integritatem jam pridem notam habemus. Nos igitur optamus locum habere commodum in hac civitate, ad pueros et adolescentes bonis artibus ornandos, piisque moribus instituendos, et ad omnium animos disputationibus, lectione et prædicatione nutriendos. Percommodum autem his omnibus esset templum Beatæ Mariæ de Vineis, et claustrum adjacens, si Sacerdotes illius ad aliud Divi Petri per nos ædificandum se recipere vellent, proventibus redditibusque retentis, quos nunc habent, immo et novorum accessione auctis; sed huccusque nullis rationibus persuaderi potuerunt, ut assentiant, quamvis ab omnibus desideretur, paucis admodum contradicentibus, nullam tamen rationem adducentibus, nisi affectus voluntatemque propriam; res ideo deducenda est ad Sanctitatem Vestram, quam propterea rogamus vehementer, ut id concedere velit; quandoquidem multæ sunt, et quidem justissimæ causæ, quæ Sanctitatis V.ræ animum movere debent; et licet a nobis taceantur, ne longioribus, quam par est, literis utamur, ab iis tamen, quorum hoc erit munus, abunde sunt declarandæ. Sciat autem hoc Reipublicæ nostræ futurum esse gratissimum, et nos summi beneficii loco habituros, et inter cætera pene infinita in nos collocata connumeraturos, sicut

Illmus Justinianus nomine nostro exponet Sanctitati Vestræ, cujus pedes osculamur. Genua Idibus Martii 1580.

Sanctitatis Vestræ

Obedmi et obsequñ filii atque servi
DUX ET GUBERNATORES REIPUBLICÆ
GENUENSIS.

Antonius Roccataliata.

XCVI. — Cum Mediolani S. Carolus Borromæus ad veteris disciplinæ cultum christianos homines excitare vellet, salutarem quadragesimalis jejunii observantiam, quæ apud Mediolanenses tunc temporis valde remissa erat, ad pristinam severitatem sapientissimis monitis et decretis revocare satagebat. Quod cum iis civibus ferendum gravius videretur, Gregorium iterum atque iterum, litteris atque Oratoribus missis, supplices adierunt, ut suum Præsulem ad mitiora adduceret. Sed Gregorius, cui probe sanctissimi viri et virtus et prudentia erat perspecta, eos monuit, ut quibus ille sanctissime præscripserat, non acquiescerent modo, sed omnino sibi persuaderent futura usu leviora. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 151, f. 276.

Dilectis Filiis Sexaginta Viris Consilii Generalis Civitatis Mediolanensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Ex vestris litteris, quas trinas diversis temporibus accepimus, atque ex sermone primum Jacobi Riccardi, postea Comitis Petri Antonii Lonati et Camilli Trotti Oratorum vestrorum cognovimus ea, quæ de decretis filii nostri Caroli Cardinalis Sanctæ Praxedis, ejusdemque Pastoris vestri Nos scire voluistis, quæque exponi, vestræ civitatis ac provinciæ multum interesse existimastis. Quod illius innocentiam, integritatem, vigilantiam, Dei gloriæ atque animarum salutis zelum in Ecclesiastica disciplina restituenda et tuenda agnoscitis, recte sapienterque facitis; sic enim debitum virtuti testimonium tribuitis, dumque talibus factis lætamini, vestram quoque pietatem ac Dei timorem declaratis. Qui timent te, videbunt me et lætabuntur, inquit Propheta; idque magno cum fructu; reddit enim hæc lætitia vos ejusdem cum Pastore vestro coronæ participes. Sic enim Abraham pollicitus est Dominus: Benedicentibus tibi benedicam, maledicentibus maledicam. Et quanquam nostra bonorumque omnium opinio non sinebat Nos suspicari, quidquam a Pastore vestro gravius, aut secus, quam par esset, decretum fuisse, tamen querelas expositas bonam in partem accepimus, laudamusque vestrum consilium ea ad Nos deferendi, nostroque judicio standi; sic enim facere decebat filios optimos, atque huic Sanctæ Sedi addictissimos, quo nomine semper vos unice amavimus. Ut igitur vestræ postulationi satisfaceremus, consideravimus omnia quam diligentissime. Et quia illa rationi maxime consentanea, vobisque ad servandum salutaria et fructuosa esse judicavimus, hortamur vos, ut prompto atque alacri animo amplectamini, ac non modo nihil obstetis, sed vestris etiam studiis, auctoritate, opera executionem adjovetis. Nos enim Cardinali ipsi in omnibus mentem nostram aperuimus et declaravimus. Neque enim ignoramus, posse decreta ipsa in hoc initio videri nonnullis paulo duriora, sed evadent suavia et facilia, si bona voluntas accesserit, quam debet quisque a Deo postulare certissimeque expectare. Angusta atque aspera via est, quæ ducit ad vitam, si corruptam scilicet naturam spectemus, at si Dei gratiam, jugum meum, ait Dominus, suave est et onus meum leve. Ubi vero ad obediendi voluntatem usus etiam accesserit, experientur homines, levissima esse ea, quæ initio ducebant gravissima. Maxime autem debet omnes consolari optima Pastoris voluntas; nihil enim aliud laborat, nisi de gregis sibi a Deo commissi incolumitate et salute, quam etiam suæ ipsius vitæ semper anteposuit tanta cum charitate, quantam omnes perspexistis. Committite vos igitur iis manibus, quas vestris commodis et saluti paratas atque inservientes gravissimis temporibus experti estis, animumque inducite talis tamque vestri amantis Pastoris decretis acquiescere, inque eo gratissimum vos Deo facere, vestroque officio satisfacere existimate: sic enim fruemini ea pace, quam Christus tantopere commendavit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die nona Martii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

XCVII. — Neque remissiorem Gregorius animum, tot licet tantisque Ecclesiæ curis distentus ad publica Italiæ negotia moderanda afferebat. Ipsum audito eum cubicularium suum Capilupum ad Ducem Mantuæ mitteret, ut quæ huic cum Venetis controversia intercedebat, componeretur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VIII ep. 171. f. 303.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Mantuæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Non possumus deesse nostro officio et muneri in iis, quæ pertinent ad concordiam et tranquillitatem Catholicorum Principum, quo in numero semper Nobilitatem Tuam plurimi fecimus, uniceque amavimus, idque tuo magno merito; semper enim te huic Sanctæ Sedi obsequentissimum, addictissimumque esse experti sumus. Quid autem a Tua Nobilitate hoc tempore magnopere postulemus super ea controversia, quam habes cum Venetis, ex dilecto filio Camillo Capilupo Cubiculario nostro, quem ad te mittimus, cognosces, ei omnem fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decimaquarta Maji MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

Duci quoque Ferrariensi suasor fuit, ut pactis conventis acquiescens, susceptam cum iisdem Venetis ob quoddam vectigalium genus offensionem ex animo dimitteret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. IX ep. 46. f. 313.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Ferrariæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Egimus, ut postulabas, superioribus diebus cum Oratore Ducis Venetorum, mandavimus etiam Nuncio nostro, ut cum Duce ipso ageret super negotio Nobilitatis Tuæ, de servandis pactis conventis inter eam Rempublicam et Julium II. Romanum Pontificem. Sic autem respondit Orator Ducis nomine, res tuas proprias fuisse illas quidem dimissas immunes, pro rebus vero hominum tuæ ditioni subjectorum, ideo portorium exactum fuisse, quia naves ad ipsius Reipublicæ portus fuerant appulsæ, etenim ipsos quoque Venetos tuis in locis suarum rerum nomine vectigal pendere; quod idem Ducem ipsum sibi respondisse Nuncius noster ad Nos perscripsit, ex quo responso facile intelligi licet, ubi naves eos portus non attingerint, nihil plane illos cujusvis vectigalis nomine exacturos esse. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Augusti MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

XCVIII. — Publicæ autem securitati, quæ iis temporibus in plerisque pontificiæ ditionis locis per homines scelestissimos, rapinis ac cædibus vitam tolerantes, in præsentissimum discrimen adducta erat, Gregorius egregie prospexit; in eosque severissime animadverti jussit. Cujus rei causa Alexandro Cardinali Sfortiæ mandatum dedit, ut illos latrones tota Sedis Apostolicæ ditione (Bononiensi provincia excepta) armis perquiri atque exterminari faceret. Quibus cum alii nefarii homines ex aliis Italiæ provinciis se adjunxissent, eidem Cardinali mandavit, ut de hac peste delenda cum cæteris Principibus ageret. Damus ejus litteras ad Ducem Etruriæ. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. IX ep. 32. f. 333.

Dilecto Filio Nobili Viro Francisco Medices Etruriæ Sibi Subjectæ Magno Duci.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Postquam nullus est finis hominum nequitiæ, nec cessant perditi instinctu Sathanæ, cui se totos tradiderunt, ab aliis ad alia facinora quotidie ruere, gravioraque in dies committere, jamque latronum manus per omnia Ecclesiæ loca crudelissime grassantur, quorum plerique nullo antea judicio damnati, sed sola rapinarum ac cædis cupiditate acti sese ad damnatos atque exules adjunxerunt, sponteque ad omnia scelera per summam crudelitatem præcipites dederunt; cunctandum a Nobis amplius non est, sed diligentissime providendum, ut pristina securitas, et tranquillitas nostris restituatur. Præfecimus igitur universis Sedis Apostolicæ locis (iis exceptis, quæ Bononiensi Legatione continentur) Legatum dilectum filium nostrum Alexandrum Sfortiam, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, eximia, ut omnibus perspectum est, prudentia et virtute præditum, eique ad hanc pestem eradicandam, bonum equitem ac peditum numerum tribuimus. Is ad ea sese conferet, quibus maxime provideri opus esse intelliget. Mandavimus ei, ut aut coram, si poterit, aut per literas, vel nuncium ubi opus erit, cum Tua Nobilitate consilia ipsa communicet. Non dubitamus, quocunque modo ille apud te aget, omnem te ei fidem tributurum, negociumque hoc amplexurum tanto studio, quantum Nobis pollicetur tua pietas, zelus et vigilantia tum in nostris, tum in tuis etiam ipsius rebus curandis: malum enim hoc ejusmodi est, cui provideri utriusque nostrum magnopere interest. Omnia ex Cardinali ipso fusius cognosces. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima tertia Julii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

Eidem commendavit Donatum Cardinalem Cæsium, cui provincia Bononiensis commissa erat, quique cum eo de communi ab perditissimis hominibus impendenti periculo erat colloquuturus. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. IX ep. 30. f. 332.

Dilecto Filio Nobili Viro Francisco Medices Etruriæ Sibi Subjectæ Magno Duci.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Mittimus Bononiam nostrum, et Sedis Apostolicæ de latere Legatum dilectum filium nostrum Petrum Donatum Cardinalem Cæsium; voluimus eum per Etruriam iter facere, eumque Tua Nobilitate esse, non solum ut benedictionem eam, quam ascribimus his literis, coram etiam dicat nostris verbis, sed etiam ut tecum agat multis de rebus, quibus ut provideatur, utriusque nostrum ditionis ac rerum magnopere interest. Omnia ex ipso cognosces. Non dubitamus, te omnem ejus verbis fidem tributurum. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII. Julii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

XCIX. — Cum in novo etiam terrarum orbe, inscio Rege Catholico, ab ejus administris Ecclesiastica jurisdictio impediretur, Episcopus Cuzquensis in Peruano regno per legatum cum Pontifice conqueritur, rogatque, ut qua polleret apud Regem Catholicum auctoritate, tot hisce incommodis provisum velit. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 8. fol. 86.

Ad Sanctissimum Universalis Ecclesiæ Præsulem Romanum ac Christi in Terris Vicarium, Dominum Nostrum.

« Sanctissimo Pontifici Maximo et Romanæ

Ecclesiæ Præsuli Sebastianus Cuzquensis Episcopus salutem optat perennem.

« Si per itineris opportunitatem (Beatissime Pater) pedes Beatitudinis Vestræ sanctissimos deosculatum mihi adire liceret, id non semel, sed sæpe fecissem. Sed ab hoc novo orbe ad Sedem Apostolicam via est adeo protracta, et tam innumeris implicita laboribus et periculis, ut in vita semel adhuc apte fieri id non contingat, nec potest, quam ob causam posse meum ad Ambasciatorem Serenissimi Philippi Hispaniarum et Indiarum maris Oceani Regis, Domini Nostri jam dudum commisi. Cum quo nomine meo pedes Beatitudinis Vestræ deoscularetur sanctissimos, et obedientiam humilem, quam quoquo biennio Sanctitati Vestræ debeo, præstaret. Nun dubito, quin hoc munus is executus fuerit et beneficium hoc, quod maxime factum opto, mihi impenderit, sed ne ullam, quæ accidit mihi, occasionem declarandi animi mei humilitatem obsequentissimam erga Beatitudinem Vestram, summum Sedis Apostolicæ Præsulem, prætermittam, cum harum litterarum delatore Ferdinando quippe presbitero, cui hanc adeundi provinciam, pedum Beatitudinis Vestræ scabellum deosculaturo commisimus, ut renunciaret, quæ de proventu et fructu fidei Christianæ et doctrinæ Ecclesiasticæ hic peragantur; et Beatitudini Vestræ tamquam Principi, Capiti et Cardini Universalis Ecclesiæ, per universum orbem antiquitus et recens exploratum, quam Christus effusione sui preciosissimi sanguinis Sanctissimæ Divinæ Trinitati adoptavit, referat. Nos quibus animarum cura imminet, et pro nomine Christi hortando et prædicando insudare debemus; dignum est molestias, quibus ob id concutimur, constanter perferamus, et mala, quibus gravamur, pro nihilo pendamus, iniquum tamen est, quando similia in magnam cedunt dignitatis Ecclesiasticæ detractionem, quod non evitatur, quantum commode fieri potest, ut Ecclesiæ Dei sua jura serventur, libertas et immunitas reddantur, simus tandem Ecclesiæ ministri ad exequendum nostri ministerii onera liberi, et ab omnibus impedimentis expediti. At vero ne tædiosa litterarum lectione Sanctitatem Vestram diutius occupem, summam referam. Potentissimus Dominus noster Philippus Hispaniarum Rex, Beatitudinis V̄ræ felicissimus filius, ut qui filiorum Beatitudinis Vestræ in suscipiendo, venerando et obsequendo Ecclesiæ Dei et Sedi Apostolicæ nemini est secundus; ita suis justissimis legibus fortiter et invicte Ecclesiam Dei his in terris sparsam tuetur; nonnulli vero sæculares Ministri, ut Ecclesiasticæ disciplinæ mercenarii, non sunt ita addicti, ut ad arcendum lupos prompte juvent, in qua re harum litterarum delator, quidquid dici dignum et justum est, referet, ac sic, ut in summa humillime et submisse expostulem, donum Benedictionis Sanctitatis Vestræ ad me indignum admandare dignetur Beatitudo Vestra, et ipse licet indignissimus, in humilem tamen servum servorum domus Beatitudinis Vestræ ascribi, quam maxime opto. Datum in Civitate Cuzquensi tertio Nonas Februarii anno millesimo quingentesimo octuagesimo.

Beatissime Universalis Ecclesiæ Præsul,
Indignissimus Sanctitatis Vestræ servus
et famulus perennem Sanctitati
Vestræ deprecatur salutem
Sebastianus Episcopus Cuzquensis.

C. — Fides Catholica lætiora in dies incrementa habebat in Insulis Philippinis, nec non in latissimo Sinarum imperio, assidue fortiterque in id præter cæteros S. Theresiæ filiis, qui vulgo Carmelitæ discalceati nuncupantur, adlaborantibus, operæque pretium animarum fructu facientibus ultra quam cuique credibile est. Hi quidem anno MDLXXVIII. eas in regiones a Pontifice missi fuerant, ut in excolenda illa vinea Domini benemeritis patribus SS. Augustini et Dominici se conjungerent. Non minorem voluptatem quam doctrinam haurient legentes, quæ Præses istorum Carmelitarum de fidei progressu, de moribus horum populorum Pontifici elegantissimis litteris nunciavit. In his sunt quædam, quæ jure mirentur, non modo de Religione, sed et de quadam matrimonii indissolubili ratione, a quibusdam idololatris in suos mores adscita. Quum vero apud Sinas illi Apostolici viri cognovissent, id magno esse impedimento, quominus ad baptismum accederent, quod ii ad primam ex pluribus repudiatis uxoribus redire cogerentur; neque in ea re satis constaret, quid esset sequendum, a Pontifice petunt, ut de tota controversia statuat: eumque insuper orant, ut ex Ecclesiæ thesauro spiritualibus donis eos velit impertire. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 33. fol. 171.

Beatissimo Patri Gregorio XIII. Pont. Max. humilis Fratrum discalceatorum, qui in Insulis Philippinis morantur, Congregatio S. P. D.

« Cum in tantis tamque immensis Christianæ Reipublicæ laboribus et ærumnis, tot variarum hæreseon flatibus ingentes fluctus, sævasque tempestates undiquaque excitantibus, ferrum et flammas atque adeo extremam pene perniciem Ecclesiæ minitantibus, non dubium sit, te quidem ea charitate, qua cunctos verus omnium Pater complecteris, tam ingentem animarum interitum deplorare, nec tua illa insita tibi divinitus animi benignitas atque clementia possit non graviter ferre, graviterque dolere, manare in dies latius pestilentissimum hoc incendium, nec lateris contineri; sed oppida, urbes, provincias, regna denique fide quondam Catholica, pietateque florentissima occupare: visum nobis est, Beatissime Pater, operæ pretium fore, nostraque, quos tibi deditissimos filios habes, interes-

se, ut Tuam Beatitudinem nova quadam voluptate novoque gaudio recrearemus, earum rerum commemoratione, quas Clementissimus Deus istis remotissimis, longoque marium locorumque intervallo dissitis regionibus operatur. Nec enim mediocri gaudio animum illum tuum animarum salutis sitientissimum afficiendum arbitramur, si ad tuas beatissimas aures pervenerit, novam quandam progeniem, novos innumerabilesque filios istis Indiarum Insulis sanctam tibi matrem Ecclesiam peperisse. Et quoniam Tuæ Sanctitatis jussu ad has oras profecti sumus, faciendum breviter est, ut totius itineris peregrinationisque nostræ cursum describamus. Ex eo loco ubi Frater Petrus Alpharus, qui eo tempore nostræ Congregationis custos erat, ad Tuam Beatitudinem literas misit, difficili navigatione usi; nam et in ægritudinem omnes fere incidimus, et sex fratres sociique nostri mortem obierunt: tandem aliquando ad novam Hispaniam pervenimus, ubi sex menses reparandarum virium, pristinæque valetudinis recuperandæ gratia commorati, anno 1578. Idibus Martii iterum solvimus, et longissima duo mille et centum leucarum navigatione ad Insulas, quas Philippinas vocant, quindecim numero Fratres appulimus. In itinere ad Insulam quandam accessimus, quæ 200 leucarum spatio distat ab Insulis Philippinis: ea est oryzæ et palmarum, quæ Coccos ferunt, uberrima. Incolunt eam insulam homines quidam feri, qui nudi incedunt nullo penitus tegumento, præter fœminas, hæ siquidem arboris folio verecundiosa contegunt. Corpore grandi, robustoque; latrociniis dediti. Unde Latronum Insula nomen accepit. Ii ad nos fructus, pisces, oryzam, aliaque ejusdem generis attulerunt, quorum pretio ferrum a nobis emebant, idque auro pluris æstimabant. Cupiebant quidam e nostris sociis illic permanere, incolarum miserti, ut eos ad fidei lucem adducerent, sed solos eos et inermes inter tot tantaque immanitate barbaros derelinquere, consilium non fuit. Inde progressi dedimus vela ventis, brevique ad Insulas Philippinas devenimus, ubi patres Religionis Augustinianæ comperimus, qui maximis exantlatis laboribus, summisque per duodecim annos difficultatibus, periculis, ærumnis confecti et exhausti, adventum nostrum perjucunde admodum exceperunt. Ii nobis principio spem omnem adimere videbantur, fore, ut Indi isti ad fidei Christianæ lucem aliquando aspirarent, irritos labores, vanos conatus, inanem omnem erga hos industriam affirmabant; sese per duodecim annos omnem tentasse lapidem, nihilque non expertum reliquisse, quo eos ad idolorum contemptum, ad veræ Catholicæque fidei Religionem adducerent; sed frustra omnia; decrevisse se hos tantum fidei Sacramento inaugurari posse, quos tenerior ætas et pueriles anni ad fidei primordia perdiscenda dociles efficerent. Verum res adeo præter spem, contraque omnium opinionem fauste feliciterque divino beneficio contigit, ut postquam per diversa insularum loca dispersi fuimus, brevi tanta tamque ingens virorum, mulierumque ac puerorum multitudo certatim ad fidem ac baptisma suscipiendum accederet, ut tantæ hominum multitudini impares esse videremus. Quod eo mirabilius est, quod hoc hominum genus immane prorsus et efferum nullum unquam Religionis vestigium habuerat, nulla templa noverat, nulla sacrificia exhibebat. Circumcisione plurimi eorum utebantur. Quidam Mahumetanorum ex Burneo, ea insula distat 200. leucas, persuasione decepti, atque ii alia plurima ex eodem erroris fonte observabant: cujusmodi erat carnibus porcinis abstinere, suffocatum non comedere, et alia quæpiam; alii vero licet circumcisione uterentur, ejus tamen originem non ad Mahumetanos, quos ipsi non noverant, sed ad antiquissima suorum majorum tempora referebant. Quidam avem quandam, alii cocodrillum venerabantur; putabant enim suorum atavorum animas post aliquot annorum circulos cocodrillos fieri, Pythagoricam illam palingenesiam somniantes; parentibus eorum filiisve vita defunctis statuam quandam e ligno rudi artificio fabrefactam erigebant, rati defunctorum animas eo simulacro inclusas contineri; iis baccanalia ebrietatibus clamoribusque barbaricis stridentia celebrabant, et ipsis idolis cibum ac vestes offerebant, salutem ac divitias eos poscentes. Lunam colebant, eique in plerisque locis in novilunio sacra faciebant. Priapum Romanorum more tanquam hortorum tutelarem venerabantur. Erant apud istos Indos sacerdotes, quos ipsi Catolonas vocabant, quibus tanta fides habebatur, ut si morbo affecto prædicerent, eo morbo moriendum ei esse, miser infirmus cibo penitus abstinens, inedia vitam finiret. Nulli inter eos veri domini, nulla Reipublicæ gerendæ ratio, sed qui inter eos plurimum viribus ac divitiis pollebat, is qua vi quaque injuria cæteros in servitutem suam adducebat. Quamobrem intestinis cædibus, latrociniis, direptionibus sese mutuo conficiebant: ita fiebat, ut nec moribus inter se, nec legibus ullis convenirent. Non eadem erat apud omnes, quod ad matrimonia pertinet, consuetudo. Quidam enim et eorum maxima pars nulla vera connubii jura servabant, sed levissimis de causis uxores repudiabant, aliasque ducebant: alii duas simul uxores habebant, iique maxima ex parte erant magnates, quos illi Magninoos nominabant. Quosdam vero Indorum populos accepimus longe melius matrimonii leges observasse; nam certis cærimoniis initiatis sponsis, deos suos precabantur, ut eis fœcunditatem concederent, nec eos usque ad mortem separa-

ri permitterent; quod si ullo tempore separarentur, eos diris devovebant, et deorum iram eis precabantur. Quod si aliquis ex eis divortium faceret, mulier si in culpa esset, dotem amittebat, vir vero auri mulcta puniebatur; vulgoque male audiebat, quod patrios ritus et consuetudinem violaret. Est istis barbaris a natura indita quædam ingenii acies, memoriæque tenacitas non mediocris. Nam quicquid docentur, mirabili celeritate percipiunt, iisque, quæ semel perceperunt, adhærent firmissime. Quamobrem facile veritati assentiuntur, erroresque suos agnoscunt, agnitosque detestantur, fratresque prædicationis gratia eos adeuntes comiter benevoleque excipiunt; imo ipsi eum potius adeunt et exquirunt, et eum abeuntem lachrymis prosequuntur. Quod si ministrorum copiam haberemus, nullus jam in Insulis Philippinis infidelitati locus relictus esset. Permulti jam ipsorum pie ac fideliter peccata sua confitentur. Miraculis credunt, quæ Omnipotens Deus per aquam benedictam, per Sacrosancta Evangelia, per Sanctorum reliquias multa erga eos et creberrima operatur.

« Illam Redemptoris Jesu Christi Domini Nostri sententiam, ite, prædicate Evangelium in universo mundo, memoria tenentes, in dies magis ac magis Evangelium in magno Synarum regno prædicandi desiderio accendebamur. Itaque quatuor ex nostra Congregatione Fratres, tribus militibus comitati parvo quodam navigio ad Quanton Synarum urbem opulentissimam pervenerunt, ubi sex menses commorati, Evangelium regni cœlestis assidue per interpretes coram proregibus et gubernatoribus prædicabant; sed timore ducti interpretes, verentes ne capite punirentur, si quid contra eorum idololatriam dicerent, fallebant nostros, et longe aliena iis, quæ a nostris fratribus dicebantur, aliis referebant. Admirabantur illi quidem in nostris fratribus asperitatem vestium, parcitatem victus, præcipue vero, quod oblatum nobis aurum, quod pecunias despiceremus, non mediocri admiratione ducebantur. Est enim avarum hominum genus, ultra quam credi potest; Fratresque nostros bonos homines, cœloque delapsos nuncupabant. Sed apud illos permanendi facultatem ne ullis quidem precibus obtinere potuerunt, quod lege sancitum apud eos sit, ne quis exterarum nationum in sui regni vitæque consortium admittatur; dederunt tamen eis facultatem in urbe Machàn commorandi, quam urbem incolunt Lusitani, distatque ab urbe Quanton viginti leucas in continenti sita. Illic duo sacerdotes ex nostris permanserunt, ædificato monasterio summa Patriarchæ ac Lusitanorum gratulatione, expectantes fore aliquando, ut expulsa dæmonis tyrannide latissimus Evangelicæ prædicationi campus aperiatur. Est Synarum regnum latissime patens, leucas enim mille continet, tantaque hominum frequentia colitur, ut totum id regnum unius magnæ civitatis speciem referat. Sunt Synæ colore candido, parvis oculis, mercimoniis plurimum dediti, ingenio versatili et peracuto in suis negociationibus, cæterum in his, quæ ad animæ salutem pertinent, percipiendis hebetes admodum et obtusi. Literarum studiosi, sed nulla scientia præditi, nulla liberali facultate expoliti. Inter eos eruditissimus ille est, qui expeditius legere et scribere noverit. Ex iis gubernatores, ex iis judices ac proreges instituunt, quos cæteri deorum loco venerantur, sortilegiis, superstitionibus, idolorum cultui supra omnes rationes deditissimi. Cœlum deorum omnium patrem nuncupant; lunæ etiam vota faciunt, eisque ove, sue, capro, tauroque litant. Omnibus, quos aut fortitudine, aut vitæ probitate cæteris antecelluisse existimant, statuas erigunt; habent suos monachos et heremitas, qui deserta incolunt, et herbis arborumque fructibus victitantes, se a luna post mortem ad cœlum vocatum iri sperant. Maxima est in eis æquitatis observandæ ratio, prudens Reipublicæ gubernatio. In mulierum pudicitia observanda tam ingens cura, ut maximis et opulentissimis in urbibus vix aliqua mulier a nostris visa sit. Homines tamen impudicissimi, et zodomitico vitio infectissimi, eaque superbia, ut se omnium sapientissimos arbitrentur. Cum dubii essemus, Beatissime Pater, quid nobis faciendum esset erga eos, qui priore uxore repudiata, aliam duxerunt, a qua separari aut vix, aut nullo modo posse videntur, quod non mediocre eorum conversioni præstat impedimentum, quasdam prædecessoris Sanctitatis Tuæ Pii V. fel. record. literas legimus, quas cum hac epistola ad Tuam Beatitudinem deferendas curavimus.

« His literis lectis, quod plerosque, ne ad priores uxores redire cogerentur, baptismum respuere videbamus, eis permisimus, ut baptizati cum iis uxoribus permanerent, quibuscum baptismi tempore conjuncti essent, viventibus licet primis uxoribus, quas illi levissimis de causis repudiarant. Non defuerunt, qui id improbarent, dicentes, fel. record. Papæ Pii V. privilegium in iis intelligi debere, qui quæ prior uxor fuerit, non meminerunt, quod nulla ratione constare posse videbitur, si et causæ, quæ in hoc privilegio afferuntur, considerentur, et ante hoc privilegium aliud a beat. mem. Paulo III. concessum, in quo hæc ipsa causa justæ separationis a prima conjuge affertur, si ea quæ fuerit, ignoretur. At secundum privilegium aliquid latius priore concessisse videri debet. Te nunc, Beatissime Pater, humiliter imploramus, quid hac in re nobis faciendum sit decernas, præteritisque simul provideas et futuris: num satis sit levissimis de causis, immo vero quandoque nullis, sola animi

libidine uxores passim repudiare; ne apud quos ista communi consuetudine et quasi lege fiebant, matrimonia habeantur. Sic enim maxima laboris nostri parte, non hic solum, sed etiam in Synarum regno relevati videremur. Jubeat etiam Tua Beatitudo, ne nobis ad quaslibet infidelium partes euntibus impedimentum aliquod ab Hispanis afferatur, ac potius, ut par est, omni nos ope ac favore prosequantur. Jubeat etiam Beatitudo Tua ex Sanctæ Ecclesiæ thesauris aliquid indulgentiarum huic novellæ plantationi, nobisque indignissimis Beatitudinis Tuæ servis impertiri; idque præcipue petimus, ut in uno altari Philippinarum, et in alio altari Synarum regni quoties missa celebrabitur, toties per misericordiam Dei una ex animabus purgatorii pœnis liberetur. Faxit Deus, Beatissime Pontifex, ut intestinis hæreticorum tempestatibus, atque incendiis tuis potissimum precibus, opeque restinctis, Turcarum superbia domita, gentibus omnibus ad fidei Catholicæ lumen undiquaque confluentibus, vere hoc ævo, te Pontifice, præclara illa Servatoris nostri sententia tua summa cum laude re ipsa comprobetur: erit unum ovile et unus pastor. Manilæ 14. Calen. Julii 1580.

Tuæ Sanctitatis obsequentissimus filius
Frater Paulus de Jesu
totius Congregationis nomine.

CI. — Cœtum fidelium Peræ apud Constantinopolim Gregorius suo recreavit favore, misso ad eos Nonæ Episcopo, qui ea curaret, quæ ad divinum cultum augendum maxime conducerent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An VIII ep. 22. f. 278.

Dilectis Filiis Prioribus et Superioribus Confraternitatis Sanctæ Annæ Universitatis Peræ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Reddidit Nobis vestras litteras dilectus filius Jacobus Gaglianus, exposuitque summa cum fide, prudentia ac diligentia vestras necessitates spirituales. Mittimus super his venerabilem fratrem Petrum Nonæ Episcopum, cui mandavimus, ut vos visitaret benedictionemque eam, quam his litteris ascribimus, coram etiam diceret, sacramentaque ecclesiastica administraret, deque iis, quas scribitis, necessitatibus cognosceret, remediaque ea adhiberet, quibus maxime indigeretis, quæque essent animarum vestrarum saluti maxime accomodata. Curate ut ad Dei gratiam, quæ istam tam præclaram voluntatem vobis est clargita, vestram quoque operam adjungatis, utque de virtute in virtutem ambuletis, quodque nomine ipso profitemini, rebus etiam operibusque impleatis, ut scilicet Christianam legem pure sincereque colatis, Dominoque nostro Jesu Christo omni cum pietate et vitæ sanctitate inserviatis, nihilque antiquius charitate habeatis; sic enim eam fidem obtinebitis, quæ viva est, quæque per dilectionem operatur. Quæ postulatis de Prioribus Ordinum Sanctorum Dominici et Francisci, deque sacris concionatoribus, providimus. Omnia ex Episcopo ipso cognoscetis, quem vobis, quamdiu istic erit, commendatum fore confidimus. Speramus enim ejus adventum atque operam magnam vobis consolationem allaturam. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XI. Martii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

Ab Rege Hispaniarum postulat, ne eleemosynam, quam Reges ejus prædecessores monasterio in Monte Sina sito elargiri solerent, in magna illius necessitate detrahi patiatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. IX. ep. 79. f. 267.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Magno semper adjumento fuit benignitas Majestatis Tuæ in monasterio, quod in Monte Sina constitutum est; sustentavit enim se hactenus ea eleemosyna, quam Majestas Tua ei assignavit. Nunc in maximis versatur difficultatibus; accessit enim ad veterem egestatem atque incommoda, quibus quotidie afficitur ab infidelibus, magna necessitas ædificiorum restituendorum. Rogamus Majestatem Tuam, ut mandet consuetam eleemosynam persolvi, eam etiam, quam Reges Portugalliæ constituerunt, ac persolvi fecerunt; æquum enim est, te ut Regni ipsius, sic quoque Regum pietatis hæredem, ac successorem esse. Eo autem libentius commendamus hoc negocium Majestati Tuæ, quo certius habemus, te talia et audire, et exequi libentissime. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 17. Decembris MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

CII. — Res Catholicæ in Aethiopia hoc anno prosperæ minus procedebant; neque res publicæ a perturbationis periculo aberant. Zandelghelus enim Rex, quamvis a fide catholica non alieniori esset animo, eosque qui in sacras expeditiones mittebantur, ac præcipue Patres Societatis Jesu, qui ex Lusitania in Abyssiniam venerant, liberaliter alloqueretur, benigneque eis faveret, a monachis tamen Jacobitis circumventus, Catholico Patriarchæ, a Gregorio ad Abyssinos misso, quorum plerique Ecclesiæ Catholicæ accesserant, ne suo fungeretur munere, interdixerat. Abyssini ipsi anno superiori monachum quemdam S. Antonii, nomine Joannem Baptistam Romam miserant, ut cum Pontifice de conjunctione cum Ecclesia Romana magis firmanda ageret, simulque de civilibus, quibus Aethiopiæ regnum distraheretur, dissidiis certiorem faceret. His in tumultibus Isaacus quidam Barnages, Princeps et ipse Abyssinus, vir sicuti opibus potens, ita et belli arte ferox in suspicionem venerat, fœdus cum Turcis adver-

suos Regem iniisse. Rex igitur ea de causa valde sibi Regnoque suo timens, ad propulsandum frangendumque adversariorum impetum, a Rege Lusitaniae auxilium petiverat. Gregorius, his cognitis, qua praestabat erga omnes humanitate, ei pollicetur omnia sua apud Lusitaniae Regem, quam primum renunciatus fuerit, officia, ut ejus votis satisfaciat; eumque paternum in modum ad fidem Catholicam amplectendam, Patriarcham benigne excipiendum, Barnagem sibi reconciliandum cohortatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. VIII ep. 100. f. 101.

Charissimo in Christo Filio Nostro Sarcadenglelo Aethiopiae Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Non putabamus, alienum a nostra charitate esse, has ad Majestatem Tuam literas dare. Diligimus enim in Domino omnes, qui ubique gentium sunt, Christianos, etiamsi gravissimis de rebus, maximeque ad salutem pertinentibus a Nobis dissideant, cupimusque eos ad veræ fœlicitatis cognitionem pervenire; quam quidem certum est, non posse extra Ecclesiam reperiri: hanc vero constat, unam tantum esse, nec plures esse posse: unam vero illam docet fides Catholicam esse atque Apostolicam. Maxime autem vellemus, ut una cum regno isto amplissimo obtinuisses etiam voluntatem Davidis avi tui; ille enim voluit postulavitque Aethiopiæ Patriarcham dari ab hac S. Sede Apostolica, eoque vero et legitimo pastore usurum se existimavit, quem hinc acciperet: satisfactum fuit ejus desiderio tanta cum charitate, quantum et res ipsa, et optima Regis illius voluntas postulabat. Itaque datus est tum Joannes, tum Andreas successor: utrique ex hac vita decessere, ille antequam istuc pervenire posset: hic postquam pervenit, in maximis semper incommodis et ærumnis fuit, quia scilicet nunquam voluisti illum pro vero pastore agnoscere. Quam multa vero postea mala in regno isto fuerint consecuta, quantaque a Turcis, aliisque externis hostibus, a tuis denique ipsis vastatio, quam graves, quamque intestinæ discordiæ, et ipse expertus es, et Nos incredibiliter dolemus. Horum autem malorum omnium vide, ne causa sit hujus Sanctæ Sedis, pastorisque tibi ab ea tributi contemptio et despectus. Oportebat te divinam gratiam agnoscere, atque huic Sanctæ Sedi constanter obtemperare, neque ulla humana cogitatione de recta sententia deduci, neque vereri, ne si huic Sedi conjunctior esse videreris, tuos offenderes, a teque abalienares; est enim Deo, cujus voluntate regnas, facillimum hominum studia et voluntates tibi adjungere, tranquillissimaque omnia conservare, quæque amissa sunt, restituere, majoribusque in dies beneficiis universum istud regnum cumulare, modo ipse pietatem rebus omnibus anteponas, certumque habeas, cum Principes agunt causam Dei, tum illum ipsorum causam agere, neque posse quemquam recte Rempublicam ullam gubernare, ut non summam religionis ac pietatis curam sustineat. Illud etiam humana prudentia curandum tibi esse a gravissimis viris accepimus, ut Isaacum Barnagæs Principem adeo potentem in gratiam recipias, conjunctumque habeas. Dicitur enim, hoc magnopere pertinere ad regni istius tranquillitatem. Nos quidquid auctoritate atque opera valemus, sive in Patriarcha constituendo, sive in tuis rebus Charissimo filio nostro Portugalliæ Regi commendandis, id totum tibi pollicemur ac deferimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxviii. Januarii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

Eumdem Barnagem, præterquam erroribus Jacobitarum irretitum, cæterum tamen Catholicis faventem, monet, ut ab armis discedat, seseque Catholicæ Ecclesiæ adjungat: eidem autem gratulatur de humanitate, qua Patriarcham paullo ante vita functum, reliquosque Catholicos amplexus fuerat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. VIII ep. 103. f. 250.

Dilecto Filio Nobili Viro Isaac Barnagæs.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Multum Nos debere profitemur humanitati tuæ in Patriarcha Andrea, quoad vixit, catholicisque omnibus benignissime accipiendis tractandisque, tamque grata Nobis sunt omnia tua erga illos officia, quam si essent in Nos ipsos collata. Quidquid autem unquam valebimus consilio, auctoritate, opera apud Charissimum filium nostrum Portugalliæ Regem, id totum tibi deferimus. Facit vero humanitas tua, ut speremus, Nos facile impetraturos id quod vehementer cupimus, quodque ad regni istius tranquillitatem magnopere pertinere intelligimus, ut scilicet cum Rege isto conjunctissimus sis, amputesque omnia, quæcumque possunt vestræ conjunctioni obsistere. De regni vestri calamitatibus dolenter accepimus; cupimus enim omnia vobis læta et prospera evenire, sed placandus est Deus pietate et sanctitate, danda etiam opera, ut intestini dissidii reliquum sit; neve hostes vestras discordias sua adversus vos arma esse putent, vestram disjunctionem suam potentiam. Hæc tametsi prudentiam tuam perspicere persuasum habemus, tamen non putavimus alienum a charitate nostra esse, amice monere. Deus benedictus perfundat vestras mentes sua luce, ut videatis, quid verum rectumque maxime sit, gregemque suum universi istius regni accessione augeat, consoleturque Ecclesiam suam ad sui nominis gloriam, vestrumque omnium sempiternam fœlicitatem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Pi-

scatoris die xxviii. Januarii mdlxxx. Pontificatus Nostri anno octavo.

Emmanuelem demum Ferdinandez Societatis Jesu, Lusitanum, qui, Patriarcha vita functo, res Catholicorum in Abyssinia curabat, propterea quod a Jacobitis valde vexabatur, Gregorius solatur atque erigit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VIII. ep. 101. f. 255.

Dilecto Filio Emanueli Ferdinandez.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus a viris gravissimis, multa pati te in ista administratione tibi mandata post Andreæ Patriarchæ obitum, sed debes omnia sustinere forti animo, teque consolari summa causæ ipsius dignitate, laboras enim pro Christi gloria: quæ cogitatio efficiebat, ut Apostoli irent gaudentes a conspectu Concilii, quia digni habiti erant pro nomine Jesu contumeliam pati. Quo igitur gravius obsisti intelligis, eo acrius insta atque urge, ac de Regis atque Barnagæs pacificatione, quantum potes, enitere. Aderit Deus suæ causæ et virtuti tuæ, cujus etiam ipse est auctor. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxviii. Januarii mdlxxx. Pontificatus Nri anno octavo.

CIII. — Quæ Pontifex ad Regem Aethiopiæ atque ad Barnagem scripserat, eadem Cardinalis etiam Comensis confirmat: additque nonnulla de iis, quæ monachus ille S. Antonii Romæ egerat. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 28. ep. 262.

Serenissimo Principi ac Domino, Domino Sersæ Dongliel Aethyopiæ Regi Potentissimo.

Serenissime Rex ac Domine Potentissime.

« Romam ante aliquot dies venit Joannes Baptista religiosus Abyssinus Ordinis Sancti Antonii Aegyptiaci, asserens se a Majestate Vestra missum fuisse cum literis et mandatis ad Sanctissimum D. N. summum Pontificem Gregorium XIII. et ad Serenissimos Hispaniæ ac Portugalliæ Reges, quorum summa erat, ut mitteretur eidem Majestati Vestræ auxilium operariorum ad augendam rem spiritualem, et subsidium militum adversus ipsius et regni inimicos: sed idem ajebat, se has literas timore Turcarum, qui fines Aegypti custodiebant, dum illac transiturus esset, in Nilum projecisse. Quæ res etsi parum fidei habere videbatur, tamen Sanctitas Sua hominem hunc, Majestatis Vræ respectu, rejiciendum non putavit, præsertim cum a suæ nationis hominibus hic pro nobili cognitus sit et probatus. Cum autem ab illo relatum sit, Isaac Barnagas fœdus cum Turcis iniisse adversus Majestatem Vestram, ex hoc non parvum Sanctitas Sua dolorem cepit, propter vexationes, quas ex hujusmodi conspiratione Majestati Vestræ impendere dubitat. Quoniam vero Sanctitas Sua ante duos fere menses longam epistolam ad Majestatem Vestram scripsit, quam Lusitanis deferendam dedit, nunc nihil aliud faciendum existimavit, quam ut ego ipsius nomine his literis confirmarem ea omnia quæ Sanctitas Sua dicta epistola significavit, scilicet de paterna voluntate sua erga Majestatem Vestram, quam quidem voluntatem certius declarare studebit, cum Regni Portugalliæ successor renunciatus fuerit (quod brevi fore sperabatur): tunc enim Sanctitas Sua urgebit apud Regem illum, ut Majestatis Vestræ desideriis satisfiat; quandoquidem Sanctitati Suæ nihil magis est in optatis, quam antiquissimum, nobilissimumque istud regnum quibuscumque possit modis, præsertim ad salutem æternam comparandam adjuvare et cohonestare. Deus Majestati Vestræ omnem vitæ tranquillitatem ac fœlicitatem largiri, et divinæ gratiæ suæ auxilium perpetuo concedere dignetur. Romæ die 9. Aprilis 1580.

En quas litteras ad Barnagem deferendas dedit, in quibus ut a Turcarum fœdere discedat, suadet. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 28. ep. 261.

Domino Isaac Barnagæ.

Illustrissime ac excellentissime Domine.

« Ex Joanne Baptista religioso Ordinis Sancti Antonii Aegyptiaci, qui paucis ante diebus ad Urbem Romam venit, Sanctissimus Dominus Noster Summus Pontifex Gregorius XIII. non sine magno animi dolore cognovit, Excellentiam Vestram fœdus cum Turcis adversum Serenissimum Regem Aegypti pepigisse. Qua de re etsi Sanctitas Sua præteritis diebus ad Excellentiam Vestram longiores literas dedit, hortataque est ad tollenda omnia impedimenta quæ paci veræque concordiæ cum prædicto Rege suo constituendæ adversentur; tum Sanctitas Sua oblata occasione hujus religiosi, qui istuc reversurus est, prætermittere noluit, quin per has meas literas iterum ad eandem concordiam et pacem omnino amplectendam, Turcasque Dei et sanctæ Religionis nostræ hostes deserendos suaderet; propterea quod nihil aptius fieri posse intelligat ad rerum vestrarum temporalium tranquillam fruitionem æternæque vitæ acquisitionem, quam si Excellentia Vestra cum Rege consentiat, et ambo simul Dei honori, ac sanctæ Religionis incremento inservire studeant. Quod autem attinet ad ea, quæ Excellentia Vestra cuperet a Prorege Indiæ, cum novus successor Regni Portugalliæ declaratus fuerit, quod propediem fore speratur, de illis Sanctitas Sua diligenter agi mandabit, nec dubitat, quin facile omnia æqua et honesta impetraturi simus. Cum his Excellentiam Vestram bene valere cupimus, ac omnem eidem felicitatem a Deo precamur. Romæ die 9. Aprilis 1580.

Neque Emmanuelem Jesuitam prætermittendum duxit, cui proxima promittit ab Lusitanis auxilia. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 26. ep. 258.

Emmanueli Ferdinandez Jesuitæ.

« Reverende in Christo Pater. Sanctissimus Dñus Noster Summus Pontifex Gregorius XIII. paucis ante diebus satis prolixas ad te literas dedit, quibus hortabatur ad labores, et molestias tui muneris fortiter sustinendas, donec Ecclesiæ isti proprius pastor designaretur. Nunc vero oblata occasione hujus religiosi Abyssini, qui isthac reversurus dicitur, voluit Sanctitas Sua per has literas tibi idem a me significari, ut scilicet ex hoc et Reverentia Tua et alii qui tecum sunt Christifideles intelligant, Sanctitatem Suam, quam debet, memoriam vestri retinere, et cupidam paratamque esse, vobis quicquid potest auxilii et consolationis dare ; quod quidem faciet exactius, cum regni Portugalliæ successio certior erit, sicut propediem fore speratur. Interim curæ gregis istius Dominici diligenter insistet Reverentia Tua, quandoquidem anno præterito illud fidei ac vigilantiæ tuæ commendatum fuit, quoad de Patriarcha provideretur. Deus te gratia et protectione sua complecti et fovere dignetur. Romæ die 9. Aprilis 1580.

CIV. — Clerum et Christianos S. Thomæ in Oris Malabaricis ab insidiis nequissimi cujusdam veteratoris, qui se pro Episcopo gerebat, Gregorius cavere jubet, ne ab eo, aut ab quopiam ejusdem furfuris homine abduci se ab suis legitimis Episcopis patiantur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An VIII. ep. 126. f. 272.

Dilectis Filiis Clero et Populo Christianorum Sancti Thomæ in Provincia Angamalensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Quæcumque facultas datur declarandæ atque exercendæ pietatis, Deoque inserviendi, debent Catholici omnes eam cupidissime amplecti, imprimis vero eam, quæ pertinet ad fidei orthodoxæ stabilitatem, et incorruptam Ecclesiasticæ disciplinæ sinceritatem : neque enim possunt homines a catholica fide alieni et criminibus involuti ad sempiternam illam fœlicitatem et gloriam pervenire, ad quam facti sunt, et sanguine ac morte acerbissima Domini Nostri Jesu Christi vocati. Utrumque hoc salutis fundamentum, fidei nimirum sinceritatem et vitæ ac morum sanctitatem conantur hæretici ac schismatici evertere, hominesque a Deo abducere, secumque in sempiternum interitum trahere : ministri scilicet, et filii Diaboli, perpetui capitalisque hostis Dei gloriæ atque animarum salutis. Ex hoc numero accepimus esse istic Simeonem quemdam, qui dum se Episcopum facit, quid aliud nisi fur est et latro ? his enim nominibus hujusmodi monstra appellat Dominus noster. Omnes, inquit, quotquot venerunt, fures fuerunt et latrones. Veniunt autem, qui non vocati nec missi, tamen audent pastorum nomen ac munus occupare. Neque tantum dicitur Simeon hoc contentus esse, sed illa etiam facere, quæ sunt insaniæ suæ consentanea ; conari scilicet Catholicos ab Ecclesiæ unitate sejungere, orthodoxam fidem corrumpere, falsa dogmata disseminare. Nos igitur vestræ salutis vestræque Ecclesiæ tranquillitatis cupidissimi hortamur, monemus, proque potestate Nobis a Christo tradita mandamus, ne ab ista peste vos corripi sinatis, sed eam omni studio vitetis, ab ejus sermone et vocibus refugiatis, illum ut Catholicæ fidei, vestræ salutis, Christi gloriæ hostem atque eversorem horreatis, eque vestro numero et conventu ejiciatis, neque inter vos versari aut vestris in locis consistere permittatis ; idque etiam in cæteris hæreticis et schismaticis facistis, ne scilicet pestifera eorum doctrina et contagione correpti pereatis. Obedite vero in Domino Abrahamo Archiepiscopo vestro, Georgio item Episcopo Palurensi, inque fidei sinceritate, morum simplicitate, Sanctæ Matris Ecclesiæ unitate permanete et vivite : sic enim ad sempiternam illam fœlicitatem et gloriam, quam repositam et paratam habet Deus iis, qui pie sancteque vixerunt, pervenietis. Quod ut vobis omnibus ejus bonitas largiatur, toto pectore oramus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quinta Martii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

CV. — Cum Gregorius a Michaele Patriarcha Antiochenæ Ecclesiæ, qui aliquot annos Romæ versatus erat, cognovisset, Alexandrinum Patriarcham, Nestorianum, non ita multum ab Ecclesia Catholica abhorrere, exemplis vel a prima Ecclesiæ ætate petitis eundem enixe hortatur, ut cum Ecclesia Romana se conjungat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. IX. ep. 70. f. 302.

Venerabili Fratri Patriarchæ Alexandrino.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Charitas Christi, quæ homines longissimo etiam intervallo disjunctos devincit quam arctissime, complectiturque fideles omnes ubicunque terrarum sitos, quasi unum corpus, facit, ut has litteras ad Tuam Fraternitatem demus, precemurque tibi a Domino toto pectore sempiternam salutem. Quia vero nemo potest ad salutem hanc pervenire sine fide sincera et Catholica, neque fides plus una esse potest, vera autem et Catholica fides in hac Romana atque Apostolica Ecclesia semper viguit, optamus atque oramus Tuæ Fraternitati firmissimam et perpetuam cum hac ipsa Ecclesia sanctæ Religionis et dogmatum conjunctionem. Tenere te arbitramur, quam aperte omnes non Latini modo, sed Græci, totiusque Orientis, reliquique orbis, in primis vero Aegypti Episcopi Romanæ Ecclesiæ Primatum semper agnoverint, et Sanctam Apostolicamque hanc Sedem matrem et caput omnium ecclesiarum prædicarint, seseque cum ea voluntate et fidei religione

conjunctissimos esse professi fuerint, testatique sint ea conjunctione suam maxime salutem contineri. Extat magni illius Athanasii, omniumque Aegypti Episcoporum ad Marcum Romanum Pontificem epistola, in ea sic scribunt: Domino Sancto et Apostolici culminis Venerando Marco, Sanctæ Romanæ Apostolicæ Sedis atque Universalis Ecclesiæ Papæ, Athanasius, et universi Aegyptiorum Episcopi salutem. Dumque Romanum Pontificem rogant, ut mittat exemplaria et decreta Synodi Nicenæ, quoniam quæ illic erant, fuerant ab Arianis depravata, sic ajunt: Optamus ut a vestræ Sanctæ Sedis et Ecclesiæ auctoritate, quæ est mater et caput omnium ecclesiarum, ea ad correctionem et recreationem fidelium orthodoxorum percipere per præsentes legatos mereamur; quatenus vestra fulti auctoritate, vestrisque precibus roborati, illæsi ab æmulis sanctæ Dei Ecclesiæ, et nostris evadere, vobisque commissos eruere valeamus. Extat item alia ejusdem Athanasii totiusque Aegypti Episcoporum, hoc est majorum tuorum epistola ad Felicem Romanum Pontificem; in ea implorant hujus Sanctæ Sedis operam atque auctoritatem, fatenturque se ab hujus Ecclesiæ decretis dogmatibusque pendere, inque eo majores suos imitari, seque huic tanquam matri commissos esse; nefasque esse ab ejus auctoritate et conjunctione discedere, tamque aperte ejus primatum et potestatem agnoscunt, ut nihil possit dici apertius; sed operæ precium est, ipsos loquentes audire. Pater Beatissime, inquiunt, quia semper nos et antecessores nostri a vestra Apostolica Sede auxilium hausimus, et nostri vos curam habere agnovimus, præfatam Apostolicam et summam expetimus, juxta Canonum decreta, Sedem: ut inde auxilium capiamus, unde prædecessores nostri ordinationes et dogmata ac sublevationes acceperunt: ad eam quoque quasi ad matrem recurrimus, ut ejus uberibus nutriamur; quoniam non potest mater oblivisci infantem suum, sic et vos nolite oblivisci nos vobis commissos, quoniam non levibus nos inimici nostri implicaverunt afflictionibus, et quotidie facere moliuntur, et apprehendi aut ferris nos costringi minantur, nisi eorum consentiamus erroribus, quod nequaquam, vobis inconsultis, agere præsumimus, canonibus nimirum jubentibus, absque Romano nos de majoribus causis nihil decernere debere Pontifice, ideoque ad propositum recurrentes, et ad bravium properantes, vestræ Apostolicæ Sedis imploramus auxilium, quia ut credimus, non despexit Deus preces cum lachrymis sibi oblatas servorum suorum; sed ob id vos, prædecessoresque vestros Apostolicos, videlicet Præsules in summitatis arce constituit, omniumque ecclesiarum eis curam habere præcepit, ut nobis succurratis, nosque tuentes, cui omne Episcoporum judicium est commissum, liberare ab hostibus nostris non negligatis, et quæ sequuntur. Veritus fuit olim Dionysius ipse istius Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopus, ne per errorem laberetur in baptizandis denuo iis, quos hæretici antea baptizassent. Quid igitur? ille id consilii cepit, quod intelligebat esse tutissimum: consulit Xistum Romanum Pontificem, declaravitque se illius judicio errare non posse. Extat hæc quoque illius epistola. Infinitum esset, omnes ex omnibus nationibus Episcopos, et Sanctos Patres proferre, qui hujus Sanctæ Sedis primatum, summamque auctoritatem scriptis se agnoscere, ac factis venerari professi sunt, simulque ostendere illos pie, sancteque fecisse, Ecclesiamque hanc, ut semper fuit ab omnibus Catholicis habita, sic reipsa Ecclesiarum omnium matrem, veritatisque omnis magistram esse; sed satis fuit majorum tuorum testimonia proponere; te enim ea libentissime recognoscere existimamus. Jam vero in octava Synodo generali Florentiæ perfecta nonne præsente Imperatore Palæolo, omnibusque totius Orientis Episcopis de hujus Sanctæ Sedis, Romanique Pontificis primatu, et summa auctoritate Christianos, ecclesiasque omnes docendi, pascendi, regendi, diligentissime cognitum, et decretum fuit? post istam vero ultimam discussionem quæ tempora, quæ calamitates, quæ et quantæ rerum, atque animarum strages fuerint consecutæ, et vos experti estis, quotidieque experimini, et nos ingemiscimus. Horum igitur majorum tuorum, et universi orbis Episcoporum consensum, atque auctoritatem te, Ecclesiamque tuam hoc tempore sequi, amplecti, retinere, cumque hac Sancta Sede voluntate, et fide conjunctissimos esse, æquissimum est atque ad salutem pernecessarium. Nos certe ut id faciatis, incredibiliter cupimus, Deumque oramus ipsius gloriæ causa, vestræque salutis studio. Hæc etiam eo libentius scribimus Fraternitati Tuæ, quia ex Venerabili fratre Nema Patriarcha Ecclesiæ Antiochenæ cognovimus de tua pietate, et optima voluntate in amplectendis iis, quæ recta et vera esse intelligitis. De hujus vero Ecclesiæ Romanæ statu, dogmatibus, pietate, veritate, sinceritate facile poteris ex eodem ipso Nema cognoscere. Versatus est enim apud Nos aliquot annos magna cum laude, potuitque omnia diligentissime considerare. Deus benedictus amplectatur, cumuletque te, Ecclesiamque tuam sua gratia. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 29. Octobris MDLXXX. Pontificatus Nostri anno nono.

CVI. — Joannes Baptista Elianus una cum Joanne Bruno, uterque e Societate Jesu, ad Maronitas Montem Libanum incolentes iterum a Gregorio missi fuerant. His in donum ad eam

gentem tradiderat Pontifex Catechismum arabice conscriptum, aliosque pietatem spectantes libros, cum sacra suppellectili; quibus insuper addiderat amplas eleemosynas ibidem impertiendas: quæ omnia in Synodo Episcoporum et Sacerdotum magna cum veneratione suscepta fuere. In ea Synodo Episcopi, aliique viri Ecclesiastici, laicis quoque ex more patriæ assentientibus, in locum defuncti Patriarchæ ejus fratrem, probitate et usu rerum præstantem virum, ad Patriarchalem sedem evexerunt. Hic protinus professionem fidei edidit, ac Visitatoribus Apostolicis consilio atque opera præsto fuit, ut illa gens sane rudis, religiosissima tamen, in christianarum virtutum studio ac cultu proficeret, ejusque cum S. Romana Sede conjunctio arctioribus vinculis obstringeretur. Quæ visitatores isti impigerrimi ex usu ejus Ecclesiæ et gentis egregie perfecerint, ea accurate copioseque narrat Sacchinus in Historia Soc. Jesu Tom. IV. Lib. VIII. fol. 252-256. Habeas hic amantissimas Pontificis ad Maronitarum Patriarcham litteras. (*)

(*) Reg Gregorii XIII. An. VIII ep. 105. f. 302.

Venerabili Fratri Petro Patriarchæ Maronitarum.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis tuis atque ex sermone sacerdotum Visitatorum, qui istinc redierunt, cognovimus de tua, tuæque nationis universæ præstanti devotione, et obedientia in hujus sanctæ atque Apostolicæ Sedis auctoritate agnoscenda, inque amplectendis, prædicandisque dogmatibus iis, quæ sancta, Catholicaque Romana Ecclesia semper retinuit, constantissimeque servavit; in omnibus denique erroribus detestandis, qui huic certissimæ, perpetuæque veritati adversantur. Accepimus hæc tanto cum gaudio, quantum Nobis afferre debuit ratio Christi gloriæ, animarumque ipsius sanguine redemptarum salutis. Hanc enim salutem sine dubio largitur Deus vestræ pietati, si cum fidei sinceritate vitæ etiam, ac morum sanctitatem conjunctam habueritis. Est enim fides ad salutem pernecessaria illa quidem, ac ipsa per se non sufficit, sine operibus enim mortua est: nam dæmones et credunt, et contremiscunt. Amplexi igitur sumus vos omnes cogitatione atque animo: vestramque pietatem Domino Deo nostro obtulimus, vobisque ab ejus bonitate omnem fœlicitatem precati sumus. Et quamquam libenter apud Nos retinuissemus dilectum filium Joannem Baptistam Elianum Sacerdotem Sodalitatis Jesu, tamen noluimus vestro desiderio deesse: remittimus igitur illum ut postulatis. Audietis eum diligentissime: ostendet enim magna cum fide et charitate ea, quæ ad Dei gloriam atque ad vestram omnium salutem pertinebunt; ut tum in dogmatibus, tum in ritibus Ecclesiasticis possitis cum hac Sancta Sede congruere, ut debetis. Mittimus etiam brevem quandam Christianæ doctrinæ eruditionem, et libellos aliquot, quos vestra lingua componi curavimus: speramus, eos universæ nationi ad salutem maximo adjumento futuros. Accipietis igitur eos alacri animo, omnibusque in rebus eam fidem tribuetis Joanni Baptistæ, quam par est tribui viro optimo, vestrique amantissimo, atque a Sede Apostolica misso, eumque una cum Joanne Bruno ejusdem Ordinis omnibus in rebus commendatum habebitis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VI. Maii MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

CVII. — Maximam lætitiam Gregorius hausit ex Simeone Patriarca Electo Musulano, cui parent universi Catholici Orientales Caldæi in Assyria, in Mesopotamia, in Cochinchina atque in Oris Malabaricis, præsertim in Provincia Angamalensi. Hic enim Eliam Amediensem in Mesopotamia Archiepiscopum Romam miserat, ut suo, et Cleri, et totius populi nomine vetus illa cum S. Romana Sede unio in Sacrosancto Oecumenico Concilio Florentino sancita, quæque sub suo prædecessore ob infidelium harum regionum conditionem interturbata aliquandiu fuerat, in pristinum restitueretur, firmiorque fieret; tum etiam ut cum Pontifice consilia iniret, ex quibus afflictissimis hujus tam longe lateque patentis Patriarchatus rebus consuleretur. Itaque Amediensis Præsul, supplici libello Cardinali Caraffæ, munificentissimo totius Orientis Christianorum patrono, in manus tradito (*), petiit, ut electus Patriarcha ab Pontifice Romano confirmaretur, atque Pallio, ut fieri soleret, ornaretur; omnia privilegia, suis prædecessoribus universæque Catholicæ Chaldæorum genti antiquitus a Romanis Pontificibus concessa, rata esse juberentur; novi Episcopi crearentur, qui in vastissimum hunc Patriarchatum administrandum operam conferrent; hique ne suo munere fungentes ab Lusitanis Indiarum Orientalium Proregibus, qui sedem in Goana metropoli habebant, interpellarentur, neve molestia aliqua afficerentur; ipsis Chaldæis aditus ad Sanctissimum Redemptoris sepulchrum Hierosolymis pateret, ibique in proprio sacello sacris operandi potestas esset, nec non suorum Xenodochium, nuperrime conditum, negligentia vero vel nequitia cujusdam Chaldææ mulieris Turcis in pignus datum, restitueretur. Alia denique in eo libello continebantur, quæ ut levioris momenti sunt, silentio præterire præstat.

(*) Monitsea document. N. 46.

Ut suæ gentis votis de Goano Prorege, de Hierosolymitanis rebus morem gereret, Patriarcha Musulanus per suum legatum cum Pontifice egit, rogans ut ea negotia in se susciperet, atque litteris et ad Lusitaniæ Regem, et ad Christianissimi Regis Oratorem Constantinopoli datis quam commendatissima habere vellet. Da-

mus ejus litteras, ex Chaldæo sermone per Leonardum Abelem, Melidensem presbyterum in latinum redditas, singulari ac mirifica obsequii atque observantiæ significatione in S. Romanam Sedem perinsignes, quibus Gregorio Amediensem Præsulem, quæque eidem in mandatis dederat, quam maxime commendat. [*]

[*] Armar. VII capt. 4. N. 3.

Literæ ad Sanctissimum Dominum Nostrum Domini Simonis Electi Patriarchæ de Muzal.

Immensitati tutius Universi Papæ Domini Gregorii XIII.

✠ ✠ ✠
Loco trium signorum
(In tribus signis inscriptum est, Abd Jesu indignus Patriarcha Orientis.)

Tu, qui es sol splendidissimus, et maximus in firmamento Ecclesiæ sanctæ, radiis luminis tui sancti ecclesiasticos illuminas, et sydere tuo illustratur lucifer, et luna tua splenduerunt Dñi nostri greges, et rutilo sole tuo luxisti et nunc ipse luces in Ecclesia sancta, omnesque ecclesiasticos mundas, et super nivem dealbas. Tu qui es sol, rex luminum ecclesiasticorum, et scientia membrorum Christianorum maxima, es paternitas generica eis, qui sunt in Ecclesia specifica: eorumque paternitas est specifica paternitati tuæ genericæ. Vocaris ideo genus generalissimum: estque tua paternitas, de qua omnes paternitates in species dividuntur, ut species a genere, et genus a genere generalissimo. Tu es pater patrum, et maximus pastorum, sol Ecclesiasticorum, et luna Christianorum, et caput Ecclesiæ sanctæ, et cranium catholicatus, et lux Patriarcharum, et maximus sanctæ Ecclesiæ sacerdotum, et caput pastorum sponsæ Regis. Rex Salem, cujus saluti non est finis. Confirmatus in capite Ecclesiæ, ut Petrus; et prosper in suo pascendi officio, ut Paulus, et elatus omnibus in rebus, ut Apostoli Sancti, socii tui, amen. Adoramus ideo ego et omnes mei Metropolitani, et Episcopi, et Monachi, et Sacerdotes, et Diaconi, et totus populus ante thronum sedis tuæ venerationis gloriosæ. Adoramus etiam nostro homine interiore, et exteriore ante sanctitatis tuæ palatium. Adoramus etiam corporaliter et humiliter, et supplicamus spiritualiter ante altare indulgentiarum tuæ personæ, divinitate divinorumque intelligentia plenissimæ, et Deo divitis. Adoramus et ab omnibus et singulis habitationis nostræ locis, ante habitationis Sanctitatis Tuæ domum, ut servi ante dominos suos. Adoramus et ante limina portæ cameræ tuæ sanctæ, et ante sal tuum pietatis, qua dona concedit, et ante pulverem terræ castri tui. Et etiam supplicamus nostræ infirmitati adjutorium per tuas preces, et orationes exauditas, et Deo placitas, et capite inclinato, et curvis humeris, et oculis lachrymas fundentibus, et manibus ligatis petimus corde, et ore, et labiis nostris remedium mundationis peccatorum nostrorum, et macularum nostrarum purificationis, et sine intermissione omnibus mundi diebus semper dicimus: Benedic, o Domine noster, et benedicite Domini nostri Cardinales. Et primo Dominus noster Cardinalis Carpi, et Dominus noster Cardinalis Alexandrinus, et Dominus noster Cardinalis Amulius, et Dominus noster Cardinalis Borromæus, et Dominus noster Cardinalis sanctæ Severinæ; et omnes Cardinales benedicite servos vestros, et mittite nobis orationes vestras, et comedite benedictiones avibus Domini nostri, et cetera. Et nunc quid aliud dicit servus Domino suo? Petimus a sanctitate et puritate tua, ut oculo misericordiæ respicias personam illustrem, benedictionum filium Domini Simonis Sulaka, et Domini Abd Jesu, et etiam nostrum procuratorem Dominum Heliam Episcopum Metropolitanum Amed benedictum, qui præter vires maximum in hoc itinere subivit laborem. Et si hujus rei veritatem comprobare volueris, quæras a Patre nostro mundo Domino Ignatio Patriarcha Antiocheno de homine et civitate sua, qui propter hunc patriarchatum plurimum expedit, Hierusalem petiit, domosque nobis emit. Non enim ibi stationem habebamus, nosque inter Christianos commiscuit, ac socios fecit in sepulcris Domini nostri, et Dei nostri Jesu Christi, in quo nobis et peccatorum nostrorum remissio. Petimus etiam a te, o Pater noster, qui es loco Domini nostri, ut commendatum habeas hunc filium et servum tuum, amicum et benevolum, magis quam omnes tuos benevolos et amicos, ut par est, Sanctitati Tuæ propter Dominum nostrum, et cor nostrum, ut lætentur amici et benevoli nostri, et inimici et malevoli tristentur. Petimus etiam a Dilectione tua, ut eum quamprimum Hierusalem remittas, cum ipse post Sanctitatem Tuam sit diligens in rebus nostris, cumque citius omnino ac penitus remittas, quia in Dei altissimi, et reliquis rebus diligentiorem habemus neminem. Salutes vero humilitatis nostræ perferantur ad civitatem sanctam Romam, sponsam sponsi cælestis Jesu Christi, et habitaculum sanctorum ædificatorum Petri Apostolorum principis et Pauli Doctoris gentium, et ad omnes et singulos Ecclesiæ clericos, et populos fideles majores et minores; etsi indigni sumus. Amen.

Simon indignus

Mar Denha Metropolitanus. – Mar Josepu Metropolitanus de Semelest. – Mar Denha Metropolitanus. – Mar Sergius Metropolitanus de Gela. – Mar Eusebius Metropolitanus de Gasarta. – Mar Abday Metropolitanus. – Mar Joannes Metropolitanus de Attel. – Mar Joannes Jesu Metropolitanus de Sapatkai. – Mar Abd Jesu

Metropolitanus de Loma. - Mar Jo. Jesu Metropolitanus de Mardin. - Mar Joseph Episcopus de Seert. - Mar Joannes Episcopus de Melboche.

Scripta est hæc epistola Anno ab Alexandro Magno 1891. id est anno Christi Domini MDLXXX.

CVII. — Hoc eodem anno Gregorius auxit Basilicam Vaticanam sacris exuviis S. Gregorii Nazianzeni. Insignem sacram pompam, qua Pontifex ipsius Sancti corpus (illius particula in æde S. Mariæ Campi Martii relicta) in suum Vaticanum Sacellum die XI. Junii transtulit, Jo. Paulus Mucantius (Tom. II. Diariorum Francisci fratris) diligenter expressit et fuse. Processio sex horis absoluta : Gregorius adventanti sacro Corpori Pontificia supplicatione, cum Cardinalibus, obviam processit. Via tota a S. Mariæ Campi Martii templo ad Vaticanum variis ornamentis (apud Collegium Germanicum etiam carminibus) culta erat. Pontifex sacrum thesaurum in ara positum incenso thure veneratus, in loco ad id parato suis manibus collocavit. Panicarolius die V. Julii in Basilica Vaticana magnum Theologum Nazianzenum nobili laudatione extulit, plures carminibus : Achilles Statius carmine græco eleganti, alique translationem : omnia apud Mucantium offendes. [*] Cum capsa Nazianzeni Lipsana continente collocata fuit argentea lamina, in qua hæc :

[*] Diarior. Tom. XV. f. 4-174.

ANNO SALUTIS MDLXXX. III. IDUS JUNII.

S.D.N. GREGORIUS XIII.P.M. ANNO SUI PONTIFICATUS IX. B. GREGORII NAZIANZENI EPISC. ET CONFESS. COGNOMENTO THEOLOGI CORPUS AB ECCLESIA MONASTERII MONIALIUM S. MARIÆ CAMPI MARTII DE URBE, UBI POSITUM ERAT ANTIQUITUS, COMITANTE PROCESSIONALITER TOTIUS URBIS CLERO, CUM S. P. Q. R. CÆTERISQUE ROM. CURIÆ ORDINIBUS, INCREDIBILI ALIUNDE HOMINUM CONCURSU AC FREQUENTIA IN HUNC LOCUM TRANSTULIT, APPOSITA SIGILLO ALTARIS ARGENTEA CAPSULA, CUM RELIQUIIS DE VELO B. M. VIRGINIS, DE CAPITE S. JOANNIS PP. ET MART., DE HUMERO IPSIUS S. GREGORII NAZIANZENI, DE MENTO S. HIERONYMI PRESB. ET CONFESS., DE CAPITE S. HIPPOLYTI MART., DE BRACHIO S. GREGORII PP. I., DE BRACHIO S. BASILII EPISCOPI ET CONFESS., ITEM DE LIGNO SANCTISSIMÆ CRUCIS D. N. JESU CHRISTI, DE RELIQUIIS SANCTI BARTHOLOMÆI APOSTOLI, DE OSSIBUS S. JUSTINI MARTYRIS, ET S. CHRISTOPHORI MART., DE RELIQUIIS S. LUCIÆ VIRG. ET MART., S. SABINÆ MART., ET S. MERULÆ MART.

De triumphali translatione sacri Corporis, belle, quisquis fuit. [*]

[*] Mucantius l. c. f. 129.

Utrum Gregorii funus video, anne triumphum?
Pompa triumphalis, clausula funerea est.
Quid feretrum, cineresque volunt, si est ille triumphus?
Sin funus, quid agunt agmina læta chori?
Scilicet invectum claro super astra triumpho,
Roma triumphali funere ducit ovans.

Actum de solemni S. Gregorii ad templum Vaticanum translatione rogatum doctissimi e Societate Jesu hagiographi Antwerpienses in lucem protulerunt. Acta Sanctor. ad IX. Maji. Tom. I. pag. 457. - 468. Baronius noster, ut votis Gregorii PP. XIII. satisfaceret, ea occasione vitam ejusdem Sancti ex ipsius operibus perdocte elucubravit, quam iidem hagiographi loco citato pag. 373. - 428. recuderunt. Vid. etiam Raym. Albericium Congrat. Oratorii de Urbe presbyt: Ven. Cæsaris Baronii Epistolæ et Opuscula. Romæ 1759. in 4. Tom. I. pag. 165. et Tom. II. pag. 243. - 396.

Ascanius deinde Valentinus Romanus Sacellum Gregorianum prorsa oratione (Florentiæ 1583.), versa vero Laurentius Frizolius (Romæ 1582.) celebrarunt.

1. — Coloniensium Præsul initio anni magnam de se spem fecerat, collapsæ cleri disciplinæ instaurandæ studiosissime operam daturum, simulque strenuum ecclesiasticæ libertatis assertorem futurum. Convocaverat enim curiarum Coloniensium pastores eo consilio, ut de corruptis tum ecclesiasticorum tum laicorum hominum moribus corrigendis, deque perversis quibusdam consuetudinibus, quæ in urbe Coloniæ invalescebant quotidie, tollendis deliberarent. Qua in deliberatione non sine magno dolore reperiebant, cives Colonienses multum ab veteri pietate dilapsos, falsisque Neotericorum dogmatibus propius accessisse. Erant ex iis, qui haud dignam piaculo rem facere sibi viderentur, si suos infantes concionatoribus hæreticis baptismo consignandos traderent, aliaque id genus facerent a religione Catholica abhorrentia maxime. Quæ omnia sapientes illi pastores Archiepiscopo deferunt, rogantes, ut tam fœdi exempli pestis ne latius pervagatura esset, provideatur. [*]

« Anno millesimo quingentesimo octuagesimo primo die lunæ post Dominicam Invocavit, decima tertia mensis Februarii, coram Rm̃o in Christo patre et domino Theobaldo Crachell Episcopo Cyrenensi, ac Rm̃i domini nostri Archiepiscopi Coloniensis in pontificalibus Vicario, necnon venerabilibus et egregiis dñis Joanne Rempis, et Lugero Dereplachio Jurium Doctore et Licentiato, Metropolitanæ et Collegiatæ S. Severini ecclesiarum Coloniensium presbytero Canonico et Scholastico, Curiæque Archiepiscopalis ibidem Officiali, et Sigillifero majori respective, Synodo in ecclesia Coloniensi tunc juxta morem celebrata, ex speciali commissione benememorati dñi nostri Archiepiscopi Coloniensis, una cum nonnullis aliis Prælectis præsidentibus, et in dictæ Synodi Congregatione constitutus Venerabilis dñus Johannes Cacherus sacræ Theologiæ Doctor, ac parochialis ecclesiæ S. Martini minoris in civitate Coloniensi Pastor, cæterorumque Pastorum in eadem civitate Camerarius ad prædictorum dominorum Prælectorum Synodo præsidentium, ac de vitiis et defectibus cleri, aliorumque subditorum, et Ecclesiæ necessitatibus inquirentium requisitionem, suo ac cæterorum Pastorum in civitate Coloniensi nomine retulit, quod nonnulli cives et incolæ dictæ civitatis Coloniensis more Catholicorum communicare nolentes ubi moriuntur, et sepultura eis inter Catholicos ob eam causam denegatur in communi Cœmiterio, ad quod ossa defunctorum ex cæteris Cœmiteriis deferuntur, sepeliuntur, vulgariter . . . . idque cum magna pompa, vicinis, aliisque religioni eorum faventibus in frequenti numero comitantibus, et funera deducentibus; prout superioribus mensibus qu. Petrus a Lemex Coloniæ in antiquo foro ad intersignum Anchoræ dum viveret moram trahens, taliter et in prædicto communi Cœmiterio sepultus sit. Quodque ex alia domo in eodem foro sita, ad intersignum Psittaci, tria cadavera ad eundem modum, et prædicto in loco sint sepulta. Quodque et plerique cives et incolæ ejusdem Civitatis proles suas in privatis ædibus per non

[*] Germania Vol. 13. fol. 213

Pastores baptizare faciunt. Quæ cum sint intolerabilia et pessimi exempli, petiit malis hujusmodi occurri, et de opportuno remedio cogitari. Qui Præfecti in Synodo præsidentes responderunt, præmissa ad benememoratum dominum nostrum Archiepiscopum Coloniensem referri debere, gratiamque suam Reverendissimam de opportuno remedio cogitaturam. Actum in domo capitulari Metropolitanæ ecclesiæ Coloniensis, Synodo ibi juxta morem congregata. Anno et die, quibus supra.

« Rodulphus Messelinch laicus, Apostolica et Imperiali auctoritatibus Notarius publicus, et in Curia Archiepiscopali Coloniensi causarum juratus ac ad præfatam Synodum assumptus scriba, ex actis synodalibus extraxit.

II. — Senatus civitatis Coloniensis eo audaciæ processerat, ut sibi omnia fere jura in parochos arrogaret: quod fieri non potuit, nisi gravi Archiepiscopali jurisdictioni inflicto vulnere, ut quod sequitur documentum ostendit. [*]

[*] Germania Vol. 48. fol. 215.

« In nomine Domini Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis idipsum visuris, lecturis seu legi audituris pateat evidenter et sit notum, quod sub anno a nativitate ejusdem Dñi nostri Jesu Christi, millesimo quingentesimo octuagesimo primo, indictione nona, die quidem Veneris decima septima mensis Martii, infra nonam et decimam horas ante meridiem, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Gregorii Divina providentia Papæ illius nominis decimi tertii, anno suo nono, in mei Notarii publici, testiumque infrascriptorum fidedignorum ad hoc vocatorum præsentia, coram Reverendissimi in Christo patris et domini, dñi Gebhardi Electi et confirmati Archiepiscopi Coloniensis, sacri Romani Imperii per Italiam Archicancellarii, Principis Electoris, Westnaliæ et Angariæ Ducis, Legatique nati etc. Domini mei Clementissimi in partibus Rheni, Coloniæ depotatis Locumtenentibus et Consiliariis, vocatus comparuit Reverendus atque doctissimus dominus Johannes de Cathena, sacræ Theologiæ Doctor, Pastor S. Martini minoris Coloniensis, apud S. Georgium Canonicus, et Pastorum Coloniensium Camerarius, ac super propositis retulit et exposuit: Quod quamvis ipse commissionem a prædictis Locumtenentibus et Consiliariis nomine Rñi Archiepiscopi Coloniensis tanquam Ordinarii, ante paucos præterlapsos dies sibi datam, de convocando omnes et singulos Pastores singularum Ecclesiarum parochialium Civitatis Coloniensis, et ab iis designationem sive specificationem defectuum et abusuum parochianorum suorum, de quibus nuper in Synodo publice conquesti essent, in scriptis exigendo (uti et alias sæpe factum extitit) exequi tentasset, atque ad illum finem dictos Pastores ad se vocari curasset, etiam aliqui ipsum in eo obedienter obsequuti, aliqui vero adversati essent: tamen interea inclitæ hujus civitatis Senatus rei istius certior factus, statim sibi Pastori tempore quodam pomeridiano, coram ejusdem Senatus Consulibus, circumspectis et prudentissimis dominis, Constantino a Lieskirchen et Johanne Maass, sub domo sua senatoris comparere, atque ibidem suam intentionem audire serio mandarunt. Ubi postquam comparuissent Consules prædicti ex mandato Senatus, illi sub maxima pœna et correctione Senatus, id ne faceret, prohibuissent, ut a talibus posthac omnino abstineret, severissime jussissent, et defectus, si qui in Parochiis essent, ad Senatum deferendos, quia non Reverendissimus, neque Rñæ Celsitudinis Suæ Locumtenentes et Consiliarii, sed Senatus Pastoribus imperare haberet, cum ista ulteriore adjectione, quod quidquid sibi eo modo injunctum esset, id possit libere et palam coram omnibus agnoscere et loqui. Quandoquidem igitur dicti domini Locumtenentes et Consiliarii, hanc Senatus intentionem, tanquam inauditam novationem et interceptionem Rñi Archiepiscopi, domini sui Clementissimi, Archiepiscopali muneri summe præjudiciale existimabant, gravissime illud tulerunt, ac omni meliori modo de hujusmodi gravamine sunt protestati per expressum. Super quibus omnibus et singulis præmissis sibi a me Notario publico unum vel plura, publicum seo publica, instrumentum seu instrumenta, fieri, confici, atque tradi petierunt in optima forma. Acta fuerunt et sunt hæc Coloniæ, in Curia Rñi Archiepiscopi Coloniensis domini mei Clementissimi, sub anno Domini, indictione, die, mense, hora et Pontificatu præscriptis, præsentibus ibidem discretis et honestis Christiano Petri et Lodovico Meurer, testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis.

« Et quia ego Johannes Benthem, sacris Apostolica et Imperiali auctoritatibus Notarius publicus, prædictæ relationi, omnibusque aliis et singulis, dum, sic uti præmittitur, fierent et agerentur, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri audivi et vidi, ac in notam sumpsi: ideo præsens publicum instrumentum desuper confeci, scripsi, ac nomine et cognomine meis expressis subscripsi, signoque consueto signavi. In fidem et testimonium omnium et singulorum præmissorum rogatus pariter et requisitus.

III. — Illud vero mirum in modum Archiepiscopo arrisit, quod cum iidem Senatores religionis obtentu, juvandæque miseræ parochorum conditionis, ut dictitabant, studio, a Pontifice facultatem canonicatuum quorumdam in Collegiatis Ecclesiis supprimendorum obtinuissent, quorum reditus in parochorum usum cederent; inde juris Archiepiscopalis imminuendi ansam

arripuerant: cujus rei profecto nullam eis facultatem Pontifex dederat. Exinde rursus Archiepiscopus nactus est occasionem de tam intemperanti Senatus licentia cum Pontifice conquerendi; cumque de nequissimis eorum consiliis edocendi, ne eorum postulatis in posterum obsecundaret. [*]

[*] Germania Vol. 15. fol. 190.

Beatissimo Patri et Domino Dño Gregorio ejus nominis XIII. Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Clementissimo.

« Beatissime Pater et Domine, Dñe Clementissime, post devota pedum oscula beatorum Sanctitatis Vestræ, me meamque Diœcesim debita cum obedientia subjicio. Etsi a regiminis mei initio, inter alias gravissimas curas, non immerito magna semper fuit de bonis Parochis in civitate mea Coloniensi constituendis, eisque congrua portione decernenda, cogitatio, nec ante hæc prætermiserim, quosdam in Clero præcipuos deputare, qui, sciente Senatu, idoneorem melioremque modum ac viam Parochis, citra Cleri præjudicium et religionis nostræ periculum, competenter providendi, quærerent atque demonstrarent: tamen dum ego Sanctitatis Vestræ et Imperatoriæ Majestatis benigno mandato aliis arduis Reipublicæ negotiis incumberem, ob quæ pro animi mei voto tunc res ista commode expediri non poterat, evenit, ut Senatus pii zeli extremæque necessitatis prætextu, Canonicatuum varias extinctiones a Sanctitate Vrã impetrare satageret. Quod ubi rescivi, meo Consiliario istic tunc agenti mandavi, hoc sedulo serioque effectum redderet, ut tota ista cura mihi tanquam Ordinario, Sanctitatis Vestræ arbitrio committeretur, nihil Clero et aliis quorum intererat vocatis omissurus, quod ad Ecclesiarum et Religionis nostræ Catholicæ utilitatem atque augmentum pertinere potuisset. Quandoquidem vero postmodum id istic minime placuisse cognovi, atque modum alium providendi his Parochis a R. P. D. Archiepiscopo Rossanensi quibusdam DD. Cardinalibus ostensum fuisse cognovi, protinus judicavi eum modum haudquaquam displicere, præsertim si authoritatis ordinarii haberetur consideratio. Verum ad extremum importuna procul dubio petentium suggestione, et bona piaque Sanctitatis Vestræ intentione, non tamen absque gravi profecto universi Cleri mei Coloniensis querela factum intellexi, quod me inaudito, in re tam ardua et periculosa minime futurum putabam, ut Sanctitas Vestra viam quandam providendi illis Parochis amplexa sit, quam hoc exulceratissimo dubioque (proh dolor) tempore et Catholico Magistratui et Religioni Catholicæ, adeoque etiam Catholicis omnibus vehementer exitiosam fore, omnes pene rerum Germanicarum ac harum regionum inclinantis status non imperiti mecum arbitrantur ac metuunt. Omitto quod literæ super hujusmodi tot Canonicatuum extinctione, nullo habito eorum qualitatum respectu, promulgatæ, laicis fenestram quandam ad Ecclesiasticorum bona suo arbitratu invadendi aperire videantur, et eas ad divini cultus diminutionem, jurisdictionis ac libertatis Ecclesiasticæ enervationem, statutorum juratorum et per Sedem Apostolicam approbatorum violationem, ultimarum voluntatum defraudationem, concordatorumque inclitæ nationis Germanicæ læsionem interpretantur et extendunt, perinde ac si Senatui nunc libera absolutaque potestas esset, de Parochis omnia pro animi arbitrio (authoritate Apostolica) constituendi, ac deinde onera extinctorum hujusmodi Canonicatuum sine ullo commodo in alios transferri deberent, et a jurisdictione ordinarii Parochi hac ratione immunes exemptique censeantur. Quod contra bonum et æquum, ac piam indubie Sanctitatis Vræ voluntatem quosdam publice protulisse, ubi erit necesse, edoceri poterit. Itaque insinuatis Clero hujuscemodi extinctionum canonicatuum litteris, egi accurate, ut bona Cleri et Senatus voluntate maturoque consilio Parochis sic provideretur, ut Ordinarii in Parochos jurisdictio ac obedientia illibata manerent, divinus cultus quam minimum deminueretur, et vera avitaque nostra Religio citra ullum discrimen sarta tecta conservaretur. Inveni autem Cleri in istos Parochos animum adeo propensum, ut quemadmodum usque adhuc suorum beneficiorum collationibus et opibus eos foverunt, ita et nunc certa perpetuaque Canonicatuum cum Parochiis unione eos adjuvare minime detrectent, si modo ipsis Parochis sub Ordinarii obedientia et omnimoda jurisdictione ac Ecclesiastica disciplina permanere liceat, ipsique Cleri et suorum superiorum habenis moderentur, ac obtemperent, idque expresse caveatur, ut si in doctrina vel in moribus culpabiles existerent, coerceri et in officio retineri possent. Denique secum uti Canonici eisdem legibus ac statutis vivant, nec aliorum beneficiorum causa ad alias Ecclesias vagentur, exempti tamen ab his legibus, quoties ita Parochianorum vel Ecclesiarum suarum necessitas requireret, sicuti multos Parochos laudabiliter vixisse constat, et hodie plerosque vivere male, est notissimum. Quibus conditionibus sane Senatus Catholicus, nihil nisi Parochorum sine suo suorumque incommodo competentiam desiderans, acquiescere jure poterat, si non ab aliis, jurisdictioni ac libertati Ecclesiasticæ forte et Religioni nostræ parum faventibus impeditus fuisset, vel Ecclesiasticam jurisdictionem cum temporali sibi sensim attribuere et Pastores sibi subjicere, in animum induxisset. Cujus rei argumentum esse potest, quod omnibus Advocatis nostris, ne Clero hac in re patrocinarentur, consilioque suo adessent,

gravibus pœnis inhibitum fuit. Ad hæc, diris comminationibus Clerum adeo timidum perterritumque reddiderunt, ut plerique ex iis pii et rerum multarum usu prudentes vix hiscere, nedum Sanctitati Vræ libere scribere audeant, ne in vincula acerbius et ignominiose conjiciantur; innumeros enim alterius opinionis homines in hac Civitate ejusque Tribubus esse, eos privata conventicula ac privatas conciones habere, clandestina matrimonia celebrare, infantes vel non baptizare, vel contra Romanæ Ecclesiæ institutum baptizare, defunctos invito Parocho Ecclesiasticæ sepulturæ demandare. Parochi agnoscunt, ac nominatim (ut fieri assolet) in qualibet Synodo, suo Ordinario se exprimere velle attestati sunt, nisi laicorum hominum indignationes et graves pœnas sibi, si eos defectus propalent, comminatas pertimescerent; in quorum potestate est, ad præcipuas Ecclesias, cum vacant, Parochos nominare. Hoc ergo esset omnem statum Religionis vel conservandæ vel pervertendæ in laicorum hominum arbitrio ponere, ut illi quavis Parochos constituendi forma neglecta, sola via facti (cum ita videretur) qualescumque intrudere possent, sicut in aliis quibusdam civitatibus ex similibus Apostolicis indulgentiis evenisse cum magno religionis malo, omnes boni deplorant. Enimvero si Senatui hac in re sola religio avita cordi fuisset, aut Parochorum tantum commiseratione atque inopia commoveretur, hactenus majorum suorum in beneficiorum collationibus ex Indultis, quæ a Sanctitate Vestra habuerunt, rationem habuissent, Patribus Societatis Jesu etiam ad intercessionem Sanctitatis Vestræ et Imperatoriæ Majestatis sacellum quoddam prope desertum, quod ego illis attribuere cupiebam, non denegassent, nullam in Monasteria aut Clericos jurisdictionem usurparent, nec alia facerent quæ sigillatim litteris non committenda, sed brevi per meum Agentem coram fusius demonstranda putavi.

« Quare, Sanctissime Pater, cum a me commemorata verissima sint, et pluribus rationibus, documentis atque exemplis comprobari queant, nullius quoque alterius intersit, utrum unionis vel alia via, congrua portio his Parochis decernatur; Canonicatuum vero extinctionem ad divini cultus diminutionem, jurisdictionis et libertatis Ecclesiæ, universique hujus ordinis jurium et statutorum subversionem, denique ad extremum Religionis nostræ periculum tendere sit certissimum, non potui pro meo Archiepiscopali munere, religionis conservandæ studio, meaque erga S. V. Sanctamque Sedem Apostolicam observantia, non humillime eidem supplicare, ut his omnibus diligentius perpensis, Parochis per unionis viam, quæ minus habet periculi et perturbationis, præmissis et aliis conditionibus, subveniatur, aut saltem hac simplici rei narratione, omnes tumultus et scandala, quæ inde verisimiliter oriri possent, præcavendo contenta, tantisper dum exactius de singulis informari queat, omnem effectum Litterarum super Canonicatuum extinctione concessarum suspendere, aut etiam si magis videbitur, negotium istud, unde profecto Religionis et Ecclesiasticæ libertatis conservatio vel interitus dependet, Reverendissimis dominis Archiepiscopis Moguntino et Trevirensi, quibus a Cæsare quantum ad Imperatoriæ Majestatis officium spectare potuit, commissum est, etiam Sanctitas Vestra committere paterne dignetur, maxime cum nullum hac in mora periculum sit, cum omnes Parochiæ jamdudum Pastores idoneos habeant, quibus satis provisum est, et commode ulterius provideri poterit. Erit id Parochis fructuosum et gratum, Clero, cujus in oppugnandis hæresibus diligentia et erga Sanctam Sedem Apostolicam obsequium omnibus constat, gratissimum, Sanctitate Vra dignissimum, et Deo Opt. Max. Ecclesiæque suæ Catholicæ utilissimum. Idque ego una cum Clero omni studio, diligentia et debito obsequio erga Sanctitatem Vestram promereri graviter studebo; novit Deus, qui Sanctitatem Vestram Ecclesiæ Romanæ et Catholicæ vigilantissimum et optimum Pastorem diu superstitem et incolumem custodiat et conservet.

Datum ex Arce mea Keisserswerdt 14. Junii, anno 1581.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimus filius

GEBAARDUS ARCHIEPISCOPUS COLONIENSIS.

IV. — Gregorius, re melius explorata et cognita, nihil dubitavit Coloniensi Præsuli satisfacere: improbataque Coloniensium audacia, se nihil minus voluisse scribit, quam ut Archiepiscopi jurisdictio ob eam facultatem vel minima in re læderetur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. X ep. 107, f. 73.

Venerabili Fratri Gebardo Archiepiscopo Coloniensi Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis Fraternitatis Tuæ datis XIIII. Junii, eque scripturis, quas una misisti, cognovimus magna cum admiratione et dolore, Senatum existimare, facultatem sibi oblatam esse tuæ auctoritati et zelo obsistendi, impediendique, quominus tuo munere fungaris erga parochos, eos præsertim, quorum parochiis voluimus certos canonicatus uniri. Nos vero id fecimus eo consilio, ne propter Ecclesiarum illarum tenuitatem animarum cura desereretur; quod quidem Fraternitati Tuæ perspectum esse arbitramur; curavimus enim hoc nostrum consilium procuratori tuo, qui tum Romæ erat, significari, eique literarum ipsarum sententiam et formam, quam quidem ille vehementer pro-

bavit, ostendi. Tuam vero ordinariam auctoritatem eo facto ulla in re lædi, a nostra voluntate alienissimum semper fuit: immo vero eam salvam atque integram esse, et conservari voluimus. Qua etiam de re ad Senatum ipsum scribimus, nec satis mirari possumus, audere quenquam aliter nostrum consilium interpretari. Speramus, Senatum in posterum minime obstaturum, quominus in parochos illos tuo jure et potestate utaris, disciplinamque Ecclesiasticam exerceas, congruenter Sacrorum Canonum et Concilii Tridentini decretis. Utere igitur jure tuo, et contende, ut tibi a parochis illis obtemperetur, at si qua in re nostra auctoritate, atque opera indigere te judicaveris, fac Nos certiores; nihil enim tibi a Nobis deerit, quod quidem possit expectari ab eo, qui Christi causa omnia debere intelligat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima octava Novembris millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Pontificatus Nostri anno decimo.

In eam sententiam ad Senatum Coloniensem litteras misit: ne ullo sibi modo Archiepiscopi jura intercipere, licere existimarent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 106. f. 60.

Dilectis Filiis Senatui Coloniensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Magnopere mirati sumus, potuisse quenquam existimare nostras literas, quibus certos canonicatus nonnullis parochiis uniri voluimus, vobis facultatem atque opportunitatem attulisse parochos illos ordinariæ Archiepiscopi jurisdictioni subtrahendi. Nos vero id nunquam cogitavimus; neque enim æquum erat, et sacrorum Canonum Tridentinique Concilii decreta vehementer reclamabant. Voluimus semper Archiepiscopi jurisdictionem salvam atque inviolatam esse, et nostra etiam auctoritate roboratam: tantum abest, ut vellemus nostris illis literis quidquam ei detractum videri. Curabitis igitur, ne quid Archiepiscopo impedimenti fiat, et si quid hactenus factum est, id amoveri curabitis, ipsumque sua auctoritate et jure erga parochos illos uti sinatis; neque enim potest aliter salva esse vestra pietas et officium grati erga Nos animi, memorisque nostræ erga vos charitatis, neque si recusaretis, possemus ipsi nostro officio et muneri deesse, et pati, Ecclesiasticam jurisdictionem et disciplinam tam graviter lædi: sed non sunt talia expectanda a vestra eximia pietate, et perpetua erga hanc Sanctam Sedem obedientia. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Novembris MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno decimo.

V. — Quum Westerholtius Ecclesiæ Monasteriensis Prælatus et Scholasticus sese coram Pontifice purgaturus Romam venisset, Gregorius verens ne Cliviæ Dux ideo quidquam suspicaretur, e re esse duxit, ipsi confirmare, se illius causam, ut Sanctæ Sedis mos est, studio partium omnino remoto, ad justitiæ normam nosciturum. Graviter porro se tulisse addidit, quod Capitulum in Sanctæ Sedis jura involaverit beneficia, quæ, excommunicationis pœna Westerholtio affecto, quodammodo vacaverunt, quæque tamen, nondum finita causa, in sequestro esse debuerint, aliis contulerit. Itaque curet decretum de sequestro inviolatum servari. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 20. ep. 10.

Dilecto Filio Nobili Viro Gulielmo Duci Cliviæ.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Ex literis Nobilitatis Tuæ recognovimus magna cum voluptate, quantopere semper tibi cordi fuerint res Ecclesiæ Monasteriensis, quamque diligenter labores de optimo ejus Ecclesiæ statu, tranquillitate, dignitate. Nihil Nobis gratius fieri potest, multumque hoc nomine Nos tuæ spectatissimæ fidei et zelo debere agnoscimus. De Vesterholtio postquam ad tempus præscriptum ad Nos venit, facere non potuimus, quin defensionem ejus audiremus, id enim magnopere conveniebat juri atque æquitati, perpetuæque hujus Sanctæ Sedis consuetudini. Volumus tamen Nobilitatem Tuam certum habere, causam ipsam quam diligentissime cognosci, nec unquam fore, ut cujusquam gratia aut precibus a recto discedatur, nihilque adjumenti Vesterholtio allaturas esse omnes omnium hominum commendationes et conatus, innocentiam illi tantum profuturam, nihil præterea. De sequestro summa necessitas fuit, nostræ scilicet, atque hujus Sanctæ Sedis auctoritatis et juris tuendi; nostra enim beneficiorum illorum collatio erat, non Capituli. Hactenus autem jus nostrum tueri voluisse Nos, ut sequestro contenti essemus, nemo reprehendere poterit. Vesterholtio autem, ut nonnulli interpretari videntur, ea in re favere nunquam cogitavimus. Certum habemus, nostrum hoc factum Tuæ Nobilitati probari, tibique gratum accidere. Nos ita Monasteriensis Ecclesiæ rebus (quod quidem omni conatu contendimus) prospicere, ut nostras non negligamus, nostramque et Apostolicæ Sedis auctoritatem lædi, et imminui non patiamur: perspectum enim Nobis est, hanc ipsam auctoritatem semper tibi commendatissimam fuisse, qua etiam spe hortamur et rogamus, ut cures nostrum Decretum de sequestro inviolate servari, quoad statuamus quid præterea agi oporteat. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Januarii MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno nono.

Eadem scribit ad ejusdem Ducis filium, Episcopatus Monasteriensis Administratorem: quem etiam de sequestri causa docet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. IX. ep. 90. f. 302.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Gulielmo Monasteriensis Ecclesiæ Administratori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Jucundissimæ fuerunt Nobis tuæ literæ, nec unquam Nobis obscurum fuit, summopere semper laborasse te, et hoc etiam tempore laborare de Ecclesiæ Monasteriensis, tuæ virtuti et prudentiæ commendatæ tranquillitate et bono, hacque ipsa de causa cupere ei Ecclesiæ optimum pastorem præfici: qua in re nunquam nostro muneri, tuoque optimo desiderio deerimus. De Vesterholtio facere non potuimus, quin cum audiremus, postquam paruit, atque ad diem præscriptam ad Nos venit, seque purgare volt; hoc enim et jus ipsum, et hujus Sanctæ Sedis consuetudo maxime postulat. Volumus autem, Nobilitatem tuam certum habere, nullum apud Nos in hac causa gratiæ, aut commendationi locum fore; nec unquam Vesterholtium nisi innocentem absolutum iri: hoc Tuæ Nobilitati persuadere debet tum ratio ipsa, tum nostrum perpetuum juris atque æquitatis tuendæ studium. De sequestro longe alia ratione fecimus, quam nonnulli interpretari videntur; voluimus Vesterholtio prospicere, sed jus nostrum modestissime retinere; illo enim damnato, ejus beneficia conferre, nostrum jus ac potestas, non Canonicorum erat. Hactenus autem voluisse Nos jus nostrum tueri, ut sequestro contenti essemus, et tuam prudentiam probare, et neminem jure reprehendere posse existimamus. Perspecta semper fuit tua, tuique optimi parentis erga Sanctam hanc Sedem devotio: speramus item vobis perspectam esse nostram paternam erga vos charitatem; eam autem vestris meritis ac virtutibus Nos debere agnoscimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quarta Februarii MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno nono.

VI. — Clivensis Dux Capituli Monasteriensis factum excusat, propterea quod seniores Canonici id fecissent ea tantum de causa, ut juniorum arrogantia contineretur. Quod autem iis, quorum adeo exploratum esset in Sanctam Sedem obsequium, aliquid de jure remitti oporteret, ipsum pro sua prudentia judicaturum. Obsecrare se atque obtestari, ut existimet, præstare magis illam præbendam nova provisione Apostolica eidem, cui ab Canonicis collata fuerat, conferri, quam summum jus persequi; quod autem in ea rerum perturbatione haud fieri sine gravissimo ipsius S. Sedis detrimento posset. [*]

[*] Germania Vol. 27. fol. 21.

Post debitam more majorum meorum observantiam.

« Sanctissime Beatissimeque Pater, Domine Clementissime. Quamvis Sanctitas Vestra contra Westerholtium, prout rei ratio ac perpetratorum omnium qualitas ac enormitas exigit, agendum et procedendum præclare sane et egregie existimaverit, tamen Sanctitatem Vestram latere nequeo, quod mora diuturnior multum incommodi adferre et non leviter nocere putetur. Licet infitiari nolim, Sanctitatem Vestram decere, ut jus et auctoritatem S. Sedis Apostolicæ tueatur atque defendat; attamen non dubito, quin Sanctitas Vestra facile perspiciat, circumstantiis omnibus ponderatis, rem ita temperandam esse, ne dum summo jure prodesse cupimus, plus officiamus. Quamobrem etiam nisi præbenda Conradi Westerholtii ad Sanctitatis Vestræ benignitatem, clementiam et provisionem pertineat, tamen cum Decanus et Capitulum Monasteriense illud tunc cogitare non potuerint, atque solum vigore executorialium, mandatorum Apostolicorum pro auctoritate Sedis Apostolicæ, nec non religione avita defendenda, audaciaque juniorum non nihil compescenda, eorumque machinationes impediendo, summo periculo in mora existente, eandem præbendam Collegii Germanici Sanctitatis Vestræ alumno conferri, et eum ad ejus possessionem induci ignoranter passi sunt, non sperant, se adeo graviter deliquisse; ac quod hæc non aliter nisi ea conditione fecerint, quatenus Sanctitati Vræ placuerit benigne interpretari, atque eidem eandem præbendam nova provisione Apostolica elementissime conferre velit. Siquidem senioribus, qui hactenus Sanctitati Vestræ se obedientissimos semper præbuerunt, proquo fide Catholica et Monasteriensis Ecclesiæ incolumitate depugnarunt, nunquam in mentem venit, de Sanctitatis Vestræ jure vel tantillum sibi vendicare et arrogare, nedum se eidem opponere. Quod vero ad Scholasteriam et reliqua officia, quæ olim Conradus Westerholt habuit, attinet, cum de eisdem, quocunque modo vacent, juxta Ecclesiæ Monasteriensis statuta jurata atque a Sanctitatis Vestræ Prædecessoribus confirmata et servari mandata, certo tempore et modo Electione adoptioneque providere teneantur, idque etiam eo tempore, ut mature fieret, Ecclesiæ ditionis et Capituli Monasteriensis salus postulabat, ut taceam quod multum quoque Sedi Apostolicæ et Christianæ Religioni intererat, hoc ipsum sine mora fieri, sicque fecerint, quod oportebat et ipsos decebat, non diffidunt quoque, quin Sanctitas Vestra ob id non solum non ipsis indignari, sed potius quod actum et gestum est, ratum et gratum habere velit. Nisi enim hoc fiat, sane bonos omnes et qui hactenus Sanctitati Vestræ ejusque Sedi Apostolicæ addicti fuerunt, ac pro ejus auctoritate et obedientia conservanda fortiter steterunt, animo prosternet, in desperationem adducet, et omnino a se abalienabit, ac insuper metuendum, ne quoque passim multis eo ipso de Sancta Sede Apostolica contemptius sentien-

di et loquendi occasio præstabitur. Rogo itaque et oro Sanctitatem Vestram, dignetur totum negotium mature secum perpendere, nec non animo volvere temporum istorum pericula, ditionis Monasteriensis discrimen; et quantum nocebit, si Sanctitas Vestra in hoc casu cum bonis illis viris, qui si forte delinquerunt, errore potius et bono zelo, quam malo animo peccarunt, summo jure et tam severiter agere velit, deinde etiam mores et loca harum nationum considerare, atque idcirco quod actum est, potius nova auctoritate gratiose confirmare, aut saltem possessoribus nova gratia de iisdem beneficiis providere. Sic etenim hujusmodi Sanctitatis Vestræ benignitas retinebit et lucrifaciet, quod alias rigor amisisset perdidissetque, et causam maximarum turbarum, quæ proculdubio concitabuntur, si modernos possessores amoveri conatum fuerit, amputabit. Quibus Sanctitati Vestræ me quam humillime commendo, quam Deus Optimus Maximus quam diutissime fœlicem et florentem ad ejus gloriam et Reipublicæ Christianæ salutem conservare dignetur. Datæ ex arce mea Dusseldorpiana 4. Nonas Martii anno MDLXXXI.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius

GUILIELMUS DUX JULIÆ ETC.

Langer Secret.

Deinde etiam Administrator Monasteriensis, Ducis filius, cum Pontifice questus est, in causa illa collationis beneficiorum neque sui, neque Capituli eam rationem habitam esse, quam eorum merita postulare viderentur. Tum quodammodo subirascitur, quod a Westerholtii artibus sibi imponi Pontifex patiatur. Denique si quæ acta fueront, nulla satis certa ratione facta Pontifici videantur, se dicto ei audientem fore his litteris profitetur. [*]

[*] Germania Vol. 45. fol. 190.

« Post debitam more majorum meorum observantiam. Sanctissime Beatissimeque Pater, Domine Clementissime. Quod Vestra Sanctitas, ut ex Brevibus Apostolicis die 4. Februarii anni labentis transmissis colligitur, tantum non solum de me, verum de parentis mei carissimi ac domini clementissimi intentione, voluntate ac propensione erga auctoritatis vestræ, Ecclesiæ Catholicæ doctrinæ, ac demum tranquillitatis Episcopatus Monasteriensis conservationem ac defensionem non spem solum, sed firmam fiduciam sibi polliceatur, vehementer gaudeo, mihique gratulor. Verum id mihi durum videtur, jam in hac administratione constituto, quod post summos labores adhibitos, molestiasque non minimas habitas, et reliquiarum Catholicæ religionis conservationem et collectionem Vestræ Sanctitatis voluntate et auctoritate comprobatam, tam exigua in sequestrationis negotio mei ac Capituli Monasteriensis habeatur ratio. Causæ enim, quamvis prægnantes et satis graves, cum a me, tum vero a nostro Agente productæ, atque Vestræ Sanctitati designatæ fuerunt contra sequestrationis æquabilem moderationem, tanquam publico bono et incolumitati hujus patriæ obversantem, ejus ut vel tolleretur, vel ad tempus aliquod protraheretur executio, obtinere non potui, præsertim Capitulo Monasteriensi nunc per omnia quieto et pacato, cuique novi motus per sequestri designationem haud dubie formidandi, Westertholtzio nondum ad purgationem sui admisso, multo minus restituto et absoluto. Quorsum hæc tendant, variæ suspitiones eorum animos subeunt, quorum curæ ac studio Politica subdunt. Sed auctoritati Sanctitatis Vŕæ dum nos nostraque concredita sint, eventum rerum expectandum. Quid autem istius interturbatoris restitutio, aut absolutio in non levem domus Bavaricæ et nostræ contumeliam tandem operatura esset, licet nunc lateat omnibus consilescentibus, ubi postmodum in nervum res prorupuerit flagrantia controversiæ ardore, omnibus innotescet. Mirandum sane est, Sanctitatem Vestram post tot admonitiones, et nostras interpellationes tam longo temporis intervallo interturbatorem illum in oculis et conspecto Sanctitatis Vestræ oberrantem ferre ac pati, ejus imposturis ac artibus ex doctis dolis consutis, quibus ad circumveniendum paratus est, ita Sanctitatem Vŕam illudi ac circumduci. Aliquid mali (ut dici solet) propter vicinum malum. Vicini igitur nostri, ædibus incendio jam fere absumptis, in cinerem et fumum redactis, nostra res agitur. Proinde nobis haud segniter invigilandum (si Sanctitas Vŕa manum simul adhibere velit) ne similibus artibus ac imposturis pro libidine imposterum vel illudamur, vel affligamur. Certe si hæc referimus præmia obedientiæ et observantiæ Sedis Apostolicæ, languidos atque tardos executores Brevium Apostolicorum V. Sanctitas inveniet, cum majorem spem ex Brevibus Sanctitatis V. tum ad parentem meum carissimum ac dominum clementissimum, similiter ad Capitulum Monasteriense transmissis hactenus id non temere concepissem. Rigor juris, non ut evellatur aut dispargatur id, quod zelo religionis pro conservatione auctoritatis Pontificiæ factum et commissum sed, ut improborum reprimatur audacia, adhibendus est; eam enim legem tutissimam esse, omnium populorum consensu hactenus approbatam, quæ populi salutem, cultum Dei ac religionem promoveat. Si itaque Vestræ Sanctitati ea tantopere displicent, quæ pro ratione temporis, et qualitate negotii de provisione beneficiorum Westerholtzii acta sunt, et allegatæ occasiones ponderis satis habere minime videantur; cum nihil in Sanctitatis Vestræ despectum, multo minus contemptum, sed potius sub ejus-

dem Sanctitatis beneplacitum ratificatione ac nova provisione actum, prævia altera Sanctitatis Vestræ monitione, salvis privilegiis et juratis consuetudinibus, Vestræ Sanctitati obtemperabitur ab obedientibus. His Sanctitati Vestræ me quam humillime commendo, quam Deus Optimus Maximus quam diutissime fœlicem et florentem ad nominis sui gloriam et Reipublicæ Christianæ salutem conservare dignetur. Datum ex arce mea Abauss. 7. Mensis Aprilis anno 1581.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius

Joannes Wilhelmus Postulatus et Administrator Diœcesis Monasteriensis, Dux Juliæ, Cliviæ, et Montium.

Joannes Wilhelmus Administrator et Dux Juliæ etc.

His filii litteris congruunt, quæ ejus pater scribit, tum sententiis, tum affectibus, ita ut etiam hic in eis ab illa moderata priorum litterarum ratione se removisse appareat: cum hoc tamen, ut ab obsequio in Pontificem non discesserit. (*)

(*) Germania Vol. 27. fol. 22.

Beatissime Pater et Domine, Domine Clementissime.

« Debitam paratamque more majorum meorum observantiam Sanctitati Vestræ humillime offero. Quam ego meusque charissimus filius Johannes Guilhelmus, Ecclesiæ Monasteriensis postulatus et administrator, frequenter Sanctitati Vestræ incommoda Ecclesiæ Monasteriensis, simulque eorundem causas et auethores significaverimus, neutiquam obscurum Sanctitati Vestræ esse vel potest vel debet. Nec ambigo, quin ex iis Sanctitas Vestra facile animadvertat, quibus machinis, quoquo consilio Conradus a Westerholt non solum promiscuam plebem, sed etiam ex nobilibus plerisque, in spem futuræ mutationis religionis avitæ, ad turbas seditionesque ita animavit, ut Capitulum istius Monasteriensis Ecclesiæ tuto in postulationis negotio hactenus progredi non potuerit. Et profecto si consilium et propositum suum malignum, non ex ipsius seditioso in Sanctam Sedem Apostolicam ejusdemque religionem, affinem meum charissimum Ernestum Ducem Bavariæ, Administratorem Hildesheimensis et Frisingensis Ecclesiarum, me meosque consiliarios et suos istius Ecclesiæ Prælatos conficto, et statibus Diœcesis Monasteriensis, magno diversæ religionis fautorum applausu exhibito, apparet; si non ex contemptu Brevium Sanctitatis Vestræ et literarum Apostolicarum frequenter missarum, si non ex præstito et neglecto juramento professionis fidei manifestum est, certe Sanctitati Vestræ obscurum esse minime potest, ex personis quæ huic rei causam occasionemque præstiterunt, si professionem, si vitam, si mores, si religionem, si denique obedientiam Sanctæ Sedis Apostolicæ respiciamus. Pro parte vero hæc Sanctitati Vestræ cognita fuisse (dum eos non postulari hortata est, qui ex catholicis parentibus nati non sint) ex aliis ejusdem literis didici. Interea tamen de turbatore pacis, de hoste tranquillitatis publicæ, et qui istis Sanctitatis Vestræ literis non obtemperaverit, nihil Romæ fieri, imo in despectum nostrum, et ad turbandam Rempublicam quietumque præsentem statum Ecclesiæ Monasteriensis foveri, honoribus et benevolentiis prosequi video. Si hæc istius sunt præmia artis, qua ratione Sanctitas Vestra arbitratur Sedis Apostolicæ reverentiam et obedientiam hisce oris, intra hæreticorum quotidianas conversationes, et propugnacula Catholicæ fidei conservari posse, si in denigrationem famæ affinis mei Ducis Bavariæ, bene et multum de Ecclesia Catholica meriti, mei meorumque Consiliariorum, unius malitiosi et seditiosi hominis et suorum fautorum (vix intelligo quam bene de Religione et Sede Apostolica sentiendum) gratia hæc fiunt, quid sperabunt omnes boni, pii et Catholici Prælati, qui a juniorum Canonicorum suorum turba et furore obruti, et nostram tuitionem et operam experti, tandem bona sua spe frustrantur? Hoc Sanctitati Vestræ certum esse volo, restituto Westerholtio, optime de Ecclesia et Republica Monasteriensi merito, istius Ecclesiæ Prælatos et Ecclesiam et statum suum deserturos, neque unquam tanta isti Ecclesiæ præstabitur occasio ruinæ, dissidii et erroris, quam si ipse unquam ad pristinas redierit sedes; neque vero ego istum hominem isthic patiar, qui mendaciis et in suo injurioso et aliis suis scriptis, confessis fraudibus me meosque circumvenire non erubuit, et insuper me, filium meum et Consiliarios vera et facta narrantes, famosa actione injuriarum convenire audet. Hunc si ego ex mandato Brevis Sanctitatis Vestræ in carceres detrusissem, eundemque postea Sanctitas Vestra innocentem declarasset, pristinisque honoribus restituisset: an non omnibus me ridendum exposuissem, et de offensione injusta reum fecissem? Hæc ego Sanctitatem Vestram non alio animo humiliter moneo, quam pro conservatione Religionis avitæ et Catholicæ, pro observantia et reverentia Sanctæ Sedis Apostolicæ, pro conservanda tranquillitate et præsenti quieto statu Reipublicæ, et Ecclesiæ Monasteriensis. Et si qui forte diversum persuadere conentur, non hi aliud agunt, quam ut ordine præpostero salutem Ecclesiæ suis affectibus et commodis postponant, neque conditionem Ecclesiæ et subditorum satis perspectam habent, qui nihil religionis causa moliuntur, sed ut quimus ajunt, quando ut volumus non licet. Proinde quomodocumque res

succedat; si Sanctitas Vestra saluti Ecclesiæ et ejusdem Reipublicæ tranquillitati optime consultum cupit, supredictum Conradum (si meritis pœnis vel pœnitentia ejus facinora prosequi nolit) saltem tam remote ab Ecclesia Monasteriensi eum demoveat, ne novarum tragœdiarum auctor esse queat, neve tam meis ditionibus vicinam et conterminam Diœcesim, in pernitiem meorum subditorum vel religionis vel seditionis calamitate, quacunque retione lædat. Si vero quicquam in couferendis Conradi beneficiis pro ratione temporis et negotii, quod tunc agebatur, spe ratificationis Sanctitatis Vestræ, quod jus Sedis Apostolicæ quavis ratione lædere queat; parendo mandatis Sanctitatis Vestræ a Capitulo actum esset, quod Canonici in vim statutorum et privilegiorum non potuissent, dabit filius meus Administrator istius Ecclesiæ operam ad scripta Sanctitatis Vestræ, ut illud, qua decet ratione, corrigatur. Hæc ego Sanctitati Vestræ, ita postulante necessitate, significanda duxi, eaque non alia mente, quam ex vere pio erga Sanctam Sedem Apostolicam et Ecclesiam Monasteriensem affectu profecta esse intelligi, humiliter oro. Deus Optimus Maximus Sanctitatem Vestram clementissimis oculis intueri, eamque quam diutissime incolumem Ecclesiæ conservare dignetur. Datum ex arce mea Schermbeck decima quarta mensis Aprilis 1581.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
Guilhelmus Dux Juliæ etc.
P. Langer Secret.

VII. — At vero tantorum virorum nec querimoniæ, neque offensiones haud quaquam juris retinentissimum Pontificem ad molliorem quamdam justitiæ rationem flectere potuerunt. Leniter igitur eos objurgat, quod animo admittebant hujusmodi de se suspiciones, quæ eum valde dedecerent: confirmat se de Westerholtio id facturum, quod jus poscat; sive absolvendus, sive damnandus sit, perinde sibi esse. Admonet ergo, ut, quoniam ad turbas excitandas tantum valere Westherholtium putent, eo absente, virum Catholicum nullaque suspicione aspersum eligendum vel postulandum curent, ne, si forte absolutus, domum reversus ad ingenium redeat, præsertim cum exulceratus injuria rediturus sit. Mandat denique, ut suis de sequestro litteris obtemperetur; neque enim posse de illo Sedis Apostolicæ jure transigere contendit. Hæc Duci Clivensi scripsit, simul atque ejus filio Administratori Monasteriensi communicari voluit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 11. f. 7.

Dilecto Filio Nobili Viro Juliæ Cliviæ Duci.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Monasteriensis Ecclesiæ salutem et tranquillitatem semper Nobis cordi fuisse, perspectum debet esse omnibus, quibus nota sunt ea, quæ hactenus ejus Ecclesiæ causa egimus: qui vero præteritarum rerum ignari sunt, non debent suspectam habere nostram curam et diligentiam atque vigilantiam, nec quidquam de Nobis secus, quam par est, existimare. Videt Deus conscientiam nostram, judicabit etiam illorum judicia, qui nostra consilia temere interpretari volunt. Maxime autem omnium falluntur, qui putant in causa Westerholtii ullum unquam apud Nos gratiæ locum fuisse, aut Nos ulla in re ei favere cogitasse, aut, eo postulante, ad sequestrum pervenisse: sunt hæc omnia ab omni veritate alienissima. Nam postquam Westerholtius suo ad Nos adventu omnem contumaciam purgaverat, qui poteremus adversus formam nostrarum littererum cum beneficiis privare? Nos enim eam pœnam proposueramus, si venire recusaret; venit; qui igitur potuisset obtemperans affici ea pœna, quæ fuisset recusanti et contumaci constituta? At privandus est propter crimina admissa. Nondum damnatus est, neque potest damnari, antequam cognoscatur; adhuc autem cognitum non est. Quid si ut incerti sunt judiciorum exitus, et testimonia sæpe aut suspecta aut imbecilla, ubi cognitum esset, necesse esset illum absolvi? necesse autem esset, si jus ita postularet; nonne si, ut dicitur, tantum valet artificio et gratia, ubi istuc rediisset, gravius multo, quam hactenus fecisse dicitur, omnia perturbaret? quid autem posset esse ei Ecclesiæ exitiosius? quid Nobis molestius? Nos certe hac potissimum de causa eum evocavimus, ut, quoniam dicebatur omnia miscere, ejus discessu res pacatæ essent, possetque de optimo pastore eligendo, aut postulando tranquillissime agi; eodemque consilio eum hic detinemus, sicque illius Ecclesiæ utilitati consulimus, cum quidem ille non cesset clamare, et postulare, ut de se quamprimum cognoscatur. Hoc nostrum consilium si quis recte existimare voluerit, minime improbare poterit. Quæ igitur causa est, cognitionem tantopere urgere? Illud potius curandum est, ut quoniam, quod maxime vellemus, obtinere non possumus, ut filius tuus Ecclesiam illam retineat, deque optimo successore sine ulla mora, absente præsertim Westerholtio, agatur? quod si diutius differtur, nihil amplius lucri fiet Westerholtio damnato, quam absente; eo vero absoluto (nam hoc quoque accidere poterit) multum damni fiet; scis enim quid possit expectari ab homine abalienato et læso, idque, ut ipse interpretatur, injuria. Iterum igitur monemus, ut de aliquo viro bono cogitetur, qui sit ab omni violatæ Religionis suspicione, a vitæ et morum reprehensione, ab aliarum Ecclesiarum curatione solutus et liber, isque quamprimum eligatur, postuleturve. Interim vero cu-

retur, ut nostris litteris de sequestro omnino obtemperetur; sic enim jus postulat, cui quidem deesse nulla ratione possumus. Non dubitamus, Nobilitatem Tuam pro sua præstanti pietate omnia quam diligentissime curaturam. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima octava Junii millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Pontificatus Nostri anno decimo.

En litteras ad Administratorem Monasteriensem. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 12. f. 9.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Gulielmo Monasteriensis Ecclesiæ Administratori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Ex tuis litteris datis die septima Aprilis cognovimus, moleste ferre te, Westerholtium nondum damnatum esse, neque amotum sequestrum. Utraque de re fusius scribimus ad Ducem patrem tuum, ostendimusque rem eo in statu esse, quo nunc est, partim necesse esse, partim e re Monasteriensis Ecclesiæ esse, Nosque omnia optimo consilio fecisse: eadem vero Tuæ Nobilitati explicare supervacaneum esse ducimus: volumus enim litteras illas tibi quoque communes esse. Summa hæc est, de sequestro jus cogit. Westerholtius nisi causa diligentissime cognita damnari non potest; præstat autem rem differri, quoad optimus pastor eligatur, postuleturve, ne, si forte oporteret Westerholtium absolvi (oporteret autem, si ea, quæ objiciuntur, minime probarentur), majores turbas faceret, quandoquidem dicitis, magnopere ipsum artificio et gratia pollere. Hoc nostrum consilium est, quod quidem nollemus aliter accipi, quam par esset: quocunque tamen modo accipiatur, non multum laboramus; falsa enim esse scimus, quæ dicuntur, de Westerholtii apud nos gratia, de sequestro ex ipsius sententia, decreto, aut si quid etiam deterius excogitatur, neque enim libet singulas litterarum particulas examinare. Habemus cogitationum factorumque nostrorum judicem Deum; is novit, quo animo semper in hac causa, inque omnibus tuis, parentisque tui rebus versati simus. Melius omnino esset, electionem aut postulationem maturari, et optimum successorem proponi, talem scilicet, in cujus confirmatione nullum aut violatæ Religionis, aut morum offensionis, aut susceptæ alterius Ecclesiæ curationis impedimentum esse posset; hoc et cupere Nobilitatem Tuam et omni studio curaturam esse non dubitamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima octava Junii millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Pontificatus Nostri anno decimo.

Minacissimis litteris Canonicos Monasterienses in officio esse jubet: ne diutius ab suo munere, quos ipse nominaverat in Westerholtii beneficiis sequestres, prohibeant: intrusosque in ea ut removeant, mandat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 104. f. 77.

Dilectis Filiis Capitulo Ecclesiæ Monasteriensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Quid fieri decreverimus, mandaverimusque de beneficiis Westerholtii, quæ vos nullo jure aliis conferre voluistis, ex aliis nostris litteris cognovistis: mandavimus intrusos amoveri, beneficiorumque ipsorum fructus interea apud sequestres, quos tum nominavimus, remanere. Mirati sumus, vos hactenus non obtemperasse. Monemus iterum, ut intrusos amoveatis, sequestresque ipsos suo munere fungi sinatis, omnibusque in rebus superioribus nostris literis obtemperetis; sic enim convenit vestræ fidei atque obedientiæ, nostræque et hujus Sanctæ Sedis auctoritati, cujus quidem vos semper cultores et esse, et haberi voluistis. Secus facere, nihil aliud esset, nisi indignos vos omni nostra, et Apostolicæ Sedis gratia declarare, vosque gravissimo judicio onerare magno cum bonorum omnium scandalo, et vestræ existimationis jactura. Nosque ipsos cogere (neque enim tam gravem injuriam, et Apostolicæ auctoritatis contemptum diutius ferre possemus) ad ea remedia descendere, ad quæ inviti Nos quidem, sed tamen necessario perveniremus; nostræ enim dignitati et muneri nullo pacto defuturi sumus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima octava Novembris millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Pontificatus Nostri anno decimo.

Pontifex adeo in hoc de sequestro negotium incubuit, ut iterum ad utrumque, Ducem inquam et Administratorem Monasteriensem, scriberet: hasque litteras, quo certius ad eos pervenirent, Archiepiscopo Coloniensi miserat, qui eas traderet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 109. f. 80.

Venerabili Fratri Gebardo Archiepiscopo Coloniensi, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Mandavimus per alias nostras litteras Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Monasteriensis, ut quosdam intrusos in beneficiis Westerholtii, ejusdem Ecclesiæ Scholastici amoverent, eorumque beneficiorum fructus apud sequestres certos, quos tunc nominavimus esse sinerent, dum de ipsius Westerholtii causa, qui ad Nos venit, cognosceremus. Nunc iterum eadem de re ad illos, atque ad ipsius Ecclesiæ Administratorem, et ad Cliviæ Ducem scribimus. Quia vero hoc negocium magnopere Nobis cordi est, voluimus eas litteras pervenire ad Fraternitatem Tuam, ut eas per aliquem fidum et diligentem ad eos mittas, Nosque certiores

facias, illis redditas fuisse. Erit hoc Nobis gratissimum; te autem id libenter facturum esse non dubitamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die decima octava Novembris millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Pontificatus Nostri anno decimo.

VIII. — Hac in temporum iniquitate perincommode sane Ecclesiæ Germanicæ accidit Archiepiscopi Trevirensis obitus. Huic, consentientibus Canonicorum omnium suffragiis, Joannes a Schomberg, qui virtute et doctrina ei incommodo mederi posset, successit. Quantus Præsul hic vir esset futurus, ejus ad Cardinalem Comensem litteræ non obscure produnt: in his eum exorat, ut suam confirmationem, cujus rei causa Legatos Romam miserat, apud Pontificem urgeat, atque suam Archidiœcesim ut antea in clientelam accipiat. (*)

(*) Germania Vol 13, fol. 240.

Rmo et Illmo in Christo Patri Domino Ptolomeu Gallio Novocomensi, Sacræ Romanæ Ecclesiæ tituli Sanctæ Agathæ Cardinali, Domino et Amico nostro Colendissimo.

« Reverendissime et Illustrissime Dne, amice Colendissime. Cum post obitum quondam Rmi et Illmi Dni Jacobi Archiepiscopi Treverensis, Principis Electoris etc. Domini et Prædecessoris nostri piæ memoriæ, Omnipotentis Dei benignitate, ultima proxime præteriti mensis Julii nos ad Archiepiscopale fastigium Archidiœcesis Treverensis licet immeriti vocati, totiusque Capituli Metropolitanæ ejusdem, electi fuissemus, nihil nobis fuit prius, quam e vestigio pro officii nostri ratione Oratores et Nuncios nostros ad Sanctissimum Dominum nostrum, quo et hanc nostram vocationem et electionem Suæ Sanctitati humillime denunciarent, simulque nostra debita obsequia deferrent, et confirmationem factæ nostræ electionis a Sanctitate Sua officiosissime postularent, ablegare. Quod ipsum satis litteræ nostræ ad Sanctitatem Suam statim post nostram electionem scriptæ testabuntur. Sed dum totis viribus in eam rem incumbimus, accidit, ut et pro negotiorum tam publicorum quam privatorum ingenti mole, qua in ipso auspitio nostræ Archiepiscopalis functionis premimur, tum propter imminentia nimis vicino Belgio (in dies ingravescentibus motibus et publicis perturbationibus, quibus ad rebellionem et extremum exitium vergentibus rebus omnibus) pericula, huic nostro voto et propensissimæ voluntati respondere et satisfacere non possemus. Quemadmodum hæc harum presentator Venerabilis devotusque nobis dilectus Adrianus Scheiffardt a Merode, Canonicus Capitularis Metropolitanæ Ecclesiæ nostræ Treverensis latius confirmabit.

« Quapropter nostri officii esse duximus, hanc nostram in ablegandis Nunciis et Oratoribus nostris moram apud Sanctissimum Dominum **Nostrum debita humilitate purgare. Et quia ex multis rerum argumentis Celsitudinis Vestræ in Archidiœcesin nostram, nostrosque piæ memoriæ antecessores, Archiepiscopos Treverenses, propensa voluntas nobis plusquam comperta est, spem de Celsitudine Vestra concepimus singu**larem, eamdem non minori quam prædecessores nostros, nos favore complexuram et prosequuturam. Precamur itaque et rogamus Celsitudinem Vestram, ut nos nostramque Archidiœcesin, sicuti hactenus sua benevolentia conservare, sibique commendatissimam esse sinat, nostramque excusationem et defensionem interpositæ moræ et retardationis apud Sanctitatem Vestram una cum humillima omnium obsequiorum nostrorum oblatione suscipere non gravetur. Nos interim quantum in nobis erit omnem lapidem movebimus, ut, quam citissime fieri poterit, sæpe dicti Oratores nostri profectionem ad Urbem suscipiant, et ea quæ officii nostri ratio postulaverit, sedulo procurent. Quod ipsum erga Celsitudinem Vestram nostris obsequiis in perpetuum demereri studebimus, quam ut incolumem Ecclesiæ suæ Deus Optimus Maximus quam diutissime conservet, ex corde precamur. Datum in civitate nostra Treverensi vicesima quarta Septembris anno 1581.

Rmæ et Illmæ Celsitudinis Vræ.

Addictissimus

JOANNES ELECTUS IN ARCHIEPISCOPUM TREVERENSEM.

Cæsar ipse, plurimis iisque non vulgaribus hujus viri laudibus commemoratis, valde institit Pontifici, ut de annatis vel taxa, quam Archiepiscopus, idemque S. R. I. Elector ex veteri consuetudine ad confirmationem et pallii collationem pendere soleret, in tam commutatis afflictisque Diœcesis illius rebus, sibi in hoc gratificaturus, remittendum existimaret. (*)

(*) Lit Principum Vol 42. fol 81

Beatissimo in Christo Patri Domino Gregorio XIII. Divina providentia Sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Reverendissimo.

« Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime. Post officiosissimam commendationem, filialis observantiæ continuum incrementum. Sublato nuper e vivis Venerabili quondam Jacobo Archiepiscopo Treverensi, Sacri Romani Imperii per Galliam et Regnum Arelatense Archicancellario, Principe Electore et nepote nostro charissimo, Decanus et Capitulum ejusdem Ecclesiæ Metropolitanæ pro veteri more in unum coeuntes, in defuncti locum, consentientibus votis et suffragiis, rite ac canonice elegerunt Venerabilem Joannem a Schonburg Præpositum ibidem: virum, præter avitæ nobilitatis decus, ac pium sincerumque orthodoxæ religionis Catholicæ zelum, aliasque insignes virtutes, ætate maturum, et cum a multo jam tem-

pore gravissimis quibusque Sacri Imperii negotiis agendis tractandisque adhibitus fuerit, singulari rerum experientia præditum; ita ut nihil dubitandum sit, eundem et Archiepiscopali suo muneri, et Electorali dignitati, eum Ecclesiæ religionisque Catholicæ, quam Sacri Imperii bono et commodo præfuturum. Cum igitur jam præfatus electus Archiepiscopus Treverensis decreverit ad Sanctitatem Vestram suos destinare Legatos, qui ea, qua decet, submissione et reverentia electionis suæ confirmationem una cum Pallio a Sanctitate Vestra petant atque impetrent, ac illa vicissim præstent, quæ Dilectioni suæ de jure vel consuetudine incumbunt: Nos quidem ita nobis persuasum habemus, Sanctitatem Vestram, nulla etiam nostra commendatione interveniente, in hujusmodi electione approbanda, ac Pallio conferendo minus se difficilem præbituram esse. Quoniam vero intelligimus, annatam sive taxam, confirmationis istius et Pallii ratione ex veteri consuetudine eo tempore introducta, quo Archiepiscopatus istius res meliori loco fuerunt, solvendam, majorem esse, quam ut eidem præstandæ electus par esse, vel sufficere possit: si quidem non modo Ecclesiæ istius proventus et redditus temporum injuria vehementer attenuati sunt, sed etiam diœcesis Treverensis Cleri, qui sua olim ad rem hanc subsidia conferre solitus erat, ea est ratio, ut Dilectioni suæ haud quicquam inde expectandum sit: idque tum ob diuturnos etiam assiduos bellorum motus et calamitates, quibus pleræque provinciæ, in diœcesi ista sitæ, tanto jam tempore agitatæ fuerunt, ac etiamnum agitantur, tum ob alias causas, quas Sanctitas Vestra ex Legatis cognoscet. Equidem facere non possumus, quin Sanctitatem Vestram obnixe ac omni filiali studio rogemus, ut non modo memoratam electionem paterne approbare et confirmare, ipsique electo Pallium citra difficultatem conferre, verum etiam eorum, quæ attigimus, quæque Legati Sanctitati Vestræ uberius ad animum revocabunt, condigna ratione habita, in remittenda memorata annata sive taxa se tam benignam ac facilem exhibere velit, quo sæpefactus electus Archiepiscopus et Princeps Elector Treverensis, sui hac in parte voti compos factus, nostræ quoque intercessioni haud parum a Sanctitate Vestra tributum fuisse re ipsa intelligat. Erit hoc Sanctitatis Vestræ pietate et munificentia inprimis dignum, suoque solito nobis quoquo loco paterne gratificandi studio consentaneum. Nos vero magnam beneficii hujus partem ad nos pertinere judicabimus, idque vicissim quibusvis filialia observantiæ officiis demereri conniteınur. Quod reliquum est, Sanctitatem Vestram Ecclesiæ in annos plurimos incolumem præesse, ac prosperrimo rerum omnium successu frui exoptamus. Datum in arce nostra Regia Pragæ, die 16. mensis Novembris. Anno Domini 1581. Regnorum nostrorum Romani vi. Hungarici x. et Bohemici itidem vi.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ.

Obsequens filius
RUDOLPHUS.

IX. — Sedi quoque Metropolitanæ Bambergensi, Pastore suo nuper orbatæ, magna quidem omnium consensione, at pene invitus præficitur Martinus ab Eyb, strenuus et ipse fidei Catholicæ assertor: qui per Legatos Pontifici suam electionem nuntiat, ab eoque gravioribus etiam de causis efflagitat, ut impensas pro confirmatione et pallio vel omnino sibi remittendas, vel magna ex parte utique imminuendas gratiose statuat.[*] [*] Germania Vol. 45. fol. 163.

Sanctissimo et Beatissimo in Christo Patri et Domino, D. Gregorio decimo tertio, Divina providentia Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

« Post oscula beatissimorum pedum humilimam et promptissimam subjectionem.

« Beatissime Pater et Domine Clementissime. Cum post obitum Rmi Patris Domini Joannis Georgii felicis memoriæ Episcopi Bambergensis, de unanimi Confratrum et Concanonicorum meorum Cathedralis Ecclesiæ Bambergensis consensu, ego in successorem ejus electus in Episcopum ejusdem Ecclesiæ sum designatus, periculorum et difficultatum, quibus ista Ecclesia est exposita, magnitudine cum virium mearum parvitate collata, magnopere istud onus, cum me in hac tanta hominum et temporum improbitate satisfacere non posse sentio, sum deprecatus. Sed tanta fuit illorum consensio tantaque instantia cum juramenti mei admonitione conjuncta, ut invito mihi acquiescendum fuerit necessario. Cum igitur jam mihi statutum sit, si Beatitudinis Vestræ gratia et consensus accesserit, hoc difficile et grave onus subire, Oratores meos viros honestos ad confirmationem et sacrum Pallium faciliore via impetrandum, cum mandatis et plenaria potestate ad pedes Sanctitatis Vestræ destinavi, devotissime ac humilime rogans, ut illorum sermonibus sanctissimas suas aures benigne præbere, eosque misericorditer exaudire dignetur, Ecclesiamque Bambergensem Sanctæ Apostolicæ Sedi immediate subjectam, et inter illustres Germaniæ Ecclesias ultimo loco fundatam, tanquam minimam natu filiam paterno affectu et solita charitate, quemadmodum felicissimi et optimi Pontifices Romani antecessores sui sæpissime fecerunt, complectatur, et bonitatis officiis in tantis suis ærumnis, quibus præter cæteras in tota Germania Ecclesias conflictatur, consoletur. Et quia annis proximis, a Catholicæ religionis hostibus castella ejus sunt diruta, munitiones exustæ, bona diuturna direptione ablata, subditi omnes ad paupertatem re-

dacti, totaque fere Diœcesis fuerit in hostili potestate, ad quam defendendam et recuperandam aes alienum incredibile fuit conflatum magna ex parte (ideo quod usuræ redditus superarunt) ne nunc quidem dissolutum; ad tanta vulnera accedit etiam, quod Joannes Georgius antecessor meus proximus magnis sumptibus confirmatione, sacro Pallio, regalibus et cæteris, quæ ad stabilem et plenariam istius Diœcesis possessionem requiruntur, vix impetratis et expeditis, vita excesserit, et mihi nunc illi succedenti denuo post minimum intervallum, ob hanc eandem rem undique conquirendæ et exigendæ sunt pecuniæ cum maxima subditorum querela et difficultate; quamobrem Beatitudinem Vestram demississimis precibus oro, ut sua singulari clementia et benignitate, tot laboribus afflictæ hujus Diœcesis fortunam de parte sua ratione expensarum paululum sublevet, taxamque Cameræ Apostolicæ remittat, aut ad summam minorem redigi jubeat, literas Apostolicas confirmationis et sacri Pallii per officiales sacræ Curiæ, ad sumptuum hujusmodi magnitudinem minuendam, brevi tempore expediri præcipiat. Quod faciendo et mihi et cæteris Germaniæ Episcopis ad pericula subeunda et ad ferendas molestias addetur animus, nimirum ubi viderimus Beatitudinem Vestram, uti confido, justæ petitioni relinquere locum, miseriarum, in quas vi temporum et hominum injuriis coacti incidimus, in Romana Curia haberi rationem. Dominum Deum rogo, ut tantis tamque diuturnis fluctibus sedatis, afflictæ Ecclesiæ suæ naviculam in pristinam tranquillitatem reducat, Beatitudinemque Vestram feliciter ejus gubernacula tenentem, incolumem atque florentem conservet. Datum Bambergæ die XVII. Januarii anno MDLXXXI.

Ejusdem Beatitudinis Vestræ.

Humillimus Capellanus

MARTINUS ELECTUS EPISCOPUS BAMBERGENSIS.

Gregorius hunc electum Præsulem, magna ex ejus pietate et prudentia spe concepta, quibusdam licet difficultatibus distentus, confirmavit: simul monuit, ut omnium de se expectationi responderet, in primisque ut Hoffmannum hæreticum administratione, cui Prædecessor ejus temporalem Episcopatus administrationem demandaverat, ab hoc munere tandem removeret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. IX ep. 171 f. 440.

Venerabili Fratri Martino Episcopo Bambergensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Invito tibi, ut scribis, et reluctanti delatum esse nobilissimæ istius Ecclesiæ Episcopatum, magnum argumentum est, praeclare intelligere te, quam grave sit istud onus, quantæque sint partes Episcopi in Catholica religione tuenda, ejus hostibus comprimendis, atque a Christi grege arcendis, in animabus vitæ exemplo, doctrinæ sinceritate, sanctorum Sacramentorum adhibitione pascendis, confirmandis, in cavendo denique, ne ejus interitus suæ non modo fraudi, sed ne desidiæ quidem aut negligentiæ possit ascribi. Sunt hæc permaxima et tamen pastorum humeris imposita onera, sempiternique illorum interitus pœna sancita. Hæc igitur Tuæ Fraternitati ante oculos proposita esse, tuæ literæ ostendunt, in quibus et oneris ipsius gravitatem agnoscis, et allatam Ecclesiæ tuæ ab hæreticis vastitatem deploras, gravissimorumque virorum de tua pietate confirmatio pollicentur. Utinam hæc voluisset considerare Episcopus is, cui successisti; nunquam Hofmannum hæresiarcham Christi ovibus præfecisset. Increpavimus illum gravissime, conatique sumus a tanto scelere deterrendo, proposito severissimo Dei judicio adversus eos, qui non arcent lupos a Christi grege sibi commisso: ostendimusque quam gravia supplicia maneant eos, qui non modo hoc facere negligunt, sed ipsas etiam oves produnt ultro, et lupis objiciunt. Scripsimus ad eum unas atque alteras literas; nihil profecimus, non multo post ejus interitus consecutus est. Quid de illius anima factum sit, novit Deus, in cujus manus incidere horrendum est. Optima igitur spe adducti pietatis et prudentiæ tuæ, confirmavimus electionem tuam, superavitque difficultates omnes (multæ enim fuerunt propositæ) hæc ipsa spes et bonorum expectatio. Facies ut huic expectationi omni studio respondeas, assidueque cogites, quam gravi, quam difficili, quam in periculoso munere verseris, Ecclesiamque istam Nobis atque huic Sanctæ et Apostolicæ Sedi, ut vere scribis, immediate subjectam conserves, Ecclesiasticam disciplinam quam diligentissime retineas, divinum cultum, Catholicamque religionem ubi collapsa fuerit, restituas, hæreticos arceas, omnibusque in rebus plebem Domino perfectam pares, adjuvante ipsius gratia, quam Tuæ fraternitati precamur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Aprilis MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno nono.

X. — Haud sine quidem ingenti animi motu leguntur litteræ prudentissimi atque optimi Præsulis, easque, qui bene perspectam velit habere illarum Ecclesiarum conditionem, legere debet: in quibus spondet Pontifici se in id unice laboraturum, ut paternis ejus monitis pro viribus obsequatur. Quod autem ad removendum Hoffmannum attinet, dolet vehementer, id sibi integrum non esse; quod et pluribus gravissimisque rationibus disserit, et Antecessorem suum excusat, qui hac in re minus obsequens Apostolicæ Sedi visus fuerit. Suam Diœcesim circumfusam esse Lutheranis, suæ Ecclesiæ reditus in eorum potestate esse. Si quid gravius de Hoff-

manno statueret, potentissimorum in se hominum invidiam conflaturum, se unum ab iis peti ac veluti circumsederi : si vel levissimam causam præberet, sibi ab Diœcesi sua cum magno Catholicorum damno solum vertendum esse: se nihilominus lupo illo excubiturum, occasionem tempusque circumspicientem, si quando satisfacere Pontifici possit. Queritur igitur id nimirum esse in causa, quare sibi pallii collatio diutius extrahatur; quod profecto tum ad sensum animi sui, tum ad aliorum de se judicia gravissime accidere debeat. (*)

(*) Germania Vol. 48. fol. 186.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Gregorio XIII. Divina providentia Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

« Post oscula beatissimorum pedum vestrorum humilimam et devotissimam subjectionem.

« Bme Pater. Si quicquam esset, quod in tot tantisque curis atque molestiis, quibus hac tanta temporum et hominum iniquitate circa initia mihi impositi et suscepti oneris obruor, me consolari, animumque perturbationum magnitudine depressum eripere possit, facerent id Sanctitatis Vestræ literæ plenissimæ paternæ charitatis, solicitudinis et amoris. Nam quod confirmationem, multis impedimentis obstantibus, benigne tribuit, quod de mea fide et industria bene sperat, quod me de officii mei ratione paterne et solicite admonet, maximum solatium foret et honorificum ornamentum, quod mei loci et conditionis Episcopo in vita posset contingere, si tempus et homines essent ii, qui ætate majorum, cum Ecclesia Christi pace et otio florebat, eratque sacrosancta Episcoporum auctoritas. Nunc vero, cum in contrariam fortunam versa mutataque sunt omnia, quomodo me delectare possit confirmatio, quantumvis liberalis et benigna, ejus Episcopatus, quem ego nunquam desideravi, quem si honeste possem, et per jusjurandum liceret, etiam nunc cupidissime velim resignare atque deponere? Admonitio autem Sanctitatis Vestræ ex affectione paterna et animo de mea meorumque salute plane solicitu profecta, non modo non allevat, verum etiam auget et cumulat molestias et dolores meos. Video enim et agnosco omnia quæ Sanctitas Vestra mandat, quæ præscribit et admonet, esse sancta, pia, salutaria, sedulo diligenterque facienda. Scio hæreticum et Ecclesiæ Romanæ adversarium ne in convictu quidem esse ferendum Episcopo, multo minus cum potestate et imperio præficiendum subditis. Hæc, quo sæpius in mentem mihi veniunt, et quo minus a me præstari possunt, eo curæ et cogitationes meæ efficiuntur graviores, sumque in ea fortuna et animi acerbitate constitutus, in qua nauclerus, qui cursum rectum videt, portum suum prospicit, velitque ea via, qua oporteat, ad eum summo studio contendere; sed reflant venti, occurrunt procellæ, objiciuntur infiniti populi, qui honestissimos conatus non impediunt modo, sed etiam evertunt. Qua in re ad Sanctitatis Vestræ judicium, quo nemo rectius et verius judicare potest, confugio; æstimet ipsa de causis solicitudinis et perturbationis meæ. Non dubito quin, circumspectis consideratisque omnibus, ignoscat timori et cunctationi meæ. Ego enim in choro, non in Reipublicæ administratione versari solitus, adhibeor ad gubernacula Ecclesiæ vestræ territorii, non tantum bellorum injuriis, verum etiam multorum annorum sterilitate ad extremam inopiam et egestatem famemque redacti, et adeo omnibus copiis et nervis destituti; ut ne ad usuram quidem æris alieni, quod adhuc restat de debitis longe maximis bellorum tempestate conflatis persolvendum, satis sit sufficiens et instructum. In hac tanta calamitate non circumfusum modo, sed etiam intersectum terris et dominiis Lutheranorum, et quidem omnibus fortunis affluentium, in quibus Clerus Diœcesis meæ suas maxima ex parte habet decimas et alios census et redditus, quibus tandiu frui licebit, quamdiu volunt ipsi adversarii nostri, quibus nolentibus aut fugiendum aut fame pereundum. Nobiles vero, quorum et opes maximæ et familiæ amplissimæ, paucissimis exceptis, Lutheranæ factionis studiosissimi, suas habent in Diœcesi immunitates, sua prædia, feuda, officia, antiquis privilegiis firmata, et non modo inservire, sed ne parere quidem volunt Episcopo, nisi emolumenti sui causa. Officiales autem exteros nullos patiuntur, inque sibi habent plebem consentientem. Tanta enim scabies infusa est Marchionica vastitate, ut vires humanæ ad eam sanandam non videantur sufficere. Imo vero ita (proh dolor) res est affecta, ut salus et pernicies totius Diœcesis meæ pendeat ex Lutheranorum voluntate; idque inde patet, quod cum Marchio universam, vivente adhuc Carolo Quinto, potentissimo et multarum victoriarum gloria clarissimo Imperatore, occupasset, Lutheranorum Principum armis repressus fuit, et ad restitutionem coactus. Postea cum anno LXIII. Grumpachius cum sua Lutherana factione, Herbipoli in potestatem fraudulenter redacta, Bambergam iter convertisse nunciaretur, Vitus laudatæ memoriæ antecessor meus, omni domestico et externo Catholicorum præsidio destitutus, ad Nurembergenses confugit, a quibus hospitio liberalissime exceptus, et ab hostili impetu servatus fuit. Ex quibus Sanctitas Vestra facile intelligit, conditionem meam esse hujusmodi, ut omnium Lutheranorum animis in me concitatis, non modo prædii alicojus spem, sed ne fugæ quidem locum fore reliquum. Quare multa mihi videntur facienda, multa conce-

denda, multa dissimulanda invito, ne illis me opprimendi occasionem (quam captant) videar dedisse opportunam. Non id quidem quod vitam (quam in istis miseriis non cupio diuturnam) officio fidelis Pastoris ducam mihi clariorem, sed ne multorum millium animas, quas adhuc habeo Catholicæ religionis cultrices, in extremam perniciem abducam temere, ex qua prudenter eas eripere non possim. Nihilominus tamen totam mentem cogitationesque meas omnes eo convertam, ut quantum in tanta tempestate per tempus et occasionem commode fieri poterit, satisfaciam officio meo, et Sanctitatis Vestræ expectationi respondeam. Quo in genere maximæ curæ erit mihi imprimis Joannes Fridericus Hofmannus, ab Antecessore meo proximo Carinthiaco Ecclesiæ meæ territorio præfectus, quem si ego tam facile possem amovere, quam ille suscipere, non opus fuisset sacri Pallii detentione, et mandatis Sanctitatis Vestræ ad hoc me velle adigere, quod studio et amore Catholicæ Religionis conservandæ, jamdiu mea sponte facturus fuissem; sed quia Antecessor meus ipsum temporalium, quæ in iis locis tantummodo sunt ditionis Ecclesiæ meæ, conservandorum causa, ad quod valde idoneus fuit visus, adhibuit, eamque ob rem gravissime litteris Apostolicis increpatus, amoturum se primo quoquo tempore promisit. Verum cum videret accusatorem et crimina deficere, veritus periculum et actiones sumptuosas, quæ cum Hofmanno coram Ordinibus Imperii et Provinciali judicio Carinthiaco suspecto eventu erant subeundæ, rem omnem ad Sacræ Cæsareæ Majestatis cognitionem, uti supremi magistratus et Catholicæ religionis augustissimi defensoris, remisit. Coram qua cum ille se purgaret, diceretque si deprehensus et convictus fuerit, aliquid perpetratum esse ejus generis, de quibus accusaretur, non recusare quominus de se inclementer statuatur, quicquam Sacræ Cæsareæ Majestati visum fuerit. Nihil vero tali apparente fit decretum: Justam petentis rationem esse habendam. Cum igitur Sua Majestas decreverit, non sine causis procul dubio gravissimis, istum hominem quamvis hæreticum ad defensionem causæ suæ esse admittendum, est mihi actione injuriarum, quas Catholicis præter datam fidem intulisse dicitur, necessario convincendus, idque in ipsa provincia Clarinthiaca, si ipse velit uti suis privilegiis coram judicibus mihi voluntate et religionis studio adversantibus. Quod sine apertis criminibus fieri non potest. Sin vero reciso et postposito hoc Cæsareo decreto, mera et libera potestate, nulla addita causa, a Præfecturæ administratione jubeam ipsum de facto se abdicare, recusantem et nolentem nullo modo cogere possum. Habet enim omnes munitiones in sua potestate, populum jurejurando sibi devinctum, et causa religionis ejusdem addictum, mihi vero adversantem. Rationem autem facti sui tuebitur Cæsareæ majestatis judicio, et Styriorum, qui sub Imperii tutela continentur, privilegiis. Itaque invitum et causæ suæ æquitatem multis modis prætendentem, quomodo depellam non possum cogitare. Nam et locus longe distat, et ad militem externum conducendum nullæ sunt pecuniæ a Vasallis meis, nullum subsidium expectandum, quia habent omnes sibi persuasum, istum Hofmannum esse virum bonum, cognitione rerum et experientia præstantem, qui res Ecclesiæ meæ in iis locis ad interitum inclinatas, restituere possit et velit fide, industria et dexteritate sua: quare non modo non opera et consilio me ad illum dejiciendum juvabunt, sed indignabuntur, me ex nudo Sanctitatis Vestræ mandato deturbare velle innocentem, vasallum, fidelem et utilem, sibi quoque idem fidelitatis et servitii sui premium expectandum aliquando criminantes. Itaque nisi diligenter et summa ratione de isto Hofmano prævidero, ad maximas turbas præbetur aditus, quæ a parvis initiis profectæ, ut fieri solet, manabunt longius, eruntque non solum mihi et meæ familiæ, sed universo Clero totius Germaniæ, quod Dominus Deus avertat, perniciosæ. Quamobrem cum ego, quemadmodum debeo, Sanctitatis Vestræ sanctissimis et saluberrimis mandatis morem gerere velim studiosissime, rebus hic in Franconia compositis, si ipse in Carinthiam proficisci non potero, ablegabo eo virum aliquem prudentem et fidelem, ad investigandum ejus loci statum, et inquirendum quomodo negotium sit instituendum, ut ipsi homini Præfecturam illam adimam sine discrimine, ac Sanctitatem Vestram Sedemque Apostolicam solicitudine sua liberem, modo tempus mihi et spacium a Sanctitate Vestra concedatur conveniens et opportunum, ut, cum lupum infestum auribus teneam, circumspiciam, omnesque modos ac rationes inquiram ad illum dimittendum, cum periculo quam possum minimo, persuadeatque sibi me paulo post, ubi plenam et tranquillam possessionem adeptus fuero, nullum tempus nullamque occasionem me prætermissurum ad perficienda ea, quæ a Sanctitate Vestra præscribuntur, nec quantum hac tanta temporum et rerum perversitate fieri possit, passurum, ut ullum Catholici Pastoris et Sedis Apostolicæ obsequentissimi Episcopi officium in me desiderari potuisse videatur. Qua in re etsi educatio et institutio parentum studium meum circa religionem Catholicam Sedisque Apostolicæ observantiam ita confirmavit, ut augeri non potuisse videatur, auxit tamen hæc Sanctitatis Vræ in Episcopali mea dignitate confirmanda benignitas, atque expectatio de mea persona concepta, et quasi calcar quoddam eximium addidit curren-

ti. Quod etiam animo majore et alacriore juvabitur, si Sanctitas Vestra sacri Pallii largitione sua priora beneficia cumulaverit, et alienæ incogitantiæ et culpæ maculam a me removerit; quod ut faciat, meque verum et integrum Episcopum Bambergensem esse velit, quam possum et debeo humiliore rogo. Id quandiu obtinere non potero, scrupulus mihi in animo relinquetur, qui me angore una cum cæteris curis infinitis conficiet. Videbitur enim Sanctitas Vestra plane de fide mea dubitare, et mihi turpe et apud alios suspectum erit, me in consecratione et in reliquis Episcopalibus cæremoniis et exercitiis sacrum Pallium, qua omnes Antecessores mei usi sunt, non habere. Sed spero et confido, Sanctitatem Vestram in hac re, quemadmodum in cæteris, prudentia et bonitate erga me sua esse usuram. Deum Optimum Maximum misericordiarum et omnis bonitatis parentem summis precibus oro, ut afflictæ suæ Ecclesiæ in tot ærumnis aliquando diu exoptatam tranquillitatem largiatur, Sanctitatemque Vestram ejus gubernacula feliciter tenentem multis annis salvam et incolumem conservare dignetur. In cujus solicitudinem et tutelam me meamque Ecclesiam omnibus periculis conflictantem humilime commendo. Datæ in civitate mea Bamberga die XVII. Junii anno MDLXXXI.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Humilimus Capellanus

MARTINUS EPISCOPUS BAMBERGENSIS.

Nihilo tamen secus Gregorius instat, ut Hoffmannum omnino removeat: hanc esse unam conditionem, sub qua ei pallium tribuatur, purpurati Patres sint assensuri. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII Ann. X ep. 31. f. 22.

Venerabili Fratri Martino Episcopo Ecclesiæ Bambergensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Multis maximisque difficultatibus atque angustiis opprimi Diœcesim tuam, gravissime dolemus, sed est etiam in tantis malis, quod gratulemur, oblatam esse Fraternitati Tuæ facultatem vigilantiæ et zeli in Christi causa explicandi. Summa enim tua cum mercede, et Christi gloria elucebit magis magisque in rebus adversis zelus tuus, qui certe in tranquillitate et quiete quantus esset, cerni non posset, nec dubitamus, quin si in Christi causa talis fueris, qualem speramus, ejus benignitas, et præsidium tibi præsto sit futurum, redditurumque facillima ea, quæ humanis rationibus videri solent difficilia: nunquam enim militibus suis defuit Deus. Pugnamus omnes, neque aliud est vita hominis, nisi militia quædam perpetua. Quod autem monet Apostolus universe Christianos omnes, hoc proprie Episcopis faciendum est. Induite, inquit, vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores, tenebrarum harum contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus. De Hofmanno hæretico vidimus quæ obstare dicantur, sed una difficultatum omnium depulsio est; non est ita agendum, ut amoveatur vel tanquam hæreticus vel tanquam Christianorum oppressor, sed ut amoveatur ea libertate, qua solent principes uti in suis magistratibus: possunt enim suo arbitratu eos tum constituere, tum amovere, nec unquam auditum fuit, debere illos causam dicere, cur id faciant. Sit igitur Hofmannus vir optimus (tametsi necesse est, eum tam longe abesse a bonis, quam longe a piis abest), sed sit is, quem sui prædicant, tamen licet tibi tuo jure eum amovere, hoc ipso præsertim Episcopatus initio. Ei dicas, velle te magistratus ac præfecturas, quibus tibi videtur, mandare, in quo nulla disceptatione ac judicio opus est. Egit hoc superior Episcopus, qui eum delitiis suis colludebat, ut vellet suscipere judicium: tibi vero nihil opus est hac via incedere, neque cum ullius criminis arguere, sed tuo jure ab omnibus divinis atque humanis legibus tibi concesso uti. De Pallio fieri nulla ratione potest, ut illud aliter Tuæ Fraternitati tribuamus, quam in publico Consistorio de venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consensu: sic enim omnibus tribui solet; Hofmanno autem Gubernatori haberes omnium Cardinalium animos aversissimos; hac enim una spe, illius scilicet amotionis eos adduximus, ut de tua confirmatione assentiri vellent. Cupimus Nos quidem Tuæ Fraternitati omnibus in rebus satisfacere, sed habemus etiam ipsi præscriptos certos terminos, quos egredi nullo pacto possumus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima quinta Julii millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Pontificatus Nostri anno decimo.

XI. — Cum Episcopo Argentinensi Gregorius gratulatur, quod collegium Societatis Jesu constituendum aggressus sit, aliaque egregie curet, quæ ad majorem Dei gloriam pertineant. Ut autem hi conatus egregii uberiores fructus pietatis parere possint, illud persuasum habeat, sibi sacerdotalem ordinem esse suscipiendum; id summopere se cupere scribit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. IX ep. 132. f. 111.

Venerabili Fratri Joanni Episcopo Ecclesiæ Argentinæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. De tua præstanti pietate, et conatu, atque opera laudatissima in Collegio istic constituendo, cæterisque in rebus curandis, quæ ad Dei gloriam pertinent, accepimus tanta cum voluptate, quantam debuit Nobis afferre causæ ipsius gravitas, et optatissimus, Deoque acce-

ptissimus fructus animarum salutis. Ab his enim initiis omnia expectanda sunt. Itaque et Deo gratias egimus, et cogitatione atque animo te amplexi sumus, tuamque istam tam præclaram voluntatem, vigilantiam, laborem Deo obtulimus, tibique bona omnia precati sumus. Largietur certe Deus, largitur enim abundatius multo, quam petimus aut intelligimus. Sed nostræ etiam partes sunt, ut nos ipsos comparemus ad ampliorem semper gratiam accipiendam, quod quidem sine ipsa gratia facere non possumus, sed eam semper pollicetur atque offert Deus. Ad hanc vero te ipsum præclare comparabis sacro sacerdotali ordine suscipiendo; confertur enim hoc ipso ordine, ut cæteris Ecclesiæ sacramentis, nova gratia; eam vero in sacrosancto altaris, et incruento sacrificio, atque oblatione veri Corporis et Sanguinis sui augebit in dies Dominus Noster Jesus Christus, si, ut speramus, pure sancteque ad tremendum illud ministerium accesseris. Hortamur igitur et pro nostra etiam erga te charitate monemus, ut sacrum hunc ordinem quamprimum suscipias, gratiasque agas Deo, qui te ad id munus vocavit, in quo non posses hoc tanto beneficio carere. Nihil magis cupimus, quam certiores fieri, te hac in re nostro summo desiderio satisfecisse. Quo autem dignius id facias, de Omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac nostra auctoritate confisi, tibi eo ipso die, quo sacrum sacerdotii ordinem susceperis, plenariam omnium peccatorum tuorum indulgentiam concedimus et impertimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima quinta Martii MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno nono.

XII. — Ut alias sæpenumero vidimus, in id potissimum omnes animi ingeniique vires Gregorius conferebat, ut Ecclesiæ viri severiores christianæ disciplinæ mores induerent. Eo consilio plurimas gravissimasque litteras ad Germaniæ tam ecclesiasticos, quam sæculares Principes dedit, quibus iisdem acres stimulos adhibuit, ut animum inducerent ad turpe concubinatus flagitium ab suis ditionibus extirpandum. Habeas ejus ad Ferdinandum Austriacum litteras. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. IX. ep. 93 f. 373.

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quantam esse oporteat Clericorum omnium sanctitatem, tum ipsorum professio, qua se præter cæteros Christianos proprio et peculiari sacramento Deo addixerunt, tum innumera Sanctorum Patrum, Oecumenicorumque Conciliorum usque a Nicæno decreta, de ipsorum officio et vitæ honestate edita, apertissime declarant. Videbant enim viri sapientissimi, non posse Clericos labi, ut non eodem quoque casu cæteræ Christianæ Reipublicæ partes labefactatæ corruerent. Cum enim Clericorum cura duabus potissimum in rebus versetur, in populo edocendo quid agi conveniat, idque non tantum verbis, sed quod maxime opus est, factis, inque Deo, sanctis atque assiduis precibus propitio et placato reddendo: utrique muneri gravissime obstant ipsorum crimina; vita enim impura omnem adimit verbis fidem, et victimæ impiorum sunt abominabiles Domino, vota justorum placabilia. Ex omnibus autem criminibus fœdissimum est, concubinis, hoc est Sathanæ membris affixos esse homines in sortem atque hæreditatem Domini ascriptos. Itaque gravissimis edictis Patres animadverterunt in eos, qui non vererentur in tanta turpitudine volutare. Quin etiam voluerunt eos, non solum crimine, sed suspicione etiam vacare, et cavere ne cum iis mulieribus habitarent, de quibus posset aliquid turpe existimari. Immortali igitur laude dignus est dilectus filius Gulielmus Bavariæ Dux, qui decrevit tam tetram luem in sua ditione extinguere, certissimumque habemus, maximam illum hoc facto a Deo, cujus honori et voluntati inservit, mercedem relaturum: sic summa Dei benignitas, quæ tam præstantem illi mentem immisit, adsit ejus conatibus omni memoria et honore celebrandis, aderit certe, neque deerit suæ causæ. Sed humana etiam consilia adhibenda sunt; providendumque, ne dum Clerici eligunt patria potius et Ecclesiis, quam concubinis carere (huc enim insaniæ miseros illos perventuros magnopere verendum est), sese ad vicinos conferant, sentinamque omnem in eos derivent. Certum habemus, Nobilitatem T. nemini pietate et Dei gloriæ zelo cedere, sed tamen pro nostro officio et munere facere non possumus, quin rogemus et obsecremus in Domino, ut non solum patiaris tam impuram fecem in tuis locis subsidere, sed ut eos etiam, qui tuæ ditionis sunt, eadem peste correptos sanari, aut certe a reliquis abscindi cures. Scribimus item ad alios vicinos in eamdem sententiam; nihil enim magis cupimus, quam justissimum bellum nullo cum sanguine aut periculo, immortali autem cum gloria et fructu suscipi adversus Sathanam pro Christo. Tantum autem tribuimus Nobilitati Tuæ, quantum debemus tribuere Principi optimo et laudatissimo, ac religione et pietate nemini inferiori. Itaque illud etiam rogamus, ut quæ venerabilis frater Episcopus Vercellensis Nuncius noster decrevit Curiensis Ecclesiæ salutis causa, ea, quantum in te erit, inviolate servari cures. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 28. Januarii 1581. Pontificatus Nostri anno nono.

XIII. — Hinc est, quod solertissimus Episcopus Scalensis idem negotium, quanta maxi-

ma poterat sedulitate et contentione, per Germaniam urgebat admonendo, hortando, minas intendendo. Legas, quæ Ratisbonensibus in hac causa præscripsit. [*]

[*] Germania Vol. 33. fol. 40.

« F. Felicianus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Scalensis, ad Bavariæ et alias partes Germanicæ superioris, Sanctissimi D. N. Dñi Gregorii Divina providentia Papæ XIII. dictæque Sedis Nuntius cum potestate Legati de latere; necnon Administrator Episcopatus Ratisbonensis etc. Reverendis, Nobilibus, et Doctis, nobis in Christo syncere dilectis, Præpositis, Decanis, et Canonicis Ecclesiarum Cathedralis et Collegiatarum, necnon Archidecanis, Decanis Ruralibus, Parochis, et universo Clero hujus civitatis ac diœcesis Ratisbonensis, salutem in Domino sempiternam. Dudum, etiam vivente Rñо Episcopo vestro Davide, piæ memoriæ, Sñus D. N. frequenti admonitione vobiscum paterne egit, ut turpe ac nefarium concubinatus flagitium ex hac Diœcesi exterminaretur, et cum pio hortatui convenientem effectum deesse animadverteret, Rñо et Illñm Domino Archiepiscopo Salisburgensi, uti Metropolitano, serio mandavit, necnon Serñum Bavariæ Ducem, Albertum fel. record. veluti Principem ac dominum temporalem majoris partis, per literas requisivit, ut omnem diligentiam ac studium quisque pro auctoritate sua huc conferrent, quatenus pulso concubinatu, unde multa alia scelera eaque gravissima extant, pristina dignitas huic Diœcesi aliisque nonnullis redderetur. Nos etiam postquam in has regiones cum honore Nuntii Apostolici missi sumus, quod absque brachii sæcularis auxilio difficillimum videbatur, ut alte defixus concubinariæ vitæ abusus extirparetur, Serñо Bavariæ Duci, Dño Guilhelmo, debitam status Ecclesiastici honestatem, decentiam, ac reformationem ardentissimo spiritu exoptanti, mandato Apostolico potestatem fecimus, ut hujusmodi Clericorum concubinæ etiam in ipsorum domibus capi queant, pro rei exigentia postmodum castigandæ. Porro ut Clerici ipsi etiam haberent stimulos, quibus ad cælibatum et continentiam urgerentur, in Synodo Diœcesana, anno proxime præterito, sub finem mensis Octobris hic habita, decretum contra concubinas vobis proposuimus, certis pœnis in delinquentes statutis, quo putavimus huic pestilenti malo opportune provisum esse. Verum cum intelligamus, præter omnem spem et expectationem nostram, multos vestrum in codem cœno adhuc volutari, atque concubinarum ejectioni hoc maxime obstare, quod hujusmodi Clerici absque debita animadversione prætereantur, quod æterno judici Deo pro animabus vestris exquisitam rationem reddituri aliquando sumus, propter officium quo fungimur, nec ejus propositi videri volumus, ut nostram conscientiam peccatis vestris onerare, vobisque connivendo animæ nostræ detrimentum facere debeamus: omnes nostros conatus eo dirigendos omnino duximus, ut vos in tam impura concubinatus hue periclitantes, quibuscunque tenemur modis, ad salutis portum reducamus. Hinc est, quod vobis omnibus et singulis, tam capitibus, quam membris, in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione maledictionis æternæ districte mandamus, ut qui concubinas aut mulieres alias suspectas domi vel extra habent, eas infra octidui, ab hujus nostri mandati insinuatione inchoandi spatium amoveant, et ab illarum consortio, familiaritate et qualicunque consuetudine in posterum abstineant. Qui parere contempserint, ii noverint, nos juxta decreta sacri Concilii Tridentini, et Synodi cum Provincialis, tum Diœcesanæ, ipso facto, absque ullo personarum respectu, processuros. Si quidem vero impossibile est, ut nos ipsi ubique locorum executionis debitæ inspectores esse valeamus, serio injungimus omnibus Archidecanis, et Decanis tam Cathedralis et Collegiatarum Ecclesiarum, quam etiam Ruralibus, ut quisque in suæ regionis districtu hoc nostrum mandatum ad effectum adduci diligenter procurent, et si quem elapso prædicti temporis termino inobedientem invenerint, id nobis statim significent: imo etiam volumus, ut in posterum quoque in hujusmodi inspectionem sedulo incumbant, et ubi aliquem sciverint concubinam vel mulierem alias suspectam habentem, nos, aut nostrum hic Ratisbonæ in spiritualibus Vicarium generalem illico commonefaciant. Quod si aliter in hujusmodi rei notitiam veniemus, et dictorum Decanorum negligentiam intervenisse animadvertemus, noverint se nostram indignationem incursuros, nec modo nos in Clericos ita delinquentes, prout juris fuerit, animadversuros, verum etiam de Decanis ipsis, qui nos admonere neglexerint, easdem pœnas sumpturos. Qua in re non deerit etiam nobis auxilium præfati Serenissimi Ducis, qui ad Sñi D. N. requisitionem suam auctoritatem nobis libenter detulit. In quorum omnium et singulorum fidem, robur ac testimonium, has literas, sigilli nostri, quo in talibus utimur, impressione, nec non nostri in spiritualibus Vicarii generalis subscriptione communiri fecimus. Datum Ratisbonæ in Aula Episcopali anno Dñi MDLXXXI. die vero XXV. mensis Aprilis. Pontificatus prælibati Sñi Domini Papæ Gregorii XIII. anno nono.

XIV. — Maximo sane Ecclesiæ Germanicæ bono factum est, ut ejus Præsules mira animi alacritate Pontificis de Clericorum concubinatu profligando monita et mandata acceperint, quamvis non ignorarent rem esse quam plurimis impeditam difficultatibus. Quamobrem se operam Pontifici daturos profitentur, eique ob

oculos ponunt, quibus præcipue rationibus ad propositum perveniri finem possit. Omissis autem compluribus Præsulum litteris, exemplo sint, quæ Augustanus Episcopus scripsit, id addens, quod ad laudem Ducis Bavariæ cederet, ob ea quæ præclare ad illas corruptelas ab sua ditione exterminandas gesserat. [*]

[*] Germania Vol. 45. fol 303.

Beatissime Pater et Domine, Domine Clementissime.

Obedientiam et reverentiam debitas, cum humillima mei commendatione, ad debita beatorum pedum oscula.

« Quæ ad abominandi concubinatus Clericorum profligationem, Sanctitas Vestra, pro sua singulari pietate, zelo atque authoritate XXVIII. Januarii ad me perscribere dignata est, XVIII. Junii proxime præteriti, ea qua decet et debeo submissione et reverentia accepi et perlegi, pariter etiam consensum ita statim apposui, ut nihil magis, quam eadem debitæ executioni mandari posse unice optem. Neque enim ipsemet inde ab initio suscepti Episcopalis mei muneris, quicquam antiquius habui, quam ut ejusdem flagitii exterminandi causa, clericos mihi concreditos quacunque occasione dehortarer, atque ipsis illud potissimum commendarem, quod ipsum vetus Testamentum vehementer urget et hortatur, sacerdotes videlicet, quoniam incensum, hoc est assiduas orationes fundunt, et panes eum salutaris doctrinæ, tum æternæ vitæ proficuos tractent, Deoque offerant, sanctos proinde ac incontaminatos esse oportere, et cum Angeli Domini Exercituum nuncupentur, ut suæ conditionis sacrosanctæ ingenuitatem ac paritatem, ab omni prorsus carnis illecebra sartam tectamque conservent, atque tueantur. Quamvis autem pia et seria ejusmodi monita, publicis etiam mandatis adversus clericos concubinarios hactenus bis, ter et amplius editis, diu equidem etiam sub interminatis pœnis et censuris Ecclesiasticis inculcare, vehementer contenderim, tamen re ipsa expertus, illud fateri cogor, meos ea in re conatus apud plerosque idcirco fuisse irritos, quod plurimis quantumlibet etiam piis, atque Catholicæ religioni alias bene addictis aliquæ nimis fatuæ persuasiones inhærere videantur, quibus putant domesticum istud ac pene inveteratum apud Clericos malum multo tolerabilius esse, quam eo prohibito, majora flagitia ex vagis eorundem impudicitiis certo emersura expectare; ideoque a longo inde temporum usu concubinatum istum, quasi præscriptum, tullerandum. Deinde quod cum Parochorum, præsertim illorum qui ruri degunt, in his partibus sustentatio, plerumque ex prædiorum cultura magnaque re familiari gerenda dependeat, quæ domesticam mulierum operam, viris eam respuentibus, quam maxime requirat, ideo cohabitationem istam sustolli non posse, modo in reliquis sacerdotes suo officio ac divino cultui satisfaciant. Utcunque autem prætensa istiusmodi concubinatus velamina, ut mere frivola, sunt, ac nullius plane momenti censeri deberent; tanti tamen (proh dolor! et nescio qua levitate animi) passim haberi deprehenduntur, ut haud pauci, quantumlibet orthodoxi domini locorum pariter ac subditi ipsorum, sacerdotibus ob solum concubinatum amovendis, quam quibuslibet etiam admodum ineptis admittendis, longe plus offendi videantur; quin etiam, si quis concubinarius hinc expellatur, confestim in aliis etiam Catholicorum dominiis et Episcopatibus locum et subterfugium inveniat; modo cætera dominorum præsertim secularium placita atque gravamina, quantumvis immunitati Ecclesiasticæ repugnantia, recipiat; atque utinam non illud ipsum concubinatus vitium plerisque maxime secularibus pro capistro sit, quo vexandis pro suo libitu misere irretitis sacerdotibus, eorumque redditibus ac bonis Ecclesiasticis paulatim invadendis abutantur; hosce enim ceu meros operarios pacta mercede conducunt, parochiarum atque beneficiorum reditus longe uberiores ipsimet percipiunt, de hoc Ordinariorum admonitiones nihili aut sane parvi facientes. Ut merito operæ pretium necessariumque esse ducam, quod tanta pestiferi concubinatus incommoda tandem fœlicissimis auspiciis Sanctitatis Vestræ per opportuna remedia profligantur. Proinde in eo vere beatior hodie reputanda est Provincia Bavaria, quod singulari ac raro quodam Illmi Principis sui Guilielmi Ducis pientissimi zelo, a maledicta ista concubinariorum lue cœperit liberari, quam illi fœlicitatem perpetuam fieri, ut ex animo precor, sic etiam quantum potero meis ibidem clericis, in officio pro mei muneris ratione retinendis, promptissime juvabo. Ac tametsi non desint, qui sinistre augurentur fore, quod expulsis hinc concubinis, sacerdotes quoque, ad instar eorundem turpissimorum mancipiorum, suas passim Ecclesias deserentes, magnam post se Dominici gregis pastorum penuriam relicturos; ego tamen huic etiam cum damno tempestivius occurri posse speraverim, si Sanctitas Vra, quod unice potest, tale medicamen adhibere dignaretur, ut quemadmodum pridem cum prædicto Illmo Bavariæ Duce, aliisque nonnullis catholicis Principibus, super extinguendo penitus isto malo egisse clementissime testatur; sic etiamnum publico seu generali mandato, Brevibus Apostolicis vel alio expeditiori modo, omnes Germaniæ proceres Catholicos, præsertim Episcopos pariter clementissime admoneret; ne quis aliunde posthac venientem quemcunque sacerdotem, in suam Diœcesin vel dominium ulla ratione admittat, nisi testimonio vitæ sacerdotii dignæ, citraque concubi-

natum actæ, a pristino suo Episcopo vel patrono obtento veniat commendatus; si forte vel hac demum ratione, obstinatis istiusmodi concubinariis tam turpiter vagandi, suamque deploratam nequitiam propagandi via et occasio præcluderetur. Hoc tamen omne Sanctitatis Vestræ summo atque prudentissimo consilio, ejusdemque ut Christi in terris vicem gerentis, supremæ auctoritati et potestati liberum relinquo. Ad me autem quod attinet, non prætermittam, quantum mearum virium fuerit, Sanctitatis Vestræ mandato obtemperare, ac idcirco generalem Diœcesis meæ visitationem, pridem a me mediatam, nunc sane institutam prosequi, et huic malo extirpando expediens remedium adhibere pergam. Quod reliquum est, Deum Opt. Max. pro Sanctitatis Vestræ incolumitate et felici regimine precibus meis assidue precor, eidemque Ecclesiam meam, me, meosque pariter quam humillime commendo. Dilingæ xviii. Julii anno Virginei partus mdlxxxi.

Sanctitatis Vestræ

Humill. et obedientiss. Capellanus
Marquardus Episcopus Augustanus.

XV. — Optimus quidem Salisburgensis Archiepiscopus existimans, suo juri et Archiepiscopatus bono obfuturum, quod, se inscio et inconsulto, Episcopo Gurcensi suo Suffraganeo, cujus census vix ei sustinendo pares essent, alius in auxilium Episcopus datus fuerit, obsequentissimis litteris rem ad Pontificem detulit. Hic enim jusserat, certum addititiu illi Episcopo vectigal quotannis pendi debere. Illud præterea Salisburgensis animadvertit, repugnare prorsus Episcopatus Gurcensis institutioni, ut ejus Episcopus, qui et ipse esset Vicarius alterius, vices suas gerentem habeat; præsertim cum ad illum Episcopatum designandi jure alternis vicibus Archidux Austriæ et Archiepiscopus Salisburgensis potirentur. (*)

(*) Germania Vol. 43. fol. 818.

Sño in Christo Patri et Domino, Dño Gregorio XIII. Divina providentia Sanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Dño meo Clementissimo.

« Beatissime pater ac Domine, Domine Clementissime, præmissis obedientia ac reverentia tam debitis, quam condignis, cum humillima mei commendatione, ac devotis beatorum pedum osculis. Nihil equidem mihi potest accidere gravius, quam Sanctitatem Vestram alias gravissimis Christianæ Reipublicæ negotiis occupatam, etiam meis interturbare literis, quas tamen nisi meo Archiepiscopatui præjudicare velim, intermittere non potui. Res autem sic se habet. Jamdudum novit Sanctitas Vřa, ante multos annos Prædecessores meos propter aliquas rationabiles causas ex mensa Archiepiscopali, scitu et approbatione Summorum Pontificum, erexisse atque fundasse in media diœcesi Salisburgensi inter cæteros Episcopatum Gurcensem, cujus nominatio et provisio ad quemlibet Archiepiscopum Salisburgensem spectabat, sed ea postmodum, per amicabilem compositionem tempore Mathei Cardinalis et Archiepiscopi Salisburgensis cum domo Austriaca initam, alternis vicibus pertinet ad eandem domum Austriacam et Archiepiscopum Salisburgensem, et licet hac compositione multum derogatum sit juribus prædicti Archiepiscopatus Salisburgensis, nihilominus tamen hactenus ita observatur. Cum vero ante sexennium Episcopatus Gurcensis, defuncto Episcopo Urbano piæ memoriæ, vacare cœperit, ego, ad quem nomine Archiepiscopatus tunc temporis spectabat jus nominandi et providendi, propter laudatissimas virtutes Canonicum et Decanum Brixinensis Ecclesiæ Christoferum Andream ex Baronum de Spaur familia natum nominavi in Episcopum, eundemque more solito confirmavi, atque consecravi, prout præfatum Episcopatum in quieta, et pacifica possessione regit, et in spiritualium et temporalium administratione gubernat, geritque nihilominus vices cum maxima laude Illmi Archiducis Austriæ, dñi Caroli amici mei charissimi etc. aliquando ex ditione sua absentis. Quarum rerum omnium procul dubio S. V. etiam citra meam relationem poterit habere notitiam. Intellexi autem ex præfati Episcopi Gurcensis literis prolato diplomate, Sanctitatem Vestram eidem in Suffraganeum Episcopalium functionum destinasse Antonium Manicordium, presbiterum et Præpositum secularis præpositurae S. Nicolai Gurcensis diœcesis. Et quamvis mea sententia non sit, Sanctitati Vestræ et amplissimo Cardinalium Collegio in minimo contradicere, aut ea quæ in Gurcensis Ecclesiæ Episcopi commodum vergere possint, impedire, nihilominus teneor ex juramento, quod in consecratione mea Apostolicæ Sedi præstiti, omnia, quæ Ecclesiæ mihi commissæ profutura non sunt, avertere. Quare Sanctitatem Vestram in hac causa informandam duxi, ex primæva fundatione Gurcenses Episcopos nihil aliud esse, quam Archiepiscoporum Salisburgensium suffraganeos, hoc est in Pontificalibus Vicarios, qui in remotioribus ab Archiepiscoporum solita residentia distantibus locis eorum partes, ac offitium adimplere debeant, neque mihi constat illos alium assumpsisse Suffraganeum, aut contra mentem et notitiam Archiepiscoporum Salisburgensium delegatum offitium alteri subdelegasse, quemadmodum etiam illud sine expressa licentia delegantis Archiepiscopi Salisburgensis vix recte fieri posse credo. Deinde est Episcopatus Gurcensis tenuibus redditibus dotatus, e contrario vero debitis Prædecessorum et annuis exactionibus ita gravatus, uti ipsemet Episcopus modernus conquestus sit, sese vix pro suo conservando statu,

et familiarium suorum honesta sustentatione expensas sufferre posse. Quid nunc fiet, si quotannis ad dies vitæ ex Sanctitatis Vestræ jussione ducentos Ducatos Subsuffraganeo suo expendere debet?

« Ultimo, et quod me maxime urget, quod hac data occasione iste Episcopatus, cum ejus nominatio alternis vicibus ad Archiducem Austriæ et Archiepiscopum Salisburgensem, uti dictum est, spectet, facile eo redigeretur, ut semper istic nominatus et verus Episcopus cum onere suæ Ecclesiæ, et Pontificalium offitiorum neglectu Subsuffraganeum aleret, aut pedetentim ita in manus eorum veniret, qui nunquam per se Pontificalem exercerent functionem. Quæ omnia pro sua innata prudentia Sanctitas Vestra melius, quam ego judicare possum, ponderabit. Ego si ita visum est Sanctitati Vestræ, libenter et humilime parebo mandatis Sanctitatis Vestræ, hæc enim eidem tantum ad exonerandam meam conscientiam, et ne si, præter opinionem quid eveniret, in me tanquam taciturnum omnis rejiceretur culpa, indicare volui. Faveo enim alias huic Episcopo Gurcensi tamquam creaturæ et consanguineo meo, et si quid illi boni accidit, illud mihi ipse factum esse puto. Si autem subsunt evidentes causæ assumendi Suffraganeum sibi et aliis Suffraganeis meis ex mensa Archiepiscopali fundatis, ne quid negligatur, procurabo apud Sanctitatem Vestram pro persona, quæ vices suas supplere possit.

« Hæc sunt quæ Sanctitati Vestræ de isto Gurcensi negotio mihi scribenda visa sunt, tamen me neque causa, neque difficultas ulla detinebit, quominus paream jussis omnibus ac Sanctitatis Vestræ mandatis, si voluntatem ejus cognovero. Quam divina pietas pro felici Ecclesiæ suæ regimine diutissime et feliciter conservet, cujus sacris pedibus me denuo humilime commendo. Ex Salisburga die xv. mensis Septembris, anno redemptionis 1581.

Ejusdem Beatitudinis Vestræ

Humilimus et devotiss. Capellanus
Joannes Jacobus Archiepiscopus
Salisburgensis.

Protestantes ex Stiriæ Ducatu nihil non moliebantur, ut res suas cum ingenti Ecclesiæ Catholicæ detrimento et jactura in dies magis magisque augerent. Qua de causa internecivo ferebantur odio in Archiepiscopum Salisburgensem, cujus sacræ ditioni hæc regio magna ex parte suberat, quique forti constantique animo eorum impiis in avita fide abolenda ausis obstitabat. Nihil igitur mirum, quod eundem omni conviciorum et calumniarum genere insectati fuerint. Eundem æque auctorem ferebant omnium, quæ in postremis Stiriæ comitiis ad eorum audaciam coercendam decreta fuerant; ejus opera factum esse, ut Carolus ex optimo Principe in tyranni mores abiret, dictitabant. In eundem omnium publicarum calamitatum, quibus Austriæ et Stiriæ Ducatus afflictabantur, causam derivabant: eundem, quod novum Lutheri evangelium tam acerbe persecutus fuerit, ejusque progressui se objecerit, iram Dei provocasse, in vulgus edere non dubitabant. Quare Deum Opt. Max., ut ab hominum genere pro tanta sibi illata injuria pœnas expeteret, feroces Turcas in suam patriam immisisse. Hæc et alia similia lymphatorum hominum deliramenta et furores (qui nescias utrum commiseratione, an risu sint excipiendi) continent litteræ, quas Stiriæ Ordines ad Salisburgensem Præsulem dederunt. Quibus ille vir æque graviter ac urbane respondendum censuit, utpote qui Ecclesiæ jura, plebisque sibi commissæ salutem agi in iis disceptationibus contra eos, qui per summam injuriam animas suas projecerant, probe sentiebat, adeoque paterne etiam ad avitam fidem amplectendam invitavit. [*]

[*] Germania Vol. 81 fol. 213.

Joannes Jacobus Dei gratia Archiepiscopus Salisburgensis, Apostolicæ Sedis Legatus.

« Literas vestras xxiv. Decemb. proxime præteriti mensis et anni datas, penultimas ejusdem a veredario vestro una cum cæteris inclusis redditas intelleximus. Quæ tametsi nomine Provincialium Stiriæ in genere sint subscriptæ; confidimus tamen majorem partem ex vobis, illos præsertim, qui nostri Vasalli, vel nobis nostroque Archiepiscopatui alia ratione ac titulo devincti sunt, in eas minime consensisse. Quare sepositis illis, hisce tantummodo, quorum jussu et consensione literæ datæ sunt, pro nostra nostrique Archiepiscopatus necessitate et jure ea, quæ sequuntur, breviter respondere duximus. Primum scire debetis, jam inde ab eo tempore, quo Stiriæ Ducatus a sanctissimis illis Episcopis DD. Ruperto et Virgilio ad fidem Christi Catholicam perductus est, animarum curam et jurisdictionem Ecclesiasticam (quantum late patet Metropolitana Provincia nostra) penes laudatissimos Antecessores nostros in quieta nunquam interrupta serie ac possessione fuisse, nisi quod hisce extremis perditisque temporibus a nonnullis ex vestro gremio (qui a Catholicæ Ecclesiæ obedientia ad novas sectas transfugerunt) attentatum est. Inde secutum est, quod desertores illi nobis nostrisque honoratissimis Antecessoribus vetustissimam tam ab ipso Deo, quam hominibus commissam animarum curam non modo eripuere, sed etiam nostram jurisdictionem Ecclesiasticam deminuere, abrumpere et penitus opprimere ipso facto conati sunt. Quantumvis autem nos ipsi et nostri Antecessores errantes, palantesque inter vos oves ad Christi pabula et stabula legitimo tramite reducere, nostramque et Metropolitanatus nostri, jam inde ab aliquot centenis annis summa tranquillitate posses-

sam jurisdictionem retinere, pie paterneque statuerimus; nihil tamen per vestram inobedientiam (quæ summi Magistratus nostri mandata subinde excussit) efficere valuimus, quum potius attentata et nostram in jurisdictionem invasiones vestræ magis magisque invaloere.

« Qua de causa etiam nunc indictis istis vestris comitiis, haud intempestive suspicari licuit, fore, ut pro vestro more consueto id ageretis vel quæreretis, quod cum religioni Catholicæ eidemque soli salvificæ, tum jurisdictioni nostræ Ecclesiasticæ amplius detrimentum afferret. Itaque pro officio pastorali nobis a Deo non solum in vos, sed Principem quoque vestrum dato et commisso, tum etiam pro juramento, quo huic Archiepiscopatui nostro obligati sumus, Commissarios nostros ad Serenissimum Principem Carolum Archiducem Austriæ, et dominum et amicum nostrum charissimum quin ablegaremus, omittere non debuimus, suam Dilectionem paterne amiceque hortaturi, ut non solum ipsa sanctam antiquam, et a gloriosissimis majoribus suis acceptam religionem Catholicam (licet ejus de fide nunquam quicquam hæsitaverimus) strenue coleret, sed etiam in omnibus suis hæreditariis terris contra hæreticorum insultus sartam tectam conservaret, contra eandem nemini quicquam moliri permitteret, nostramque nobis multis modis deminutam maleque affectam jurisdictionem in integrum restitueret. Quæ cum ita se habeant, neque quisquam vel minimo veritatis verbulo negare possit, non est quod nos privilegiorum vestrorum, homagiorum, cæterarumque obligationum sive libertatum (quibuscum nobis nihil unquam negotii fuit) recitatio ullo modo commoveat, nisi postquam ea jam transactis multis sæculis in Ecclesia et fide Catholica fundata, a Christianissimis vestris majoribus impetrata, vobisque ceu manu tradita sint, eo plus nobis causæ esse, suam Dilectionem admonendi, ut eandem fidem firmissime retineat, nostramque perinde protegat et conservet: quandoquidem sua Dilectio nobis, nostrisque suis in provinciis commissis animabus, Ecclesiæ tam personis quam rebus, eorundem privilegiorum, libertatum et homagii vigore non minus quam vobis ipsis obligata est. Quod proinde dicitis, nobis in vestram ecclesiam (quam sic appellare vobis placet) nihil unquam juris fuisse, id quam verum sit, ex citata nostra jurisdictione irrefragabili facile cognoscendum est, neque solum domini ac Principis vestri, sed etiam universæ Christianitatis judicio facile diffiniendum permittemus, an ulli privato homini liceat, semetipsum Ordinarii sui et a Deo constituti pastoris, animarumque curatoris ex obedientia subtrahere, ausuve propriu templa vel diruere vel extruere, Ecclesiasticas denique jurisdictiones jam inde a multis sæculis quieta possessione gubernatas, labefactare atque divellere, et quicquid horum est, tenere, sive statuere, sive erogare.

« Immo ut vos ipsi hæc rectius discatis, tam ad ipsam sacram scripturam, quam omnia divina et humana jura remissos volumus.

« Præterea verum non est, quod audacissime objicitis, nos nostrosque Commissarios in hoc cum aliis incubuisse, ut Serenissimum Archiducem cogamus, coustringamus, adorgeamus, perniciosa machinemur, sive, ut vos loquimini, practicemus, concinnemus, atque provehamus, et quicqoid horum aliud a vobis intempestive atque incogitanter effutitum est, eo scilicet nos rem redigere, ut Sua Serenitas promissis (quæ vos inaniter jactatis) stet minus, sed omnino ex pio Principe tyrannus efficiatur. Ad quæ nos ex ipsius veritatis fundamento respondemus, nos apud Suam Serenitatem nihil plane illiciti vel quærere vel machinari; sed huic potissimum studere, quicquid nostri muneris et officii est, quodve jure facere oportuit, et nos equidem nostrique Antecessores jam pridem fecimus tam apud hunc Serenissimum Archiducem, quam suos Prædecessores, per nostros Legatos monendo, instando et solicitando, ut ipsi (qui et hic loci nostri Principes agnoscuntur) nostra nostrique Archiepiscopatus jura, immunitates ac privilegia sarta tecta conservent, nobisque eam juris æquitatem, ad quam coram Deo et hominibus tenentur, administrent. Quod si ipse, ut pius est et justitiæ amans Princeps, facturus est, et vos in nostra obedientia (qui vestrarum animarum pastor et curator sumus) ita, ut debetis ac tenemini, permanseritis, nihil vobis a Turcica irruptione vel vulgi tumultibus timendum est. Neque unquam de vobis suspicari potuissemus (etiam si quo modo periclitandum fuisset), ut ejus mali culpam aliquam propter justissimas nostras petitiones in nos tam immerenter rejecturi, vestrasque inanes atque imprudentes protestationes ejuscemodi iniquis modis contra nos essetis usurpaturi. Meminisse oportebat potius eorum beneficiorum, quibus (ut publicitus notum est) tempore nostri regiminis non solum tota domus Austriaca, verum etiam vosmet ipsi in primis aut patria vestra, in quocunque periculo et necessitate, a nobis tam pie atque benigniter affecti et adjuti estis: tacemus nunc peculiaria illa beneficia, et largitates, quæ permulti vestri ex nostri Archiepiscopatus bonis et prædiis percepistis.

« Quoniam veruntamen eorum omnium apud vos usque adeo nulla habeatur ratio, ut etiam illicitam vestram obstinaciam et inobedientiam nostris jure recteque actis prætexere et palliare audeatis, unde non obscure colligitur, aliquibus vestrum animum atque studium esse ad nova molimina, aliaque meditari; quare præcipites vestras et male consideratas literas una cum pro-

testationibus, et quicquid illis importunitatis, minarum et injuriæ summæ inest, in vestrum sinum rejicimus et retorquemus, Deum atque mundum contestantes, si quid mali vel incommodi ex ista vestra rebellione unquam exoriturum est, unde vel nobis vel nostro Archiepiscopatui damnum seu detrimentum aliquod eventurum sit, ejus culpam in rei veritate nemini alii, quam vobis adscripturos, damnique refectionem, atque restitutionem lædendorum vel amittendorum non abbi, quam apud vos, utpote damni causam dantes, requisituri postulaturique simus. Nec intermittere possumus, quin hoc imprudens et injuriosum scriptum, totumque negotium ad Romanorum Imperatorem, Dominum nostrum Clementissimum, Imperii caput, tum etiam ad Dominum ac Principem vestrum contra vos justissimis querelis deferamus.

« Hæc tandem brevia pro summa necessitate nostra ad intempestivas literas vestras respondere nos oportuit, vos nihilominus paterno corde, quemadmodum fidelem Pastorem vestrum decet, hortantes, atque adeo per viscera misericordiæ Dei obsecrantes, ut seposita nova, corrupta et ab Ecclesia Dei jam olim rejecta doctrina sectaque, ad Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ (in qua sola, nec alibi, salus obtineri potest) religionem, fidem atque synceram doctrinam reverti, quæ jam inde a Christi Apostolis ad vestros Apostolos, Episcopos et Pastores sanctissimos Rupertum et Virgilium, et ab his usque ad vos in patria vestra summo omnium Christianorum consensu derivata est, et inconcussa permansit, quam et exemplo avitæ pietatis atque studii recipere ac retinere, et ad finem usque in ea ipsa perseverare: neque minus vestro, non tantum a vobis, sed etiam a cæteris omnibus collaudato Principi, cum in hoc sacro negotio, tum cæteris omnibus parere, debitamque obedientiam præstare, ad quam etiam vestros quoque subditos seriis mandatis cogere et instigare velitis. Quod si fiet, dubium non est, quin Deus Optimus Maximus vobis sua benedictione, et gratia non minus in temporalibus, quam etiam spiritualibus præsto affuturus sit, nosque simul omnes ab hoste Christiani sanguinis (quemadmodum ante sectarum vestrarum et schismatum in Germaniam ingressum factum est), tum etiam a seditionibus et omni malo liberabit, in cujus patrocinium nos omnes commendo. Datum Salisburgi die x. Januarii anno MDLXXXI.

XVI. — Itaque Archidux Carolus, tum jure suo, tum Archiepiscopi monitis usus, Protestantium querimoniis haudquaquam obsecundavit, et sub initium hujus anni liberum cultus exercitium Nobilibus tantum viris ut antea circumscribi jussit; reliquos vere cives plebemque eorum sacris interesse vetuit. [*]

[*] Germania Vol. 14. fol. 330.

« Serenissimus Dominus Archidux nihil adhubitat N. Consuli, Judici, ac Senatui hujus suæ Civitatis optime constare, Suam Serenitatem ab initio sui regiminis in omnibus publicis tractationibus Religionis ipsius omnimodam dispositionem in suis civitatibus, oppidis et propriis dominiis espresse et liquido sibi semper reservasse; dempto eo quod Sua Serenitas hac in parte hic in Gratz, et superius in Judemburg Baronibus ac Nobilibus ipsis una cum illis, qui eorum sunt juris, tandem indulsit. Cum igitur id Suæ Serenitati vigore Sacri Imperii constitutionum sine omni controversia facere licuerit, et Sua Serenitas negotii confectionem salva conscientia amplius differre non possit; ideo Sua Serenitas eam rem ipsi Consuli, Judici et Senatui hisce clementer significare, et eis simul serio, ac pro ea fide, qua Suæ Serenitati obstricti sunt, præcipiendo mandare voluit, ut non solum ipsi ac eorum familiares deinceps ab ipsorum Baronum et Nobilium ecclesia seu religionis exercitio plane abstineant; sed id etiam reliquis civibus ac eorum familiaribus serio inhibeant, si et in quantum Suæ Serenitatis indignationem, ac gravissimam animadversionem incurrere voluerint. Quod ut eo facilius præstare possint, Sua Serenitas harum serie clementer profitetur, se illos ac eos, qui eorum sunt potestatis, alias in conscientiis ipsorum non gravaturam, sed potius eos omni benignitate ac mansuetudine complexuram esse. Hæc est Suæ Serenitatis seria et omnimoda voluntas.

Idem Carolus per Oratorem suum Episcopum Gurcensem de suo in reprimendis hæreticis studio ac laboribus Pontificem certiorem fecit: eique gratias egit de subsidio, quod ad illorum ac Turcarum molitiones ab suis ditionibus amoliendas sibi daturum promiserat [*]

[*] Germania Vol. 20. fol. 162.

Beatissime in Christo Pater ac Domine, Domine Colendissime.

« Post obsequiorum meorum humilimam commendationem, filialis meæ erga Sanctitatem Vestram et hanc Sedem Apostolicam observantiæ perpetuum incrementum. Quamvis hæreticorum pravitas et rebellio, eorumque insolentissimæ minæ in Dieta nuper hic celebrata eousque invaluerint, ut tandem ob deffectum necessarii auxilii, et ad evitandum ingruens malum, Decretum illud in principio illius Dietæ, circa negocium Religionis editum, magno cum animi mei mœrore suspendere coactus fuerim, uti sane hæc fusius Sanctitas Vestra ex intimo Consiliario, Locumtenente et Legato meo, Reverendo Episcopo Gurcensi, ad Sanctitatem Vestram jam ablegato, propediem intelliget; attamen in hac animi mei consternatione ac rerum perturbatione, me denuo et mirum in modum reffecit ac recreavit, quæ modo Sanctitas Vestra ad ipsius Nuncium hic residentem, de

subministrando opportuno ac necessario auxiliario pecuniario, rescribere curavit. Ea enim paterna oblatio ac liberalis munificentia talis ac tanta est, ut nullis unquam verbis explicari, ne dum factis rependi queat. Proinde, quod opis non est meæ, refferat Sanctitati Vestræ Deus Omnipotens, verus largitor et retributor omnium bonorum. Ego porro hac occasione oblata, ex parte mea non deero, quinimo, omnes nervos pro imbecillitate mearum virium eo intendam, ut impii hæreticorum istorum conatus, summa cum dexteritate, nec non asserti Sanctitatis Vestræ Nuncii, uti viri prudentissimi ac circumspecti, consilio quanto citius reprimantur, omniaque ad inchoatum et optatum finem fœliciter perducantur. Ita sane, ut Sanctitas Vestra et totus mundus manifeste intelligat, me nullis laboribus, sumptibus, periculis, nec quidem vitæ propriæ pepercisse. Quod utique etiam antea successisset, si durante Dieta, præfatum auxilium opportune in promptu fuisset. Certo mihi persuadens, Sanctitatem Vestram in hac causa Dei, in omnem eventum ubicunque et quotiescunque necessitas ita postulaverit, sua ulteriori liberalitate et auxilio ita efficaciter ac paterne subventuram, quo a periculis, maxime a vicinis Turcarum hostium imminentibus liber esse possim, nec ullus ipsis hæreticis rebellibus ulterius in malicia eorum triumphandi locus relinquatur. Quod equidem ego vicissim, solita mea in Sanctitatem Vestram et almam hanc Sedem Apostolicam pietate et observantia, per omnem occasionem sedulo promereri curabo. Atque his tandem bene valeat Sanctitas Vestra, illique Deus Optimus Maximus et vitam diuturnam et rerum omnium prosperitatem tribuat. Datæ in Civitate mea Græzensi, decima septima die Martii, anno millesimo quingentesimo octuagesimo primo.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
CAROLUS.

XVII. — Alteris litteris perangustas res Monasterii Græcensis S. Lamberti ex Ordine sancti Benedicti, cum singulari ejusdem Abbatis præconio, Pontifici vehementer commendavit. [*]

[*] Germania Vol. 23, fol. 164

Beatissime in Christo Pater ac Domine, Domine Colendissime.

« Post obsequiorum meorum humilem commendationem, filialis meæ erga Sanctitatem Vestram et almam hanc Sedem Apostolicam observantiæ perpetuum incrementum. Extat in his ditionibus meis Monasterium quoddam, ab antiquo ad S. Lampertum in Carinthia vocatum, religiosis fratribus ex instituto ac præscripto Sancti Benedicti pie viventibus reffertum. Quod licet a piis fundatoribus aliisque devotis Christicolis bonis ac redditibus utcunque dotatum fuerit, ut primas fere inter reliqua harum partium religiosa loca obtinuerit, tamen injuria temporum, perfidia hæreticorum, nec non rabie immanium Turcarum his meis Provinciis assidue inhiantibus, res præfati Monasterii eo redacta est, ut mole continuorum ac pene intolerabilium, necessariorum tamen ac inevitabilium, præsertim in usus belli, sumptuum fere oppressum ac prostratum sit; ita ut, ni quanto citius eidem succurratur, totalem ruinam ac præcipicium sequi omnino necesse sit. Quæ res sane pium animum ipsius Abbatis, viri utique vere religiosi ac vigilantissimi, quique et verbo et exemplo inter omnes harum mearum provinciarum Prælatos veluti stella lucet, nobisque probatus existit, jam diu multumque ita anxium ac sollicitum reddidit, ut verbis explicari vix queat. Cum itaque is post longam maturamque deliberationem desuper habitam, manifeste deprehenderit, sibi in hac ærumnosa tempestate nullam aliunde spem emergendi, quam a Sanctitate Vestra, veluti a sacra anchora patere: attento, quod et meæ vires ob eosdem immensos belli sumptus ita attritæ sint, ut rebus propriis vix consulere, nedum quæ aliis pie facere velim, præstare queam; quare rebus ac difficultatibus hinc inde sic stantibus, placuit asserto Abbati ac Conventui has suas elargitionum pressuras ac molestias, literis suis, Sanctitati Vestræ seorsim fusius exponere, eidemque, tanquam legitimo Ordinario ac Domino suo Clementissimo, pro oportuno remedio obtinendo humilimas ac devotissimas preces fundere. Et quamvis minime dubitem, Sanctitatem Vestram hujusmodi urgentissimis precibus suas sanctissimas ac benignas aures præbituram, negociumque ipsum paterne amplexurum, ne tamen et ego ex parte mea huic pio conatui defuisse videar, has meas qualescunque promotoriales una transmittere volui, Sanctitatem V. enixe ac submisse interpellando, ne huic evidenti ipsius Monasterii necessitati deesse, sed ipsi sua Pontificia ac spectata liberalitate, qua ut plurimum Germanicam nationem complecti solet, benigne succurrere, ac incumbentia onera aliquantulum alleviare velit, ut tandem iterum respirare, ac in Monastico instituto (uti hactenus) indesinenter ad laudem Dei Omnipotentis, et incrementum Catholicæ religionis perseverare valeat. Quod sane ego vicissim solita mea in Sanctitatem Vestram et Apostolicam hanc Sedem pietate et observantia, per omnem occasionem promereri sedulo conabor; cui omnia prospera ac felicia a Deo Optimo Maximo ex animo precatus, me reverenter ac humiliter commendo et offero.

Datæ in Civitate mea Græzensi, decima

quarta die Aprilis, anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo primo.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ
Obsequentissimus filius
Carolus Dei gratia Archidux Austriæ,
Dux Burgundiæ etc. Comes Tyrolis etc.
Carolus.

XVIII. — Gregorius tot Caroli Archiducis in Ecclesiam Catholicam meritis, suæ gratulationis et laudis officia diutius ab se deberi non posse statuit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. IX. ep. 91. f. 372.

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte filii Nobilis vir salutem etc. Quæ a Tua Nobilitate publice fuerunt in Conventu acta et decreta, Catholicæ religionis causa, tam grata Nobis acciderunt, quam possunt esse ea, quæ pertinent ad Christi gloriam, ad animarum salutem, ad tuam ipsius laudem: hæc autem summa laus est optimi Principis in Catholica religione educati et nati; hanc ipsam sanctam Religionem quam commendatissimam habere. Hortamur igitur et rogamus, ut ea ipsa capita, quibus Catholicæ religioni prospectum est, facias quam diligentissime servari, ut inde possit is fructus percipi, quem incredibiliter optamus ad Dei gloriam, Catholicæque Ecclesiæ suæ dignitatem atque amplitudinem. Cætera ex dilecto filio Germanico Malaspina Nuntio nostro cognosces. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Januarii MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno nono.

Eidem præterea res Catholicæ religionis Pisini commendat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 3. f. 2

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis Venerabilis fratris Episcopi Parentii cognovimus, in ea parte suæ Diœcesis, quæ Pisini in tua ditione est, tentari nonnulla adversus Catholicam religionem. Obsistendum omni ope est impiorum audaciæ: scribimus ad dilectum filium Germanicum Malaspinam Nuncium nrum, mandamusque ei, ut hac de re cum Tua Nobilitate agat, cujus igitur verbis fidem tribues. Certum autem habemus, Nobilitatem Tuam omnia remedia adhibituram: id enim tua virtus et pietas præstantissima pollicetur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Maji MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno decimo.

XIX. — Ob ea, quæ pro religione Catholica in Conventu generali Archidux Carolus egerat, Protestantium animos ita in se concitaverat, ut sibimet ab eorum furore cavendum esset. Quamobrem Pontifex Cæsarem ipsum etiam atque etiam rogavit, ut patruo suo in comprimendis ejus ditionis hæreticis opera et consilio præsto esset. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. IX. ep. 101. f. 386.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho, Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Quæcumque facultas Catholicis Principibus tribuitur, suam erga Deum pietatem et zelum declarandi, semper eam debent in summi beneficii loco ponere, oblatamque cupidissime amplecti, neque filiis tenebrarum concedere, ut majore illi studio versentur in Catholica religione oppugnanda, quam ipsi in tuenda. Hoc et intelligere et velle Majestatem Tuam, prudentia et pietas tua spectatissima Nos dubitare non sinit. Hujus autem voluntatis et pietatis explicandæ, summa nunc tibi facultas datur in dilecto filio Carolo, Archiduce Austriæ patruo tuo, adversus hæreticorum impietatem tuendo. Abalienati sunt miseri propter decretum ab eo Principe in communi Conventu pro Catholica religione editum. Illos autem ægre tulisse, eo decreto non minima ex parte Catholicæ religioni prospectum fuisse, mirandum non est; sunt enim huic ipsi Religioni hostes infensissimi atque importunissimi; ausos vero esse sperare et conari, te Imperatore hujus ipsius Religionis observantissimo, Sanctæque Ecclesiæ advocato et defensore vigilantissimo, et Dei gloriæ studiosissimo, Christi causam convellere, seditionemque concitare, hoc vero intolerandum est. Spectat hæc illorum audacia ad defectionem; potestque hæc pestis, nisi obsistitur, inque ipso exortu opprimitur, grassari quam latissime, primum ad prohibendum, ne quid unquam pro Catholica religione decernatur, tum ad vetera decreta evellenda, deinde ad universam Catholicam religionem tota Germania, quod quidem infælices illi jamdiu moliuntur, ejiciendam; postremo ad ipsos etiam Catholicos Principes destituendos et prodendos. Prohibeat Deus hoc tantum malum, sed humana etiam consilia sunt adhibenda, neque committendum, ut sceleratorum furor atque audacia videatur ali patientia et immunitate. Extrema omnia erunt pertimescenda, siquidem fertur, ut hæretici audeant Catholicorum Principum sese imperio subducere, et antiqua tributa persolvere recusare, quia dicant se decreto aliquo Catholico læsas fuisse. Rogamus igitur atque obsecramus Majestatem Tuam, ut in hac tanta necessitate, tamque gravi non ipsius modo Archiducis, sed totius etiam Germaniæ rerum periculo, Principum pietate et propinquitate Majestati Tuæ conjunctissimum, conjunctissima in causa tum per literas confirmes, tum omni auxilio juves, nec quidquam huic negocio tam gravi, tam necessario, tam

Deo accepto anteponendum putes. Non dubitamus de illius constantia, sed frangenda est etiam impiorum audacia. Id efficiet Majestas Tua causa ipsa una cum cæteris Catholicis Principibus, quos paratissimos habebis, suscipienda. Cadent hoc facto animis perfidi, Divina ope destituti, neque humanis auxiliis magnopere freti, cumque ipsi in tanta sectarum et dogmatum repugnantia, neque animis neque religione inter se consentiant, tantum adversus Ecclesiam Catholicam conspirent, sentient, Majestati Tuæ, cæterisque Principibus Catholicis neque voluntatem neque vires deesse, ad hanc ipsam Ecclesiam, in qua nati atque educati estis, tuendam. Nihil longius habemus, quam dum audiamus, Majestatem Tuam tanto studio, et charitate hanc tam præclaram Deo inserviendi facultatem amplexam esse, quantam causæ ipsius gravitas atque æquitas postulat, tuaque virtus et pietas eximia pollicetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Februarii MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno nono.

XX. — In ea luctuosissima omnium rerum perturbatione valde Pontificis animum recreavit Othonis Henrici, Ducis Brunsvicensis, ad Ecclesiam Catholicam reditus. Cum eo igitur de tanta a Deo accepta gratia Gregorius ex animo gratulatur, hortaturque, ut in hac sanctissima fide excolenda ac retinenda perseveret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. IX. ep. 151. f. 128.

Dilecto Filio Nobili Viro Othoni Henrico, Duci Brunsvicensi et Lucemburgensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil esse optabilius, quam ut Dei gloriæ ab omnibus inserviatur, necesse est fateri omnes, quicunque mente et ratione sunt præditi. Id vero alio pacto præstari non potest, quam si Deus pure sancteque colatur. Colendi autem ratio non in hominum opinionibus sita est, sed in ea veritate, cujus lumine immensa Dei bonitas Ecclesiam suam usque ab Apostolis illustravit; sic enim colendus est Deus, ut ipse coli vult, non ut hominum quotidie insania comminiscitur. Lumen autem hoc Catholica fides appellatur, quod quidem nomen nulla omnino hæreticorum secta sibi vendicare potest: sunt enim recentes omnes, inter seque dissidentes, conflatæque ex veteribus erroribus, millies jam in Catholicis Conciliis damnatis. Quibus quidem erroribus detestatis, Nobilitatem Tuam pie sancteque Deum colere, Catholicæque et Romanæ Ecclesiæ dogmata verissima, atque ab Apostolorum usque temporibus ducta, semperque inviolate retenta amplecti, tantopere lætati sumus, quantopere Nos lætari oportet Dei gloria, syncero ipsius cultu, tuæ ipsius, hoc est viri nobilissimi et clarissimi salute. Libet hic ascribere ad tuam consolationem verba Sancti Augustini, quibus describit, quæ sit Catholica Ecclesia, et quibus de causis ei affixus sit. Tenet me, inquit, in Catholica Ecclesia consensio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dñus commendavit usque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum; tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista sola Ecclesia obtinuit, ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere. Rogamus, Charissime Fili, ut nunquam ex animo tuo excedat summa Dei erga te benignitas, utque in ejus charitate exultes, quandoquidem tuo nomini, non tantum Nos et boni omnes, sed ipsi quoque Angeli exultant, cumque fidei synceritate conjungas etiam vitæ, ac morum sanctitatem, sicque ad sempiternam beatitudinem contendes, ad quam a Deo vocati sumus, quod ut ejus bonitas tibi largiatur, toto pectore precamur. Cætera ex Venerabili fratre Octavio Cerviensis Ecclesiæ Episcopo, nostro et Sedis Apostolicæ Nuncio ordinario, viro præstanti doctrina, prudentia, integritate prædito cognosces, ejusque verbis fidem tribues. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima octava Aprilis MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno nono.

Quam jucunda grataque Duci sancta Pontificis monita ceciderint, quantaque cum animi alacritate se Catholicam fidem retenturum promiserit, ejus litteræ palam faciunt: quibus illud etiam Pontificem rogavit, ut suarum rerum rationem habere vellet. [*]

[*] Germania. Vol. 13. fol 208.

Beatissimo in Christo Patri ac Dño, Domino Gregorio XIII. Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Dño Meo Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine, Domine mi Clementissime.

« Post humillimam mei commendationem, filialem perpetuamque observantiam, ac pedum oscula beatorum. Breve Sanctitatis Vestræ, plenum revera omnis gratiæ, plenum pietatis atque doctrinæ, nec non paternis undique admonitionibus clementissimisque oblationibus refertum, per manus Reverendissimi D. Octavii, Cerviensis Episcopi, summa qua decet reverentia accepi. Affecit autem illud animum meum incredibili quadam lætitia; quid enim magis charum magisve gratum, aut quid quæso omni plausu exultationeque magis dignum cuiquam contingere posset, quam acquisivisse sibi summum totius Christianitatis Pontificem, Christi nempe

Salvatoris nostri Vicarium, adeo benignam adeoque favorabilem, ut ei et corpus et animam, cœlestia simul ac terrestria bona singula concredere, committereque ausit? Magnum mehercule decus, magna consolatio, magnum denique ac prorsus satiabile refugium mihi illud, etiam necessitatibus angustiisve olim oppressus quibuscunque; continet namque non solum Sanctitatis Vestræ de spontaneo meo ad veræ Ecclesiæ gremium reditu, benignam congratulationem, sed etiam ob non declinandum amplius ab eo, religiosam admodum, mihique adprime salutiferam exhortationem; pro quibus sane omnibus ac singulis Sanctitati Vſtæ demissas humillimasque gratias ago; ac quantum ad prælibatam congratulationem attinet, eam ex singulari quodam Sanctitatis Vestræ amore atque benevolentia erga me filium ejus obedientissimum, ac tanquam perditam antehac, nuper vero gratia Dei rursus inventam Christi gregis oviculam, profectam esse neutiquam dubito. Quæ vero ad facti mei confortationem spectant, velim Sanctitas Vestra omnino sibi persuadeat, paratum me esse mori, ac quævis mala pati, omniaque alia subire discommoda potius, quam de semel cepta Orthodoxæ fidei agnitione desciscere: quod quidem ut ita sit, sanguinem etiam pro ea, necessitate ita requirente, effundere, non modo non abhorreo, sed promptum ultro me offero. Præterea, de vitæ morumque meorum honestate quid dixerim, tali innocentiæ condecentiæque, divino auxilio adjotus, studebo, ut et Sanctitatis Vestræ et Catholicorum bonorum omniom expectationi pro viribus respondisse videar. Cumque Sanctitas Vestra, de benignissimo tuendo honore, cæterarumque rerum mearum temporalium incremento liberalissime promovendo, gratiosam valde mentionem faciat, existimo quidem eam non ignorare, quantum nunc mei intersit, Sanctitatis Vestræ benignum auxilium atque patrocinium reipsa experiri; etenim quid ob conversionem illam meam Catholicam, quoad temporalia, maxime vero hæreditaria, perdiderim, plus satis omnibus innotescit; quoniam tamen nihil tale existat, quod Sanctitas Vestra, solita sua liberalitate consiliique altitudine vincere ac soperare (dommodu velit) non queat, obsequentissime eandem rogo, dignetur mei paternam clementissimamque hac in parte rationem ducere. Fore enim non dubitet, ut quicquid beneficii, ac pro ampliori conservatione status mei, gratiæ atque propensionis in me contulerit, apud gratum et oememorem filium collocatom fuisse, abunde intelligat; quod ipsum cum dico, via necessarium opinor, eam jugi solicitudine terrarum orbi consulentem, longiore sermone detinere. Deus Optimus Maximus cujus providentia Sanctitas Vestra rebus mortalium sublevandis consulit, idem eam nobis et quam maxime longævam esse velit et fœlicissimam. Sanctitati denique Vestræ me quod superest per quam humillime commendans. Datæ Oeniponti, XXVII. die Julii mensis, anno Domini MDLXXXI.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
Otho Henricus Dux Brunswicensis
et Luneburg. m. p.

XXI. — Quintum jam annum Abbatis Fuldensis causa in jodicio pendebat, ac pejor fieri visa est, culpa quidem, ut is recte minus asserebat, Herbipolensis Præsulis. Quam ob causam Abbas rursus a Pontifice miserabiliter efflagitavit, ut ipse, ea cujus auctoritate omnium judicio optimus causæ exitus penderet, Cæsarem urgeret vehementius: vel si mallet, aut oporteret, pœnarum ecclesiasticarum comminatione ad Principatum sibi restituendum adigeret. [*]

[*] Germaniæ Vol. 35 fol. 11.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Gregorio Papæ XIII. Domino Suo Clementissimo.

« Post sacrorum pedum oscula, et humillimam mei meorumque obsequiurum commendationem.

« Sanctissime Pater, Sanctitatis Vestræ Apostolicum Breve 17. Junii datum eo majori consolatione legi, quo magis ex adversariis quidam nullo utique argumento, sed suis artibus fisi, alienationem Sanctitatis Vestræ a me sibi pollicebantur. Quod enim plerique omnes intelligant, ea causa me et initio oppugnatum et nunc affligi, quod Sanctitatis Vestræ prudentissima et pientissima consilia secutus, Sanctæ Sedis Apostolicæ dignitatem et voluntatem, omnibus meis commodis prætulerim, gaudeo, quoties consilio, consolatione, aut auxilio a Sanctitate Vestra præstito illis os obturatur, qui vel suspicantur, vel in odium Sanctæ Sedis fingunt me omni ope humana destitutum, insuper a Sanctitate Vestra esse desertum. Ego quin restitutionem meam Sanctitas Vestra velit, nunquam dubitavi; quod eam pro summa sua auctoritate curare possit et sola possit, id omnes loquuntur, adeoque qui suum, imo Germaniæ periculum in hac causa vident, me hortantur sedulo, solicite ac indesinenter, paternam Sanctitatis Vestræ opem implorare; consiliis non indiget Sanctitas Vestra, ea tamen diversa hic suggerentur.

« Primo, ut Sanctitas Vestra hortetur Herbipolensem, quo ad certum terminum præfixum omni jure, qood in Abbatiam Fuldensem falso prætendit, se abdicet: scribat etiam Capitulo Herbipolensi, ot de hac re cum Episcopo agat et in eventum alicui commissio detur, termino elapso nomine Sanctitatis Vestræ excommunicationem promulgandi. Quibus et addi possint, si quæ alia oportuna a Vestra Sanctitate judicentur, ut ante sententiæ excommunicationis pro-

lationem Episcopus in bonum suum terrore salubri commoveatur, ad quod nunc tempus ipsum juvat Franconibus alioquin minus pacatis: primum hoc est consilium. Altera via talis proponitur, ut Sanctitas Vestra cum pientissimo Cæsare agat, quo hujus permissu causæ cognitio Sanctitati Vestræ committatur: hoc esse cum per se æquum, tum Cæsari honori fore, si pro sua filiali obedientia et pietate judicium, quod est inter Ecclesiasticos de re Ecclesiastica, Sanctitati Vestræ permittat. Sic quoque decretum Cæsaris Viennæ datum, quod juris cognitionem exigit non violari, sed judicem tantum mutari. Quod unum si Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarii intelligant salvum, creduntur cupide se ab hac causa liberaturi.

« Si neuter præcedentium probetur, tum tertius modus hic datur, ut dignetur Sanctitas Vestra cum literis frequentibus, tum continuo per suum Apostolicum Nuntium, viva voce statum hujus causæ Cæsareæ Majestati non explicare modo, sed ut magni viri loquuntur, oportune et importune inculcare.

« Existimat pientissimus Cæsar (neque permittitur a me aliter edoceri) quod status causæ sit, ut ego probem vim mihi ad Herbipolensi illatam, atque cum is causæ status credatur, judicat Sacra Cæsarea Majestas ante causæ cognitionem, restitutionem non posse decerni. Vere autem, Beatissime Pater, ego Episcopum de vi non insimulo, spolium quod vi meorum, ipso præsente, ablatum ad se receperat, initio repetivi, quod cum in manus Cæsaris restituerit, nulla mihi est cum ipso actio. Quod cum ita sit, ex mea parte decreto Cæsaris, quod processum summarium juridicum inter nos exigit, satis factum est. Si Episcopus de injuriis, uti ait, me convenire velit, nihil impedita Cæsarea Majestas, quin interim mihi ditionem meam restituat. Nec hic in ullo lædet Cæsareum decretum, maxime cum Cæsarea Majestas aperte reservarit sibi potestatem ante, post vel in processu me restituendi. Hæc si a Sanctitate Vestra pro illa summa, quam in Ecclesiam Dei habet auctoritatem, pientissimo Cæsari explicentur, repetantur, modis viisque oportunis et importunis inculcentur, creditur fieri vix posse, ut non ratione ipsa et auctoritate Sanctitatis Vestræ quod rectum est obtineat, meam scilicet restitutionem.

« Sive nunc Sanctitas V̄ra horum modorum aliquem, sive pro sua prudentia meliorem viam ingredi velit, id mihi persuadeo, me meamque causam eidem curæ et cordi fore. Quod enim ad me attinet, quinque annis exilium tuli in mea paupertate, quod ad causam ipsam est pessimi exempli, debilitat animos bonorum pastorum, ut pro Religione non audeant quantum deberent: auget audaciam malis, seditionibus fenestram aperit: demum ditio Fuldensis, quæ Sanctitati Vestræ merito curæ est, in temporalibus et spiritualibus perit. Hisce incommodis S. V. mederi posse omnes credunt; quod id hactenus non factum sit, varie interpretantur.

« Ego inter hæc me totum Sanctitati Vestræ humillime committo, at hoc saltem rogo, Apostolicis literis me quandoque exhilarare, et si quam rationem certam negotium hoc tractandi instituat, de ea me certiorem reddere dignetur, quo et ego modo quo possum, quæ oportuna hic videri poterint, exquiram et instituam.

« Feliciter valeat Sanctitas Vestra, quam Deus Dominus noster, id quod orare non desino, ad Ecclesiæ totius utilitatem quam diutissime incolumem servet. Datæ Biberstein 24. Augusti MDLXXXI.

Sanctitatis Vestræ

Humilĩmus et obedĩmus filius

BALTHASAR ABBAS FULDENSIS.

Gregorius calamitosum virum solatur, jubetque bono esse animo: nihil enim ab se unquam prætermissum esse, quod quidem ejus causæ conducere posse cognoverit. Itaque ad eam certius expediendam se mandata Vercellensi Præsuli mox daturum, atque ad Cæsarem ipsum, quam fieri accuratissime et vehementissime posset, scripturum eidem significat. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 101. f. 71.

Dilecto Filio Balthasari Abbati Fuldensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Semper fuit Nobis molestissima tua ejectio propter rei ipsius indignitatem, et Catholicorum Pastorum Catholicæque Religionis periculum, cui exitium a sceleratis imminere semper judicavimus, nisi eorum audacia coerceatur, et quod adversum te impie a seditiosis factum est, tua restitutione resarciatur. Hac de re ad charissimum filium nostrum Rodulphum, Romanorum Imperatorem Electum scribere, cumque paterne et monere, et hortari, et rogare nunquam cessavimus, quod quidem tibi perspectum esse certo scimus. Nunc etiam ad eum scribimus; hoc enim melius, breviusque judicamus, quam nova aliqua restitutionis obtinendæ ratione uti, iis scilicet de causis, quas tecum ipse pro tua prudentia poteris cogitare; neque enim omnia perscribere est necesse. Scribimus autem, quanta contentione possumus, ut te restitui jubeat, nec rem diutius distrahi patiatur. Scribimus etiam ad venerabilem fratrem Joannem Franciscum Episcopum Vercellensem, Nuncium nostrum, ut nostras literas Rodulpho det, cumque eo de tua restitutione diligentissime agat, quod quidem Nuncium omni studio facturum esse non dubitamus; est enim vir prudens, et recti æquique studiosissimus, et christiana charitate ac zelo. Curabis igitur, ut hujus negocii a tuis certior fiat, eique communicentur

omnia, quæ ad hanc causam pertinere intelliges; habebis hominem paratissimum, inque hoc negocio diligentissimum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Novembris MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno decimo.

Et re quidem vera, quod promiserat Gregorius, cumulatissime præstitit, ut videre est ex his ad Cæsarem litteris, tanta verborum et sententiarum gravitate, tantaque animi contentione conscriptis, quanta vix, aut ne vix quidem cum Cæsare de gravissima quaque re agere solitus unquam fuerit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 102 f. 93.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho, Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Sæpius jam scripsimus Majestati Tuæ de restituendo dilecto filio Abbate Fuldense; dolemus gravissime id hactenus factum non esse. Nunc vero putamus aut hominem aut causam ipsam indignam esse cui provideatur, aut nostram commendationem et sollicitudinem contemni. Nam et Abbas vir optimus est, Catholicæque Religionis et Dei gloriæ studiosissimus, Tuæque M. observantissimus, et causa gravissima propter rei ipsius indignitatem et facti atrocitatem; si enim hoc toleratur, ut optimi pastores factionibus ac seditionibus opprimantur, actum omnino de Religione est, quod quidem, te Imperatore, expectandum non est. Nostras autem commendationes cæteris in rebus plurimum semper apud Majestatem Tuam valuisse, perspectissimum habemus. Quid vero aliud possit in hoc negotio impedimenti esse, videre non possumus. Nam sive hujus sive illius culpa Abbas spoliatus est, eum certe restitui oportet, neque improborum audaciam diuturniore patientia ali tanto cum bonorum omnium dolore, hæreticorum autem atque exitiosorum hominum gaudio: sic enim certissimis testimoniis cognovimus, in ea Diœcesi hæreses et vitia in dies crescere; tam probum autem et tam Catholicum virum, tamque idoneum ad ea mala comprimenda, apud Majestatem Tuam locum justitiæ et misericordiæ invenire, æquissimum est, idque boni omnes sperant, sed interim dilatio exitiosissima est. Nos certe omni cum veritate confirmare possumus, Abbatis calamitatem, et miserum ejus Diœcesis statum, incredibilem Nobis dolorem afferre. Rogamus igitur Majestatem Tuam, quantum possumus, quantumque causæ ipsius gravitas flagitat, et tua pietas eximia pollicetur, ne patiaris provinciam illam diutius in summo discrimine versari, Abbatemque ipsum spoliatum, atque ejectum in miseria vivere, sed cum quamprimum restitui cures. Omnia fusius ex venerabili fratre Episcopo Vercellensi, Nuncio nostro, cognosces. Gratissimum Nobis erit, si ejus verbis omnem fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Novembris MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno decimo.

XXII. — Nusquam alibi per Germaniam res Catholicæ tam afflictæ ac pene profligatæ jacebant, quam in ea Lusatiæ provincia, quæ Electori Saxoniæ parebat. Cum enim ille Princeps dux atque patronus esset Lutheranismi, adeoque acerrimus Ecclesiæ Catholicæ hostis, omnia agere conatus est, ut illud tantulum evanescentis Catholicismi vestigium, quod supererat, ex illa provincia deleretur. Quod ergo Capitulum Ecclesiæ Budissinensis, quæ jurisdictioni Episcopi Misnensis subjecta erat, in fide Catholica perseveraverit, ad instar miraculi haberi debet, vel certe quidem singulari Dei beneficio adtribuendum. Quid enim boni, vel potius quid mali non fecerint illi Episcopi, (quorum postremi fuere Nicolaus a Carlowitz et Joannes ab Haubitz) qui Electoris gratiam sequuti sint, ac propterea, cum fidem suam non probarent, nunquam confirmationem a Pontifice impetrare potuerant? Joanne autem vita functo, Dux Saxoniæ filium suum Augustum, in hæresi natum atque educatum, Episcopum Misnensem renuntiari jusserat, qui, ut res ferebat, omnia ad Lutheranorum placita composuit gubernavitque. Itaque factum est, ut, Capitulo etiam Budissinensi virum falsis Neotericorum dogmatibus infectum Præpositum cum obtrudere voluisset, illum de gradu dejecerit, qui id muneris magna cum laude, maximoque rei Catholicæ bono obtinebat, et Nicolao a Carlowitz Misnensi Episcopo, speciem adhuc Catholici præ se ferenti, Episcopus, ut ita dicam, Vicarius datus fuerit. In hoc igitur tam exitiali illius Ecclesiæ periculo Leisentritius, id erat legitimo huic Præposito et Decano Budissinensi nomen, ad Pontificem confugit, et tristissimo suæ Ecclesiæ statu exposito, supplicat, ut, quid sibi in hac tam subita rerum commutatione, tantoque discrimine cogitandum agendumque sit, pro sua auctoritate edoceat: sese quidem id religioni Catholicæ expedire unice intelligere, si provincia Lusatiæ omnino ab sacra Episcopi Misnensis jurisdictione disjungeretur, administrator imponeretur, pensione annua ex reditibus monasteriorum adhuc existentium eidem assignata. Quæ consilia cum idem Præpositus Cæsari etiam communicasset, Pontificem orat, ut hoc negotium ei commendatissimum esse per se vellet. [*]

[*] Germania Vol. 15 fol. 211.

Sanctissimo Patri ac Domino, Domino Gregorio XIII. Romanæ atque Catholicæ Ecclesiæ Præsidi Vigilantissimo, Domino Suo Clementissimo etc.

Beatissime Pater.

Post devota pedum oscula.

« Nescio sane, quo facto hactenus factum fuerit, ut R̃mi Sanctitatis Vestræ Nuncii vel immaturo avocati fuerint, vel etiam summo omnium cum luctu lucis usura privati. Sperabamus profecto istius Nuncii, jam pridem præter opinionem nostram demortui (piæ memoriæ) singularem humanitatem et rerum experientiam, quarum ista omnium ore prædicata mihi innotuit, illa vero ex litteris illius cognita, nostrum animi dolorem ex antecessoris domini Nuncii de Mala Spina profectione conceptum, mitigaturam aut omnino sublaturam; nunc (proh nos infœlices) vulnus illud nobis antea inflictum ac parum sanatum omnino recrudescit, nullamque solatii medicinam admittit, neque etiam posse sanari videtur, donec maturo substitutus Nuncius alter pari humanitate, prudentia ac rerum usu perfectissimo illi medeatur. Jam omnino rerum nostrarum natura et conditio postulabat, ut Apostolici Legati consilio et authoritate uteremur, abest vero ille nunc cum magno nostro incommodo ac multo gravissimo periculo, cujus certe adventum Collegiatæ Ecclesiæ nostræ Budissinensis in superiori Lusatia sitæ, calamitas periculosa non poterat tuto præstolari. Quare cum moram et dilationem pati nequeat, non aliud medium mihi in hac rerum perturbatione incidebat in animum, nisi ut Sanctitati Vestræ rem omnem plene et libere exponerem ac consilium implorarem; quæso vero Sanctitas Vestra hoc meum scriptum naturali et ingenita paternitate suscipiat, ac ea clementissime examinet, quæ ego breviter sum explicaturus.

« Anno a Christo nato, millesimo quingentesimo et quinquagesimo octavo, magna et inopinata Episcopi ac ipsius Episcopatus Misnensis mutatio ab Electore Saxonico promanavit, ut illius rei satis liquida etiamnum extant documenta, unde hoc etiam natum est, ut idem per Visitatores et Superintendentes suos Episcopalem authoritatem tum in Misnia, tum in Saxonia sibi attribuerit, ausus in Ecclesiis iisque Parochialibus et Collegiatis, ac etiam extra illas, nova et ante inusitata introducere, ac fidem Catholicam penitus fere abolere.

« Et cum uterque Marchionatus, superioris et inferioris Lusatiæ, Episcopatui Misnensi in spiritualibus semper fuerit incorporatus, ut qui ne hoc quidem adhuc temporis puncto legitima authoritate ab illo sit separatus, prædicti etiam Visitatores Saxonici utriusque Marchionatus Ecclesiasticam jurisdictionem conabantur arripere.

« Hoc cum antecessoribus et nunc quidem sempiterno ævo fruentibus, Ferdinando et Maximiliano Cæsaribus innotuisset, ipsi certe rebus et illarum cohærentiis accurate et attente examinatis, sibi et toti populo non integrum esse putaverunt, ejusmodi Electoris proposito connivere.

« Nam cum idem religionem esse putet, atque adeo ipsum nefas exteris, seu, ut vocant, Papisticis extraordinariis spiritualibus, in sua ditione aliquid authoritatis et juris concedere (licet magnum in ea jus habentibus), profecto non erat æquum, neque jam etiam par est, Saxonicorum Visitatorum irruptiones, et religionis ac cæremoniarum Lusatiæ reformationes novas et perniciosas tolerari. Turpius enim ejicitur, quam non admittitur hospes, in magnum præjudicium et dispendium religionis Catholicæ.

« Quanquam vero ad frequentes Capituli nostri Budissinensis solicitationes, Episcopus Misnensis in Lusatiarum Marchionatu anno 1560. Vice-episcopum me constituerit, ut in copiis fideliter extractis et translatis ac A. et B. signatis id demonstratur, ego tamen eam Vice-episcopalem personam (ut Deum testor) non alia de causa suscepi et hactenus sustinui, nisi ob hoc solummodo, ne inimici nostri emergerent, ac nobis dominarentur; ac ob id vel maxime, ne religionis Catholicæ qualescunque reliquiæ tam misere interirent.

« Hoc cum Elector Saxoniæ atque adeo vulgus ipsum cognovisset, confestim Misnensi Episcopo injunxit, ut hanc factam constitutionem aboleret, id quod Episcopus suis in litteris C. signatis tacite et tecte insinuat. Ego vero fraudem ejusmodi subodorans, illico ab Apostolico Legato inhibitionem impetravi, cujus exemplum cum D. signatum est, qua nos non solum defendi, verum etiam Visitatorum conatibus, magnis licet sumptibus, quos spe illa, quam mihi promissa Imperatoris (largæ memoriæ) concitarant, adductus exponebam, et cum maximo vitæ meæ periculo usque repugnavi, donec Ferdinandus et Maximilianus ac demum etiam Serenissimus D. Rodolphus Imperatores administrationem Ecclesiasticam in Lusatia ad sese derivarint, et prædictis Visitatoribus totam Lusatianam jurisdictionem ecclesiasticam nova coordinatione præripuerint, ut in illorum mandatis E. et F. signatis patebit.

« Et cum etiam illa mala rursum jam pullulare, ac majus etiam periculum minari videantur, propterea quod superiori septimana Corporis Christi Elector Saxoniæ quædam cum Episcopo Misnensi de Episcopatu satis incommode ac injuriose egerit, ut ex copia cum G. signata intelligitur, et cum operis illius executio quotidie immineat, ut Episcopus Misnensis Episcopatum Capitulo Misnensi (in quo ne unicus quidem existit Catholicus) specioso sub prætextu debeat resignare, quod Capitulum Misnense Electoris filium Christianum in Episcopum elegerit ac postularit; est jam profecto, cur Episcopus administrationem Ecclesiasticam in

utraque Lusatia repentina quadam rerum mutatione mihi abroget, id quod copia cum litera H. signata edocet.

« Atqui ut ingenue fatear, diffiteri non possum, mihi certo non constare ceu homini parum exercitato, quid sit aut faciendum aut omittendum; nam hoc planum est, utramque Lusatiam Episcopatui Misnensi esse incorporatam, ac etiam Capituli nostri quosdam pagos et bona quædam Electoris ditioni subjacere. Nam et mea pinguiora beneficia ceu reditus spiritales, quos in hoc administrationis officium fideliter exercendum ut plurimum contuli, ego ipse sub Electore possideo, quæ mihi adversarii jam retinere conantur et moliuntur, unde non levia nobis pericula sunt pertimescenda, propterea quod hisce beneficiis privatus huic officio præesse diutius non potuero, nisi Imperator alia nobis media sit prospecturus.

« Quare illud vel maxime contendo, si Episcopus Misnensis ulterius a me ejusmodi jurisdictionem Ecclesiasticam, nec non Sigillum Commissariatus, vel officii administrationis Ecclesiasticæ apud me depositum repeteret, ut me velit Sanctitas Vestra facere literis certiorem, quid agere, aut quid etiam ad istas literas respondere debeam. Vel etiam si ipsemet Christianus Electoris filius aut per se, aut per alios suos Commissarios, ratione Episcopatus Misnensis, a nobis et aliis Pastoribus possessionem et obedientiam esset requisiturus, quid a nobis agendum sit, ne in opere nostro aut excessus aut intermissionis notam incurramus, vel etiam contra expressum mandatum et fiduciam Cæsareæ Majestatis, quæ in copia cum F. notata continetur, peccemus. Deinde vero sciamus oportet, quanam ratione et a quo tutelam et defensionem implorare, impetrare et expectare debeamus; nostrarum enim provinciarum Cæsarei gubernatores verentur admodum atque adeo gravantur, causas Electori contrarias suscipere et defendere.

« Ac etiam profecto necesse est, ut Imperator Administratori ecclesiastico in Lusatia annuum Deputatum coordinet, quo itinera necessaria commodius possit perficere, ministrosque alere, ac currus et equos curare et conservare. Nam revera plane cognosco, ejusmodi sumptus, quales annis plus minus viginti tribus ex meo proprio peculio exposui, jam fore meæ facultatulæ omnino impares, nec me propter inopiam ad negocia tam ardua et difficilia satis esse sufficientem. Quare humilime rogo, ut Sanctitas Vestra hoc apud Imperatorem nostrum literis agere et tractare dignetur, quo sua liberalitate hoc officium, quod honorem Dei quærit ac salutem animarum aucupatur, adjuvare et conservare velit.

« Sed et hoc Sanctitati Vestræ informandæ aperire plane cogor, Episcopos Misnenses non solum nostræ Budissinensis, verum etiam aliarum Lusatiæ Ecclesiarum et Monasteriorum, præsertim Monialium adhuc florentium esse fundatores, quarum maxima jura et privilegia penes illos hactenus semper fuere, et ab illis usurpata.

« Jam vero Christianus Electoris filius in Cathedrali ecclesia Misnensi possessionem Episcopatus adepturus, cum causam suam legitimæ postulationis seu Electionis Episcopalis prætextu exornare, ac jure isto sibi cum reliquis Episcopis communi non solum Præposituram Budissinensem, quam alias jure Patronatus conferre habet, verum etiam reliquas ejusdem nostræ Ecclesiæ Prælaturas, Canonicatus et Vicariatus aliis exteris pro suæ rationis et ductu et libitu distribuere possit, ac in cæteris etiam Beneficiis privilegium idem sibi, vi et impetu suorum Visitatorum exemplo, qui idem facere solent, absque dubio sit vendicaturus, perplexi certe sumus animo, quid sentire, aut quid ad hæc aggredi et inire consilii debeamus: nam et præter hæc omnia Elector Saxoniæ, ut ante commemoravi, jure patronatus Præposituram confert, et eam ejusmodi hominibus confert, quos inviti et summo cum dolore suscipere cogimur, sine aliqua repugnantia, ne multo gravissima nos deinde pericula maneant.

« Quanquam vero etiam Consistorii Budissinensis constitutionem, cujus coordinandi Præpositus Budissinensis potestatem habeat, initio mutationum, statim ad nos derivaverimus; illud Præposito heretico non committentes, ob multa incommoda, quibus erat præveniendum, ut qui etiamnum reditibus duntaxat gaudens, neque in Ecclesiam neque ad Capitulum admittatur; tamen jam quorumdam Visitatorum et Superintendentium proposita et consilia eo spectant, ut in ædibus Præpositurae Bussidinensis novum Consistorium, idque nomine Electoris insignitum, exstructuri esse videantur, ac eo commodius utrumque Marchionatum in spiritalibus gubernaturi, totumque regimen Ecclesiasticum captaturi.

« An vero jam quis erit, qui non videat, quanta mala Imperatoris populo et regionibus, ac ipsi religioni Catholicæ ingruerent, si iste illorum conatus non maturo impediretur?

« Etsi vero hæc omnia pericula non melius declinari posse mihi quidem videantur, nisi per maturam et festinam separationem Lusatiæ utriusque ab Episcopatu Misnensi, antequam ab invadentibus omnino opprimamur, aut etiam ab Catholicis laicis per impatientiam adversitatum defecturis deseramur, tamen ego consilium et resolutionem Sanctitatis Vestræ humilime expecto. Quod medium si Sanctitati Vestræ probabitur, hoc est, si Lusatia nostra tam Apostoli-

ca, quam Imperiali authoritate ab Episcopatu Misnensi separabitur, ac Ecclesiasticæ jurisdictioni Administrationis non solum laici, verum etiam secundum constitutionem Concilii Tridentini, tum sæculares tum religiosi Sacerdotes et Monasteria, postulante etiam hoc locorum nostrorum conditione, subjacebunt, tum demum obsecro, cum Electoris Visitatores summa pecuniarum abundantia officio suo invigilent, au nobis sumptuum concertatione longe antecellant, ut Sanctitas Vestra hoc apud Imperatorem nostrum intercessione vel potius authoritate sua dignetur efficere, quo annus provisione Administrationis officium quam primum stabiliatur et instauretur, cum id nullo cum negocio, aut Imperatoris jactura fieri possit. Nam præsertim in inferiore Lusatia quorundam Monasteriorum aliquot extant non contemnendi reditus, fundi, agri et subditi, quæ bona laici neque cum Apostolico neque cum Cæsareo consensu invaserunt et occupant, magisque ad vitæ splendorem et voluptatem, quam ad honorem Dei conferunt. Illis certe beneficiis, si ad administrationem Ecclesiasticam converterentur, multæ et infinitæ animæ Catholicorum possent conservari, atque ab importunitate et sævitia hæreticorum animicidarum defendi. Alioquin vero fieri non poterit, ut officio ita, ut par est, præesse, et incommodis variis ac animabus mederi possim.

« Sed nos Catholicos spes fovet humilima eaque certissima, cum oportuna Sanctitatis Vestræ accesserit commendatio et authoritas, Imperatorem fore eum, qui et huic officiu divino, et suis propriis periculis libenter sit prospecturus, ac Marchionatus suos Lusatiarum clementissime protecturus. Atqui enim nos istius beneficii memoriam perpetuo conservabimus, ac in orationibus nostris licet indignis, ardentissimis tamen, Sanctitatis Vestræ memores, ipsi omnem prosperitatem, vitam longævam ac felicissimum regimen a Deo efflagitabimus, clementissimam Sanctitatis Vestræ resolutionem obsecrantes. Hisce Sanctitati Vestræ, ad quam secundum Deum proxime confugio, me ac omnes mihi commissos, qui genua sua ante Baal nondum incurvarunt, fideliter et humilime recommendo. Datum Pragæ, ubi nunc propter idem negotium ecclesiasticum magnis et propriis sumptibus ago, die XIX. mensis Septembris anno Domini MDLXXXI.

Sanctitatis Vestræ.

Humilimus Sacellanus et servus
JOAN. LEISENTRITIUS Decanus
Budissinensis in superiori Lusatia mpp.

« Significandum etiam, Beatissime Pater, Sanctitati Vestræ esse putavi, qua forma et ratione Canonici Naumburgenses et Merschburgenses, simul etiam nunc Misnenses, Electoris Saxoniæ propositis conditionibus sese adstringere, et scriptis obligare debuerint. Cujus obligationis copiam sub literis I. et K. humilime transmitto hisce adjunctam; ex qua practicam in præjudicium Episcopatuum et ipsius Imperatoris excogitatam intelliget. Quod practice fieri ex hoc colligo, quia ipsis interdicitur, ne has conditiones sive obligationem alicui pandant; quam tamen a quodam ex istis Canonicis fido mihi amico impetravi, qui timide et caute eam ad instantiam meam et fidem promissam mihi communicavit.

« Humilime iterum obsecro Sanctitatem Vestram, ut benignissimo responso animum meum erigere dignetur, non enim exprimere verbis possum, quanta aviditate lupi, quibus circumvallamur, ad nos devorandos inhient: quare ut Sanctitas Vestra nobis sua matura responsione arma subministret, rursum quæso, quibus hostem cervicibus nostris imminentem depellamus. Hoc enim beneficium ad Sanctitatem Vestram cum magno vitæ æternæ fœnore aliquando redundabit.

Quibus artibus Misnensis Episcopi sectatores illas minime multas Sanctimoniales feminas, quæ medias inter dissidiorum tempestates de Religione ortas in fide Catholica manebant, corrumpere, atque ad Neotericorum dogmata allicere satagerent, idem Leisentritius Pontifici fuse exponit; petitque, ut earum imbecillitatis misertus præjudicatis opinionibus occurrat, jubeatque eas Capituli Budissinensis Canonicis dicto audientes esse. [*]

[*] Germania Vol. 61. fol. 296

Sño Dño Nro Gregorio XIII. Divina providentia Papæ, post oscula pedum beatorum orationes devotissimas et humilima obsequia et servitia.

« Beatissime Pater. Habita periculosissimorum temporum ratione, Sanctitas Vestra Capitulo Budissinensi aliquot præteritis annis hanc provinciam imposuit, ac etiam potestatem dedit, Moniales in Monasterio Stellæ Mariæ simul etiam Laubani in superiori Lusatia commorantes, ea, qua deceat, inspectione visitandi, quo ipsæ in veræ pietatis, timoris, pudicitiæ et obedientiæ debitæ officiis ad honorem Dei conservarentur, ut id subjuncta Sanctitatis Vestræ et ipsius Legati copia plenius explicabit. Cum jam vero palam sit omnibus, novam Episcopatus Misnensis mutationem per Electorem Saxonicum rursum (proh dolor) jam suborturam, cujus Episcopatus jurisdictioni istæ Moniales sunt incorporatæ et subditæ, sunt quidam nunc adversarii nostri acerrimi milleque artifices, qui suis verborum assentatiunculis eas aut omnino hæsitantes, aut rebelles efficere, ac nobiscum dissidiis committere conantur, etiamsi illarum sint nonnullæ antea, quæ ipsæmet rebellionis et contentionis studio cum dictis adversariis nostris asserant, dicentes:

« Capitulum profecto et Decanus Budissinensis bono et integro jure, ac pia salvaque conscientia hanc nos visitandi, regendi, corrigen-

di etc. potestatem usurpare minime possunt, eo quod neque ille neque alter quispiam eorum, qui conjuncti sunt Budissinensi Capitulo, aut ullum professi sint ordinem, aut unquam monachi fuerint. Quare eos neque virgines in probationem et ordinem recipere, neque eas investigare et velare, nec etiam aut Abbatissam aut Prioram aliquam eligere et confirmare, multo vero inconvenientius eas in necessitatis casu deponere, ac juxta B. Benedicti vel etiam S. Augustini Regularum determinationem, aut earundem laudabilem consuetudinem, debitæ disciplinæ subjicere posse asseverant.

« Hisce et id genus aliis sermonibus et persuasionibus ipsæ mirifice capiuntur, ac erga nos odiis accenduntur, unde non solum divina officia oscitanter perficiuntur, verum etiam multæ inconvenientiæ offendiculorum plenæ committuntur. Ac profecto verendum est, ne ex istis initiis maxima consequantur mala, nisi prudentia quadam illis præveniatur.

« Deinde etiam plane sibi persuadent dicentes: si Summus Pontifex serio rem ageret, ac id ratum esse cuperet, non solum Capitulo gubernationem, verum etiam nobis obedientiam per speciale mandatum injuncturus esset. Cum vero nondum factum sit, nec ad hunc usque diem fieri videant, non putant sibi esse morem Capitulo gerendum etc. Hæc verborum temeritas atque præpostera quædam inobedientia Catholicis hominibus, et mihi Decano non parum molestiæ afferunt, et profecto, ut verum fatear, hoc equidem labore et curis, si fieri posset, libenter supersederem, sed cum ad hoc a Sanctitate Vestra vocati et constituti fuerimus, non est consentaneum, ut absque venia et pace illius decedamus, et adversariorum conatibus locum demus.

« Quare Sanctitatem Vestram humilime rogamus et obsecramus, ut quid nobis hac in re sit faciendum, ex ingenita paternitate nos certiores facere, ac si ita consultum videbitur, speciale mandatum Apostolicum prædictis Monialibus transmittere, ac potestatem illarum visitandarum tum a Sanctitate Vestra, tum ab ipsius Legato nobis concessam renovare et confirmare dignetur, ut sciant certo, cujus regimini Ecclesiastico seu Visitationi sese debeant subjicere. Nihilominus tamen speramus Sanctitatem Vestram a tam fragili genere hominum, utpote misellis Monialibus, voluntatem suam non abalienaturam esse, sed quamprimum resolutionem daturam. In cujus patrocinio benignissimo tuendos nos ac dirigendos humilime committimus ac devovemus, pro ejusdem Sanctitatis Vestræ diuturna incolumitate, ad universalis Ecclesiæ, et nostræ præsertim, infinitis hæresibus circumseptæ et vehementer afflictæ Lusatiæ, solatium et fœlicitatem, cum omnibus Catholicis nostris Lusatianis Deum jugiter exoraturi. Datum die 19. mensis Septembris anno Domini 1581.

Sanctitatis Vestræ

Humilimi Sacellani

Decanus, Senior et Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Budissinensis in Superiori Lusatia Misnen. Dioecesis.

XXIII. — Gregorius Budissinensibus Canonicis, quid de illis Monialibus sentiat, per litteras aperit; iisque jam antea datam facultatem easdem visitandi et regendi denuo confirmat. [*] ([*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IX ep. 90. f. 71.)

Dilectis filiis Decano et Capitulo Ecclesiæ Budissinensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Vehementer Nos consolatæ sunt literæ vestræ datæ die XIX. Septembris; perspeximus enim in tanta hominum perversitate ac perfidia, fidem ac pietatem vestram synceram atque incorruptam permanere, vosque summo Dei gloriæ et animarum salutis studio teneri. Scribimus ad Moniales Stellæ Mariæ, mandamusque eis, ut vobis obediant, neque ulla in re a nostris literis, quibus earum curam et tutelam vestræ charitati commisimus, discedant. Speramus obtemperaturas esse; par enim est, illas nostro studio, vestroque labore Divinæ erga se gratiæ munus agnoscere. Utimini igitur ea facultate, quam vobis impertivimus, neque dubitate Divinam opem omnibus in rebus vobis affuturam. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quarta Novembris MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno decimo.

Monialibus etiam ipsis præcipit, ut omnibus in rebus Budissinensibus tantum Canonicis pareant. [*] ([*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X ep. 93. f. 70.)

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ et Monialibus Monasterii Stellæ Mariæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilectæ in Christo filiæ salutem et Apostolicam benedictionem. Sustinemus gravissimum Nobis a Deo impositum Catholicæ Ecclesiæ pastoris munus, et fidelium omnium salutis curam ac solicitudinem, quo quidem in munere tum Dei ipsius ope, tum ipsorum quoque fidelium opera indigemus. Neque enim quidquam absque Dei gratia possumus; neque potest quisquam ad eam, quam omnibus optamus salutem pervenire, quoad Divinæ gratiæ obsistit, congruenterque Divinæ voluntati agere recusat. Ut autem Pastoris munus est, omni cura atque opera ad gregis salutem incumbere; sic gregis est Pastoris voci obtemperare; seque ejus charitati committere; quod quidem vos pro vestra pietate et sentire, et velle non dubitamus. Hac igitur nostri muneris necessitate et charitate adducti, commisimus vestri Monasterii tutelam et curam dilectis filiis, Decano et Capitulo Ecclesiæ Bu-

dissinensis, quorum pietatem perspectam habemus; neque tunc ullas ad vos literas dedimus, quia existimabamus, nostram erga vos charitatem posse ex hoc ipso facto vobis perspectam esse. Nunc autem ideo ad vos scribimus, ut vestram hactenus obedientiam commendemus, et simul etiam mandemus ea, quæ a Domino accepimus, auctoritate, ut superioribus nostris literis ad Decanum, et Capitulum datis obtemperetis tanta diligentia et modestia, quantam vestra pietas pollicetur, Deoque gratias agatis, quod in tanta temporum iniquitate, hominumque injuria amplectatur vos, Monasteriumque vestrum sua gratia, velitque vos commendatas esse nostræ in primis charitati, tum curæ et vigilantiæ Decani et Capituli, vestræ salutis Deique gloriæ studiosissimorum. Obtemperabitis igitur, neque ulla in re a nostris literis discedetis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quarta Novembris MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno decimo.

Cæsarem demum monet, curet, ut Lusatiæ provincia in rebus fidei ab Misnensium jurisdictione abstrahatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep 98. f. 72.

Charissimo in Christo filio nostro Rodulpho, Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Quantopere intersit ad Dei gloriam, Catholicæque Religionis amplitudinem et animarum salutem, Lusatiam minime subdi hæreticorum obedientiæ, quanto studio tenentur occupatores Episcopatus Misnensis, hanc ipsam in ea provincia obedientiam obtinere, quantum iis causis, quas diximus, ab illorum impietate exitii expectandum sit, perspectum esse Majestati Tuæ non dubitamus; Nobis certe nihil magis cordi esse potest. Mandavimus venerabili fratri Joanni Francisco Episcopo Ecclesiæ Vercellensis, Nuncio nostro, ut hac de re cum Tua Majestate agat. Gratissimum Nobis erit, si ejus verbis omnem fidem tribues. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die quarta Novembris millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Pontificatus Nostri anno decimo.

XXIV. — Cæsar pronis sane auribus Pontificis mandata excepit, et edito Imperiali diplomate utramque Lusatiam ab jurisdictione Episcopi Misnensis ex Pontificis auctoritate sejungendam esse decrevit, et eumdem Leisentritium, Capituli Budissinensis Decanum, Administratorem constituit, qui una cum Capitulo Pontificis nomine negotia ecclesiastica ejus provinciæ ageret et expediret. [*]

[*] Helvetia Vol. 2. fol. 501.

« Confirmatio Cæsarea super offitium Administrationis ecclesiasticæ per utramque Lusatiam, ab Episcopatu Misnensi authoritate Apostolica pariter separandam, in qua ad omnes Status seu Ordines dictarum provinciarum dirigitur mandatum, ut Joanni Leisentritio tanquam legitimo Vice-episcopo obtemperent sub certa pœna et indignatione Suæ Majestatis.

« Nos Rudolphus Dei gratia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, et Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ etc. Rex, Archidux Austriæ, Marchio Moraviæ, Dux in Lützenburgh et Silesiæ, Marchio Lusatiæ etc. omnibus et singulis nostris in Marchionatibus nostris Lusatiæ subditis tum Ecclesiasticis, tum Politicis, cujuscunque status, eminentiæ et dignitatis fuerint, Cæsaream nostram gratiam omniaque bona. Ac quidem in dubium, chari fideles, non revocamus, quin vos obedienter adhuc memineritis, etiamsum charissimo domino et avo nostro Imperatori Ferdinando, ac deinde Maximiliano domino et parenti nostro amantissimo (laudatissimæ recordationis), nec non nobis ipsis superiori anno septuagesimo septimo ob causas satis evidentes et deliberatas, fuisse visum, ut Reverendus nosterque charus fidelis Joannes Leisentritius, Decanus Budissinensis, in utroque nostro Lusatiæ Marchionatu, omnium et singularum rerum Ecclesiasticarum Administrator clementissime constitueretur. Prout etiam illum in hoc officio suo confirmatum, ac quonam pacto ipsi in ejusmodi negociis procedendum esset, mandatis nostris edoctum, provinciæ nostræ Præfectorum et Capitaneorum tutelæ debitæ commendatum, serio et clementissime voluimus, ne contra ipsum a quocunque attentari aliquid pateretur, verum matura ope et remediis oportunis causam mali omnem resecarent. Jam vero præter expectationem nostram varia ipsi usu venisse intelligimus, quæ et ipsius officio adversaria, et nobis nullo modo videntur permittenda, ut qui præfatum Leisentritium, in eodem ipsi a nobis demandato Administrationis officio, clementissime tueri et conservare decrevimus.

« Quare præfato Leisentritio jam etiam denuo serioque injunximus, ut demandatum a nobis sibi Administrationis officium summa cum industria pergat exercere, ac Ecclesiasticis fundationibus, monasteriis et parochiis atque adeo religioni Catholicæ patrocinari, illisque auxilio esse, quoad ejus fieri possit, summe contendat: caveatque in primis ne aut sectas irrepere, novitateque induci, aut quicquam Ecclesiasticis fundationibus, seu Cameræ nostræ bonis detrahi, sive ullam irrogari injuriam patiatur. Nam et ad evitanda ejusmodi mala, ipsi Præfectos et Capitaneos nostros, si id ille de se ipso præstare non potuerit, adjungendos curavimus, ut principiis statim obstantes, si quid contra illorum constitutiones aliquid præsumeretur, rem omnem maturo ad nos deferrent. Quapropter

ista demum est definita nostra sententia, ac mandatum strictissimum, ut omnes et singuli nostri in utraque Lusatia nostra subditi, ac præsertim Ecclesiastici omnium tum fundationum, tum parochiarum, in negociis contingentibus prædictum solum Leisentritium pro legitimo et deputato Administratore suo habeant, agnoscant et ad illum confugiant, nec ullum ipsi in hoc munere impedimentum afferant, verum pro æquitatis ratione morem illi omnem obedienter gerant. Hæc enim plane rata et fixa nostra est voluntas. Ad cujus rei fidem literis hisce sigillum nostrum imprimi voluimus. Datum ex arce nostra regia Pragensi 13. Decembr. anno 1581.

XXV. — Episcopo Olomucensi, qui anno superiore, reliquiæ insigniores SS. Moraviæ Apostolorum Cyrilli et Methodii a Pontifice sibi ut mitterentur, rogaverat, Gregorius respondit, se ejus votis satisfacturum, simul atque id sine illarum injuria fieri liceret. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. IX. ep. 97. f. 352.

Venerabili Fratri Episcopo Ecclesiæ Olomucensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Magna cura et studio versari Fraternitatem Tuam in iis, quæ pertinent ad Dei gloriam, ex tuis litteris cognovimus tanta cum voluptate, quantam debuit Nobis afferre gravitas ipsius causæ. De Sanctorum reliquiis, quas postulas, semper Romani Pontifices hujusmodi memorias retinuerunt diligentissime, voluerunt que apud se esse in hac Urbe, in qua Dei benignitas totius Christianæ religionis caput constituit, semperque eas tanquam preciosissimum thesaurum conservarunt, summoque in honore habuerunt. Iis autem in locis, in quibus hæreticorum pestis sævit, eas rideri et conculcari, dolendum summopere est: dolendum inquam, non reliquiarum aut Sanctorum ipsorum causa, illi enim fruuntur sempiterna beatitudine suis meritis debita, sed eorum interitu, qui non verentur Dei gloriæ injuriam afferre, sibique perpetuam damnationem acquirere. Nobis autem providendum est, ne qua tribuatur facultas ministris Sathanæ, majora in dies sibi supplicia Sanctorum reliquiis spernendis et proterendis comparandi; id facere possent, si eas, quas postulas, istuc mitteremus. Erit aliquando; id enim sperare Nos jubet summa Dei misericordia, cum nihil tale metui poterit. Interim si reliquiarum particulam aliquam habere volueris, nulla enim potest esse tam parva, quæ non magno in honore sit habenda, cum ea etiam ipsa, quæ Sanctorum reliquias tantum attigerunt, Catholicis omnibus charissima esse debeant, curabimus, tuo desiderio satisfieri. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die undecima Februarii MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno nono.

Quod etiam Cæsari scribit, quem præterea hortatur, ut quod sapientissime decreverat de prohibitis libris, neque edendis, neque vendendis, deque Seminariis per Abbates constituendis, re perfici curet. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. IX. ep. 120. f. 101.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rudulpho, Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo Fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Jucundissimum Nobis fuit, Majestatem Tuam non solum in desiderio sacrarum reliquiarum, sed aliis etiam in rebus permultis, quæ ad Catholicæ religionis statum magnopere pertinent, favere venerabili fratri Episcopo Ecclesiæ Olomucensis, ejusque provinciæ; magna enim huic tuæ pietati apud Deum merces constituta est. Quamquam autem multæ sunt causæ, cæque gravissimæ, quæ Nos deterrent a preciosissimo reliquiarum illarum thesauro manifestis periculis objiciendo: tamen hæc deliberatio magna ex parte pendebit ex eo, si Catholicam religionem in Moravia, ut oportet, stabiliri atque augeri intelligemus; tunc enim possent Sanctorum illorum ossa, Deo adjuvante, eo transferri. Nunc autem neque convenit ullum motum excitari, neque reliquias illas tum itineris, tum Moraviæ hominum seditionis periculo committere. Interim rogamus Majestatem Tuam, quantum possumus, ut quæ in ea provincia pie sancteque fieri decrevisti, præsertim de libris prohibitis haud edendis, et vendendis, deque Seminariis Catholicis Abbatum opera constituendis, perfici cures: id enim Christi gloria vehementer flagitat, boni omnes expectant, tua pietas spectatissima pollicetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decimaquinta Martii MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno nono.

XXVI. — Episcopus Stagnensis in Bosnia, cui Gregorius anno superiore visitationis Apostolicæ obeundæ in Dalmatia, Slavonia, Croatia, Bosnia, Servia, Valachia, Moldavia et Bulgaria munus demandaverat, tum ad collapsam Ecclesiasticam disciplinam instaurandam, tum vero ad fideles, qui crudelissime a Turcis habebantur, in fide confirmandos, ita se in eo perfungendo gessit, ut non a Clero minus, quam a cæteris summa cum lætitiæ significatione gratiam laudesque maximas ferret. Ad hoc munus commodius administrandum, prudentissimus vir socios sibi adsciverat Patres aliquot ex inclyto S. Francisci de Observantia Ordine, quos in iis provinciis perlustrandis magno sibi usui fore sentiebat: maxime ad illos populos in fidei dogmatibus accuratius erudiendos. Quantum vero indefessus hicce Præsul in ea vinea Domini excolenda profecerit, Catholicorum illarum provinciarum litteras ad Pontificem locupletissimos

testes habemus, quarum nonnullas in medium proferre ex nostro instituto ducimus. [*]

[*] Armar. VII. caps. 7. N. 9.

« Sanctissime et Illustrissime Pater, Vicarie Filii Dei, et Apostoli sui Petri Successor, Domine noster, salus et humilis pedum osculatio. Nunc remansimus confirmati in fide et spiritu, nimisque consolati ministerio et sermone divino, quo nos R. D. Episcopus Stagnensis, missus Visitator Sanctitatis Tuæ firmavit, quique inter nos ostendit se, ut alter Angelus Dei, et propterea gratias agimus Domino Deo nostro et Sanctitati Tuæ, quæ memor fuit visitare et consolari animas nostras, oramusque Sanctitatem Tuam, ut tu pastor Sanctæ Dei Ecclesiæ et animarum nostrarum, non obliviscaris sæpius refovere et visitare nos. Nec alias nisi prostrati ante Sanctitatem Tuam, beatos pedes tuos osculamur nos omnes Christiani Bosnenses, et mercatores Seraevi, petimusque benedictionem et absolutionem Sanctitatis Tuæ; rogantes, ut concedas nobis pro negotiis nostris ecclesiasticis et spiritualibus D. Alexandrum Comulovich, Dalmatam, in collegio Germanico morantem. Ei enim sæpe scribemus, ut curet negotia nostra apud Sanctitatem Tuam. Et ad ampliorem fidem hujus scripti subscribimus inferius manibus nostris, orantes Dominum Deum, ut Sanctitatem Tuam in Sede Sancta diu conservet incolumem. Datum Seraevi secundo Maji anno Salvatoris nostri MDLXXXI.

Servi et filii Sanctitatis Tuæ

Ego Antonius de Matheis indignus Episcopus Bossinæ Argentinæ, devotiũus servus.
Ego Balthassar Giganti mercator Seraevi Bossinæ.
Ego Joannes de Buzni Venetus mercator Bossinæ.
Ego Jacobus Natalis mercator Seraevi Bossinæ.
Ego Simon Mathievich mercator Seraevi Bossinæ.
Ego Gaspar Nurbunich mercator Seraevi Bossinæ.
Ego Petrus Jacobovich mercator Seraevi Bossinæ.
Ego Matheus Marchovic mercator Bossinæ Seraevi.
Ego Marcus Dubovich mercator Bossinæ Seraevi.
Ego Nicolaus Patri mercator Seraevi Bossinæ.
Ego Milos Marchovich mercator Seraevi.
Ego Petrus Marci mercator Seraevi Bossinæ.
Ego Nicolaus Jacobi mercator Bossinæ.
Ego Martinus Jurgevich mercator Bossinæ.
Ego Nicolaus Attudovich mercator Bossinæ Seraevi.

Iisdem affectos grati animi sensibus devotosque Pontifici se præbent Olovenses in Servia: ab eoque impetrant, ut Alexandrum Comulovich e collegio Germanico apud se ipsorum procuratorem confirmet. [*]

[*] Armar. VII. caps. 7. N. 8.

« Illustrissime ac Sancte Pater, Domine, caput omnium Ecclesiarum, tibi tamquam Jesu Christi, et sancti Petri Apostoli Vicario, ac omnium animarum nostrarum pastori, a nobis vere fidelibus Christianis, antiquæ fidei Romanæ, fidelium Episcoporum Bosnensium, Ministrorum item Provintiæ cum cæteris patribus diffinitoribus, et cum omnibus Religiosis fratribus et Christianis in Regno Bossinæ, Ducatu Misiæ, parte Crovatiæ, Provintia Serviæ et secundum Danubium S. Nunc autem gratias agimus Deo nostro, et immensas Sanctitati Vestræ, quæ misit nobis hunc Rm̃um Visitatorem ac Legatum, D. Bonifacium Episcopum Stagnensem, cum sociis suis, qui nos in spiritualibus humiliavit, et consolatus est. Quique se habuit inter nos, ut alter Angelus Domini, et prædicans verbum Dei, illo nos confirmavit, propterea posthac debitores sumus orare Dominum Deum pro Sanctitate Vestra, ut ei diu vivere et diuturnum imperium largiatur, pace sanctarum Ecclesiarum. Eis autem, qui non sunt sub cruce sancta sua, veritatem agnoscere, lucem aspicere cælestem, ac judicem Filium Dei, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, idem Dominus Deus cognoscere potest. Deprecantes humiliter Sanctitatem Vestram, ne obliviscatur nostri, sed benedicat nobis, ac spirituali consolatione nos veluti antiquos Sanctitatis Vestræ, et Ecclesiæ Catholicæ et Apostolicæ obedientes filios consoletur. Oramus item devote Sanctitatem Vestram, quemadmodum Visitatorem quoque nostrum D. Bonifacium Episcopum oravimus, qui concessit nobis procuratorem Alexandrum Comulovich Dalmatam, in collegio Germanico morantem, ut cum Sanctitate Vestra nobis pariter confirmet, negocia nostra apud eandem Sanctitatem Vestram curaturum. Nunc autem omnes humi strati adoramus Sedem sancti Petri, pedes Sanctitatis Vestræ tanquam Vicarii Jesu Christi deosculantes. Datæ in Monasterio ecclesiæ sanctæ Mariæ Loci Olovo, anno Domini MDLXXXI. XI. Junii.

Nos fideles, humiles et obedientes filii et servi Sanctitatis Vræ, nomine totius Provintiæ subscribimus.

Ego Antonius Episcopus Bosnæ Argentinæ confirmo suprascripta.
Ego fr. Grevorius Masnovich minister Provintiæ Bosnæ Argentinæ confirmo ut supra.
Ego fr. Joannes Chrisouich pater provintiæ confirmo suprascripta.
Ego fr. Nicolaus Popovmanich pater provintiæ confirmo suprascripta.
Et ego Bartholomeus Sfrondatus Societatis Jesu præsens fui etc. et confirmo ut supra.

(Locus sigillorum.)

Ego fr. Gaspar Chnczovich socius patris ministri jussu patris ministri ejusdem provintiæ scripsi, et sigillavi sigillo Provintiæ.

Eadem venerabundi scripserunt cœtus Ecclesiasticorum et Nobilium virorum ex inferioris Serviæ pagis, qui per Turcas multis afficiebantur incommodis. (*)

(*) Armar. VII caps. 7. N. 7.

« Sanctissime, Gloriose et Illustrissime Pater, universalis Vicarie Christi et sancti Petri Apostoli Locumtenens, Caput et splendor Ecclesiæ Catholicæ et Apostolicæ. Nos omnes populus Ecclesiarum inferiorum et superiorum pagorum, et omnium villarum per quinquaginta milliaria habitantes Christiani gloriosæ fidei Romanæ a Jesu Christo datæ, et a sanctis Petro et Paulo prædicatæ, tibi sedenti super sedem, humilem et devotam reverentiam exhibemus. Nunc Omnipotenti Deo et Sanctitati Tuæ gratias agimus, quæ dignata est mittere nobis hunc Visitatorem, R.D. Bonifacium Episcopum Stagnensem, qui nos visitavit nomine tuo, et spirituali consolatione animas nostras verbo et bonis vitæ suæ moribus, tanquam alter Divus Paulus, solatus est. Nunc autem jucunditate et pace referti gratias Domino Deo agere debemus; ipsumque omnipotentem exorare pro Sanctitate Tua, ut eam Deus Dominus diu incolumem multis vitæ annis gratiose præstitis conservet, ut verum universalem sanctarum Dei Ecclesiarum pastorem, qui nostri recordatus es; orantes Sanctitatem Tuam, ne deinceps obliviscaris istiusmodi Nuntio et Visitatore consolari nos. Ipse enim cum sociis suis ostendet Sanctitati Tuæ, quas sustinemus tribulationes inter Turchas inimicos fidei nostræ; ipsi enim inspexerunt. Rogamus item Sanctitatem Vram, ut nobis D. Alexandrum Comulovich, Dalmatam Spalatensem, procuratorem confirmet; hunc enim a dicto D. Bonifacio quæsivimus, qui cum nobis concessit. Oramus ergo Sanctitatem Vestram, ut eum nobis confirmet. Et hoc fine harum literarum, quas per fratrem Stephanum Guardianum nomine omnium scribi jussimus, quasque per Dñum Episcopum Bosnensem subscribi rogavimus, ac quibus omnes subscripserunt, humi strati petimus sanctam vestram benedictionem. Datum in Ecclesia sancti Petri inferiorum pagorum in MDLXXXI. decimo Julii.

Ita est Ego Antonius de Matheis Episcopus Bosnæ Argentinæ.

Ego Bartholomeus Sfrondatus Societatis Jesu fui præsens.

Ego Vuiza Chiendisalich Procurator, et Eminus Jsosch contestor supradicta.

Ego Michael Baschievich suu testis supradictarum literarum.

Ego Janchus Comes Jassenicæ confirmo suprascripta.

Ego Comes Vranes Juanovich Comes Calatcæ cum toto Comitatu meo confirmo supradicta.

Ego fr. Joannes Chrisonich confirmo supradicta.

Ego fr. Stephanus Millesich, Guardianus inferiorum pagorum, qui scripsi hæc scripta vere confirmo.

Ego Janchus et Matheus Uschavaz confirmamus supradicta.

XXVII. — Hungaros etiam alloquio præsentiaque sua Visitator Apostolicus, animarum salutis in primis studiosus, solatus est. Quinqueecclesienses tam gratis cum animis prosecuti sunt, ut verbis vix exprimere Pontifici possent quanto ipsorum bono, quantoque rei Catholicæ in iis locis proventu Præsul ille adlaboraverit. Excutiunt enimvero oculis lacrymas, quæ illis præ ceteris non a Turcis modo, sed et ab impiis hæreticis, qui vulgo Ariani et Unitarii audiunt, ferenda fuerint. Miserrimi quippe illi Catholici cum Turcarum jugo premerentur, eorumque Episcopus per metum ipsos invisere non auderet, neque iis Sacerdotes suppeterent, orant atque obsecrant Pontificem, ut Stephano Plebano, quem unum secum in captivitate haberent, et ejus successori idoneos Clericos ad sacros ordines promovendi det facultatem. (*)

(*) Armar. VII. caps. 7. N. 4.

Beatissimo DD. Gregorio Sacrosanctæ Romanæ Matris Ecclesiæ Papæ XIII. Sedis Apostolicæ Pontifici, Dño inquam Clementissimo.

« Sancta mater Ecclesia Catholica et Apostolica, existens inter tot et tantas hæreses et sectas varias intra Dravum et Danubium, divinam obedientiam Sanctissimo Domino Gregorio XIII. Papæ. Beatissime Domine, Domine nobis in Christo Pater amantissime, exhortæ a Transilvania hæreses, quæ negant æternitatem Filii Dei, sive generationem æternam, et sic distinctionem personarum divinitatis, et Sacrosanctam Trinitatem; Turca autem (inter quos agimus) ait unum sese Deum adorare. Quoad nos, vera mater Ecclesia confitetur utrumque; hinc enim cum a Turca, tum etiam ab iis infidelibus Arrianis multum molestiæ ac persecutionis patimur. Utrique dicunt, nos tres adorare Deos, et sic Idolatras. Cætera omnia Rm̃us Dñus Bonifacius Stephanus, Episcopus Stamiæ, Delegatus Vestræ Majestatis, omnia portabit, et ore reserabit, et narrabit Vræ Majestati, quæ oculis vidit, auribus audivit, in quanta miseria et calamitate intra Danubium et Dravum Ecclesiæ Catholicæ constitutæ sunt, quæ omnia sine lachrimarum profusione rememorari non possunt. Lutheranos sustinemus, manifestam Catholicarum Ecclesiarum pestem, qui quotidie debacchantur novis (sed falsis) inventionibus contra nos, et Ecclesiam Sanctam Dei, cujus ministri sumus; Principes autem nostri

tamquam leones insurgunt in nos volentes nos devorare, nostraque et nostrorum volentes diripere, sed Spiritus Sanctus nostrorum consolator ipse consolatur nos, per te Pater et Domine Sanctissime, quia misit ad nos Vestra Majestas consolatorem, Prædicatorem, Visitatorem et Legatum Vestræ Majestatis, qui vita, verbo et opere ostendit se a Vestra Majestate missum, indulgentias et alia dona spiritualia nomine Vræ Majestatis distribuit, cui immensas agimus gratias, perpetuam memoriam tanti doni retinentes. Petimus etiam, ut frequenter inviset Sanctitas Vra nos, quia visitatio V. Majestatis custodiet spiritum Catholicum in nobis, et nos commendabit R. D. Episcopo Boznæ, quia apud Turcas potens est in sermone et opere, ut nos aliquando spiritualiter consoletur. Nam noster Episcopus Quinqueecclesiensis non audet descendere ad nos propter Turcas. Clericorum autem verorum, qui administrarent Sacramenta Ecclesiæ, paucitas inter nos est, nec audent a Turca venire ad nos, si ubique invenirentur; Suffraganii autem, ubi habentur, ad eos petere non possunt propter multos grassatores, qui assumerent sacros ordines. Hic olim Quinqueecclesienses treccnti et plures ministri, in sacerdotali dignitate constituti, Christo Catholice servientes, nec inter eos aliquis egens erat; nunc vero omnibus dispersis, aliis occisis, aliis suffocatis, Ecclesiis diruptis, altaribus destructis. Ego Stephanus Plebanus Quinqueecclesiensis relictus sum minister indignus captivorum Christianorum, pauper, egens, vix pane saturatus, afflictus, quotidie novis inventionibus animam meam, quam pro Christo cupio dare, quærunt interficere. Quapropter rogamus Vestram Majestatem, misericordiæ oculo nos respiciat, et audiat supradictum prædicatorem, Visitatorem et Legatum Vestræ Majestatis, qui nobis gratus ut Angelus Dei fuit, nuncians nobis pacem conscientiæ. Igitur, Pater Sanctissime, obsecrat mater Ecclesia Vestram Majestatem, existens in Diœcesi Quinqueecclesiensi, per amorem divinum, indulgere velit Vestra Majestas in his periculosis temporibus, huic nostro Catholico Stephano, et sanctæ Theologiæ professori, Jesu Christi ovium pastori, si qui inter nos digni et apti possent inveniri ad sacros Ordines et Clericatus, juxta ritum et consuetudinem sacrosanctæ Romanæ matris Ecclesiæ et Sedis Apostolicæ, eos ordinare posset tuto ad sacros ordines Clericatus ex permissione Vestræ Majestatis. Si autem is excesserit e vivis, successori ejus in hac urbe nostra Metropolitana Pannoniæ, videlicet Quinqueecclesiensi, ad extirpandam hanc sectam Lutheranam sive potius hæreticam, ad ampliandam autem matrem Ecclesiam, quia ipsi (Lutheri nisi fide mediante) nulli Baptisma nec alia Sacramenta (si possent dici sacramenta) administrant. Conservet Majestatem Vram Divina Clementia, et vocatio Divina cedat in salutem. Datæ ex urbe nostra Quinqueecclesiensi 15. Cal. Septembris anno Dñi 1581.

Dominus Michael Plebanus Bichierdii idem confitetur.

Similiter et nos Georgius Berposdiensis Plebanus salutem in Christo exoptamus Vestræ Majestati.

XXVIII. — Neque vero salutari Visitatoris ope minus egebant Bazyachi, ultimos Hungariæ fines, Turciæ proximos, incolentes. Cum igitur Stagnensis Præsul eos adiisset, summa contentione effecit, ut Catholica doctrina eos imbuendo, errores quosdam, in quos fortasse inciderint, ab eorum animis discuteret, ipsosque ad pietatem inflammaret. Quo de egregio Visitatoris in se studio quam ex animo Pontifici gratias habuerint, ostendunt hæ illorum litteræ; in quibus præterea spondent, se nunquam a fide Catholica abstrahi passuros. [*] [*] Armar. VII caps. 7. N. 8.

Beatissime Pater, Sanctissime ac Illme Universalis Papa, Salus, Pax et Vita in Christo Jesu Domino Nostro.

« In his regionibus occupatis ab inimicis Ecclesiæ Christi et tuæ, relicti sumus nos tanquam parvum lumen in densissimis tenebris lucens, quod fere extinctum est præ antiquitate nostra et hæresibus, quæ cum infidelitate natæ creverunt usque ad infernalem gehenalem messem. Nos vero inter tot et tanta confusa et nefanda, quia neque Pastor, neque Visitator aliquando venit ad Nos, tanquam ad oves sine pastore errantes, forte incidimus in aliquos errores non pertinaciter, quia Sanctitas Vestra, memor gregis sui ovium suarum Christi Filii Dei sanguine redempti, ad nos misit Legatum et pastorem, Visitatorem et Doctorem ac Apostolicum prædicatorem, Episcopum Stagnensem, Bonifacium Stephanum, qui nos maximo labore et studio quæsivit in tam densis tenebris, et invenit, vocavit, ut nos ad magnum pastorem adduceret. Nos vero agnoscentes vocem Episcopi et tuam, Bme, ubauditores, sed in Christo agnoscentes ut filii te patrem, et quæcumque nomine tuo dixit, nos fecimus, et in posterum faciemus, quæ Deo et Ecclesiæ suæ Sanctæ, in cujus puppi sedes malum et clavum, Catholicos regens. Gratias igitur tibi, Pater Sancte, quoad possumus reddimus, quia nos de tenebris ad lucem, de morte ad vitam reduxisti; reductos, rogamus, fove, rege et custodi, oves enim tuæ et gregis pascuæ sumus, spondentes semper fidem Catholicam et Apostolicam. Omniaque quæ in ipsa sunt servata, idem Visitator et Legatus reserabit tibi Sanctitati Tuæ. Vale Pater omnium universalis et Pastor, decus et lumen urbis. Ex sancta congregatione et Synodo quam habuimus xxviii. et xxix. Augusti apud Sanctam Mariam in Ba-

zyach super fluvium Danubii MDLXXXI. die XXX. Augusti.

Ego prædicator et presbyter atque plebanus Gaspar in provintia Ungariæ Ducatus propria manu.

Ego fr. Norius plebanus Hancovj.

Ego Matheus plebanus Demorovich.

Ego Christophorus plebanus de Dragozino.

Ego fr. Gregorius capellanus de Tompuevaz.

Ego fr. Hieronimus Capellanus Babechi.

Ego fr. Nicolaus plebanus de Goriani.

Ego Marcus de Varse plebanus.

Ego Antonius Episcopus Bosnensis præsens fui in omnibus ipsis, et rogatus ab illis ut meo sigillo munirem has præsentes, sic ut feci.

Ita est Ego Gaspar qui supra manu propria has conscripsi.

XXIX. — In alia vero omnia Ragusini in Dalmatia abierunt: quibus Visitatoris labores et curæ nulli fuerunt saluti. Illius enim Reipublicæ Præsides eo furoris abrepti fuere, ut ejus visitationem impedire ausi, eum plurimis iisque atrocissimis injuriis affecerint; quibus cumulum addiderunt ejecto e Civitate Archiepiscopo, qui eos, ut resipiscerent, admonuerat. Gregorius igitur, adhibita summa verborum castigatione, eos deterret extremaque minitatur: simul tamen paterna charitate hortatur, ut sese recognoscant, cum suo Archiepiscopo in gratiam redeant, ab censuris se solvi curent, admissa scelera emendare studeant. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 77. f. 87.

Dilectis Filiis Rectori et Consiliariis Reipublicæ Ragusinæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Gravissimorum virorum, et vestræ Reipublicæ laudis atque amplitudinis cupidissimorum testimonio Nobis confirmatum fuit, vos omni ratione abjecta vestræ salutis, Catholicæque Ecclesiæ filiorum, quales vos semper haberi voluistis, officii, ac religionis, multis modis Ecclesiasticam jurisdictionem violasse, camque vobis ipsis arrogasse, de personis rebusque Ecclesiasticis cognovisse, Ecclesiasticos judices ab hujusmodi cognitione deterruisse; sacerdotes insectatos fuisse, eos etiam ut propria beneficia apud vos deponerent, coegisse, Ecclesiarum bona occupasse, inque profanos usus convertisse; eorundem bonorum nomine vectigalia exegisse; Monasteriorum visitationes impedivisse; disciplinæ Ecclesiasticæ, sacrosanctisque ac salutaribus Tridentini Concilii decretis omnibus in rebus adversatos fuisse, quodque extremum in audacia erat, et pene etiam incredibile, eo furoris pervenisse, ut non vereremini domum Episcopi Stagni hostiliter adoriri, fores perfringere, capsas reserare, scripturas inde auferre, eumque suis atque Episcopatus fructibus privare, quia scilicet recusabat vobis assentiri in eo, quod neque poterat jure ac salva conscientia agere, neque omnino suæ facultatis erat, ac ne quid ad omnium scelerum cumulum deesset, vestrum Archiepiscopum, quia vos paterne, ut oportuit, hortatus fuerat, monueratque, ut velletis resipiscere, atque a novis injuriis abstinere, absolutionemque a censuris Ecclesiasticis, quibus tam multis de causis obstricti eratis, postulare, publico decreto e Civitate ejecisse; quo quid potest dici immanius? quid inexpiabilius? Comprobastis veram esse sanctorum Patrum sententiam, consequens crimen pœnam esse antecedentis, hancque esse inter cæteras gravissimi peccati pœnam, ut ex uno sequantur alia in dies graviora. Appone, ait Propheta, iniquitatem super iniquitatem eorum. Fuerunt hæc omnia non Christianæ legis cultorum, sed ejus hostium omni fide et religione abjecta, suo arbitratu sibi vivere licere existimantium, facinora. Sed non libet vos in talem numerum ascribere, neque existimare, vestram istam nobilissimam Rempublicam, semperque Nobis commendatissimam a Christiana Religione descivisse, quin potius fidem hactenus incorruptam retinere, quod quidem nisi persuasum Nobis esset, necesse haberemus pro nostro munere, proque auctoritate, quam a Christo impositam sustinemus, declarare vos a Catholicorum numero atque ab Ecclesiæ corpore sejunctos atque abscissos esse, omnique Sacramentorum atque Ecclesiastici thesauri fructu privatos. Sed speramus meliora, fidei scilicet radicem hactenus vitiatam non esse: vosque nostra, hoc est pastoris et patris amantissimi voce commonitos, superiora omnia emendaturos esse, neque id solum, sed multa etiam pie sancteque curaturos ad Dei gloriam, Catholicæque Ecclesiæ, quæ tam multis injuriis gravissime mœret, consolationem et lætitiam. Id vero ut faciatis, sicque vos ipsos omnibus in rebus geratis, ut vestræ pietatis odor quam latissime diffundatur, hortamur per viscera Jesu Christi. Primum igitur Pastorem vestrum amplectemini, vosque ipsos ejus curæ ac vigilantiæ committetis, cumque eo perfecta et syncera charitate perpetuo conjuncti eritis. Tum diligentissime considerabitis, qua potissimum ratione conveniat Deum placari. Curabitis etiam ut gravissimarum censurarum laqueis, quibus procul dubio constricti estis, solvamini. Speramus vos hæc omnia summo studio facturos; in posterum autem vestra auctoritate contentos fore, suamque Ecclesiæ ejusque ministris potestatem ac jurisdictionem relicturos, cæterorumque Principum ac Rerumpublicarum vra Republica longe majorum, in Ecclesiastica potestate veneranda, omnibusque officiis colenda, inque sacro-

rum Canonum utramque potestatem distinguentium, suumque cuique locum in causis tribuentium, alteramque alteri adjumento esse jubentium decretis amplectendis exemplum imitaturos. Hæc si attendere et perficere volueritis, et vestris rebus præclare consuletis, et Nos incredibili gaudio afficietis: nihil enim cupimus magis, quam vestram ipsorum salutem et gloriam. Sin minus Deum testamur, Nos invitos, et cum lachrymis ad ea, quæ superius monuimus, descensuros, neque commissuros, ut si vos vestri non misceret, Nos nostro officio, sanctæque Ecclesiæ dignitati defuisse videamur. Iterum igitur hortamur, ut etiam atque etiam cogitare velitis, nihil aliud Nobis propositum esse, nisi vestram salutem et Dei gloriam: vos autem laborare debere, ut Catholicorum magis Principum similes esse videamini, quam barbarorum vicinorum vestrorum, in quibus nullum neque religionis, neque humanitatis vestigium apparet. Putamus, perspectam vobis esse nostram perpetuam et paternam erga vos charitatem, vestræque Reipublicæ amplitudinis atque incolumitatis studium. Cætera ex venerabili fratre Episcopo Currulæ, qui has ipsas literas vobis afferet, cui etiam alia ad vos mandavimus, cognoscetis. Ejus verbis omnem fidem tribuetis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die septima Octobris millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Pontificatus Nostri anno decimo.

Nihilo tamen minus eodem tempore (tanta erat in Gregorio Ecclesiasticam disciplinam retinendi constantia) Archiepiscopo Ragusino qua per litteras, qua per Episcopum Currulæ vehementissime succensuit, quod suorum flagitia celaverit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 79 f. 31

Venerabili Fratri Archiepiscopo Ragusino.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Gravissime accusandus es, quod tanta cum indignitate toleravis, tam graviter violari, tamque multis incommodis affici jurisdictionem et res Ecclesiasticas, nec unquam Nos tantorum scelerum certiores feceris; celaveris nos etiam quæ proxime adversus tuam ipsius personam, et Episcopum Stagni commissa sunt. Facies ut in posterum diligentior sis in tuo munere exequendo, nec unquam patiaris talia committi, nihilque Dei gloriæ anteponendum putes. Expostulabit etiam tecum de his rebus mandato nostro venerabilis frater Episcopus Currulæ. Ejus verbis omnem fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Octobris MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno decimo.

XXX. — Quod vero ad res Helvetiæ attinet, Gregorius amice conquestus est cum Præsidibus quinque Pagorum Catholicorum, de injuriis Nuntio suo a Bernensibus irrogatis: eos quidem laudavit, quod ea mente essent, ut illa accidisse minime vellent. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. IX. ep. 99. f. 304.

Dilectis Filiis Quinque Pagis Helveticorum Catholicorum, Ecclesiasticæ Libertatis Defensorum.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Bernensium injuriæ et contumeliæ in venerabilem fratrem Episcopum Ecclesiæ Vercellensis, Nuncium nostrum, nulla in re illius, ac potius nostram et Sedis Apostolicæ authoritatem minuerunt, sed sibi ipsis summam tum ignominiam, tum quod graviter dolendum est, apud Deum offensionem pepererunt. Unam tantum ignominiam norunt Christiani, peccatum, peccat autem non qui injuriam accipit, sed qui infert. Fuerunt etiam injuriis affecti Apostoli, et Christus ipse; quid ergo? aliorumne injuriæ illorum gloriam minuerunt? immo vero auxerunt. Beati estis, inquit Dominus noster, cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobaverint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum, propter filium hominis. Cujus quidem sententiæ memores Apostoli, ibant gaudentes a conspectu Concilii, quia digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Eodem animo fuisse Nuncium nostrum non dubitamus: exploratam enim habemus illius pietatem et charitatem. Miseri vero illi vexando, et contumeliis afficiendo homine innocente et Episcopo, a quo nunquam neque verbo, neque cogitatione læsi fuerant, thesaurizarunt sibi ipsis iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua, quique prohibuit, ne quis auderet tangere Christos, hoc est unctos et sacerdotes suos; sese vero et Patrem suum in suis rideri et sperni, testificatur Dominus noster, cum ait, qui vos spernit, me spernit, qui spernit me, spernit eum, qui me misit. Vos autem, filii charissimi, cum graviter fertis, divinum atque humanum jus tam insolenter ab illis violatum fuisse, vestra gloria dignum facitis. Erimus semper memores hujus vestræ pietatis, eamque etiam Successores nostri gratissima memoria prosequentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Februarii MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno nono.

Et re quidem vera Oratores omnium Pagorum Catholicorum, qui Lucernæ ad Comitia ea de causa convenerant, ut Nuntio pro acceptis injuriis satisfacerent, litteris officio et obsequio plenis, iterum Vercellensi Episcopo impium Bernensium factum se ægerrime tulisse renuntiant; atque adeo se operam daturos, ut posthac non solum ejus dignitati prospiciatur, verum etiam ut ipsi Bernenses admissorum flagitiorum pœnas dependant. (*)

(*) Helvetia Vol. 2. fol. 437

Ad Episcopum Vercellensem.

« Reverendissime in Christo Pater, gratiose Princeps ac Domine, nostra amica et prompta officia, omniaque honoris, amoris ac benevolentiæ genera Principali Vestræ Gratiæ sint parata. Quandoquidem Domini ac Magistratus nostri hæc comitia eo animo constituerint, ut deliberetur, quemadmodum contumeliæ atque injuriæ, Principali Vestræ Gratiæ superioribus diebus Bernæ illatæ (quæ etiam Dominis ac Magistratibus nostris, atque nobis peracerbe accidit et maxime displicuit, quin imo eo animo acceperunt, ut non solum Sanctissimo Domino ac Principali Vestræ Gratiæ, sed sibi ac nobis ipsis factam arbitrentur) occurrendum, et quid eam ob causam faciendum ac intermittendum illis sit, ideoque etiam huc nos severissimo mandato legarint, volumus benevolo animo quid brevi eo tempore sit constitutum, Principalem V. Gratiam certiorem facere. Et primo certe dictis Dominis ac Magistratibus nostris plurimum placuit, quod Principalis Vestra Gratia totius rei gestæ historiam tam diligenter ac ordine ad ipsos perscripserit, atque etiam cum ob hanc, tum alias ob causas, tam humanas ac benevolas literas dederit; quapropter in mandatis habemus, Principali Vræ Gratiæ nomine ipsorum (ut nunc facimus) diligenter atque humaniter gratias agere, ipsamque certiorem facere, quod ubi ipsi quæcunque honoris, humanitatis ac benevolentiæ genera exhibere possint, illi uti etiam nos pro nostris personis, nullam opportunitatem sint intermissuri. In reliquo, quantum ad ipsam summam actorum contra fœderatos nostros Bernenses attinet, pro tempore ac necessitate, ex authoritate et mandato nobis imposito deliberavimus, ac constituimus hac de causa Badæ Ergoviæ generalia confœderatorum comitia, quæ etiam mox ad diem 19. jam imminentis februarii decrevimus. Ibi Domini nostri hanc contumeliam, atque etiam alias accusationes ac gravamina ob oculos cæterorum Cantonum serio proponi, ac contra ipsos agi curabunt, adeo ut Domini ac Magistratus nostri laudem, ac honorem adipiscantur, ipsis vero dictis Bernatibus jam displiceat ac pœniteat. Dabunt etiam paucis post diebus Domini ac Magistratus nostri ad Sanctissimum Dominum ea de re literas, et quam iniquo animo id ferant, ostendent. Hoc quin Principali Vestræ Gratiæ benevolo animo communicaremus, intermittere noluimus, quam divino numini, fœlicem illi precantes annum, commendamus. Datæ et nostrorum omnium nomine signo civitatis Lucerinæ munitæ x. die Januarii anno 1581.

Principalis Vestræ Gratiæ
Benevoli ac prompti
Septem Catholicorum Cantonum confœderatorum Luceriæ, Uraniæ, Sviciæ, Subsylvaniæ, Tugii, Friburgi ac Solodori Legati, hoc die Comitiali Lucernæ congregati.

XXXI. — Helvetios denique Gregorius iterum per litteras suadet, ut quæ ab Vercellensi Præsule pie sapienterque ad mores corrigendos decreta sunt, servari curent. In his autem etiam atque etiam videant, ut quæ a Concilio Tridentino de Monialium clausura, de compatribus ad baptismum adhibendis statuta sunt, in mores inducant. (*) [(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. X ep. 113. f. 86]

Dilectis Filiis Quinque Pagis Helveticorum Catholicorum, Ecclesiasticæ Libertatis Defensorum.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Egimus gratias Deo, quantas potuimus maximas, vestræ pietatis nomine. Certiores enim facti sumus, vestram auctoritatem atque operam nullo loco defuisse Nuncio nostro in iis, quæ pertinebant ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam, temporum injuria et fraude Satanæ depravatam. Hortamur et rogamus vos, ut pari studio ea, quæ pie sancteque decreta sunt, omnibus in locis vestræ ditioni subjectis servari curetis, tamque præclaram facultatem Dei gloriæ inserviendi, ac vobis sempiternam laudem acquirendi, toto pectore amplectamini. In primis vero provideatis, ne mulieribus ad Regularium Monasteria aditus ullus sit, quodque etiam turpe dictu est, ut in illis ne habitent: neque enim hæc fieri possunt sine manifesto periculo ac Monasteriorum infamia, et bonorum omnium scandalo. Cupimus etiam summopere, ut curetis Monialium Monasteria omnibus clausa esse, neque eas usquam egredi patiamini. Fuit hoc olim a Bonifacio VIII. sanctissime decretum, proximeque a sacrosancto Tridentino Concilio provisum, atque a Summis Pontificibus gravissimis censuris, tum in eos, qui ingrederentur, tum in Moniales ipsas, si quando egredi auderent, sancitum. Scitis autem fuisse aliquando istic repertas Moniales violatas; quo etiam accuratius providendum vobis est, omnisque gravissimorum criminum materia et facultas præcidenda. Neque vero mulieres a Regularium Monasteriis arceri, Monialesque clausas esse, difficile, ut nonnulli existimant, videri posse, facile declarat exemplum Monasterii Paradisi, sacerdotum Sodalitatis Jesu, Conventus S. Urbani, Sancti etiam Gualdi. Erit quoque vestræ pietatis curare, ut obtemperetur decretis Concilii Tridentini, quod tam libenter amplexi estis, de Compatribus qui ad baptismum adhibentur, præsertim cum sint in vobis ipsis, qui illud diligentissime retineant, tutissimumque hoc sit ad vitanda matrimoniorum impedimenta, quorum neglectio animarum saluti exitiosissima est: an autem in hoc genere peccetur, nemo verius,

quam vos ipsi, judicare potest. Hæc Nobis olim significavit venerabilis frater Joannes Franciscus Episcopus Vercellensis, vestri studiosissimus, cum noster isthic Nuncius esset: quæ quidem vos monere et hortari, nostræ erga vos charitatis esse judicavimus. Sumus enim vestræ salutis cupidissimi, utque vestra pietate exultamus, sic pro eo perpetuo laborabimus, nec unquam cessabimus ea vobis suggerere, quæ vestræ gloriæ maxime convenire intelligemus. Oramus Deum, ut impleat gaudium nostrum de vobis, efficiatque, ut in posterum nihil amplius sit, quod vos monere possimus; quod autem vestræ pietati gratulari debeamus, permultum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die nona Decembris, Millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Pontificatus Nostri anno decimo.

XXXII. — Episcopus Curiensis, tum quia valetudine laboraret, tum vero quod ob graves diuturnasque civium in se simultates Curiam reverti dubitaret, Episcopatu sese abdicavit: inque ejus locum ab Canonicis, præsente Episcopo Vercellensi, suffectus est Petrus Rascherus, vir doctrina ac pietate spectatissimus. Hic ex templo de sua electione misso nuntio Pontificem certiorem fecit, rogavitque, ut in se ipso confirmando illius Ecclesiæ ære alieno valde laborantis rationem haberet. (*)

(*) Germania Vol. 15. fol. 210.

Sanctissimo Domino Nostro, Domino Domino Gregorio XIII. Pontifici Maximo, Domino Nostro.

Post Sanctitatis Suæ pedum oscula.

« Beatissime Pater. Cum tertio Nonas Junii præsentis anni, in Ecclesia Cathedrali Curiensi, licet indignissimum, ut illi Ecclesiæ præessem, in Episcopum a Venerabili Capitulo electus sim, præsente Reverendissimo Domino Joanne Francisco Bonhomio, Vercellarum Episcopo, ac Sanctitatis Vestræ ad Helvetios et Rhætos pro tempore Nuncio, cumque electio omnis tum demum rata ac firma sit, ubi Sanctitatis Vestræ calculo approbatur, ut multis mature occurratur incommodis, necessarium omnino fore duxi, Sanctitati Vestræ licet innumeris alioquin curis molestiisque distentæ, literulis meis tanquam male vocalis anser obstrepere, nec non humillime pro confirmatione (ut vocant) supplicare. Et quia Episcopatus in plurimo ære alieno est, ut Sanctitati Vestræ liquido constat, quo tandem aliquando solvendo sit, ut filius obsequentissimus Sanctitatem Vestram rogatam velim, ut ad cætera benevolentiæ suæ in hanc nostram Ecclesiam clarissima argumenta, hoc quoque adjiciat, et confirmationem duntaxat gratis concedat, nec non Reverendissimo Vercellensi clementer copiam facere dignetur, ut me duobus sibi Prælatis in nostris partibus existentibus adjunctis consecrare possit, quo facto, Sanctitas Vestra nominis sui memoriam apud Rhætos quoque, ut tota jam Germania, immortalem efficiet. Deus interim administrationis vestra tempora fœlicissima ac diuturna esse velit. Datum Curiæ in castro Episcopali Nonis Septembris anno MDLXXXI.

Sanctitatis Vestræ

Servus obsequentissimus

PETRUS ELECTUS EPISCOPUS CURIENSIS.

XXXIII. — Stephanus Poloniæ Rex nihil quidem remiserat neque de belli contra Moschum prosequendi contentione, neque de Catholicæ religionis provehendæ studio. In quorum altero cum per triennium egregia Bertinorensis Episcopi, Nuntii Apostolici, opera usus esset, ægerrime tulit, quod Pontifex hunc virum Polonicarum rerum experientissimum, Episcopo Massensi ei dato successore, Romam revocaverit. Gregorius autem Regi cum gratulatione non minus de rebus bene gestis, quam de ipsius pietate his litteris novum Nuntium commendavit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. IX. ep. 137. f. 131.

Charissimo in Christo Filio Nostro Stephano, Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Incredibiliter lætati sumus fœlicibus eventibus, quos Majestati Tuæ largita est summa Dei benignitas. Lætati autem sumus propter hanc ipsam causam, quia scilicet hæc pignora sunt Dei erga te benignitatis, quam, ut hactenus fecisti, promovere debes pietate et studio Catholicæ Religionis conservandæ atque amplificandæ, quo quidem in studio te nemini majorum tuorum cedere, et assidua tua cura et diligentia aperte declarat, et boni omnes agnoscunt, et Nos Tuæ Majestati gratulamur, Deoque gratias agimus. Quia vero magnopere indigemus præsentia venerabilis fratris Joannis Andreæ Episcopi Britonoriensis, cujus diligentissima et fidelissima opera triennium jam usi sumus apud Majestatem Tuam, mittimus ei successorem venerabilem fratrem Albertum Episcopum Ecclesiæ Massensis, virum item integritate et fide spectatissima. Cupimus, ut et in adventu ipso, et in posterum Majestas Tua eam omnibus in rebus illi fidem tribuas, quam convenit tribuere nostris atque hujus Sanctæ et Apostolicæ Sedis Nunciis ordinariis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Aprilis MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno nono.

Quam moleste Episcopi Bertinorensis ab se digressum Rex tulerit, videre est in litteris, quas ad Episcopum Plocensem, suum apud Pontificem oratorem dedit (*), ex quibus illud etiam patet, nihil Regi tantum cordi fuisse, quam Episcopum Bertinorensem diutius apud se retinere. (*)

(*) Mantissa document. N. 47.

(*) Polonia Vol. 18. fol. 112.

Reverendissimo Domino Episcopo Plocensi. Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ etc. Transilvaniæ Princeps etc.

« Reverende in Christo Pater et Dñe syncere nobis dilecte. Intelleximus a Sanctissimo Domino Nostro Reverendum Dñum Joannem Andream Episcopum Britonoriensem, Sanctitatis ejus apud nos Legatum, e Polonia evocari. Quæ res quidem si certa est, non possumus nobis aliud persuaderi, quam jam e consiliis et instinctu eorum profectam esse, qui rerum nostrarum regnique nostri rationes non satis perspectas teneant, vel non satis pio zelo, neque satis æquis animis erga commoda nostra ferantur. Cum autem nos ipsi probe intelligamus, atque re ipsa experiamur, quam utilis, necessaria et salutaris Ecclesiæ Dei in hac Republica regni hujus nostri rationibus, ejus commoratio penes nos fuerit, supplicamus per literas nostras Suæ Sanctitati, quo ei Legato suo, provinciam hanc suam, nostra causa, prorogare adhuc apud nos velit. Fateri enim nos profecto oportet, nos pietatem, candorem et simplicitatem hujus viri, et tempori huic præsenti, quo sæpius ultra fines regni progredimur, et cogitationibus, studioque nostro in Ecclesiam Dei virtutes peraccommodas magnopere complecti et amare. Hortamur itaque diligenter Synceritatem Vestram, ut literas hasce nostras Sanctissimo Domino Nostro offerat, iisque redditis apud ejus Sanctitatem nostro nomine diligenter et accurate agat, omnemque operam in eo ponat, quo ejus Legati sui præsentia et consiliorum communicatione nos adhuc frui permittat: quam rem Sua Sanctitas, Deo volente, brevi non sine fructu fuisse intelliget. Nunc etiam in remotissimis partibus regni nostri nobiscum versatur, neque, si is a nobis revocetur, alter tam opportune adesse, et tam apte rationibus nostris sese accommodare possit, scimus, ut hoc confidenter illius Sanctitati nomine nostro referat, eam rem, non ex mente Sanctitatis Suæ, sed ex artificio inimicorum nostrorum proficisci. Quod si contra morem aliquid fieri videbitur, nihil est contra morem, quod utile Ecclesiæ Dei esse perspicuum est. Præterea D. Portico in hoc ante nos regno in sextum annum prorogata provincia fuit. Aliis alibi in plures. Hac igitur in re, nostræ supplicationi et desiderio ut Sua Sanctitas paterno animo satisfaciat, apud ejus Sanctitatem omnibus modis enitatur; Synceritas Vestra hoc tempore nobis nihil gratius efficiet; quam bene valere optamus. Datum Vilnæ 19. Maji anno Domini MDLXXXI. Regni nostri anno sexto.

STEPHANUS REX.

XXXIV. — Cum igitur illa Bertinorensis Episcopi revocatio non levem ad Regis animum offensionem habuisset, Oratorem suum Roma ad se evocare statuit; a quo tamen consilio eum deducere Pontifex humanissimis sane verbis et rationibus aggressus est. (¹)

Charissimo in Christo Filio Nostro Stephano Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem etc. Reddidit nobis literas Majestatis Tuæ datas die secunda Februarii venerabilis frater Petrus, Plocensis Ecclesiæ Episcopus, et Orator tuus, quibus eum in Poloniam revocas. Agnoscimus causas ipsas, quas proponis, honestas illas quidem et graves esse. Quia vero ea, quæ omnium gravissima est, gregis scilicet sibi commissi pascendi et tuendi necessitas, nostræ in primis curationis, sollicitudinisque est, speramus Majestatem T. æquo animo laturam esse, si recusaremus hoc tempore illum dimittere, quod ipse quoque omni intentione postulavit: sic enim cogitamus, ejus præsentiam, propter eximiam humanitatem, prudentiam, moderationem in negotiis tum Nobiscum, tum cum aliis magnis viris, qui hic sunt, tractandis, majori usui istius Regni rebus futuram, quam si istic esset. Rogamus igitur, ut velis eum apud nos remanere, atque perseveres negotia ei, quemadmodum hactenus fecisti, committere. Nos enim hoc etiam nomine eo libentius super omnibus rebus, de quibus Episcopus Nobiscum aget mandato tuo, postulatis tuis satisfaciemus, quo apertius testificemur ejus personam Nobis gratam atque acceptam esse. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Junii MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno decimo.

(¹) Brevia Greg. XIII. ad Princ. V. Vol. 29 ep. 9.

XXXV. — Quod autem hæc Regis offensio brevi tempore temuerit, ex eo patet, quod mox Pontifici commendavit Episcopum Vladislaviensem, quem Archiepiscopus Gnesnensis, qui provecta ætate, affectaque erat valetudine, sibi in Coadjutorem cum futura successione adsciverat. In eamdem quoque gratiam Cardinali Comensi scribit, petitque, ut in id sua officia conferat, quo facilius viri sibi carissimi ad illum Archiepiscopatum designatio rata a Pontifice habeatur. (¹)

(¹) Polonia Vol. 10 fol. 65

Illmo et Rmo in Christo Patri, Dño Ptolomeo Gallio Novocomensi, S. R. E. Tituli S. Agathæ Præsbytero Cardinali, Amico Nostro Charissimo et Honorando.

« Stephanus, Dei gratia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæque etc. Princeps Transilvaniæ etc. Illustrissimo et Rmo in Christo Patri, Dño Ptolomeo Gallio Novocomensi, S. R. E. tituli S. Agatæ præsbytero Cardinali, amico nostro charissimo et observando; salutem et nostram benevolentiam. Illustrissime et Reverendissime in Christo Pater domine, amice charissime et observande. Urgentibus Ecclesiæ Dei et Regni nostri rationibus factum est, ut Reveren-

dissimus Dominus Jacobus Uchanski, Archiepiscopus Gnesnensis et Regni nostri Primas, cum ipse per ætatem et valetudinem suam Pontificale et Senatorium munus jam quidem exequi non posset, in Coadiutorem ac simul etiam successorem sibi delegerit Reverendum Stanislaum Karnkowski, Wladislaviensem Episcopum, virum præclaris a Domino dotibus ornatum, et nobis ob insignia in Ecclesiam Dei, Rempublicam et in nos ipsos merita in primis charum. Cui electioni seu receptioni nos non tantum libenter subscripsimus, verum etiam eundem gravissimis de causis, in casum mortis Reverendissimi in Christo Patris Jacobi Uchanski, Archiepiscopum Gnesnensem jam plane nominavimus, propterea que Sanctissimo Domino Nostro diligentissime commendavimus, prout etiam Rmæ Paternitati Vestræ commendamus, ab eaque postulamus, ut rem hanc Regno huic nostro et Ecclesiæ Dei salutarem omni studio et cura promovendam suscipiat; simulque id agat, ut in sumptibus pro ejus negocii expeditione fieri solitis, ejus viri benigna ratio habeatur; utpote qui a multo jam tempore magnis in rem Ecclesiasticam impensis assidue gravatur. Rem sane gratam nobis factura est Illma et Rma Paternitas Vestra, suoque in nos et in hoc Regnum studio et voluntate dignam. Illustrissimam et Reverendissimam Paternitatem Vtam bene valere exoptamus. Datum Varsaviæ die XXI. Martii anno Domini MDLXXXI. Regni nostri anno quinto.

STEPHANUS REX.

Archiepiscopo tandem vita functo, Rex iterum per litteras vehementius eidem Cardinali instat, ut impensam det operam huic rei ad exitum perducendæ. (*)

(*) Polonia Vol 10. fol. 100

Illmo et Rmo Dno Ptolomæo, S. R. E. Cardinali Novocomensi etc. Amico Nostro Observandissimo.

Stephanus Dei gratia, Rex Poloniæ, magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazoviæ, Samogitiæ, Livoniæ etc. Princeps Transylvaniæ.

« Illme ac Rme in Christo Pater Domine, amice charissime ac honorande. In locum nuper defuncti Rmi in Christo Patris, dni Jacobi Uchanski, Archiepiscopi Gnesnensis et Primatis Regni nostri, nominavimus Reverendum in Christo Patrem Stanislaum Carnkowski, Episcopum Wladislaviensem, virum et pium, et moribus, vitæque sanctitate præstantem, fidei Catholicæ studiosissimum, ac in dirigendis Regni nostri consiliis prudentissimum, nobisque ob ejus erga nos merita ac virtutes in primis charum: qua de re scripsimus fusius Sanctissimo Domino Nostro. Rogatam itaque Illmam et Rmam Dominationem Vtam esse volumus, ut dexteritate sua id perficiat, quo Sua Sanctitas hanc nostram nominationem ratam habere, et auctoritate sua citra ullam procrastinationem confirmare velit. Id enim non modo nobis gratum erit, sed et Ecclesiæ ipsi Metropolitanæ, atque adeo Regni nostri, sub id potissimum tempus, quo expeditionem nostram contra hostem nostrum paramus, tranquillitati et quieti accomodatum: credimus autem Illmam et Reverendissimam Dominationem Vestram pro sua erga nos benevolentia, negotium hoc libenter apud S. Sanctitatem promoturam esse; quam bene valere cupimus. Datum Grodnæ die XXV. mensis Aprilis anno Domini MDLXXXI. Regni vero nostri quinto.

STEPHANUS REX.

XXXVI. — Quin adeo confidebat Rex, se sibi indulgentissimo usurum Pontifice, ut nihil dubitaverit, denuo ab eo, etiamque prolixius quam antea impetrare posse jus sacerdotia Ecclesiarum Cathedralium in regno suo conferendi, cum ejus facultatis dies exiisset. (*)

(*) Lit. Principum Vol. 35. fol. 68.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri, et Domino, Dno Gregorio Divina providentia Papæ XIII. Sacrosanctæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater et Domine, Dne Clementissime.

« Post oscula pedum beatorum, ac mei regnique et dominiorum meorum diligentem commendationem. Non dubito quin Sanctitas Vestra meminerit ab ea superioribus proximis annis jus mihi sacerdotiorum conferendorum, quoad Sanctitatis Vestræ conferendi jus, in majoribus Ecclesiis Regni nostri Cathedralibus mihi clementer concessum fuisse. Qua quidem ex concessione ita sacerdotia conferre adhuc studui, ut confido et Ecclesiæ et Reipublicæ per nos recte consultum esse. Verum cum quidquid ejus juris est, jam exierit, tum quoque Sanctitatis Vtæ Commissarius, quem iis confirmandis, quos istiusmodi sacerdotiis affecissem, præfecerat, vita decesserit, majorem in modum Sanctitatem Vestram rogo, ut priori beneficio novum accumulet, et idem juris in Ecclesiis Regni mei Cathedralibus, nempe Gnesnensi, Cracoviensi, Vladislaviensi, Posnaniensi, Plocensi, et Varmiensi iterum mihi cumulatius aliquanto tribuat. Qua quidem in re recte atque ordine administrando me geram, ut Ecclesiæ in primis et Reipublicæ cum dignitatem tum utilitatem me respexisse Sanctitas Vestra intelligere possit. Hoc vero beneficii tanto me facilius a Sanctitate Vestra impetraturum esse spero, quo diligentius adhuc institutum meum conservavi, ac deinceps etiam conservaturus sum, ea sacerdotia quæ ad curam animarum humanarum pertinent nemini conferendi, nisi qui re ipsa præsbyter sit, et in sui sacerdotii loco assiduus permaneat. Quod quidem dum facio secretariis meis, qui se ad Ecclesiasticum ordinem applicant,

quibus quidem præ cæteris plurimum libenterque utor, conferre ea non possim, quæ merita illorum requirant, nisi hac Sanctitatis Vestræ concessione sublever. Est vero mihi hujusmodi secretariorum meorum hæc major ratio habenda, quo ex his maxime tamquam exploratæ virtutis hominibus Episcopos Sanctitati Vræ nomino, at mihi Senatores in Regni senatum adscisco. Quod quidem non solum Reipublicæ, verum etiam Ecclesiæ perutile esse, Sanctitatem Vram satis perspicere judico. Confido Sanctitatem Vram, cui ego omni obedientia et cultu adhuc diligenter satisfacere studui, semperque studebo, hujus meæ petitionis clementissimam rationem habituram esse. Commendo me, Regnum, dominiaque mea in clementiam Sanctitatis Vræ, quam diutissime recte valere exopto. Vilna die XIX. Junii anno Domini MDLXXXI.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ.

Obsequentissimus filius
STEPHANUS REX POLONIÆ.
m. ppria.

Molestum profecto fuit Pontifici tam pio Regi, tamque Catholicæ Ecclesiæ amplitudinis studioso, hanc facultatem denegare: fecit tamen, ne exemplum ederetur, quo cæteri Catholici Principes idem sibi jus aliquando poscerent. Gratificari nihilominus in eo genere se libentissime velle affirmat, quoties contingat, ut id ab se facultatis ei opus sit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann X. ep. 118 f. 87.

Charissimo in Christo Filio Nostro Stephano, Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Gratias omnes hujus Apostolicæ Sedis esse in te optime collatas, posseque pietati tuæ omnia quam tutissime committi, Majestatemque Tuam omnibus in rebus summam semper Ecclesiasticæ dignitatis rationem habuisse, exploratissimum Nobis est. Hoc ipso consilio, et spe concessimus Majestatis Tuæ primariis precibus (sic enim appellari consueverunt) ea, quæ postulaveras. Ut autem id libentissime fecimus, sic quominus factum id renovemus, exempli novitas impedit, quo etiam exemplo charissimus filius noster Rodulphus, Romanorum Imperator Electus, aliique pretērea Reges Catholici idem in suis regnis postularent. Gratificabimur autem libentissime Majestati Tuæ in iis Ecclesiis, quas nominas, quoties facultas dabitur. Utque in hac re, sic omnibus in rebus nostram paternam erga te voluntatem et charitatem perspicies. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die nona Decembris, millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Pont. Nostri anno decimo.

XXXVII. — Ea porro Stephanus Rex in Ecclesia Catholica colenda erat constantia, ut optime posita in eo quælibet vel amplissima privilegia viderentur. Qua in re nihil ipsi antiquius fuit, quam efficere, ut qui aliena a Catholica fide sentirent, ad eamdem leniter et admonendo et suadendo reducerentur. Cujusmodi, ut pauca attingamus, fuit reditus ad Ecclesiam celeberrimi viri Joannis Michaelis Bruti, Veneti, qui non modo illius ætatis nobilis historicus ferebatur, sed latine scribendo etiam cæteris præstabat omnibus. Quod quidem sicut tunc Stephano, ita nobis modo hæc legentibus accidere debet gratissimum; non quia animæ doctorum hominum pluris sint, quam cæterorum, sed quia ejusmodi exempla plurimum ad vulgus hominum momenti habeant. Jam vero de hoc viro operæ pretium facturi videmur, referre quod omnes, qui de eo scripserunt, Mazzuchellium, Tiraboschium [*], Sebastianum Ciampium, latuit [*]. Is enim cum a prima juventute nomen dedisset Ordini Canonicorum Regularium S. Augustini Lateranensium, religionem solemni sacramento postea professus, sacro etiam Diaconatus ordine insignitus fuerat. Verum incredibili quodam litterarum studio abreptus, peregrinarumque rerum agnoscendarum apprime cupidus, cœnobio valedixit: peragratisque præcipuis Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Germaniæque urbibus, postremo cum in Transilvaniam pervenisset, Stephanus Bathorius, viri ingenio captus, plurimasque litteras admiratus, inter suos cum esse jussit; idemque simul ac Poloniæ Rex renunciatus fuit, in aulam suam induxit, ibique hospitaliter et amice habuit. Brutus, familiaritate doctissimorum Europæ virorum antea usus, sæculi moribus ac licentiori vivendi rationi modo se dederat, et clam Neotericorum doctrinis indulserat. Verumtamen eximia Regis benignitate, nec non colloquiis cum Præsule Bertinorensi, Nuntio Apostolico factum est, ut resipueret, seque cum Ecclesia Catholica reconciliaverit. Cujus exemplum postquam plurimi hæretici sequuti sunt, Nuntius Pontificem rogavit, ut sibi facultatem daret, eos omnes, qui repudiatis erroribus in Ecclesiæ sinum redituri essent, hæresis crimine absolvendi [*]. Eamdem facultatem Episcopus etiam Chelmensis expetivit, cujus ardentissimo in hujusmodi homines studio, plurimi sane ex suæ Diœcesis hæreticis, ad Ecclesiam reditum parabant. En ejus ad Nuntium litteras. [*]

[*] Storia della Letteratura Italiana L. III. N. 18 T. VII. par. II. pag. 283. Roma 1784.

[*] Bibliografia Critica delle reciproche corrispondenze dell' Italia colla Russia ecc. Firen. 1834. T. I. p. 43.

[*] Nunziat. document. N. 18.

[*] Polonia Vol. 18. fol. 280.

Reverendissimo Domino, Dño Nuntio Apostolico, Dño Observandissimo.

Rñie Domine, Dñe Colendissime.

« Propter adversam meam valetudinem huc rediens, ad Rñam Dominationem Vestram non accessi, de quo me habeat Dominatio Vrã Reverendissima excusatum, oro; attamen per nepotem meum obsequia sua commendanda duxi. Cæterum in Episcopatu meo hæreses tempore Antecessoris mei auctæ sunt multæ, et quia

nonnullæ personæ inter proceres regni illius provinciæ sine obedientia Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, infecti pravitate hæretica permanserunt a multo tempore; nunc autem Divina providentia illustrati nonnulli ad pristinam religionem Christianam Ecclesiæ Catholicæ illiusque obedientiam redeunt, et alteri converti intendunt, id tamen mihi consilio Vestræ Rñæ Dominationis, uti visum est, an auctoritate mea, qua fungor ordinaria, sine indulto Sñi Domini Nostri aut Suæ Sanctitatis Legati, ab infectione eorum hæretica possunt esse absoluti, et in Ecclesiæ gremium recepti, injuncta illis pœnitentia. Alioquin in quantum Sedes Apostolica in ea causa requirenda sit, multi propter impensas et difficultates, temporisque prolungationes a bono suo proposito, in opinione sua remansissent. Verum visum mihi est, Dominationi Reverendissimæ Vestræ, tanquam Summi Pontificis Legato in ea causa perferri, ut me Dominatio Vestra Reverendissima suo juvaret consilio, et si fieri poterit, ut facultas absolvendi, generaliter omnibus a fide Catholica prius alienatis et demum reductis, in personam Decani mei Chelmensis a Reverendissima Dominatione Vestra fuisset concessa, diligenter oro et peto, cui me meaque diligentissima obsequia in gratiam ejusdem Dominationis Vestræ Reverendissimæ commendo. Datæ Varsaviæ xiv. Martii MDLXXXI.

Rñæ Dominationis Vestræ

Obsequentissimus servitor
Adam Pilchowski Episcopus
Chelmensis m. ppria.

XXXVIII. — Longe secus se habebant res Catholicæ in Magno Ducatu Lithuaniæ, ubi hæretici summa effrænati insolentia id unum agebant, ut Ecclesiam Catholicam prorsus ex iis regionibus deturbarent. Inde quidem fuit, quod ad suos errores prolatandos atque Episcopalem auctoritatem frangendam omnia et auderent et conarentur. Cum igitur Vilnæ Præsul suum jus usurpans sapientissima lege cavisset, ne in posterum ulli umquam libri typis ederentur, neque venderentur, qui antea ab se cogniti probatique non essent: hæretici, qui se peti eo edicto sentiebant, mirum quanta exarserint ira! Edictum per summum nefas abradebant, sua funera de industria præter Episcopi ædes ducebant; ipsi ferociter minitabantur, nisi abstineret. Hic igitur misso ad Regem supplici libello, in quo hæreticorum in se injurias aperiebat, ipsum ad eorum audaciam comprimendam excitabat. [*]

[*] Polonia Vol. 18. fol. 253

Serenissime Rex et Domine, Dñe Clementissime.

« Quæ hic agantur, operæ precium esse putavi, ut Majestas Vestra ex meis litteris cognosceret, ne aliquis fortasse falsa scribendo aut narrando illius animum perturbaret. Vilnam veni, Serenissime Rex, eum animum gerens, ut in administrando munere Episcopatus, ea præstarem, quæ et sanctissimorum Patrum decretis et Romanæ Ecclesiæ institutis mihi præscripta, et a me jurejurando promissa esse intelligebam, neque putavi me rem ingratam Majestati Vestræ facturum fuisse, si in restituenda Ecclesiastica disciplina, et in hæreticorum audacia reprimenda virum me ostendissem. Itaque ab eo præsertim exordium sumpsi, quo nihil esse populo Christiano salutarius sentiebam, ut perniciosos ipsorum hæreticorum libros pravarum opinionum labe aspersos, impudentissimis mendaciis, maledictis, blasphemiisque plenos exploderem, et si fieri posset, exterminarem. Cum hæreticum hominem invenissem, qui in ipso ædium mearum vestibulo officinam aperuisset, et pessimos libros venditaret, ut ii libri damnati et prohibiti cremarentur, mandavi, promulgavique edictum, nequis in posterum libros venderet aut imprimeret, qui a nobis diligenter examinati, probatique non essent. Quod feci non tam meo privato in hæreticos odio, quam jubentibus constitutionibus sacri Tridentini Concilii et nostræ Provincialis synodi, quæ annuente Sigismundo Augusto, Majestatis Vestræ prædecessore, omnibus regni Episcopis injunxit, ut tales libros perquirerent, et quacunque ratione possent delerent et dissiparent. Alterum est, quod ego pati non possum, nec debeo, ut cujuscunque sectæ hæretici ante ædes meas funus deferant, et bini incedentes, suasque cantilenas cantantes, pompam ob oculos meos ostentent, meque ipsum contemnant. Itaque pacis et quietis cupidus, monui illos humaniter per familiares meos, ut alia via transirent, ne forte a familia mea, quæ tota Catholica est, et a studiosis, qui eandem frequentant viam, injuriam aliquam paterentur. Ea res mirum in modum offendit nonnullorum animus: alii enim nos in conciliabulis Turcas appellarunt, nostrasque præsertim pro Majestatis Vestræ salute et felicitate supplicationes, processionesque solemnes carpserunt, et in ludibrium vocarunt: alii etiam rabie perciti et furentes ad me venerunt, neque dubitarunt dicere se, ad talem injuriam propulsandam, non modo contra me, sed etiam contra Majestatem Vestram paratos esse atque dispositos, et futurum aliquando tempus, quo facti mei me pœniteret, cum ego Sacerdotum meorum projectos pileos et vestes respersas sanguine conspicerem. Fuit autem ex illis maxime, quem silentio præterire non possum Abrahamovicius, Magnifici domini Palatini Vicarius, qui omnes verecundiæ fines transivit: ausus enim est edictum meum de librorum editione et venditione promulgatum, quod affigi valvis Ecclesiæ meæ cathedralis mandaram, propria autoritate pessimoque exemplo divellere, et apertissimum mendacium in vulgus spargere, totum hoc librorum negotium non ad

me, sed ad Palatinum pertinere. Neque desinit et verbo et scripto turbas concitare, et nobilitatis nomen usurpando vel potius mentiendo libertatem publicam jactare, quam ipse solus violat, qui falcem ponit in messem alienam, sacraque profanis miscet, qui familiares meos et Catholicos ac pios homines conviciis consectatur, qui me ipsum impudenter accusat, nostrisque omnibus minatur. Hoc est, Serenissime Rex, pacem et tranquillitatem turbare, quod isti maxime novatores conantur, a quorum oculis Dei timor recessit, quorum mentes pater dissensionis excæcavit. Profecto nisi mei potius ordinis et publicæ quietis, quam temeritatis illorum rationem habuissem, ex illorum virtutibus ipsos ornassem. Verum continui me, et quo modestius potui eam audaciam pertuli, neque tamen sum deterritus, quo minus dicerem me dignitatem et officium meum, quibuscumque rebus fieri poterit, retenturum, quod certe faciam, si mihi per Majestatem Vestram licebit, neque dubito, quin perpetuo liceat, quia piam et singularem illius in Catholicam Ecclesiam voluntatem perspectam habeo. Nihil a me est factum, quod summo jure facere non potuerim, nisi isti libertatis amatores, iis non velint legibus adstringere, ut in Urbe mihi in spiritualibus commissa atque in ædibus propriis jure meo uti non possim. Verum cur mihi non liceret, vel alias bibliopolarum et impressorum officinas perquirere, vel ministros Sathanæ et concionatores ejicere, vel conciliabula dispergere, si annueret Majestas V̄ra, quæ, invitis omnibus, potest Catholicam religionem fovere in ea Urbe, quæ illius propria est, uti possunt nobiles regni in suis quisque locis, vel hæreticas sectas, vel Catholicam religionem arbitratu suo aut rejicere, aut complecti? Nunquam enim mihi persuadebo, quod subditis licet, Regi non licere, et illi præsertim Regi, cujus ea sunt de republica merita, ut pro libertate omnium et salute suam ipse vitam exponat. Itaque in eadem ego sententia manebo, ut boni et vigilantis Episcopi tuear officia atque partes, et levissimorum hominum impetum frangam, minasque contemnam, ea spe fretus, ut Majestas Vestra quæcumque pro muneris mei dignitate fecerim, sit approbatura. Illam igitur vehementer rogo primum, si quid ad illius aures pervenerit, ut credat rem ita esse, uti ego superius narravi, deinde ut faciat ea, quæ ad illius dignitatem pertinebunt, ut adversarii intelligant talem esse Majestatis Vestræ mentem, ut non modo Episcoporum jurisdictionem non impediat, sed etiam ut illorum defensorem, fautoremque se præbeat: ita inanem et verbosam audaciam reprimet, et publicam quietem ac pacem constituet, in primis autem Deum Optimum Maximum de cujus caussa agitur, sibi conciliabit, qui Majestatem Vestram immortalibus ornabit præmiis, illamque salvam et de hostibus triumphantem ad nos reducet; quod omnes boni votis omnibus precantur. Servitia mea Majestati Vestræ humillime commendo. Vilnæ die 18 Augusti 1581.

Habeas etiam ejusdem Præsulis æquissimum de libris edendis præscriptum. [*] [*] Polonia Vol. 18. fol. 260.

Georgius Radziwil D. G. Episcopus Vilnensis, Dux Olycæ et Neswisi etc.

« Traditum nobis per Dei gratiam munus custodiendi Christiani gregis exequi diligenter studentes, perspicientesque, nihil magis infecisse populum nostrum, quam pravorum, adulterinorumque librorum impressionem et evulgationem: in eo præsertim navare operam nostram intendimus, quod sanctorum Patrum decretis, et nuper constitutionibus Synodi provincialis Metropolitanæ Ecclesiæ Gnesnensis nobis maxime est injunctum; ut pessimum genus librorum, hæreses, blasphemias, maledictaque continentium, quantum per nos fieri poterit, explodatur et exterminetur. Mandamus itaque universis et singulis bibliopolis, et librorum quorumcumque venditoribus, qui in hac urbe officinas habent, aut libros venales quoquo modo exponunt; ut indicem omnium et singulorum librorum, quos vendunt, Nobis aut Officiali nostro ad hoc deputato ostendant, neque librum aliquem prius vendant, quam index ipse a Nobis vel ab Officiali nostro præfato fuerit examinatus, et per subscriptionem approbatus. Impressoribus autem omnibus librorum præcipimus districte et mandamus, ne librum aliquem cujuscumque qualitatis, neque magnum neque parvum, neque folium etiam unum imprimere audeant, sine expressa licentia, quam a Nobis aut ab Officiali nostro petere in scriptis et obtinere, illamque in fronte libri impressam apponere debeant et teneantur. Si quis autem huic mandato, sive edicto nostro non obtemperaverit, præter amissionem librorum, pœna etiam vel pecuniaria vel corporali, ex sacrorum Canonum præscripto, mulctabitur. Datum Vilnæ in palatio residentiæ nostræ. Die XII. Augusti MDLXXXI.

Ludovicus FulginSus
Cancellarius de mandato.

XXXIX. — Quod ad bellum contra Moschum spectat, Joannes Basilii Magnus Moschorum Dux a Stephano Poloniæ Rege bello vexatus, et nonnullis quibusdam oppidis privatus, pacem petebat, cujus cum conditiones Stephano non placerent, Thomam Severigenum Cubicularium suum, quatuor comitibus additis, ad Gregorium legavit, confidens, ejus auctoritate Stephanum ad deponenda arma inductum iri. Thomas privatim Romæ exceptus, et a Gregorio post pedis osculum auditus, litteras Ducis eidem tradidit, quibus ille Pontificis cæterorum-

que Christianorum Principum amicitiam se expetere ostendebat; ut negotiatio inter subjectos populos utrinque tuta esset; orabatque Gregorium, ut Polonorum Regem pacaret, quo Christiana arma in communes hostes verterentur: postulabat præterea, ut aliquis Pontificius Orator cum Severigenio in Moscoviam pergeret. Agnovit Gregorius viri supplicis, a Stephano bello depressi, mentem: non enim de Religione, aut de pio in Apostolicam Sedem animo (ut duo ejus Decessores sub Clemente VII. et Julio III. fecerant) loquebatur, sed de excutienda a cervicibus vexatione; oblatam tamen propagandæ in dissitis regionibus Catholicæ religionis occasionem frustra elabi non est passus: quare Cardinalium Farnesii Poloniæ, Madrutii Germaniæ protectorum, Comensis et Commendoni consilio, Antonium Possevinum e Societate Jesu, reversum nuper e Svecia, corpore validum, ferventem et eloquentem, cum tribus ejusdem Ordinis sociis illuc legavit, Magno Duci, Anastasiæque ejus conjugi humanissimas scripsit litteras, pretiosa et pia dona, Florentinæque synodi decreta onsit: cupiens ardentissime eum a Græcorum schismate revocare, et ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata profitendum allicere. Soræ Dux Severigenum hospitio honoravit, et die 26 Februarii hora 21 ad Pontificem adduxit.

Legesis quæ Mucantius de humanitate, qua Gregorius Moschorum Oratorem excepit, scripta reliquit. [*]

* Diarior. Cærem. vol. 15. fol. 211.

« Die 26 Februarii, Dominica tertia Quadragesimæ, hora 21. venit ad Palatium ductus ab Illmo Duce Soræ quidam orator Regis, seu Principis aut Ducis Moschorum seu Moschovitarum, nomine Thomas Cosmingenus Severingen, qui biduo ante venerat ad Urbem, et hospitabatur in Palatio Illmi D. Marci Antonii Columnæ, ubi ad præsens inhabitat præfatus Dux apud templum SS. Apostolorum.

« Habitus ejus erat secundum morem patriæ et regionis suæ, videlicet clamis manicata, protensa ad media crura, ex panno laneo coccineo, et subtus illam altera aliquanto longior, ac duplex ex tenui serico ejusdem coloris, lino gossipino seu bambaceo farta consutaque, pedes et crura cothurnis ex tenui ac lucido corio Orientali ejusdem coloris induebantur, in capite pileum cibellis pellibus extrinsecus coopertum gestabat, vestis interior circa collum margaritis contexta et ornata. Comitem seu asseclam eodem fere habitu ornatum habebat, qui litteras seu mandatum sui Principis portabat in manu. Introductus fuit per aulam Constantini ad cubiculum secretum Pontificis, una cum ejus comite prædicto et duobus interpretibus, a præfato Duce Soræ, ubi Smus Dominus noster morabatur solus, nec alius prorsus quispiam illuc intravit, sed nec ipsi quidem secretiores cubicularii, licet quamplurimi, usque ad eum locum Ducem cum præfato Oratore comitati essent. Non ergo de visu referre possum, quid intus actum sit, tamen audivi ab ipsomet Duce, illum pedem Sanctitatis Suæ deosculatum fuisse, et genuflexum mansisse, donec mandatum et litteræ sui Principis interpretarentur, tum quædam dona nomine sui Principis Pontifici obtulisse, videlicet nonnullas pelles cibellinas, quas portabat puer quidam ejusdem nationis et habitus, sed diversi coloris; postmodum exeuntes e cubiculo Pontificis cum eodem Duce, curru reducti sunt ad easdem ædes cum pluribus curribus sequitantibus.

« Duobus diebus ante Sanctissimus Dominus noster mandaverat, per nos Cæremoniarum Magistros perquiri, num in nostris aut antecessorum nostrorum diariis annotatum esset, venisse alias ad Urbem Oratorem aliquem Moschovitarum ad Summum Pontificem, et quo ritu receptus esset, quod cum diligenter a nobis perquisitum esset, nihil invenire potuimus. Et cum a nonnullis diceretur, tempore Clementis VII. missum fuisse similem Oratorem ad ipsum Clementem, idque per Paulum Jovium celeberrimum historiarum scriptorem memoriæ proditum esse: reperii tandem lib. XIII. historiarum ejusdem de hoc mentionem fieri, videlicet venisse ad Clementem Legatum Basilii Regis Moschorum, nomine Demetrium, quo tamen ordine, ritu aut pompa receptus, auditusque esset, non exprimit. Nec puto aliter receptum fuisse, nisi prout modo receptus fuit a Sanctissimo Domino nostro. Tum quia non venit tunc, nec modo pro obedientia præstanda, quo casu non solent recipi Oratores cum pompa, nec mitti eis obviam familiæ Papæ et Cardinalium, nec in Consistorium publicum introduci, quod etiam per Decretum Consistoriale Julii Papæ Secundi fuit ordinatum, et a Leone Papa X. ejus successore comprobatum, ut notavit Paris Crassus Episcopus Pisaurensis, et Cæremoniarum Magister tempore præfati Leonis X. anno Domini 1517. post diem Epiphaniæ, licet aliquando pro arbitrio Pontificum aliter servatum sit. Tum etiam, quia Princeps seu Rex Moschorum, et ipsi Moschovitæ, licet Christi legem profiteantur et colant, tamen non consentiunt in omnibus cum Ecclesia Romana, sed vivunt more Græcanico, et sic extra gremium et schismatici.

Idem Orator per sanctiorem hebdomadam, in Vaticano sacello, ex Pontificiorum cantorum odeo sacris solemniori cærimonia ab Pontifice celebratis interfuit. Die tandem 28. Martii, aureo torque, mille insuper aureis nummis, aliisque a Gregorio donatus muneribus, ex Urbe in Moscoviam discessit.

XL. — Bertinorensis Præsul e vestigio ad Stephanum Regem retulit, quæ Moschorum

Orator cum Pontifice egerat : quæque ipse Pontifex ad pacem inter eos componendam, rem Catholicam in Moscovia provehendam, instaurandumque contra Turcas bellum, gerenda esse decreverat. Illud præterea Regem rogavit, ut Possevinum ad hæc negotia expedienda auctoritate et commendatione sua apud Magnum Moschorum Ducem prosequeretur; quod libentissimo se animo facturum Rex est pollicitus. [*] Eadem tempestate Possevinus Magno Duci refert, se nomine Pontificis apud Cæsarem et Rempublicam Venetam nullum officiorum genus se reliquum fecisse, quominus ejus votis de parcendo Christianorum sanguini, armisque in communem hostem avertendis, satisfieret. Cujus rei causa Poloniæ Rege convento, propediem se iter in Moscoviam capessiturum, cum ipso de tota causa coram colloquuturum. [*]

[*] Vide de commentario negotium spectantia apud Turgenevium Historica Russiæ monumenta T. I. N 213-221. p. 292-321.

[*] Germania Vol. 84. fol 100.

Serenissimo et Clementissimo Principi, Domino Joanni Basilio Dei gratia Dominatori totius Russiæ, Magno Duci Wolidimeriæ, Moscoviæ, Novogordiæ, Imperatori et Czar Cassani, Astercani, Smoleneiæ, Plescuviæ, et Ileriæ etc. Domino Suo in Christo Jesu Observandissimo.

Serenissime et Clementissime Domine et Czar.

« Quo animo ac lætitia Summus Pontifex dominus meus D. Thomam Severigin a Vestra Serenitate missum excepit, cum xxiii. die Februarii hujus anni ad urbem Romam pervenit, Vestra Serenitas cognoscet iis ex literis, quas idem Summus Pontifex per me mittit Vestræ Serenitati.

« Nihil autem Summo Pontifici potuit jucundius accidere, quam omnem amoris ac paterni officii significationem re ipsa ostendere in iis rebus, quas idem dominus Thomas cum literis Vestræ Serenitatis ejus Sanctitati commendavit. Venimus postea huc ad Cæsaream Majestatem Rudolphi Imperatoris, ad quem etiam ego missus sum, ut quemadmodum egi cum Illustrissima Venetorum Republica, ita cum Imperatore Rudolpho nomine Summi Pontificis ea procurem, quæ Vestra Serenitas, pro suo pio desiderio, ab ipso Summo Pontifice cupere se scripsit : nimirum ut Christiani Principes una contra communem Christiani nominis hostem potius arma capiant, quam inter sese Christianum sanguinem fundant. Cum autem ipse D. Thomas Severigin hinc Lubecam discedat, ut ad Vestram Serenitatem redeat, nolui prætermittere, quin has literas de illius diligenti ac fideli erga Vestram Serenitatem servitio perscriberem, simulque adderem, me post quatuor vel sex dies, Deo adjuvante, ad Poloniæ Regem iturum, ut illum ad arma deponenda, nomine Summi Pontificis, ita adhorter, quemadmodum Vestra Serenitas ejus Sanctitati scripsit. Inde autem omnem operam dabo, ut quam primum ad Vestram Serenitatem proficiscar, eique non solum quæ mihi Summus Pontifex injunxit, fusius exponam, verum etiam mei ipsius et omnium eorum qui mecum venient, fidelissimum in omnibus rebus obsequium atque servitium humillime offeram. Interea rogo Sanctissimam Trinitatem, ut Vestram Serenitatem omnibus cælestibus donis cumulatam diutissime, ad sui Sanctissimi nominis gloriam conservet incolumem. Pragæ die xv. Maji 1581.

Serenitatis Vestræ

Humillimus servitor in Christo Jesu

Ant. Possevinus.

XLI. — Mimatensis in Gallia Episcopus cum se omnium votis ad Bituricensem Sedem expetitum esse cognosceret, Pontificem obsecrat, ut consilio auctoritateque sua, quid sibi hærenti agendum sit, expediat; quippe cum miserrima Mimatensium conditio suam opem requireret, et Diœcesani obtestarentur, ut se tantis in calamitatibus omnino non desereret, ipsisque saltem idoneum aliquem successorem dandum curaret, qui miseris et afflictis rebus succurreret et consuleret. [*]

[*] Lit Principum Vol 8 fol 11.

Sanctissimo Domino, Dño Nostro Papæ.

Beatissime Pater.

Post humillima beatorum pedum oscula.

« Decimus quartus jam fere agitur annus, ex quo ad Episcopatum Mimatensem nominatus, et postea Sanctæ Sedis gratia confirmatus, ei Ecclesiæ præfeci : quo quidem tempore nihil mihi prius aut antiquius fuit, quam ut gregem commissum in fide Catholica retinerem, hostes vero Ecclesiæ longissime submoverem. Fuit mihi cum moltis monstris non levis conflictatio, qui dum aperte grassantur, bellum, et dum pacem prætexunt, insidias moliuntur. Qua in re non studium tantum et operam meam, verum etiam annuos reditus totius Episcopatus, et magnam aliunde bonorum partem insumere non dubitavi, cum et publicæ et regiæ pecuniæ non sufficerent, quas alio tempestas bellorum auferebat. Eo tandem nos calamitas hostilis detulit, ut quo tempore hostes publici pacem profitebantur, ut tale cogitantes cives et nocturnis precibus Natalis Domini incumbentes per insidias aditi, murum admotis scalis petere et Civitatem invadere ausi sint, misera et miseranda edita strage innocentium civium omnis ordinis, sexus et ætatis. Detinetur adhuc tota illa Provincia et Diœcesis a nefariis illis latronibus, et tanta servitute premitur, ut spes nulla aut exigua supersit recuperandæ pristinæ libertatis, nisi divina ope. Licet enim species quædam pacis cum ejusmodi belluis inita dicatur, audent tamen palam negare se morem gesturos publico edicto, atque hanc totam sibi provinciam quasi pro asylo vindicare. Interim cum ante aliquot annos a Christianissimo Rege vacanti Ecclesiæ

Biturigum destinatus sim, et votis omnium ordinum non tantum Civitatis, verum etiam totius Provinciæ expetitus, non possum, nisi prius imperante, seu potius favente Beatitudine Vestra, tantum onus obire, onus inquam, cui ferendo nec vires nec opes sufficerent in tam tenui censu et reditu, qui vix quingentorum ducatorum sit: ubi et magnis largitionibus opus sit in pauperes primum, deinde in omnes ordines, præsertim Ecclesiasticos, ubi collapsa et diruta ædificia manum poscunt artificum, ubi multis adjutoribus et stipendiariis necesse est ad provinciam tam arduam obeundam. Aliunde interpellant me cives, et diœcesani Mimatenses implorant opem, obtestanturque, ne illus in tantis miseriis et calamitatibus omnino deseram, saltem ut illis prius idoneum aliquem successorem sufficiam, qui miseris et afflictis illorum rebus succurrat et consulat, qui pietate et studio nostro in illos succedat. In hoc tanto tamque serio negotio, quo animus meus distrahitur, nihil statuendum putavi, nisi prius consulto Sanctitatis Vestræ oraculo, et implorato Beatitudinis et liberalitatis Vestræ numine, qui preces eorum, qui bonitatem tuam implorant, aspernari non soles, nec quemquam a facie Beatitudinis Tuæ tristem redire sinis. Hæc vestræ bonitatis fiducia me nutantem firmavit et impulit, ut Sanctitatem Vestram devotis precibus implorem, ut qua potest gratia, dubium anxiumque servum confirmet, Sanctitatis et liberalitatis Vestræ perpetuum præconem sibi adscribat. Blæsis anno Domini 1581. Pridie Idus Februarii.

Sanctitatis Vestræ

Humillima creatura

R. DE BEAUNE EPISCOPUS MIMATENSIS.

Bituricenses Canonici eorum experti Mimatensis Præsulis pietatem et doctrinam, dicendique facultatem, quibus laudibus prædito viro suam Ecclesiam egere sentiebant, Gregorio jam ante supplicarant, ut Mimatensem Pontificia auctoritate ad illam amplissimam Ecclesiam suscipiendam adigeret. (1)

(1) Lit. Principum Vol. 23 fol. 92.

Beatissimo Patri et Sanctissimo Domino Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Decanus et Collegium Canonicorum Ecclesiæ Archiepiscopalis Biturigum, salutem et fœlicitatem perpetuam cum humili summissione precantur.

« Agitur nunc annus quartus, Sanctissime Pater, ex quo piæ memoriæ Præsul Antonius Utalart non multo ante jure pallii per te donatus, vitam cum morte commutavit. Condoluimus ejus interitu omnes, ut debebamus, et Clerici et laici: quippe is erat, qui jam prope collapsam Ecclesiam brevi restituere posset. In ejus locum designatus est a Christianissimo Rege vir religiosissimus, Reginaldus de Beaune Episcopus Mimatensis, Regis voluntatem sequutus est Franciscus frater, unicus Dux noster, utriusque principis judicium et publicis et privatis suffragiis populus universus comprobavit. Academia Bituricensis (quæ jam vel unica est in Galliis vel cæteras longo intervallo superat) complexata est. De eo tum et Principes ipsos, et omnium ordinum primarios viros ad Sanctitatem Tuam scribere audissemus, ne quod partium erat nostrarum præterivisse videremur, cum nostra maxime interesset, præfici aliquem qui et Religione nutantem statum Ecclesiæ confirmaret, et eruditione ignarum populum institueret, et exemplo corruptos mores emendaret. Duximus quoque esse scribendum ad te præsertim, qui eum locum tenes, ex quo ut e specula Catholicæ Ecclesiæ formam et conditionem intueri potes, eumque præesse te tanto munere dignum gratulamur. Ut igitur animus in re ea noster Sanctitati Tuæ notus sit, idem plane insedit nobis, quod maximis Principibus, quod populo religiosissimo, quod Academiæ integerrimæ, ut is præsit viduæ Ecclesiæ, quam omnes optant, qui cum ante solo nomine et fama cognitus esset, quantus et quam dignus esset, præsens comprobavit. Evocatus enim a nobis, ut proxima Domini Nostri Natalis sancti diei vigilia ordines conferret, requirentibus iis qui jam initiati erant, et pietatis solemnium sacrorum celebratione, et eruditionis doctissimarum concionum frequentia certum testimonium exhibuit, et futuræ concordiæ in Ecclesia, quam male vexant qui nimium multi sunt apud nos hæretici, spem fecit non pusillam, paucis exhortationibus e cœno evocatis non paucis, nostramque Religionem amplexatis. Hac causa idoneus visus est nobis, qui, te clavum tenente, variis jactatam procellis navem fœlici remigio ad portum impelleret. Si qua viro tanto digna unquam fuit Ecclesia, indiget hæc maxime, quæ Archiepiscopatu insignita, multarum provinciarum semotas et sparsas Ecclesias regit, Galliarumque Primatu, Aquitaniæ Patriarchatu celebris apud Sanctitatem Tuam insignem locum tenet. Quod e re Christiana esse ducebamus, nostraque privata, præsentem rogavimus, ut (te, Deoque benevolente) principum, populi, nostrisque votis annuere dignaretur. Causatus ille primum se tantæ dignitati sufficere non posse, id cum modestia tribueremus (quæ in eo singularis est), ut qui virium essemus conscii, non cessavimus interpellare, donec hoc expressimus, tam late patentis Ecclesiæ tam exiguum esse patrimonium, ut satisfacere non posset tanto muneri pro dignitate tuenda: præsertim bellorum intestinorum causa sacris prophanisque ædificiis, quæ ad Ecclesiam spectabant, non dirutis modo, sed æquatis solo, vestibus, vasis, et cæteris ornamentis, quæ ad divinum cultum pertinebant, ereptis, conflatis, sublatis, omnia ut statui suo

restitui non possent, nisi aliunde facultates suppeterent, quam ab Ecclesia, quæ quas habet modicas, bellis adhuc recrudescentibus tueri, sine maxima contentione non posset. Hoc cum agnosceremus omnes, nec esset quod juxta præscriptionem defendenti se objiceremus, reliquum unum esse putavimus, ut Sanctitas Tua per Christum, cujus vices geris, perque D. Petrum, cui successisti, rogatum vellemus, ut auctoritate tua (quæ multum apud illum potest, et cujus est studiosissimus) ad id eum compellas muneris quod recusat, et abnuit causa non injusta, liberalitate etiam (quæ inter tuas ceteras virtutes elucet maxime) provoces. Et si quid addi potest, seu volentem seu invitum pertrahas. Jam satis caruimus pastore, nec desunt qui velint pascere; qui digni sint, sunt valde pauci. Nos si eum nanciscamur, quem invocatus Spiritus Sanctus detexit, quem omnes ordines et sperant et postulant, erit semper quo tibi tanti beneficii auctori gratiam debeamus, quoque longos annos Sanctitati Tuæ precemur. Quod ut fecimus lubentes ante, in posterum lubentius tanto beneficio astricti et devincti faciemus. Deus Optimus Maximus universæ Ecclesiæ Catholicæ opportunam et necessariam vitam tuam in multos annos protrahat. Datum Biturig 4. Idibus Januarii 1581.

Sanctitatis Tuæ

Observantissimi et studiosissimi
BITURICENSIS ECCLESIÆ DECANUS, CANONICI ET UNIVERSI CLERICI INVOCATO SPIRITU SANCTO PRO MORE LEGITIME CONGREGATI.

XLII. — Henricus Galliarum Rex plura, uti solebat, a Pontifice petiit: in his ut Horatium Blancum, quem ipse ad sedem Salutiarum designaverat, institutione confirmaret [*]; Claudio Anselmo, Nemausino presbytero, Abbatiam Montis Majoris S. Benedicti in Arelatensi Diœcesi conferret [*]; Ecclesiam S. Ivonis in Urbe, ad gentem Armoricam pertinentem, cum S. Ludovici conjungeret [*]; Fuxium denique, quem Albino suo Oratori Romæ suffecerat, in eo munere fungendo, ea qua solebat benignitate complecteretur [*]. Regina etiam Pontificem supplex adiit, ut sibi voti persolvendi causa facultas fieret, duos Sacerdotes ex Ordine S. Francisci Minorum Cappuccinorum Hierosolymam mittendi, qui pro se Christi Redemptoris sepulchrum inviserent. [*]

[*] Monitiosa document. N. 49.

[*] Ibidem N. 50.

[*] Ibidem N. 51.

[*] Ibidem N. 52.

[*] Ibidem N. 53.

XLIII. — Haud vero hic prætereundus silentio est supplex libellus, quem pii Perpinianenses cives, in avita fide propugnanda, Hugonottisque debellandis facile omnibus antecellentes, Pontifici obtulerunt; tanta animi sinceritate, ac sententiarum et figurarum nativo quodam candore ac vi scriptum, ut in rudi stylo suis mentibus altius impressos et in fidem Catholicam et in Pontificem Romanum incredibilis amoris et venerationis sensus patefecerint. Petebant illi a Pontifice, ut sibi liceret eleemosynas quasdam, quæ in pauperum subsidium erogari solerent, per aliquot annos ad reficiendum dirutum pontem convertere: quæ demum res in ipsorum egentium usum quodammodo cessura esset, quatenus universorum civium commodum ea in re quæreretur. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 33. ep. 145.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Optimo Maximo, Consules et universus populus Reipublicæ Perpinianensis, diuturnam incolumitatem, et in Sacrosancto Pontificatu felices sanctosque successus.

« In quem spem omnem habemus repositam, ut in arcem munitissimam solent imbelles, et in sacram anchoram navigantes incurrere; ita in te uno, Pater Sanctissime, nos qui tot tantisque premimur malis, affligimur adversis, in tuamque fidem, pietatem, misericordiam atque munificentiam confugimus, supplices preces flexis genibus, erectis, complicatisque in cœlum et coram te manibus (o celeste numen) fundimus: pedes mente (quando corpore non datur) osculamur: sperantes certo fore, ut si est rebus communibus, rebusque publicis spes aliqua non infringi obscura, et cæca spe, sed rerum sanctarum bono exitu et felici sperato rerum eventu erigetur noster animus, augebuntur vires, elementorum inclementia confractæ, a te uno (inquam) P. S. in quo totus status Urbis nostræ, et spes firma omnium posita est atque defixa. Contigit enim huic nostræ Urbi (quod sine lacrymis referri non potest) proxima hyems summa, tempestas perfrigida, imber maximus et assiduus, nix, pruina, atque glacies intempesta: tandem concreverunt in immensum flumina, atque immundi spiritus (ut creditur) Pontem nostrum quadrato lapide compactum, ferri laminibus firmatum subverterunt; sicut Sathan e regione deserti irruente vehementi vento, concussis quatuor angulis, domum Sancti Job evertit, ut sacris literis continetur; (proh dolor!) Pontem inquam, quo divus noster Gregorius XIII. nunc Summus Pontifex Maximus Christi Vicarius, tunc Cardinalis Boncompagnus, Sedis Apostolicæ a latere Legatus, non semel sustentatus et tutissime transvadatus est flumen. Invidens profecto immundus spiritus lapideo ponti nostro, nostræque Perpinianensi Reipublicæ, cui a Deo Optimo Maximo facie ad faciem intueri, præsentia frui, manus sanctas osculari, colloqui sermonibus, frugali mensa refici, et ingenti omnium applausu, publica lætitia, et pientissimo Christiano affectu osculari datum est, Pontem disturbavit atque subvertit: prædia ferme omnia inundavit, segetes reliquasque fruges submersit, ita ut annona usque adeo ingravescerit, ut jam plane inopia ac dira fames timeatur. A nobis inquam, cum simus Pirenei montis acco-

læ, Galliarum contermini, pro aris et focis adversus Apostatas Ugonandos in dies manum conferre, corpora corporibus opponere contingit. Non cauponantes bellum sed belligerantes pro fide Catholica, pro Sancta Apostolica Romana Ecclesia, pro Christi Vicario, pro Sacrosancto Pontifice Maximo, ejusque potestate tutanda. Unde plane fit ut his continuis calamitatibus oppressis, licet animo invicti, fracti tamen viribus, pecuniis exhausti, obrutum pontem reficere non valemus. Utimur ad fluvii transitum submersorum magno malo, nonnunquam Cymba, aliquando ligneo fragili ponte. Evenit non raro submergi Romipetas, peregrinos pauperes suffocari, impediri commercia sæcularia, Ecclesiarum, ecclesiasticorumque redituum comportationes retardari; tandem serpit impendens in Urbem tum infinitum malum, quod nulla quamtumvis terribili oratione comprehendi possit. In malis etenim omnibus acerbius est videre, quam audire. At vero quoniam omne malum nascens facile opprimitur, inveteratum fit robustius; pecunias, frumentum et alia quæ eroganda erant dispositione fidelium in incertos ejusdem Urbis nostræ pauperes, et a decem annis citra ob varios casus eventusque difficiles erogata non sunt: et quæ ab hinc decem annus ultra eroganda fuerint, in hos pius jamdicti lapidei pontis refectionis usus, sub quo Thetis labatur et fluat fluvius, et per quam via regia peregrinis pauperibus, religiosis, clericis, laicis Romipetis, et denique omnium statuum Christi fidelibus innoxius pateat transitus, convertere, si per Sanctitatem Tuam P. S. concessione ac diplomate Apostolicis detur commutare, salva semper et illibata ea quæ in istis partibus Eleemosyna Communis nuncupari solita est, remanente pauperibus (ut de more est) eroganda. Sic enim et pauperibus subventum erit, et tui numinis observantissimos devotos et fideles Perpinianenses fovebis, nosque tot, tantisque difficultatibus affectos atque afflictos, ne dicam justa ista et fideli dispensatione sublevabis et consolaberis, sed etiam sic amicos tuos beabis. Igitur, Pater Sancte, iterum atque iterum, terque quaterque ad pedes Sanctitatis Tuæ mente obvoluti rogamus, obsecramusque, ut nostræ exoptatissimæ gratitudinis nos compotes facias, et honestis nostræ Reipublicæ affectibus præstes, ut tuis gloriari judiciis possimus; tuæ in nos liberalitatis bonorum nostrorum quæ erecto quadrato lapide ponte vigebit memoria sæculorum omnium, quam posteritas alet in æternum. Vale Pater Sancte, benedic nobis, et salvi erimus. Te nobis Deus servet incolumem in annos Petri Apostoli, Petri successor Sanctissime. Ex Perpiniano 3. Idus Maji, anno a Christi Optimi Maximi nativ. 1581.

Petrus Dalle. – Franciscus Pellisier. – Franciscus Carolus Geli. – Petrus Fita. – Petrus Bo.

Consules Reipublicæ Perpinianensis qui beatos Sanctitatis Vestræ pedes osculantur.

XLIV. — Quamvis hoc etiam anno res publicæ in Gallia satis pacatæ se haberent; Hugonotti tamen provinciarum, quæ Comitatui Venusino et Avenionensi adjacent, nunquam finem faciebant rerum in ditionibus Pontificiis perturbandarum. Quarum saluti et quieti, cum Gregorius consultum esse plane vellet, Didacum Ravennatem, celeberrimum illius temporis Jurisconsultum, et Advocatum fidei, uti etiamnunc vulgo appellamus, Avenionem misit, ut in hos flagitiosos homines, qui jam usque ab anno MDLXXV. omnium publicorum motuum ac seditionum auctores comprehensi vinculis attinebantur, causis cognitis, lege ageret, ac pro imperio animadverteret: ex quibus quinque capitis damnati sunt. Eadem mulctandus pœna fuisset nobilis vir Spiritus Sagnetius de Astoaudis Dominus Vallis Clausæ; propterea quod suborta de eo erat suspicio, una cum filiis auctores fuisse crudelissimæ illius cædis, in qua Dominici Grimaldii, Comitatus Venusini Præfecti, frater anno superiore fuerat interfectus; sed enim Cardinalis Arminiacus, Consules Avenionenses, Henricus ipse Rex [*], nec non Carolus Cardinalis Burbonius, Archiepiscopus Rothomagensis ejus viri innocentiam luculentis testimoniis apud Pontificem asseruerunt. Legas quæ Cardinalis Burbonius de eo scripsit. [*]

[*] Mantova document. N. 51.

[*] Lit. Principum Vol. 36 fol. 218.

Sanctissimo Domino Nostro PP.

« Beatissime Pater post humillima felicium pedum oscula. Etsi ea est recenti adhuc memoria tuorum erga me meritorum magnitudo, ut eorum vix minimam partem gratiis agendis consequi possim, nedum novi beneficii accessionem postulare debeam, facit tamen gravis et miserabilis domini de Vaucluse Sanctæ Romanæ Sedis in comitatu Venesino subditi casus, ut ejus nomine Sanctitatis Vestræ misericordiam non dubitem implorare, qui cum ita hucusque vitam instituisset, ut ejus multis magnisque in rebus non modo virtus cognita, sed etiam in Sanctam Romanam Sedem S. fides spectatissima esset: nunc ultima senectute cædis ab uno ex liberis suis perpetratæ accusatione implicatur, et in summum vitæ fortunarumque omnium discrimen adducitur, cum tamen, ut ex multorum clarorum virorum literis cognovi, non modo hujus criminis societate nulla teneatur, sed etiam filium illum suum ob alias quasdam ab eo acceptas injurias paterno judicio damnatum, multo ante bonorum suorum exhæredem scripsisset. Itaque quoniam in Sanctitatis Vestræ clementia spem salutis suæ omnem collocavit, ad cujus beatissimos pedes supplex projicit se, ut ad ejus

humillimas preces meas quoque adjungam, peto a S. V. qua summa animi demissione fieri potest, ut squalloris et luctus ejus misereatur, eumque turpissimo judicio conflictari, ac liberorum suorum crimina pœna sua luere ne patiatur. Qua ratione cum hominem senio situque confectum ex diuturna calamitate, quasi ad aspiciendam lucem revocabis, tum meipsum immortali quodam beneficii genere cumulabis.

« Deus Optimus Maximus Sanctitatem Vestram Sanctæ Romanæ Sedi, totique orbi Christiano incolumem diutissime conservet. Datum Rhotomagi XIII. Calendas Junii MDLXXXI.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus servus

CAROLUS CARDINALIS A BORBONIO.

Quum nihilominus infelici patri ob filii unius noxam ferenda fuerit pœna, et fortunis omnibus sese expoliatum per Commissarium vidisset, egit suppliciter cum Pontifice, eumque miserandum in modum oravit obsecravitque, ut miserrimæ suæ senectuti parcens, se in domesticas fortunas ejusque gratiam restitueret. [¹]

[¹] Avigno ne Vol. 10, fol. 383.

Post Beatissimorum pedum oscula.

« Beatissime Pater. Effrenata et inconsiderata filiorum meorum juventus qua sanctissimam dignitatem atque clementiam tuam animo non minus ingrato, quam detestabili scelere provocarunt, et ad justissimam suorum criminum vindictam coegerunt, mihi misero, desolato et innocenti seni eorum facinoris atque consilii et pravæ conjurationis omnino ignaro, tantum ab eo die mœstitiæ, doloris atque ægritudinis attulit, ut vix in hac ultima mea tam miseranda dierum meorum canicie, quam deploranda, talium filiorum pernicie respirare aut loqui possim. His accessit, quod ad aures Sanctitatis Tuæ nec probe, nec vere relatum est, me eorum conspirationis conscium eo vel maxime fuisse, quod eos et sceleris eorum fautores in domum (harum tamen omnino rerum ignarus) exceperim. Quo fit, ut Sanctitatis Tuæ Commissarius in desolatum patrem peccata filiorum projecerit. Me enim foro et Republica ejecit, palatium solo æquavit, bonis et honoribus me tenerasque filias et languentem familiam privavit, et quod mihi omnium acerbissimum est, in iram tuæ indignationis, tamquam filius inobedientiæ, conversus sum. Quæ omnia animum meum infinitis curis et molestiis cruciatum, debileque corpus senio et laboribus fractum ita viribus exhauserunt, ut de salute et restitutione mea quam maxime dubitarent, ni quamprimum Beatitudinis et misericordiæ tuæ lumina me benigno favore respexerint, et gratia tibi maxime propria donarint. Ad quam et ad humilima Tuæ Sanctitatis pedum oscula jam in propria confugissem, si mihi per salutem et ætatem licuisset. Quod dum minus per me complere possum, per meorum præcipuum Nobilem Dominum de Sagia, præsentem Nuncium, adimplere curavi, statim ut miserationum tuarum ipse recordatus sum, et ab Illustrissimo D.D. Cardinali ab Armeniaco, multisque aliis Principibus piis, et Catholicis viris, de inexhausto tuæ charitatis et summæ misericordiæ fonte sum certior factus. Quibus ajunt te nolle mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat. Eja ergo, Pater Sanctissime, pateant aures Sanctitatis Tuæ indignis precibus meis, quas per præsentem Nuncium suscipias: quæso, annue votis et supplicationibus meis, quas ille tibi meo nomine offert, ut me in æquissimam honorum dignitatem et honorum restituas, et per merita passionum Christi et Apostolorum Petri et Pauli absolvas, quo tandem possim Deo et Sanctitati Tuæ vota et debita obsequia reddere, et cum Catholicis in Ecclesia precari, ut mittat tibi Dominus auxilium de Sancto, et de Sion tueatur te. Vstrio in Provincia Calendas Septembris 1581.

Sanctitatis Tuæ

Fidelissimus et obedientissimus

subditus et Vasallus

VAUCLUSE.

Qua erat Gregorius misericordia erga miseros afflictosque homines, Dominum Vallis Clausæ, innocentia ejus cognita, a pœna imminenti liberavit.

XLV. — Quum perditissimi illi turbarum auctores, Hugonotti scilicet et Politici, idcirco Malvetii militum Præfecti vitæ, ut ipse narrat [*], insidias struerent, quod perversa atque impia eorum avitæ fidei amoliendæ, publicæque quietis turbandæ consilia virili præsentique animo compressisset, Gregorius a statione eum revocavit, sufferto in ejus locum Vitellio, strenuo item milite, reique bellicæ prudentissimo. [¹]

[*] Manuscr. document. N. 35.

[¹] Reg. Gregorii XIII Ann. X ep. 58 f. 17.

Dilecto Filio Nostro Cardinali Armeniaco Nuncupato.

GREGORIUS PP. XIII.

Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Oravit Nos multum dilectus filius Pyrrhus Malvitius, cujus opera diligentissima ac fidelissima usi sumus in ea, quam et Avenione atque in Comitatu Venaysino communisimus, militum Præfectura, ut vellemus ei successorem mittere: noluimus negare. Mittimus igitur dilectum filium Joannem Vincentium Vitellium, virum majorum suorum nobilitate ac laude, et sua etiam virtute, atque erga Nos et Sanctam hanc Sedem fide clarum. Gratissimum Nobis facies, si eum quam commendatissimum habueris, omnibusque in rebus tua præstanti auctoritate, consilio, prudentia juveris. Non dubitamus, quin id facturus sis tanto studio, quantum eximia virtus tua, et perpetua nostrarum, Sanctæque hujus Sedis rerum cura et sollicitudo pollicetur. Datum Romæ apud Sanctum Pe-

trum sub Annulo Piscatoris, die XVIII. Septembris MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno decimo.

Avenionensibus tot civilium motuum tempestatibus jactatis, tamque afflictatis propter præsentium malorum laborem et metum impendentium, nihil gravius molestiusque accidere potuit [*], quam tanti viri ab se discessus; quare multis querimoniis cum Pontifice de hac re dolent; simulque per eundem Malvetium, quanto in discrimine versentur, exponunt, nisi sibi non exigua eaque præsenti pecunia auxilio occurratur. [*]

[*] Mantissa document. N 36.

[*] Avinione Vol 10. fol. 290.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Optimo Maximo.

« Reverendissime Pater. Si unquam in hisce communium temporum fluctibus, insperata rerum publicarum vicissitudo subitum metum et mœrorem intulerit; id vere huic tuæ Reipublicæ per discessum Illustrissimi Pyrrhi Malvesii nobis contigit: hoc maxime tempore quo, cum dubia sit nostræ quietis alea inter scyllam et caribdim, minacibus procellis agitamur, et in ancipiti rerum discrimine versari cogimur. Non ideo mirum si tanti viri inopinatus recessus nostris concivibus gravem dolorem et mœstitiam incusserit: cum in tam lubrico rerum statu, adeo necessarium subsidium, et tutissimum tuæ civitatis propugnaculum amiserimus. Cujus quidem solertiam et vigilantiam in munere suo obeundo cum satis laudare non possimus: id saltem attestamur, illius laboribus, consiliis et propriæ vitæ periculis, nos ex bello, peste et fame huc usque ereptos et liberatos esse; et hanc tuam Civitatem inter tot malorum angustias salvam et integram permanere. Cujus imperium circa rem militarem eum justissimum et clementissimum experti essemus, non potuit vir ille illustrissimus sine nostrorum omnium dolore recedere. Nobis igitur in hac rerum anxietate versantibus et quasi mente demissis, spem addidit successoris sui adventus, quem non inferiorem clementer jam cognovimus, Tuæque Sanctitatis cognita in nobis liberalitas, quæ nos hucusque ab inimicorum insidiis servarit, et ea inopia sublevarit: quanto magis nobis nunc sperandum foret hisce temporibus, quibus non sine discrimine pendet rerum nostrarum status. Et cum Sanctitas Sua norit quam imbecillimæ sint vires nostræ, exhausto præcipue ærario publico tam propter pestis, quam belli et famis urgentissima pericula, quibus hæc tua miserrima Civitas afflicta permansit; ideo ad pedes tuæ misericordiæ devoluti, dum in maxima rerum inopia constituti, et ad extremum quadrantem redacti, nullo modo sumptibus hoc tempore necessariis suppeditare possumus: obnixe deprecamur, ut ad amplissimam tuorum in nos beneficiorum magnitudinem accedat nova caritatis liberalitas, ut Sanctitatis Tuæ ope suffulti, gravamina et alia, quæ ad Communitatis nostræ sublevandam pauperiem sunt necessaria, comparemus. Quamvis enim omnem moveamus lapidem, quo huic nostræ inopiæ succurramus; attamen jam deficiunt vires, expensis plusquam triginta millium aureorum æris alieni: pro quibus et centum septuaginta millibus prius, bellorum urgente periculo, contractis, intolerabiles pensionum summas et innumerabiles expensas persolvere tenemur; ut omnem nostræ conditionis statum Illmus Malvesius Sanctitati Tuæ declarabit, cui hujus Urbis Patrocinium commisimus. Quocirca cum timendum sit, ne pro paupertate et gravi penuria necessario auxilio destituti in hostium laqueos illabamur; ideo humillimis precibus deprecamur, ut a Sanctitate Tua necessaria pecuniæ recipiamus auxilia, ne in medio illorum consistentes, desideratam in nos expleant crudelitatem; et ita hæc tua obedientissima Civitas tuæ liberalissimæ Sanctitati perennes gratiarum actiones habebit, ut habet pro eo paterno affectu, quo nos prosequi Sanctitas Tua semper dignata est. Quorum quidem beneficiorum non immemores, quotidie pro vita et felicissima Sanctitatis T. salute vota Deo Opt. Max. vovemus, ut tum et Sedis Apostolicæ statum conservet: nec inter tot bellorum angustias in manus inimicorum incidere patiatur. Datum Avenione die decima Decembris 1581.

Sanctitatis Tuæ

Humillimi subditi

Consules Civitatis Avenionensis.

Crillon Consul. - Lots Alvares Consul. - Johan Baptista Ymanico Consul.

XLVI. — Meritis sane amplissimis laudibus prosequendus præ cæteris est vigilantissimus Carpentoractensium Præsul, qui mediis in civilibus fluctibus, cum relanguescere hominum optime meritorum studia solent, ardentiorem acrioremque in re Catholica navanda se præbuit. Is Carpenturactum strenuos patres Societatis Jesu accersiverat, qui ibi, applaudentibus civibus, ab impartiendam litteris juventutem, bonisque moribus imbuendam Collegium condiderant. Seminarium vero Clericorum ad præceptum sacri Concilii Tridenti idem solertissimus Præsul hoc anno instituit. [*]

[*] Mantissa document. N 37.

XLVII. — Non minori studio optimus Arausionensium in Gallia Episcopus, medendis vulneribus religioni Catholicæ ab hæreticis inflictis, insudabat. Arausiunensis ditionis urbes, quod supra est sæpius commemoratum, totidem fuerunt receptacula, in quæ Hugonottorum duces et antesignani confugerent, unde identidem meridionales Galliæ provincias commovebant, agitabant, evertebant. Perditissimorum hominum impietati ac libidini maxime obnoxii fuerunt Arausionensis ditionis Catholici: quos sub infi-

dæ pacis specie contra publicas fœderis tabulas illi non absistebant omnibus modis vexare, sacris interpellandis, templis expoliandis, et viris cultui divino addictis expellendis. Quæ cum essent ad ferendum gravissima, cum maximo fidei Catholicæ detrimento conjuncta, Episcopus Arausionensis ab Duce Mayennio, qui Occitaniæ cum imperio præerat, summis precibus contendit, efficeret apud Regem Christianissimum, ut ingens eorum cupiditati vinculum injiceretur, conatusque infringerentur, Catholicis templa redderentur, Ecclesiasticis viris, qui fuerant per summam injuriam expulsi, tutus et liber reditus ad suos daretur, iisdemque potestas fieret Catholico ritu ac propalam sacris operandi. Cardinalis Arminiacus idem negotium apud Mayennium et Regem Gallorum urgebat. Rex quidem pronis auribus has postulationes excepit, nihil prætermisit quod ad Arausionensis Præsulis votis satisfaciendum pertineret, uti ejus ad Arminiacum et ad Principem Arausicanum datæ litteræ luculenter demonstrant [*]. Assiduis tandem curis Cardinalis Arminiaci eo res deducta est, ut cum Hugonottorum Arausionensium legatis omne dissidium componeretur, quatuor iisdem nummum millibus numeratis. Illi vero pollicebantur sese Catholicis liberum religionis exercitium tam Arausione, quam in reliquis ejus ditionis locis permissuros, et bona bellorum civilium tempore ablata reddituros. [*] Habeas quæ ipse Arausionensis Episcopus Pontifici scripsit, ut Gallorum Regem moneret quam necesse esset, ut eximius Princeps Arausicano suaderet, Catholicos ejus ditionis ei esse omni studio tuendos. [*]

[*] Mantissa document. N. 58.

[*] Ibidem N. 59.

[*] Avignone Vol. 10. fol. 247.

« Beatissime Pater. Nihil unquam antiquius habui, quam ut Divinus cultus et religio Catholica in diœcesi Auraicensi restitueretur, eaque de causa Illustrissimi Cardinalis de Arminiaco, necnon Illustrissimi Malvezij consilium sequutus, adii Illustrissimum Dumanium Ducem, quocum omnem movi lapidem, ut ita tanto tempore agitata et tantis studiis optata ad exitum proveheretur; sed si facultas voluntati respondisset, jam tota res confecta fuisset; quare et ipsius, et omnium suorum Assessorum consilio ad Christianissimum Francorum Regem unum de meis misi, ut a Rege impetraret facultatem dicto Duci Dumanio injungendam, Religionem Catholicam, omnesque Ecclesiasticos restituendi, qui omnia ex animi mei sententia concessit, mandavitque eidem Dumanio Duci, ut nos restitueret in pristinum statum, a quo per hæreticos depulsi fueramus, ac ni Auraicenses obtemperarent, ea qua est in Deum, Sanctam Sedem Apostolicam, et orthodoxos omnes pietate, represaliarum literas dedit sicut, et exemplaribus, quæ Illustrissimo Malvezio dedi, V^tra Sanctitas latius cognoscere poterit. Jam vero paro rursus iter ad eumdem Ill^mum Dumanium, Grationopoli agentem, quo Dei omnipotentis, beatæque Virginis auxilio negotium tantopere ab omnibus desideratum conficere possim, quarum omnium rerum Sanctitatem Vestram certiorem facere volui, tum ut meo defungerer officio, tum ut dignetur ad Christianissimum Regem scribere, ut rursus ad Principem Auraicensem scribat, eumque roget, ut Catholici et Ecclesiastici in Civitate Auraicensi restituantur. Vereor enim ne hæretici Auraicenses, qua semper usi sunt improbitate cum Principe agant, quocum nunc sunt, ut tam pium, tamque religiosum propositum impediatur. Quod Vestra Sanctitas dignetur facere, eam vehementer supplico, nec non ut potestatem mihi concedat aliquam collectam meis clericis indicendi, ut sumptibus, qui quotidie ea de causa faciendi sunt, aliqua ex parte satisfacere possim. Deum Optimum Maximum deprecor, ut Vestram Sanctitatem nobis diu incolumem conservet. Datum Avinione 10. mensis Novembris 1581.

Sanctitatis Vestræ

Humill. et ad omnia obsequentissimus
J. De Tullia Episcopus Auraicensis.

XLVIII.— Philippus Hispaniarum Rex, Lusitaniæ regno in suam potestatem redacto, Joannem Gomesium de Sylva Romam misit, qui pro novo regno Pontifici ex more institutoque majorum obedientiam præstaret [*]. Gregorius die 18. Martii in Consistorio publico Philippi Oratorem summo honore excepit; Regique his litteris gratulatus est. [*]

[*] Mantissa document. N. 60.

[*] Reg. Gregorii XIII. An. IX. ep. 109. f. 439.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo, Portugalliæ et Algarbiorum Regi Illustri.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Reddidit Nobis literas Majestatis Tuæ in nostro publico Consistorio, præstititque mandato tuo Nobis atque huic Sanctæ Sedi obedientiam, florentissimi Portugalliæ Regni nomine, dilectus filius Joannes Gomesius de Silva Orator tuus. Agimus gratias Divinæ providentiæ, quæ Regno isti præclare prospexit, te ei Rege largiendo; omnia enim summa a tua eximia pietate et in omni virtute præstantia expectanda sunt. Gratulamur etiam Majestati Tuæ hujus Regni accessione, et summa in eo gubernando facultate ejus, quam diximus, pietatis et virtutis explicandæ. Rogamus Dei bonitatem, ut te Regno isti quam diutissime incolumem conservet, cumuletque omni fœlicitate. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die III. Aprilis MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno nono.

XLIX. — Ad civiles vero discordias ob celebrem illam de regia successione disceptationem opprimendas, et quoad fieri posset extin-

guendas, Lusitani ad unum omnes id tantummodo in præsentia valere posse existimabant, si Philippus filiam Catharinæ Bragantiæ, Emmanuelis Regis neptis, sibi in matrimonium conjungeret. Quod cum omnium votis expeteretur, Pontificem supplices adeunt, ut Philippo Regi in amplectendo hoc tam salutari consilio suasor et auctor esse velit. Legas quæ Portugalensis Episcopus Gregorio peropportune scripsit. [*]

[*] Lusitania Vol. 3. fol. 103.

Beatissime Pater.

« Eo calamitatum res Lusitana deducta est, ejusque pulchritudo, propagato serie tot regum apud exteras nationes imperio, nobilis tot triumphis et victoriis, summa cum fortitudine partis, ita elanguit et deturpata est, ut cum inter omnia regna tum sinceritate fidei Catholicæ et probitate morum, tum rerum præclare gestarum gloria, non infimum locum obtineret, nunc rudis quædam effigies et inane simulacrum ejus vix appareat. Disponente enim Divina providentia, avitus ille regni decor extinctus est, extincta duntaxat omni regia prosapia, quæ regnorum hanc tam insignem et amplam hæreditatem naturali, aut directa (ut ajunt) linea adire poterat. Regnum igitur, post ancipitem belli eventum inter eos, qui de jure ipsius bello contendebant non sine magno sui et multorum dispendio, vel legibus vel Deo ipsi patrocinante, ad augustissimum et Catholicum Regem Philippum devenit, ut jam Tuæ Sanctitati notum esse reor. Sæpe per litteras ultro citroque missas, gloriosæ memoriæ Rex Henricus egerat de pace et concordia ineunda inter Regem Philippum et Ducem Brigantiacum (penes quos justa de jure regni erat disceptatio), certis interpositis conditionibus, inter quas illud pene decretum et sancitum erat, ut Sacra Cæsarea Majestas primogenitum suum, ac totius Hispaniæ hæredem et successorem, matrimonio copularet cum filia Serenissimæ dominæ Catharinæ, invictissimi Regis Emanuelis neptis. Sic enim perturbationum tempestatem intra viscera regni effervescentem omnino sedari, componique posse arbitrantur, cum Reginam Lusitanam Lusitanis parentibus ortam, et in Lusitania ab incunabulis nutritam, paulo post se habituros esse omnes sperarent. Verum re nondum prorsus confecta, excessit e vita Rex Henricus, nec hactenus propter bellorum tumultus confici potuit. Interim Reginam dñam Annam Austriacam, Sacræ Catholicæ Majestatis uxorem ad piorum sedes, ut credimus, Deus Optimus Maximus evocavit, relicto filio tam teneræ, immaturæque ætatis, ut si tempus aptum ad contrahendum matrimonium sit expectandum, non parva temporis intercapedo sit interponenda, ut germana tranquillitas atque societas individua, quam omnes pacis studiosi summopere exoptamus, inter hæc regna coalescat. Adhuc igitur hoc regno perturbationum tempestatibus fluctuante, et Imperium Sacræ Catholicæ Majestatis propter recentes cædes, facultatum direptionem et exultantium militum furorem detrectante, et ob id fortasse clanculum rebus novis studente, visum est, Beatissime Pater, ad Tuam Sanctitatem, tamquam ad sacram anchoram, tutissimumque portum confugere et obnixe petere, ut tamquam totius Reipublicæ Christianæ pater et universi dominici gregis pastor, populo Tuæ Sanctitati et Apostolicæ Sedi obsequentissimo, nunc vero tot angustiis et calamitatibus oppresso velis præsentissimo remedio subvenire, atque sedulo agere cum Augustissimo Rege Catholico, ut sibi in uxorem asciscat hanc virginem dominæ Catharinæ filiam, et Serenissimi Infantis Eduardi neptem, quæ eum nubilis jam sit, decimum septimum nimirum attingens annum, propter insignes animi et corporis dotes, bene nos sperare jubet fore, ut si matrimonio copuletur Augustissimo Regi, pax et amicitia inter has duas nationes firmissimo fœdere illico corroboretur et Ecclesia potentissimi Regis præsidiis vallata, ab impetu hostium nominis Christiani securior reddatur. Hinc etiam fiet, cum Augustissimus et Catholicus Rex non sit admodum ætate debilis, quippe qui non excedat quinquagesimum quintum annum, ut propago regia per nova pignora dilatata amplificetur, et amplificata in ævum firmetur æternum, atque dissidentium populorum animi spe videndi ex Regina Lusitana novam et nativam prolem, non longo expectato tempore, sed statim tranquillentur, et clanculum res novas moliri desinant. Ego vero humilis servus, et ob eam, quam in omnes Christi cultores habeo clementiam, Tuæ Sanctitatis filius, hac potissimum ratione impulsus, communi totius Reipublicæ Christianæ utilitati, et horum regnorum tranquillo statui consulens, non minus sanctis retroactis Regibus, quam Catholicæ Majestati obsequentissimus, quantum pro viribus possum Tuam Sanctitatem suppliciter deprecor, ut velit sua industria ad id adhibita, nec non tanta auctoritate interposita, Regi Augustissimo persuadere, matrimonium hoc, tantorum regnorum adhue dissidentium vinculum certum et indissolubile futurum. Humi totus provolutus deosculatur sacros Tuæ Sanctitatis pedes, humilis servus. Nonis Januarii, anno millesimo quingentesimo octuagesimo primo.

D. Simon a Saa Patriarca
Episcopus Portugalensis.

Præterea Dux Bragantiæ magis patriæ caritate, quam suis commodis excitatus, summis precibus a Pontifice petiit, ut ea de re cum Rege Philippo sedulo ageret: cui etiam auctor fuit, ut ad facilius id expediendum, Fratrem Didacum ex Ordine FF. Prædicatorum, quo Rex

a sacris confessionibus utebatur, virum ad cæteras laudes communis boni imprimis studiosum, adhiberet. [*]

[*] Lit. Principum Vol 34. fol. 108.

Sanctissimo Domino Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Beatissime Pater.

« Joannes Dux Brugantiæ et Barcellorum, Marchio Villæ Vicosæ, Comes Ourensis et Arrajolorum, Dñus Montisfortis et Montislæti etc. sacros Sanctitatis Tuæ pedes supplex exosculor. Doni Elisæi viri nobilitate præstantis et mihi sanguinis necessitudine conjuncti litteris accepi, Pater Sanctissime, eas, quas nuper ad Sanctitatem Tuam scripsi, per eundem Donum Elisæum Sanctitati Tuæ fuisse oblatas, et a te perhumaniter receptas, benigneque Sanctitatem Tuam audivisse omnia, quæ ille et meo et dominæ Catharinæ uxoris meæ nomine apud te exposuit, nec leviter significasse, quam promptus sis, Pater Beatissime, ut in negotio illo, de quo ad Sanctitatem Tuam scripsi, te interponas, prout Reipublicæ Christianæ et nostræ potissimum Lusitaniæ commodius et utilius esse judicaveris. Hanc ego animi tui et paternæ pietatis significationem tanti facio, Pater Sanctissime, ut non possim me continere, quin Tuæ Sanctitati debitas habeam gratias, non solum pro me, sed etiam pro universa Lusitania, de cujus tranquillitate, consolatione, prosperitate et in tantis malis salutari remedio agitur in hac re una. Ego sane, Pater Beatissime, multo magis de bono publico, quam de meis privatis commodis sum solicitus, nec tam mihi, quam Lusitano populo ex his nuptiis utilitatem opto: atque ideo rursus a Sanctitate Tua vehementissime peto, ut si fortasse adhuc (quod non credo) cum Rege Catholico rem hanc tractare non incepisti, illud amplius differre nolis, immo quamprimum id agas, quod nos petimus, quodque boni omnes sperant, expetunt et obsecrantur. Quia vero Cardinalis Legatus hinc jam discedit, tuum est, Pater Sanctissime, videre, cuinam committere debeas, ut cum Rege Catholico agat tuo nomine, oportetque virum prudentia, auctoritate, et virtute præstantem in id eligere, qualem esse existimo fratrem Didacum a Chaves, qui divi Dominici regularem Ordinem professus, ab auriculari confessione est Regi Catholico, apud quem ea pollet gratia et auctoritate, ut nullus alios hujusmodi negotium aptius, dignius ve tractare possit. Utere ergo, Pater Beatissime, viro religioso et publicæ utilitatis studioso in commune hujus Regni bonum, et tam illius opera et industria, quam literis tuis ad Catholicum Regem missis rem hanc conclude Deo gratam, Lusitaniæ commodissimam, mihi honoris maximi loco collocandam, Tuæ vero Sanctitati ad humanam, divinamque gloriam comparandam, summe profecturam. Faxit Deus Optimus Maximus, ut et his et pientissimis aliis operibus per longos felicesque annos te exerceas, et tandem cœlestes Sedes longævus conscendas. Datæ in Oppido de Villavicosa pridie Kalendas Martii, anno salutis humanæ 1581.

Osculor Pedes Sacros Tuæ Sanctitatis

Ilo Dequæ.

Gregorius nulla mora interposita, Ducis voluntati satisfecit, et per litteras spectatissimo illi viro mandavit, ut suis verbis ea de re cum Philippo ageret. [*]

[*] Sec. Gregorii XIII. An IX ep 170. f 129

Dilecto Filio Didaeo Caves Ordinis Prædicatorum, Regis Catholici Confessario.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Quia istinc abest tum Legatus, tum Nuncius Noster, quod per eos cum Rege Catholico egissemus, hoc tuæ prudentiæ, diligentiæque nostris verbis agendum committimus: perspectam enim habemus pietatem tuam, et perpetuum nostris, Apostolicisque mandatis obtemperandi studium. Existimant multi, Regem Catholicum non diu sine uxore futurum. Nihil certum habemus, neque scimus, quid ei consilii in hoc negocio dare possimus. Tamen si ita est, existimamus optimum fore, si Majestas Sua cogitaret de Brugantiæ Ducis filia, ut accepimus, nubili atque omni virtute prædita: esset hoc aptissimum ad totius Portugalliæ lætitiam, perpetuamque devotionem. Cupimus igitur, ut hoc proponas Regi nostris verbis: sic tamen ut intelligat, quidquid ipsi visum fuerit, Nobis magnopere probatum iri: ubi tamen statueret, uxorem sibi ducendam esse, Nos eam, quam diximus, vehementer probare, idque propter multa bona, quæ possent ex hoc matrimonio existere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Aprilis MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno nono.

L. — Cum autem Philippus nihil minus vellet, quam novum matrimonium inire, ab eoque longissime abesset, Lusitanis id vero maximum in modum exposcentibus verba dabat et rem in dies extrahebat: quare Dux Brugantiæ iterum preces adhibet, etiam atque etiam obsecrans Pontificem, efficiat monendo hortandoque ut Rex ad contrahendas cum sua filia nuptias animum inducat. [*]

[*] Lusitaniæ Vol 3 fol 122.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pont. Max.

Beatissime Pater.

« Joannes Dux Brugantiæ et Barcellorum, Comes stabilis Regnorum ac Dominiorum Portugalliæ, Marchio Villævicosæ, Comes Ourensis et Arrajolorum, Dominus Montis Fortis et Montis Læti etc. sacros Sanctitatis Tuæ pedes supplex exosculor. Perlectis, Pater Sanctissime, tuis litteris honoris et solitæ benevolentiæ plenissi-

mis, cognovi quam libenter ad fratrem Didacum a Chaves alias conscribi feceris, quas simul cum his D. Elisæus ad me misit, et quam stricte eidem injunxeris, ut de illo negotio cum Rege Catholico Dominoque meo agat tuis verbis, in quo ego tuum hoc officium desiderabam: ex eodem autem D. Elisæo intellexi, Sanctitatem Tuam eo esse animo, ut quoties eidem negotio expedire judicaveris, Regi Catholico significes, justum sane, ejusque majestati congruum, nobis vero debitum, et Lusitano populo opportunum esse id, quod ab eo petimus. Sunt hæc, Pater Beatissime, Tuæ Sanctitatis tam gravia officia, et usque adeo magna beneficia, ut nec pro illis humanas sperare possis gratias, nec ego mihi tantum tribuam, ut existimem ullum unquam fore tempus, in quo probare possim, quantum me tuo servitio devinxerit singularis iste favor tuus, munusque amplissimum, pro quo Sanctitatis Tuæ pedes ea, qua debeo, veneratione rursus exosculor, humiliterque a Sanctitate Tua peto, ut, si quid est, in quo me his gratum exhibere valeam, id mihi quam primum significes, ne in tam debita obligatione deficiam: sin minus hoc ipsum animi mei et perpetui obsequii testimonium pro his, quas referre debueram, gratiis excipias, memor meæ in Sanctitatem Tuam et Sedem Apostolicam eximiæ devotionis, qua mihi nihil unquam fuit antiquius, ita ut mei conscius confidenter legam id, quod dignatus es mihi scribere, me scilicet hæc omnia beneficia hac ipsa ratione promereri. Quia vero re ipsa experior, Sanctitatem Tuam æquo gratoque animo audire ea, quæ nobis in hoc negotio possunt proficere, existimavi recte me facturum, si tibi notum facerem, omnes Ecclesiarum Prælatos, et Lusitanæ nobilitatis proceres, oppidanorumque procuratores, qui nuper in publicis Comitiis a Rege Catholico Nabantiæ coactis convenerunt, unanimi consensu ab ipso petiisse, ut matrimonium hoc contraheret, proposuisseque eidem in scriptis commoda publica, privatasque utilitates et rationes, ob quas moveri debet ad id, quod non solum Lusitaniæ, sed et universis Hispaniarum Regnis perpetuam pacem cum summa felicitate conjunctam bonorum omnium judicio pollicetur. Audivit Rex optimus benigne hanc totius Regni petitionem, eique perhumaniter respondit, etiamsi nondum exposuerit, quid hac in re facturus sit. Cum autem ego, Comitiis peractis, domum meam reversus tuas litteras accepissem, Pater Sanctissime, fratri Didaco a Chaves reddi quamprimum curavi illas, quas Sanctitas Tua ad eum scripsit. Legit quidem eas vir religione et pietate insignis, ac debita reverentia suscepit curam injuncti muneris, promittens præstiturum se omnia, quæ pro virili præstare poterit, quo res ad optatum exitum perducatur: huc usque tamen non vacavit tempus agendi cum Rege Catholico, eo quod Nabantia discedens Olissiponem ire contendat, quo loci commode res tractari poterit. Porro cum meæ omnes spes, Pater Sanctissime, a Deo primum et deinde a Sanctitate Tua ac Sancta Sede Apostolica solum dependeant, non possum a te non petere pro acceptorum munerum perfecto cumulo, ut aliis litteris vel ad ipsum Regem Catholicum (quod multo majoris effectus futurum esse videtur), vel saltem ad eundem fratrem Didacum a Chaves missis de eodem negotio agas, rursusque Regi id ipsum persuadere velis, quod nos exoptamus, quod Lusitania petit, quodque Sanctitas Tua comprobat, et Deus etiam comprobabit. Etenim cum modo, Pater Beatissime, intelligas ea, quæ in Comitiis acta sunt, et scias qua fronte Rex optimus totius Regni votum atque desiderium (quod ad hanc rem pertinet) cognoverit, aptissime Sanctitas Tua hanc occasionem arripiet, eaque accepta poterit iterum atque iterum regni petitionem, Regisque Catholici benignam responsionem laudare, eamdemque urgere et pro rei dignitate exorare, ut quamprimum has nuptias celebret: quod si feceris, intelliget rex Catholicus S. T. non perfunctorie, sed vere et affectuose de hoc negotio agere incœpisse, efficietque, Pater Beatissime, tuus iste favor cum Regni ac nostra simul petitione conjunctus, ne differatur amplius matrimonium hoc, a quo hujus domus honorem et amplitudinem, Lusitaniæque pacem ac felicitatem cum summa totius Christiani orbis tranquillitate speramus. Cum autem hæc bona usque adeo magna sint et digna, quæ a Sanctitate Tua et ab Apostolica Sede omnibus honestis rationibus procurentur, recte sentio, Pater Sanctissime, cum mihi persuadeo, gratissimum Sanctitati Tuæ futurum esse agere id, quod nunc expostulo, et quidquid aliud ad hujus voti consecutionem videbitur expedire; eademque ratione secure confido, Deum Opt. Max. pro me et Lusitano populo hæc Sanctitatis Tuæ officia magnis et longævæ vitæ et æternæ gloriæ præmiis remuneraturum; quod nos a divina Majestate petere non cessabimus. Datæ Villævicosæ 8. Id. Jun. anno salutis humanæ 1581.

Osculor Sacros Pedes T. S.

Ho Deque.

Catharina etiam de hoc negotio apud Pontificem instabat. [*]

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pont. Max.

Beatissime Pater.

« Catharina neptis Emmanuelis Regis, filia Infantis Odoardi et Infantis Elisabethæ, uxor Joannis Ducis Brigantiæ et Barcellorum etc. sacros Tuæ Sanctitatis pedes supplex exosculor. Existimavi, Pater Sanctissime, non recte me facturam, si hanc animi mei significationem am-

[*] Lusitania Vol. 3. fol. 121.

plius differrem: ideoque paucis Sanctitati T. affirmare volui, tanti me fecisse præclarum illud tuum officium, quo apud Regem Catholicum et Dominum meum utimur ea in re, de qua Dux Dñus meus ad Sanctitatem T. scripsit, quanti decebat facere munus et favorem in gravissimo negotio a me desideratissimum, a Sanctitate vero tua cum tam egregiis mutuæ in nos benevolentiæ demonstrationibus concessum, quibus moveor, ut nova a Sanctitate Tua in eodem negotio præstanda officia humiliter petere, et firmiter sperare audeam: quæ eo nunc majoris erunt momenti, quo res aptius accurari potest ob id, quod nuper in publicis Comitiis actum est, quodque Ducis Domini mei literis aperte intelliges. Perge igitur, Pater Beatissime, et tam pio operi ultimam impone manum, efficeque, ut Sanctitati Tuæ et Sanctæ Sedi Apostolicæ hoc maximum debeamus, ut debemus omnia. Ego vero Deum Opt. Max. precabor, ut Sanctitati Tuæ in Christiani populi commoda longos felicissimæ vitæ annos concedat, post quos ad beatorum sedes evcharis, debitam his operibus gloriam dignissime recepturus. Datæ Villævicosæ 8. Id. Jun. anno salutis humanæ 1581.

Eorum votis suffragabatur his litteris Archiepiscopus Bracharensis. (*)

(*) Lusitania Vol. 3. fol. 92.

Beatissime Pater.

« Post fœlicium pedum oscula. Non potui non scribere Sanctitati Vestræ, et illi significare quoddam negotium occurrens, quia maxime ad utilitatem hujus Regni (a Domino his diebus multis tribulationibus flagellati) conducit. Regina uxor Philippi regis nostri defuncta est. Supposito quod rex ipse velit aliam ducere (quod mihi non constat), multum facit ad bonum et consolationem totius Reipublicæ Lusitaniæ, ut ducat uxorem unam ex filiabus, Ducis nostri de Barganca, quarum mater neptis est Regis nostri Emanuelis defuncti, videlicet filia legitima Eduardi ipsius filii. Quapropter humiliter supplico (si Sanctitati Vestræ ita visum fuerit) velit hoc Regi Nostro Philippo consulere. Credimus namque multum prodesse ad consequendum optatum finem, Deoque Opt. Max. gratissimum fore. Idem Dominus Sanctitatem Vram Ecclesiæ suæ Sanctæ diu salvam incolumemque conservet. Bracharæ 28. Decembris, anno a nativitate Domini 1581.

Humilimus Sanctitatis Vestræ
ARCHIEPISCOPUS BRACHARENSIS PRIMAS.

LI. — Certamina ita dicta taurorum ab pluribus annis in Lusitania fieri desueta, hoc anno vero invitis et contra nitentibus Ecclesiæ Præsulibus, in variis hujus regni urbibus frequentari sunt cœpta. Quod maxime Eboræ factitatum est, ubi rerum publicarum moderatores eo audaciæ processerunt, ut Archiepiscopi intercessione omnino contempta, hujusmodi plenos turbarum et periculi, cruentos ludos vel ipsa Sanctissimo Corpori Dñi sacra die peragi non modo non prohibuerunt, sed et pro se quisque in Archiepiscopi ludibrium, ut frequentiores et apparatiores fierent, operam dederunt. Verum enimvero animo. Fortissimus et Sanctæ Sedi obsequentissimus Præsul in tanti facinoris auctores graviter animadvertit, et censuris ab Pio V. in horum certaminum actores inflictis perculit. Habes hac de re quæ ipse Præsul publicis tabulis consignari jussit. (*)

(*) Lusitania Vol. 3. fol. 124.

« Anno a nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo quingentesimo octuagesimo primo, die vero vigesima nona mensis Maji ejusdem anni, in ædibus Relationis ecclesiasticæ Archiepiscopatus Eborensis, Ruy Pires de Veiga Licentiatus, Auditorque et Vicarius generalis Illmi Dñi Theotonii a Bragantia, dictæ Civitatis Archiepiscopi etc. dixit mihi Notario infrascripto, ut conficerem actum publicum super iis rebus, quæ hic modo subsequentur, videlicet: Pervenisse ad aures præfati Dñi Archiepiscopi præparari in eadem civitate cursus et venationes taurorum, contra præscriptum unius motusproprii fel. rec. Pii Quinti Pont. Max., quo sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda cavetur, ne sæculares personæ jurisdictionem habentes, hujusmodi rei consentiant: Archiepiscopis vero et Episcopis in virtute sanctæ obedientiæ, sub obtestatione divini judicii et interminatione maledictionis æternæ districte præcipitur, ut ecclesiasticis censuris id impediant. Ex quo perspiciens idem Archiepiscopus, ipsum Breve jam fuisse receptum et observatum hoc in Regno tempore, quo Regina Dña Catherina et Rex Henricus, etiam ut Rex, ejusdem Regni gubernacula in manibus habuerunt; taurosque solummodo agitatos esse coram Rege Sebastiano, hoc sibi particulariter concedente Summo Pontifice per litteras in forma Brevis; atque in aliquibus locis, in quibus taurorum ludi, paulo ante, quam ipse Rex Sebastianus e vita discederet, exhibiti fuerunt, ea de re homines virtute præditos non bene sensisse, atque a concionatoribus verbi Dei publice etiam id reprehendi; volens pro munere sibi injuncto Apostolicis parere mandatis, et simul curare, ut debitæ executioni demandentur; imitando quod olim Dominus Joannes de Mello Prædecessor suus similibus in rebus fecerat, ac etiam Henricus Rex, cum esset Archiepiscopus, in eadem civitate providerat; nil aliud sane præ oculis Archiepiscopus habens, nisi ut ea, quæ ad divinum cultum pertinent, sine offensa fiant Divinæ majestatis, præsertim in diebus adeo sanctis et solemnibus, ut ille est sacratissimi Corporis Christi, et prophanis etiam ludis et spectaculis, in quibus ut plurimum mala et peccata non pauca committi, periculaque multa accidere solent, prout re ipsa

manifeste apparuit eodem ipso sancto die in iis, qui taurorum ictibus et vulneribus male affecti fuerunt; ad Licentiatum Fernandum Daires Dalmeida, judicem forensem in hac civitate, et ad Sebastianum de Carvaglio, civitatis procuratorem misit, qui eos requireret, ut ad se accedere vellent: quod ab illis factum est. Tum eis Archiepiscopus, quam arcto obligationis vinculo adstringerentur, exposuit, ad impediendam tam magnam Dei offensam, ac Sanctæ Apostolicæ Sedi inobedientiam, ab ipsis idcirco summopere petens, ut taurorum cursus impedirent; idque multis rationibus, quarum vel illa una satis esse videbatur: imminentis scilicet periculi toti civitati a frequenti multitudine et concursu multarum gentium, quæ hac de causa cum ipsis tauris facillime ingredi poterant ex oppidis et locis adjacentibus, et adhuc pestilentia laborantibus; illud etiam addens, quod si taurorum ludi admittendi forent, opus esset prius alio Brevi revocatorio, vel Summo Pontifici supplicare, ut id concederet iisdem conditionibus, quibus antea concesserat aliis Regnis hujus Regiæ Majestatis, cornibus nempe sectis et in diebus non sanctis: operam et intercessionem suam insuper apud Sanctitatem Suam Archiepiscopus sponte exhibens, quo facilius hæc petitio sortiretur effectum: sine qua concessione vel revocatione neque id ab aliis fieri tuta conscientia, neque a se permitti sine peccato ullo modo posse videbatur. Quod si hoc factum fuit coram Rege in hæc Regna primum ingrediente, pro comperto habendum, et implicite intelligendum erat, Beatitudinem Suam dispensare, non secus atque antea cum Rege Sebastiano dispensaverat. Sæpe etiam Licentiatus Joannes Leitan nomine ipsius Archiepiscopi de his omnibus admonuit tum judicem præfatum, tum alios Reipublicæ et Universitatis, quam Cameram vocant, præfectos: qui quidem Archiepiscopus ab Alvaro quoque et Joanne de Crasto nobilibus et primatibus civibus, quorum auctoritas maximi videbatur ponderis fore, petierat, ut eadem de re cum illis agerent: quod ipsi se facturos receperunt. Præfatis autem viris et magistratibus pecuniam de suo etiam obtulit in alios ludos et spectacula, licita tamen eroganda, ut offensam Domini Nostri redimeret, et, Apostolicas sanctiones in hac sua Diœcesi ea, qua decet, reverentia observari provideret. Et ut nihil intentatum lenì et suavi ratione relinqueret, misit demum eumdem Generalem Vicarium, aliumque suum Auditorem ad præfatos Decuriones civitatis, inter quos erat Licentiatus Joannes Leitan a consiliis Majestatis Regiæ, Diogus Diaz Macer Corrector, Licentiatus Fernandus Daires Dalmeida, Lanzarotes Leitan orphanorum judex, Emanuel Mendez de Vidigueiras Vereator, Sebastianus de Carvaglio Procurator, Petrus Lopez de Fonseca ipsius Cameræ scriba, et alii, ut suis verbis eis exponerent omnes illas prædictas causas, quas etiam paulo ante illis narraverat ipse Joannes Leitan ab Archiepiscopo rogatus, ut eadem hora, eodem in loco, ad idem officium faciendum præsto esset. Retulerant iidem Vicarius et Auditor, ipsos viros effecturos, quod Archiepiscopus mandaverat: dictumque Fernandum Daires Dalmeida respondisse, constitutum jam esse ab ipsis in Camera, ut præciperetur illis, qui tauros dare et adducere tenebantur, eos ne adducerent: se etiam missuros auferri pulpita ad spectaculum incœpta, et nihil negotii in hoc suscepturos; immo potius impedituros. Verumtamen si populus, jam pene tumultuans, aliquam exitaret turbam, taurosque adduceret, non obstituros, ne capita sua et honorem in discrimen adducerent. Quibus sic Vicarius generalis respondit: si populus jam ante oculos tauros haberet, tunc aliquis ab eo tumultus timeri posset; sed cum adhuc extra civitatem essent, absque ullo periculo impedire poterant; et præterea populum silere, ubi Magistratus et Gubernatores Civitatis aderant. At judex illud idem, quod ante dixerat, iteravit. Post vero hæc omnia urbanitatis officia per Archiepiscopum facta, et id, quod ipsi significaverant, se jam statuisse in Camera, populumque æquo et quieto animo ferre prædicta fieri, et provideri, ut tauri extra ejicerentur, et capi etiam illos adducentes; cumque in bonam partem acciperet illos vespere præcedenti minime agitatos fuisse, licet tota die in pulpitis expectaverit; cum domum se reciperent, dixerunt, taurorum ludos factos non esse, ut mos Archiepiscopo gereretur. Qui nihilominus Præsul animadvertens hæc omnia commenta esse, iisque non obstantibus, tauros in civitatem intromissos sine ullo vero impedimento; immo permissum esse erigi etiam alia pulpita et tabulata, et jam incœpta perfici, taurosque in stabulo collocatos, cum huic rei remedium afferre facillime potuissent, tauros vel non introducendo, vel extra ejiciendo, quo magis justificatio causæ et intentionis suæ appareret; egit cum Correctore Diogo Diaz Macro per Marcum Texeiram Inquisitorem, ut auxilium sibi in hoc ferret: quod ille promisit se facturum. Attamen cum revera non efficeretur, quærens Archiepiscopus conscientiæ et officio suo satisfacere juxta formam ejusdem motusproprii; et cum nulla id alia humana ratione consequi posset; auctoritate Apostolica supranominatis præcepit sub iisdem pœnis in eo contentis, ne taurorum cursus ullo modo permitterent; monitoriumque tertia die ante festum Corporis Christi, quæ fuit vigesima tertia hujus mensis Maji, tum præfato judici, tum deinde aliis publicari fecit. Quo non obstante, et pulpita absoluta sunt,

et tauri non ejecti, cum in suo stabulo eodem die Corporis Christi permanerent. Quod cum Archiepiscopus sciret, quo magis illorum contumaciam convinceret; alterum etiam monitorium eadem auctoritate, sub eisdem pœnis, et aliis quoque pecuniariis fieri jussit; admonens illos, et valde rogans, ne spectacula taurorum fierent, eosque foras ejicerent intra certum breve et peremptorium tempus; ne scilicet processionem solemnem mox faciendam, ut moris est, et per publicam plateam transituram, ubi agitandi tauri, et pulpita extructa aderant, vulgi strepitus perturbaret, et comitatum ordinate procedentium indecenter confunderet; utque Sanctissimum Sacramentum debita cum decentia et reverentia transiret. Sed quoniam Corrector Judexque præfati ea non sunt diligentia usi, qua juxta præmissa et notificationem monitorii ipsis factam, uti debebant; declarati sunt in excommunicationem ejusdem motusproprii incurrisse, et propterea non poterant divinis interesse officiis. Quocirca ut huic rei providerent, atque crescentem contra Apostolica decreta inobedientiam impedirent; cum essent ipsi in Ecclesia post majoris missæ solemnia, Archiepiscopus per unum ex suis capellanis nunciavit illis, videri sibi, non debere eos præsentes adesse, cum alia censura de participantibus in eos declaranda esset. Hoc autem dixerat Archiepiscopus in Capella majore, quo ipsi hoc timoris stimulo melius sibi consulerent; prout eodem etiam in loco dixerat, se illis consilium suum explicare, ne ibi in Ecclesia audituri expectarent ea, quæ ipsis dedecori et opprobrio esse possent. Euntibus autem illis, putans Archiepiscopus aliquid boni eos in hoc negotio facturos, præterquam quod jam declarati erant, ut dictum est, divinisque assistere non poterant, processionem incipi jussit, in qua ipse pontificali ritu interfuit. At vero præfati Judex et Corrector nihil timentes censuras, neque incursas, neque vigore ipsius motusproprii incurrendas, animo indurato et obstinato, magnoque contemptu et vilipendio illarum erecta pulpita permanere, et taurorum cursus fieri eodem Sacratissimo Corporis Christi die permiserunt; occasionem dantes vulneribus hominum et periculis multorum, ut supradictum est; et conniventes etiam alios adduci in civitatem tauros, in eundemque locum immitti, et agitari proximo die dominico immediate sequenti, qui fuit vigesimus octavus ejusdem mensis Maji, prædictis censuris in suo adhuc robore permanentibus. Ex quo manifeste declararunt, quæ illi antea signa dederant huic malo obviandi, ea apparentia tantum et simulata fuisse; prout passim ab omnibus interpretatur; quod magno etiam fuit scandalo piis viris, et zelantibus servitium Dei, et principalioribus civitatis. Cum vero ipsi ante omnia appellaverint, et post taurorum venationes appellationem in scriptis afferentes, et recursum ad Sanctam Apostolicam Sedem petentes redierint; Archiepiscopus nil aliud omnino prætendens, nisi illarum rerum executionem, quæ sibi per eundem motumproprium præcipiebantur, gratissimum sibi fore dixit ab hoc incœpto negotio desistere, quacumque occasione, tuta tamen conscientia et justa causa posset: et ideo appellationem recepit et admisit, atque hoc publicum instrumentum, testium examinandorum causa, confici mandavit.

Cum nihilo tamen minus rectores et cives Eborenses in eodem contumaciter persisterent, et Præsulis jussa aspernarentur, totam causam ad Pontificem detulit, [*] qui Pii V. Breve contra taurorum in Hispania agitatores latum ut in Lusitania etiam valeret, decrevit. [*]

[*] Mantissa document. N 61.

[*] Bullar Rom. T IV. P IV. Const. 123. p. 6.

LII. — Bisuntinorum Præsul libentissimo animo Pontificis monita de concilio provinciali celebrando, de moribus castigandis, deque Concilii Tridentini decretis exequendis accepit, hisque pro viribus se operam navaturum recepit. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 36. fol. 33.

Sanctissimo Domino Nostro.

« Beatissime Pater. Post pedum oscula beatorum. Cum humilitate et reverentia accepi rescriptum Sanctitatis V. æ, et lubenti animo suscipio admonitionem et exhortationem ad concilium provinciale celebrandum, quæ in illis sanctis literis continentur. Certus namque sum per ea, quæ in synodo ipsa decernentur, fore, ut multa in nostra Diœcesi et Suffraganeis reformentur, quæ nondum perfecte obtinere potuimus, inimico naturæ, et moribus a multis temporibus depravatis conatum et consilia saniora semper impedientibus. Quæ res ut maturius consultiusque fiat, jam nos publico mandato ad valvas Ecclesiæ Metropolitanæ et aliarum concilium hoc provinciale indiximus, auspiciis et jussu maxime Sanctitatis Vestræ illic et de seminario et de clausura sanctimonialium, quæ Sanctitas Vestra desiderat, atque alia ad disciplinam retinendam pertinentia, et ad S. Concilii Tridentini decreta constitutionesque exequendas, Deo juvante, agemus. Faxit Christus, ut omnia ad Dei gloriam et animarum salutem compleantur. Dominus Noster Jesus Christus Sanctitatem Vestram mundo nunc adeo necessariam diu conservet. Bisuntii Idibus Februarii 1581.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Nova atque humilima creatura
C. Card. a Bauma.

Eidem Bullam quam dicunt in Cœna Domini Gregorius mittit, mandans, ut in sua Diœcesi publicari et teneri curet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 112. f. 98

Dilecto Filio Nostro Claudio Cardinali Baumæ Nuncupato.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Mittimus ad te literas Apostolicas, quas vetustissimo hujus Sanctæ atque Apostolicæ Sedis instituto in die Cœnæ Dñi publicari fecimus. Facies item eas in tua Civitate et Diœcesi publicari. Pertinet hoc summopere ad Apostolicam auctoritatem, ad Ecclesiasticam disciplinam, ad nostram curationem, ad tuum munus, ad animarum salutem, quæ quidem tum singula, tum universa tuæ pietati quam commendatissima esse non dubitamus. Exequeris igitur omnia tanto studio et diligentia, quantum tua pietas et virtus pollicetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima quarta Novembris, millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Pontificatus Nostri anno decimo.

LIII. — Episcopum Leodiensem magno verborum pondere cohortatur, ne a rectoribus laicis res et jura Ecclesiæ in Ducatu Lucemburgensi impune violari, diripi ac distrahi sinat; si opus fuerit, ad Regem ipsum Catholicum rem deferat, ejusque opem efflagitet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 39. f. 18.

Venerabili Fratri Episcopo Ecclesiæ Leodiensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Certiores facti sumus, jurisdictionem Ecclesiasticam, Clericorumque res a nonnullis Rectoribus et Gubernatoribus laicis, qui in Ducatu Lucemburgensi sunt, gravissime violari et vastari, iis præsertim in locis, quæ tuæ Ecclesiæ subsunt, beneficia ab illis conferri, clericos ad ea institui; concubinarios item clericos ab ipsis mulctari, Ecclesiarum reditus tributis gravissimis diripi, bona palam occupari et divendi, multos denique his malis coactos esse Ecclesias suas relinquere. Gravissima hæc Nobis visa sunt, et hæreticorum potius furori, quam Catholicorum nomini congruentia. Hortamur, ne differas providere, tuamque auctoritatem opponere, atque etiam, si opus fuerit, Regem Catholicum certiorem facere, ejusque opem adhibere; nunquam patietur talia a suis committi, qualia vix possent ab hostibus atque ab hæreticis expectari. Debes hanc facultatem Christi ovibus tibi commissis inserviendi summo cum zelo arripere, atque ex aliorum perfidia crescere, nihilque huic curæ anteponere. Non dubitamus, id facturum esse te tanto studio, quantum nobis eximia tua virtus et pietas pollicetur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima nona Julii, millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Pontificatus Nostri anno decimo.

Alexandrum quoque Farnesium, qui Provincias Belgicas regebat, Gregorius fusius damna Ecclesiæ ab laicis irrogata commemorans, rogat, ut pro ejus pietate hujusmodi hominum tabem arceat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 35. f. 18.

Dilecto Filio Nobili Viro Parmæ et Placentiæ Principi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Perpetuam atque optimam Philippi Regis Catholici in Ecclesiarum rebus tuendis, inque earum immunitate conservanda voluntatem perspectissimam habemus: eademque voluntate esse Nobilitatem Tuam non dubitamus. Scimus enim, te et natum esse, et educatum ad omnem pietatem, inque ea magna semper cum laude versatum. Ubi autem ab iis, quibus præes, aliquid peccatur, id ignorante te accidere, interpretamur. In tantis enim publicarum rerum, bellorumque occupationibus multa possunt latere te, quæ cum a cæteris, tum vero ab iis, qui Lucemburgensi provinciæ sunt præfecti, quotidie gravissime peccantur; sic enim magnorum virorum testimoniis confirmatur, Abbatum, clericorumque Treverensium, Leodiensium, Metensium, aliarumque Diœcesium res, quæ illic sunt, seminariorum nomine diripi, decimas usurpari, armenta palam divendi, tributa imponi, beneficia a Præfectis ipsis conferri, clericos concubinarios ab eisdem molestari, Ecclesiasticas denique res ab iis, qui Catholicorum nomine utuntur, tam male tractari, ut non possent ab hæreticis atque hostibus acerbius, quodque hypocritarum proprium est, in manifestis rapinis, religionis ab iis zelum prætexi. Nam quod attinet ad nomen seminarii, sedes ibi Episcopalis nulla est, seminarium nullum, laicorum denique talis curatio non est; clericos concubinatus nomine quo jure puniunt, beneficiorum collationem atque institutionem qua fronte attingunt? Sed aperta est cupiditas, et studium omnia ad suum quæstum convertendi; his malis ut provideas, hortamur, atque etiam si pateris, rogamus. Graviora multo hæc sunt, quam ut possint dissimulari ac ferri. Haetenus potuit ignoratio excusationi locum dare, in posterum nulla neque apud Deum, neque apud homines excusatio reliqua erit, quæque committentur, postquam a Nobis monitus es, tibi ad culpam ascribentur. Sed non dubitamus, quin sis remedium quamprimum adhibiturus: convenit hoc tuæ eximiæ ac perspectissimæ pietati. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Julii MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno decimo.

LIV. — Quod si Regis Hispaniarum administri tanto impetu, tantaque impietate, quæ religionis sanctitate ab eorum consiliis, uedum manibus remota ac tuta esse debuissent, violare atque attentare ausi fuere: quanto fervidius eos putemus in rebus civilibus debacchatos esse, nihilque vel libidinis vel furoris prætermisisse?

Ex quo nimirum factum est, ut gentes illarum regionum fœdere inter se icto, ex quibus primas tulerunt Batavi, Regis Philippi imperium ab se depulerint, eumque omnibus precibus detestati tanquam patriæ hostem, die XXV. Julii sollemni jurejurando ejecerint. [*]

[*] Apud Dumont Corps diplom. T. V. pag. 413.

LV. — In Anglia a viris Catholicis agitandis insectandisque nunquam abstinebatur. Legas quæ amicus quidam Londinensis Nuntio Apostolico apud Regem Christianissimum retulit. [*]

[*] Gallia Vol. 16. fol. 301.

«Dominus Henricus Hovardus Herfolicæ nuper Ducis frater, et reliqui tres nobiles superiori Decembris mense comprehensi, in eorum adhuc ædibus captivi manent, quibus custodiendi committebantur.

« Comitiorum finem post biduum aut triduum præstolamur. Jam dudum legem in Catholicos gravissimam sancierunt; in hunc nimirum sensum: quod qui ecclesias suas parrochiales accedere, et communioni hic approbatæ, precibusque publicis interesse recusaverit, pro uno quoque mense, quo abfuerit, 20 minas, hoc est aureorum 63 mulctam solvet. Quod si per integrum annum abesse voluerit, eo expirato, omnia bona sua tam mobilia, quam immobilia fisco in perpetuum, corpus autem perpetuo carceri adjudicabitur, et omnes terrarum proventuum et bonorum suorum venditiones, concessiones, donationes, vel transactiones qualescumque factæ ab anno regni Reginæ nostræ XIII. vel in posterum faciendæ per aliquem, qui contra hanc legem delinquet, fraudolentia habebitur. Præterea si aliqua nupta communione et publicis precibus interesse recusaverit, et per unius mensis spacium ecclesias suas non accesserit, maritus eam coram Episcopo accusabit; quod si id non præstiterit, eandem, quam illa, 20 nimirum minarum menstruarum summam solvet. Quarum mulctarum duæ partes fisco, tertia vero denunciatori cedet; item si quis aliquem juramento se cuique alteri, quam Angliæ Religioni obligasse sciverit, et id non continuo detexerit, læsæ Majestatis reus adjudicetur. Hæc sunt, quæ habeo jam tibi impartienda: utinam Dædalus essem, ut volatu possem me ad te conferre, et per solum horæ medium te convenire; alia coram communicarem, quæ litteris mandare non audeo.

Quin adeo Anglicanorum in Catholicos invidia exarsit, ut non defuerint, qui sibi gloriosam martyrii palmam comparaverint. Quos inter strenuus ille Christi miles Edmundus Campianus e Societate Jesu, ob fidem Catholicam Londini Kalendis Decembribus capitis damnatus est. Pari supplicio affecti fuerunt Rudolphus Scherwinus et Alexander Briantus, sacerdotes Angli, collegiique Remensis alumni, et pietate et doctrina spectatissimi, quorum vitam ac martyrium presbyter Bridgwater conscripsit in prima parte operis, cui titulus: Concertatio Ecclesiæ Catholicæ in Anglia; et Augustæ Trevirorum anno MDLXXXIII. typis excusi. Hoc in opere quidem reperiuntur etiam nomina nonnullorum tum Ecclesiasticorum, tum laicorum virorum, qui hoc anno, alii aliis diebus ac locis, pro fide Catholica vel martyrio affecti, vel ejusdem Campiani gratia multifariam mulctati fuerunt. De his gloriosis Christi martyribus egit Hieronymus Pollinius, doctus quidem Ordinis Prædicatorum alumnus [*]: fusiori vero calamo eorum gesta persecutus est elegantissimus historiographus Daniel Bartolus e Societate Jesu [*]. Quo in genere haudquaquam sunt contemnenda, quæ insignes viri Challoner [*] et Carolus Butler [*] de iisdem Catholicorum vexationibus narrant. Videsis etiam documenta, quæ A. Tierney, clarus vir et rerum suæ gentis diligens investigator, in adnotationibus ad Doddii historiam Ecclesiasticam Angliæ profert [*]. En denique quæ Guillelmus Alanus, Collegii Anglorum Remensis Rector, iis de rebus Cardinali Comensi refert, simulque ab eodem summopere postulat, operam det, ut per Summum Pontificem Regi Catholico suadeatur, ne Mendosium, ejus in aula Britannica Oratorem, firmissimum ac prope unicum Catholicorum columen et perfugium, ab Londinensi legatione revocet. [*]

[*] Historia Ecclesiastica della rivoluzione d'Inghilterra. Roma 1594 4 pag. 340-379.

[*] Dell' Istoria della Compagnia di Gesù. L' Inghilterra. Roma 1667 p. 110-236.

[*] Memoirs of Missionary Priests. Manchester 1803.

[*] Historical memoirs of the Engl. Irish and Scottish Cathol. since the Reformation. Lond. 1822. T. 1. p. 400-413.

[*] Tom. III. Append. N. 2-7 pag. II-XXVI. London 1840.

[*] Anglia Vol. 2. fol. 311.

Illmo ac Rmo in Christo Patri ac Domino D. Cardinali Comensi, Dño suo benignissimo.

Illustrissime ac Revme Dñe Cardinalis.

« Illud desiderium Catholicorum de retinendo in Anglia Illustri Domino Bernardino Mendosio, suæ Majestatis Catholicæ Oratore, (quod ante aliquot menses Tuæ Celsitudini per litteras insinuavi) puto vestro de ea re silentio castigatum, aut refutatum esse. Jam tum enim ipse de æquitate illius postulati dubitabam, et admodum timide vestræ sapientiæ commendavi, tamen quia iterum jam nostri in Insula urgent, qui in hac sæva persecutionis tempestate undecunque suarum calamitatum quantulumcunque levamen prensant, sentiuntque se variis modis ab illo Oratore juvari posse, eorum petitionem nec potui negligere, nec apud Tuam Amplitudinem debui tacere. Illi existimant Sanctissimi Domini Nostri uno apud Catholicum Regem verbulo fieri posse, ut vel illinc non revocetur, vel saltem ut in aliquo vicino Galliarum aut Belgiæ loco ad summum Catholicorum commodum et solatium collocetur, cum nemo sit exterorum, cui aut res nostræ sint magis cordi, aut magis cognitæ. Si ergo iniqua non videatur petitio, dignetur semel Tua Illma D. eam Suæ Sanctitati innuere. Cujus rei rationes nobilissimus Dominus Georgius Gilbertus, vir magna pietate et multis in gentem suam meritis clarus, qui has litteras dabit, fusius explicabit; qui etiam poterit vestræ pietati veram historiam texere

gloriosissimi martyrii Edmundi Campiani Jesuitæ, Radulphi Cervini, et Alexandri Brianti sacerdotum et utriusque Collegii alumnorum: qui (superatis fortiter variis turmentis) tandem primo Decembris (infœlice dicam, an fœlice laqueo nescio) in cælum evolarunt, hominum myriadibus et aspectantibus et mirantibus et gementibus. Nolebat Regina eos religionis, sed proditionis ac in vitam ipsius conspirationis causa capitis condemnari. Damnati sunt etiam octo vel decem alii, quorum exitum brevi fortassis audiemus. His flagellis castigat nos Dominus, his benedictionibus nos beat Dominus. Erat tunc (ut nunc est) in Aula Christianissimi Regis frater, cujus gratia apud Reginam sperabatur, fore ut liberarentur ab extremo supplicio, sed vana spes hominum. Vivat floreatque Sanctissimus Papa noster Gregorius. Vivas valeasque tu diu, optime Cardinalis. Remis 20. Decembris 1581.

Illmæ ac Revmæ Paternitatis

Servus et orator

Gulielmus Alanus.

LVI. — Anglos præterea Gregorius in avita fide confirmandos curavit, misso ad eos claro viro Gaspare Haywodio, Societatis Jesu presbytero, qui cum ipsemet Anglus plurimæ in Anglia auctoritatis haberetur, plurimo futurus solatio esset. Qua de causa Bavarorum Duci, ut Haywodium a se dimittere pateretur, hæc scripsit. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. Ann X ep. 8. f. 3.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Bavariæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quod olim monuit Apostolos suos Dominus Noster Jesus Christus, hoc etiam Nos monet quotidie, messis multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Rogamus Nos quidem, sed debemus etiam, pro nostro munere et Ecclesiarum omnium solicitudine ab ejus bonitate Nobis imposita, eos, quos maxime idoneos esse cognovimus, mittere, et curare, ut in hoc negocio Catholicos Principes, in quibus Nobilitatem Tuam imprimis numeramus, adjutores habeamus. Postulant Sacerdotes Sodalitatis Jesu, qui in Anglia sunt, ut mittamus eo ipsorum studii et assidui pro Christi gloria atque animarum salute laboris adjutores: nominant autem in primis dilectum filium Gasparem Helvodium Anglum, ejus ipsius Sodalitatis Sacerdotem; sperant enim, ejus auctoritatem, quæ ibi non modica est, magno sibi usui futuram. Volumus hoc significare Nobilitati T. Interest autem summopere ad Dei gloriam, quam solam spectamus, atque ad eorum, quos mittimus, incolumitatem, eos, quos mittimus, quam secretissime discedere. Certum habemus, Nobilitatem Tuam et causam ipsam et nostrum zelum vehementer probaturam, libenterque Helvodium in hac tanta necessitate a se dimissuram. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die nona Maji millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Pontificatus Nostri anno decimo.

LVII. — Piissima interea Regina Scotorum Maria, quantum fieri posset, in id omnia consilia intendebat, ut aliquando res Catholica in Scotia magna esset incrementa habitura. Itaque nihil studebat magis, quam ut complures Scotorum juvenum Ecclesiastico ordini sese manciparent, ex quibus, qui virtute et ingenio præstarent, sacris litteris in aliquo Galliæ Seminario imbuerentur, et cum in patriam redituri essent, doctrina et morum integritate suos populares Neotericorum dogmata dedocerent, ad fidemque Catholicam reducerent. Quod quidem cum ipsa pro exiguis facultatibus efficere in præsentia non posset, allatumque ei esset, Gregorium Collegio Scotorum non ita pridem Lutetiæ Parisiorum in Ecclesiæ Scoticæ usum extructo tam liberaliter de suo proprio subvenisse, et annuum censum erogasse, ut alii item ex Scotia juvenes in celebri Jesuitarum collegio Mussiponti Theologiæ studere possent, bis litteris maximas gratias Pontifici egit. [*]

[*] Anglia Vol. 2. fol 297.

Sanctissimo Domino Nostro Papæ.

Beatissime Pater.

« Inter varios fortunæ meæ casus, diuturnosque labores nihil unquam, ut Vestræ Sanctitati perspicuum esse existimo, mihi tam præ oculis cordique fuit, quam religionis orthodoxæ propagandæ, ac præsertim in hac Insula resarciendæ studium, mecum præclare actum iri semper rata, si is tandem fructus ex mea captivitate nasceretur. Ad hoc autem institutum promovendum, filium meum ad Ecclesiæ sinum accersere omnibus maternæ pietatis officiis jam aggressa, sperausque illum eandem mecum provinciam tandem suscepturum, maxime commodum interim fore existimavi, quotquot possem subditorum meorum modis omnibus ordini Ecclesiastico nuncupare et adscribere, strenuos in hac militia auxiliares mihi futuros. Quosdam igitur inter illos, morum elegantia doctrinæque celebritate præstantiores, anno præterito in Gallia in unum societate facta congregatos, ad Seminarii normam Tridentino Concilio statutam redigere decreveram. Sed cum horum necessitatibus meæ perquam exiles facultates non paterentur, ut in totum subvenirem, Archiepiscopo Glasgoensi, meo apud Regem Christianissimum oratori, (cum per me ipsam id exequi minime liceret) mandaveram, ut meam hac de re mentem Vestræ Sanctitati amplissime aperiret, ejusdemque auctoritate suprema ac consueta munificentia omnia confirmari et ordinari curaret. Nuperrime autem ex litteris dicti Archiepiscopi cognovi, Vestram Sanctitatem meo

proposito, suisque in illud postulatis annuisse, annuamque pensionem his subditis meis, tuo jussu urbem Pontis Mussonii prope diem adituris constituisse. Eo nomine (quo me ipsam tibi cumulatissime devinctam agnosco) gratias tibi ago quam possum immensas, Sanctissime Pater, summisque precibus a te contendo, ut hoc Seminarium Scoticum, sicut cœpisti, tua benignitate fovere pergas, ac in illo degentes, quousque iis in Scotiam ab exilio redire fas sit, muneribus ecclesiasticis, quæ in Lotharingia finitimisque regionibus tuo subjacent Imperio, per tuos legatos ornari et affici jubeas. Quibuscumque aliis modis potero, me illis non defuturam tibi persuasum esse exopto, ac in constanti et perpetua erga illam Sedemque Apostolicam observantia et obedientia, quousque et ubicumque vivam, permansuram, Deo Optimo favente, quem interim exoro, ut Vestram Sanctitatem Ecclesiæ suæ incolumem quam diutissime conservet ac tueatur. Datum Chathswordii in Anglia anno Domini 1581. pridie Calendas Augusti.

Vestræ Sanctitatis

Humilis et devota filia

MARIA R.

LVIII. — Gregorius Sedis Apostolicæ jurium perpetuus defensor, rejecto Horatio Blanco, quem Rex Galliarum nullo suo jure Episcopum Saluciensem designaverat [*], Aloysium Pallavicinum ex Marchionibus Cævæ illi Ecclesiæ præfecit. Quo jure ea in re usus fuerit, pro sua humanitate Vallettæ, Salutiarum Gubernatori, significat, rogatque, ut interposita sua apud Regem auctoritate rem optimo jure factam vindicet. [*]

[*] Cf. Ughelli Italia sacra Tom. I. p. 1230. edit. N. Coleti Venetiis 1717. fol.

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 87 f. 60.

Dilecto Filio Nobili Viro . . . . . Vallettæ Salutiarum Gubernatori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Præfeceramus Episcopum Ecclesiæ Salutiarum, multo antequam literæ Nobilitatis Tuæ Nobis redderentur; idque feceramus nostro atque hujus Sanctæ Sedis vetere et proprio jure: est enim Ecclesia illa citra montes, in qua Rex Christianissimus id tantum juris habet, quod habuerant olim Marchiones, neque est ea conditione, qua sunt cætera ejus loca ultra montes, idque Nuncius noster facile ei probabit; sic enim mandavimus. Neque dubitamus, quin quod jure factum est, sit etiam Regi gratum futurum, tantum abest, ut existimare possimus aliquid impedimenti fore, quominus Episcopus liberam possessionem assequatur. Rogamus etiam, ut velis hac in re tuam auctoritatem interponere tanto studio, quantum eximia virtus tua et perpetua recti æquique cura pollicetur. De tua vero præstanti opera in iis pravitatibus evellendis, quas superiorum temporum iniquitas adversus Catholicam Ecclesiam, sanctamque Religionem induxerat, incredibiliter lætati sumus; nec dubitamus, quin tua singulari prudentia pristina atque optatissima tranquillitas reditura sit. Hortamur igitur et rogamus, ut quod tanta cum laude cœpisti, perficias, majorumque tuorum gloriæ respondeas in Catholica Religione tuenda, et Dei gloriæ inserviendo. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Sept. MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno decimo.

LIX. — Januenses valde doluit, quod ex falsis rumoribus epidemiæ apud sese grassantis Pontifex omnino cum ipsis commercium suis subditis interdixerit. Cujus rei cum nulla esset justa causa, sibique rursus non leve afferret incommodum, etiam atque etiam rogant, ut interdictum nullum esse velit. [*]

[*] Genua Vol. I. fol. 113.

Sanctissimo et Beatissimo Patri Domino Nostro.

Sanctissime et Beatissime Pater.

« Audivimus Sanctitati Vestræ relatum fuisse, nuper in Civitate nostra, et quidem in domibus civium non humilis conditionis plures casus epidemici morbi emersisse; quæ quidem res sicuti a veritate longe abest, ita nobis non levem molestiam intulit, quandoquidem ab initio mensis Novembris proxime lapsi ad hunc usque diem nihil in hac urbe, quod hujusmodi referat luem, visum vel auditum fuerit, et sicuti non est rationi consonum, ita nec Sanctitati Vestræ videri debet, Rempublicam Venetam, Gubernatorem Status Mediolanensis, Duces Sabaudiæ, Mantuæ et Placentiæ, vicinos et finitimos nostros, quique hujus negotii exactam habent notitiam, et jamdudum hominibus et rebus ditionis nostræ liberum commertium permiserunt, in re tanti ponderis adeo sibi ipsis male consuluisse, ut id temere concesserint. Proinde qui talia jactant, aut rei veritatem ignorare videntur, aut data opera dissimulant. Pagus noster Reghi, qui duodecim millia passuum abhinc distat, et qui fere per trimestre pestilenti morbo laboravit, licet undecim tantummodo ex incolis eadem infectione periisse compertum habeamus, a quadraginta et amplius diebus citra hujusmodi infectionis immunis evasit, hucusque tamen, sicuti sedulo in hoc invigilandum duximus, sequestratus et stipatus undique diurnis ac nocturnis excubiis servatur, cum stet sententia, ut par est, in re tanti momenti sensim et mature progredi. Proinde Sanctitatem Vestram humiliter oramus, ut interdictum jam dudum hominibus et rebus nostris commertium, nulla saltim vera subsistente causa, tandem restituat, ne diutius incommoda et damna a nobis hucusque passa ea de causa, ferre cogamur, et Sanctitati Vestræ nos et hanc Rempublicam nostram humiliter commendamus, sanctosque

pedes ejus genuflexi deosculamur. Genuæ XII. Aprilis MDLXXXI.

Sanctitatis Vestræ

Obedientiss.mi et obsequ.mi filii et servi
Dux et Gubernatores Reipublicæ Genuensis.

Alteris litteris ab eodem postulant, ut præclarissimum virum Nolanum Præsulem, qui ob singularem in rebus publicis tractandis dexteritatem communibus civium suffragiis Orator ad Regem Catholicum designatus fuerat, ad eam legationem obeundam a lege residentiæ per triennium eximat. [*]

[*] Genua Vol. I. fol. 118.

Sanctissimo et Beatissimo Patri Domino Nostro.

Sanctissime et Beatissime Pater.

« Expedit Reipublicæ nostræ legatum in Hispaniam ad Catholicam Regis Majestatem mittere, qui per triennii spatium a legibus nostris præstitutum ibidem resideat, curaturus negotia, quæ interim ea in curia nobis occurrent; et cum plures ex præstantioribus civibus nostris pro eo deligendo nuncupati fuissent, prævaluit Philippus Spinola Episcopus Nolanus et ad id muneris electus remansit. Verum cum (ut etiam ab ipso audivimus) tam ex sacrorum canonum dispositione, quam sacri Concilii Tridentini jussione, Episcopus ad curam gregis sibi commissi in Episcopatu suo residere obnoxius sit, nec inde discedere liceat, nisi permissione et placito Sanctitatis Vestræ: eam propterea nobis humiliter rogandam duximus, ut sicuti Reipublicæ hujus commodo præcipuam semper animi propensionem ostendit, ita nobis concedere velit, ut ejus placito et licentia Episcopus ipse munus legationis sibi demandatum obire et peragere possit. Quod quidem et (ut confidimus) ab ea obtinebimus, reliquis, et quidem non paucis, nec parvis beneficiis Reipublicæ nostræ collatis hunc cumulabimus, cujus sanctissimos pedes humiliter osculamur. Genuæ XV. Aprilis anno MDLXXXI.

Sanctitatis Vestræ

Obedi.mi et obsequ.mi filii et servi
Dux et Gubernatores Reipublicæ Genuensis.

Pontifex Januensium votis de commercio quidem cum incolis suarum ditionum restituendo facile assensus est: sed tamen ut Nolanus Episcopus ab sua Diœcesi tam necessario tempore, tamque diu abesset, nullo modo adduci potuit. Eos denique humanissime rogat, ut Episcopo Laudensi Nuntio Apostolico ad Regem Catholicum mox transituro de trireme accommodare velint. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IX. ep. 133. f. 127.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris, Duci et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus binas vestras literas, unas de rerum personarumque commercio vobis concedendo, alteras de venerabili fratre Philippo Ecclesiæ Nolanæ Episcopo, a vobis oratore ad Regem Catholicum mittendo. De commercio, tametsi difficile est, tantam diligentiam adhiberi, quantam rei ipsius gravitas et periculum exposcit, tamen nolumus vestræ postulationi deesse, quin etiam cupimus nostro exemplo cæteros quoque Principes ad hoc ipsum suis in locis vobis permittendum adduci. De Episcopo vobis gratificari omnino non possumus: obstant enim tum decreta ea, de quibus ipsi etiam scribitis, tum quod magnopere Nobis cordi est, ratio conservandæ Ecclesiasticæ jurisdictionis iis præsertim in locis, in quibus ei gravissime resistitur, in quo maxime versatur Episcopi ipsius cura et vigilantia. Speramus, vos contentos esse nostra optima voluntate omnibus in rebus, quoad salva conscientia possumus, vobis gratificandi. Cum autem has literas scribi mandabamus, jam alias ad vos dederamus, rogaveramusque, ut velletis venerabili fratri Ludovico Laudensis Ecclesiæ Episcopo nostro, in Hispaniam Nuncio ordinario, unam ex vestris triremibus accommodare: postea autem accepimus, vos duas alias item in Hispaniam Venetorum Reipublicæ oratoribus accommodasse. Gratissimum Nobis facietis, si eam, quam postulavimus, triremem Nuncio nostro tribuetis, dussque illas ejus adventum expectare curabitis; statim discedet, paucissimisque diebus istuc perveniet; tutius una navigabunt. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima octava Aprilis MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno nono.

LX. — Januenses, gratiis pro restituto commercio prolixe actis, eidem iterum preces adhibent de Episcopo Nolano saltem in annum mittendo; simulque in eo dolent, quod de ejus Nuntio in Hispaniam transituro gratificari non possint. [*]

[*] Genua Vol. I. fol. 119.

Sanctissime et Beatissime Pater.

« Redditæ nobis fuere litteræ Sanctitatis Vostræ datæ XXVI. et XXVIII. Aprilis proxime lapsi, quibus nedum nos, sed universa hæc Civitas mirifice lætata est, exoptatum etenim commercium tam diu interdictum nobis restitutum vidimus. Eo etiam amplius quod exemplo permotus Magnus Dux Hetruriæ interdictum et ipse relaxavit. Quapropter jure merito Sanctitati Vestræ ex corde duplices gratias agimus. Quod attinet ad profectionem Episcopi Nolani in Hispaniam, vidimus Sanctitati Vestræ visum non fuisse, placitum suum indulgere ex causis paterna caritate, ut assolet, expressis. Nos autem ita exigente Reipublicæ nostræ commodo, cui, quod nostrum officium est, perpetuo studemus, eam iterato humiliter rogandam duxi-

mus, ut saltim per annum id concedendum placeat, futurum enim opinamur, ut opera ipsius Episcopi Respublica nostra non aspernandum sit beneficium adeptura. Quod quidem Sanctitatis Vestræ cordi esse, jam dudum adeo perspectum habemus, ut certa in nobis spes maneat in hoc, quod enixe rogamus, non defuturam; triremen, quam postulat pro deferendo Legato Barchinoniam, non levi mœrore nunciamus sero requisitam fuisse, cum reliquæ duæ triremes, quas oratoribus Venetis commodavimus, jam dudum discesserint, pro quibus instruendis hæc, quæ remansit, fuit remigibus et aliis ad navigandum necessariis adeo denudata, ut inutilis sit, et male consultum esset Legato, si triremi adeo necessariis destitutæ vitam suam et suorum crederet, ut etiam ex litteris Reverendi Joannis Baptistæ Lomellini, qui coram iis omnibus affuit, plenius Sanctitati Vestræ innotescet, cujus pedes humiliter deosculantes nos et Rempublicam nostram toto corde commendamus. Genuæ XII. mensis Maji MDLXXXI.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimi et obsequentissimi
filii atque servi
Dux et Gubernatores Reipublicæ
Genuensis.

Pluribus maximeque sollicitis precibus ab Pontifice petunt, ut laudatissimo Albinganensi Episcopo, nuper vita functo, eum det successorem, quem potissimum ejus Ecclesiæ conditio postulare videtur. [*]

[*] Genua Vol. 1. fol. 135.

Sanctissime et Beatissime Pater.

« Cum ob mortem Reverendissimi Caroli Grimaldi Episcopi Albinganensis, Beatitudo Vestra electionem ejus successoris in dicto Episcopatu de proximo sit futura; cumque Reverendus Inquisitor hæreticæ pravitatis nos certiores fecerit, in dicta Civitate et Diœcesi, uti finitima locis hæresi infectis, adesse nonnullos eo exitiali morbo laborantes, nonnullos etiam suspectos, operæ pretium esse et offitio nostro convenire duximus, quæ audivimus Sanctitati Vestræ referre, et insuper eam etiam atque etiam (quod fecimus) ex corde rogare, ut ad munus dicti Episcopatus eum potissimum eligere velit pastorem, qui præter omnia tuendæ et augendæ Religionis et Catholicæ fidei præcipuum finem habeat, sanctæque Inquisitionis protector et auxiliator acerrimus sit futurus; cæterum nos et Rempublicam nostram humillime Sanctitati Vestræ commendantes, genuflexi ejus pedes osculamur. Genuæ die XVI. Decembris MDLXXXI.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimi et obsequentissimi
filii et servi
Dux et Gubernatores Reipublicæ
Genuensis.

LXI. — Longobardos hoc anno ingenti admodum lætitia affecit translatio, sollemni supplicatione ac pompa Vercellis facta, corporis S. Eusebii, primi hujus urbis Episcopi, invictissimi celeberrimique Arianorum expugnatoris. Sacram hanc pompam deduxere S. Carolus Borromæus et cæteri Mediolanensis provinciæ Antistites. Præter alias causas hæc etiam ratio adduxit Vercellensium Præsulem, ut Patrem Dominicum Ordinis S. Pauli Decollati ad Pontificem eum litteris mitteret, a quo omnia accuratius acciperet. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 8. ep. 30

Beatissime Pater.

« Post sanctissimorum pedum oscula. Summo Dei beneficio ac non sine magna divinæ erga nos benignitatis significatione evenisse arbitror, Pater Beatissime, ut proxime elapsis diebus Sancti Eusebii primi Vercellarum Episcopi et Martyris celeberrimi corpus, ob novam Ecclesiæ nostræ Cathedralis fabricam seu instaurationem, detectum patefactumque sit, non enim inventum dicam, quando eodem ipso loco, quo nunc conditum apparet, hoc est sub ipso majore altari supra omnem hominum memoriam totus Vercellensis populus, Clerusque universus ac præsertim Cathedralis ecclesiæ, quin sacrum illud corpus jaceret, nihil unquam dubitavit, ibique perpetuo tum piis precationibus, tum accensis luminibus religiose veneratus est. Quamobrem pro debiti mei officii ratione omittere nolui, quin statim Sanctitatem Vestram hujus rei facerem certiorem, cum ut illa tanti thesauri, ipsa Ecclesiam feliciter gubernante, inventi vel patefacti esset particeps, tum ut ne sacrum hoc corpus, quod certe digniori aliquo loco, vel sub altare nuper extruendo recondendum judicavimus, sine Sanctitatis Vestræ scitu ulla ratione dimoveretur. Proinde cujus olim sanctitas, authoritas ac præstantia tanta fuit, tantaque in retundendis Arianorum viribus, ac callidissimis consiliis discutiendis fortitudo ac prudentia, ut in illius ab exilio reditu lugubres vestes Italiam mutasse testetur divus Hieronimus, æquum certe visum est, ut sacro illius corpore post tot sæcula in lucem edito, non Vercellarum Civitas modo, sed tota Mediolani provincia, atque adeo Italia universa, ac imprimis Sancta ista Romana Sedes, totius orbis atque universalis Ecclesiæ caput lætaretur in Domino, ac præ spirituali gaudio exultaret. Nos quidem re jam cum Illmo et Rmo Cardinali Sanctæ Praxedis, atque hujus Provinciæ Archiepiscopo communicata, de sacris ac venerandis his reliquiis omni cum celebritate transferendis cogitare cœpimus. Ideo Sanctitatem Vestram supplex oro, ut sacram hanc actionem, omniumque provinciæ Mediolanensis Episcoporum conventu celebrem futuram, amplissimo Indulgentiarum thesauro condecorare et cumulare dignetur. Ut autem illa certius omnia ad hoc com-

mune gaudium, solemneque peragendum officium pertinentia intelligat, mittere decrevi Patrem Dominicum Ordinis Sancti Pauli Decollati, Sacerdotem ac Sancti Petri Vercellarum Præpositum, ex quo Sanctitas Vestra omnia arbitratu suo exactius cognoscet; atque ex ejusdem præterea sermonibus, si forte id gratum fuerit, instrui de omnibus diligentius poterit, quæcunque in Helvetica seu Rhætica legatione contingerunt, aut per me gesta sunt. Ita enim operæ precium me facturum existimavi, cum multa sint, quæ litteris mandari nec jure debent, nec certe satis commode possunt. Huic igitur, qui de rebus omnibus tum ad sacri corporis translationem, tum ad legationem, tum vero etiam ad nonnullas meas, Ecclesiæque meæ necessitates spectantibus plene instructus est, a Vestra Beatitudine peto, ut quam mihi fidem, si ejus pedibus provolutus essem, adhiberet, eandem præstare, facilesque aures præbere dignetur, meque inter suos minimos clientes ac servos perpetuo recensere. Ego vero Sanctitatem Vestram diutissime incolumem ac felicissimam Ecclesiæ Dei servari cupio, atque ex animo precor. Datum Vercellis Nonis Martii MDLXXXI.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus ac devotissimus servus

J. Fr. Episcopus Vercellensis.

LXII. — Econtra deflenda hoc anno fuerunt ingentia dissidia inter Magnum Magistrum et Conventum sacræ militiæ Hierosolymitanæ orta, quæ ex Ciaconio paucis perstringam. [*] Nonnulli Hierosolymitani Equites a Joanne Magno Magistro octuagenario petierunt, ut sui muneris labores demandaret alteri, cum gravis ætatis pondere premeretur: at celsi animi vir seditiosos eos existimavit, et petitionem, quam rejecit, absurdam; non enim senex viribus ad munus obeundum necessariis carebat. Tum illi, sese inscio, Romegassum Guasconem, navalium prœliorum fama clarum Equitem, Vicarium ejus instituerunt, et, pœnam formidantes, Joannem ipsum in arcem S. Angeli dictam, reis custodiendis destinatam, vi perduxerunt. Tres cum accusantes, duos defendentes Romam advolarunt: duo Joannis nomine petebant a Gregorio, ut infringeret, quod per seditionem acciderat; ut Romegassum usurpata dignitate spoliaret, Joannem cum familia Romam venire permitteret, hominemque, qui tantisper Ordinem regat, Melitam mitteret. Pontifex Gasparem Vicecomitem Mediolanensem, Rotæ Auditorem, illuc statim misit, qui senem libertati restituit, eundemque mox et Romegassum Romam misit: hic citius pervenit. Vicecomes Melitæ militiæ consulturus et testium dicta excepturus substitit. Joannes, quem multi Ordinis milites comitabantur, Gregorio jubente, perhonorifice exceptus est nobili pompa: familiæ Pontificis, Cardinalium, Aula, levis armaturæ equites, Helvetii, et alii plures obviam venienti processerunt: divertit ad ædes Cardinalis Estensis, Galliæ Patroni Joannes, et regiam, ut ita dicam, Principis munificentiam expertus est. Die 28 Oct. ad Pontificem decem Cardinalibus stipatum accessit, post pedis osculum pauca gallice locutus, Gregorii benignitate recreatus, ejus jussu post ultimum Cardinalem Diaconum sedit. Romegassus seu Romegas die 4. Novembris obiit (ex mœrore animi, ut quibusdam visum), et postridie in Pinciana SS. Trinitatis æde sepultus est. Magnus autem Ordinis Magister Joannes, nocte diem 22. Novemb. præcedente pleuritide absumptus, a M. A. Mureto funebri elogio celebratus; cadaver ejus insigni funeris apparatu, a Mucantio descripto, in templo S. Ludovici nationis Gallicæ in spe resurrectionis humatum est.

[*] Histor. Pontificum etc. T. IV. pag. 9. Romæ 1667. f.

Huc afferimus litteras æque consilii ac minarum plenas, quibus Pontifex Melitensibus Hieromilitibus, quæ maximo cum ipsorum Ordinis dedecore contra Magnum Magistrum egerant, summa verborum castigatione exprobavit; simulque rationem rerum componendarum secutus, quæ certum ac præsens remedium tot malis allatura esset. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 50. f. 39.

Dilectis Filiis Conventui, et Universis ac Singulis Prioribus, Præceptoribus, Rectoribus et Officialibus, ac Fratribus Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Nostrum perpetuum studium totius Christianæ Reipublicæ tranquillitatis, vestrique Ordinis antiquissimi, clarissimi, deque eadem Republica semper optime meriti incolumitatis atque amplitudinis fecit, ut gravissime doleremus iis discordiis, quas cognovimus inter vos et dilectum filium Joannem Levesque Magistrum vestrum his diebus exortas fuisse, magna cum bonorum omnium admiratione et scandalo, summoque cum periculo tam gravis incendii excitandi, ut nisi provideatur, necesse sit illud vestro tandem sanguine, et totius Ordinis ruina atque interitu extingui. Sic enim cognovimus vos, quia judicabatis Magistrum decrepitum jam esse, minusque idoneum suo muneri exequendo, sæpius ab eo postulasse, ut vellet sibi aliquem asciscere, eique Locumtenentis nomen ac potestatem dare, illum vero recusasse, quia diceret nihil se in suo munere adjutore indigere; etenim mente et corpore valere, posseque omnia sui Magistratus munia obire. Vos vero illius permissu Consilium, ut ipsi appellare soletis, completum coegisse, linguarumque Italiæ, Galliæ, Hispaniæ nomine certis quærelis propositis decrevisse: (forte enim existimabatis, id vobis licere) Locumtenentem creare, idque Magistro per dilectos filios Franciscum Pomarium Con-

servatorem, Maturinum Tholosæ, atque Hiberniæ Priorem, Romagassum appellatum, et Hieronymum Avogadrum significasse. Tum vero illum iisdem præsentibus reclamasse, contestatumque fuisse, minime licere Consilio ad id pervenire, ac si quid adversus suam auctoritatem atque honorem tentaretur, se ad Nos, atque ad hanc Sanctam et Apostolicam Sedem appellare. Nullam tamen a Consilio provocationis ad Nos interpositæ rationem habitam fuisse. Itaque triduo post Locumtenentis munus Maturino delatum fuisse; postea etiam decrevisse vos, ut Magister ad arcem Sancti Angeli perduceretur, ibique in custodiam traderetur, idque etiam luce palam factum fuisse summa cum indignitate at Ordinis ipsius dedecore, sicque Magistrum suæ potestatis usu privatum, magno etiam cum vitæ discrimine, propter loci ipsius incommoda, appositis etiam custodibus in illa Arce detineri. Sunt hæc gravissima, et a regulari observantia, quam profitemini, alienissima, vestroque Ordini universo exitiosissima: Extant enim utrinque partium studia, periculumque est, ne ad arma veniatur, idque facile perspeximus ex eorum sermone, qui ad Nos ab utraque parte sunt missi; tanto enim cum verborum atque animorum ardore atque impetu unusquisque suam partem tuetur, ut nihil possit esse inflammatius. Neque vero solum agitur vestra existimatio et salus, sed magnum etiam periculum creatur universæ Reipublicæ Christianæ. Navigat istuc Turcarum classis: non omittet præclaram oportunitatem istius insulæ occupandæ in tam gravibus, tamque intestinis vestris dissidiis. Nulla igitur ratione possumus, neque volumus nostræ curationi, at muneri, atque auctoritati, quam super vos omnes ac vestrum Ordinem a Deo accepimus, deesse, præsertim cum Magister ad Nos atque ad hanc Sanctam Sedem provocaverit. Delegimus igitur Nuncium, et in hoc negotio Vicarium nostrum dilectum filium Magistrum Gasparem Vicecomitem, Cappellanum nostrum, et Palatii Apostolici Auditorem, virum præstanti doctrina, integritate, fide, prudentia præditum, Nobisque his nominibus in primis gratum, mandavimusque ei, ut sese istuc quamprimum conferat, istarumque discordiarum causas, originemque cognoscat, videatque quid potissimum vos ad tam gravo, tamque insolitum factum impulerit, perscriptaque omnia ad Nos mittat, mandet etiam nostris verbis atque auctoritate Magistro et Maturino Locumtenenti a vobis creato, ut ipsi ad Nos veniant: vobis etiam ut mittatis cum legitimo mandato quatuor, aut quinque vestri Ordinis viros probos, et Dei timore præditos, et quoad fieri poterit, ab omni gratia atque odio liberos, et partibus minime suspectos, Consiliorumque et rerum istic gestarum peritos. Mandavimus etiam vobis, ut statim acceptis his litteris Magistrum e custodia emittatis, ut possit nostro mandato obtemperare, libereque ad Nos venire, nec quidquam impedimenti opponatis, aut opponi curetis, quin etiam ei adjumento sitis, ut quam tutissime, commodissimeque ad Nos cum suis pervenire possit: Maturinum etiam hortemini, ut ad Nos veniat; Nos enim ubi rem omnem quam diligentissime cognoverimus, omnibus malis providebimus, eaque decernemus, quæ jus atque æquitatem postulare intelligemus. Vos autem nostro decreto et sententia, ut vestræ etiam ad Nos literæ testantur, contentos fore non dubitamus; amamus enim vos paterne, deque vestris commodis summopere laboramus. Interea vero ne quid detrimenti afferat rebus vestris Magistri et Locumtenentis absentia, volumus, ut dilectus filius Gaspar Nuncius noster nostra auctoritate et potestate omnia gubernet, exerceatque congruenter iis literis, quibus ei hanc facultatem impertivimus, quoad omnibus iis, quæ cum Nobis significari voluimus, indagatis et cognitis, vel Nos, vel ipse mandato nostro aliquem vobis vestri Ordinis atque habitus Vicarium dederit. Accipietis igitur eum honorifice, omnibusque in rebus, quamdiu istic fuerit, summam ejus verbis fidem tribuetis, eique tanquam nostro in hac re Vicario obtemperabitis. Hæcque et cætera omnia, quæ supra dicta sunt, exequemini in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ, nec non gradus, habitus, dignitatis, beneficiorum, Commendarum, vocis tam activæ quam passivæ privationis pœnis, in quas omnes contravenientes ipso facto incurrisse declaramus. Non obstantibus constitutionibus vestræ Religionis, aut ordinationibus, etiam juramento, et confirmatione Apostolica etiam sæpius roboratis, Indultis quoque et gratiis cum quibuscunque clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, et specialem atque individuam mentionem et derogationem requirentibus, vobis, vestroque Ordini concessis, longa etiam et immemorabili consuetudine stabilitis: Nos enim his omnibus, cæterisque contrariis quibuscunque, quorum tenorem volumus haberi pro insertis, ad effectum præsentium derogamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die octava Augusti MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno decimo.

LXIII. — Pontifex igitur Melitam ad ea extinguenda dissidia Nuntium suum misit, hisque facultatibus et juribus munivit. (*) [(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. X ep. 12. f. 31.]

Dilecto Filio Magistro Gaspari Vicecomiti, Notario et Causarum Sacri Palatii Apostolici Auditori, apud Conventum Ordinis Hierosolymitani Nuncio et Vicario Nostro.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Gravissime doluimus iis malis, quibus

hoc tempore affligitur Ordo Hierosolymitanus, propter dissidia inter Magistrum et Consilium excitata; spectant enim ad ipsius Ordinis interitum; tanta utrinque extant partium studia, tantaque animorum sunt contentione atque acerbitate suscepta. His vero malis remedia adhibere, nostrum in primis est munus. Sic enim accepimus, nonnullis ex Ordine Hierosolymitano visum fuisse, dilectum filium Joannem Levesque ejus Ordinis Magistrum decrepitum esse, minimeque idoneum suo muneri exequendo. Itaque sæpius ab eo postulasse, ut vellet sibi aliquem asciscere, eique Locumtenentis nomen ac potestatem dare. Illum vero recusasse, quia diceret, nihil se in suo munere adjutore indigere; etenim mente et corpore valere, posseque sui Magistratus munia omnia obire. Postea illos Magistri permissu Consilium, ut ipsi appellare solent, completum coegisse, linguarumque Italiæ, Galliæ, Hispaniæ nomine certis querelis propositis decrevisse, Locumtenentem creare, idque Magistro per dilectos filios Franciscum Pomarium Conservatorem, Maturinum Tholosæ atque Hiberniæ Priorem, Romagassum appellatum, et Hieronymum Avogadrum Magistro significasse. Tum vero illum iisdem præsentibus reclamasse, contestatumque fuisse, minime licere Consilio ad id pervenire, ac si quid adversum suam auctoritatem atque honorem tentaretur, se ad Nos atque hanc Sanctam et Apostolicam Sedem appellare. Nullam tamen a Consilio provocationis ad nos interpositæ rationem habitam fuisse, itaque triduo post Locumtenentis munus Maturino delatum fuisse. Postea etiam decretum fuisse, ut Magister ad Arcem Sancti Angeli perduceretur, idque etiam luce palam factum fuisse, summa cum indignitate et ordinis ipsius dedecore: sicque Magistrum suæ potestatis usu privatum, magno etiam cum vitæ discrimine propter loci ipsius incommoda, appositis etiam custodibus in illa Arce detineri. Decrevimus igitur tam gravi in re, tamque ad nostrum judicium et curationem pertinente, Ordinis ipsius incolumitati, motibusque omnibus providere, nostraque auctoritate uti. Elegimus itaque personam tuam, cujus in hac re opera uteremur; perspectam enim habemus doctrinam, fidem, prudentiam, integritatem tuam, nec dubitamus, te nostra mandata quam diligentissime executurum. Conferes te igitur Melitam, et quoniam ad nos provocatum fuit, mandabis Magistro et Maturino, ut quam primum ad Nos veniant, eisque terminum eum præstitues, quem locorum intervallum postulare intelliges. Mandabis etiam Conventui et Consilio, ut mittant legitimo cum mandato quatuor aut quinque sui ordinis viros probos, et Dei timore præditos, atque ab omni gratia et odio, quoad fieri poterit, liberos, minimeque partibus suspectos, rerumque hactenus in hoc negotio gestarum peritos. Tu quoque istic curabis horum omnium motuum originem, causas, progressus, ac Religionis præsentem statum quam diligentissime investigare et cognoscere, Nosque omnibus de rebus certiores facies, ut possimus Ordinis istius saluti providere, eaque decernere, quæ jus atque æquitatem postulare intelligemus. Quoad vero Magister et Maturinus aberunt, et vel a Nobis ipsis, vel a te mandato atque auctoritata nostra fuerit alius Ordinis ipsius ac professionis Vicarius constitutus; quod quidem fiet, ubi exploratum habebimus, ecquis in ordine ipso sit maxime liber ab omni suspitione et partium studio, atque a superiori tumultu, cui potissimum id munus committere possimus, te in ipsius Magisterii administratione nostrum tam in spiritualibus, quam in temporalibus Vicarium constituimus, cum facultate ipsum Hospitale, ejusque Prioratus, et Præceptorias, ac personas utriusque sexus regendi et gubernandi, ac eisdem personis de rebus necessariis providendi, cæteraque ad commodum et utilitatem dicti Hospitalis secundum stabilimenta disponendi et ordinandi; nec non quascumque causas, tam civiles, quam criminales, inter fratres vel sorores Hospitalis pro tempore existentes, et per appellationem seu alias ad ipsum forum delatas, seu deferendas audiendi, decidendi et fine debito terminandi, ac Hospitale, Prioratus, Præceptorias hujusmodi, eorumque loca et personas secundum dicta stabilimenta visitandi, reformandi, corrigendi, quoties id videris expedire; nec non contra delinquentes inquirendi, eosque juxta stabilimenta corrigendi, Priores, Præceptores et quoscumque alios, qui responsiones aut alia jura Hospitali ex quavis causa debent, ad solvendum ea Thesaurario Hospitalis compellendi, et quæcunque alia Hospitali utilia et commoda, exceptis infrascriptis cum Consilio fratrum juxta eadem stabilimenta deliberandi atque ordinandi; contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita secundum dicta stabilimenta coercendi et compellendi, et alia omnia circa præmissa necessaria et opportuna delibarandi, ordinandi atque exequendi. Nolumus autem, ut in officio Thesaurarii generalis dicti Hospitalis tete ingerere possis, sed ut omnes pecuniæ, et quæcunque alia jura ad dictum Hospitale quovis modo pertinentia, ad ipsum Thesaurarium perveniant, prout per stabilimenta haetenus fieri consuevit. Item quod nullum Priorem, Præceptorem, aut quamvis aliam personam dicti Hospitalis Prioratibus, Præceptoriis, aut aliis beneficiis quæ obtinent, aut in futurum obtinebunt, propter aliqua delicta per eos commissa vel committenda, aut propter non solutionem responsionum per eos Hospitali debitarum vel debendarum, absque nostra speciali licentia priva-

re, aut eorum vel aliquorum aliorum Præceptorias aut beneficia, propter causas prædictas, aut per cessum vel decessum alicujus, seu alias quovis modo vacantia sive vacatura, sine nostra licentia conferre, nec aliquid aliud præter ea, quæ duximus tibi concedenda, facere possis quoquomodo. Decernentes irritum et inane, si super his per te, vel quemcumque alium quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes eadem auctoritate Conventui dicti Hospitalis, ac omnibus et singulis Prioribus, Præceptoribus, fratribus ac sororibus dicti Hospitalis ubilibet constitutis, ut tibi in præmissis tanquam Nobis, prout tenentur, efficaciter pareant. Non obstantibus Hospitalis atque Ordinis ipsius constitutionibus, vel statutis, etiam juramento, confirmatione Apostolica etiam sæpius roboratis, Indultis quoque et gratiis eidem ordini concessis, et immemorabili etiam consuetudine et usu stabilitis. Nos enim his omnibus, cæterisque contrariis quibuscunque, quorum tenores volumus haberi pro insertis, ad effectum præsentium derogamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die octava Augusti MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno decimo.

LXIV. — Quum vero rem tam gravem per se ipse Pontifex cognoscere vellet, Romagassum Romam venire jusserat: qui cum se dicto auditurum esse respondisset, id ei tribuit Gregorius, ut his litteris et illi gratularetur et bene sperare juberet, si ea quæ mandata erant protinus perficeret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII Ann. X ep. 41 f. 30.

Dilecto Filio Maturino Tholosæ atque Iberniæ Priori, Romagasso appellato.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. In magno mœrore, quem Nobis, pro nostra perpetua et paterna erga universum istum clarissimum Ordinem voluntate, attulerunt dissidia inter consilium et Magistrum exorta, quæque inde secutæ sunt, perturbationes et motus, summopere Nos consolatæ sunt tuæ literæ, in quibus erat, coactum fuisse te istud Locumtenentis munus suscipere, cupereque nostram sententiam cognoscere, Nobisque obtemperare paratum esse. Est hoc gravissimum testimonium virtutis et pietatis tuæ, eamque plurimi facimus. Quia igitur nostrum maxime munus est, providere, ut omnes motus sedentur, elegimus dilectum filium Gasparem Vicecomitem, Cappellanum nostrum, et Palatii Apostolici causarum Auditorem, virum præstanti doctrina, prudentia, fide, integritate præditum, eumque istuc mittimus Nuncium, et in hoc negocio Vicarium nostrum. Is mandabit nostris verbis Magistro, ut statim ad Nos veniat, idemque tibi mandabit; præcipiet etiam Conventui et Consilio, ut mittat legitimo cum mandato quatuor aut quinque vestri Ordinis viros probos, atque ab omni odio et gratia quantum fieri potest, liberos, minimeque partibus suspectos, et Consiliorum atque actionum vestrarum in hoc negocio peritos. Volumus enim rem tam gravem ipsi cognoscere, et quid quæque pars afferat, coram audire, discordiasque omnes Divino lumine et gratia componere, et sedare, eaque decernere, quæ jus atque æquitatem maxime postulare intelligemus. Hæc atque alia fusius cognosces ex iis literis, quas ad universum Conventum dedimus. Hortamur igitur et mandamus, ut statim acceptis his literis efficias, ut syncere, perfecteque nostris decretis, præceptisque obtemperetur, tum de Magistro a custodia eximendo, curandoque, ut tuto ad Nos pervenire possit, tum de quatuor aut quinque viris, ut diximus, mittendis, tum de tuo etiam ipsius adventu. Quo enim promptius obtemperabitur, eo erit Nobis gratior vestra pietas, maximus etiam hoc facto cumulus accedet ad nostram erga universum Ordinem, tuamque ipsius personam charitatem. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die octava Augusti MDLXXXI. Pontificatus Nostri anno decimo.

Magnum quoque Ordinis Magistrum Joannem tanta caritate prosecutus erat, ut verens ne quid a mari incommodi acciperet, monuerit, ut Terracinam appulsus, terra reliquum itineris conficeret. *

* Reg. Gregorii XIII Ann. X ep. 51 f. 61.

Dilecto Filio Joanni Levesque, Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Magno Magistro.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Et libenter audivimus Puteolas pervenisse te, et incommoda valetudine usum fuisse dolumus. Speramus, recreatum jam esse, quamprimumque ad Nos venturum. Quia vero nollemus triremibus illis Religionis, quas tecum habes, his tempestatibus quidquam adversi evenire iis in locis, in quibus sæpe naves tranquilliori mari sunt periclitatæ, voluimus monere, ut ad Terracinam descendas, neque propinquius naviges, quodque reliquum est itineris, terra conficias. Erit id paulo longius, quam si navigare pergeres: ubi descenderis, triremes ipsas Melitam remittas: ibi enim et commodius erunt, et Religionis etiam necessitatibus inservire poterunt: quod idem dilecto filio Romagasso Priori Tholosæ super sua triremi mandavimus. Non dubitamus, quin uterque vestrum libenter obtemperaturus sit. Ubi vero opus fuerit, poterunt paucis diebus huc redire. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Octobris MDLXXXI. Pont. Nostri anno decimo.

LXV. — Quum interea senex Levesque vita decessisset, Gregorius Melitenses Equites monitos voluit, ab sese rationem initam esse, quam

ad optimum Magnum Magistrum eligendum ipsi sequi deberent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 123. f. 80.

Dilectis Filiis Conventui et Consilio Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Quantæ semper curæ Nobis fuerint res vestræ, quanta cum charitate eas amplexi fuerimus, quanto studio vestris dissidiis, contentionibusque cum Magistro susceptis providerimus, perspectum vobis esse arbitramur. In ea autem causa cognoscenda et judicanda nostro muneri, vestræque expectationi cumulatissime satisfecissemus, siquidem acta ad Nos pervenire potuissent; sed postquam ea cum nave, et aliquot ex vectoribus naufragio interierunt, neque multo post Magister, ut Domino placuit, decessit, sicque facultas dilata fuit, nostram in eo negocio erga universum istum nobilissimum Ordinem charitatem, et justitiæ zelum declarandi, decrevimus, mutatis etiam rebus, id facere, nihil immutata aut imminuta charitate et studio vestræ incolumitatis atque amplitudinis, in curando scilicet, ut eum Magistrum habeatis, qui tanto oneri ad Dei gloriam sustinendo maxime idoneus sit, neque enim aliter res vestræ salvæ esse possunt, in tanta præsertim rerum temporumque injuria. Scripsimus igitur ad vos statim mortuo Magistro, prohibuimusque, ne quem elegeritis sine nostro permissu, voluimus etiam, si secus feceretis, omnia irrita esse, pœnasque alias adjunximus; nec dubitamus, quin vos accuratissime, ut debetis, obtemperaveritis nostris literis. Postea Deum precati sumus, ut dignaretur mentem nostram suo lumine collustrare, atque ostendere quid potissimum Nobis agendum esset vestra causa; voluimus etiam cognoscere, quid in tali negocio a superioribus Pontificibus actum esset: sic autem comperimus, ubi Magister apud Pontifices ipsos discessisset, illos vacanti Magisterio Apostolica auctoritate providisse, sic enim Bonifacium Nonum, sic Innocentium Septimum, sic Gregorium Duodecimum fecisse, quem morem Nobis retinendum esse, gravissimi et prudentissimi viri auctores erant, temporumque ipsorum ratio summopere hortabatur. Id vero fecissemus, nisi usque a principio Pontificatus Nostri decrevissemus, magnam istius Ordinis, quoad quidem liceret, omnibus in rebus rationem habere, persuasumque Nobis esset, vos ea auctoritate, quam vobis tribuere vellemus, tanta cum modestia et prudentia usuros esse, quantam rei ipsius gravitas, et nostra perpetua erga vos charitas exposcit. Voluimus igitur in hoc negocio quandam rationem, temperamentumque habere, quo vos magnopere contenti esse debetis, ut scilicet ad Electionem pervenire possitis eo modo, quem vobis significabimus, cum sexdecim Electores pro Electionis negocio convenirent, vel potius iisdem ipsis Electoribus significandum curabimus, vel aliis nostris literis, quas reddet dilectus filius Gaspar Vicecomes Nuncius et Vicarius Noster, vel ipsius Gasparis verbis. Ipsi autem Gaspari et hoc tempore, et in posterum super iis, quæ exponet nostris verbis, omnem fidem tribuetis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima sexta Decembris, millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Pontificatus Nostri anno decimo.

LXVI. — Quo magis Gregorius fidei integritatem studebat, eo vehementius indoluit, quod Judæorum perplures, qui nuperrime fidei sacramentum apud exteras nationes, maxime in Hispania et Lusitania susceperant, id maxima perfidia abnuissent. Eadem tempestate et illud cognoverat, illos nimirum, ne suo turpi facinore comperto, ex legibus tum obtinentibus debita severitate punirentur, in Italiam confugisse, ibique, prout rebus suis conducere arbitrarentur, jam Catholicos jam Judæos sese gerebant, qua de causa non inconcinne Judaizantes appellare placuit. Pestiferum hoc hominum genus Sabaudiam, Liguriam, Etruriam, Rempublicam Venetorum, et Ducatus Ferrariensem, Mantuanum et Urbinatem, ut ita dicam, infestaverat. Quod malum ne latius manaret, Gregorius harum ditionum Principes viros monuit, ut omnino istos perditos homines ab eorum regionibus arcerent, ne cum reliquis Christianis admixti eos corrumperent; describitque rationes, quibus nefarios hosce deceptores facile internoscere possent. En ejus ad Januenses litteræ. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 1. f. 1.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem etc. Accepimus multos a Judaica perfidia ad Christi fidem recenter conversos, rursumque Christo repudiato, ut canis ad vomitum, sic ad Judaismum reversos, quotidie ex multis regionibus, præsertim vero ex Hispania et Lusitania in Italiam confluere. Quia vero nihil potest ab eorum impietate expectari, nisi perversum et turbulentum, Christianæque Religioni, a qua illi tam turpiter defecerunt, adversarium, nec potest talis lues inter Catholicos versari sine magno Catholicæ Religionis detrimento, hortamur vos, et pro nostra etiam auctoritate, et paterna erga vos charitate, et necessario munere Christi gloriæ et animarum saluti providendi monemus, ut tales homines vestris in locis non solum ne feratis, sed aliunde advenientes ne recipiatis; optima autem cautio erit, si ad vestras oras advenientium nomina diligenter inquiri mandabitis, unde, quo tempore, qua de causa, cum quibus discesserint, an Principum, vel Ordina-

riorum suorum permissu id fecerint, an illorum literas et conditionis ac probitatis suæ testimonia attulerint, quo in loco habitare decreverint; quæ omnia describi, et tum ad hoc sanctum Inquisitionis officium, tum ad Ordinarios eorum locorum, in quibus consistere decreverint, mitti curabitis. Illud etiam providendum videtur, ne Christianis hujusmodi recentibus facultas permittatur discedendi, antequam idoneam causam attulerint, et fidejussores dederint; si eos dare non potuerunt, aliter caverint, se redituros, vel in locis Catholicorum permansuros. Compertum enim est, miseros sæpe sese ad infideles contulisse. His rationibus facile poterit hæc pestis extingui, idque magna cum Dei gloria, et vestra laude et fructu. Non dubitamus, vos pro vestra prudentia et pietate omnia diligentissime curaturos. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xxvii. Maji, millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Pontificatus Nostri anno decimo.

LXVII. — Eadem fere de Judæis statuit Gregorius celebri illa Kalendis Juniis edita constitutione « Antiqua Judæorum improbitas » [*] Altera autem Constitutione pridie Kal. Martii sapienter innovavit Pauli IV. et Pii V. decreta, quibus cavetur, ne medici Hebræi vel infideles ad Christianos infirmos curandos neve accersantur, neve admittantur, illudque præterea medici omnes teneant, ut juxta Pii V. Constitutionem, quos lecto morbi causa decumbentes invisunt, de peccatorum confessione agenda moneant. [*]

[*] Bullar. Rom. Tom. IV. P. IV. N. 131. p. 3.

[*] Bullar. Rom. l. c. N. 120. p. 1.

LXVIII. — Quo splendidius divini cultus celebritati in Cappella Pontificia prospiceretur, Gregorius clarissimo Merulo, qui ea tempestate Palatinis Cantoribus præerat, mandatum dedit, ut ex celebrioribus Italiæ urbibus viros, qui cantus Ecclesiastici peritia famam sibi comparaverant, perquireret, Romamque adduceret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 21. f. 11.

Dilecto Filio Joanni Antonio Merulo, Cappellæ Nostræ Cantori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Summa in hoc pastorali munere, quod Dei benignitate impositum sustinemus, ejusdem ipsius Dei cultus cogitatio et cura suscipienda Nobis est. Colitur autem Deus non mente tantum atque interna animi veneratione, sed ore etiam et externa pietatis testificatione, beneficiorum prædicatione, laudum adhibitione, quem quidem morem usque a veteris testamenti Patribus ductum Catholica Ecclesia semper diligentissime retinuit, divinasque laudes musicorum etiam vocibus, cantibusque celebrare voluit. Romani vero Pontifices proprios semper musicos habuerunt, quos Cappellæ suæ Cantores nominarunt, inque eisdem ipsis ædibus, in quibus habitarent, Divina per eos officia quotidie summa religione peragi curarunt, horis canonicis concinendis, et sacrosancto altaris sacrificio in iis partibus, quæ musicorum esse solent, inserviendo. Hunc igitur Nos cultum non modo conservare, sed augere etiam cupientes, te, cujus peritiam et fidem in hoc ipso Cantorum nostrorum, in quo jamdiu versaris, numero spectatam et cognitam habemus, in primis delegimus, cujus opera uteremur in Cantoribus perquirendis; speramus enim te nostræ expectationi responsurum, neminemque electurum, nisi moribus, voce, peritia idoneum. Conferes igitur te ad eas civitates, unde existimabis posse nostro desiderio satisfieri: hocque tibi commissum munus summa fide et synceritate, ut res postulat, exequeris. Nos enim eos, quos vel miseris, vel tecum adduxeris, in nostræ Cappellæ Cantorum numerum ascribi mandabimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die sexta Junii, millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Pontificatus Nostri anno decimo.

LXIX. — Rex Cocchinchinensium ab Lusitaniæ Regis administris pluribus affectus incommodis ad Pontificem denuo confugit, exorans, ut suam causam apud Regem illum, quantum niti ac efficere posset, tuendam susciperet: se quidem, quam obligaverat fidem, Christianos regni sui a S. Thoma dictos pro viribus protegendi, perpetuo retenturum. [*]

[*] Monumenta document. N. 62

1. — Cæsar ad res Imperii componendas comitia Augustæ Vindelicorum in mensem Aprilem hujus anni indixerat. Gregorius, qui causam haberet, cur vereretur, ne Principes Protestantes, qui pro suo more in omnem occasionem imminebant, ea uterentur opportunitate res suas augendi et Catholicas imminuendi, Ludovicum Cardinalem Madrutium cum potestate Legati a latere ad ea comitia mittere censuit, qui Cæsari ipsi reliquisque Catholicis Germaniæ Principibus, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, adesset, animumque adderet, ne in tuendis Ecclesiæ Catholicæ juribus remissiores sese gererent, quam ut eos deceret et Ecclesiæ tempora postularent. Qua de re ita ipse Pontifex ad Cæsarem. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII Ann. X ep. 122. f. 112.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Certiores facti sumus indictum esse Conventum Imperialem Augustæ in mensem Aprilem; noluimus deesse nostro muneri in retinenda vetustissima hujus Sanctæ Sedis consuetudine, inque mittendo nostro de latere Legato, qui Majestati Tuæ assistat, consilioque atque opera nostram paternam charitatem et solicitudinem referat, tuæque optimæ voluntati et pietati omnibus in rebus, præsertim vero in iis, quæ ad Catholicæ Religionis statum in Germania conservandum atque amplificandum pertinebunt, inserviat. In Legato autem deligendo summam in primis rationem habuimus Majestatis Tuæ. Itaque elegimus dilectum filium nostrum Ludovicum Cardinalem Madrucium, quem tibi omni ex parte satisfacturum esse non dubitamus, propter summam et perpetuam erga Majestatem Tuam observantiam, propterque singularem rerum usum et præstantem istorum negociorum peritiam. Gratissimum Nobis faciet Majestas Tua, si super iis rebus, de quibus tecum aget nostris verbis, omnem ei fidem tribueris. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die decima quinta Martii MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno decimo.

Neque vero prætermisit Principes Ecclesiasticos per litteras hortari, ut Legato suo in rebus cum Cæsare atque Imperii ordinibus agendis præsto essent. Lubet huc afferre, quas litteras ad Archiepiscopum Coloniensem, præcipuum, etsi nondum pateret, harum turbarum auctorem dedit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 153. f. 111.

Venerabili Fratri Archiepiscopo, Coloniensi, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Cum primum cognovimus indictum esse Augustæ Conventum Imperialem in mensem Aprilis, decrevimus eo mittere nostrum de latere Legatum, sicque vetustissimam hujus Sanctæ Sedis consuetudinem retinere, nostræque paternæ charitati et curæ satisfacere in inserviendo Dei gloriæ, Germaniæque saluti atque amplitudini. Elegimus igitur dilectum fi-

lium nostrum Ludovicum Cardinalem Madrucium, virum non solum ad summa omnia natum atque aptum, sed illi etiam nationi gratum. Ex ipso cognosces, quæ ei mandavimus. Ejus igitur verbis fidem tribues, cumque eo consilio atque opera conjunctus eris omnibus in rebus, quæ ad Dei gloriam, Ecclesiasticæ auctoritatis dignitatem, ad Catholicæ fidei amplitudinem pertinebunt. Id vero te omni studio et vigilantia curaturum, facturumque esse, non dubitamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decimaquinta Martii, millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Pontificatus Nostri anno decimo.

Madrutius per hanc occasionem Gregorii nomine Cæsari persuadebat, ut iter Romanum ingrederetur, coronam Imperialem ab ipso Pontifice accepturus. Gregorium Bononiam usque, si id placeret, accessurum, et haud levem insuper pecuniæ summam ad itineris expensas daturum. Rudolphus ad hæc flecti videbatur, nisi oborta impedimenta omnem coronæ accipiendæ cogitationem alio vertissent.

II. — Quod autem Principes Protestantes hisce in comitiis haud parvi momenti res molituri essent, hoc ad Pontificem referre suum esse voluit Clivensis Dux, his ad eum vi. Idus Mart. datis litteris. (*)

(*) Germania Vol 27. fol. 27.

Sanctissimo Beatissimoque Patri et Domino, D. Gregorio XIII. Divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Post debitam more majorum meorum observantiam.

« Sanctissime Beatissimeque Pater, Domine clementissime. Quandoquidem non rumore tantum, eoque constanti, sed etiam sermone quodam fide digno accipio et intelligo, in id modo omnibus viribus, variis technis et machinationibus incumbi, ut in Comitiis Imperialibus proximis, ad xxii. diem mensis Aprilis, Augustæ Vindelicorum habendis, indictis, Religionis libertas publico Imperii decreto extorqueatur, sanciaturque, non potui prætermittere, Sanctitatem Vram ejus quam citissime admonere. Quum igitur meo judicio ejusmodi licentia, quidvis credendi, et legi divinæ et humanæ ex diametro repugnet, ac certissimum et ultimum instructum hæreticorum schismaticorumque sit, meram Catholicam et orthodoxam Religionem funditus extirpandi, omnem obedientiam e medio tollendi, omnem Ecclesiasticam hierarchiam et ordinem ab ipsis Apostolis, illorum successoribus, sanctis Patribus et multis Conciliis laudabiliter constitutum, penitus disrumpendi. ac bona ecclesiastica plene profanandi, Regna, Principatus et Respublicas evertendi, ac omnium rerum deterrimam perturbationem et confusionem, imo meram barbariem invehendi; patiatur quæso Sanctitas Vestra negotium hoc Religionis, sane valde arduum, sibi curæ et cordi esse, et Legatu suo ad Comitia in mandatis dare velit, ut is manibus et pedibus tam immane scelus avertere conetur; agat quoque et studeat, cum apud Imperatorem, tum etiam Status Imperii et præsertim Ecclesiasticos, quorum multi (ut sub velamento publicæ auctoritatis suis affectibus liberius indulgere queant) ad hoc forte non mediocriter propensi erunt, ne eo dementiæ se abripi sinant. Quod si fecerit Sanctitas Vestra, uti minime dubito, de S. Sede Apostolica, Ecclesiis Catholicis, et toto orbe Christiano quam optime merebitur. Ego etiam, quantum in me erit, in tam pio et sancto opere advigilare et desudare non desistam. Deus Opt. Max. Sanctitatem Vestram quam diutissime salvam et incolumem tueatur.

Datæ Dusseldorpii die x. mensis Martii anno 1582.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
Guilhelmus Dux Juliæ etc.

III. — Catholici Germaniæ Principes votis Pontificis promptissimo animo obtemperantes, Comitiis interfuerunt frequentissimi: qui autem adesse non potuere, suos Legatos cum mandatis Augustam miserunt, qui religionis Catholicæ causam vindicarent; quod præ cæteris Archidux Ferdinandus præstitit. (*)

(*) Germania Vol 29. fol 170.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino, Dño Gregorio XIII. Sanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Dño meo Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater et Domine, Domine Clementissime.

« Humillimam mei commendationem, filialem observantiam et pedum oscula beatorum. Sanctitatis Vestræ Breve Apostolicum datum Romæ sub die quarta mensis Augusti, ea qua decuit reverentia nuper accepi, in quo licet Sanctitas Vra pio ac paterno affectu me cohortetur, ut ad Imperialia comitia personaliter compaream, id tamen ob certa quædam ac legitima impedimenta hactenus facere non potui, nec adhuc possum. Sed Consiliariis ac nuntiis meis, quod ad dicta Comitia Augustam destinavi, serio injunxi atque præcepi, ut Catholicæ Religionis causam præ omnibus aliis negotiis commendatam habeant ac tueantur, et si quid ab adversariis in præjudicium ejus tentaretur, in id minime consentiant, verum mihi referant, cui meo mandato diligenter obtemperabunt. Quod autem hucusque aliquid in Catholicæ Religionis præjudicium in hisce Comitiis tractatum vel attentatum sit, rescire nondum potui. Quæ Sanctitatem Vestram latere nolui, eidem me quam humillime commendans. Datæ Oeniponte vigesima tertia die mensis Augusti, anno Do-

mini millesimo quingentesimo octuagesimo secundo.

Vestræ Sanctitatis

Obediens filius Archidux Austriæ

Ferdinandus.

Idem Archidux, quod ex veteri Romanorum Pontificum instituto ense et pileo benedicto fuerit donatus, ingentes Gregorio egit gratias. [*]

[*] Germania Vol 90. fol. 168

Beatissime in Christo Pater ac Domine Dñe Clementissime.

« Humillimam mei commendationem, filialem observantiam, et pedum oscula beatorum. Posteaquam Sanctitas Vestra, misso ad me per Reverendum, devotum mihi dilectum Patrem Franciscum, Episcopum Sebastensem, amplissimo et præclaro illo munere, ense videlicet et pileo, quos Sanctitas Vestra in sacratissima nocte, qua Salvator et Redemptor noster Jesus Christus natus est, veterum Romanorum Pontificum more et instituto, solitis cum precibus benedixit, me insignire et condecorare dignata est, ego sane ea, qua decet, reverentia et devotione munus lautum et a Sanctitate Vestra profectum accepi, et quod Sanctitas Vestra singularem suam erga me benignitatem et voluntatem paternam jam antea sæpius præclare declaratam mihi, hoc quoque summi honoris cumulo illustriorem reddere voluerit, gratias ago Sanctitati Vestræ, quas debeo, maximas. Itaque vicissim omnes curas et cogitationes in eo defixas habebo, ut Sanctitati Vestræ, Sanctæque Sedi Apostolicæ debitum cultum et observantiam omnem, uti obedientissimus ejusdem filius, constantissime præstare possim, nec defendendæ et amplificandæ gloriæ divini nominis ac fidei Catholicæ, et fovendæ paci et tranquillitati publicæ, quantum in me quidem situm fuerit, ullo loco aut tempore deesse videar: idipsum etiam Sanctitatem Vestram hac sacri illius et mystici doni cohonestatione significasse et a me efflagitasse, facile intelligo. Quod reliquum est, Sanctitati Vestræ me humiliter admodum commendo, Deum Optimum Maximum ardentibus votis exorans, ut eandem Christiano Orbi quam diutissime felicem et incolumem conservet. Datæ Oeniponti die trigesima mensis Maji, anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo secundo.

Vestræ Sanctitatis

Obediens filius Archidux Austriæ

Ferdinandus.

IV. — In iisdem Augustanis Comitiis inter alia quoque de Belgio pacando agendum erat, ut videre est iis in capitibus, quæ Imperii Ordinibus deliberanda Cæsar proposuerat. [*]

[*] Germania Vol 39. fol. 19

Declaratio brevissima Propositionis Imperialis.

« In primo Capite Ordinibus S. Imperii ad animum revocat, et inculcat maximam Turcarum potentiam, et ineffabilem immanitatem et crudelitatem, jam diu in Regnum Hungariæ et in vicinos Austrios exercitam; cujus sanguinolentum et insatiabile desiderium, uti hostis Christianorum hæreditarii et perpetui, nullis terminis vel finibus contineri possit.

« Potentiam ipsius multorum amplissimorum Regnorum et Provinciarum ab aliquot annis ita auctam esse, ut merito omnibus fere aliis Dinastis et Principalibus formidabilis existat.

« Relictas S. C. Majestati Ungariæ partes, præter jam antea ad annos octo pactatas inducias, ita quotidie cædibus et rapinis infestari, ut nulla securitas vel quies, etiam tempore pacis, iis, qui in finibus constituti sunt, relinquatur. Aliquot arces a proximis Comitiis Ratisponensibus captas, exustas, villas deprædatas, et homines in servitutem abductos, et occisos. Confinia Suæ Majestatis cum Turca esse longissima, ad multa Germanica milliaria sese extendentia, sortalicia multa, quæ non nisi continuis præsidiis militum, maximis imo intollerabilibus sumptibus adversus quotidianas Turcarum invasiones tueri et conservari non possunt.

« Recognoscere quidem S. C. Majestatem cum debita gratiarum actione, Ordinum Imperii sæpius et fideliter suis majoribus præstita auxilia, et contributiones non leves frequenter exsolutas. Et quamvis Suæ Majestatis ditiones patrimoniales nullis quoque sumptibus unquam pepercerint, eos omnes tamen tantis et subinde crescentibus necessitatibus sufficere non potuisse, ita ut Sua Majestas, ejusque majores, ad aliorum quoque vicinorum Potentatum auxilia confugere coacta fuerit. Cum itaque Provinciæ et ditiones Patrimoniales Suæ Majestatis continuis bellis et furoribus Turcarum ita attritæ, earumque vires ita extenuatæ, Suæ vero Majestatis Camera, magno ære alieno sibi a majoribus relicto, multum gravata et exhausta sit, ut nequaquam ad tuendos fines Ungariæ sufficiant, Suam Majestatem cogi denuo Ordinum auxilia petere, quandoquidem igitur hæc pericula non tantum Ungariam et Austriam concernunt, sed et Imperii Ordinum Germaniæ, imo totius Christianitatis sint communia, Suam Majestatem tanto minus de benevolo et alacri Ordinum more majorum succursu dubitare posse.

« Petit igitur Sua Majestas primo contributionem annuam eo modo et quantitate, sicut Patri Suæ Majestatis in proximis Comitiis Ratisponensibus ab Ordinibus promissa, et postea exsoluta fuit pro sumptibus in tuendis et conservandis finibus.

« Postea refert Sua Majestas pactatas inducias jam finiri, et pacem inter Turcam et Persam firmatam, cum quibusdam aliis argumentis et rationibus, quibus ostendit Turcam vix diu quieturum, quin bellum apertum Ungariæ in-

ferat; in talem eventum petit contributionem graviorem et pinguiorem.

« Caput secundum habet negotia Belgica, quorum Majestas Sua progressum enumerat et pericula, quæ non Austriæ tantum, sed et Imperio totique Germaniæ ex hoc malo emineant; recensentur et incommoditates, quas Ordines Imperii his turbis maxime viciniores præcipue sustineant, quam turpe quoque sit Ordines Imperii suorum malorum ociosos esse spectatores, et ferre naturalem earum Provinciarum Dominum, Imperio multis modis conjunctum, a subditis deseri, expelli, et alii extero sese cum magna perfidia subjicere.

« Præstitisse Suæ Majestatis Patrem Suamque Majestatem a tempore assumpti Imperii administrationis omnem operam, tractationes aliquot instituisse, quo Belgæ cum Domino suo tolerabilibus conditionibus reconciliari possent, neque quicquam, quo Belgæ pristinæ dignitati et tranquillitati restitui posset, intentatum reliquisse.

« Et quia Sua Majestas videt se omni spe frustratam esse, et subinde Imperio multa detrahi, sicuti annis superioribus Episcopatus et Civitates Metis, Tullum et Virdunum, nuper vero Episcopatus cum Civitate Cameracensi in potestatem Gallo venerit;

« His et aliis quibusdam gravioribus rebus deductis, Sua Majestas Ordinibus deliberanda proponit, qua ratione, quibus mediis tumultus Belgii sedandi, pax restituenda, et Provinciæ istæ tam amplæ et insignes penes Imperium, et debitum Ordinarii Magistratus, Domusque Austriæ subjectione et obedientia conservandæ et restituendæ sint.

« Item quemadmodum periculosæ vicinorum practicæ, insultationes, hostiles invasiones, deprædationes et depopulationes terrarum vicinarum et subditorum cum effectu retundi et præcaveri possint, læsis quoque damna resarciantur, et in posterum securiores reddantur; prædones et armatæ naves hostium a fluminibus Rheni et Amesi, cæterisque Germaniæ fluviis arceantur et prohibeantur.

« Insuper etiam futuris malis præveniendo, cum Imperio ejusque Ordinibus et subditis hactenus nullum sit nocitum, per exterorum suscepta obsequia et stipendia, militum frequentes transitus, et eorum in terris Imperii factos delectus, variisque aliis cum exteris practicis, factionibus et conspirationibus, præcipue autem exterorum negociis sese ingerendo, eorumque subditorum causas contra ipsos Magistratus promovendo et tuendo, qua de causa forte non levia pericula Sacro Imperio, et ejus pacificis et culpa carentibus membris in futurum parari possent.

« Utile igitur et necessarium valde esse, pragmaticas Imperii sanctiones, et constitutiones de defensionibus et executionibus, quas Circulos vocant, magis declarari, corroborari et in effectum deduci, quo melius quam hactenus pax et tranquillitas in Imperio constitui, conservari, subditi quoque ab hujusmodi invasionibus et molestiis liberari et defendi, malorum vero et turbatorum conatus retundi possint. Simul etiam his modis accedit, quod durantibus istis Belgicis tumultibus, Germania gravissima damna ex falsificatione et auctione monetarum, novarumque institutarum gabellarum nomine sustinet. Confœderatis quoque mercaturarum ratione Civitatibus (Hansestat vulgariter appellatis) privilegia sua multis annis servata, et ab exteris Potentatibus confirmata jam etiam convelluntur et abrogantur in maximum totius Germaniæ incommodum, quemadmodum Suæ Majestati nuper per nuncios dictarum Civitatum scripto contra Reginam Angliæ, Daciæ et Sveciæ relatum fuit, quæ cum honorem et utilitatem Imperii concernant, minime negligenda esse, sed maturo consilio bene indigere.

« Tertium Caput agit de Imperio ablatis quibusdam Principatibus, Civitatibus et Dominiis, Camerarum tantum exprimitur nomine, et quæ insidiæ fuerint jam antea positæ Civitati Argentoratensi, et de quibusdam aliis contra totum Belgium susceptis consiliis.

« Deinde quibus de causis et Comitiis Ratisbonensibus ad Moscum decreta legatio effectum non sit sortita, neque etiamnum necessaria videatur, cum ea Livoniæ causa instituta fuerit, jam vero facie rerum mutata, ipsa Livonia ex pace inter Moscum et Polonum inita pro majori parte Polono cedat, residuum a Svecorum Rege occupetur.

« Ubi etiam superficialiter Episcopi Basiliensis, quod pacta cum Helvetiis iniverit, paucissimis verbis fit mentio.

« Quartum Caput agit de promotione Justitiæ, de processu causarum in Judicio Cameræ Imperialis Spiræ magis accelerando, quo causæ citius expediantur, et maturior Justitia partibus litigantibus administretur.

« Quinto Capite tractatur de imperfecta et tardiori contributionum exsolutione, quam Sua Majestas putat provenire ex inæquali quotarum inter Status distributione, quam materiam moderantias matriculæ nominant, ubi agitur de moderatione et relevamine gravatorum, et æquali onerum distributione.

« Sexto Capite tractabitur de adulteratione et falsificatione monetarum, iisque ad debitum ordinem reducendis, et culpam pro parte in avaritiam enormem Civium mercatorum Argentinensium et Francofordensium rejiciendo.

« Septimo Capite et postremo proponit Imperator litigiosas sessiones, sive Ordinum præ-

cidentias, via compendiosa componendas, petitque Sua Majestas hos articulos maturo consilio perpendendos, Suæque Majestati Ordinum sententias desuper aperiri et referri.

Die Veneris 6. Julii.

« Illustrissimus Archidux Carolus in omnium Ordinum conventu calamitates suarum Provinciarum recenset, et pro defendendis limitibus suarum ditionum contra Turcam Ordinum Imperii auxilia petit.

V. — Sollicitæ illæ, quibus Pontificis animus angebatur, curæ de iis, quæ in istis Comitiis ab Imperii Ordinibus Protestantes expetituri essent, ita sunt confirmatæ per ea, quæ consecuta sunt, ut ad rem magis quam ad metum fuisse propiores intellectum sit. Hi etenim, nescio quo jure fulti, sibi tum Coloniæ tum Aquisgrani non solum postulaverunt, ut suæ esset potestatis cultu suo religioso utendi, sed ut etiam paribus cum Catholicis juribus fruerentur: hæc porro in aliis etiam Germaniæ urbibus sibi tribui debere contendebant. En eorum postulatorium libellum. [*]

[*] Germania Vol. 37. fol. 396.

Summarium aliquot supplicationum nomine Protestantium Cæsareæ Majestati exhibitarum.

« Tempore electionis et coronationis Cæsareæ Majestatis supplicatum fuisse, quondam Imperatore Maximiliano, ut inter ceteros civium Coloniensium Religionis causa gravatorum rationem haberet, et factam esse tunc bonam spem de publico exercitio ipsis permittendo.

« Hucusque tamen nihil sequutum, etsi consultum foret, mature id fieri ad evitandam differentiam inter cives et magistratum, et stabiliendam concordiam, ad præcidendam ansam variis sectis, quæ in conventiculis disseminantur, maxime cum sint numero aliquot millium personarum, et tam ferventi zelo, tanto annorum spatio supplices institerint, maximeque viii. die mensis Junii proxime præteriti. Esse id conforme Paci Religionis, et post ejus publicationem in plerisque civitatibus exequutioni mandatum.

« Tantum autem abesse, ut Augustana Confessio invehat tot incommoda, quot vulgo objiciuntur, ut eo potius inducat incrementum syncerae obedientiæ erga magistratus, et reformationem politicæ, morum et disciplinæ.

« Peti autem nihil aliud a Coloniensibus quam locum vel ecclesiam habendis concionibus.

« Magistratum se excusasse, per promissionem quamdam factam Cæsari et Ecclesiasticis Electoribus, de non admittenda alia quam Religione Catholica, cum ante id temporis longe aliter esset animatus erga Augustanam Confessionem profitentes.

« Supplicari igitur ex parte Principum Electorum et aliorum Protestantium Cæsareæ Majestati, ut ex officio Imperiali ejusmodi juramentum laxet ac remittat, et civibus Coloniensibus satisfieri curet.

« Eandem esse rationem Aquensium, pro quibus petitur, ne adversariis Catholicis videlicet præsentibus fides adhibeatur.

« Gravamen illud de exclusione Confessionistarum ex magistratu et ex officiis, tendere in contemptum universorum Augustanæ Confessionis Principum, Statuum et Electorum, repugnare Paci Religionis, et tollere omnem confidentiam inter Principes et Status, nec non inter magistratus et subditos.

« In pago Pfershaim prope Augustam in Marchionatu Burgaviæ (?), ditionis Archiducis Ferdinandi, plerique subditi et incolæ per quadraginta annos Augustanam Confessionem professi sunt, et solent accedere Augustam ad conciones et sacramenta, et nihilominus Parocho solvere competentiam. Proximis temporibus occasione litis inter dictum Archiducem Ferdinandum et Martinum Zobl, dominum dicti pagi, Confessionistam, super supremo dominio, mandatum quoddam promulgatum fuit nomine Serenitatis suæ, et postea exequutioni mandatum, ut omnes ad Catholicam Religionem redirent, vel ex toto Marchionatu Burgaviæ discederent intra sex menses. Atque sic multi post longam captivitatem et condemnationes pecuniarias cum liberis et uxoribus in exilium missi.

« Audiri similes processus exerceri in civitate Pataviensi, in Archiepiscopatu Salisburgensi, in Ducatu Bavariæ, multisque aliis locis, adeo etiam ut contrahentes matrimonium jurejurando cogantur, velle se per totam vitam in Romana Religione permanere: in plerisque etiam locis Confessionistis post mortem sepulturam denegari.

« Quæ omnia cum ejusmodi sint, ut nihil boni ex iis consequi possit, sperare se Cæsaream Majestatem provisuram. Supplicare igitur, ut tam super his, quam super supplicatione prima hujus mensis, nomine Protestantium exhibita, resolutio et declaratio Cæsarea mature reddatur.

VI. — Acriter utrinque pugnatum est: Catholicorum partes egerunt ex Principibus in primis Bavariæ et Cliviæ Duces, et ut decuit, sacri Antistites, uno Coloniensi excepto, qui callidus ac tectus silentium tenuit. Cæsar itaque tantorum virorum suffragiis confisus, Protestantium postulata, quippe ipsis Imperii legibus adversa omnino rejecit. Sequenti autem declaratione multa ab iis per tumultus insolenter et contumaciter facta conquestus, exposuit, quam non ferenda, quam absona et ab omni jure aliena essent, quæ postulaverant. [*]

[*] Germania Vol. 37. fol. 176.

Summarium Resolutionis Cæsareæ Majestatis ad gravamina Civitatum Imperialium præsentatæ die 30. Julii 1582.

« Mirum et grave esse Cæsareæ Majestati

non veritas esse civitates, absque ulla causa, et irrequisita Cæsarea Majestate supremo suo capite, indecoris et ferventibus verbis aliis Statibus exponere, et imputare Cæsareæ Majestati ejusmodi res, quæ nunquam illi in mentem venerunt, nedum ut tentaverit vel effectu mandaverit. Ejusmodi quoque imputationes Cæsareæ Majestati a nullis unquam aliis Statibus majoribus factas, atque eo altius rem descendere in animum Suæ Majestatis, quin etiam moverit suo tempore cogitare, quod facto opus sit.

« Etsi autem multis de causis merito non teneatur civitatibus rationem reddere suorum factorum, tum ut clarius appareat Electoribus, Principibus, cæterisque Ordinibus, quam falso et contumaciter fiat a civitatibus, non sine suspicione cujusdam conspirationis et rebellionis, citra ullam culpam Cæsareæ Majestatis, ita ut etiam ad privationem omnium privilegiorum procedere posset; ideo se informationem sequentem proponere rogando Status Imperii, ut sententiam suam declarare velint, quid hoc casu statuendum sit.

« Aquisgranum a Carolo Magno in sedem Regiam erectum, et ab eo ac aliis Imperatoribus plurimis privilegiis dotatum.

« Esse ibidem fundatum collegium Canonicorum, cujus Rex Romanorum debet esse Canonicus, ibidemque coronari, et juramentum præstare de conservatione ejus sedis, prout factum est a præsenti Cæsarea Majestate in coronatione Ratisbonensi.

« Eandem civitatem præ ceteris constanter in Catholica Religione perseverasse, tam ante quam post constitutionem Pacis Religionis.

« Anno 1559. quosdam sectarios irrepsisse, et conatos esse in magistratum se insinuare; verum Imperatorem Ferdinandum monitum a Catholicis tempestive prohibuisse, ejusque jussis non modo tom obtemperatum, verum etiam statutum conditum esse, de non recipiendo in magistratum nisi addictos antiquæ Catholicæ Religioni, prout etiam Coloniæ in usu est. Hunc civitatis statum durasse usque ad annum 1574. Circa hoc tempus profugos hæreticos ex vicino Belgio illic consedisse, et commixtos aliis, tamen effecisse, ut dictum statutum abrogaretur. Qua ratione intra paucos annos præcipua officia civilia in manus sectariorum, præcipueque Calvinistarum pervenisse.

« Hac de re magnas querimonias vicinorum Potentatuum et Principum, nec non Summi Pontificis nomine Cæsareæ Majestati oblatas: eamque desuper Senatum admonuisse, qui se tunc temporis primum excusavit, et negavit apud se reperiri sectarios, profitendo, velle se constanter manere in Catholica Religione.

« Constituisse tamen postea inquisitione, nec non ex supplicatione totius Collegii Scabinorum et majoris partis populi, contrarium verum esse, immo duas diversas sectas Lutheranorum et Calvinistarum caput erigere, et diversas ecclesias pro exercitio Religionis supplicationibus exhibitis petiisse.

« Misisse igitur superiore anno Majestatem suam Commissarios circa festum S. Viti, quo tempore haberi solet electio novi magistratus, ut huic actui nomine Cæsareo adessent, et operam darent, ut secundum antiquam consuetudinem Catholice eligerentur, et ut prædicatores hæretici ut seditionum auctores abarcerentur. His non obstantibus, electos esse magistratus partim Calvinistas, partim Lutheranos, et illico seditione populari excitata ad arma concursum, magnumque periculum Commissariis Cæsareis et civibus Catholicis intentatum; ita etiam ut unus e numero Catholicorum interfectus sit, multi diffugere coacti, et Commissarii etiam re infecta reverti.

« Deinde Suæ Cæsareæ Majestatis et Commissariorum mandatum publicatum fuisse, propria authoritate novi magistratus, edictum pacificationis circa libertatem Religionis, et de non offendendo se invicem.

« Reversis Commissariis ad Cæsaream Majestatem multa mandata emanasse, quibus sub pœna amissionis omnium privilegiorum injungebatur, ut novum hunc magistratum removerent, veterem Catholicum per Commissarios Cæsareos confirmatum reponerent, ac omnia in pristinum statum restituerent, cum additione, ut mitterent ad Cæsaream Majestatem ad docendum de paritione. Verum Aquenses mansisse inobedientes provocando semper ad pacem et libertatem Religionis, et ad eludendam resolutionem Cæsareæ Majestatis, Statuum quorundam Protestantium consilium et auxilium implorasse, ita ut plerique Principes et Electores illorum patrocinium susceperint, et Civitates Spiræ conventum habuisse, sine præscientia Imperatoris, ubi decretum fuit mittere legationem Aquisgranum, quæ illuc postea veniens, Edictum Pacificationis approbavit, et in vituperium et contemptum Cæsareæ Majestatis et ejus Commissariorum multa falsa narravit, et insolenter commisit. Habuisse quidem Cæsaream Majestatem propter prædicta legitimam causam procedendi ad exequutionem et privationem omnium privilegiorum: tum expectasse adhuc quoad venirent ad aulam Cæsaream Mandatarii utriusque partis, cum intercessionibus Electorum, Principum et præcipue aliarum civitatum. Atque tum Cæsaream Majestatem revocasse per literas Parmensem, Juliacensem et Leodiensem ab exequutione prosequenda, deputasse etiam novos Commissarios. Verum Aquisgranenses post multas tergiversationes et extractiones, etsi sæpe ad constitutos dies per

Commissarios venire promisissent, tandem omnino detrectasse, et post longas et inauditas insolentias exclamasse, rem non pertinere ad Cæsaream Majestatem, sed ad omnes Status, prout etiam de industria eam ad præsentia Comitia extraxerunt.

« Venisse itaque ad præsentia Comitia Mandatarios novi hujus Magistratus, et insalutata Cæsarea Majestate sessionem in Concilio Civitatum proterve petiisse. Ad hoc impediendum Magistratum, Consules et Consiliarios Catholicos, per Cæsareos Commissarios ordinatos, valde se gravasse coram Cæsarea Majestate, quæ, animadvertens inquietudinem istorum, et considerans, quæ sua sponte provocassent ad Comitia, et quæ res adhuc indecisa esset, injunxit utrique parti, ne intrarent in Concilium usque ad aliam deliberationem. Verum illos nihilominus a reliquis civitatibus in contemptum Cæsareæ Majestatis et edicti ejus in Concilium vocari.

VII. — Gregorius de Protestantium conatibus Coloniæ et Aquisgrani in rei Catholicæ perniciem paratis, per suum Legatum a latere certior factus, illarum civitatum Senatores ad iis summopere obsistendum hortatur. Hæc ad Colonienses. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X ep. 96. f. 199.

Dilectis Filiis Senatoribus Coloniensibus.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis dilecti filii nostri Ludovici Cardinalis Madrutii, nostri et hujus Sanctæ Sedis Legati, cognovimus de fraude et conatu Calvinistarum in concione prope istam urbem habenda, deque vestra pietate et zelo in curando, ut Nobis, Charissimoque filio nostro Rodulpho Romanorum Imperatori Electo quamprimum id significaretur, inque providendo, ne quid tale in posterum accideret, neve illorum audacia latius serperet. Sic par est agere, filiorum scilicet lucis prudentiam, ac vigilantiam nulla in re filiorum tenebrarum perversitati et machinis cedere, quantoque illi vehementius Christum, Sanctamque ejus Ecclesiam oppugnant, tanto acrius obsistere, eorumque impetum propulsare. Aderit etiam Legatus noster consilio, auctoritate, opera, neque ulla in re Christi causæ deerit. Vos igitur per eundem ipsum Christum contendite, ut tam pestiferam luem, quam longissime a vestra civitate et finibus arceatis; spectat enim non solum ad Catholicæ Religionis imminutionem, sed ad vestrarum etiam tum privatarum tum publicarum rerum eversionem. Et quanquam de vestra prudentia, pietate, charitate dubitare non possumus, tamen cogit Nos summum nostrum munus, et studium tum vestræ, tum Catholicæ Religionis amplitudinis, ut rogemus, ut quod vos vestra sponte facere intelligimus, etiam atque etiam faciatis. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die quarta Augusti MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

VIII. — Rei catholicæ in Comitiis Augustanis vindicandæ studiosissimum omnium se præbuit præclarus Herbipolensium Præsul, totius Episcopalis Ordinis lumen: singulari namque animi magnitudine Protestantium postulata injusta absurdaque Cæsari demonstravit, ita ut Cæsar manum elevans illud protulerit Catholico Principe dignum effatum: « Si hoc imperii diadema sine Apostolicæ fidei injuria gestari non posset, gestare id nollem, abjicerem. » Cumque illi Gregorius simul Abbatis Fuldensis causam commendavisset, hæc de utraque re Pontifici scripsit. [*]

[*] Germania Vol. 39 fol. 84.

Sanctissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Gregorio XIII. Sacrosanctæ Romanæ Catholicæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

« Post devota beatorum pedum oscula, humillimamque mei commendationem, Sanctissime et Beatissime Pater. Quamprimum in hanc Urbem, ad indictum Imperii Conventum appuli, decere me judicavi, ut Sanctitatis Vestræ a Latere Legatum, Reverendissimum Cardinalem Ludovicum Madrucium etc. invisam, eumque illi honorem, quem præstantissimæ suæ virtutes merentur, quasque susceptæ Legationis munere dignissimum reddunt, coram deferam, et ad arctam cum ipso necessitudinem et amicitiam jungendam, aditum quasi mihi patefaciam. A quo cum humanissime amantissimeque exceptus essem, duo ille a Sanctitate Vestra Brevia, XV. Martii ad me data, mihi reddidit: quorum altero Sanctitas Vestra cupit, ut dicto Domino Legato etc. omnibus in rebus sim quam conjunctissimus: in altero vero de Abbate Fuldensi hortatur. Et quidem ad primum Breve quod attinet, eo animo id legi, ut facile intelligam, Sanctitatis Vestræ singularem incredibilemque erga Christianam Rempublicam, nominatim autem Germaniam nostram, solicitudinem et pietatem existere; deque me ita sentire, quasi ad promovendam rem Christianam et Catholicam religionem in ipso Conventu aliquid momenti adferre queam. Etsi autem, quam id sit exiguum, non ignoro, pro certo tamen statuat Sanctitas Vestra, me ejusdem Legato, summæ virtutis, sapientiæ et auctoritatis viro, omnibus animi sensibus et consiliis, cum conjunctissimum, tum publica salute, et sacræ Catholicæ religionis amplificatione et cultu nihil mihi (quacunque etiam acerbitate proposita) fore et esse prius et commendatius. Quod non solum in hoc Imperii Conventu, ne quid Catholica religio detrimenti ac labis accipiat, sed etiam ad extremam vitæ meæ periodum, quacunque sese offerente occasione idonea, indefesso studio et labore constanter curaturus sum; sicut

officii mei ratio, et perpetua mea erga Sanctitatem Vestram et Sanctissimam illam Sedem observantia et veneratio, jure suo a me postulant.

« De Abbate Fuldensi quid per literas crebro mecum egerit, Sanctitas Vestra optime memoria tenet. Quo minus vero ejusdem postulatis hactenus satisfactum sit, multæ graves causæ obstiterunt, hodieque obstant: quas alias literis meis Sanctitati Vestræ prolixe exposui. Accipio quidem rem eo adductam esse, ut speretur, per Imperii præcipuæ notæ Ordines quosdam Catholicos, hic inter me et Abbatem transigi posse. Etsi autem nihil malim, quam controversiam illam per legitimos justitiæ tramites, non tam pro cessæ mihi Administrationis Ecclesiæ et ditionis Fuldensis, quam peculiariter pro honoris et famæ meæ per Abbatem publice privatimque læsæ restitutione, semel diffiniri, cum a transactione (quæ nemini magis, quam justam causam faventibus, detrimentosæ esse solent) non absurda ratione abhorream: tamen ubi, sicut spero, propositæ fuerint conditiones æquæ et temperatæ, et nomini existimationique meæ non indecoræ, re ipsa ostendam, quantum apud me transigentium Ordinum actio, ante omnia vero Sanctitatis Vestræ voluntas, judicium et auctoritas valuerint. Sed de his et statu Ecclesiæ meæ Sanctitas Vestra copiosius ex Patre Possevino, præcellentis doctrinæ et dexteritatis homine, fidoque animi mei interprete, sicut etiam de Saxonico negocio curando et promovendo isthic cognoscet. Deus Optimus Maximus Sanctitatem Vestram Reipublicæ Christianæ quam diutissime incolumem florentissimamque conservet; cui me meamque Ecclesiam humillime commendo. Dat. Augustæ Vindelicorum 17. Julii 1582.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimus filius

Julius Episcopus Herbipolensis mp.

IX. — Gregorius, simul ac nuntium allatum est de morte miseri illius Episcopi Lubecensis, qui nondum sacris ordinibus initiatus laicorum utique licentia vitam duxerat, et aliquot ante annos a fide turpissime defecerat, Cæsarem monuit, operam daret, ut Capitulum Lubecense in defuncti locum virum probum, sana doctrina imbutum atque Ecclesiæ Catholicæ addictum sufficiendum esse sibi religioni ducerent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 189. f. 135.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho, Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus obiisse Episcopum Lubecensem hæreticum, pessimeque de Ecclesia illa meritum, nec pastorem, sed lupum hostemque perfidissimum. Hortamur et rogamus Majestatem Tuam per Christi gloriam, perque animarum salutem, qua nihil ejus bonitati magis cordi est, ut cum Ecclesiæ illius Capitulo agas, ut eum Episcopum eligant, cujus probitate, prudentia, pietate possit Ecclesia illa a tantis calamitatibus respirare, et recreari, quæque a monstro illo funestata et vastata sunt, expiari ac restitui, Catholicæque Religionis synceritas, et cultus Divini sanctitas reduci et conservari. Non dubitamus, Majestatem Tuam hoc negocium curaturam esse tanto studio, quantum rei ipsius gravitas exposcit, tuaque pietas eximia pollicetur. Aget etiam hac de re cum Tua Majestate nostris verbis dilectus filius noster Cardinalis Madrucius Legatus. Gratissimum Nobis erit, si ejus verbis omnem fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima prima Aprilis, millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Pontificatus Nostri anno decimo.

X. — Carolum Austriæ Archiducem, qui nihil minus patiebatur, quam vel ludificari vel deterreri a Protestantibus, sua sponte pro avita fide stabilienda magna quædam animo agitantem Gregorius in ea voluntate confirmat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 34. f. 167.

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Convenit summopere virtuti tuæ, quod magna cum gloria, et bonorum omnium lætitia es aggressus de Catholica Religione publico decreto constituenda, Satanæque ministrorum sectis detestandis constantissime retinere; neque Christi hostium iniquitate atque impietate a proposito deterreri, certumque habere, nunquam fore, ut Christus suæ ipsius causæ desit; a Catholicis vero Principibus tantum tibi polliceri debes, quantum summa causæ æquitas et ipsorum pietas pollicetur: Nos certe quantum auctoritate atque opera præstare poterimus, non deerimus. Rodulphi quoque Romanorum Imperatoris Electi optimam voluntatem perspectam habes; ab Guilielmo Bavariæ Duce omnem opem expectare debes; Ferdinandum fratrem paratissimum habebis. Ad hos etiam scribimus, non ut illos incitemus, nihil enim in causa tam præclara indigent nostra cohortatione, sed ut Nobis ipsis satisfaciamus. Neque igitur humana, neque Divina auxilia deerunt pietati tuæ, præmia vero amplissima a Deo reposita, cum nihil magis cordi est, quam sui cultus synceritas et animarum salus: utrique autem causæ gravissime adversatur hæreticorum impietas. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima nona Septembris MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

Ea propter incredibiliter est Gregorius læta-

tus, quod Bavarorum Dux in Augustanis Comitiis egregiam operam fidei Catholicæ præstiterit; tamque consentientibus animi sensibus Carolo Archiduci se adjunxerit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 38. f. 169.

Dilecto Filio Nobili Viro Bavariæ Duci.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Vix dici potest, quantopere lætati sumus tua præstanti pietate, dum te ad Conventum Augustanum tanto studio contulisti, interque alia insignia Christianæ charitatis et virtutis argumenta causam dilecti filii Caroli Archiducis Austriæ suscepisti, ostendistique te ei auxilio futurum adversus hostes Christi, qui ei infensi sunt, gloriosi illius decreti nomine, quo ille declaravit, Catholicam Religionem solum retinendam esse, neque passurum se conciones ab hæreticis haberi. Nihil igitur est, quod hanc causam Nobilitati Tuæ commendemus hortemurque, ut Carolo adjumento esse velis: quod autem tuæ pietati gratulemur permultum. Est enim hoc consentaneum perpetuæ tuæ, majorumque tuorum gloriæ in Catholica Religione tuenda, hæreticorumque impietate detestanda et comprimenda, quo nomine tibi tuisque omnibus omnem a Deo fœlicitatem precamur. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatorio die vigesima nona Septembris MDLXXXII. Pontificatus Nostri an. undecimo.

XI. — Gregorius cum compertum haberet, calicis concessionem rei Catholicæ adeo nihil unquam profuisse, sed et valde etiam nunc obesse; præsertim quod iis, quæ litteræ Apostolicæ præscripserunt, non staretur, Episcopum Passaviensem iterum monet, nihil nec studii, nec industriæ reliquum faciat, ut suis persuadeatur communem Ecclesiæ disciplinam ipsis esse sequendam. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IX ep. 491. f. 130.

Venerabili Fratri Episcopo Pataviensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Reipsa compertum est, ex sacrosancti calicis usu a Pio Quarto Romano Pontifice istis in locis laicis concesso, minime extitisse eum fructum, quem ille speraverat, quemque Principes, quorum postulationi id concesserat, ei proposuerant, quin potius omnia contra evenisse, missa scilicet forma Apostolicarum literarum ab optima voluntate et zelo profectarum. Hortamur igitur Fraternitatem Tuam, ut in iis locis tui Episcopatus, in quibus usus ille adhuc perseverat, cures laicos tum publice in concionibus, tum privatim in confessionibus quam diligentissime doceri, quam multa inde absurda atque indigna proveniant, et tanquam pios et obedientes filios moneri, ut velint hac in re sese ad commune Sanctæ Ecclesiæ institutum ac præceptum accommodare, et altera tantum, panis scilicet, specie uti, inque ea vero Christi corpore et sanguine non minus, quam in utraque frui. Sic enim scandalis omnibus providebitur. Non dubitamus Fraternitatem Tuam hoc negocium tanto studio suscepturam esse, quantum et rei ipsius gravitas exposcit, et tua pietas pollicetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die septima Aprilis, millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Pontificatus Nostri anno decimo.

XII. — Hic vero locus ipse nos monet, ut ad perditum illum virum, Archiepiscopum Coloniensem redeamus, quo consentiente, atque haud scio an instigante, in comitiis Augustanis Protestantes ita animos extulerunt, ut a Cæsare peterent, quæ a nemine Catholico Principe, nisi fallere Ecclesiæ fidem vellet, concedi possent. Rem equidem minime gratam aggredior hic referre, quemadmodum hic annus Gebhardo Truchsessio alienæ personæ ferendæ finis fuerit; quaque de causa sese in Protestantium castra traduxerit. Is enim anno suæ ætatis circiter XXX. ab inito fere Archiepiscopatu amore ardens oculos conjecerat in Agnetem Georgii Mansfeldii Comitis filiam, egregia forma puellam, quæ in cœnobio monialium Ord. S. Benedicti Gerrishemensi (Canonissas vocant) institutionis causa degebat; ejusque amore ita captus esse cœpit, ut consuetudine carere non posse videretur. Et tandem anno superiore exeunte, turpi inflammatus libidine, clam ad se abductam hebdomadas aliquot in arce sua Poppelsdorfiana agri Bonnensis, ubi majori anni parte cum aula residere solebat, paucis admodum ejus rei consciis, ab cæteris secretam secum habuit. Ex cujus necessitudine et familiaritate, cum omnem pudorem exuisset, diutius celari infelices ac nefarii amores non potuerunt: quorum cum rumor in vulgus erupisset, fama undique, ut fit, cum ludibrio manante, variisque sermonibus indignatione et invidia plenis per ora populi turpe facinus ferebatur. Quæ cum ad Agnetis fratrum aures pervenisset, in tam impotentem iram acti sunt, ut major natu, patris in Comitatus administratione successor, sua manu trucidare sororem minitatus esset, quæ tantum dedecus domui gentique Mansfeldianæ intulisset. Cæterum fratres furore obrepti Archiepiscopum ipsum minitabundi conveniunt, fœdum facinus improbrant, eo petulantiæ erupisse, ut virginem generoso atque illustri ortam sanguine constuprare sit ausus; pudicitiam sororis ibi intactam non fuisse, ubi tutam et ab eo maxime esse oportuisset: ejus parentes non in stuprum, sed in nuptias educasse. Quæ inter convicia hæc minaciter fremebant: abdicet Episcopatum, sororem honestam puellam, cui infamiæ notam inussisset, legitimo matrimonio, quod esset reliquum, in matronarum dignitatem restituat: si detrectet, sibi consilium capturos, quo familiæ

dedecus ultum eant. Gebhardus ergo vel amore vel metu sollicitante in aula magna Curiæ Bonnensis, præsentibus Agnetis fratre minore natu, aliisque ex Germaniæ primoribus affinitate cum gente Mansfeldiana conjunctis, quorum alii ex Lutheri, alii ex Calvini erant secta, anno hoc ineunte fidem dedit, sese abdicato Archiepiscopatu Agnetem in matrimonium ducturum. Erat enimvero in hac sententia Archiepiscopus, honore ut abiret. Verumtamen Germaniæ illi Principes, quibuscum propinquitatem contraxerat, ei facile persuaserunt, haud quaquam matrimonium inhibere, quominus Electoratus atque Archiepiscopatus dignitas retineatur; id facultatis utique ab sacris litteris et Imperii constitutionibus fieri. Quorum consilio majus attulit momentum ipsa Agnes, quæ Gebhardo pluris erat quam Ecclesiæ canones et decreta: cujus perdito amore, assiduisque blanditiis atque illecebris ad vesaniam captus, in eorum sententiam cæcus ruit. Rem igitur pessimo exemplo aggressus, pejori consilio exequutus, statuit ad Protestantium castra desciscere; quod tamen non esse statim aggrediendum, sed mora interposita, cum bene gerendæ rei facultas accidere videretur, versutus homo perspexit. Hoc fuit initium tragœdiæ, quæ vastissimam Coloniensem diœcesim bello, cæde, rapinis per septem fere annos infestam habuit, atque ad ultimum prope impulit excidium, cujus historiam Michael Isseltius, Belga illius temporis scriptor, peculiari opere, cui titulus de bello Coloniensi, fuse descripsit.

XIII. — Hæc quamvis ex ipsis publicis rumoribus de lapsu et impietate Gebhardi Truchsessii summo cum animi dolore Gregorius accepisset, noluit tamen de eo gravius quid statuere; sed paternis primum ac benignis verbis eum compellans, datis ad eum die 17. Decembr. litteris commonuit, ut nomini salutique suæ in tempore consoleret; neve committeret per summam imprudentiam nobilissimam illam Ecclesiam in exitium dari. Nunciat præterea, his de rebus cum eo quamprimum suo nomine Archiepiscopum Trevirensem acturum. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 51. f. 181.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Coloniensi, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Quo in te animo semper fuerimus, perspectum tibi esse arbitramur: fuimus semper optimo ac paterno: Nosque omnem voluntatem debere existimavimus memoriæ optimi viri Othonis Truchses Cardinalis Augustani, familiæ tuæ laudi, præclaræ de te expectationi. Sperabamus enim te ab optimo Cardinale educatum, inque hujus Sanctæ Sedis gremio nutritum, et Cardinalis ipsius et majorum tuorum similem fore; postquam autem ad istam dignitatem evectus esses, summæ in te Dei benignitatis memorem futurum: est enim hæc Dei beneficiorum, sive communiter omnibus, siva privatim singulis tributorum recordatio idonea, ut ait Beatus Chrysostomus, magistra ad virtutem, nec sinit homines in torporem incidere ac malum sectari; excitat vero ad perpetuam gratiarum actionem, quod quidem gratissimum Deo sacrificium est, perfectaque oblatio. Æquum igitur erat, ut assidue cogitares, quantum tibi munus esset a Deo commissum, quam sublimi in gradu esses ab eo collocatus; quid postularet Episcopi ac Pastoris ipsius nomen, quam severa sententia, quam tremendus exitus maneret eos, qui scandalizarent unum aliquem ex pusillis illis, qui in Christum crederent, quid porro Episcopis illis futurum esset, qui gregem sibi commissom perversa siva doctrina, sive vita perdere non vererentur. Atque hæc tibi cum cæteris Episcopis erant communia, illa vero, quæ a principio commemoravimus, propria tua erant; perpetua majorum tuorum, in primis vero Othonis Cardinalis in Catholica Religione, inque omnibus virtutibus colendis gloria, summa bonorum omnium te ad majorum tuorum laudem spe atque animo vocantium expectatio, illa etiam, hujus scilicet Sedis Apostolicæ in te confirmando benignitas, tum cum tua electio oppugnabatur, multis gravissimisque difficultatibus propositis, quibus resisti vix posse videbatur: solemnis item Catholicæ fidei professio a te facta, summa sanctissimi illius jurisjurandi obligatio. Hæc tum universa, tum singula debuerant Fraternitatem T. ab omni offensione deterrere, tibique stimulos ad virtutes omnes adhibere: hacque spe initio vehementer lætati sumus isto tuo honore et dignitate; nunc autem summo in mœrore versamur: narratur enim ubique magno cum bonorum omnium dolore tua in vivendo licentia, et dissolutio gravissima cum offensione et atrocissima suspicione, quam non libet commemorare. Non potuimus diutius dissimulare, et nostræ erga te paternæ charitati deesse in monendo, ut velis istam vivendi rationem mutare, neque te in sempiternam damnationem præcipitari sinere, neque gravissimam tuo generi notam inurere, tibi vero ipsi summam infamiam summo cum bonorum omnium odio acquirere; sempiternam denique Divinæ justitiæ severitatem subire. Hæc vero effugere nulla ratione poteris, si de recto tramite deflexeris, commiserisque, ut nobilissima ista Ecclesia summo in periculo atque adeo manifesto exitio versetur, magna cum rerum publicarum perturbatione et tumultu. Cogita denique, quam multæ difficultates atque impedimenta perniciosis consiliis, si quæ forte in animo tuo versantur, sese opponere possunt. Speramus hanc nostram commonitionem magnum Fraternitati Tuæ fructum, Nobis gaudium esse

allaturam, effecturamque, ut nostram perpetuam erga te charitatem conservare possimus. Cætera cognosces ex venerabili fratre Archiepiscopo Treverensi Sacri Imperii Electore, cui mandavimus, ut ad Fraternitatem Tuam iret, tecumque his de rebus fusius ageret. Ejus verbis fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima septima Decembris MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

En litteræ ad Trevirensem Præsulem, in quibus post magnam de iis, quæ ex usu Catholicæ Ecclesiæ in Augustanis comitiis gesserat, gratulationem rogat, ut Coloniensem conveniat, et cum Moguntino communicet, quanam ratione huic tantæ jacturæ obviam eatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI. ep. 58. f. 182.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Treverensi, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Confirmavit Nobis dilectus filius noster Ludovicus Cardinalis Madrucius, Legatus noster, id quod antea acceperamus, summa scilicet cum pietate et zelo versatam esse Fraternitatem Tuam in iis, quæ poterant in Conventu Augustano Catholicam religionem lædere: neque ullum prudentissimi optimique Episcopi munus fuisse a te prætermissum: narravit etiam de tua optima voluntate, operaque paratissima in medendo rebus Ecclesiæ Coloniensis. Quia vero increbrescit rumor, deterioraque in dies afferuntur de vita et moribus Archiepiscopi, cupimus, ut quoniam non longe abes, potesque sine magno incommodo ad eum ire, hunc laborem Christi gloriæ, Ecclesiæque illius salutis causa suscipias, atque ubi nostras literas, quarum exemplum ad te mittimus, reddideris, cum eo agas super iis rebus, de quibus ad eum scribimus, horterisque quantum possis, ut velit tam gravis infamiæ causas exscindere, radicesque ipsas extirpare, et curare, ut nemini in dubium venire possit sua voluntas, atque animus suo ipsius muneri ac professioni inserviendi, nec quidquam (ut plerique suspicantur ac non obscure loquuntur) secus quam oporteat faciendi. Si profeceris, Archiepiscopumque ab omni pravitate removeris, erit, quod immortales Divinæ benignitati gratias agamus, tuque bonorum omnium, quæ inde consequentur, particeps eris, sempiternaque a Deo præmia referes. Quod si ille medecinam non admittere intellexeris, suscipe per Deum una cum venerabili fratre Archiepiscopo Moguntino, ad quem etiam scribimus, hoc negocium, et cogitate, quid remedii possit adhiberi, ne illa pereat una cum gravissimo vestrarum, cæterarumque Rhenani tractus Ecclesiarum periculo. Curate etiam, vestraque præstanti auctoritate providete atque obsistite, ne morbus convalescat magno cum rerum publicarum tumultu et jactura. Scribe etiam, quid per Nos maxime agi posse existimetis: certum Nobis est, nulla in re deesse. Expectamus summo cum desiderio literas Fraternitatis Tuæ de toto Coloniensium rerum statu, de Archiepiscopi voluntate, deque tua opera, et quid sive per Nos ipsos, sive per alios a Nobis agi posse existimes. Super his omnibus rebus omnem fidem tribues Minucio, quem hac ipsa de causa ad Tuam Fraternitatem mittimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die decima septima Decembris MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

Eadem de causa Pontifex Moguntinum etiam Archiepiscopum per litteras hortatus est, ut vel per se vel per aliquem suorum ad Coloniensem accedat, moneat, minitetur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI. ep. 59. f. 186.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Moguntino, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Optabamus summopere falsa esse, quæ magno cum dolore de dissoluta Archiepiscopi Coloniensis vita ac moribus perferebantur, nec facile a principio adduci poteramus, ut ea vera esse crederemus, eaque de causa retardati sumus: sed increbuit rumor, resque ipsa multorum sermonibus ac literis, et fama pene publica confirmata est. Non fuit igitur tam gravi in periculo, tantoque Ecclesiastici ordinis dedecore diutius Nobis cunctandum, aut dissimulandum. Hortamur Fraternitatem Tuam, ut si sine tuo magno incommodo fieri poterit, te ad Archiepiscopum Coloniensem conferas, aut si id facere non poteris, aliquem ex tuis optima voluntate et fide præditum ad eum mittas, moneasque eum hujus tam gravis offensionis et scandali, horterisque, ut velit suæ ipsius existimationi et dignitati consulere, maculamque eam, qua fœdissime deturpatur, bonisque omnibus invisus redditur, abluere: memineris etiam sui loci ac muneris sibi a Deo tributi, nec putet tantam injuriam tanto cum Catholicæ Ecclesiæ detrimento conjunctam toleratum iri: omni denique conatu agas, quantum tibi eximia prudentia tua suggesserit, quantumque Archiepiscopatus gradus et Electoris munus tribuit, ut eum omni voluntatis aut consilii pravitate dimoveas. Si nihil hortando profeceris, quod Deus prohibeat, necesse erit, ut una cum venerabili fratre Archiepiscopo Treverensi, ad quem etiam scribimus, aliquid consilii capias super tanto incendio extinguendo, ne latius grassetur summa cum Ecclesiæ Catholicæ perturbatione et vastitate. Simul etiam certiores Nos facies, quid maxime existimes per Nos præstari atque effici posse: nihil enim omittemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Pisca-

toris die xvii. Decembris MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

Fecit etiam, quod plurimum illius Ecclesiæ interesse debebat, ut Colonienses Canonicos de ipsorum munere in tam necessario tempore admoneret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII Ann. XI ep. 60 f. 187.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Coloniensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Cum primum audire cœpimus sermones non bonos, qui de vita et moribus Archiepiscopi vestri disseminabantur, incredibiliter doluimus, optabamus illa omnia falsa esse. Expectavimus igitur, ut rem certius cognosceremus: nunc autem illa omnia in omnium sermone sunt, multorumque literis confirmantur. Non potuimus igitur, nec debuimus diutius silere. Itaque et Archiepiscopum ipsum omni cum charitate monuimus, et nunc vestrum vobis officium proponimus in vestra ista tam nobili tamque antiqua Ecclesia tuenda, inque summa publicæ tranquillitatis Catholicæque Religionis cura suscipienda, quæ omnia istis in locis maxime pendent ex optimo Ecclesiæ vestræ statu et gubernatione. His autem tam gravibus tamque necessariis causis vos pro vestra spectata prudentia nullo loco defuturos, quæque istic opus esse intelligetis, summo studio curaturos, remediaque ex sacrorum Canonum regulis, optimorumque et Catholicorum Capitulorum consuetudine adhibituros esse, certum habemus, neque passuros, ut quidquam secus, quam oporteat, introducatur, convalescatve, sed repugnaturos atque ad omnia vigilaturos, omnique contentione operam daturos, ut Ecclesiæ vestræ ac vobis ipsis eam, quam semper retinuistis, existimationem dignitatemque conservetis. A Nobis autem atque ab hac Sancta Sede Apostolica omnia vobis parata esse credite, quæcunque potest paterna cura atque hujus ipsius Sedis auctoritas præstare. Idem quoque a pia optimaque charissimi in Christo filii nostri Rodulphi, Romanorum Imperatoris Electi voluntate expectare debetis, apud quem nostrum officium vobis, Ecclesiæque vestræ nunquam deerit. Cætera ex dilecto filio Minucio, quem mittimus, cognoscetis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima septima Decemb. MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

Alteris litteris graviter hortatur, ut qui inter ipsos hæresi aspersi sint, ex Capitulo expellantur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI. ep. 61. f. 188.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Coloniensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Accepimus esse in vestro Capitulo nonnullos hæresi sive Calviniana, sive qua alia aspersos, quorum quidem opera procul dubio semper obstabit, quominus imminentibus malis opportuna et necessaria remedia adhibeatis. Hortamur et mandamus auctoritate ea, quam a Domino accepimus, ut congruenter regulis decretisque Ecclesiasticis a Catholicis diligenter servatis, Capitulum vestrum purgetis, eque vestro numero hæreticos ejiciatis, ut Deum consiliorum, decretorumque vestrorum præsidem atque adjutorem habere possitis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xvii. Septembris MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

Eadem denique die, adeo nihil providum Pontificem fugiebat, scripsit in ea causa Senatoribus Coloniensibus. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI. ep. 59. f. 185.

Dilectis Filiis Senatoribus Coloniensibus.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Quæ palam narrantur de Archiepiscopo vestro magno bonorum omnium cum dolore, ipsi coram cernitis, utinam non tam gravia sint, quam dicuntur: sed narrantur gravissima, expectanturque in dies deteriora, videnturque nobilissimæ istius Ecclesiæ res ad interitum spectare. Hoc Nos incredibiliter angit; magnam autem spem habemus in vestra præstanti prudentia, pietate et Dei gloriæ zelo; nec dubitamus, quin de remediis adhibendis cogitetis. Rogamus ut velitis Nos consilii vestri certiores facere; Nos enim nostra omnia vobis communicabimus: certissimum enim habemus, Ecclesiæ istius incolumitati et dignitati, Catholicæque Religionis causæ nullo modo deesse, omnemque nostram auctoritatem atque operam, ut utraque causa salva sit, adhibere. Cætera ex Minucio, quem mittimus, cognoscetis; ejus verbis omnem fidem tribuetis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xvii. Decembris MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

XIV. — Ast obfirmatæ pervicaciæ vir in reprobam sui famam jam actus: præterea Protestantium Principum fretus opibus, quas ad impia consilia exequenda pollicebantur, furens obcæcatusque in ultimum exitium præceps ruebat; adeoque Præsulum atque ipsius Cæsaris cohortationes ac minas despectui habebat, aspernabatur; in ipsumque Pontificem inter pocula et choreas debacchabatur. Quibus de rebus Gregorius certior factus, pro sua misericordia et clementia mitioribus adhuc consiliis utendum esse existimavit, quo tempus recipiendæ tam pertinaci sententiæ daretur, Præsulem Vercellensem, qui una cum Cardinali Madrutio Comitiis Augustanis interfuerat, ad eum misit, ut, si efficere posset, ad saniorem mentem revocaret. Qua de re Pontifex has ad Archiepiscopum Coloniensem litteras dedit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI. ep. 60. f. 192.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Coloniensi, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Nisi Tuam Fraternitatem diligeremus, non tantopere de tua dignitate et salute angeremur: nostram autem erga te charitatem tum alias, tum proxime ex iis literis, quas ad te dedimus, perspectam tibi esse posse arbitramur. Aget nunc cum Tua Fraternitate, sive coram sive per literas, eisdem de rebus mandato nostro venerabilis frater Episcopus Vercellensis, Nuncius noster; ejus verbis aut literis omnem fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die ultima Decembris anni MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

Et Canonicis Coloniensibus de Vercellensi Episcopo ad ipsos profecturo scribit, rogatque, ut omnia cum eo communicent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep. 64 f. 190.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Coloniensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Scripsimus ad vos superioribus diebus ea, quæ perpetuus noster erga vos amor et summa nostri muneris necessitas suggerebant de vita Archiepiscopi vestri, deque nostra sollicitudine, neque ullam rationem omisimus, illum ab omni turpitudine atque infamia avocandi: quantum profecerimus ipsi videtis. Nunc igitur mandato nostro conferet se ad istas partes venerabilis frater Episcopus Vercellensis, Nuncius noster, superque hoc negotio sive coram sive per literas vobiscum aget, quæque opus erunt, providebit. Vos vero in istis novitatibus tam periculosis, tamque Ecclesiæ vestræ, tum communiter, tum vestris etiam privatis rationibus adversariis, neque consilio, neque auctoritate, neque opera defuturos esse, vestra prudentia et pietas spectatissima Nos dubitare non sinit. Nos item nostro officio ac muneri paternæque charitati, qua semper vestram nobilissimam Ecclesiam amplexi sumus, nunquam deerimus. Gratissimum autem Nobis facietis, si omnem Nuncii verbis aut literis fidem tribuetis, omniaque cum eo fidentissime communicabitis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die ultima Decembris MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

Denique deterioribus in dies de Gebhardo allatis, nulla fere affulgente spe, fore, ut obstinatus vir ad animum salubria consilia admitteret, Pontifex Protestantium artes valde timens, etiam atque etiam rem Coloniensem Cæsari commendat, ne patiatur in tam gravi casu, nullam etiamnum cunctationem recipiente, ut Catholica Ecclesia detrimenti aliquid capiat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep. 63. f. 188

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho, Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius noster Ludovicus Cardinalis Madrucius Legatus esset Augustæ, pessimaque afferrentur de Archiepiscopo Coloniensi, communicavit omnia cum Tua Majestate mandato nostro; sed quia res tum erat obscurior, necessarium fuit diligentius investigari. Id vero per gravissimos viros factum est, compertumque ea, quæ de Archiepiscopo ferebantur, magnis caussis atque argumentis niti, et jam constante hominum sermone et fama, Archiepiscopique ipsius factis comprobari, Ecclesiamque illam non procul ab interitu abesse. Scripsimus igitur ad venerabilem fratrem Episcopum Vercellensem Nuncium nostrum, ut tota de re cum Tua Majestate ageret, ostenderetque, quantum detrimenti non modo illi Ecclesiæ, sed Tuæ etiam Majestatis rationibus, Belgicisque rebus, Catholicæ denique Reipublicæ universæ ab Archiepiscopo immineret, hortareturque et rogaret Majestatem Tuam, ut velles remedia adhibere, quantumque posses contendere, ne tantum malum radices ageret, propagareturque; Nos enim nulla in re auctoritate atque opera defuturos esse. Et quanquam certum habemus Nuncium mandatum nostrum diligentissime executum esse; tamen quia de Archiepiscopo deteriora in dies afferuntur, opusque est in primis celeritate, ne, si morbus ingravescat, curationis spes reliqua nulla sit, voluimus iterum rogare atque obtestari Majestatem Tuam, ut tam gravem tamque necessariam causam suscipias, omnique conatu atque opibus Satanæ cœptis obsistas, neque patiaris te Imperatore et Christi gloriæ defensore tam gravem plagam sanctæ ejus Ecclesiæ Catholicæque Religioni imponi, tantamque jacturam fieri, sed tempestive provideas, certumque habeas, Deum tuæ virtuti, suæque ipsius causæ non defuturum, hostiumque suorum consilia dissipaturum. Nos certe quidquid auctoritate atque opera efficere poterimus, id totum ad hanc causam conferemus. Cætera ex Nuncio nostro cognosces: cupimus, ut ejus verbis omnem fidem tribuas. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die ultima Decembris MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

XV. — Quam callide vaferrimus hic Coloniensis Præsul perversam suam mentem in Ecclesiæ rebus Pontificem celaverit, antequam propalam se patefaceret, ex his litteris conficitur, quas Colonienses ad Gregorium scripserunt.

In his namque de nonnullis criminibus ab illo nebulone anno superiore objectis se purgant, cum eos, ut supra meminimus, ad Sedem Apostolicam tanquam Ecclesiasticæ jurisdictionis violatores et osores traduxerat. In postremis vero litteris quoddam vetustissimum privilegium contra Bonifacianam constitutionem summa cum animi demissione simulque observantia memorant. (*)

(*) Colonia Vol. I. f. 18.

Beatissimo Patri ac Domino, Dño Gregorio ejus nominis XIII. Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino nostro Clementissimo.

Post devota pedum oscula.

« Beatissime Pater, Breve quoddam Apostolicum sub Annulo Piscatoris, cujus exemplum hisce adjunximus, datum Romæ xviii. Novembris anni superioris, hoc anno xii. Januarii nobis redditum est, nosque id debita eum reverentia ac devotione recepimus. Si prius ad nos allatum fuisset, maturius etiam respondissemus, sed verisimile est, malevolos istos, qui nos apud Sanctitatem Vestram traduxerunt, non alio consilio, quam ot animum Sanctitatis Vestræ adversus nos exacerbarent, re confecta, Breve illud aliquamdiu detinuisse, ut interea temporis ira Sanctitatis Vestræ magis erga nos accenderetur: utut sit, Sanctitatem Vestram vehementer nobis iratam esse, ex eodem Brevi facile perspeximus. Quam iram ut frangeremus, animumque Sanctitatis Vestræ placaremus, maturavimus responsum, quantum potuimus, et hisce litteris devotissime ac demisissime Sanctitati Vestræ respondemus, Deumque testamur, tam procul abesse a veritate, quam cœlum abest a terra, nos Parochos nostræ Reipublicæ (sicuti Sanctitati Vestræ expositum esse intelligimus) jurisdictioni ordinariæ Archiepiscopi subtraxisse, nec sinere illum sua auctoritate se jure erga Parochos uti. Haoc autem esse veritatem, quod Archiepiscopi jurisdictio in Parochos, non solum eos, qui per unionem illam Canonicatus consequuti sunt, verum etiam cæteros, quinimo omnes Ecclesiasticas personas utriusque sexus apud nos salva, et inviolata sit non minus, quam fuerit ante centum ac multo plures annos, quodque nos ounquam cogitaverimus Ecclesiasticam jurisdictionem vel disciplinam lædere, vel quicquam Jurisdictioni Archiepiscopi detrahere; sed feramus facile, quin potius optemus, ut electi in Archiepiscopos, etiam Archiepiscopos agant, depravatos Cleri mores corrigant, et disciplinam Ecclesiasticam severius, quam hactenus, exerceant. Et est sane notorium per totam Coloniam, quod Pastores omnes nominentur et præsententur ab iis, a quibus nominari et præsentari solent, quodque investiantur ab Archidiaconis aliisque, a quibus solent investiri, et tempore illius Canonicæ institutionis jurent Ordinario obedientiam, ut solent; deinde quod coram Archiepiscopo, vel Archidiacono, aut Vicariis eorum conveniantur, quodque illorum excessus per eosdem corrigantur, ut solent. In summa quod omnia, quæ pertinent ad jurisdictionem in Pastores, in eodem sint statu, in quo fuerunt ante annos centum et superiora sæcula; neque quicquam per nos sit innovatum vel usurpatum, quod ab initio in usu non fuerit. Quinimo, quod cum superiore vere literas, quibus Sanctitas Vestra certos Canonicatus extingui, et nonnullis Parrochiis uniri voluit, Clero nostro præsentaremus, et cum eo primum, postea etiam cum Consiliariis Archiepiscopi ea de re communicaremus, sæpius palam simus protestati, quod nihil omnino cuperemus innovari ex omnibus iis, quæ a Majoribus nostris quasi per manus accepissemus, sed hoc solum, quod satisfieret voluntati Sanctitatis Vestræ juxta contextum literarum, quas ex singulari zelo pietatis ad conservationem Catholicæ Religionis non sine sumptibus obtinuissemus. Quæ omnia, cum negari non possint, magnopere miramur eos, qui apud Sanctitatem Vestram nos diffamarunt, et omnino confidimus Sanctitatem Vestram huic nostræ humillimæ ac verissimæ declarationi fidem habituram. Interim, ut omnis scrupulus animo Sanctitatis Vestræ eximeretur, dedimus operam, ut novendecim Pastores nostræ Reipublicæ convenirent, et, cum unus ab urbe esset, octodecim autem comparuissent, singuli coram Notario et testibus interrogati, sancte affirmarunt, nunquam sibi a nobis, vel nostro nomine a quoquam edictum, vel etiam propositum esse, quod Archiepiscopo suo non obedirent, vel jurisdictioni ejus subjecti esse non deberent; imo nullam se antehac ejus audisse mentionem, prout Sanctitas Vestra ex adjuncto Instrumento intelligere potest. Quamobrem, cum jam videat Sanctitas Vestra quales sint, qui nobis detraxerunt, et quid promeruerint, relinquimus joditio Sanctitatis Vestræ, quomodo eos puniat. Deinde humillime supplicamus, ut Sanctitas Vestra illis et aliis, qui nobis male volunt posthac nulla in re fidem amplius habeat, neque nobis succenseat, nisi primum auditis et in defensione deficientibus, quod nunquam futurum speramus. Quam quidem humillimam nostram supplicationem, etiam ad historiam de motu populari, qui superiore æstate nulla quidem nostra, sed aliorum maxime culpa contigit, et statim per nos, laus Deo, sedatus est, porrigi cupimus, si forte eadem etiam perperam ad Sanctitatem Vestram relata sit. Præterea, quia Margaretha Heldinna subdita oostra, eodem mense Novembri, durante ira Sanctitatis Vestræ erga nos, per illam occasionem ac varias sub et obreptiones, nec non commendatitias literas se practi-

cata instrumenta obtinuit, ut frivola illa prophana prætensarum injuriarum verbalium causa inter ipsam et concivem suum, Doctorem Petrum Steinwichium, ad Rotam remitteretur, contra priorem Sanctitatis Vestræ Signaturam, qua eadem causa ex Rota, ut Prælatis intra Coloniam committeretur, avocabatur, contra privilegia nostra, quæ majores nostri ante annos trecentos quadraginta ab Innocentio IIII. Sanctitatis Vestræ Prædecessore, per intercessionem Wilhelmi Romanorum Regis impetrarunt, quæque interim in perpetuo fuerunt usu, quibus cavetur, quod Cives nostri per literas Sedis Apostolicæ, vel Legatorum illius, ullatenus evocari non debeant, sed causæ Civium nostrorum, quæ ad Sedem Apostolicam pertinent, Prælatis intra nostra pomeria, in quacunque instantia committi debeant, contra Bonifacianam constitutionem, qua in universum postea salubriter provisum est, quod lites, quæ ventilantur inter duos Concives debeant in omni instantia in eadem Civitate committi et decidi, contraque statuta Reipublicæ nostræ jurata, quibus prohibentur Evocationes, et nobis interdicitur, ne contra Cives exequamur ullas sententias extra mœnia nostra latas; denique, contra Diplomata Imperatorum, quibus jubemur hujusmodi Evocationibus obsistere. Hinc postquam fama ea de re, per omnes Curias, Tribus et Collegia Civium nostrorum pervulgata esset, propter murmura et fremitus Tribunorum et Civium, motus populares, aliaque mala et scandala, quæ timebamus, non potuimus non facere et humiliter a Sanctitate Vestra petere, prout in literis nostris, quas nona hujus mensis, hoc est, paulo ante, quam supra memoratum Breve Apostolicum nobis redderetur, Sanctitati Vestræ nec non Illustrissimis et Reverendissimis S. R. E. Cardinalibus, qui negotia Germanica tractare solent, et Reverendis Dominis Decano ac Rotæ Auditoribus scripsimus, continetur. Rursus igitur, quam demisissime supplicamus Sanctitati Vestræ, ut tandem precibus nostris clementer annuere, et hoc periculoso sæculo, quo vicinorum exempla merito nos terrent, quieti hujus populi, Sanctitati Vestræ alioqui devotissimi consulere dignaretur. Deus Sanctitatem Vestram custodiat, ejusque rectissima consilia ipsi et Christianæ Reipublicæ fortunet. Coloniæ Agrippinæ decimo septimo Januarii anno MDLXXXII.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimi

Consules et Senatus Reipublicæ

Imperialis ac liberæ Coloniæ Agrippinæ.

Quin etiam, quod magis mireris, vesanus hic Præsul vel ipsis diebus cum turpissime viveret, secum domi Agnetem haberet, et a fide Catholica descisceret, se acerrimum immunitatis et jurisdictionis Ecclesiasticæ defensorem ad fucum faciendum præbuit. Id apprime ostendunt ejus litteræ ad Cardinalem Madrutium, quibus denuo de juribus Ecclesiæ a Coloniensibus violatis conquestus est. [*] [*] Colonia Vol. I. f. 48.

Rm̃o et Illm̃o Domino Ludovico Madrutio S. Ecclesiæ Romanæ Cardinali, Episcopo Tridentino, Dño ac Amico Nostro Charissimo.

Illme et Rme Domine, Domine
et amice charissime.

« Superioribus diebus orta inter devotos, nobis syncere dilectos, Decanum et Capitulum S. Severini Civitatis nostræ Coloniensis, et Senatum ejusdem Civitatis, ratione Canonicatus in eadem Ecclesia postremo vacantis controversiæ materia: illis hunc Canonicatum Apostolica auctoritate suppressum et extinctum ac Thesaurariæ ejusdem Ecclesiæ appropriatum esse, isto vero Senatu sub Indulto suis Provisoribus Decanis et Rectori Universitatis ad tempus concesso comprehendi contendentibus. Ipsi Decanus et Capitulum ad Sm̃um Dominum Nostrum, Indultorum hujusmodi auctorem, rem omnem detulerunt, ejusque Declarationi se obtemperaturos affirmarunt. Verum his non acquiescens Senatus de facto Pistori eorundem Decani et Capituli molendinis interdixit ac molere prohibuit, dum suis obedirent mandatis, in maximum ipsorum gravamen et totius Ecclesiastici ordinis scandalum. Quamobrem nostram commendationem et auctoritatem implorarunt, qua possint litium anfractibus, violentiis et molestiis semel liberari, quibus certe nihil denegandum hac in re putavimus, cum exemplo perniciosum esse nemo non videat, Ecclesiasticam potestatem a laicis Apostolici Indulti prætextu usurpari, ita (ut alias plerumque) per vim ad sua quævis vota compelli. Itaque nunc ad Suam Sanctitatem scribimus, et doctissimo, fideli, nobis dilecto Richardo Stravio in mandatis dedimus, ut hac de re cum Dilectione Vestra agat, ejusque patrocinio et auctoritate Declarationem Suæ Sanctitatis impetret; denique hoc nobis effectum reddat, ut his laicis nullum Indultum, nulla in posterum circa res spirituales potestas concedatur, ne cogamur maximo nostro Ecclesiæ malo, nostrique Cleri querela sæpius hac de causa Suam Sanctitatem interpellare, quam omnia pio et bono zelo, certis modis et forma præscripta illis indulsisse, haudquaquam dubitamus, quibus concessionibus postea in perniciem Ecclesiæ et Ecclesiasticorum oppressionem abutuntur. Itaque si Dilectio Vestra dictum Richardum sua auctoritate et patrocinio juverit, etiam hac in re nos sibi devinctos perpetuo majori suo officio reddet devinctissimos, et Ecclesiam nobis concreditam, totum Clerum Coloniensem a multis molestiis, perturbationibus et violentiis liberabit. Quod novit perpetuus Deus, qui Dilectionem Vestram diutissime servet inco-

lumen. Datum ex arce nostra Poppelstorffia die 14. Januarii. Anno 1582.

Illmæ ac Rmæ Dominationis Vestræ
addictissimus
GEBARDUS ELECTUS ET CONFIRMATUS
ARCHIEPISCOPUS COLONIENSIS
GEBARDUS mp.

Jo. Kemp.

XVI. — Inter hæc Episcopus Scalensis ad rem Catholicam in utraque Bavaria intactam ab hæresi præstandam, Gulielmo Duce id maxime efflagitante, Indicem librorum prohibitorum perfici publicarique, tum regulas a Sacro Concilio Tridentino in libris hæreticorum proscribendis sancitas, servari jussit. Quod ut accuratius certiusque fieret, provinciam hanc Antonio Welzero, haud ignobili ejus ætatis Theologo, demandavit, sapientissimis eidem legibus præscriptis, summaque potestate permissa ad id muneris egregie perfungendum. (*)

(*) Germania Vol. 53. fol 167.

« Fr. Felicianus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Scalensis, ad Bavariæ et alias partes Germanicæ Superioris, Smi Domini Nostri, Dñi Gregorii divina providentia Papæ XIII, dictæque Sedis Nuntius cum potestate Legati de latere etc. Universis nobis in Christo dilectis tam Ecclesiasticis quam Sæcularibus cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, et præeminentiæ existant, per utramque Bavariam ubilibet constitutis, ad quos præsentes literæ nostræ pervenerint, salutem in Domino sempiternam. Cum ab eo tempore, quo Serenissimus Dux Albertus fel. rec. fidei et religionis Catholicæ strenuus propugnator et assertor, librorum prohibitorum Indicem in lucem edi, ac per omnia loca sibi in temporalibus subjecta generalem et diligentem eorundem librorum inquisitionem et extirpationem fieri, ad Dei honorem, Catholicæ Ecclesiæ incrementum, et singulare populorum sibi subditorum commodum ac tranquillitatem solicite curavit, Catholicæ doctrinæ et bonorum morum hostes varia opuscula simili veneno imbuta, ad Christianæ Reipublicæ perniciem et multarum animarum interitum emiserint, Serenissimo Principi, Domino Guilhelmo Comiti Palatino Rheni, utriusque Bavariæ Duci, Parentis optimi vestigiis fortiter insistenti visum est necessarium, et suis in orthodoxa et avita religione, ac pace Christiana conservandis longe utilissimum, ut prædictus Index aliis adversariorum libris, qui postea in publicum prodiere, auctus et locupletatus denuo excuderetur, quod jam etiam auctoritate et mandato nostro factum est. Quoniam vero labor in prædicto Indice accommodando et imprimendo communis boni causa susceptus nihil, aut certe parum prodesse posset, nisi etiam eo omnis cura et diligentia referatur, ut libri hujusmodi, quibus falsorum dogmatum pestes seminantur, et simplicium Christi ovium animæ fascinantur, seducuntur, et in æternæ damnationis latebras ac pericula conjiciuntur, mature et accurate e medio tollantur, nos ex officio nobis incumbente, accedente etiam prædicti Serñi Ducis singulari in Ecclesiam et fidem Catholicam zelo ac studio accensi, et animo plane paterno erga suos optime affecti consilio, admodum Reverendissimum nobis sincere dilectum Antonium Welzerum Theologum, Monachii ad Divam Virginem Canonicum præsbyterum et Ducalem Consiliarium, Commissarium nostrum in hujusmodi libris ubique locorum Bavariæ inquirendis et amovendis instituendum duximus, prout tenore præsentium Apostolica auctoritate nobis concessa, et qua fungimur, instituimus, mandantes ipsi in virtute sanctæ obedientiæ, ut quamprimum has publicas literas nostras receperit, commissionem et provinciam hujusmodi sibi demandatam diligenter aggrediatur, et fideliter ac mature exequatur, tam apud Ecclesiasticos etiam regulares, et quovis modo exemptos, quam apud sæculares etiam nobiles, et quavis majori dignitate præditos, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, cæteraque in præmissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciat, gerat, mandet et exequatur. Decernimus autem, ut in unaquaque diœcesi assumat secum unum per Episcopum deputandum, quem ad effectum præmissorum ei in collegam damus et assignamus, eandem potestatem et facultatem nostram, quoad hæc, illi communicantes et concedentes. Utque munus hoc absque ullo impedimento recte exequi possint, districte præcipimus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ omnibus et singulis supradictis, tam Ecclesiasticis quam sæcularibus, cujuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis et præeminentiæ fuerint, in temporali dominio Serñi Bavariæ Ducis existentibus, ut prædictis Commissariis nostris circa præmissa debitam obedientiam præstent. Si qui (quod non putamus) contumaces extiterint, ii præter dictam excommunicationem, in quam ipso facto incident, alias etiam pœnas contra hæreticos decretas, præsertim si libros prohibitos studiose celaverint, se noverint incursuros, contra quos absque alia declaratione procedetur. Ut autem circa hujusmodi inquisitionis et commissionis executionem multa dubia, quæ possent oriri et moveri, subtrahantur ac removeantur, quæ sequuntur observari volumus. In Patrum et aliorum scriptorum Catholicorum libris in locis hæreticis impressis, deleatur nomen Typographi, si fuit hæreticus, dum imprimerentur, et loci, ubi sunt impressi, annotationes ab hæreticis appositæ et quovismodo suspectæ expungantur. Libri ab hæreticis conscripti, ad res fidei minime pertinentes, hoc tempore tollerari possunt,

veluti Lexicon Frisii, et Dassipodii, Thesaurus linguæ latinæ, et alii similes: illi tamen, qui perniciosis exemplis fidem et reverentiam erga res sacras et bonorum morum integritatem facile lædunt, ut sunt colloquia Erasmi, Dialectica, Rhetorica, et Grammatica Melancthonis, et id genus alii amoveri debent. In illis autem qui permittuntur, deleantur nomina auctorum, eorum quibus inscribuntur, si hæretici fuerint, Typographorum ac locorum, et amoveantur præfationes: cujus rei cura in Monasteriis committetur Prælato et uni ex doctioribus Monasterii. In aliis locis, si Commissarii commode non possint, alicui Theologo viciniori demandetur. Biblia a Catholicis auctoribus germanica lingua translata, et libros germanicos de controversiis religionis a Catholicis auctoribus scriptos, prædicti Commissarii nostri, habita ratione personarum, ne quid forte immineat periculi, permittere poterunt, data in scriptis legendi licentia. Jus Canonicum cum glossa qui habent, admonebuntur, ut emendent ad scriptum censuræ Romanæ. Libri, qui continent falsa miracula, falsas vel suspectas indulgentias, aut historias fabulosas, res sacras concernentes, adhibita instructione, si quæ videbitur pro aliquibus necessaria, tollantur. De libris, quorum approbatio commissa est Ordinariis, moneantur Episcopi, ut per suos ad præscriptum regularum editarum in Concilio Tridentino rem hanc quamprimum executioni mandent. Librorum, de quibus in regula octava Indicis Tridentini agitur, emendatio committetur facultati Theologicæ Ingolstadiensi, aut aliis Catholicis Theologis. Relinquetur etiam exemplum prædicti cathalogi librorum prohibitorum in singulis Monasteriis, et apud Decanos rurales, Camerarios, Parochos urbium et oppidorum. Cætera juxta regulas et annotationes Indicis librorum prohibitorum a Sacro Concilio Tridentino propositi agenda, prædictorum Commissariorum nostrorum judicio et prudentiæ relinquimus. In quorum omnium fidem ac testimonium his sigilli nostri, quo in talibus utimur, impressione munitis, propria manu subscripsimus. Datum Monachii anno Domini MDLXXXII. Calend. Maji, Pontif. præfati Sanctissimi Domini Papæ Gregorii XIII. anno decimo.

XVII. — Ut in cœnobiis tam virorum quam mulierum pristina disciplina, a qua plurimum discessum erat, instauraretur, sanctissimas Patrum Tridentinorum et Romanorum Pontificum Pii V. et Gregorii XIII. de Regularium clausura sanctiones publico edicto servandas esse mandavit. [*]

[*] Germania Vol. 13. fol. 172.

Publicatio Decreti Sacri Concilii Tridentini et Constitutionum a Summis Pontificibus Pio V. fel. rec. et S. Domino Nostro, Domino Gregorio XIII. editarum super clausura Monasteriorum utriusque sexus, etc. pro Monasteriis Bavariæ tam virorum, quam mulierum.

« F. Felicianus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Scalensis, ad Bavariæ et alias partes Germaniæ superioris, Sanctissimi Dñi Nri, Dñi Gregorii divina providentia Papæ XIII. dictæque Sedis Nuncius cum potestate Legati de latere, et Visitator omnium et singulorum cujuscunque ordinis et sexus Monasteriorum, etiam Sñio Domino Nostro et Sedi Apostolicæ prædictis immediate subjectorum etc. Venerabilibus nobis in Christo dilectis quorumcunque regularium ordinum, etiam mendicantium, Abbatibus, Præpositis, Prioribus et Guardianis, Abbatissis, Priorissis, Matribus, et aliis præsidentibus, quocunque nomine vocatis, necnon Monachis, Canonicis, et Fratribus, Monialibus et Sororibus etiam conversis ac tertiariis Monasteriorum, domuum, ac locorum in temporalibus dominiis Serenissimo Bavariæ Duci et ejus jurisdictioni quomodolibet subjectis existentium, etiam Sedi Apostolicæ immediate subjectorum, salutem in Domino sempiternam. Regularium personarum, quæ relicto sæculo Dei se obsequio manciparunt, statui æquissimum est præcipua quadam ac singulari solicitudine providere, ut ab eis omnia, quæ sanctum ipsarum propositum impedire possunt, removeantur, quatenus in ea, quæ personas Deo dicatas decet, puritate et integritate secundum ordinum suorum regularia instituta, et decreta sacrorum Canonum tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum. Quia igitur Sanctissimus Dominus Noster commiserat et mandaverat nobis, ut omnia et singula Monasteria, tam virorum quam mulierum, quorumcunque ordinum, intra limites nostræ legationis et in quibusdam aliis provinciis consistentia, etiam dictæ Sedi immediate subjecta, ad eorum regularem observantiam, debitamque vivendi normam et clausuram reduceremus, nec non Serenissimus Princeps ac Dominus, Dñus Guilhelmus, Comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ Dux, pro summa, qua est erga Catholicam Ecclesiam, pietate et religione, hoc ipsum in temporalibus locis sibi ac suæ jurisdictioni quomodolibet subjectis mature ac debite ad effectum adduci, magnopere optarat atque efflagitarat, nos ipsi pro commisso nobis officio, quanto potuimus studio et cura, dicta Monasteria visitare ac reformare cœpimus, resque eo satis feliciter hactenus processit, ut magnam suscepti laboris partem non absque exiguo (ut speramus) regularium personarum prædictarum fructu ac profectu, et ipsorum Monasteriorum utilitate et commodo jam confecerimus, eratque nobis firmus animus progrediendi ulterius, et Bavaricorum Monasteriorum prædictorum visitationem ac reformationem ad optatum finem

perducendi, nisi, quæ supervenerunt, cum gravissimarum occupationum, tum valetudinis adversæ multa et longa impedimenta nostrum retardassent propositum, atque institutam peregrinationem deserere ad tempus et intermittere compulissent. Cum autem hæc ipsa impedimenta et obstacula diutius perdurent, quam nos arbitrabamur, interimque ad nostras aures pervenerit, in nonnullis virorum et mulierum Monasteriis dictæ Bavaricæ ditionis, præsertim ubi nondum fuimus, non obstante quod hujusmodi nostrum institutum et opus ex aliorum relatu, et communi sermone ac fama jam satis perspectum habuerint, non solum viros et mulieres sæculares intra clausuræ septa introire atque intus convivari, sed moniales etiam extra clausuram egredi, et quo libuerit, ad aliquot etiam dietas evagari, non sine gravi multorum offensione et publico scandalo, præterquam quod etiam res ipsa plena periculi est, ac regulari observantiæ vehementer adversatur, et regulares personæ honestatis et pudicitiæ decus in discrimen committunt: nos huic malo pro nostro officii debito salubriter et in tempore occurrere volentes, ne ex longiori mora quicquam in eis oriatur incongruum, quod in regularis ponat honestatis gloria maculam, et divinam merito possit offendere majestatem, Sacri Concilii Tridentini (Sess. 25. cap. 5. de Regul. et Monial.) in quo constitutio fel. rec. Bonifacii Papæ Octavi, quæ incipit, Periculoso, renovatur, de clausura Monialium disponentis decretum, et Constitutiones fel. rec. Pii Papæ quinti, annis MDLXVI. quarto Cal. Junii et die XXIII. Octobris, Pontificatus sui primo, et MDLXVIII. nonis Julii, Pontificatus sui tertio, et MDLXIX. Cal. Febr. Pontificatus sui quinto: atque item præfati Sñi Dñi Nñi, Dñi Papæ Gregorii Tertiidecimi annis MDLXVI. tertio Cal. Januarii, Pontificatus sui primo, et MDLXXV. Idibus Junii, Pontificatus sui quarto, et MDLXXXII. die XXIII. Decembr. Pontificatus sui decimo, super hujusmodi clausura regularium, tam virorum quam mulierum editas, vobis omnibus et singulis supradictis quorumcunque ordinum, etiam mendicantium, Abbatibus, Præpositis, Prioribus, et Guardianis, Abbatissis, Priorissis, Matribus et aliis præsidentibus, quocunque nomine vocatis, nec non Monachis, Canonicis, et Fratribus, Monialibus et Sororibus, etiam conversis ac tertiariis Monasteriorum, domuum, ac locorum in temporali Serenissimi Bavariæ Ducis prædicti jurisdictione quomodocunque existentium, etiam Sedi Apostolicæ immediate subjectorum, per præsentes auctoritate nobis commissa, et qua fungimur hac in parte, insinuamus, intimamus, publicamus, notificamus, et ad vestram et aliorum omnium, quorum interest vel interesse potest, quam melius possumus ac debemus, notitiam deducimus, et ab omnibus suscipi observarique decernimus et mandamus, sub pœnis in decreto Tridentino et Constitutionibus Apostolicis prædictis expresse contentis, quas, ne quisquam excusatione ignorationis uti possit, huic nostro mandato inseruimus, ut sequitur. Nemo cujuscunque status, generis, sexus, ætatis, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ fuerit, Monasteria, domos, et loca quorumvis ordinum Monialium, etiam illarum, quæ tertiariæ dicuntur, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, super qua a nemine, nisi a Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) absolutionis beneficium possit impertiri, quovis modo ingredi audeat, nisi ab eo tempore, quo prædictæ Constitutiones ac Bullæ Apostolicæ emanarunt, novam eamque expressam et sufficientem a Sancta Sede Apostolica licentiam habeat, qua etiam ultra concessum modum non utatur. Abbatissis vero, Priorissis, Matribus, Conventibus, ac aliis Monasteriorum Superioribus et personis, quocunque nomine vocatis, districte præcipitur sub eadem excommunicationis pœna, necnon privationis dignitatum, beneficiorum, et officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ne in Monasteria, domos, et loca sua quenquam quovis prætextu ingredi faciant, vel permittant. Quin etiam sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis, prohibetur atque interdicitur omnibus et quibuscunque personis Ecclesiasticis et sæcularibus, ac etiam ordinum quorumcunque, etiam mendicantium regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis vel Superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessariis tantum ex decreto Concilii Tridentini tribuitur, Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus urgentibus duntaxat ingredi, neve Moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant. Prælati vero omnes tam sæculares, etiam Episcopali dignitate prædíti, quam regulares quorumvis ordinum Abbates, Præpositi, Priores, Ministri et alii quicunque Superiores, quibus cura et regimen Monasteriorum Monialium quovis modo incumbit, qui alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officii nituntur, non pro libito suæ voluntatis hujusmodi monialium septa ingredi, sed potius servare debent ipsi quoque regulam a Concilio præscriptam, ita ut facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria prædicta ita demum uti possint, si id faciant, in casibus necessariis, et a paucis iisque Senioribus ac religiosis personis comitati. Qui facultate hujusmodi, præterquam in casibus, uti præfertur, necessariis utentur, si Pontificalis dignitatis fuerint, ii pro prima vice, qua contrafecerint, ingressu Ecclesiæ interdicti, pro secunda a munere Pontificali et a divinis suspensi, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicati

existant: regulares vero omni officio ac ministerio privati excommunicationi similiter subjaceant. Casus autem necessarii sunt, ut Episcopi ingrediantur, in exemptis ad inspiciendam duntaxat clausuram, et in sibi subjectis etiam ad visitandum, regulares vero Visitatores ad visitanda, non modo clausuram, verum etiam monialium cellas et alia loca ac res Monasterii, Confessarius ad exhibenda monialibus infirmitate constitutis ac decumbentibus sancta Ecclesiæ Sacramenta, Medici, Artifices, et alii operarii hujusmodi ab Episcopo vel Superiore in scriptis approbati, tantum necessitatis tempore. Nulli etiam Abbatissarum, Priorissarum, aliarumve Monialium, quorumcunque ordinum ac statuum, graduum, conditionum, dignitatum, ac præeminentiarum existant, etiam a regia vel illustri prosapia ortarum, de cætero etiam infirmitatis, seu aliorum Monasteriorum, etiam eis subjectorum, aut domorum, parentum, aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione et prætextu, nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ aut epidemiæ, quæ tamen infirmitas præter alios ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumbit, etiam per Episcopum seu alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Episcoporum et Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit, vel etiam tempore belli aut obsidionis, ubi aliquod inde periculum vitæ aut castitatis imminet, præsertim in Monasteriis extra urbes positis, usque ad aliam, quoad hoc, Sanctissimi Domini Nostri dispositionem, a Monasteriis præfatis exire, sed nec in prædictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus, stare liceat. Aliter autem, quam ut præfertur, egredientes, seu licentiam exeundi quomodocunque concedentes, nec non comitantes, ac illarum receptatrices personæ, sive laicæ aut sæculares, vel Ecclesiasticæ, consanguineæ, vel non, excommunicationis majoris latæ sententiæ vinculo statim eo ipso absque aliqua declaratione subjaceant, a quo, præterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi nequeant. Et insuper tam egressæ, quam Præsidentes et alii Superiores prædicti eis licentiam hujusmodi concedentes, dignitatibus, officiis et administrationibus per eas et eos tunc obtentis priventur, et illi et illæ ad obtenta et alia in posterum obtinenda inhabiles decernuntur. Præterea nullis Monialibus etiam tertiariis liceat habere ostium, per quod ex Monasterio introiri possit in ipsarum Monialium Ecclesiam exteriorem, in quam sæcularibus ad Missas et divina officia patere solet accessus, sed omnino muro obstruatur: neque itidem liceat Monialibus etiam tertiariis egredi a janua Monasterii, quæ est pro clausura ipsius Monasterii, etiam ad claudendam aliam ulteriorem januam, qua patere solet aditus sæcularibus venientibus vel ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquiis destinata, quæ vulgo parlatoria vocantur, vel ad pulsandum ipsam januam clausuræ, quæ loca cum saltem pro causis prædictis patere soleant sæcularibus, extra clausuram censeri debent, etiam quo tempore clausa sunt. A prædictis tamen Constitutionibus et censuris eximimus tertiarias S. Francisci duarum domuum Ridlerianæ ac Pitrichianæ, in Civitate Ducali Monachiensi existentium, quas pro nunc ad nostras ordinationes peculiari scripto illis traditas tantum obligamus, quosque illis de propriis templis, qualia clausæ habere solent et debent, aliisque rebus ad constituendam clausuram necessariis recte prospectum sit, cum in præsenti ædificiorum statu nulla sit illis commoditas clausuræ debite servandæ. Mulieribus vero cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, et quacunque dignitate ac præeminentia præditis districte prohibetur, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, a qua non possint, nisi a Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolvi, præterquam in mortis articulo, ne domos et Monasteria regularium virorum, quorumcunque ordinum etiam mendicantium ingredi audeant, nisi quæ, postquam supradictæ Bullæ et Constitutiones Apostolicæ editæ sunt, a Sancta Sede Apostolica novam ingrediendi facultatem et licentiam sufficientem et expressam obtinuerint, qua etiam moderate, nec nisi juxta concessionis modum utantur. Ipsis vero Monasteriorum et Conventuum Abbatibus, Præpositis, Prioribus, Guardianis, et aliis Præsidentibus, quocunque nomine vocatis, et eorum Monachis, Canonicis, et Fratribus, sive mendicantibus sive non mendicantibus, sub privationis officiorum, quæ in præsentia obtinent, et inhabilitatis in posterum ad illa et alia omnia, et suspensionis a divinis ipso facto, sine alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere admittereve præsumant. Volumus etiam ac decernimus, idque sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrenda, omnibus Abbatibus, Præpositis, Prioribus, Guardianis, Abbatissis, Priorissis, Matribus, et aliis prædictorum Monasteriorum Præsidentibus quocunque nomine vocatis injungimus, ut præsentes literæ nostræ infra triduum a receptione publicentur, et inter Constitutiones perpetuo valituras describantur. In quorum omnium et singulorum fidem, robur ac testimonium præmissorum, has patentes literas confici et imprimi, ac sigilli nostri ordinarii impressione munitas, distribui et ad supradicta Monasteria Bavarica deferri fecimus et mandavimus.

Datæ Monachii, anno Dominicæ incarnationis MDLXXXII. die vero XIII. mensis Maji, Pon-

tificatus præfati Sanctissimi Domini Papæ Gregorii XIII. anno undecimo.

F. Felicianus Episcopus Scalensis N. A.
Joannes Fenzonus Secr.
de mandato etc.

XVIII. — In Hungaria ex aliquot annis propter publicas rerum angustias et calamitates perplures Episcopales sedes, Summo Pontifice annuente, non Episcopi titulares, sed administratores dignitate Episcopali ornati curabant. Gregorius enim prædecessorum suorum exemplo adeo Cæsari indulgendum esse censuit, ut illorum Episcopatuum reditus vel ad Turcas, qui regni confinia perpetuo infesta habebant, arcendos, vel urbes contra eosdem operibus muniendas liceret impendere. Cum autem hoc anno metus a Turcis in dies remitteret, Cæsar, poscente Cardinali Madrutio, qui tum Augustæ Comitiorum causa morabatur, Episcopalibus sedibus proprios pastores restituit, petiitque a Pontifice per Cardinalem Comensem, ut quos Præsoles ex jure patronatus designaverat, auctoritate Apostolica confirmaret. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 25. ep. 31.

Rm̃o in Christo Patri, Dño Ptolomeo Gallio, S. R. E. Tituli Sanctæ Agathæ Presbytero Cardinali Novocomensi etc. Amico Nostro Charissimo.

« Rudolphus II. Dei gratia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ etc. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Moraviæ, Comes Tyrolis etc. Rm̃o in Christo Patri, Domino Ptolomeo Gallio, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sanctæ Agathæ Presbytero Cardinali Novocomensi, amico nostro carissimo, salutem et benevolentiæ nostræ affectum. Reverendissime Pater, amice noster carissime. Cum Ecclesiæ quædam Cathedrales in regno nostro Hungariæ proximis hisce temporibus Pastoribus fuissent destitutæ, quod partim Prælati illarum e vivis excessissent, partim vero ad alias Ecclesias translati fuissent, nos pro nostro summo erga Ecclesias Dei studio non sumus passi, eas Prælatis diutius carere; quamobrem tam in defunctorum, quam vero in translatorum locum alios idoneos Episcopos substituimus, jurispatronatus nostri auctoritate nixi, qua in conferendis regni nostri Hungariæ beneficiis Ecclesiasticis instar antecessorum nostrorum Regum utimur. Eos autem Sanctitati Suæ pro accipienda Apostolica confirmatione præsentavimus, petentes obnixe, ut eam Sua Sanctitas absque alicujus annatæ solutione illis impertiri non gravetur, prout Paternitas Vestra Rm̃a ex litteris ad ejus Sanctitatem datis, fusius omnia intelliget. Itaque Paternitatem Vestram Rm̃am amice hortamur et rogamus, velit apud Suam Sanctitatem partes suas interponere, et efficere, ut gratis ipsam confirmationem dicti Prælati obtineant. Quæ res nobis erit gratissima, eamque de Paternitate Vestra Reverendissima omni benevolentia nostra promerebimur, quam bene valere cupimus. Datum in nostra et Sacri Romani Imperii Civitate Augusta Vindelicorum XIII. die mensis Augusti, anno Domini MDLXXXII. Regnorum Nostrorum Romani VII. Hungariæ ac aliorum X. Bohemiæ vero anno similiter VII.

Rudolphus.
Geor. Archiepiscopus Colocensis
et Administrator Jaurinensis.

XIX. — Temesvarinenses item in Hungaria, quos Gregorius anno superiore per Episcopum Stagnensem, cum tam egregium in eorum animis excolendis opus fecerit, recreaverat, Pontifici pro tam insigni in se collato beneficio quam maximas agunt gratias: propterea que eo majorem dolorem capiunt, quod tantum Præsulem præmatura morte abreptum amiserint. Deinde quo in misero versentur statu, perfusi lachrymis exponunt, obtestantur obsecrantque, ut schola instituatur ad juvenes aliquot erudiendos, quibus pastorum munus in tam desertis a viris Ecclesiasticis regionibus recte aliquando committi possit. Mirificis denique extollunt laudibus patrem D. Giurgevichium Ragusinum, S. Dominici alumnum. Damus supplicem Temesvarinensium libellum ex Serviano idiomate latine redditum a Simone quodam, Ecclesiæ Cathedralis Jadrensis Canonico. [*]

[*] Armar. VII. caps 7. n. 4.

Sanctissimo Domino Domino Nostro Patri et Pastori Sanctæ Ecclesiæ Papæ Gregorio XIII.

Jesus Maria, Sexto Februarii MDLXXXII. Temisvarii.

« Sancte Pater, post humilem reverentiam et post devota pedum oscula beatorum. Ab omnibus nobis fidelibus et humilibus Sanctitatis Vestræ, mercatoribus habitantibus in civitate Temisvarii reverentia et pax in Domino mittitur Beatitudini Vestræ. Deinde significavimus ei, his transactis diebus huc advenisse Reverendissimum in Christo Dominum Bonifacium Episcopum Stanensem, a Sanctitate Vr̃a nomine Sanctæ Sedis missum, qui non solum nos, sed omnem populum christianum, non hic dumtaxat, sed in omnibus locis regionis istius nimio gaudio complevit. Attulit enim abundantes gratias et dona spiritualia Sanctitatis Vestræ, et ea fuit omnium exultatio, et illud totius populi spirituale gaudium, ut vere cum populo Israel cantare poterant: Dñus visitavit populum suum; et cum Isaia Propheta: Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem missam a Sua Beatitudine. Sed hoc, quod gaudium nostrum et totius populi in lacrimas et luctum versum est ob mortem ipsius Domini Episcopi, Visitatoris Sanctitatis Vestræ, qui deposito hujus vitæ onere ad cœlos vocatus est, nobis relictis orphanis sine

solatio, qui sperabamus per ipsum a Sanctitate Vña plenitudinem gaudii, quia populo et ovibus Sanctitatis Vestræ se pastorem daturum dixerat, præsertim cum per totam hanc regionem a Danubio ad Erdallium usque nullus reperitur Ecclesiæ Romanæ religiosus, præter unum patrem Dominicum Giurgevich Ragusinum ex ordine Sancti Dominici, hic Temisvarii nobiscum morantem, patrem quidem et vitæ integritate et scientia admodum insignem, qui tum prædicationibus, tum disputationibus inimicos sanctæ fidei persequi non cessat, ita quod duodecim utriusque sexus hæreticorum filii abhinc duobus annis conversi sint, quorum aliquot inter Natalia festa, aliquot autem cum veniebant, baptizavimus: et demum hesterno die, quinto hujus mensis recepimus hæreticum Cavenistam, qui publice ante fores ecclesiæ errores, quos olim tenuerat, in manibus Rñi Episcopi Bosnensis Domini Antonii Matcovich abjuravit, per quem etiam ab excommunicatione absolutus est. De Servianis item anno proximo tres mulieres et vir unus pariter conversi sunt. Sciat quoque Sanctitas Vestra, quod tunc ipse Reverendissimus Episcopus, ovium vestrarum spirituali necessitate perspecta, scholam aliquot puerorum, favente gratia Sanctitatis Vestræ, constituere decreverat, qui deinde sacerdotes et animarum ovium Christi et Sanctitatis Vestræ pastores fierent. Quod opus si factum fuerit, brevi, fautore Domino Deo, nullus hic hæreticus Dei, sanctæ Ecclesiæ et Sanctitatis Vñæ hostis erit, et Deus bonorum operum retributor plenam mercedem Sanctitati Vestræ in cœlis exolvet. Quorum nihilominus filiorum nonnullos docet nunc idem Prædicator noster, sed nemo paupertatis causa scholam erigere potest, nec studium perficere: statim enim ut ad ætatem lucrandi panis attingunt, schola dimissa, eo se conferunt, ubi victum quærere possint. Hæc Sanctitati Vestræ significare voluimus, cui inest fidelium animarum cura, et Dominus Antonius Matcovich Episcopus Bosnensis plenus exponet necessitates populi vestri, quem rogamus, ut nomine nostro beatos Sanctitatis Vestræ pedes deosculetur, orantes Dominum Deum pro exaltatione et felicitate Beatitudinis Vestræ, per quem nobis benedictionem impertiri supplicamus.

Sequuntur subscriptiones societatis mercatorum universitatis Temesvarinensium.

Quamvis P. Giurgevichius in opere evangelico faciendo plurimum insudarat, tamen propterea quod Hungaricam non ita bene calleret linguam, et minus quam oporteret, eos juvaret, iterum a Pontifice expostulant, ut qui conciones ad sese habere posset, doctum sacerdotem mitteret; præsertim quod tres tantum ipsi haberent sacerdotes, quorum inopia fieri, ut hæreticorum conatus haud cederent in cassum. [*]

[*] Armar. VII. capo. 7. N. 3.

Beatissime Pater, post humilem pedum deosculationem Tuæ Sanctitatis, salutem ac pacem in Domino Jesu.

« Nos Christiani, qui habitamus in hac urbe Temeswar, omnes uno corde oramus Deum pro Sanctitate Tua, et libenti animo accepimus, quod Tua Sanctitas visitaverit nos per suum Legatum et Apostolum, illumque cum bona voluntate suscepimus, sed quo majorem lætitiam nobis attulit adventus illius, eo majore mœstitia affecit obitus illius. Quia si Deus illum de hac vita non sustulisset, pollicebatur se omnibus nobis Christianis magno adjumento futurum apud Sanctitatem Tuam, et a Sanctitate Tua se impetraturum, ut nobis et Christianis omnibus ad salutem esset, et unam scholam, vel unum locum studendi paratum sumptibus Sanctitatis Tuæ, ubi pueri possint studere et fundamentum percipere, quo confirmarentur, et Lutheranorum errores exstirparentur, et Deo adjuvante tales evadant, ut hic dignitate sacerdotali fungi possint, et miseras oves dirigere; quia si in hac ditione essent sacerdotes, fides hæretica non adeo pervulgata fuisset, sed circa nos non habemus in tota ditione nisi tres sacerdotes, quorum unus est inter nos, qui vocatur Dobronichi frater Dominicanus, qui etiam nescit concionari Hungarice; nihilominus tamen docet aliquos pueros, multi autem inter nos sunt redacti in paupertatem, ad quam nos adegerunt Domini nostri, et propterea non possunt pueri inter nos versari, quia nec habent præceptorem, nec illum possunt solvere, nec habent victum et amictum, et propterea non possunt dare operam studiis, sed a Tua Sanctitate petunt auxilium, et id quod petimus a Tua Sanctitate, speramus nos impetraturos tanquam a Pastore animarum. Hoc etiam volumus Tuæ Sanctitati significare, quod veniunt aliquando, qui secundum suam fidem populum seducunt, et perturbant suis erroribus. Propterea petimus a Tua Sanctitate, ut velit nobis mittere doctorem, qui calleat nostram linguam, et possit resistere doctrinis illorum. Nihil aliud petimus a Tua Sanctitate nos omnes, et humiliter Deum oramus pro Sanctitate Tua. Datum Temeswar 8. die Martii 1582.

Sequuntur subscriptiones.

XX. — Cimarenses in Epiro Albanitarum haud prætermissi a Gregorio sunt: eisdem confirmat, nihil se antiquius habiturum, quam quod ipsi cuperent, de tota Græcia communibus Catholicorum Principum opibus ab Turcarum potestate eximenda, si quando id fieri possit. In eo tamen suas omnes cogitationes et vota verti, ut universa Græcorum gens sanctiori cum Christianis Principibus conjunctione aliquando devinciatur, et cum Sede Apostolica una ea-

demque fidei professione in unum corpus coalescat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 142. f. 110.

Dilectis Filiis Consilio et Populo Cymarræ, aliorumque locorum cum eo conjunctorum.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Gratissimæ fuerunt Nobis vestræ literæ communi nomine scriptæ: erant enim plenæ pietatis et studii sanctæ Religionis, Deique gloriæ propagandæ. Communis est vobis hæc voluntas atque ardor cum cæteris Christianis Principibus, sed tam multis impediuntur undique suarum rerum difficultatibus, tam gravibus, tamque intestinis distinentur a rebellibus atque ab hæreticis periculis, ut quod semper optarunt, præstare non possint, ut communibus copiis adversus communem hostem vobis auxilio sint. Nos quidem sanguinem ipsum libentissime profunderemus, ut universam Græciam cum Romana Ecclesia, in qua semper viguit fides Catholica, non humana tantum potentia, sed quod summopere optandum est, una eademque sacramentorum et fidei professione et cultu conjunctam videremus; sed ut hoc liceat a Divina bonitate expectare, sic vos in ista tam præstanti voluntate perseverate, eamque Dei gratiæ acceptam referre. Ubi vero nostris, cæterorumque Catholicorum Principum communibus opibus id, quod postulatis, tentari ac perfici posse intelligemus, nihil cedet nostrum studium vestro desiderio, in aliis Catholicis Principibus ad tam præclarum facinus incitandis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima septima Februarii, millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Pontificatus Nostri anno decimo.

Aliis litteris incredibili eosdem Cimarenses caritate complexus, in fide retinenda a patribus accepta confirmat; simulque per Zagnam, quem Romam miserant, nonnullis pietatis munusculis donatos a se voluit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep. 78. f. 200.

Dilectis Filiis Alexio Prothonotario, Senioribus, Populo et Consilio Cimarræ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Accepimus vestrorum omnium literas, audivimus etiam ea, quæ dilectus filius Nicolaus Zagoa diligenter exposuit: nihil unquam legimus, aut audivimus libentius: perspeximus enim vestram fidem, constantiam et devotionem erga hanc Sanctam et Apostolicam Sedem. Itaque incredibiliter lætati sumus, et Deo gratias egimus, quantas potuimus maximas, et vos cogitatione atque animo sumus amplexi tamquam filios in Christo charissimos. Gratulamur etiam vobis, hoc enim vere bonum est, et omni gratulatione et laude dignum, Deum syncere sancteque colere, hoc est incorruptam, et usque a sanctissimis Apostolis continuatam Sanctæ et Catholicæ Romanæ Ecclesiæ fidem amplecti et retinere; quod quidem fecerunt omnes omnium nationum Episcopi, cæterique omnes, quos suæ ipsorum salutis cura et studium maxime tenuit. Egimus ergo agemusque perpetuas gratias Deo, vosque ut filios optimos semper commendatos habebimus. Dedimus Nicolao nonnulla, quæ vobis commoditati atque utilitati fore arbitrati sumus; ea ipse ad vos perferet. Retinete optimam istam, quam a Deo habetis, voluntatem, inque fidei synceritate, et vitæ ac morum sanctitate perseverate, hancque ipsam perseverantiam (est enim magnum Dei munus) a Domino postulate: qui enim dedit velle, dabit etiam perficere, cumulabitque in dies vos gratia ac donis amplioribus. Nos quoque in nostris orationibus vestri memores erimus, utque bona omnia vobis ex animo cupimus, sic ea vobis a Domino Deo Nostro precabimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima secunda Decembris MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

XXI. — Helvetios monet, ne patiantur Episcopum Lausanensem ab hæreticis ejectum, diutius sede sua carere. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII Ann. X. ep. 195. f. 139.

Dilectis Filiis XIII. Pagis Helvetiorum.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Episcopum Losanum jamdiu sua civitate carere et ipsi scitis, et indignum vobis id videri, humanitas vestra et justi æquique studium facile persuadet, efficitque, ut speremus, nostram cohortationem ab optima voluntate profectam minime a vobis repudiatum iri. Hortamur igitur vos et rogamus, ut Episcopi restituendi curam suscipere velitis, quodque in privato quovis homine fieri solere, rectumque esse intelligitis, ut unde quisque ejectus est, eo restituatur, hoc in Episcopo faciatis, curetisque, ut possit tuto libereque in sua civitate versari. Convenit hoc magnopere et causæ æquitati, et personæ ipsius dignitati, et vestræ gloriæ. Aget etiam vobiscum hac de re mandato nostro, qui has vobis litteras reddet. Pergratum Nobis facietis, si ejus verbis omnem fidem tribueritis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die duodecima Maji, millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Pontificatus Nostri anno decimo.

XXII. — Peculiaris etiam causa accesserat, qua Helvetii ad obsequendum Pontifici moverentur. Nam Gregorius ad eorum juvenes sacris litteris informandos, collegium sane amplum et magnificum Mediolani superioribus annis conditum, hoc anno per resignationem amplissimi beneficii Ecclesiastici a Cardinali ab Altaemps factam, perpetuis redditibus auxerat. Cujus tanti beneficii in se collati gratiam testatam esse his ad eum litteris voluerunt. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 33. fol. 190.

Sanctissimo Domino Domino Nostro Gregorio Papæ XIII. Domino Nostro longe omnium Colendissimo.

« Bme Pater. Post sanctissimorum oscula pedum, Sanctitati Vestræ officia nostra quæque promptissima, filialemque obedientiam humillimis et devotissimis mentibus offerimus. Non possumus non summas Deo Opt. Max. ex intimis visceribus gratias agere, cum videamus ejus clementia Ecclesiæ suæ hisce ultimis et corruptissimis temporibus tam bene consultum, eique ex singulari ipsius Dei Opt. Max. providentia S. V. præfectam esse. Nam quæ et quanta egregia et sancta opera pro resarcienda et recuperanda Catholicæ fidei veritate Sanctitas Vestra (quæ in eum finem summa vigilantia a tot annis indefesse incumbit et laborat, nullis sumptibus neque sudoribus parcens, nihilque intermittit, quæ verum patrem et pastorem decent) instruxerit, et semper præ manibus habeat, innumerabilia loca et hominum ora per totum ipsum universalem orbem testantur, quod etiam pars contraria, etsi invita fatetur. Cum itaque consideraremus, et in mentem revocaremus summum illum paternum amorem, quo Sanctitas Vestra nos uti humilia quædam ipsius Ecclesiæ membra semper prosequitur, crebraque et specialia illa beneficia, quibus nos clementer exornat, quod inter alia magnificentissimum illud Collegium, quod ipsa S. V. proximis annis proprio motu, et liberalissimo animo pro imbuenda alendaque Helvetica juventute ad Dei gloriam, necnon Ecclesiæ Catholicæ, et patriæ sive nationis nostræ ornamentum ac utilitatem in urbe Mediolanensi instruxit, apprime declarat, unum illud superesse nobis videtur, ut sibi semper devinctissimos reddamus et exhibeamus. Sicut enim Sanctitas Vestra res nostras semper cordi habet, et in eo nemini cedit, quin paternum illum amorem comitantibus beneficiis erga nos magis atque magis continuat et auget: ita et hoc peculariter nos illi obstringit, quod sicuti percepimus Sanctitatis Vestræ ope ac opera præfatum Collegium Mediolanense, in quo nostri aluntur, annuis redditibus fortuuisque per resignationem Rmi ac Illmi D. D. Cardinalis Ab Alta Emps, Domini nostri gratiosissimi, insignis cujusdam beneficii ecclesiastici egregium subsidium et augmentum consequutum esse; nihil ideo decentius, nihil condignius esse duximus, quam illud devotissimis et humilissimis mentibus recognoscere, et Sanctitati Vræ gratias quas possemus maximas agere, sicuti et hisce agimus, eandem humiliter et supplices rogantes, ut nos et omnia illa quæ ad nos spectant, tum etiam prædictum Helveticum Collegium non minus, quam hactenus ea et solita sua gratiosa ac paterna clementia commendatos habere dignetur. Nos vero nullam unquam occasionem, qua Sanctitati Vestræ et huic Sanctæ Sedi humiliter gratificari, devotissimaque servitia, et omnia ea, quæ parentes a filiis obedientibus expectari possunt, debita officia exhibere poterimus, negligemus, mediante gratia divina, quam suppliciter exoramus, ut Sanctitatem Vestram in Ecclesiæ suæ necessarium solamen quam diutissime, bonaque valetudine ac prosperis eventibus conservet. Datæ nostroque omnium nomine amantissimorum et antiquorum Confœderatorum nostrorum Lucernensium, Civitatis Sigillo secreto communitæ, die ultima Aprilis 1582.

Sanctitatis Vestræ

Obedientiss. et devotiss. filii

Sculteti, Amani et Senatus septem Cantonum Catholicorum Helvetiorum Lucernæ, Uraniæ, Svitiæ, Subsilvaniæ, Tugii, Fryburgi et Solodori.

XXIII. — Heic vero meminisse præstat, celebrem illum virum Joannem Frobenium Basileensem, cum Manutiis, Juntis ac Stephanis arte typographica comparandum, anno superiori vertente Romam venisse, atque alterius cujusdam artis per summum astum specimen dedisse. Quamvis enim Lutheri dogmatibus apprime esset deditus, tamen pro Catholico se gessit, talemque Romæ haberi voluit. Pontifex summa, qua uti solebat erga viros litterarum splendore illustres, urbanitate eumdem excepit, ita ut Frobenius tanta devinctus benignitate, non modo cum tota familia Romam commigrandi, ibique manendi consilium ceperit, verum etiam quod in præsens plurimum sua interesset, auctoritate Pontificis in suum commodum fuerit usus. Cum enim is. ut superius narratum est, Basileæ libros Thalmudicos summa cura, magnisque sumptibus typis excudisset, Judæis vero, qui hoc ei negotium mandaverant, pecunias expensas, ut receperant, solvere negantibus, a Pontifice petiit, ut res suas et Cæsari et Ferdinando Archiduci Austriæ vehementer commendaret. Gregorius, qui nihil de ejus simulatione suspicaretur, lubentissimo animo, ac magnis quidem viri laudibus id præstitit. (*)

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ. [*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 135. f. 109.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Certissimum habemus, jus atque æquitatem summopere Tuæ Nobilitati cordi esse, gravissimeque dolos et fraudes odisse; quo etiam majorem spem habemus, negocium dilecti filii Frobenii fore Nobilitati Tuæ quam commendatissimum; id certe percupimus. Postulaverunt Judæi quidam a Frobenio, in ea re nobili artifice, ut excuderet libros quosdam Thalmudicos certo pretio; pollicitique sunt sese opere confecto statim precium persolutu-

ros. Præstitit Frobenius summa fide quod receperat, ubi vero pecunia petitur, Judæi diffugiunt, alius alio; unus ex his cum conjuge et bonis Gunspurgum ad Simonem quendam socerum suum, ut ajunt, prædivitem, qui etiam miris technis per filium suum ludificari Frobenium cœpit. Certat igitur fides hominis Christiani, viri optimi cum Judæorum fraude ac perfidia. Rogamus Nobilitatem Tuam, quantum possumus, ut jubeat Frobenio satisfieri, omnia ex ipso atque ex suis fusius apertiusque cognosces. Erit hoc Nobis gratissimum. Illud etiam significandum putavimus, magnopere cupere Frobenium ex hæreticorum locis ac turba discedere, jamque sibi sedem in hac nostra urbe collocasset magna nostra cum voluntate, si conjugem ac suos adducere potuisset, ut vellent in Italiam venire. Speramus, si Nobilitas Tua eum invitaret, non recusaturum, tuis autem locis perutile, Tuæque Nobilitati perhonorificum fore, tale artificium istic exerceri ab homine Catholico, inque eo genere, ut omnes norunt, peritissimo ac diligentissimo. Verum hac de re facies, quod melius esse judicaveris; illud certo alterum negocium pecuniarum commendamus Nobilitati Tuæ, quantum possumus, quantumque jus ipsum atque æquitas exposcit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Februarii MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno decimo.

Frobenius aliquot post menses in patriam reversus, Friburgum se contulit ad typographiam Catholicam illic instituendam. Qua etiam in urbe mirifica arte id est consequutus, ut Catholicus existimaretur, et præcipuos ex Friburgensibus viris per eam simulationem falleret; etiam Petrus Canisius e Societate Jesu de re Catholica optime meritus, sanctimonia et doctrina clarissimus de Frobenio ad Cardinalem Comensem scripsit iis verbis, quæ ostendunt per illud tempus fraudulentum Frobenii animum nondum certo cognosci potuisse. (*)

(*) Helvetia Vol. I. fol. 111.

Reverendissimo in Christo Patri et Illustrissimo Domino Cardinali Comensi, Patrono Amplissimo.

Pax Christi Jesu nobis æterna.

Illm̃e et Rm̃e Domine.

« Novit Amplitudo Tua Illustrissima Joannem Frobenium typographum Basileensem, qui superiore hyeme quum Romæ versaretur, Sm̃o Dñ̃o Nostro Pont. Max. fidem dederit, se aliquod fidei suæ specimen post menses exhibiturum esse. Is nuper vocatus ad Catholicum hoc Helvetiæ oppidum venit, ac suam paratam obtulit operam ad typographiam Catholicam hic erigendam. Nondum quidem transacta res est, quæ ut maxime non succedat, desiderat is tamen sedem sibi certam apud Catholicos figere, ac suis typis, ut affirmat, quoad fieri poterit, de fide Catholica bene mereri. Ego vero ea de re non monerem, et occupatissimum Præsulem hoc scripto non interpellarem, nisi ut scriberem, amanter ab illo provocatus et impulsus fuissem. Cæterum de me ac Friburgensis hujus collegii primordiis, quæ Sm̃o Domino Nostro tam multum debent, et non male succedunt, hoc unum dicam, quod ex animo percupiam, conatus nostros in hac Republica Dignitati Tuæ Amplissimæ, et per illam ipsam Pontifici Max. nostræque Societatis Patrono clementissimo semper commendatos esse. Dominus Jesus et illius Beatitudinem in terris diu incolumem, et Celsitudinem Tuam nostris rebus faventem usque custodiat ad communem Ecclesiæ Catholicæ utilitatem. Friburgi Helvetiorum 4. Junii 1582.

Illm̃æ Celsitudinis Vestræ

Servus in Christo

Petrus Canisius de Jesu Societate.

Verumtamen fieri non potuit, ut Pontificem fraus et impudentia Frobenii diutius lateret: Friburgenses itaque extemplo monuit, ut hæretico homini nullam ibi manendi copiam facerent. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. XI. ep. 27. f. 160.

Dilectis Filiis Senatui Friburgensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Decepit Nos Frobenius mirifice, qui cum ad Nos venisset, simulavit, se Catholicum esse, nec quidquam magis cupere, quam Romæ vitam degere; prohiberi autem se uxoris voluntate, quæ negaret posse Germania abesse; voluit etiam per Nos vobis commendari. Nos vero neque hæreticum hominem unquam commendavissemus; nec punctum temporis apud Nos esse pati potuissemus: eodem animo esse vos, vestra pietas spectatissima Nos dubitare non sinit. Quo etiam magis miramur hominis improbitatem atque impudentiam; sic enim scribitur ad Nos, recusare illum Catholicam Religionem profiteri; postulare etiam sibi, uxori, familiæ universæ liberum suæ religionis cultum atque arbitrium; velle autem in eo permanere sine ulla Catholicorum offensione. Summa fraus est vestræ gloriæ, et Catholicorum nomini summopere adversaria. Quenquamne Christianum haberi posse, qui recuset Catholicam, hoc est Christianam fidem profiteri? Qui me erubuerit et meos sermones, ait Dominus Noster, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in Majestate sua et patris sanctorum Angelorum. Audere etiam sperare et postulare, sibi a Catholicis permissum iri, ut liceret sibi in ipsorum Republica ab ipsis dissidere? Nemo hoc pateretur in rebus civilibus; sperabit igitur miser ille, hoc vos adversus cælestia ac Divina decreta passuros? insanit. Rogamus atque obsecramus, ut quod apud vos cum vestris animis statutum ac deliberatum habetis, quamprimum omni cum

libertate proferatis, decernatisque; neque ullam tali homini vestris in locis commorandi spem relinquatis; certissimumque habeatis, multo plus dedecoris ac damni ab illius perfidia ad vestram Rempublicam perventurum, si quidem istic vivere permitteretur, quam possit ab illius opificio lucri pervenire. Caruistis hactenus illius opera, semperque in magna pietatis ac religionis laude versati estis, carebitis etiam eo majore cum gloria, quo certius intelligetur, illum ob vestrum perpetuum Catholicæ Religionis zelum istinc pulsum esse. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die xxv. Augusti MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

XXIV. — Rex Poloniæ hoc tandem anno belli cum Mosco gerendi finem fecit, pace die decima quinta Januarii in pago Kiwerowa Horka in decem annos cum eodem firmata, cujus jungendæ potissimus ex Pontificis mandato auctor extitit Ant. Possevinus e Societate Jesu: ex qua haud scio an Poloni plus damni quam utilitatis acceperint. In confesso enim fere est apud omnes, quod si Rex a bello tot victoriis illustri, tamque feliciter gesto non cessasset, conclamatum de Moscovia fuisset. Nihil vero est, cur diutius in hac pace enarranda immoraremur, cum in promptu sint, quæ fuse ab ipso Possevino in celebri suo opere de Moscovia descripta sunt. [*] Ex pacis conditionibus Livonia universa, quæ in Moschi erat potestate, Polonis adjuncta est: qui rursus illi arces proximo biennio captas reddiderunt. Illud etiam ex usu utriusque gentis fuit, quod utrinque per ccc. passuum millia ab incursionibus, vastationibus, cædibus, aliisque, quæ grassari per belli tempus solent, cladibus cessatum est. De Nerva aliisque in Livonia castellis a Sveco occupatis acrior disceptatio erat, affirmantibus Polonis, ea loca Moschorum astu ac dolo in Svecі potestatem venisse.

[*] De Moscovia, Coloniæ 1587. in fol. pag. 88-115. Videq. Turgenevii hist. Russ. Mon. Tom. I. pag. 378-391.

XXV. — Joannes Zamoiskius Magnus regni Cancellarius, qui et in exercitu supremus Præfectus agebat, vir tam litteris quam rerum agendarum dexteritate clarissimus, cui parem Polonia vix unquam habuit, ut primum firmatam pacem cognovit, obsidionem Plescoviæ invitus quodammodo solvit et in Livoniam contendit, ut hanc provinciam Regis ac Reipublicæ nomine ab hoste acciperet. Qua recepta nihil ei antiquius fuit, quam ut avita religio, quæ ante multos annos ex his regionibus exulaverat, postliminio rediret. Itaque Possevinum exoravit, ut sacerdotibus, qui sacra apud se in castris curabant, facultatem, si qua ejusmodi ei inesset, tribueret Ecclesiis, quæ in usum Protestantium cesserant, utendi, ibique officia divina faciendi: magno enim se teneri desiderio, in Ecclesia Cathedrali Derpatensi Deo Optimo Maximo gratias agere. [*]

[*] Germania Vol. 51. fol. 152.

Reverendissimo Domino Antonio Possevino S. D. N. Nuncio, Amico Chariño et Obserño.

Rñe Domine, Amice Charissime

« Quod hæc pars orbis Christiani pacificata sit, imprimis Deo Optimo Maximo gratias ago, cujus nutu hæc omnia geruntur, inde vero Dominationi Vestræ gratulor et gratias habeo, quod et hoc negocium per illum perfectum sit, et quod utriusque partis causa tantum laboris susceperit. Ego etsi fatear, me non ita esse pusillanimem, ut leviter quamvis rem incipiam, et leviter post statim deseram, tamen non ita ambitiosus sum, quemadmodum me quidam accusat, ut sanguine potissimum Christiano fundendo gloriam mihi parare velim, cum non desint occasiones aliunde si possim quærendæ. Faxit Deus Optimus Maximus, ut Dominationi Vestræ ea, quæ sunt deinceps procuranda a Dominatione Vestra ad laudem Dei Optimi Maximi tum in Moschovia tum in Oriente, illi pari fœlicitate succedant. Non dubitet Dominatio Vestra me operam daturum esse, ut in ordinanda provincia Livoniæ cultus Dei Optimi Maximi a Regia Majestate cura imprimis habeatur. Rogo, si Dominatio Vestra facultatem habet indulgendi, ut in Ecclesiis pristinis Livoniæ ab initio in usum religionis Catholicæ exstructis, deinde vero in illa casuum varietate, quæ Livoniam exercuit, in aliarum religionum usus conversis, liceat sacerdotibus meis sacra celebrare, ejus indulti literas mihi quamprimum mittat; teneor enim cupiditate in Ecclesia Episcopali Derpatensi, cum exercitu universo, immortali Deo pro beneficiis acceptis gratias agere. Vehementer etiam rogo, si fieri potest, perficiat Dominatio Vestra, ut a Magno Domino scire possim, si quando contra illos (scit Dominatio Vestra quos dicam) aliquid tentabit, sive hoc, sive altero, sive tertio anno, modo sciam. Commendo me benevolentiæ Dominationis Vestræ. Datum ex castris ad Pleschoviam die 19. Januarii 1582.

Dominum Febrzydovium commendabo Regiæ Majestati.

Rñæ Dominationis Vñæ amicus

JOANNES ZAMOISKI CANCELLARIUS ET GENERALIS.

Derpatum cum Zamoiskius venisset, facultate a Possevino facta, solemnes Deo Optimo Maximo gratias non quidem in Cathedrali, cum impedita esset maxime, sed in Parochiali ecclesia egit. Hæc cum aliis rebus Regi retulit per litteras pietatis et fidei suæ in Deum testes: in quibus haud scio an christiani hominis magis, quam generosissimi viri partes egerit in eo, quod Regem suum aperte admonuerit, esse plane ejus muneris in id tota mente insistere, ut in ea provincia fides Catholica instauretur. [*]

[*] Polonia Vol. 19. fol. 122.

Sacra Regia Majestas, Domine Domine Clementissime.

« Cum venissem huc ad Derpatum, atque in proximo Monasterio divertissem, misi ad aulicum Mosci ad urbem tradendam designatum, Dominum Nicolaum Tebczidowschi et Dominum Stanislaum Tolvewski qui dicerent, me jam scire oportere, utrum urbem tradere velit, an ludat: itaque prorsus die Jovis excedere debere, ni faxit, me exercitum in ditionem Principis ipsius ducturum; non me posse existimare, hæc fieri ex mandato Principis. Ille vero quod negotium ducat, utrum faciat ex re Principis sui, necne, Principem suum judicaturum, ad quem ego de eo per Legatum Pontificis relaturus sum: quod exercitus Svecicus occasione hac arrepta inter hanc cunctationem, existimans pacem inter nos solidam non esse, in Moschoviam irruperit. Ex usu igitur illorum Principis fuisse neque hanc occasionem audendi hosti dare, et si ausus fuisset, deductis ex arcibus Livoniæ mature præsidiis exercitum validiorem ad excipiendam ejus vim paratum habere. Ad hæc ille causatus paucitatem Podvodarum rogavit, ut sexaginta equis adhuc juvaretur, se educturum Moschos die Jovis vel ad summum die Veneris. Dedi meos equos, atque ita hodie Derpato excessere, nostri vero immigraut; me hic expectare necesse est equos meos dum Pleschovia reducuntur. Interim etiam responsum a Majestate Vestra ad literas per Pithovium missas accipiam. Die Dominico in templo parrochiali (nam cathedrale magis corruptum est) elata inde siligine et avena Moschi, locoque a meis sacerdotibus, indulgentia a Possevino concessa, expiato sacrum et concionem audiemus, rudibusque ac plane militaribus modis, sed non ingratis erga Deum animis, Te Deum laudamus, omnes canemus. Atque ita Carnisprivium hoc minus quidem madidi et lauti, quam illi, qui erunt Vilnæ lætissimi, tamen exigemus reputantes magnum Dei Optimi Maximi beneficium erga patriam nostram, et erga Majestatem Vestram, quem hujus beneficii authorem et effectorem esse voluit, divinique consilii vim occultam admirantes, ut cum una cum religione vera ejus urbis fundamenta jacta fuissent, unaque cum divino cultu urbs ipsa creverit, deinde luxuriantibus animis, ac inter gravissima alia peccata ad extremum a recta fide erga Deum discesserit, barbarus hostis immissus sit, qui viginti aliquot annis in eam sæviret, et ornamentis templorum a novæ doctrinæ hominibus sublatis et corruptis, ipse cadavera etiam piorum Episcoporum ex sepulchris erueret, ut tandem post tot annos, Principem in regione longe ab hac provincia remota natum ad regni vicini fastigium vocaret, per eumque suum cultum in urbem auspiciis religionis conditam, et amplificatam longo intervallo reduceret. Est quod, et ipsa Majestas Vestra diligenter secum ipsa cogitet, et ex animo Deo Optimo Maximo gratias agat, atque ad gloriam ejus utilitatemque populorum subditorum, ad quam procurandam Deus illam excitavit, omnes actiones suas referat. Curabo ut in hac urbe maneat Thomas Lanchovicius sacellanus meus, sacerdos diligens, pius, ac doctrina etiam ipsa Possevino commendatus. Perquiram etiam de pristinis possessionibus parrochialis Ecclesiæ; ut de iis Majestatem Vestram certiorem reddere possim; interim vero pecuniam aliquam illi relinquam, qua se sustentet. Hæc nulla mora interposita facienda videntur, donec Majestas Vestra majora, quæ ad laudem Dei in hac provincia propagandam molitur, ipsa perficiet. Structura templi Cathedralis non magna opera et impensa restitui poterit. Urbs est ipsa non parva, et ædificiorum ipsorum tam publicorum, quam privatorum forma satis demonstrat, non modicas opes se habuisse. Aliqua ex majoribus tormentis opus est huc inferre, quem ut primo quoque tempore Novogrodeco adducantur, Rozen operam dabit. Inde etiam pulveres et globi advehentur. Præsidium etiam justum militum a me relinquetur. Svecos ego existimo non longius, quam ad Narvam et Jwanogrodum processuros. Commendo me in gratiam Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ, Domini mei clementissimi. Datum Derpati die XXIII. Februarii anno Domini 1582.

Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ

Fidelis subditus ac servitor

JOANNES ZAMOISKI.

XXVI. — Quod Rex sua sponte quamprimum facturus esset, non est quidem inficiandum, id et Cancellarii religione, opera et cura factum esse. Itaque Rex nefas ratus, si prius sibi quam Christo Livoniam subjecisset, Rigam confestim contendit, Georgium Radivillum Antistitem Vilnensem et Melchiorem Giedoyc Antistitem Samogitiæ, deque societate Jesu Martinum Laternam et Petrum Scargam secum ducens, ut coram ipse primas obstantium moras perrumperet, et pietatem jam diu exulem regio quasi comitatu reduceret. Tum ad Cromerum Varmiensem Episcopum, ex institutis in ejus Braunsbergensi Seminario sub disciplina Societatis Jesu, atque ad Gregorium Pontificem et ad Aquavivam Generalem litteras dedit, ex Societatis Jesu hominibus Sacerdotes et Evangelii præcones postulans, quos per Livoniam spargeret. Livoniæ Metropolis Riga est, Archiepiscopatu olim et Canonicorum Collegio nobilis. Hac tempestate in magno civium numero nullus aperte sinceram ac veterem fidem, nova omnes Augustani figmenta symboli sequebantur. Cœnobia, quæ olim Religiosorum fuerant, dudum profana fecerant. Unum restabat Monialium Cisterciensium, in quo tres repertæ sunt decrepi-

ta jam ætate virgines, in quibus castæ religionis in tota pene Livonia extinctæ scintilla ad eam diem vixerat. Hanc igitur cum primum Rex urbem Rigam intravit, suum Senatum alloquens, exponit consilii sui esse, ut Catholica religio ac verus Dei cultus, quo ejecto Livonica tota Respublica, salusque omnium pessum ierat, in eam Provinciam revocetur; statimque maximo omnium consensu decretum pro religione Catholica instauranda fit. Cujus decreti Senatorum quosdam hæreticorum brevi pœnituit: qui cum revocare ipsi, quod fecerant, nec auderent, nec possent, ut religionis suæ confirmationem a Rege peterent. Ad eam petitionem Rex cum Livonibus cæteris respondisset, omnia sibi jure belli in eos ut armis subactos licere, Rigensium autem, qui sponte anno superiore tradiderant se, inque jus Polonici fœderis recepti erant, aliam esse rationem, convocato Civitatis Senatu Cathedrale templum tradi sibi postulabat Catholicorum in usus.

XXVII. — Jam vero heic præstat inserere, quæ idem Pater Scarga, vir inter sancti Ignatii filios clarissimus, qui Regi a confessionibus erat, nobis in sua relatione scripta reliquit de ipsa Riga urbe, quæ caput Livoniæ habebatur, de Protestantium conditione et voluntatibus, de ratione, qua celerius fides Catholica restitui posset, de ipsius Regis ejusque aulicorum admirabili pietate et religione, dum Rigæ versabantur, deque iis, quæ a Rege vel cœpta vel statuta in tota Livonia sunt ad Ecclesiæ Catholicæ commodum. [*]

[*] Polonia Vol 19. fol. 126.

« Veni Rigam xv. Martii, quo me ante triduum Rex prævenerat, quem hac eadem die, qua civitatem sum ingressus, in senatu suo proposuisse intellexi, consilii sui et mentis esse, ut Catholica religio et verus Dei cultus, quo extirpato et in exilium misso tota Respublica Livonica omnium libertas et salus corruit, in hanc provinciam reducatur et fœliciter. Tandem ad salutem animarum et divinæ veritatis illustrationem S. Ecclesiæ Romanæ fides plantetur. Maximo omnium Senatorum, et quod mirum accidebat, ipsorum etiam hæreticorum consensu decretum pro religione Catholica restauranda editum est. Summo itaque gaudio ea ingressus mei die perfusus sum. Sequentibus post diebus hæreticos quosdam Senatores decreti illius pœnituit: et cum jam rem factam ipsi impedire non possent, occulte Nobilitatem Livonicam et Rigensem subornarunt, ut suæ religionis hæreticæ confirmationem a Rege peterent. Exhibebant privilegia quædam ab hæreticis Senatoribus, qui quondam Livoniam in fidem Regis Augusti recipiebant, quibus integrum hoc illis esse, ut suam religionem retinerent, probabant: sed Regia Majestas merito restitit, et in Livonia, quam postea a Moscho occupatam solis armis sine ulla eorum libera deditione subegit, pleno se jure suo posse ostendit. Porro quod Rigense exitium belli cum Moscho animadvertentes, et victoriam Regi totiusque Livoniæ recuperationem ominantes, uno ante anno in verba Regis jurassent, subjectionemque ac civitatis deditionem fecissent, illudque etiam consecuti fuerint, ut in jus illud Poloniæ Confederationis reciperentur, nec cogi ad relinquendam hæresim possent, cum illis benignius Rex agere cœpit. Cum quibus quid tandem composuerit pius ac religiosus Princeps, referam, ubi prius Rigam breviter descripsero. Civitas est quæ semper caput Livoniæ censebatur, habuit Archiepiscopum, Cathedraleque templum cum Archiepiscopi et Canonicorum aliorum curiis: habet insignem portum maris Oceani, a quo uno milliari distat, et latissimum fluvium Dunæ ibidem se in mare exonerantem, supra quem est Polocia illa, armis Regis recuperata, et collegio nostrorum ab eodem victore exornata, quæ cum hac civitate propter crebram et valde opportunam navigationem est convinctissima. Munita est fortissime, quam nunquam aggredi est ausus Moschus, licet omnia undique possideret. Nullus hactenus ex Civibus præter peregrinos quosdam Germanos apertus in ea Catholicus emersit: omnes confessionem Augustanam profitentur. Est populosissima, et non parva, ministros hæreticos habet ultra duodecim, sed rudes omnes et indoctos, et qui nobiscum etiam a suis incitati, ne verbum quidem de religione conferre audent: provocare eos thesibus propositis ad disputandum voluimus; sed et Rex ipse dissuasit. Tria habet insigniora templa, Cathedrale S. Mariæ, quod vel maxime a civibus frequentatur, Parrochiale S. Petri, et S. Jacobi, quod omnium est minus et omnium antiquius. Huic antiquum est monasterium monialium Cisterciensium S. Benedicti, in quo hactenus toto hoc tempore hæreseos tres virgines monachæ decrepitæ repertæ sunt, et fidei Catholicæ et vitæ integritate solæ levitatem et inconstantiam civium, totiusque Livoniæ condemnantes; in eis tantum semina pietatis Catholicæ oppressa conservabantur. Cætera monasteria Bernardinorum et Augustinianum sunt demoliti cives, et in usus profanos redegerunt.

« Ex primis incolis sunt Teutones; populus est Litavus, dialecto quadam a Lituanis differens, ejusdemque fere linguæ, quæ cum Theutonica nihil habet commune. Distat Riga Vilna miliaribus nostris germanicis millibus 40, Polocia 60, Brunsberga 73, Gedano 88.

« Plantaturus itaque Rex fidem Catholicam in hac civitate, quam unicam sui huc adventus causam coram me est professus, communicato cum aliis consilio, proposuit Senatui civitatis, ut Cathedrale templum cum omnibus areis et proventibus intra mœnia ad illud spectantibus,

ipsius Majestati daretur ad usus Catholicæ pietatis convertendi; vehementer eorum animos postulatum hoc percelluit, passimque lamentari et queri de Rege cœptum est, nullum in civitate extare Catholicum, et templum præcipuum, in quo tot annis sua sacra peregerunt, in ipsis visceribus civitatis situm, et quod unicum esset civitatis solatium, eripi civibus, esse intollerabile, pœnitere se subjectionis, nec si concedatur aliquod templum Catholicis, diuturnum hoc propter populi furorem futurum. Sed cum Rex perstaret in sententia, et illi angerentur et plorarent, ubi ex ore piissimo Principis audierunt, prorsus esse indignum et naturæ ipsius institutis repugnans, ut quod sibi fieri vellent, id aliis auferrent et negarent, libertatem illos suæ in religione professioni cupere, hanc autem Catholicis negare, aliena injuste occupata restituere nolle, hominum esse iniquorum, nec decere, ut Principum et Regum sancta et Catholica religio in angulis lateat, et contra salutem multorum abscondatur, et ab ea civitate excludatur, ad quam propter tot commertia undequaque etiam Catholici confluent, et subditis Regis catholicis, quorum hic est frequens concursus, nullum ad Deum laudandum, salutemque animæ curandam relinqui locum: ipsos etiam esse hostes animarum suarum, qui audire etiam ea, quæ totus est mundus amplexus, et quæ eorum parentes sancte coluerunt, recusarunt. Quod si difficiles se præbere pergant, non defuturum Regi medium ad jus suum prosequendum, et fore illis longe durius, quam si justa sponte concedant. His verbis tandem exterriti post multa per Magnanimum Dominum Nicolaum Firleium (virum ex patre Palatino Cracoviensi hæreticissimo solum inter fratres Catholicum et valde pium, hasque res Ecclesiæ, propter quas potissimum a Rege est in Livoniam evocatus, ferventissime promoventem pro suo zelo summo ac prudentia) accepta et data responsa petierunt a Rege cives, ut potius templum S. Jacobi Regia Majestas reciperet: significari mihi id ipsius Majestas jubet, et quid mihi videatur inquiri; ego jam toties omnia illa templa et eorum circumstantias perlustraram, animus me semper ad illud D. Jacobi trahebat, eo quod minore civium irritatione, majore autem commoditate et quiete haberent Catholici. Nam licet illa duo templa sint majora, undequaque tamen civium ædes habeant adjunctas, et nullam habitandi, nec pro collegio (si Dominus habere hic illud voluerit) commoditatem. Porro templum S. Jacobi habet pulchram cimiterii aream ad muros usque civitatis protensam, in qua sunt sacerdotum habitacula, quæ occupabant eorum ministri; eidem templo et ejus areæ annexum est Monialium illud, licet ruinosum Monasterium, quod conjunctum daret quietum, sanum et capacem etiam pro collegio locum. Itaque significatum est Regiæ Majestati, ut petitioni civium acquiescat, ne cum eorum magna irritatione nova plantatio in hisce initiis periclitetur: ita tamen ut cœnobium Monialium, in quod etiam cives jus usurpabant, et ad suæ religionis cultum templo earum licet parvo abutebantur, ipsius Majestati concederent, et una cum S. Jacobo traderent. Quod ubi civibus propositum est, nova eos incessit perturbatio, mox suspicati sunt propter scholas et collegium Jesuitarum monasterium peti, supplicari denuo cœptum est, ut Regia Majestas uno D. Jacobi sit contenta, et scholas Jesuitarumque collegia in civitatem non introducat; referebat mihi etiam postea Regia Majestas vix se risum tenuisse, dum de Jesuitis exciperent, et seductores certo populum, eorumque filios ad religionem Papisticam ut fracturos certo ominarentur. Sed optimus Princeps respondit se quidem eorum causa optare, ut veritas Catholica per præcones Christi Jesuitas illis proferatur, sed nec ita numerosos esse, nec tam collegia facile recipere, ut certum aliquid sibi polliceri possit; fœlices tamen illos et eorum liberos futuros, si Jesuitarum collegium aliquorum in eorum mœnia introducatur. Ad extremum diem illis præfigit ipsius Majestas 5. Aprilis, (ad hoc enim usque tempus hæc altercatio fuit protracta) quo postulata Regis tanta jam moderatione mitigata exequerentur, impetrata ad hoc dilatione cives, cum eo die propter illurum responsionam ad tertiam usque pomeridianam suum prandium Rex pius protraxisset, non comesturum se antequam responsum de Ecclesiis haberet dictitans, tandem sequenti die 6. Aprilis summo mane Regi obsequuntur, et die eadem utriusque templi et cœnobii possessionem tradunt. In ipsa vigilia Palmarum est a Reverendissimo Samogitiæ, quem propter eam tantum causam Rex secum adduxerat, expiatum et reconciliatum D. Jacobi templum, ad quod sequenti die Rex cum omnibus Catholicis accurrit, et ibi sacra omnia peregimus. Die postsequenti aliud itidem templum Monialium reconciliatum est, et sacra in eo operatus est Episcopus feria 6. magna, ministri ex domibus S. Jacobi migrarunt, nosque qui eramus Catholici Sacerdotes in eorum loca successimus. Totum hoc sacrum tempus hebdomadæ sanctæ et Paschæ ad lumen tantis tenebris inferendum, hæreticamque civitatem veritatis divinæ radiis illustrandam opportune et utilissime impensum est. Multum autem ad hanc rem contulit illustrissimum et in omnium oculos involans pietatis, et erga Deum resque divinas humilitatis atque devotionis Regiæ exemplum, quod certe nobis etiam expectantibus crebras et devotas eliciebat lachrymas. Bis in die ad illud suum templum ex arce satis a civitate

distante, omnium procerum comitatu per civitatem totam hæreticam ingrediebatur, manebat multis horis attentus ad officia illa et sacros ritus, orans etiam et legens, nec quenquam toto illo tempore alloquens, nec tecto unquam capite: Sacratissimum corpus Christi ad sepulchrum pulchre ornatum deduxit, et illud ingressus et egressus templum invisit procumbens et orans publice, ad altare communionem sñam sub una specie devotissime recepit. Signum S. Crucis die Parasceve humilime adoravit et alia plurima Catholicæ pietatis et humilitatis exempla edidit. Secuta est Regem suum Aula magna ex parte Catholica, solito ferventius, quæ nos tribus fere hebdomadis in excipiendis confessionibus, cum duo tantum ex nostris essemus, respirare non sinebat, cogebat me suo fervore ter in die festis diebus concionari. Nam antequam Rex veniret in templum; alii, qui nihil vel parum latine capiunt, optabant cibum verbi Dei, quo simul illi, qui deducebant Regem et qui custodes sunt corporis, frui non poterant, ita ut eodem tempore, quo Pater Martinus latine, mihi polonice iterum concionandum esset, quo tempore præcipue et multi concurrebant vel ad aliam partem templi, vel ad alium, si haberi potuit commodius, vicinum locum. Exigebant et a prandio concionem. Erant inter ipsos aulicos piscatores animarum optimi, et inter eos præcipuus M. D. Nicolaus Febridovius, fundator noster Lublinensis juventutis, virtutis ac fortitudinis flore totam Aulam illustrans, quando ad nostra retia et hæreticos quosdam, quos Ecclesiæ reconciliavimus, adducebant, et negligentes ad frequentanda sacramenta excitabant. Videbatur certe tota Aula insolitum quendam pietatis et devotionis affectum, duce Spiritu Sancto, declarasse. Quæ pia ferventis devotionis exempla, ad cultum sacrorum Catholicorum, ordinem ministrantium, venerabiles cæremonias, ornatus altarium et illis ministrantium sacerdotum, cantuum decorem, concionum frequentiam, populique ad omnem majestatem sacrificii et alia Catholicæ pietatis exercitia, cum spectarent cives hæretici, flecti multorum animus cœpit, et meliora sibi de Catholica religione, quam multis ministrorum oneratam calumniis persecuti sunt, persuadere. Faciebat et germanicas conciones Pater Uncerius, quem a R. P. Viceprovinciali, Rege ita postulante, ad hoc iter Bransberga evocatum impetraveram, quamvis Polonarum regionum et militum multitudo ita implebat templum, ut vix Teutonibus esset locus, quandoque tamen in altero Monialium templo eorum lingua concionatum est, ubi jam ordinarias, nunc Rege hic durante, conciones teutonicas instituimus. Hoc itaque magna ex parte Dei bonitas videtur jam effecisse, ut illi feroces animi, qui se sacerdotes statim Dei, atque hinc Rex discessisset, ejecturos et nautis advenis illos submergendos tradituros minabantur, nunc eosdem suspicere et admirari, honorareque quodammodo incipiant; non dubitamus esse in civitate plurimos, quorum Deus corda permovit, quos adhuc pudor et metus absterrent. Populus porro Litavus jam ad sacra nostra occurreret turmatim, si eum, qui calleret eorum linguam, sicuti habebant hæretici, haberemus, quorum ad antiquam uti illi vocant fidei inclinatio per totam est Livoniam pervulgata. Imo eum se optare, ut cito reducatur, passim clamitant. Ubi operarii linguarum præsertim germanicæ et lituanicæ polonicæque accesserint: Benedicet Dñus plantationi huic sanctæ. Postquam festa feliciter transegimus, 18 hujus adii Majestatem Regiam, quæsiturus quo in statu res præsentes religionis relinqui vellet, et ut me jam redire Vilnam pateretur, adduxeram mecum Vilnam Dominum Georgium Copium, Sacerdotem secularem probum et satis eruditum, ac in Seminario Romano exercitatum, genere Gedanensis, hoc illi persuadens, ut in plantanda fide Catholica in Livonia suam nobiscum operam conjungeret: hunc, quod et Germanus esset, et Polonicam etiam calleret linguam, commendavi Regiæ Majestati, ut tanquam parochus seu Vicarius, donec plena fiat ordinatio et fundatio Regia, hic Rigæ relinqueretur, et alii Sacerdotes externi illi adjungerentur, præsertim quos Regia Majestas ex Prussia evocavit, qui propediem affuturi hinc dicuntur, missi a Reverendissimo Varmiensi ex Seminario Episcopi illius nostrorum discipuli. Sed Regia Majestas tres illos ex Prussia mittendos ad alias civitates Livoniæ missurum se dixit, Derpatum, Pernaviam, Vendam, cupere autem ut cum Domino Georgio Copio Rigæ tres ex Societate nostra Patres resideant, donec collegium instituatur: nec enim aliter sperat Majestas ipsius animarum celeriorem et uberiorem fructum secuturum. Constituit Regia Majestas simul et Episcopatum erigere, Episcopus credo nominabitur Reverendus Dominus Solicovius. Porro Reverendissimus Vilnensis locum hic Regis usque ad comitia obtinebit, et cum eo Dominus Solicovius manebit, qui novam hanc plantationem confirmabunt. Sed de his postea, nam plenæ fundationes Episcopatus et Ecclesiarum non instituerentur ante perfectam totius Livoniæ, quæ jam cœpta est, lustrationem, et comitia hujus anni, quæ in Septembri dicuntur esse instituenda.

XXVIII. — Habeas etiam, quæ Rex ipse de suo studio perpetuaque rei Catholicæ in Livonia firmandæ voluntate Gregorio per Possevinum Romam revertentem significavit: in quibus præterea id sibi gratissimum accidisse affirmat, quod audiverit, Pontificem Seminarii Ro-

theni, quod magno commodo Moscoviæ totique schismaticæ Russiæ futurum sit, Vilnæ condendi consilium cepisse. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 36. fol. 13.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri Domino Domino Gregorio divina providentia Papæ XIII. Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Clementissimo.

Sanctissime et Beatissime in Christo Pater ac Domine Domine Clementissime.

Post humillima oscula beatorum pedum.

« Cum ad Sanctitatem Vestram reverteretur Reverendus Pater Antonius Possevinus, qui Sanctitati Vestræ, supplicante Moschorum principe, ad tractationem pacis inter me et illum a Sanctitate Vestra missus fuerat, conveniens perpetuæ observantiæ erga Sanctitatem Vestram meæ esse duxi, ut Sanctitati Vestræ, de tam paterna cura et sollicitudine gratias agerem, quod ejus pacis inter me et Principem Moschorum factæ auctor fuerit. Nam præter reliqua, quæ ad Rempublicam ea ex re redire et accedere possunt commoda, nos Sanctitas Vestra labore et sollicitudine liberavit, Livoniæ ipsi præsentem salutem attulit, ac quod omnium primum est, religionis Catholicæ jampridem intermissum exercitium restauravit. Quamobrem cum orandus sit Opt. Max. Deus, ut hoc suum beneficium perpetuum velit esse, ita humiliter a Sanctitate Vestra peto orationes et benedictionem, quo res hæ ita confectæ, et pax reddita rebus, stabilis et diuturna cum incremento cultus divini, et gloriæ Sanctissimi nominis illius esse possit. De qua cultus divini in hac provincia propagatione, cujus quantum hoc initio fieri potest, aliqua a me fundamenta jaciuntur, quia multa cum eodem Reverendo Patre contuli, non necesse est, ut ipse litteris hisce pluribus agam, neque autem dubito, quin Sanctitas Vestra, uti patrem clementem decet, hoc meum institutum et desiderium, non solum operariis submittendis, sed etiam aliis rationibus tradendis sit clementissime et sapientissime sublevatura. Inter cætera sane, quæ ex hoc Rev. Patre non sine voluptate intellexi, et illud mihi intelligere gratissimum accidit, Sanctitatem nimirum vestram iniisse deliberationem Ruthenici Seminarii instituendi, quod spero, aspirante Deo, Reipublicæ et Moschoviæ et cæteræ Schismaticæ Russiæ adjuvandæ fore perutile: quibus de rebus atque etiam aliis ad eum ipsum finem spectantibus, cum idem Reverendus Pater uberius cum Sanctitate Vestra acturus sit, ego interea aliud nihil scribo, tantum me clementi gratiæ et paterno favori Sanctitatis Vestræ submisse commendo, eamque diutissime rebus Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ præesse salvum, florentem et incolumem a Deo Optimo Maximo opto. Datum Rigæ XXVIII. die mensis Aprilis, anno Domini MDLXXXII.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius

STEPHANUS REX POLONIÆ mpp.

XXIX. — Stephanus igitur mox plures sacerdotes ad vineam Livonicam jamdiu sylvescentem excolendam mitti curavit; deque Episcopali sede in hac provincia instituenda cum Episcopo Vilnensi communicavit, cui potissimum, cum esset inde discessurus, id munus quod ad religionem pertineret demandavit: eumque datis ad Nuntium Apostolicum litteris, vehementissime Pontifici commendavit, petens ut in sacrum Patrum purpuratorum senatum cooptaretur. [*]

[*] Polonia Vol. 19. fol. 160.

Reverendissimo in Christo Patri Domino Alberto Bologneto Episcopo Massanensi, Sanctæ Sedis Apostolicæ in Regno nostro Nuncio syncere nobis dilecto.

Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Livoniæ etc. Princeps Transylvaniæ.

« Reverendissime in Christo Pater sincere nobis dilecte. Non vulgari modo commendaveramus Sanctissimo Domino Nostro iteratis literis nostris, quas ex professo ad Suam Sanctitatem dedimus, atque etiam per Oratorem nostrum Reverendum in Christo patrem Dominum Petrum Duuin Walski, Episcopum Plocensem, Illustrem et Reverendissimum Dominum Georgium Radivilium Ducem in Olika et Nieszwicz Episcopum Vilnensem, ut Sua Sanctitas eum ipsum Episcopum Vilnensem, clarissima in Regno nostro familia oriundum, Antistitem pietate zeloque bono in Ecclesiam Dei præstantem, cæterisque virtutibus Episcopo dignis præditum, omnique exceptione majorem, cardinalitia dignitate ornare dignaretur. Intelleximus vero ex responso Oratoris nostri ad literas nostras eo nomine datas, quod ex Urbe his diebus accepimus, Suam Sanctitatem cum creatura esset Cardinales, et virtutis ejus quem commendavimus, et nostræ commendationis benignam rationem habere velle; et licet jam in ea spe simus, Suam Sanctitatem idipsum primo quoque tempore præstaturam: videmus tamen negocium hoc promotione Paternitatis Vestræ apud Suam Sanctitatem, ad effectum maturiorem commodissime deduci posse. Postulamus igitur a Paternitate Vestra, sinat sibi hoc negocium esse magnæ curæ, ad illudque porro apud Sanctissimum Dominum Nostrum promovendum atque perficiendum authoritatem suam interponat. Quod si ea res ita, prout optamus, illi fuerit cordi, id officium Paternitatis Vestræ multis nominibus erit nobis gratissimum. Nos in hac provincia pleraque jam, quæ ad bonum ordinem faciunt, Dei beneficio, quoad hic versamur, absolvimus:

jam etiam duo templa in hac civitate ex hæreticorum manibus vindicavimus, atque cultui religionis Catholicæ asseruimus. De Episcopatu quoque restaurando rationes inimus. Interim autem, cum vocantibus nos alio publicis Regni nostri necessitatibus hinc brevi discedere cogimur, in hac provincia a qua diu exulabat bonus ordo, atque in ea civitate ex qua Catholica religio a sexaginta circiter annis explosa est, nonnullas personas ad conservandum bonum ordinem, quoad hinc aberimus, relinquere constituimus, potissimum vero eam ipsam curam, eidem Illustri et Reverendissimo Domino Episcopo Vilnensi commisimus. Huic cum extra diœcesim ultra præscriptum tempus abesse, absque dispensatione, non liceat, requirimus a Paternitate Vestra ut suam absentiam, quæ propter bonum Ecclesiæ Dei atque Reipublicæ Christianæ erit, apud se excusatam habeat, atque etiam apud Sanctissimum Dominum Nostrum excuset, efficiatque ne illi quoquo modo fraudi esse possit. Eandem Paternitatem Vestram diu bene et fœliciter valere optamus. Datum in Civitate nostra Riga die xvii. mensis Aprilis. Anno Domini MDLXXXII. Regni nostri anno sexto.

[*] Polonia Vol. [illegible]

STEPHANUS REX.

Aliquot post menses in Episcopum Livoniæ designavit Abbatem Tremesnensem, virum prolatandæ fidei cupidissimum, cujus causa Archiepiscopus Gnesnensis Cardinalem S. Sixti vehementissime rogavit, ut illum in ejus fidem reciperet, ipsiusque confirmationem apud Pontificem ejus patruum urgeret. [*]

[*] Polonia Vol 15 fol. 471.

Illmo ac Rmo Domino meo Colendissimo, Domino Philippo Boncompagno S. R. E. Cardinali etc.

Illustrissime Domine.

« Rediit rursum veluti postliminio quodam ad gremium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Livonia, a quo primo quidem per luxus et hæreses, postea vero per impotentem sævissimi hostis dominatum longissime recesserat. Ut primum enim Serenissimus Rex noster illam ex faucibus Moschorum Tyranni extorsit, nihil potius habuit, quam ut orthodoxa religio extirpata illi denuo plantaretur. Præmisit itaque illius Majestas cum multo Ecclesiastico ornatu plurimos Sacerdotes, qui populos illos doctrina salutari imbuerent, nuncque demum Episcopum nominavit Reverendissimum Dominum Alexandrum Milenski, Abbatem Tremesnæ in diœcesi mea, virum ad generis nobilitatem doctrina et pietate conspicuum, ad perferendosque novæ plantationis illius labores valde idoneum et animatum. Ad confirmationem igitur obtinendam a Sanctissimo Domino Nostro cum ipse sim testis locupletissimus, neminem illi plus quam Illustrissimam Dominationem Vestram pro egregiæ suæ voluntatis erga me et patriam nostram propensione, gratia et auctoritate qua pollet, profuturam; peto majorem in modum ab Illustrissima Dominatione Vestra, ut hoc illius negocium in curam patrociniumque suum suscipere, exemploque sanctissimi, vigilantissimique Pontificis patrui sui, ad immortalis Dei gloriam illorumque populorum salutem promovere velit. Quod cum vel ob id Illustrissimam Dominationem Vestram præstituram non dubito, tum vero singulari suæ erga me benevolentiæ plurimum daturam confido, ut vir hic intelligat, multum sibi apud Illustrissimam Dominationem Vestram commendationem meam profuisse. Illustrissimam Dominationem Vestram Deus Maximus diu sanam et incolumem conservet. Datum Squernoviciis 14. Decembris 1582.

Illmæ ac Rmæ Dominationis Vestræ

Deditissimus Servitor

STANISLAUS CARNCOVIUS

ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS.

Designatus Livoniæ Præsul talis ac tantus vir Archiepiscopo Gnesnensi videbatur, ut non dubitaverit nomine etiam Regis Cardinali Comensi eum impense commendare atque persuadere, ut, quæcumque in ipsum ornamenta conferret, in illam quasi reflorescentem Ecclesiam collata esse existimaret. [*]

[*] Polonia Vol 15 fol. 471

Illmo ac Rmo Domino meo Observandissimo D. Ptolomeo Gallio Cardinali Comensi.

Illustrissime Domine.

« Non minus sibi in eo Serenissimus Rex noster elaborandum existimavit, ut post recuperatam ab hoste feroci Livoniam, non tantum cultum divinum restitueret, sed etiam ut et Sanctæ Sedi, et inclito Sacri Senatus Cardinalium collegio idoneum ad muneris Episcopalis dignitatem capessendam præsentaret: præsertim cum hoc maximi interesse putaret, ut eum qui bene et cum laude præesse possit, præficeret. Nostri itaque Principis si ea in re, ut in aliis solet, prudenti judicio acquiescet Illustrissima Dominatio Vestra, quominus Reverendum Dominum Alexandrum Milenski Abbatem Tremesnensem pluribus commendem, me ab labore supersedere facit: quum præter reliquas et animi et corporis vires, quibus ille et in pietate erga Deum, et in indefesso labore pro Ecclesia Dei obeundo ornatus existit, satis per se tanti Principis opinio atque persuasio commendatum reddere possit. Quare quicquid in eo viro promovendo et ornando Illustrissima Dominatio Vestra opere collocaverit, et Ecclesiæ Dei in illis partibus quasi repullulanti atque renascenti consulet, et mihi rem gratissimam faciet, et ad omnia officiorum atque studiorum genera me accendet. Quod ut faciat summis precibus ab Illustrissima Dominatione Vestra contendo. Deus Optimus Maximus Illustrissimam Dominationem Ve-

stram diu sanam et incolumem conservet. Datum Squernoviciis 14 Decembris 1582.

Illmæ ac Rmæ Dominationis Vestræ
Deditissimus
Stanislaus Carncovius
Archiepiscopus Gnesnensis.

Denique Rex ipse in eo viro ad hanc sedem designando adeo sibi placebat, ut quoniam pro certo haberet, id non sine maximo illius Ecclesiæ commodo fore, ita per Cardinalem Comensem ejusdem confirmationem ab Pontifice majorem in modum postulavit. (*)

(*) Polonia Vol. 19. fol. 530

Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæque etc. Princeps Transilvaniæ, Illustrissimo et Reverendissimo in Christo Patri Domino Ptolomæo Gallio S. R. E. Præsbitero Cardinali, amico nostro charissimo et honorando, salutem benevolentiæque nostræ significationem.

Illustrissime et Reverendissime in Christo Pater, amice noster charissime et honorande.

« Postquam singulari benignitate divina Provinciam Livoniam rursus regno nostro adjunxissemus, libertatemque et pacem ei restituissemus, nostræ in Deum pietatis gratique animi esse existimavimus, ut in religionem quoque Catholicam in iis populis propagandam omni studio curaque incumberemus. Nominavimus itaque in Episcopum Vendensem Venerabilem Alexandrum Mielinski, Abbatem Trzemesnensem, virum, qui non modo doctrina atque erutione, verum quod in illis populis superiorum temporum calamitate a religione Catholica plane alienatis cum primis necessarium est, vitæ quoque sanctitate ac probitate, ad Catholicæ religionis studium invitare eos possit, hanc nominationem nostram ut Sanctissimus quoque Dominus noster auctoritate sua comprobet confirmetque. Etsi de ejus hac in re erga nos et earum regionum Ecclesias, quarum summa utilitas in hac nominatione versatur, benevolentia minime dubitamus, ut tamen sua quoque commendatione atque auctoritate perficiat, Illmam et Rmam Paternitatem Vestram rogamus. Gratissimam nobis rem humanitateque sua dignissimam Illma et Rma Paternitas Vestra fecerit, si hisce in rebus suo nobis studio auctoritateque non defuerit. Illmam et Revmam Paternitatem Vestram bene valere cupimus. Datum Cracoviæ die xxx. mensis Decembris anno Domini mdlxxxii. Regni nostri anno septimo.

Stephanus Rex.

XXX. — Periniquo animo patiebatur optimus Rex, quod obtrectatorum quorumdam rumoribus Romam allatis, nondum suis precibus de confirmando Præposito Miechoviensi, quem ad sedem Premisliensem nominaverat, ab Pontifice satisfactum esset. Quare ejus viri laudibus memoratis iterum atque iterum adprecatur Gregorium, ut ei una cum Præpositura istum Episcopatum confirmare velit : ex quorum conjunctione in eo viro magnus in eam Ecclesiam fructus esset redundaturus. (*)

(*) Polonia Vol. 19. fol. 118.

Beatissime Pater et Domine Domine Clementissime, post oscula pedum beatorum, meique regni et dominiorum meorum commendationem.

« Commendavi nuper Sanctitati Vestræ more institutoque antecessorum meorum, piæ memoriæ, Poloniæ Regum, ad Episcopatum Præmisliensem Reverendum Simonem Lugowski Præpositum Miechoviensem, supplicavique Sanctitati Vræ, ut eum Episcopatum illi confirmare, Præposituramque Miechoviensem una conservare vellet. Quod quo ejus merito, pertinente ad propagationem cultus divini in Russia provincia, et varietate hæresum, et templorum ac scholarum vastitate, ac solitudine mirum in modum deformata fecerim, Sanctitati Vestræ prioribus litteris meis explicavi, simulque id etiam explicatum puto per literas Sanctitati Vestræ a Nuntio Sanctitatis Vestræ Antonio Possevino, cum quo de negocio hoc ad Polociam contuli. Etenim is Præpositus cultum divinum non jactat verbis, sed re ac facultatibus suis juvat; nec id ex ullo contractu, sed ultro ac libere. Et certo mihi persuadeo, quod deinceps etiam, tum alendis doctis et piis sacerdotibus, tum bonæ indolis alumnis juvabit, et bona illius Episcopatus incuria superiorum Episcoporum vastata, ad aliquam culturam rediget. Nunc audio, delatis ad Urbem quibusdam rumoribus, malevolentia quorumdam concitatis, negocium hoc, non sine suggillatione existimationis bonorum virorum, et ut de nobis ac Regno Poloniæ, ita non minus de Ecclesia benemeritorum extrahi, et ita extrahi, ut etiam ea res pertineat ad dignitatem meam. Itaque iterum literas dandas ad Sanctitatem Vestram putavi, rogando eam, ut tantum commendationi meæ tribuat, quantum et ipsa Sanctitas Vestra et Sedes Apostolica commendationi antecessorum meorum tribuebat; quandoquidem non minus quam illi, de Ecclesia Dei et Sede ista benemereri semper studui et studebo; et jus nominandi non minus quam illi habeo. Cujus gratiæ et favori me, regnum, dominiaque mea commendo; eandemque Sanctitatem Vestram diu bene et fœliciter valere cupio. Datum Vilnæ diei 25. mensis Februarii anno Domini 1582. Regni nostri anno sexto.

Stephanus Rex.

XXXI. — Haud minori desiderio afficiebatur Stephanus, ut Andreas Bathorius fratris filius Coadjutor ab Episcopo Varmiensi adsisceretur. Id vero Episcopus, cum Nuntius Apostolicus ea de re valde apud se instaret, negat in sua potestate esse ejus votis obsecunda-

re, propter nonnulla impedimenta, quorum quædam ne per ipsum quidem Pontificem austolli possent. [*]

[*] Polonia Vol. 13. fol. 155

Reverendissimo in Christo Patri et Domino Domino Alberto Bolognetto Dei gratia Episcopo Massanensi, et ad Serenissimum Regem Poloniæ Nuncio Apostolico, Domino et Amico Observandissimo.

Reverendissime in Christo Pater et Domine Domine et frater observandissime.

« Quod tardius rescribo Dominationi Vestræ Reverendissimæ ad eas literas, quas mihi tabellarius ipsius attulit, in causa est adversa valetudo mea, quæ me huc ad V. Capitulum (cum quo eæ mihi communes esse debuerunt) citius excurrere passa non est. Nec plane firmus e domicilio arcis meæ Heilsbergensis discessi. Sed faciundum fuit, tum ut sine longiore mora expectationi Dominationis Vestræ Reverendissimæ satisfieret, tum ut apud Basilicam hanc meam solenni hoc tempore Episcopalibus meis muneribus fungerer. Nec male mihi successit hoc consilium. Nam per Dei gratiam aliquanto melius valeo, posteaquam me in viam dedi. Huc ut veni heri, nihil prius habui, quam ut non modo literas Dominationis Vestræ Reverendissimæ, verum etiam rem totam cum Capitulo communicarem, ac de sententia ipsius describerem. Primum igitur falsum est illud, quod Reverendissima Dominatio Vestra nescio unde accepit, actum transactum esse de negotio: quod Roma quoque mihi scriptum est: sed ita res habet, ut eam a prima origine pandam. Postulavit Magnificus Dominus Cancellarius a me ante duos ferme annos, ut Illustrem Dominum Andream Batorium, Serenissimi Regis nostri fratris filium, in gratiam Majestatis ejus Regiæ Coadiutorem mihi in hoc Episcopatu meo esse vellem. Rescripsi, non in mea solius potestate id esse; obstrinxisse enim me de more fidem meam Capitulo solemni jurejurando, ne quem ipso inconsulto et invito in societatem ejus muneris suscipiam. Post aliquot deinde menses Majestas Regia ipsa per Nuntium suum et literas ea ipsa de re mecum et cum Capitulo egit. Consultavimus inter nos, quid fieri posset aut conveniret, me quidem in arbitrium Capituli potissimum rem conferente. Occurrebant difficultates nonnullæ neque leves, quominus recte hoc statu rerum id fieri a nobis posset. Ea porro impedimenta collecta et conscripta mox Majestati ejus Regiæ misimus, potentes, ut ea primum summoverentur. Cæterum hactenus totis sex vel septem mensibus nihil a quoquam responsi accepimus. Unde conjiciebamus decessum esse de sententia, et curam illam remissam. Nunc vero, cum Dominatio Vestra Reverendissima (Regio fortassis monitu) tanto quasi postliminio de eo negotio ad nos scripsit, responsi loco mittimus ipsi ea ipsa impedimenta descripta: unde ea intelligat licebit causas justissimas, quibus adducti, neque tunc Majestati Regiæ desiderio assensi simus, neque etiam nunc assentiamur. Cumque Dominationem Vestram Reverendissimam eximio juditio præditam esse certo nobis persuadeamus, et non levibus documentis cognoverimus, et pientissimi Pontificis Maximi personam ea in his nostris oris gerat, nec unde quam ab ea fidelius et salubrius, et nostro ordini Ecclesiæque utilius consilium accipere possumus. Nonnulla quidem ex illis impedimentis summoveri authoritate Pontificia fortassis possent, utinam autem omnia. Optabile nobis esset, Regi nostro tam pio, et in nos clementer et suaviter effuso gratificari, quod nunc Religio, rationes Ecclesiæ et Reipublicæ, et existimatio nostra ad posteros transmittenda facere nos prohibet. Proinde a Dominatione Vestra Reverendissima absolutum consilium expectamus. Nam quod negotium hoc eam ipsa tractandi uni aut alteri cuiquam mandemus, nihil est. Causas non addimus. Quod restat, opto Dominationem Vestram Reverendissimam diu salvam et incolumem, prosperum legationis istius successum et optatum fructum consequi, cui me, studiumque et obsequium meum diligenter etiam atque etiam commendo. Datum Frauenburgi apud Ecclesiam meam in. Idus Aprilis anno Domini 1582.

Dominationi Vestræ Rñæ

Addictissimus
Martinus Cromerus
Varmiensis Episcopus.

XXXII. — Magnum profecto ornamentum Ecclesiæ et patriæ adjunctum a Stephano est, quod Joannem Demetrium Solikowskium, virum et litteris et vitæ sanctimonia præstantissimum, et in republica administranda maxime versatum, ad infulam Leopoliensem designaverit. Ipse Demetrius Cardinalem Comensem valde rogavit, ut confirmationem ejus commendatione apud Pontificem faceret expeditiorem. [*]

[*] Polonia Vol. 13 fol. 475

Illño et Rño in Christo Patri Domino meo Colendissimo, Domino Ptolomeo Cardinali Comensi.

Illñe et Rñe in Christo Pater et Domine Dñe Colendissime.

« Quanta gratia et benevolentia nostræ nationis homines Illña et Rña Paternitas Vestra prosequatur, et quam libenter ferat negocia partium nostrarum suæ gratiæ et patrocinio commendari, non est mihi ignotum. Quamobrem cum Serñus Rex noster me ad Archiepiscopatum Leopoliensem nominaverit, putavi faciendum, ut negocium Ecclesiæ illius et meum Illñæ et Rñæ Paternitati Vestræ commendarem, submisse Illñam et Rñam Paternitatem Vestram orans, ut sua auctoritate, favore et patrocinio

apud Sm̃um Dominum Nostrum me sublevare, ad confirmationemque citius et clementer obtinendam mihi adesse benignissime dignetur. Quod Illm̃æ et Rm̃æ Paternitatis Vestræ beneficium non ad me solum, ut ex iis partibus ab Ecclesia illa remotis, in quibus, ita volente Serm̃o Rege nostro, ob negocia quidem Ecclesiarum et Reipublicæ toto hoc fere anno detineor, ad illius Ecclesiæ administrationem tanquam ad proprium munus, si ita Deo visum est, ocyus accurrere possim, sed etiam ad omnes illius Ecclesiæ oves, quæ in alterum jam annum pastore carent, redundabit, nosque omnes ad perpetuo sibi inserviendum, Deumque pro se orandum reddet obligatos. Pluribus non distineho Illm̃am et Rm̃am Paternitatem Vestram; tantum me et obsequia mea gratiæ et benevolentiæ Illmæ et Rm̃æ Paternitatis Vestræ commendo, illique salutem et fœlicitatem perpetuam opto. Datæ Rigæ in Livonia XVII. Decembris 1582.

Illm̃æ ac Rm̃æ Dominationis Vestræ
Servitor addictissimus
JOANNES DEMETRIUS SOLIKOWSKI
NOM. AC EL. ARCHIEPISCOPUS LEOPOLIENSIS.

XXXIII. — In Evangelica vinea excolenda magnum operæ pretium faciebat Præsul Chelmensis. Qua re id assecutus fuit, ut plures hæreticos, quibus Diœcesis sua abundaret, Ecclesiæ Catholicæ adjungeret: quos inter nonnulli erant, qui ministri vocabantur. His igitur litteris a Nuntio Apostolico et sibi et delegatis suis, quos nominatim appellat, ab hæresi absolvendi facultatem expetit. (*)

(*) Polonia Vol 19 fol. 110.

Illustri ac Rm̃o Domino Domino Sanctæ Sedis Apostolicæ in Polonia Legato, Domino mihi Colendissimo.

Illustris ac Reverendissime Domine Domine mihi Colendissime, salutem in Domino precatur, suaque officia diligenter commendat etc.

« Cum pro posse meo in restituendis, seu adducendis hominibus hæresi infectis ad Ecclesiam Catholicam, et obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, operam omnem per me et Prælatos meos facio; sed quia sunt multi hæretici in mea dioecesi, et nonnulli vocantur Ministri hæreticorum, qui non solum ipsi soli sunt hæresi infecti, sed et multos suis falsis prædicationibus et doctrinis seduxerunt, et in falsam doctrinam et hæresim induxerunt: qui cupiunt hæreses suas revocare, et ad Ecclesiam Catholicam redire; sed quia sine dispensatione Sanctissimi Domini nostri tales casus loci Ordinariis et eorum delegatis non licet secundum Canones absolvere, et Sacramenta petentibus administrare: quare humiliter supplico, dignetur super Prælatos meos, videlicet, venerabiles Benedictum Dembowski, Decanum Stanislaum a Belz, Canonicum Chelmensem, et Joannem Herbestum in Zamosczie Præpositum, facultatem secundum Canones de præmissis dare. Commendo tandem in gratiam Illustris ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ diligenter mea officia. Datum Warschowiæ die 18. Marcii. Anno Domini MDLXXXII.

Vestræ Illm̃æ Rm̃æ Dominationis
Obsequens
ADAM PILCHOWSKI
EPISCOPUS CHELMENSIS.

XXXIV. — Præsuli Leopoliensi haud absimilis fuit Gnesnensis, Ecclesiæ Polonicæ Primas et primus regni Princeps, qui nuperrime a Sancta Sede confirmatus fuerat. Legas quas gratias ipse Pontifici de tam insigni honore sibi collato reddidit, quas sponsiones de rebus Ecclesiæ curandis dedit. (*)

(*) Polonia Vol. 19 fol. 64.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Maximo, Domino Clementissimo.

Beatissime Pater.

« Beneficiorum in me a Sanctitate V̄ra collatorum magnitudo in eas me angustias conjecit, ut nec gratiam referre possim cum maxime velim, et eam si minus referam, ingrati animi vicio laborare videar. Quid autem dico, gratiam referre; cum nec beneficia ipsa commemorando percensere possim? Cum enim ego Beatitudinis Vestræ gratiam nullis unquam officiis promeruerim, me tamen tanta benevolentia tamquam singulari benignitate est prosecuta, ut non modo summo in universa hujus Regni Ecclesia dignitatis gradu afficiendum duxerit, verum etiam id nullo pene meo labore ac sumptu (quod rarum plane ac singulare beneficii genus est) adipisci voluerit. Qua sane in re non tam ex dignitatis facultatumque mearum accessione, quam ex isto B̄nis V̄ræ de me gravissimo judicio lætandum mihi esse puto. Quid enim mihi ad gloriam accidere illustrius potuisset, quod quam me summus Orbis Christiani Antistes dignum judicaverit, in quem et insignem humanitatem, et immensam propemodum liberalitatem suam exerceret? Verum enimvero cum non ignorem, quorsum hæc omnia in me a Beatitudine Vestra collocata ornamenta referantur, nimirum, ut his quasi stimulis incitatus, Ecclesiæ Dei commodis atque utilitatibus impensius deserviam; cum hoc, inquam, ignorare non possim, omnes industriæ ac diligentiæ meæ nervos contendam, ut conceptæ de me a Beatitudine Vestra expectationi pro virili respondeam. Verum, cum ne hoc ipsum præstari a me posse intelligam, nisi Beatitudo Vestra gratia, qua me semel complexa est, eadem me ad finem usque prosequatur, a Beatitudine Vestra obnixe quæso, ut cum in omnibus, tum in iis præsertim rebus, quas, ne longior sim, Basilio Cerino coram exponendas commisi, sua me singulari auctoritate suoque summo præsidio tueatur. Deus Optimus Maximus Beatitudinem Vestram ad

Ecclesiæ suæ utilitatem, incolumem quam diutissime conservet. Datum Lovicii 6. Februarii 1582.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Humilis creatura
STANISLAUS CARNCOVIUS
ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS m. ppria.

Quam egregie hic Præsul suis sponsionibus satisfecit, ex eo patet, quod ut primum diœcesim regendam suscepit, in eo adlaborandum sibi maxime esse statuit, ut moribus illis sublatis, qui in Ecclesia Polonica jam pridem erant, Ecclesiæ Romanæ instituta et mores inferrentur. Cujus generis ut aliquid in medium afferamus, præsto sunt ejus litteræ, quibus Nuntium Apostolicum certiorem facit, quemadmodum in id incumberet, ut in sacris peragendis sui sacerdotes ritu Romano psallendi morem sequerentor. (*)

(*) Polonia Vol. 11. fol. 115.

Illmo ac Rmo Domino Domino Alberto Bolognetto Episcopo Massanensi, Legato Apostolico.

Illustrissime et Rme Domine.

« Quod meos in Ecclesia Dei labores Illma et Reverendissima Dominatio Vestra probare dignatur, est quidem hoc proprium singularis illius humanitatis, pietatis et præcipui cujusdam erga me amoris, ut ea grata sibi esse ostendat, quæ pro mei muneris ratione nullo modo prætermitti possunt: sed ego ejus generis ea esse cuperem, ut merito Illustrissima et Reverendissima Dominatio Vestra probare posset. Video enim, quam sint exigua, potiusque ab illa me admoneri, qui esse debeam, et excitari intelligo, quam ut hosce meos conatus existimem tanta illius approbatione dignos.

« Quamobrem enitar quantum potero, ut optimo illius desiderio per me quam cumulatissime satisfiat. Et quoniam id meum præcipuum fuit studium, ut Ecclesiam Romanam, tanquam omnium aliarum ducem et magistram, in omnibus sequeremur, ut quemadmodum una cum illa fidem profitemur, ita etiam concordi labio juxta illius præscriptum Dominum Deum laudaremus, quod jam pridem fit opera mea in Ecclesia Wladislaviensi, idem nunc quoque faciendum Gnesnæ Loviciique putavi, ut universum officium ritu Ecclesiæ Romanæ decantetur. Quamobrem Confessarium meum Gnesnam misi, qui et Pœnitentiarii onus illic sustineat, et ritu Romano psallendi modum sacerdotes illos doceat. Daboque operam, ut in reliquis meæ Archidiœcesis Ecclesiis idem primo quoque tempore fiat. Faxit Optimus et Maximus Deus, ut omnes hujus regni Episcopi eam psallendi concordiam in Ecclesia quisque sua quamprimum suscipiant, foveant et conservent. De Domino Auditore non ero amplius molestus Illmæ Dominationi Vestræ; peto tamen, ut negotium istius examinandi, Reverendo Domino Stanislao Krasinski Archidiacono Cracoviensi, et Thomæ a Drobnin Loviciensi officiali committat. Illustrissimam Dominationem Vram diu sanam et incolumem esse cupio. Lovicii 6. Martii 1582.

Illmæ Dominationis Vestræ ac Rmæ

Deditissimus frater .
STANISLAUS CARNCOVIUS
ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS.

XXXV. — Eidem Gnesnensi Præsuli haud exiguæ laudi vertendum est, quod rebus suis suorum salutem anteponens, consilium ab suo antecessore initum Collegii in urbe Callissiensi condendi, ex quo aliquando optimorum sacerdotum copia suppeteret, illudque Patribus Societatis Jesu qui regerent tradendi re perfecturus, Pontifici supplicavit, ut, quoniam quæ e sua mensa subtraheret, non satis essent, sibi quosdam ecclesiasticos census in ejusdem dotem conferre liceret. (*)

(*) Polonia Vol. 18 fol. 151.

Sanctissimo Domino Nostro, Gregorio XIII, Pontifici Maximo.

Beatissime Pater.

« Magnitudo beneficiorum erga me Sanctitatis Vestræ jugisque eorum apud me memoria facit, ut quamvis nequeam eas, quas deberem, pro illis gratias agere, nunquam tamen prætermittendas occasiones putem, quibus gratum meum animum, quam maxime possem omnibus hominibus et in primis ipsi Sanctitati Vestræ declararem. Quod tamen cum verbis, nedum re ipsa consequi me posse non videam, a Reverendo Patre Possevino ex Moscovia in Italiam redeunte impetravi, ut meo nomine Sanctitati Vestræ supplicaret, ut quod mihi in agenda referendaque, pro meritorum magnitudine, gratia deesset, ot quidem multum deesse sentio, id Vestra Sanctitas eximia sua benignitate atque clementia supplere dignetur. Cæterum cum de statu Ecclesiasticarum rerum in hoc regno eum eodem Reverendo Patre Possevino contulissem, inter alia exposui consilium meum, Collegii Societatis Jesu in oppido Regio, cui nomen Calissio est, in medio hæreticorum sito instituendi, certisque reditibus tam ad mensam meam Archiepiscopalem, quam nonnulla alia loca spectantibus, de benignitate et approbatione Sanctitatis Vestræ dotandi. Quorum quidem locorum quæ sit nunc ratio, cognoscet Vestra Sanctitas ex eodem Patre Possevino, qui propter hominum in ordine suo, pro collegiorum multitudine, paucitatem ægerrime passus est ab se impetrari, ut totam istius consilii mei rationem explicaret, quod mihi rebus diœcesis meæ vehementer urgentibus necessario suscipiendum fuit; simulque supplicaret Vestræ Sanctitati, ut hoc institutum meum benignitate auctoritateque sua Apostolica comprobare atque confirmare dignaretur. Mallem enim multis florenorum millibus

quotannis ipse carere, quam per tantam idoneorum sacerdotum inopiam tot animas periclitari. Supplico itaque Sanctitati Vestræ, ut in exponendis istis aliisque Ecclesiæ meæ rebus benignam et clementem aurem præbere dignetur. Quam ut Deus Optimus Maximus ad multos annos incolumem servet Ecclesiæ suæ, omnesque illius actiones fortunet, in sacrificiis meis precari non desinam. Commendo devotas orationes et obsequia mea in gratiam Sanctitatis Vestræ. Squernoviciis prid. Kal. Junii MDLXXXII.

Sanctitatis Vestræ

Humilis creatura
STANISLAUS CARNCOVIUS
ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS.

XXXVI. — Hujus Præsulis in Ecclesiæ libertate propugnanda, tuendisque juribus studium enituit maxime in generalibus regni Comitiis, quæ initium Idibus Octobribus habuere. Ibi sacris ex more sollemniter peractis, Archiepiscopus gravi oratione Comitia auspicatus: magna cum eloquentia de utraque potestate ecclesiastica et civili disseruit; molestias et incommoda, quibus in Polonia Ecclesiasticus ordo esset obnoxius, aperuit et conquestus est. Acriter autem perstrinxit Dissidentes, qui Nobilium suarum partium opibus freti, effrænata elati audacia jura Ecclesiæ Catholicæ invaserint, sibique propria fecerint. In iis autem Comitiis sapientissimus Rex hæc proposuit Ordinibus regni deliberanda: de certa ratione in interregnis ac electionibus statuenda, ne quod ante sæpe usu venisset, si forte absque hærede ipse esset discessurus, omnia civilibus factionibus prædæ essent futura; de concordia inter ecclesiasticum et civilem ordinem, nimis jamdiu decimarum imprimis persolvendarum causa turbata, comparanda, ut nimirum utrinque ab contumeliis injuriisque abstineretur, suumque cuique tribueretur; de legum ac judiciorum correctione; de magistratibus et legibus in Livonia instituendis, et præsidiis, commeatu, apparato omni bellico, cæterisque ad defensionem necessariis instruendis; de munitionibus disjectis reficiendis, novisque inædificandis; de Nerva denique et aliis Livoniæ oppidis atque arcibus a Svecis occupatis, bello armisque recuperandis.

Ad rem nostram, quod attinet, ut aliquod de religionis rationibus attingamus, maximam in eo conventu laudem sibi comparaverunt Archiepiscopus Gnesnensis totius regni Primas, tum Præsules Leopoliensis, Chelmensis, Cracoviensis, Culmensis, Luceoriensis, Posnaniensis et Varmiensis, qui invicto animo fidem, jura, libertatem, immunitatemque Ecclesiæ contra temeraria paucorum Nobilium Catholicorum atque Dissidentium postulata propugnarunt. Quibus sese adjunxerunt ex laicis præclarissimi viri, quos inter præstitit magnus ille Zamoiskius, cujus opera in debellanda Moscovia atque expugnanda Livonia magni fuit; quem secuti sunt Laskius Palatinus Siradiensis, Firleus Castellanus Bialensis, Opalinskius Magnus regni Marescallus, et Sborovius aulæ regiæ Marescallus, qui majorum suorum laudes æmulati in id incubuerunt, ut jura Ecclesiæ ab impiorum hominum manibus vindicarent. Neque vero minus excelluit Regis pietas et constantia, qui mira animi magnitudine illorum virorum votis obsecundavit, ut Episcopus Massensis Nuntius Apostolicus pluribus verbis in ipsius coramque laudem refert. [*]

[*] Mantissa documenl. N. 63.

Tandem quum dolo cæterorum regni Ordinum de rebus Ecclesiæ componendis nihil fere hisce in Comitiis expeditum, Ecclesiasticus ordo Regem adiit, ad ejus auctoritatem provocans. Rex igitur, edito decreto, jussit horum jura integra inviolataque esse debere: et omni inter Ecclesiasticum et civilem ordinem controversia composita pacem restituit. [*]

[*] Polonia Vol. 18 fol. 393.

Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazoviæ, Samogitiæ etc. Princeps Transylvaniæ,

« Significamus tenore præsentium, quorum interest universis et singulis, quod Reverendi in Christo Patres et Dñi, Stanislaus Karnkowski Dei gratia Archiepiscopus Gnesnensis Legatus natus et Regni nostri Primas, Petrus Miskowski Cracoviensis, Martinus Cromerus Varmiensis, Victorinus Virzbicki Luceoriensis, Petrus Kostka Culmensis et Adam Pilchowski Chelmensis Episcopi, suo et aliorum Episcoporum absentium, itemque Nuntii cum sufficienti plenipotentia nomine totius cleri ordinisque Ecclesiastici Regni nostri, ad præsentem conventum generalem constituendæ inter status compositionis causa congregati, personaliter coram nobis comparentes, in facie et corona universi Senatus, et Nuntiorum terrestrium, publicam ac solemnem protestationem fecerunt; quod juxta præscriptum ac exigentiam constitutionis conventus Varsaviensis proxime peracti, qua mediante præsens conventus compositionis inter status perficiendæ est indictus atque præfixus, eam potissimum ob causam huc convenerunt, ut alter Status haberet cum quibus de compositione tractaret, sed quoniam ex illa parte de hoc ipso compositionis negotio præsentis conventus proprio atque privilegiato nihil hucusque agi cœptum sit, imo alienis ab hoc proposito negociis maxima pars temporis definiti extracta atque consumpta videatur, jamque Nuntii terrestres valedicant; ipsi vero Nuntii Ecclesiastici, licet ab inceptione ejusdem conventus, singulis fere diebus in Curia ac in conspectu publico præsto essent, actumque præscriptæ compositionis attentarent, ac sæpius eam aggrediendam peterent, urgerent, ac de eo publice protestarentur, tamen ex illa parte ne verbo quidem compellati

sunt. Quapropter in præsenti compositionis et causarum suspensionis termino jam expirante ac elabente, per Ecclesiasticum ordinem attentato, altero autem Statu nihil agente, tanquam in contumaciam ipsius, de sua diligentia, quod prædictæ constitutioni de compositione ac suspensione ad hoc tempus præfixa per se satisfactum sit, coram nobis et actis Cancellariæ nostræ in publico omnium ordinum consessu protestati sunt, petentes, a nobis ex juris præscripto ac nostro debito Regio se in suis juribus conservari, inanique compositionis vocabulo cursum ac progressum actionum et causarum suarum, ratione decimarum et aliarum controversiarum differentiarumque quarumvis, amplius inhiberi; imo suspensiones omnes, quibus jus et justitia status Ecclesiastici hactenus morabatur, elapso jam compositionis ac suspensionis prædictarum termino, ipso facto ac jure cassatas et abolitas esse declarari, præsentemque protestationem ac diligentiam suam admitti, et in acta Cancellariæ nostræ inscribi mandare. Nos vero, qui omnium jura æque tueri debemus, justum censentes omnes jure suo concesso libere uti, præsentemque protestationem de illius spiritualis ordinis diligentia, et attentato per eum compositionis atque causarum suspensionis termino coram nobis factam admisimus, et in acta Cancellariæ nostræ inscribi mandavimus, suspensionesque omnes in præsenti conventu jam expirasse agnovimus, et per præsentes agnoscimus. In cujus rei testimonium sigillum Regni nostri hisce est appressum. Datum Varsaviæ die vigesima quarta mensis Novembris anno Domini MDLXXXII. secundo, Regni vero nostri septimo.

STEPHANUS REX.

XXXVII. — In iisdem Comitiis Nuntii Pruthenorum de veteri Pomesaniæ Episcopatu per hæreticos extincto, deque cultu Catholico jam diu intermisso restituendo summis precibus agebant cum Rege, qui etiam spem fecit, utrumque eum primum per tempora liceret, eos ab se impetraturos. Præstat sane supplicem eorum libellum legere, ut quibus technis Protestantes illius regionis in Catholicos abuterentur, cognoscatur. [*]

(*) Polonia Vol 19. fol. 514

Serenissime atque Invictissime Rex, Domine Domine Clementissime.

« Nos universi Catholicæ ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ parentes, filii, in Prussiæ Ducatu habitantes commorantesve, pias demissasque orationes nostras ad Deum Omnipotentem pro Sacra Regia Majestate Vestra devote imprimis assidueque offerimus.

« Quandoquidem autem gloriosæ recordationis Sigismundus Augustus Poloniæ Rex etc. prædecessorque Sacræ Majestatis Vestræ, quoddam privilegium de Augustana Confessione atque appellatione Illmo Principi nostro, Domino Alberto Friderico, Marchioni Brandenburgensi et in Prussia Duci etc. adolescenti adhuc anno 1569. Lublini concesserit, nempe eum omnia alia peregrina dogmata et hæresium genera, quæ post Augustanam Confessionem sunt exorta, quæque ab ea sunt aliena in Ducatu ibidem ferri noluisse, penitusque prohiberi et aboleri in verbo regio promisisse; cæterum quoniam dicti privilegii Lublinensis importuni impetratores id ipsum privilegium in Catholicos ipsos, atque S. Romanæ Ecclesiæ parentes observantesque filios sinistre torqueant ac extendi velint, inque eorum exitium atque perniciem prorsus interpretentur; ac si eorumdem Catholicorum et S. Romanæ Ecclesiæ filiorum doctrina, pietasque et religio, atque adeo conformis religioni ejusdem Majestatis Regiæ, tanquam post Augustanam Confessionem exorta ab eaque aliena, veluti peregrina, exotica et hæretica in eodem Ducatu æque interdici exterminarique debeat; indeque non solum plurimos in Augustanæ Confessionis errorem inducendi, eosque in eodem retinendi, sed etiam summo infestoque odio, livore atque invidia eosdem Catholicos persequendi, criminationibus onerandi, conviciis injuriisque afficiendi, et ad quævis officiorum genera atque honoris aditum intercludendi occasio adhuc est sumpta: idcirco Sacram Regiam M. V. humillime obsecramus, quatenus in hoc articulo privilegium istud Sacra M. Vra Regia clementer, veraciter, pioque rege digne declarare, superque eoque publice aliquid ad prædictam sinistram interpretationem resolvendam, evidenti nobis constitutione dignetur providere. Et quoniam sub eodem Ducatu in Prussia, in Episcopatu quondam Pomesaniensi rite consecrato Episcopo, item sacerdotibus atque sacrosancto Missæ tremendo sacrificio nunc omnino careamus, sine quibus verus veri Dei cultus religioque exerceri minime potest: eamdem Sacram Majestatem Vestram Regiam etiam atque etiam humillime obsecramus, quo nos aliquando tandem pro innata sua clementia Regia a longe respicere, et erga nos misericordia, sero licet, uti velit, nobisque cum profanato non ita pridem Episcopatu Pomesaniensi Episcopos, legitimeque ordine sacro consecratos sacerdotes sive presbyteros una cum sacrificiis et aliis Deo dicatis sacris rebus, quæ haudquaquam in usus profanos alienari possunt, restituere dignetur: vel cum Illmo Principe ac Curatore ægri nostri Principis pro augusta sua regia auctoritate disponere, quatenus eodem in Ducatu quibusvis Catholicis liberum sit concessum, in templis sive Ecclesiis bonorum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ religionem cultumque pertractare, atque a quavis communi Ecclesia res sacras Deoque dicatas abalienatas jure repetere ac recuperare, riteque ordinatos et consecratos sacerdotes fove-

re, ac sacrosancto majorum more tremendum Missæ sacrificium in eodem Ducatu adhuc temere abrogatum peragere; nec non ad suspectos et Catholicis infestissimos Augustanæ Confessionis sive alterius cujusvis sectæ judices, (qui cum inter sese plerumque in articulis fidei ex diametro dissideant, in oppugnandis vero obedientibus Romanæ Ecclesiæ filiis egregie subdoleque in eorum permitiem conveniant) Catholicos suæ causæ assessores sive Episcopos, uti jure communi est provisum, sive certos alios ad id deputandos habere queant, ot vel sic ipsorum iniquis conspirationibus, artibus atque machinationibus, quibus conjunctis viribus ac consiliis Catholicos oppugnare nituntur, aliqua tandem ratione occurratur, nec Catholici a pia et recepta, legitimaque veteri sua suorumque majorum Catholicæ religionis possessione absterreantur; et in universum veteri quidem laudabili ritu debitos Deo cultus, officiaque omnia Catholico homine digna sine quovis impedimento libere impuneque quovis in loco tractare, et se ad peragendum ea conferre liceat. Neque permittat Sacra Majestas Vestra Regia, nostram conditionem hic in Ducatu fieri deteriorem, quam alioquin sub Turcis habitantium sive morantium hominum Christianorum. Quod superest, Sacræ Majestatis Vestræ patrocinio ac tutelæ nos, causam nostram, nostraque omnia secundum Deum humilime committimus ac commendamus.

Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ

SUBDITI DEVOTISSIMI HUMILIMIQUE CLIENTES SUB DUCATU IN PRUSSIA EX EPISCOPATU QUONDAM POMESANIENSI CATHOLICI, SANCTÆQUE ROMANÆ ECCLESIÆ FILII OBEDIENTES, SUO NOMINE, ALIORUMQUE QUI PROPTER METUM HÆRETICORUM IBI LATENT.

XXXVIII. — Episcopus Vilnensis cum suo Clero novo Lithuaniæ legum statuto hisce in Comitiis condito propterea intercesserant, quod illæ leges Dissidentium molitionibus plurima continerent, quæ cum Ecclesiæ Catholicæ juribus et veteribus Lithuaniæ institutis pugnarent. His Rex fidem fecit, se curaturum, ut illæ ex novo Lithuaniæ legum codice expungerentur. Cleri intercessio ita se habet. [*]

[*] Polonia Vol 19. fol. 832.

Protestatio Facta a Reverendo D. Decano Vilnensi in Comitiis Nuncio Capitulari.

« Quemadmodum ante in Magno Ducatu Lithuaniæ et per se, et per Nuncios suos Illustris et Rmus in Christo Pater et Dominus, Dominus Georgius Radziwil Dei gratia Episcopus Vilnensis, Dux in Olyka et Nieswiess, suo ac totius Cleri Lithuanici nomine palam protestatus est, se nulla ratione pro officio et conscientia sua consentire posse, in ea statuta, quæ nuviter a Dñis sæcularibus in Magno Ducatu Lithuaniæ correcta congestaque sunt: ita et nunc in his generalibus Varsaviensibus Regni Comitiis, in quibus approbatio eorundem statutorum a statu sæcularis ordinis per Dominos Nuncios Lithuanicos exposcitur, cum ipse in persona sua propter onus gubernationis Livoniæ sibi a Sacra Majestate Regia impositum præsens non posset, per nos Venerabiles Joannem Jarczenski Decanum et Benedictum Vonia Custodem Vilnenses, mandatarios suos et totius Cleri, solemniter coram Sacra Majestate Vestra ac universis Regni Ordinibus, suo atque totius Cleri Lithuanici nomine iterum protestatur, quod nullatenus in statutorum prædictorum noviter emendatorum et conscriptorum promulgationem consentire velit aut possit; multominus ferre, ut ordo Ecclesiasticus in Lithuania illis subesse aut subjacere quoquomodo teneatur, idque ex causis inferius adjectis. Prima, quia in eo statuto multa continentur, quæ præjudicium adferre videntur religioni Catholicæ atque Sanctæ Apostolicæ Ecclesiæ. Secunda, quia expresse adversantur et derogant antiquis juribus et privilegiis ordini Ecclesiastico, a prima religionis Christianæ Catholicæ fundatione per Serenissimos Reges Poloniæ et eosdem Magnos Duces Lithuaniæ datis et concessis, contra libertates ac immunitates, jure communi omnium Regnorum ac Provinciarum Christianarum, nec non jure speciali Magni Ducatus Lithuaniæ roboratas. Tertia, quia hæc statuta, sive nova eorumdem correctio sine scientia et consensu quemadmodum Illustris et Rmi Domini Episcopi Vilnensis, ita et ordinis Ecclesiastici conscripta et sancita sunt, cum ad leges universales in libera Republica omnium ordinum concors et unanimis requiratur consensus. Quarta, quod per hujusmodi statuta jurisdictio ecclesiastica penitus tolleretur, ac sensim reliquæ, quæ paucæ sunt admodum in illo Magno Ducatu Lithuaniæ, Ecclesiæ Catholicæ, expulsis sacerdotibus, quod in plurimis locis hactenus factum non sine dolore videre est, in vastitatem redigerentur. Ex his et aliis multis causis et gravaminibus, Illustris ac Rmus Dñus Episcopus Vilnensis cum universo Clero Magni Ducatus Lithuaniæ, omni meliori via, modo et forma amplissima, statutis hisce de novo in præjudicium libertatum ecclesiasticarum correctis contradicit, et contra eorundem promulgationem, confirmationem, nec non approbationem publice protestatur, nolens eisdem se et universum Clerum subjicere; sed cum antiquis et diuturna consuetudine rite approbatis, salvis per omnia juribus, prærogativis et privilegiis Ecclesiasticis perseverare malle. Eam protestationem coram Sacra Regia Majestate, præsente Senatu et Equestri ordine, oretenus pronunciatam, postmodum in scripto traditam in libros Cancellariæ ingrossari et acticari humiliter petimus.

Rex respondit: « Hanc quidem protestationem Illustris et Rmi D. Episcopi Vilnensis, nomine suo et totius Cleri Magni Ducatus Lithuaniæ, sic ut præmissum est, factam, per nos admissam et susceptam ad acta Cancellariæ nostræ inscribi acticarique jussimus.

XXXIX. — Ut de iis, quæ Possevinus in Moscovia egit, pauca dicamus: nemo omnium ignorat tum lætas spes exitum fefellisse, nullumque ex tot curis et laboribus fructum extitisse. Pace igitur Stephanum inter et Magnum Moschorum Ducem, auctore maxime Romano Pontifice, per Possevinum composita, hic statim Moscoviam profectus est, alterum maximi momenti negotium expediturus, de Moscorum Duce una cum tota gente Ecclesiæ Romanæ adjungendis: neque enim suspicabatur optimus vir, Moschi artibus tam fœde sibi illusum iri. Summis quidem honoribus exceptus fuit; at nihil pro spe contigit. Tribus enim colloquiis cum Magno Duce, adsidentibus regni proceribus, diebus XXI. et XXIII. Februarii et IV. Martii in Arce Moscuensi habitis, quid nisi magnificas illas quidem in speciem, sed revera vanas spes et pollicitationes retulit? Hæc tot suos labores et curas recidisse copiose et ingenue ipse narrat [*]. Magnis item cumulatus honoribus Moscovia discessit. Jussit Dux ab trecentis Nobilibus ad quatuor passuum millia deduci; cumque eo novum ad Gregorium Pontificem misit Legatum Jacobum Molvianinum, per quem significabat, placere sibi cum suis jungi Catholicorum commercia, et potestatem faciebat mercatoribus Catholicos sacerdotes habendi, qui sua privatim sacra obirent, solo item ad sepulturam promisso: simulque Pontificis Legatis commeatum per Moscoviam, si in Persidem aut alio mitterentur, spondebat, et profitebatur velle sibi amicitiam cum Romano Antistite, usumque perpetuum esse.

[*] De Moscovia Edit. cit. pag. 20-30.

Mense Septembri ejusdem anni Possevinus Moschorum Legatum, nonnullis suæ gentis comitantibus, ad Pontificem adduxit, qui eos ad suos pedes provolutos humanissime excepit. Audiamus Mucantium rem festive, æque ac salse narrantem. [*]

[*] Diarior. Cærem. vol. 13. fol. 321.

« Die 13. Septembris venit ad Urbem quidam Nuncius Magni Ducis seu Principis Moschorum, seu, ut vocant, Moschovitarum, cum quo rediit Antonius Possevinus, ille presbyter Societatis Jesu, quem superius memoravimus discessisse ab Urbe cum altero ejusdem Principis Moschorum Nuncio de mandato Sanctissimi ad dictum Principem, ut experiretur, si illi Catholicam fidem persuadere posset, cumque ad obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ attrahere; quem etiam diximus detulisse Rosam auream benedictam nomine ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Archiduchissæ Bavariæ, ut supra notavimus, sub die 27. Martii anni præteriti; qui tamen haud scio quantum profecerit. Die igitur prædicta ingressus fuit Urbem dictus Nuncius, nomine Jacobus Sieminovich per Portam Angelicam prope Palatium Vaticanum, cui nec familia Papæ, nec Cardinalium obviam ivit, sed tantum multi Barones et nobiles cives Romani et curiales. In platea S. Petri, dum ille transiret, milites Helvetii de custodia Sanctissimi D. N. stabant simul in linea recta, et ibi aliquot bombardæ exoneratæ honoris gratia; transivit per Pontem Sancti Angeli versus Urbem; quo transacto in Arce S. Angeli fuerunt pariter exoneratæ multæ bombardæ; equitavit usque ad mansiones sibi præparatas in domo Rmi D. Cardinalis de Columna in platea SS. Apostolorum. Papa tunc rusticabatur.

« Dominica sequenti die 16. ejusdem, cum die præcedenti Papa rediisset ex villa, prædictus Nuncius Moschorum, cum aliquot ex suis una cum prædicto R. D. Antonio Possevino venit ad Palatium S. Marci hora 20. vel circa, ubi in aula, in qua est Cosmographia orbis appensa, fuit receptus a Papa cum stola, circumsedentibus 17. Cardinalibus. Dictus Nuncius vocabatur, ut prædixi et mihi relatum fuit, Jacobus Sieminovich, quod interpretatur Simonis filius, et cum eo alter vocatus Malmenichow aulicus Magni Ducis, ac alter Secretarius vocatus Thiscina Basilii, et Interpres vocatus Jacobus Valentini filius Zabyrowsky. Erant primi duo supradicti induti villuto nigro, vestibus juxta morem regionis eorum factis, et in capite portabant tegmenta ex pellibus cebellinis. Cum ipsis erat prædictus Ant. Possevinus. Postquam ingressi sunt dictam aulam, monui dictum Possevinum, ut ipsos faceret ante Pontificem genuflectere, et genuflexos loqui quidquid vellent: nam illi linguam nostram non intelligebant, nec nos illorum sine interprete: difficulter potuit eis persuaderi, ut genuflecterent et caput detegerent: dicunt enim in eorum more positum esse, ut numquam caput detegant honoris gratia, nec etiam ipsorummet Duci et Principi, nec ante illum genuflexi, sed procumbentes sunt, dum illi reverentiam volunt exhibere. Tandem genuflexerunt, et caput denudarunt, suadente Possevino, quem videbantur magnopere vereri. Primus illorum cœpit loqui patria lingua, quæ a nemine intellecta fuit; alter vero, seu eorum Secretarius vel Interpres eadem verba repetiit lingua latina in hunc qui sequitur modum, videlicet.

« « Missi sumus, Summe Pontifex Gregori XIII. Pastor atque Doctor Ecclesiæ Romanæ, Vræ Sanctitatis valetudinem percontari. Misistis ad Nos Legatum vestrum Reverendissimum D. Possevinum una cum litteris, quas cum gaudio acceptas summa voluptate audivimus; nec non

Reverendissimi D. Antonii dicta maximi desiderii fuere de mutua inter nos unione. Jussimus itaque eidem Reverendissimo D. Antonio Possevino, Legato vestro, per homines nobis propinquos respondere, nimirum quod cupimus cum Vestra Sanctitate, ac cum fratre nostro pretiosissimo Rodulpho Secundo Imperatore Romanorum, cum denique omnibus Christianis Principibus in fraternitatis charitatisque vinculo esse. Vestræ Sanctitatis tandem erit, Summe Pontifex, ut auditis nostris litteris, necnon perpensis iis, quæ cum Rm̃o D. Antonio Possevino, Legato vestro, nostri Barones egere, Internuncium nostrum Jacobum ad omnia responso dato remittere digneris! » »

« Deinde præsentarunt eidem Sanctissimo D. Nostro litteras eorum Ducis in pergameno, nomine eorum Ducis seu Principis, cum sub inscriptis titulis nominando, primus videlicet eorum proprio idiomate, alter latino, ut prius facerant de verbis supradictis, videlicet.

« « Gratia Dei Magnus Dominus Char, atque Magnus Dux Joannes Basilii, totius Russiæ, Vlodimeriæ, Moschoviæ, Novoplescoviæ, Magnus Dux Smolensciæ, Tveriæ, Ingriæ, Permiæ, Viatkæ, Bulgariæ etc. Magnus Dominus, atque Magnus Dux Inferioris Terræ Novogardiæ, Chernigoviæ, Restoviæ, Jarislaviæ, Belozeriæ, Livoniæ, Udoriæ, Obdoriæ, Condimiæ, totiusque regionis Siveriæ etc. Dominator. » »

« Quibus litteris præsentatis obtulerunt Pontifici munus nonnullarum pellium ex cebellinis, osculando pedem Sanctitatis Suæ. Quibus Pontifex respondit, lætari eos advenisse, et quod litteræ sibi traditæ considerarentur, et eis responsum daretur. Tum prædictis surgentibus, nonnulli eorum famuli et compatriotæ osculati fuerunt pariter pedem Sanctitatis Suæ. Mox Pontifex, facto super eos signo Crucis, illinc abiit ad suas cameras.

« Non fuimus pro hujusmodi actu nos Magistri Cæremoniarum vocati, nec moniti, sed ego mea sponte casu illuc accessi, cum audivissem invitatos fuisse plures Cardinales tali causa, ut viderent, quæ agerentur. Inveni autem cuncta parum considerate et sine decore ordinata. Nam primo aula prædicta, ubi fuerunt ipsi Moschovitæ recepti, nullis auleis aut coriis ornata erat, sed nudatis parietibus, iisque minime nitidis; erant autem duæ aliæ aulæ, per quas ipse Nuncius transivit, antequam ad prædictam perveniret, videlicet aula magna et altera ei proximior, hispanis coriis auro circumfusis ornatæ et coopertæ, ea vero, quam magis decebat ornari, penitus spoliata, quodque etiam deterius fuit, Sedes Pontificia fuit ibi parata simplicissima ex corio rubro, et sine ullo suppedali, quales fere vel multi mediocres homines intra suas domos habere solent; quod eo minus laudabile fuit, quia hujusmodi Nunciis, qui a longinquis et remotissimis partibus fama ducti ad Pontificiæ Majestatis thronum venerandum accedunt, aliquanto etiam splendidior apparatus ostendi debuit, quam is, quo singulis diebus in privatis Congregationibus et inter suos domesticos soleat sese Pontifex demonstrare; præsertim consideratis moribus ac ritu Ducis seu Principis ipsorum Moschovitarum, qui cum aliquos exteros Oratores recipit, superbe ac magno fastu sese illis exhibet, longo ordine pluribus hominibus proceris staturæ ac barbatis, sed re vera conditionis infimæ et servilis, habitu tamen senatorio et sumptuoso circumstantibus, vel sedentibus, ut eo pacto exteris suæ Aulæ splendorem et magnificentiam, licet inanem et fictam ostendat, quemadmodum Olai Magni historia de gentibus septentrionalibus lib. xi. cap. x. declarat. Et ipsemet prædictus Antonius Possevinus expertus est, qui testatur magna solemnitate se fuisse ab ipso Magno Duce seu Principe Moschorum receptum, missis ei obviam innumeris equitibus et Nobilibus sui Dominii bidui spatio, quod ab ipso plenius intelligetur. Quare tum ipse Possevinus, tum multi alii, ac fere omnes mirabantur tam modicam de ea re habitam esse rationem, ægre ferentes id cum parva Sedis Apostolicæ dignitate, ac minori forsan satisfactione ipsorum Moschovitarum factum fuisse; quibus etiam ingredientibus ad tantum Principem vix patebat aditus præ hominum multitudine, qui illic conduati erant studio videndi hos novus homines, habitu, lingua et moribus a nostris differentissimos, quorum numerus et pressura talis fuit, ut vix reliquerit vacuum locum, ubi sedebat Pontifex cum prædictis Cardinalibus, et fere ipsum Pontificem et Cardinales conculcarent, et ipsi Moschi cum maxima difficultate in conspectum Pontificis potuerint penetrare, nisi ipse de mandato Suæ Sanctitatis voce et nutu transitum aperuissem. Et re vera magna fuit incuria domesticorum ipsius Pontificis, qui id sciebant, et quibus curam de ea re Sanctitas Sua reliquerat, non ponere in dictis aulis custodiam militum, qui gentes arcerent ab ingressu, ut et via aperta pateret illis, et Pontifex majori cum decore et majestate eisdem appareret, segregatus et distinctus a circumfusa multitudine. Quod si prius aliquis nostrum, ut in similibus casibus fieri deberet, fortasse de tali errore præmonuissemus, aut certe aliquem meliorem ordinem præmonstrare potuissemus; sed nostris temporibus exiguo in pretio habentur Magistri Cæremoniarum respectu temporum præteritorum. Notavi morem barbarum ipsorum, qui genu flexi ante Pontificem gestientes præ lætitia pugnis sese invicem impetebant, quod apud eos consuetum esse didici a Rm̃o D. Vincentio Portico Urbis Gubernatore, et olim Nuncio apud Regem Poloniæ.

XL. — Comitiis regni Poloniæ jam coactis, annoque præcipiti, adfuit Possevinus, iterum ab Italia Legatum Moschum et comites, perhonorifice ab Italiæ civitatibus etiam atque Principibus acceptos, reducens. Perbenigne quoque eos Rex Stephanus accepit, donis ornavit, abeuntibus viæ ductores addidit. Addidit et Possevinus Gregorii Pontificis suoque nomine dona et ad Magnum Ducem litteras, atque ita demum perbenevolos lætosque dimisit. Nova ferebat mandata a Pontifice Possevinus, ut condendis nationum variarum Seminariis Vilnæ et Claudiopoli insisteret, componendisque controversiis, quæ Stephano Regi cum Cæsare ac Rege Sveco restabant.

Quod autem Gregorius nonnulla etiam nunc spe sustentaretur, factum iri, quod de Moschorum gente fieri votis omnium exoptabatur, argumento sunt ejus ad Magnum Ducem litteræ, in quibus eum contra Turcas excitat; laudat quod de Ecclesia Catholica optime sentiat, quod Catholicis sacerdotibus libere per ejus regiones transeundi manendique potestatem fecerit, ipsiusque res sibi curæ esse confirmat, et Christi Redemptoris imaginem dono mittit: Possevino se multum tribuere demonstrat, cum eoque ut per litteras agat, suadet. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann XI ep. 11 l. 173.

Moscorum Duci.

« Gregorius Episcopus servus servorum Dei Joanni Basilii Domino Russiæ, Magno Duci Moschoviæ, Novogardiæ, Smolensciæ, Vlodimiriæ, Domino Casani et Astracani, multarumque aliarum Provinciarum Principi Magno et desideratissimo, salutem et omnis gratiæ fructum. Rediit ad Nos dilectus filius Antonius Possevinus, quem ad te miseramus una cum Jacobo Molvianino Oratore tuo. Facile perspeximus tum ex tuis literis, quas Antonius noster, tum Jacobus tuus Nobis reddiderunt, humanitatem tuam. Narravit etiam idem Antonius multa de Tua Amplitudine honorificentissime, inter cætera quoties ad te adiit, semper benignissime acceptum esse, quod quidem fuit Nobis gratissimum. De pace cum Rege Poloniæ tantam voluptatem cepimus, quantam par erat Nos capere Potentissimorum Principum conjunctione, et Christianorum populorum, qui antea magna inter se cum cæde conflixerant, tranquillitate et incolumitate, optimaque spe communium virium armorumque in Christi hostes convertendorum, quo quidem nihil posset fieri preclarius, nihil Christianæ Reipublicæ salutarius. Gratum vero tibi esse, Nos nostram auctoritatem atque operam in pace conficienda interposuisse, fuit id quidem Nobis gratissimum, nihil enim unquam egimus libentius. Sed ut summam in eo negocio Dei gloriæ rationem habuimus, sic præmia omnia ab immensa illius misericordia expectamus: tuam vero tam gratam hujus facti memoriam omni benevolentia omnibusque officiis complectendam ducimus. Quod scripta ea, quæ postulasti, de Religione, quæque tibi petenti Antonius tradidit, attente legisti, quodque et ex tuis literis, quas superiore anno ad Stephanum Poloniæ Regem scripseras, cognovimus, perspectum habere te semper in Ecclesia Romana syncerum veræ fidei cultum usque a sanctissimis Apostolis ductum viguisse, semperque retentum esse, nec posse unquam ulla aut temporum iniquitate, aut hominum fraude et perversitate violari, incredibiliter læti sumus, idemque hoc tempore sentire te speramus; sic enim te tunc vere sapienterque scripsisse accepimus, Isidorum Russiæ Metropolitanum in Oecumenica Synodo Florentina agnovisse, palamque professum esse Catholicam veritatem in Romana Ecclesia contineri, ab eoque tempore Russiam sese cum Ecclesia Catholica Romana conjunxisse. Magnam igitur in spem venimus, te præter ea, quæ pollicitus es eorum causa, qui istuc venerint, cæteris quoque in rebus gravioribus facilem futurum, præsertim cum intelligas, quam necessaria, quamque Deo accepta sit animorum ipsius charitate conjunctio. Quod vero Turcam teterrimum tyrannum tam male oderis, quodque in ejus perniciem paratissimus es, facis, quod Christianum Principem ac tantum Dominum decet. Ut autem nihil difficile est Deo vincere vel in multis vel in paucis, sic boni omnes sperant, te nullam opportunitatem omissurum esse, non solum communibus copiis, sed tuis etiam ipsius viribus atque armis, tuaque potentia monstrum illud a Christianorum cervicibus repellendi. Nos vero non cessabimus de eo, quod sapienter magnoque cum zelo scribis, cum cæteris Christianis Principibus agere, eosque adversus communem hostem vocare. Omnibus autem de rebus Amplitudinem Tuam suo tempore certiorem faciemus. Interea cupimus, ut libros literasque eas, quas ad te mittet dilectus filius Antonius, sic accipias, quasi a Nobis ipsis mitterentur; inter eos enim, quos plurimos habemus doctrina ac pietate præstantes, unus is est, cujus fidem, synceritatem, zelum plurimi facimus. Mandavimus etiam ei hoc tempore, cum illum in Germaniam et in Poloniam mittimus, ut omnibus officiis tibi præsto sit omnibus in rebus, quæ ad Dei gloriam atque ad dignitatem tuam pertinebunt. Quamobrem tu, si opus erit, et ad eum scribere, et tabellarios tuos mittere fidenter poteris, ne quid itineris longinquitas tuo desiderio et commodis obstare possit. Quod autem jam non unas Nobis patentes literas, fidemque publicam misisti, quibus concedis, ut mercatores nostri et aliorum Principum cum Sacerdotibus nostris ad te venire, libereque istic commorari, et tuto ad Nos redire, quoties voluerint, possint, utque etiam possimus, quoties opus erit, tuto aliquos ad Persas mittere,

dici vix potest, quam jucundum Nobis acciderit. Nos quoque vicissim pollicemur, quoties tibi placuerit tuos huc mittere, eos quam tutissime venturos, libere commoraturos, quotiesque voluerint, discessuros, omniaque a Nobis charitatis officia relaturos. Pelles, quas misisti tum superiore anno per Paulum Campanum, tum hoc tempore per Jacobum tuum, accepimus libentissime. Mittimus vicissim piam Christi Redemptoris nostri imaginem, quam conservabis nostræ Sanctæque hujus Sedis memoriæ causa. Oratorem tuum a nobilissima Venetorum Republica præclare acceptum esse, interque vos amicitiam conjunctam esse, negociationumque utrinque jam facultatem patere, quæ quidem omnia per Antonium nostrum curari mandaveramus, gratissimum Nobis fuit. Interea non cessabimus orare, ut Deus benedictus amplectatur te tuosque omnes sua gratia, cumuletque omni fœlicitate. Datum Romæ apud S. Marcum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Calendis Octobris, Pontificatus Nostri anno undecimo.

XLI. — Poloniæ Regi Gregorius, facta singulari de ejus pietate et inita pace gratulatione, suadet, ut quoniam et parum eum Rudolpho Imperatore conveniret, rem omnem sibi permitteret: se enim in regni ejus causa non secus ac pro suis ipsius rebus admissurum. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep. 35. f. 166.

Charissimo in Christo Filio Nostro Stephano Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Reddidit Nobis literas Majestatis Tuæ dilectus filius Antonius Possevinus; exposuit etiam diligenter, quæ ei commiseras. Lætati sumus vehementer tum pacis nomine, tum vero eximia pietate tua; sic enim confirmas, curaturum te omni conatu et studio, ut una cum imperio Catholicæ etiam Religionis res propagetur. Egimus igitur gratias Deo, quantas potuimus maximas. De Episcopatibus Livoniæ et Transilvaniæ, deque Seminariis illis in locis constituendis brevi omnia curabuntur, idque eo facilius, si homines idoneos, et spectata, ut oportet, virtute et probitate præditos nominaveris. Narravit etiam Possevinus, cur non tibi a Charissimo filio nostro Rodulpho in Romanorum Imperatorem Electo omnino satisfactum esse existimes, quidve obstare videatur, quominus inter vos, vestrasque Provincias et Regna, ut par est, conveniat. Incredibiliter angimur; cupimus enim filios nostros, eos præsertim, qui excelsum in Republica Christiana honoris gradum obtinent, summa inter se charitate, officiisque omnibus conjunctos esse. Optimam igitur remedii inveniendi rationem esse judicavimus, si curaremus his de rebus cum Rodulpho ipso agi. Postquam vero ejus sententiam perspeximus, eam tibi significandam esse duximus, simulque rogandum, ut patiaris, negocium amice tractari; omnemque aliter agendi rationem abjiciendam putes; sic enim postulat Dei gloriæ et Catholicæ Religionis cura; convenit hoc etiam, quantum quidem intelligere possumus, privatis rationibus tuis. Scribimus igitur ad Nuncium nostrum, is omnia explicabit, ostendetque, quid a Majestate Tua cupiamus; nec dubitamus, quin impetraturi simus: sic enim pollicetur spectatissima tua pietas, nobilitas et virtus Regia Majestate dignissima. Cupimus, ut Nuncio nostro omnem fidem tribuas, sicque ad Nos rescribas, ut possimus in negocio ipso procedere; cujus etiam negocii causa, si ita opus erit, vel Possevinum ipsum, vel alium mittemus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die XXII. Septembris, millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Zamoiskio etiam ob ejus studium avitæ fidei in Livonia instaurandæ meritas laudes impertitur; cui præterea Possevinum in eas regiones brevi iturum valde commendat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII Ann XI ep 40. f 173

Dilecto Filio Nobili Viro Poloniæ Cancellario.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Et antea ex literis dilecti filii Antonii Possevini acceperamus, quanto studio de rebus Catholicæ Religionis egeris, curaverisque, ut tollerentur ea, quæ in Regno isto huic causæ obsistere videbantur, et ex ipsius Antonii sermone cognovimus, quanta humanitate eum amplexus fueris, quantopere ejus incolumitatem commendatam habueris, quam libenter audieris, quam diligenter de Catholica Religione in Livonia instituenda laboraveris. Fuerunt hæc omnia digna tua præstanti pietate et loco, quem apud Regem meritissime obtines. Voluimus igitur T. Nobilitati significare, hæc omnia Nobis gratissima accidisse. Mandavimus etiam Antonio, quem ad Regem mittimus, ut tecum communicet ea, quæ Tuæ Nobilitati referet. Omnem igitur ei fidem tribues, non solum quia Nos multum tribuimus ejus pietati et synceritati, sed etiam quia ipse plurimi facit præstantem pietatem, et judicium ac prudentiam tuam, omnibusque in rebus, de quibus sive coram, sive per literas tecum aget, eum commendatum habebis. Reddidit etiam Antonius Nobis egregium horologium, quo Nos donare voluisti: fuit hoc munus Nobis pergratum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die prima Octobris MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

XLII. — De rebus a Possevino in Moscovia gestis fuse agit Durinius e Societate Jesu in ipsius vita gallico idiomate conscripta, et Lute-

tiæ Parisiorum anno 1712 typis excusa 8. p. 252-437. perplures Possevini litteras, quæ res Moscoviæ illustrant, exhibent Hieronymus Lagomarsinius e Societate Jesu in adnotationibus ad præclarum Antonii Mariæ Gratiani opus, cui titulus: De scriptis invita Minerva ad Aloysium fratrem libri xx. nunc primum editi, Florentiæ 1745. 4. T. I. pag. 302-325. nec non Sebastianus Ciampius: Bibliografia critica delle antiche reciproche corrispondenze politiche, ecclesiastiche, scientifiche, letterarie, artistiche dell' Italia colla Russia, colla Polonia ed altre parti settentrionali, Firenze 1834. 8. pag. 141. et 242. seq. Tom. II. pag. 292. seq. Consules etiam quæ Fridericus Adelungius de eodem Possevino profert: Kritisch-Litterarische Uebersicht der Reisenden in Russland bis 1700. St. Petersburg 1846. 4. Tom. I. pag. 321-349.

XLIII. — Possevino præter alia nomine Pontificis cum Magno Moscorum Duce de fœdere ipsum inter et reliquos Principes Catholicos contra Turcam ineundo tractandum fuit; id ex præscripto, quod recentiores Instructionem nuncupant, quodque Cardinalis Comensis Possevino de negotiis in Moscovia agendis dederat, luculenter apparet, apud Turgenevium Monum. Russiæ Tom. I. pag. 290.-305. et Seb. Ciampium: Bibliografia critica etc. Tom. I. pag. 242. — 244. En quomodo hocce Pontificis consilium Moschorum Duci explicaverat in libello satis memorabili ea de re ipsi exhibito. [*]

[*] Germania Vol. 31 fol. 307.

Quid P. Ant. Possevinus de fœdere inter Christianos Principes et Magnum Moscoviæ Ducem latine ac ruthenice ei proposuit nomine Summi Pontificis anno 1582.

« De fœdere cum Serenissimo Magno Duce inter Christianos Principes adversus Turcam sanciendo: ac quonam modo id maxima cum laude et merito atque Regnorum suorum propagatione Magnus Dux consequi poterit.

« Si, Serenissime Princeps, quemadmodum Summo Pontifici te cupere significasti, una cum aliis Potentissimis Christianis Principibus sancto fœdere te conjunxeris, atque adversus Turcam arma converteris, ne Christianus scilicet sanguinis effundatur, et vero in Orientem quam latissime Divini gloria nominis inferatur, facies rem Christiano Principe dignam, Deusque certissimus omnium bonorum remunerator, suam tibi infinitam misericordiam impertiet, prædicaberisque apud omnes Christiani orbis populos summi illius, quod inde consequetur, boni auctor extitisse: sicut iis contigit, qui Syriam et Hierosolymam collatis eo armis ex manibus infidelium eripuerunt, quas item diutius retinuissent, si Christiani, qui ejus sæculi fuerunt, publicum privato bono anteposuissent. Sed et tuas ditiones multo facilius in ipsis Turcarum visceribus propagabis, quod tu potentissimum Imperium tuum Orientis Imperio finitimum habeas, tuique quondam majores, cum nondum tot sibi provincias ac populos, quales tu habes, subjecissent, in Asiam tamen ac Greciam Bizantium usque victores pervaserunt. Atqui Summus Pontifex et Sancta Sedes Apostolica, quæ Orientis Imperium in Occidentem justissimas ob causas transtulit, eam tibi Orientalis Imperii partem attribuere posset, iisque te insignibus ac titulis honorificentissimis augere, qui tuæ fidei atque virtuti maxime debebuntur. Quod quidem, ut ab auctoritate Divina proficiscetur, quam Petro et ejus Successoribus Christus Dominus tradidit, ita eadem tituli et Imperii tui amplificatio scribetur et ligabitur in cœlis, quoniam a Christi Vicario, ejusdem Petri Successore scribentur et ligabuntur in terris. Nec vero in hoc toto negocio Pontifex Maximus ullo sumptui parcet, idque ut item Potentissimi alii Principes faciant, sperat se facile, Deo juvante, consecuturum.

« Scito autem præter Romanorum Imperatorem Rodulphum Catholicosque Germaniæ Principes, quorum opes atque potentiam ingentem cognoscere potuisti, esse Catholicum Regem Hispaniarum Philippum, qui præter alia Regna complura, jam integras Hispanias una cum Lusitaniæ Regno, orientisque ac meridionales et occidentales Indias quam amplissimas possidet, cui incredibilis pecuniæ gentiumque bellicosarum copia, et religiosissimus animus non desunt. Veneti vero, quorum Imperium ad ipsa usque Turcarum viscera pertinet, classim semper habent instructam, viribusque et consilio maxime pollent. Galliæ quoque Regni pars major una cum eorum Rege, cæterique Christiani Principes, inter quos sunt Italiæ opulentissimi ac quidem præpotentes Duces, si uno tempore tecum ac cum aliis illis, de quibus dixi, cumque Poloniæ Rege, quem in hanc sententiam perducere Summus Pontifex omnino conabitur, adorti fuerint Turcam, tyrannidis illius certam extinctionem futuram nemo non videt. Jam vero ipsius Apostolicæ Sedis præmagnæ sunt vires (licet ea præsidio Divinarum rerum, armisque cælestibus in primis innitatur); nam præter complures nobiles civitates ac regiones, quæ sunt ipsius Pontificiæ ditionis, quinquaginta hominum millia semper habet sub signis, qui in re militari exercentur, cum si opus sit, et quidem nullo suarum arcium præsidio sublato duplicatus eorum numerus facile confici possit, qui quotiescunque fuerit opus in expeditionem bellicam educantur. Is vero miles est ejus generis atque virtutis, qualem nosti fuisse Romanum, qui paucissimis legionibus orbem pene universum suo illi quondam Imperio subjecit.

« Ergo ut hoc in nomine Sanctissimæ Trini-

tatis quam primum efficiatur, necesse est ut statuas, quo tempore, quave ex parte tu bellum adversus Turcam gerere possis. Eodem enim tempore aliisque ex partibus alii Principes, si eundem Turcam oppugnaverint, breviore compendio totus istius tanti negocii cursus, Deo miserante, conficietur.

« Sed quoniam nec tu, nec alii Christiani Principes id aggressuri sunt, quin constet, omnia serio ac vere effectum iri, propterea cogitet Serenitas Tua, quantis copiis ista a te bellica expeditio esset instituenda: hoc enim magnopere faciet, ad alios Principes animandos, ut te ipsum imitentur. Deinde num jurejurando et sanctissimæ crucis osculo tantum, an vero alia quoque obsidum vel pecuniæ deponendæ cautione vinculum tam sancti fœderis firmandum esset, ne si quis illorum fœderatorum Principum diem obiret, cursus tantarum victoriarum interrumperetur. Quæ omnia celeriorem exitum sortientur, quo secretius cum ipso Pontifice Maximo tractabuntur, ad quem si hoc ipso tempore Legatum tuum tum de hoc, tum de aliis negociis mittere constitueris, (quæ propterea litteris suis idem Pontifex Maximus tibi proponit, quod tu litteris tuis primis hujus sanctissimæ et optatissimæ rei occasionem illi præbuisti) intelligent omnes Principes Christiani, te licet hostium tuorum bello aliisque permagnis rebus distinearis, integris tamen esse viribus atque animo, quibus molem alterius illius belli sustinere suo tempore velis. Quod cum Deus exercituum te suscepturum esse viderit, ipse istud alterum bellum in perpetuam pacem convertet; tuisque potentibus viribus et eas, quæ sunt ipsorum hostium, et alienas adjunget. Cupit autem Pontifex Maximus, ut Persarum Regem ad hoc ipsum velis impellere, ad quem ejus Pontificis Maximi Sanctitas fortasse non ita multo post Legatum aliquem suum allegabit, si intellexerit, te illi fidem publicam seu salvum conductum esse concessurum, aut ei hominem item ex tuis esse adjuncturum, qui eum tuto per provincias tuas in Persiam adducat. Nam et superiore anno ex Persia missus ad Pontificem Maximum Nuncius illum rogavit, ut per Christianos Principes expeditionem adversus Turcam quamprimum parari curaret, quandoquidem Turcicæ res eo in statu essent, ut deteriores nunquam antea fuissent.

« Sed et Syriæ pars atque Antiochenus Patriarcha Legatos suos Romam miserunt, qui cum viros in pietate excellentes a Pontifice Maximo obtinuissent, eam Orientis partem ad sinceram Christi Domini religionem ubere cum fructu convertunt. Quæ Tuæ Serenitati ut dicerem, propterea mandatum est mihi, ut cum hæc omnia non sine Divina voluntate ac Imperium Turcicum ea quoque in mundi parte infirmari cognoveris, simul intelligas Pontificem Maximum a Spiritu S. moveri, ut suis te literis uberioribusque mihi traditis mandatis roget obnixe, ut arctiore cum Principibus Christianis vinculo, quam humana sit amicitia, constringaris. Nullo autem firmiore aut arctiore vinculo Principes inter sese Christiani constringi possunt, quam si eadem religione devinciantur: ex qua cum constans in eodem spiritu ac charitate unio proficiscatur et foveatur, reliqua item fœlicissimum exitum sortiuntur, cum etiam sine hac basi atque firmamento Catholicæ religionis omnis humana cogitatio corruat, et fœdera quantacunque facili momento dissolvantur. Itaque huc in primis spectent, pernecessarium est, ii, qui ad publicum bonum vere consilia sua referunt, quique intelligunt Deum esse exercituum Deum, qui victorias confert, et regna pro sua voluntate in alios transfert, favet autem potissimum iis, qui ab illius manu potentissima pendent, ejusque institutum in Ecclesia ordinem servant.

« Quamobrem iterum te etiam atque etiam per misericordiam Christi obsecrat Pontifex Maximus, ut saltem apud te aliquandiu, quæ tibi ejus Sanctitas scripsit ac mihi injunxit, velis perpendere, inter quæ est fidei nostræ professio, quam Synodus Sancta Tridentina paucos ante annos, antiquissimas alias Synodos secuta, edere jussit in lucem, cum ad eandem Synodum ex variis Orbis terrarum provinciis confluxissent Theologi et Episcopi præstantissimi, ipsi autem fere omnes Principum Christianorum Legati eidem Synodo interfuissent. Intelliges autem primo salutem animarum tantum exquiri, non autem pecuniam ullam a te requiri, quam potius liberalissime omnibus nationibus adjuvandis et alendis de suo Pontifex Maximus solet expendere, sicut omnium pene nationum Collegia Romæ vidit Thomas Severigenus aulicus tuus. Deinde cognosces, nullam antiquissimarum cærimoniarum Græcarum mutationem a te eundem Pontificem Maximum petere; Græcos enim ritus ab Apostolorum tempore traditos, quique a sanctissimis Græciæ Patribus atque Conciliis primis observati sunt, Sancta Apostolica Sedes ita comprobat, ut et in aliis Latinorum civitatibus, et Romæ quoque adolescentes ex ipsa Græcia evocati, ac Pontificio sumptu edocati, in Græcis ritibus instituantur aut vivere sinantur; licet alios quosdam ritus externos, quibus non propterea fidei substantia mutatur, sanctissimi Petrus et Paulus in Occidente pro varia hominum ratione et captu tradiderunt. Sed illud a te duntaxat Pontifex Maximus petit, ut si quid est apud ipsosmet Patres Græcos sanctissimos, quatuorque ipsas primarias vel etiam sequentes Synodos, in quo fortassis Episcopi tui a nobis dissentiant, id tu cogites, qua ratione suaviter tolli queat, ut ista ani-

morum inter nos unio futura Deo acceptissima in æternum statuatur. Quod quidem facile tu pro tua potenti sapientia poteris efficere, ostensis ipsismet Episcopis Patrum Græcorum auctoritatibus et locis, quos ego, si jusseris, facillime notabo aut describam, vel si in pace cum Poloniæ Rege procuranda meam operam modo esse necessariam judicaveris, relinquam tibi ex nostris fideles ac doctos homines, qui hæc præstabunt, quique dum apud te manebunt, et ipsi Ruthenicam linguam discent, et Latinam alios e tuis docere poterunt, ut posthac de summis rebus agi tecum a Principibus facilius queat. Porro locis illorum Patrum Græcorum indicatis, exorieris quasi nova altera et splendidissima lux non ipsi tantum Russiæ, verum etiam Orienti universo: verissimaque fiet animorum unio et charitas, eumdemque omnes Pastorem spiritualem ac Christi Vicarium agnoscent, quem non hominis, sed Dei vox in perpetuum statuit. Nec erit opus, ut ad Turcas aliqui ex tuis potius, quam ad auctoritatem Petro Apostolo traditam respiciant, cum jam tu prudentissime noveris, Patriarcham Constantinopolitanum Patriarchatum pecunia non semel a Turcis, quorum et servus sit, mercari solere. Quod si a Pontifice Maximo Christi Vicario, cui datæ sunt claves regni cœlorum, ac cui dictum est a Christo, ut est in Evangelio: Petre, confirma fratres tuos, Metropolita tuus rite confirmabitur, tum reliqua omnia in tuis regnis erunt firmiora, tuque et populi tui omnes, Christianarum omnium orationum ac sacrificiorum particeps, senties dextram Dei admirabilia tibi dona conferentem. Hæc vero, optime Princeps, eo libentius te cogitaturum non dubito, quod sicut altero scripto Tuæ Serenitati significavi, relatum est mihi te Poloniæ Regi novissime scripsisse, inter Ruthenos tuos ac Pontificem Maximum Sanctamque Sedem Apostolicam unionem ab ipso Eugenii Quarti Pontificis Maximi tempore in Concilio Florentino secutum fuisse, quod quidem ex ipsius quoque unionis diplomatis sive Bullæ, cujus exemplar Ruthenicum ac Græcum Romæ asservatur, exemplo, quod huic scripto erit adjunctum, intelligere poteris: id enim ut tibi afferrem, Summus Pontifex jussit. Sed et Joannes Palæologus Constantinopolitanus Imperator, universaque tum Orientis Ecclesia una cum præstantissimis Theologis Græcis, cum eodem Pontifice Maximo tanquam verissimo Petri Apostoli successore consensit, cujus auctoritas, Primatus atque successio si evanuissent, ac vera ejus administratio cessasset, ubinam esset Vicarius Christi, a Christo ipso Domino institutus? Quis item (uti idem ipse Dei filius pollicitus est) Ecclesiam universam cum agnis et ovibus suis usque ad sæculi consummationem tanquam Pater et Pastor universalis pasceret? Quis vero esset, ad quem hæresibus aut aliis erroribus in variis mundi locis, vel Episcopis et Patriarchis a recta fide cadentibus confugere possemus, ne jacturam fidei faceremus? Pontifex igitur Maximus adhuc te, Serenissime Magne Domine, rogat, ut cogites, quantænam clades illatæ fuere Græcis, postquam a Sanctæ Apostolicæ Sedis sinu exire voluerunt; quam item gravi Turcarum jugo premuntur ii, qui una cum cæteris innumerabilibus Christianis summa spiritus libertate frui potuissent. Sic enim alibi vel hoc sæculo horrendæ aliæ clades et variæ hæreses exortæ sunt, cum aliqui a Pontificis Maximi fide et auctoritate populos quosdam seducere tentarunt. At cum postquam Græci sese prorsus a Sedis Apostolicæ complexibus subtraxerunt, videas Divino judicio delatum fuisse Turcis Orientis Imperium; cernas autem altera ex parte, Romam mundi caput a potenti Dei dextera fuisse Petri successoribus traditam ac conservatam, imperiumque ubique spirituale in Occidentem, atque inde ad omnes Orbis terrarum propagatum fuisse, Romanorumque fidem ab Apostolis Petro et Paulo edoctam nunquam fuisse immutatam; intelliges, hic digitum Dei esse, teque præclarissimum omnium facinus editurum, si tua auctoritate atque judicio sis auctor, ut Orienti verus Oriens veritatis illucescat. Maxima vero novi mundi et Indiarum ad Christianam Ecclesiam facta est hoc ipso sæculo, atque in dies fit, accessio: id autem fit per eos solos, qui a Pontifice Maximo ad remotissimas illas regiones mittuntur. Itaque ubi Dæmonum idola colebantur a barbaris, ibi passim sanctissima Crux erecta est et sacrosanctum Christi nomen adoratur. Quæ una res, nisi tot aliæ concurrerent, omnes evidenter ostendunt, unam ipsam esse Catholicam Ecclesiam, ex qua ad omnes a Spiritu Sancto religionis veritas debeat proficisci. Veruntamen ad hæc accedunt alia gravissima veritatis testimonia. Patrum enim Græcorum sanctissimorum corpora et reliquias sacras ipse Deus ad Occidentem transtulit, ac quasi in arce tutissima apud corpora sanctorum Apostolorum Petri et Pauli fecit locari, quæ cum innumerabilibus aliorum Sanctorum reliquiis, tanquam Divinæ auctoritatis certissima pignora, Romæ inter summas persecutiones et bella fuere divinitus asservata. Sanctorum vero illorum Patrum Græcorum corpora tum ad Occidentem translata sunt, cum Græcia lumen Universalis Ecclesiæ ac Pontificis Maximi noluit retinere, quamobrem ut suorum Sanctorum fidem orthodoxam atque obedientiam capiti præstandam deseruerunt, sic quoque patrocinium ac præsentiam eorum amisere. Quamobrem et libros eorum manu conscriptos a multis sæculis ipsa Ecclesia Catholica ipsique Latini habent, va-

riasque in linguas conversos in lucem edidere, ut omnibus liqueat, quæ antiquæ fuerit semita veritatis, ac quantopere cum eo Pontifice Maximo consentiebant ii Patres, qui etiam in gravissimis Imperatorum persecutionibus aut hæresum fluctibus ad ipsum Christi Vicarium, tanquam portum tutissimum veritatis, vel literis vel præsentes confugerunt. Atque hinc divina providentia factum est, ut etiam Divi Joannis Chrysostomi et Sancti Gregorii Nazianzeni sancta ossa in æde D. Petri Apostolorum Principis Romæ jacerent. In cujus Divi Gregorii Nazianzeni, sicut et Beatissimæ Virginis honorem hoc superiore biennio magnificentissimum sacellum a Gregorio XIII. Pontifice Maximo fuisse constructum, expensis in illud plus centum millibus aureis Hungaricis, ipse tibi, qui id conspexit, Thomas Severigenus referre potuit. Sed et D. Athanasii et Sancti Nicolai ossa Venetiis, una cum pluribus aliis Orientalium corporum reliquiis, asservantur ac pie coluntur.

« Quare cum et tu Pontificem Maximum probe intelligas eorundem Patrum Græcorum, et antiquissimorum Conciliorum doctrinam, quæ sine Sanctæ Apostolicæ Sedis confirmatione nunquam rata fuisset, admittere, imagines porro venerari, Sanctorum ac in primis Beatissimæ Virginis intercessionem petere, Sacramenta omnia, et divinos potissimum libros servare, atque eodem tenore contra omnes hæreses perpetuo exponere, non erit, cur ad istas regias animi tui dotes, quibus es præditus, atque ad gloriam illam, quam ex pietate Tartarisque imperio tuo latissime adjectis comparasti, æternum quoque hoc decus adjungere nolis, ut per Legatum tuum, et literis quoque tuis mihi datis, istam animi tui tuorumque cum Sancta Apostolica Sede unionem declares. Quod si feceris, ingentem ac solidissimam cœlestium benedictionum copiam ab ipso Deo per suum Vicarium percipies, omnesque Christiani Principes tecum fœdus sancient, tibique sic gratulabuntur, ut cum quo intelligent sibi eandem esse religionem ac fidem, cum eodem item ac posteris tuis opes, potentiam, arma ad tuorum hostium expugnationem, Imperiique tui propagationem, atque in primis Divini gloriam nominis amplificandam velint esse communem.

XLIV. — In Svecia res fidei Catholicæ pejori loco haud esse potuere : omnis spes eandem hocce in regno instaurandæ prorsus evanuit, tum propter infirmitatem regis tum propter Ecclesiæ hostes, qui contra eam odiis prope majoribus quam viribus certarunt. Memoria digna sunt, quæ Varsevicius, vir clarus et emunctæ naris, qui Oratoris munere nomine Poloniæ apud Svecorum regem id temporis fungebatur, de vario ejusdem super negotiis fidei et reipublicæ ingenio narrat in commentario, quem de rebus Sveticis Cardinali Comensi transmisit. [1]

« Rex absolute in Svecia imperare cupit, perpetuo tamen rusticorum contra se seditionem maxime religionis causa extimescit, et hinc Regnum quam Religionem pluris facit. Duos fratres habet, Carolum Ducem unum, Magnum alterum : utrumque uterinum et parum sibi fidum. A Carolo vehementer metuit, utpote cui multas injurias fecit, et quæ dederat, ademit. Qui et nobilium et rusticorum favorem occulte sibi conciliat, eoque nixus nescio quid contra eum machinatur. Rex in locum suum triennio ante filium cooptari, et hoc anno post Moschoviticam victoriam Regem salutari fecit. Est is adolescens, decimum septimum ingressus annum, non malæ indolis, modestus et taciturnus, nec non Catholicæ religionis studiosus, sed paulo tamen, ut mihi videtur, mollius educatus et valetudinarius. Est ei et filia, tertiumdecimum agens annum, forma uxorea, et a Catholica religione nonnihil facta aliena. Ipse annum quintum et quadragesimum superat, corpore crasso et pletorico, statura plus quam mediocri, colore rufo, barba longa, elato supercilio præditus, Latine non male, Italice et Anglice mediocriter, Germanice perfecte loquitur. Consiliarios habet paucos, nec omnium sapientissimus, in quibus Dux Carolus primum locum obtinet; sed tamen consultationibus nunquam aut perraro interesse solet. Comes Petrus est ei proximus, et inter omnes Sveciæ Proceres opibus et dignitate summus. Pontus a Gardia Gallus copiarum ipsius supremus est Dux. Hic et Andreas Kietus Scotus pro regni Consiliariis non habentur; sunt tamen nihilominus Regis intimi atque etiam Consiliarii. Regina, quoad junior erat meliusque valebat, authoritatem apud maritum non mediocrem habebat; nunc diuturnitate et magnitudine morbi consumptam, non solum authoritatem amisisse, sed neque diu superstitem esse posse omnes arbitrantur. Præter hanc Reginam sunt duæ præterea quæ vivunt aliæ, et quod mirum, omnes tres Catherina nuncupatæ, Gostavi conjux una, Erici altera. Quarum illa aliquid, posteriores duæ authoritatis et dignitatis pene habent nihil. Ipse Rex regit et gubernat cuncta, duobus tribusve adhibitis, qui nec genere, neque virtute, neque usu rerum cæteris antecellunt. Hic præ se Reges et Principes alios multis nominibus inferiores ducit, solumque et bellatorem, et oratorem, et Theologum inter eos se profitetur. Varii Princeps et instabilis ingenii, nunc in hanc, nunc in illam partem animo fluctuans; nunc metus, nunc spei plenus, et nunquam in utroque moderatus. In affinitatibus, quas ex matrimonio filii et elocatione filiæ contracturus se sperat, confidit multum. Exactiones et suis et externis

[1] Germania Vol. 91. fol. 361.

hoc præsertim anno imposuit gravissimas, adeo ut et Lubecensibus, quorum ob Gostavi in Regnum eorum opera suffecti memoriam immunitatis jus erat semper in Svecia sanctissimum, non pepercerit. Quo in dies evadit odiosior, et ipse contra odit et metuit alios, paucissimosque habet, quibus omnino fidat et ipse vicissim nulli fere fidus. Mercatoribus merces eripit, et variis artibus emungit pecuniam. Aurum et argentum ex suo Regno exportari non permittit. Ipse autem monetam omnium pessimam cudit, qua ipsa merces, quæ in suo Regno sunt, magno emere exteros vel invitos cogit. In Svecia (ut dixit poeta) patent vestigia intro, nulla retro, neque sine literis regiis exeundi facultas alicui conceditur. A Dano vehementer metuit, nunc tamen sibi eum conciliare et fidum reddere omni ratione cupit, et dona pro more regionum non mediocria nuper ad eum misit, et nunc denuo legationem mittit. Moschum magni facit, et verbis nihilominus extenuat. Jam ad Notaburgum sub eo oppugnandum et occupandum exercitum conscribit, qui mihi major expectatione futurus, et viginti millia hominum superaturus (quod fidem non facile facit) perhibetur. Est arx ea lapidea in rapidissimo flumine ex lacu quodam Ladoga derivato sita, quæ centum ante annis a Carolo Rege Sveciæ extructa et postea a Moschis occupata fuerat. Hanc ille hoc autumno imperio suo subjicere et eripere Moscho, atque ab infestanda Livonia eum divertere posse autumat. Cujus rei gratia, id quod alias non fecit, etiam præsidiarii milites ex confinibus Danicis deducuntur et ad hoc bellum mittuntur. Polonos iste Rex vehementer odit, usque eo ut aliquando dixerit, nisi Reginæ causa teneretur, omnes quos in potestate sua haberet, ut suspendantur, se non dubitanter mandaturum. Hos tamen etiam interdum, cum se jucunditati dederit, rursus laudare, ex unoque et eodem ore (quod ajunt) frigidum et calidum flare consuevit. Denique constat sibi nunquam, et in perpetuo metu animique angoribus semper versatur: raro se in turbam dat, et doriphoris præter aliorum Regum morem pluribus utitur, quos tamen ex plebeis fere collectos habet. Externum cum viderit, quid rerum agat, unde veniat, cujus sit, statim inquirit, et vel levissima suspitione ductus mores et fidem alterius in dubium vocat. Cum manducat, omnes arcis januas obfirmari et custodiri facit: cum se cubitum confert, sclopetta et pixides suas ad lectum appensas nemini credit, sed ipse eas onerat et asservat. Aulam sane perexiguam eamdemque sordidatam habet. In bello rusticis, et maxime peditibus utitur: equites præter Finlandos et Livones sunt ei paucissimi: suis porro et exteris pariter exigua dat stipendia, nec ut et quando par est, ea persolvit. Negotia omnia obiter tractat, et vel maximas difficultates Reipublicæ, quæ ingruerint, apud se parvi facit, Legatos externorum Principum non nisi a prandio audire, nec pari honore dignari omnes consuevit, quin vel contumeliosius tractare subinde aliquos, ut Regis Hispaniarum Legato biennio ante fecerat. Impatiens in audiendo; ipse autem omnium est loquacissimus. Privatas audientias, nisi forte blandum et percommodum aliquid sibi eum allaturum crediderit, concedit nulli, et nec suos libenter audit, qui ad nutum et voluntatem ejus se non accomodaverint. Ita demum fit, ut corruptissimo sit de rebus judicio, et in dictis factisque omnibus summa laboret animi impotentia. Jam et vilissimos aulæ ipse persequitur et verberat, et evaginato gladio huc et illuc quandoque cursitat, vix parvi hominis non Regis speciem præseferens, adeo ut qui Gostavi Regis filios cunctos post annum vigesimum maximam expectationem de se excitare, post annum quadragesimum eam amittere consuevisse dixerit, ille mihi non male dixisse, et sapienter sensisse videatur. Omnes enim fratres uno et eodem laborant morbo animi, nec grande sane videtur inter Ericum, qui in carcere finivit vitam, unius et alterius discrimen et fortasse fata, hunc, qui Regno fratrem exuit, quam illum, qui exutus non fuit, dissimilia manent. Quæ ego de Rege non dicerem, nisi me Legationis meæ cogeret ratio, ut Vestra Majestas vel minutissima quæque ex hac Legatione perspiciat, et neque fidem in agendo, neque diligentiam in perquirendo mihi defuisse intelligat, et denique nisi animadverterem, ut satyrica acerbitate indignos esse Principes bonos, sic panegiricis malos.

XLV. — In Gallia, satis pacatis rebus publicis, ejus Ecclesiæ Præsules toti erant in Cleri moribus emendandis et ad saniorem disciplinam revocandis. Hinc factum est, ut eorum plurimi Synodos Provinciales cogerent: qua in re magni sunt habendi præ cæteris Archiepiscopi Burdegalensis et Rothomagensis, qui Synodis celebratis, quæ decreta ibi fuerunt, ad Pontificem siva probanda sive emendanda miserunt. Quæ quum Gregorius Cardinalibus Congregationis Concilii inspicienda et corrigenda tradidisset, cum emendationibus atque additamentis iis reddidit, ut in earum Diœcesium usum ederentur. Hæc ad Archiepiscopum Rothomagensem. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 150. f. 112.

Dilecto Filio Nostro Carolo Cardinali Borbonio Nuncupato.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Perlata ad Nos fuerunt Decreta Provincialis Synodi Rothomagensis. Misimus ea ad Cardinales Congregationis Concilii, qui hujusmodi negociis sunt præfecti. Illi omnia dili-

genter considerarunt, exposuerunt etiam Nobis quæ maxime addenda, demenda, mutaoda esse existimarent. Remittuntur nunc omnia; ascripta suot etiam in margine nonnulla ad rem ipsam magnopere pertinentia. Ubi omnia fuerint eo modo, quo mittuntur, accommodata, tum vero edentur, eurabiturque, ut quam diligentissime serventur. Responsum est etiam in extremo ad Synodi ipsius proposita et quæsita. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima nona Martii, millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Pontificatus Nostri anno decimo.

XLVI. — Totius Galliæ Clerus in eamdem reformationem intentus, Conventu Parisiis mense Majo habito, [*] penes Regem ipsum de reformandis moribus agendum esse decrevit. Quod negotium cum Rege transigendum Reginaldo de Beaume hujus Conventus Præsidi, aliisque Episcopis commiserunt. Reginaldus, qua pollebat diceodi copia, rerumque divinarum doctrina, gravissimam orationem habuit [*], in qua illud multis argumentis conficere connisus est, ut Regi persuaderet ad constituendam in Ecclesia Gallicana saniorem disciplinam oportere, et Concilii Tridentini decreta publicari, et electiones Episcoporum aliorumque Superiorum Ecclesiasticorum liberas concedi. Ad hæc Rex in suum Consilium Administris adhibitis, de Concilio Tridentino publicando se mature consulturum respondit: quod vero ad electiones Præsulum per suffragia Canonicorum Capitularium faciendas attinet, elusit. Itaque hic Conventus, re infecta, die 28 Julii diremptus est: nihil aliud quam Synodorum Provincialium convocandorum facultatem Episcopi sunt adepti.

[*] Acta hujus Conventus ext. in Recueil des Procès Verbaux du Clergé de France Paris 1767. fol. Vom. I p. 232-246.

[*] Extat Gall. idiomate conscripta in Actes, Titres etc. du Clergé de France Paris 1646. f. Tom. I. p. 40-50

Rex igitur cum ex majorum suorum instituto in eo perseveraverit, ut ad Sedes Episcopales designaret; petiit a Pontifice, ut Aotonium de Cuppis Pedemontaoum, quo ad stipem in pauperes erogandam utebatur, ad Cathedram Sisterensem ab se nominatum coofirmaret; idemque Regina mater expetebat. [*]

[*] Mantissa document. N 84.

Hue anno Paulus Fuxius cathedram tandem Tholosanam, approbante Summo Pontifice, obtinuit, veruntamen paullo post Romæ, ubi Oratoris Gallici munere summa cum laude fungebatur, vitam cum morte commutavit, ab omnibus comploratus ob ingentia sua in Ecclesiam et in Rempublicam merita. [*]

[*] Gallia Christiana Tom. XIII. p. 99 Paris 1785. fol. 2.

XLVII. — Res Avenionensium et Venusinorum, auctore Gallorom Rege, in dies ad Hugonottis fiebant tutiores. Quum nihilo tamen secius atque anno superiori afflictarentur cives illi pecunia, utpote ære alieno oppressi, cui cum solvendo non essent, ab creditoribus gravius se plecti metuerent, supplices per Oratorem adeunt Pontificem, ut subsidio occurrat. [*]

[*] Avignone Vol. 11. fol. 211.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pootifici Optimo Maximo.

« Tanta fuit, Pater Beatissime, horum temporum calamitas, ut nedum publicum ærarium, quod nullum pene erat, jam consumptum sit, sed maximo ære alieno onerata hæc tua Civitas remaneat, idque propter innomerabiles expensas, quas quotidie erogare cogimur, ut sumptus annuus annuum censum superet. Quod etsi commiserimus Illmo Pyrro Malvezio, Sanctitati Tuæ referre, attamen jam urgente necessitate et inopiæ calamitate in dies sæviente, humillimas iterum preces per hunc Secretarium nostrum Franciscum Henricum Sanctitati Tuæ offerre decrevimus, ut dignetur ea humanitate et liberalitate qua semper consuevisti, in nos obsequentissimos et fidelissimos subditos tuos uti, Nobisque facultatem impartiri, quo tantam æris alieni molem sublevare aliqua ex parte possimus, et hanc tuam Civitatem tanto gravamine oppressam in pristinum et tranquillum statum reducere valeamos. Innotuit jam Sanctitati T. nos tam propter belli, quam pestis et famis urgeotissima pericula plusquam ducentos mille aureos alienos cootraxisse, quorum tum publicis cum privatis nummis penitus exhaustis desierimus esse solvendo. Et ita in maxima creditorum infestatione incidamus, quorum cum major pars regnicolæ sint, et nobis represalias minitentur: idcirco ad pedes Sanctitatis Tuæ recurrimus, ut quod ab extraneis nequimus, a te Domino et Protectore nostro elementissimo impetremus, quæ humillimus hic Orator Sanctitati Tuæ enarrabit, cui supplices petimus ut his quæ nostro nomine dicet, fidem adhibeas, et quæ Civitatis nomine petet, libere concedas, et ita Sanctitati Tuæ nos semper obsequentissimos præstabimus, Deum Optimum Maximum oraturi, ut te nobis et Christianæ Reipublicæ diu felicem et prosperum conservet. Datum Avenione die xx. mensis Aprilis MDLXXXII.

Ejusdem Sanctitatis Tuæ

Humillimi Subditi

CONSULES CIVITATIS AVENIONENSIS.

CRILLON CONSUL – LOYS ALVARES CONSUL – JOHANNES BAPTISTA YMANICO CONSUL.

Per octo ante annos Avenionenses tutandæ suæ urbis causa cohorte militum propriorum usi sunt, quibus adeo magis fiderent, quam externis militibus, minoresque in eos sumptus facerent. Cum ergo accepissent, Pontificem eos milites exauctoratos decrevisse, seque nondum ab Hugonottis plane tutos sentirent, cum eodem suppliciter agunt, ut ab hoc consilio discedat. [*]

[*] Avignone Vol. 11. fol. 201.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Maximo plurimam salutem et dierum longitudinem.

« Beatissime Pater. Nuper, sicut accepimus,

Sanctitas Tua decreverat removere Comitatum militum peditum civium et habitatorum Avenionis. Unde eadem Civitas tua non mediocriter turbata est. Primo quod ab octo annis et ultra iidem milites quam fideliter, probe et laudabiliter pro servitio Beatitudinis Tuæ et conservatione ejusdem civitatis se gesserunt et gerunt; fueruntque contenti exiguis stipendiis suis octo parvorum florenorum singulis mensibus: licet durantibus temporibus belli, famis et pestis omnia carissima fuerint, cæterique forenses milites multo majora stipendia, etiam ultra duplum, perceperint. Porro cum sint cives et habitatores, in eademque Civitate larem foveant, et pro majore parte uxorem et liberos habeant: tanto magis eandem Civitatem diligunt, et diligere præsumuntur. Ulterius propter bellum et pestem tot millia hominum interierunt, et propter penuriam et famem ab eadem Civitate recesserunt, ut fere denudata hominibus ad bellum aptis reperiatur, magisque denudaretur, si præfati milites removerentur, qui alio se transferrent et forsan alteri Principi inservirent. Quod et a voluntate Sanctitatis Vestræ alienum, et dictæ Civitati periculosum esset, quam inimici nostri circumnt, quærentes quomodo illam devorare possint. Quamobrem cum Deus (cujus vices Beatitudo Tua gerit) quandoque noverit mutare sententiam: supplicant propterea humilime Consules et Civitas prædicta osculando pedes Sanctitatis Tuæ, ut eadem Sanctitas Tua dignetur et velit dictos milites cives et habitatores Avenionenses sub stipendiis solitis retinere, et liberalitatem suam continuare. Et iidem Oratores pro felici statu ejusdem Sanctitatis Vestræ Deum Optimum Maximum se perpetuo constituunt oraturos. Avenione vigesima quinta mensis Maii MDLXXXII.

Sanctitatis Vestræ

Subditi et obedientiæ filii

Consules et Civitas Avenionensis.

Crillon Consul – Loys Alvares Consul – Johannes Baptista Ymanico Consul.

Carpentoractensis Præsul, qui quod semel secum animo destinaverat de Collegio Societatis Jesu, de Seminario Diœcesano in sua urbe fundando, idem ad finem usque exequendum statuerat, petiit ab Pontifice, ut sibi liceret quosdam ecclesiasticos reditus in utrumque opus conferre. [*]

[*] Mantissa document. N 66.

XLVIII. — Arausionenses Hugonotti omnium obstinatissimi tam pervicaciter obfirmaverant animos, ut contempta pace religiosa per universam Galliam nuperrime sancita, ludibrioque habitis sui Principis decretis, fidem publicam impie fallentes Catholicos omnibus suis juribus intercluderent. Ex quo id tandem futurum, ut omne ibi Catholicum nomen prorsus delendum **esset. Quam teterrimam eladem ut sedulus Arausionensis Præsul ab suo grege propulsaret, nulli labori, nullis impensis parcens, Pontifici de collecta indicenda Clero suo, ut sibi permitteret,** supplicavit; ab eoque vehementissime efflagitavit, ut Regi Christianissimo cæterisque e domo regia stimulos adhiberet, quo tandem Princeps Arausionensis ad Hugonottos vi cogendos adduceretur, quoniam nulla æquitate moverentur: quod qua exploratiori fieri ratione posset, idem Præsul Pontifici demonstravit. [*]

[*] Avignone Vol. 11. fol. 101.

Sanctissimo ac Beatissimo Domino Nostro Papæ.

Beatissime Pater.

« Proximis meis literis quid cum Duce Dumanio gesserim, utque ab eo literas represaliarum impetraverim, Sanctitati Vestræ significavi, eæ vero tam nomine Regis Christianissimi, quam ejusdem Ducis a speciali ad hoc delecto Nobili Auraicensibus intimatæ fuerant, petitumque ab illis, ut dicta Edicta Regis Principisque Auraicensis, ut divinus cultus ac exercitium Catholicæ Romanæque relligionis in ea civitate restitueretur, permitterent, quod omnimodo recusarant. Iisdem tamen literis hucusque uti non ausus fui, tum ne bellum non mediocre Vestro Comitatui pararem, tum ob egestatem, quæ in me meoque Capitulo est, quandoquidem ut prædictas literas impetrarem, plus quadringentis aureis necessarium fuit mutuo accipere, quos nos dissoluturos arbitrabamur ex collecta, quam nos indicere decreveramus, si Sanctitati Vestræ sedisset, quæ ut nunc indicatur a Sanctitate Vestra humiliter peto, cum enim hoc quod gerimus in totius cleri utilitatem redundet, videtur æquum, ut et incommodorum expensarumque partem sustineant. Ut vero tandem huic implicitæ ac difficili negotiationi finis imponatur aliquis, utque miseri illi Catholici, qui in prædicta civitate degunt, divino cibo ali possint sacraque Sacramenta recipere, ac in Catholica Romanaque religione, in qua instituti fuerunt, mori, neve prædicta civitas altera Gebenna evadat, Vestræ Sanctitati humilime supplico, ut ad Regem Christianissimum, ipsius fratrem, matremque dignetur scribere, eosque rogare, ut ad Principem Auraicensem scribant, et cum eo agant, ut liberum exercitium Catholicæ religionis, clerumque ipsum cum nostrorum bonorum fruitione juxta Edicta regia ipsiusque Principis Auraicensis restituat. Et quia Rex Christianissimus nostris precibus motus frequentes ad prædictum Principem dedit literas, qui multa quidem promisit, nihil autem effecit, nititurque solum rem differre, nihilque nisi vi facturus sit, cogitaveram, si ita Sanctitati Vestræ videretur, ut Rex Christianissimus specialem Nuntium mitteret, qui a latere Principis non discederet quousque certo sciret, an Princeps negotium perfi-

cere vellet, necne: et quia forsan Rex Christianissimus id recusabit suis sumptibus facere, aut si faciat, cum forsan mittet, qui neque Catholicæ religioni, neque Apostolicæ Sedi devotus sit, Vestræ Sanctitati humilime supplico, ut aliquem mittat nomine regio, qui zelo Vestræ Sanctitatis ducatur; quod si paratus is non sit, adest civis Avinionensis Sanctitatis Vestræ subditus, Catholicæ religionis observandissimus, quique nihil aliud desiderat, quam ut Sanctitati Vestræ inserviat, Dominus de la Barthallasse nuncupatus, Illustrissimi Cardinalis Borboni domesticus, ac propterea penes illum agit, qui optime totum hoc negotium, si ita illi a Vestra Sanctitate imperetur, conficiet, cuique pro sumptibus trecenti aurei sufficient. Sed ab Illustrissimo Malvesio, qui illius noticiam habet, Sanctitas Vestra quis et qualis sit dictus de la Barthallasse melius accipere poterit. Elapsis his diebus Præfectus quidam militum, cujus in comitatu Ducis Dumanii noticiam habui, me adiit asserens se modum habere, quo et civitatem et fortaliciam Auraicensem capiat, illamque se in Sanctitatis Vestræ ditionem redacturum, si ei duo millia aureorum et quingenti milites, quibus fortaliciam custodiat, dentur, seque nihil petere quousque rem perfecerit; egi ego alloqueretur Illustrissimum Marchionem de Citona militiæ Generalem, qui se ad Vestram Sanctitatem amplas hac de re literas daturum despondet, ut deinde jussa Vestræ Sanctitatis exposcat. Quod si Deus Optimus id perficere voluerit, posse Sanctitatem Vestram dicere, se nos cum toto isto vestro Statu a manibus et invasionibus hæreticorum liberasse, ut et ego humiliter præstabo, postquam Deum Optimum Maximum deprecatus fuero, ut Sanctitati Vestræ diuturnam feliceinque vitam concedat, cujus ego pedes deosculor. Datum Caderossiæ die duodecima mensis Februarii, anno Domini 1582.

Humilimus et obsequentissimus
J. de Tullia Episcopus Auraicensis.

Quum res Arausinenses elapsis jam pluribus mensibus nondum explicarentur, Episcopus represaliarum quidem litteras ab Rege impetraverat; sed iis uti detrectabatur: auri vis opus erat, et Clerus decimas quasquam per motum proprium Pontificis ab Episcopo impositas nunquam solvit: itaque magna rei gerendæ facultas in promptu erat; sed res in celeritate et grandi pecunia constabat. Quibus de rebus idem Præsul certiorem fecit Pontificem, ut quæ rei expediendæ ipsi videretur, rationem iniret. [*]

[*] Avignone Vol. 11. fol. 361.

Sanctissimo Domino Nostro Papæ.

Beatissime Pater.

« Ab eo tempore, quo ad Sanctitatem Vestram scripsi, totis viribus incubui, ut litteræ represaliarum exequutioni mandarentur, sed neque Senatus Aquensis, neque hi, qui in Provincia nec non Occitana supremum locum tenent, iis obtemperare voluerunt eo prætextu, quod de potestate Ducis Dumanii minime constaret. Coactus igitur fui ad Regem Christianissimum rursus scribere, et a privato Regis quod vocant concilio represaliarum confirmationem postulare, quam et per totum regnum impetravi, quam tamen nondum misit; voluit enim prius Nuncium ad Auraicenses a Domino Montegirono Regis nomine mitti, quod meis expensis factum est; rursusque, et idem Nuncius ad eos Auraicenses Regis nomine iisdem expensis fuit missus: sed in cassum omnia præterea fuerunt, ita ut fere jam de tota hac re desperem, quare omnium Sanctitatem Vestram certiorem volui facere, ut ejusdem jussa in omnibus capesserem; hoc solum affirmabo, me tot sumptibus, quos sustinui, omnimodo pecuniis exaustum, sed parum id esset, cum pro Catholica religione fiat, modo res feliciter cederet. Volui ego decimas a Sanctitate Vestra mihi concessas imponere, sed reclamante clero non potui, nec potero, ni proprius motus a Sanctitate Vestra emanet, quo inter alia teneat mearum expensarum coram quo Sanctitati Vestræ sederit fidem facere. Accepi a gubernatore Castri Auraicæ, quod si a Rege Christianissimo ei scriberentur litteræ, mitteretur que specialis ad hoc Nuncius, ut Castrum in manibus, cujus Rex vellet, restitueret; simulque promitteret idem Rex Regem Navarræ factum approbaturum, eo quod sponsor fidelitatis ejusdem gubernatoris apud Principem Auraicensem fuit, lubentissime prædictum Castrum restituturum, modo tamen octo vel decem millia aureorum ei darentur. Quod si dictus gubernator a Principe ab officio removeatur, ut fama est, facturum verendum est, ne alius minime facere velit. Volui hoc Sanctitati Vestræ narrare, ut quod ei lubuerit, perficiat, simulque Comitatus et universus hic Status Sanctitatis Vestræ et a bellicis tumultibus et a sumptibus liberaretur; Deumque interim Optimum Maximum pru Sanctitate Vestra semper obnixe deprecor, cujus pedes humiliter deosculor. Datum Avinione die decima nona Julii, anno Domini 1582.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus et humillimus
J. de Tullia
Episcopus Auraicensis.

XLIX. — Per Hispanias etiam, auctore Pontifice, Provincialia Concilia indicebantur tum ad Cleri plebisque mores corrigendos, tum ad Ecclesiasticam libertatem tuendam. Dolendum enimvero, quod perturbatæ hujus regni res ea celebranda in aliud tempus conjecerint. Quocirca Toletanus Antistes Hispaniarum Primas hæc Gregorio significans, suum studium spondet. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 36 ep. 17.

Sanctissimo Domino Nostro Papæ.
Beatissime Pater.

« Episcopus Placentinus Vestræ Beatitudinis Nuntius, cum Olisipone rediens, hac iter haberet, nudius tertius mihi reddidit Vestræ Sanctitatis Breve, die trigesimo Octobris datum, et simul nonnulla mihi Vestræ Beatitudinis nomine proposuit, quæ pertinent ad libertatem Ecclesiasticam tuendam in eo Concilio Provinciali, quod proxime apud nos celebrandum speratur. Cui ego, quid de tota re sentirem, multis respondi, quæ is, ut puto, ad Vestram perferet Sanctitatem: de eo quidem maximas gratias Beatitudini Vestræ supplex ago, quod mihi pro sua paterna benignitate, quæ maxime fieri vellet, imperare est dignata; quorum ego, ut debeo, valde memor ero, ut quo tempore ipsum cogetur Concilium, a Sanctitatis Vestræ præceptis, ne transversum quidem unguem discedatur. Quanquam vero hactenus tam multa inciderunt impedimenta, tum vacantium Ecclesiarum, quæ huic subsunt Metropoli, tum publicorum negotiorum, ut Concilium a me indictum prorogare sim coactus: tamen non desistam, neque ullam officii mei partem prætermittam, donec hanc Synodum, quam utilem fore spero (quantum in me situm erit) ad optatum perduxero finem. Deus Optimus Maximus Sanctitatem Vestram incolumem, felicemque diutissime servet. Toleti die XIII. Febr. MDLXXXII.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus servus et creatura
G. Cardinalis Toletanus.

Impedimentis tandem, uti in votis erat, superatis, solertissimus Præsul Synodum Provincialem die octava Septembris habuit, cui interfuerunt septem Episcopi, plures infulati Abbates, nonnullorum Ecclesiarum Procuratores, cum his Marchio Velada Regis Catholici Legatus. Inter Ecclesiarum Procuratores fuere celeberrimi illi viri Garsia Loaisa, doctissimus et accuratissimus antiquorum Hispanicorum Conciliorum editor, et Benedictus Arias Montanus, Antverpiensium Bibliorum polyglottorum auctor.

Hoc etiam anno recens comperta terrarum primum Concilium Provinciale Limæ, quæ urbs regni Peruani Metropolis est, celebravere, quod die decima octava Octubris anni insequentis absolutum fuit.

L. — Aloysio Granatensi, clarissimo ex inclyto Fratrum Prædicatorum ordine Ecclesiæ lumini, ob egregios exantlatos et susceptos in concionibus habendis, librisque edendis labores Gregorius magnopere gratulatur, iisdemque ut insistat pietatis vestigiis, hortatur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII Ann. XI ep. 17 l. 134.

Dilecto Filio Aloysio Granatensi Fratri Ordinis Prædicatorum.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Diuturnus atque assiduus labor tuus in hominibus tum a vitiis deterrendis, tum ad vitæ perfectionem vocandis fuit semper Nobis gratissimus; iis vero ipsis, qui suæ cæterorumque salutis et Dei gloriæ desiderio tenentur, fructuosissimus, jucundissimusque. Multas olim conciones habuisti, libros præstanti doctrina et pietate refertos edidisti, idem quotidie facis, nec unquam cessas præsens atque absens, quam plurimos potes, Christo acquirere. Gaudemus isto tum aliorum, tum tuo ipsius tam præstanti bono et fructu; quot enim ex concionibus scriptisque tuis profecerunt, (profecisse autem permultos, quotidieque proficere certum est) totidem Christo filios genuisti, longeque illos majore beneficio affecisti, quam si cæcis aspectum, aut mortuis a Deo vitam impetrasses; præstat enim multo sempiternam illam lucem et vitam beatissimam, quoad mortalibus datum est, nosse, et pie sancteque viventem ad eam aspirare, quam mortali hac vita et luce frui unum cum terrenarum rerum affluentia et voluptate. Tibi vero ipsi quam multas a Deo coronas comparasti? dum omni cum charitate in eo studio versaris, quod constat esse longe maximum, Deoque acceptissimum. Perge igitur, ut facis, in istam curam toto pectore incumbere; quæque habes inchoata (habere enim te nonnulla accepimus) perficere, ac proferre ad ægrorum salutem, debilium confirmationem, valentium ac robustorum lætitiam, utriusque tum militantis, tum triumphantis Ecclesiæ gloriam. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die vigesima prima Julii MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

LI. — Iniquissimo animo Gregorius tulit, quod Magistratus Neapolitanus Joannem de Verri, civem Pampilonensem, (qui apud supremum S. Romanæ Inquisitionis tribunal variis criminibus accusatus se sistitit, cuique ab eodem tribunali ad res suas curandas Neapolim ut se conferret, indultum erat) in carcerem conjecerit; dein clam in Hispaniam miserit, ut de ejus causa ab Inquisitoribus hujus regni cognosceretur. Quod cum in contemptum Romanæ Inquisitionis factum esse videretur, et Pontifex vereretur, ne Hispani ob politicas potius quam religiosas rationes severius in eum essent animadversuri, universos et singulos Hispaniæ Inquisitores gravissimis pœnis et censuris deterruit, ne quid illius causæ auderent attingere, mandavitque, ut Joannem quam primum Romam remitterent. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep. 8. l. 147.

Dilectis Filiis Cæsaraugustanis, et aliis quarumcumque Civitatum et locorum Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in Regnis Hispaniarum, et eorum cuilibet.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam bene-

dictionem. Cum quidam Joannes de Verri, alias Jacobus Sanchez Pampilonensis diœcesis laicus, qui per multos annos in Italia permansit et domicilium habuit, et in servitiis Charissimi in Christo filii nostri Regis Catholici fuit, ad Nos pro certa gratia recurrisset, et de nostro mandato in officio nostræ Sanctæ Romanæ et Universalis Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem libere, et sponte comparuisset, et constitutus esset, et illius causa et judicium in eodem officio penderet, et ex certis rationabilibus causis, donec processus plenius instrueretur, habita etiam a dilecto filio nostro Gaspare tituli Sanctæ Balbinæ presbytero Cardinali Toletano, in istis Regnis Generali Inquisitore, ad quem super eadem causa scriptum fuerat, informatione, et ne interim ejusdem Regis servitium aliquod pateretur, sub fidejussoria cautione de carceribus habilitatus esset, a Curia seculari Neapolitana comprehensus, et in carcerem conjectus est, et licet a venerabili fratre nostro Jacobo Episcopo Tusculano Cardinali Sabello, uno ex ejusdem Inquisitionis Generalibus Inquisitoribus, jussu nostro ad dilectum filium Proregem Neapolitanum scriptum fuerit, ut eundem Joannem ad idem officium, in quo constitutus fuerat et ejus causa pendebat, Romam remittere deberet: nihilominus tamen id minime factum est, sed sicut audivimus, ad vos et vestrum officium Cæsaraugustanæ, seu alterius Inquisitionis, in quo alias ejusdem Joannis causa cognita fuerat, absque nostra, vel ejusdem Romanæ Inquisitionis licentia temere et contra nostram inhibitionem de facto transmissus est. Non possumus non graviter commoveri, tantopere contemptam esse nostram et hujus Sanctæ Sedis auctoritatem, cui omni jure divino et humano fuerat deferendum. Quocirca ne tantam indignitatem et injuriam judicio nostro Apostolico irrogari patiamur, vos Cæsaraugustanos, et alios quarumcunque Civitatum et locorum Inquisitores hæreticæ pravitatis, nunc et pro tempore existentes, et vestrum quemlibet tenore præsentium Apostolica auctoritate monemus, in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, et sub excommunicationis latæ sententiæ, cujus absolutionem Nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti, præterquam in mortis articulo, reservamus, nec non privationis omnium et singulorum beneficiorum Ecclesiasticorum et officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda ipso facto incurrendæ, aliisque Ecclesiasticis censuris et pœnis nostro arbitrio infligendis et imponendis, quatenus eundem Joannem ad Nos et nostræ Universalis Inquisitionis officium quantocyus Romam remittere sub debita et tuta custodia debeatis, et quilibet vestrum debeat. Inhibentes præterea eadem auctoritate vobis ipsis, et vestrum cuilibet, cæterisque Inquisitoribus quavis dignitate et auctoritate fulgentibus, et Ordinariis locorum, seu illorum Officialibus, Vicariis et Provisoribus quarumcunque Civitatum, locorum, et Regnorum Hispaniæ, nunc et pro tempore existentibus quibuscunque, ne interim in causa et causis prædicti Joannis de Verri, alias Jacobi Sanchez, quæ in nostro Romanæ Inquisitionis officio indecisæ pendent, et illi, seu illis annexis, connexis, incidentibus, dependentibus et emergentibus, nec in aliis quibuscunque civilibus et criminalibus illius personam, res et bona quomodolibet concernentibus, neque in eis ad aliquem actum vel judicium, sententiam vel condemnationem, aut quamlibet aliam executionem, judicialem vel extrajudicialem quomodolibet procedatis, seu aliquis vestrum procedat, nec quocunque prætextu aut quæsito colore de ea vel eis cognoscatis, neque in illa vos intromittatis seu ingeratis. Decernentes irritum et inane quicquid in contrarium super præmissis per vos, et alios quoscunque quomodolibet contigerit attentari. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die xxv. Junii, millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LII. — Philippum Hispaniarum et Lusitaniæ Regem Gregorius monet, ut iis officiis et charitate Patres Societatis Jesu tam sedulo, tantoque cum fructu in Indiis Orientalibus Evangelico operi navantes complectatur, quibus superiores Lusitaniæ Reges eos semper fovere consuevissent. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 132. f. 98.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Portugalliæ et Algarbiorum Regi Illustri.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Consueverunt superiores Portugalliæ Reges Sacerdotibus Sodalitatis Jesu, qui in Indiis Orientalibus, ac præsertim Goæ, ubi eorum Provincialis habitat, commorantur, affluenter eorum victui se necessitatibus providere: intelligebant enim non posse illos sese aliter sustentare. Et quanquam non dubitamus Majestatem Tuam, pro sua eximia et perpetua pietate et charitate, nulla in re defuturam, quin etiam superiorum Regum benignitatem superaturam esse in eleemosyna tam bene collocata, tamque necessaria, nihilque hac in re nostra cohortatione indigere; tamen quia non possumus nostro muneri deesse, et quia multæ gravissimæque curæ et occupationes tuæ possent aliquid dilationis afferre, volumus tantum significare, quam gratum atque acceptum sit Deo, quamque tuis Regnis, in primis vero Indis illis utile, conservari illis in locis Religionem tam piam, tamque et propter doctrinam, et propter vitæ innocentiam fructuosam. Ejus vero necessitatibus Majestatem Tuam nullo pa-

cto defuturam esse certissimum habemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Januarii MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno decimo.

LIII. — Malacensis in Hispania Episcopus, qui per plures annos magna cum integritatis laude in urbe Goana juri dicundo præfectus erat, in patriam reversus Pontificem de plurimis, quibus Indiarum Ecclesia premeretur, incommodis certiorem reddidit, suasitque, ut in eas regiones Nuntium Apostolicum cum amplissima potestate mitteretur, qui locata ibi sede, tum Ecclesiarum tum virorum Ecclesiasticorum necessitatibus prospiceret. Postea justissimis prosecutus est laudibus impigros filios SS. Augustini, Dominici, Francisci Assisiensis et Ignatii de Lojola pro eximiis eorum in prolatanda apud Indos fide curis et laboribus; simul etiam oravit, ut ad vineam illam excolendam plures, maxime ex Franciscana familia viri mitterentur. [*]

[*] Mandisan document. N 67.

LIV. — Quod ad res Belgicas spectat, Cæsar nullum nec humanitatis nec sapientiæ munus prætermisit, ut Ordines Imperii, qui in comitiis Augustanis convenerant, induceret ad illarum provinciarum tumultus sedandos; urbesque Burgundiæ, quæ superioribus annis Protestantium imprimis opera ab S. Romano Imperio abstractæ fueront, armorum tandem vi, quoniam aliter fieri non posset, in ditionem Imperii reducerentur; sed omnes Cæsaris conatus fuerunt plane irriti. Qua in re Principes Protestantes ejus temporis vehementer reprehendendi sunt, quod ad fovendam ac stabiliendam hæresim non minus apud exteras nationes, quam in sua patria, nihil pensi habuerint ab se de Romano Imperio imminutum iri; illudque opulentioribus provinciis spoliari, in prædam exteris Principibus venire æquissimis animis passi fuere. Habeas quæ Burgundiæ Orator Imperii Ordinibus deliberanda proposuit. [*]

[*] Germania Vol 87, fol. 190.

Summarium Informationis et petitionis Oratoris Burgundiei circa secundum articulum propositionis Cæsareæ ad Electores Sacri Romani Imperii.

« Nolle se repetere, quæ in præcedentibus conventibus Deputatorum Imperii, maximeque in actis pacificationis Coloniensis sæpe tam vere, quam copiose exposita fuerunt.

« Ex iis autem satis superque constare, quam benigno et paterno animo Regia Majestas studuerit, ut tandem omnibus turbis sopitis, omnia in pristinum pacificum statum restituerentur, prout etiam Princeps Parmensis a tempore susceptæ gubernationis nihil magis curæ habuit, exemplo suorum prædecessorum; quam promovere id quod Deo Omnipotenti imprimis, et Regiæ Majestati, tanquam ordinario superiori et magistratui debetur, et de cetero operam dare, ut omnes perturbationes sedarentur, et pacificatio tempore Joannis Austriaci inita effectui mandaretur.

« In specie autem Regiam Majestatem ejusque locumtenentem Principem Parmensem, nihil aliud spectasse unquam vel quæsivisse, quam ut universi subditi qui seducti fuerunt et defecerunt, iterum in gratiam redirent, et sic una cum aliis obedientibus statibus manutenerentur, et sub certo antiquo ordine continerentur: hanc oblationem sæpe factam, sed a quibusdam a Pace abhorrentibus sinistre interpretatam, ac interim nova quotidie mala ingruisse, quæ recensere longum foret. Inter cetera contumaces et rebelles Status inferioris Germaniæ auxilio Alenconii et aliorum externorum provinciam, oppida, et arces Cameraci et Cambresii invasisse, et Regiam Majestatem feudo, quod ab Imperio recognoscit, et Archiepiscopum subditis et ditionibus, quarum ratione etiam indubitatus est Princeps Imperii, spoliasse; immo quod gravius et intolerabilius esse, eos obligationem inter se contraxisse, qua antiquam Catholicam Religionem, et Regiæ Majestati, naturali eorum Principi Provinciali debitam obedientiam magna solemnitate abjurarunt, ac deinde Alenconium suscipere, eique juramenta fidelitatis præstare ausi sunt.

« Hinc patere, nihil eos aliud quærere, quam quod jam diu spectarunt, videlicet, ne cum naturali Domino pacem, unionem, vel debitam obedientiam colant, et ut spiritualem simul et temporalem magistratum cum antiquis statutis, et ordinationibus quibuscunque mutent, et præservarentur. Quæ res tanti est momenti quod merito omnes Potentatus, Principes et Domini se intromittere deberent, cum non solum subditi hinc malum exemplum defectionis et inobedientiæ capere possint, verum etiam nonnunquam præjudicium toti Romano Imperio, quam Regiæ Majestati immineat, siquidem ad Galli invasionem conniveatur; satis nempe constare quo animo prosequatur imperium, quodque nihil aliud studeat, quam ut detrahendo semper aliquid Imperio fines suos propaget. Quod autem semel in potestatem redegit, id difficile iterum extorqueri, ut in judicio est Metis, Tullum, Verdunum, et insidiæ ante triennium circiter intentatæ Argentorato.

« Præterea Status inferioris Germaniæ in quibusdam Deputatorum Imperii conventibus apud Sac. Rom. Imperium pro auxilio et assistentia acriter institisse, quasi protegi et defendi deberent, tanquam Sac. Rom. Imperii membra. Verum eosdem repulsam passos, propter iniquitatem petitionis eorum, ita ut tum alias, tum nominatim in proximo conventu Deputatorum Wormatiæ expressis verbis declaraverint, posteaquam in tractatione pacificationis Coloniensis repetierint, quod propter defectum auxiliorum Imperialium aliunde suæ necessitati consu-

lere deberent: consuluisse autem eos ex post facto quod nobis denotarunt, velle se æque a Sac. Rom. Imperio, atque a naturali Domino deficere, et Alenconio se subjicere. Quapropter non minus sacri Imperii quam Regiæ Majestatis perduelles facti sunt, et pro talibus habendi, et jure secundum constitutiones Imperii et leges scriptas contra illos procedendum esset.

« Etsi autem Regia Majestas propter ejusmodi machinationes parum metuat, sed in Domino supremo omnium magistratuum capite confidens, speret exiguum damnum inde sibi allatum iri, tum petere ab Electoribus, ut operam dare velint et adjuvare, quatenus præfata oppida et arces Cameraci et Cambresii quam primum recuperentur, ne sese feudo suo Imperiali, Archiepiscopus vero ditione sua et principatu spolietur; ad hanc expeditionem paratum esse Regem sacro Imperio pro viribus adesse, et copias equestres et pedestres, aliaque instrumenta bellica pro necessitate et æquitate curare.

« Frustra autem fore, si decernatur nomine Imperii legatio ad Status inferioris Germaniæ pro recuperatione oppidorum et arcium, de quibus supra, cum illi consueverint mandata Imperii parvi pendere, vel potius contemnere. Necesse ergo esse pro conservanda dignitate Imperii et protectione membrorum ejusdem, ejusmodi viam inire, qua rebelles et eorum complices, confestim reipsa et violenta manu, ad justam cessionem occupatorum cogi possint.

« Quod si non attentis prædictis, et instantia ac oblatione Regiæ Majestatis neglecta, in hac re nihil serio suscipiatur, eo casu protestari Regiam Majestatem, quod cogatur omnem diligentiam adhibere, ne in ditione Cameraci et Cambresii hujusmodi vicinia et invasiones hostiles, quibus finitimis subditis et Vasallis brevi exitium inferretur, amplius tolerentur, sed ut in securitatem restituantur et manuteneantur, petendo etiam hoc casu exemplum et documentum factæ declarationis, protestationis et actorum ex Cancelleria Moguntina communicari, quibus futuris temporibus uti et prævalere possit.

« Denique Regiam Majestatem postulari, ut compactiones et concordia inter Sac. Rom. Imperium et Domum Burgundicam in posterum melius serventur, quam præteritis annis factum sit, ut videlicet nemini permittatur, rebellibus vel eorum complicibus adhærere, illis militare, vel alioquin opem, promotionem vel auxilium præbere; sed ut ii qui etiamnum rebellibus adsunt, et cum iis conspirarunt, revocentur sub comminatione inflictionis pœnarum, quæ tam dictis compactionibus, quam aliis constitutionibus Imperialibus continentur, et cum jure et æquitate consentiunt; ne Regia Majestas amplius damna præteritis similia expectare cogatur, et ut offerente se occasione, vicissim majore cum voluptate Statibus et membris Imperii omnem benevolentiam et amicitiam exhibere studeat.

« Quoniam autem in secundo propositionis Cæsareæ articulo, quæ ad motus Belgicos pertinent satis copiose exponuntur, propterea supervacuam hic esse eorundem commemorationem, referendo se ad ea quæ ibi dicta sunt, et petendo ac instando uti supra.

« Hæc exhibita fuerunt Electoribus per Jo. ab Hattstein Regiæ Majestatis Oratorem, ante adventum Principis Arenbergii Collegæ ipsius.

Sed Imperii Ordines quam longissime ab ineundo bello refugerunt, utpote quod nihil in præsentiarum periculosius esse videretur. [*]

[*] Germania Vol. 57. fol. 213.

Decretum Ordinum circa II. articulum propositionis Cæsareæ de motibus Belgicis.

« Etsi Ordines Imperii et Oratores in consultatione de rebus Belgicis in memoriam revocaverint, quomodo et quatenus Inferiores Burgundicæ provinciæ, nec non civitas et Episcopatus Cameracensis Cæsareæ Majestati et sacro Imperio conjuncta sint; præterea non modo non esse laudandum, sed scandalosum, et late patens, ac in longinquitatem spectans exemplum, quod subditi a naturali Domino deficiant, et ad peregrinum sese applicent, nec non quod Status prædictam civitatem et Episcopatum Cameracensem Alenzonio, ejusque complicibus tradiderint; tamen secundum præsentem hominum conditionem, et ad evitandum majora pericula et consequentias Sac. Imperio, non videri sibi consultum, aut faciendum, ut in unam, vel in alteram partem de facto, etiam per commerciorum et victualium prohibitionem, sese in hoc bellum immisceant.

« Habitum quidem fuisse sermonem de eo, an requirenda sit utraque pars ad consentiendum in amicabilem tractationem Cæsareæ Majestatis: verum cum tam ex tentatis amicis tractationibus, quam ex Alenzonii et Statuum recens editis scriptis, facile colligere sit, hanc rationem fore infructuosam, necesse item esse, eam ad meliorem commoditatem divinitus, ut sperandum, offerendam, reservare.

« Quo tamen durantibus hujusmodi perniciosis motibus, ratio habeatur existimationis et ejus quod interest Cæsareæ Majestatis et Imperii, in quo omnes inhonestæ et indecoræ machinationes, practicationes, et transitiones in Imperio removeantur, et finitimi circuli, status et subditi ab militum excursionibus, direptionibus, et depopulationibus vigore Recessuum Sacri Imperii defendantur, neve ope et auxilio destituantur, supplicare Ordines et Oratores Cæsareæ Majestati, ut dignetur Principem Parmensem, Generalem Regis Hispaniæ Gubernatorem et Ducem exercitus, missa legatione sive Cæsareis Commissariis disponere, ut milites suos contineat, ne in posterum hujusmodi violentiis,

excursionibus, direptionibus, aliisque similibus facinoribus subditos status et circulos Imperii finitimos molestent, sed omnino iis supersedeant.

« Quamvis autem non minora, immo etiam majora damna et gravamina a statuum militibus inferantur, tamen pro conservanda reputatione Cæsareæ Majestatis non videri consultum ejusmodi legationem mittere, neque sperandum apud Alenconium et Status per legationem aliquid fructuosum effici posse.

« Atque hac de causa ulterius visum et conclusum esse, quod omnes omnium circulorum Imperii Status, statim post publicationem hujus Recessus Imperialis, sese instruere debeant pecunia duorum mensium, juxta simplicem æstimationem expeditionis Romanæ, idque sub pœna banni Imperialis vel privationis, quam pœnam fiscalis in camera Imperiali persequi, et declaratio desuper fieri jubetur. Item circulos Westphalicum, Rhenanum, et supra Rhenanum mature debere mittere Coloniam suos consiliarios et mandatarios, ad consulendum et concludendum, anne, quomodo, et qua ratione, utrum præter, cum, vel sine ordinariis trium circulorum auxiliis, gravatis provinciis et subditis effectualis defensio communibus sumptibus Imperii per milites ferenda sit. Quidquid autem conventum fuerit, et quanta pecuniæ summa opus sit, sive unius, sive duorum mensium, id proximorum circulorum Principibus significent, cum adjuncta petitione et postulatione, ut status circulares sine mora, intra 14. dies, suas quotas pecuniæ partes Coloniam vel Francofurtum ad Senatum transmittant. Qui Senatus dictam pecuniam suscipere, et tribus prædictis circulis vel ab iis mandatum habentibus, recepta convenienti cum recognitione, refundere, et debitam rationem reddere debet.

« Hujusmodi quoque pecuniam debere solum ad defensionem finitimorum oppressorum, et non in alios usus converti.

« Cum autem allata sit informatio, quod status, itinera et navigationem Rheni, et per consequens solita commercia contra Sacri Imperii Recessus et jura gentium intercluserint, et prohibuerint, esse iis nomine Cæsareæ Majestatis ac universorum Electorum, Principum, et Statuum scribendum, ut quiescant, et commercia libera et inoffensa sinant, ne detur occasio cogitandi de aliis efficacioribus mediis.

« Quod attinet ad externorum Principum molitiones, practicationes, et commeationes in imperio institutas, habere Ordines et Oratores in memoria, quid hac de re anno 55. hic, 64. Vormatiæ, anno 66. item hic, et specialiter anno 70. Spiræ, et 76. Ratisbonæ, adhibita bona emendatione, provisum fuerit. Videlicet, quod tam superiores quam substituti uniuscujusque circuli, nec non singuli magistratus in suis terris et ditionibus diligenter animadvertere et attendere debeant ejusmodi periculosas et suspectas praticationes, et adversus eas procedere, sicut anno 55. hic statutum fuit. Item quod libertas consueta Germanicæ nationis militandi externis Potentatibus pro honore et gloria exerceri debeat, sine offensione Cæsareæ Majestatis Sacri Imperii, ejusque attinentium Statuum, subditorum, et sub patrocinio existentium. Ceterum quod si in prædictis inobedientia appareat, tunc remedia ex iisdem Recessibus petenda et adhibenda.

« Quoniam autem tam salubres et necessariæ constitutiones paulatim in oblivionem veniunt, esse consentientem Ordinum ac Oratorum sententiam, ut eædem in Recessu præsentium Comitiorum de verbo ad verbum inserantur, et publicentur, prout et Ratisbonæ proxime factum est: ut unusquisque se conformiter gerere possit.

« Quod attinet ad querimonias civitatum maritimarum contra gravamina et monopolia Reginæ Angliæ, cum ipsa hac de re ad Cæsaream Majestatem litteras miserit, quibus petit Oratorem suum audiri, et informationem ab eo accipi: idcirco differri consultationem quousque dictus Orator ad audientiam fuerit admissus.

LV. — Bisuntini quo magis hæreticorum afflatui, qui eos undique circumstarent, sese objectos cernebant, eo magis sibi cavendum esse rectissime judicabant. Ut igitur eorum juvenes et sana Ecclesiæ doctrina imbuerentur et bonis litteris erudirentur, universale scientiarum gymnasium ære suo excitandum curaverunt, illudque Apostolica auctoritate confirmatum per oratorem ad Gregorium missum expetiverunt. (*) [*] Ext Principum Vol 33 fol 107

Sanctissimo Domino Nostro, Dño Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Beatissime Pater.

« Quod Sanctitas Vestra Jacobum Antonium Pitty Florentinum civem nostrum haud gravate, imo favorabiliter et læto vultu nostro nomine receperit, et audiverit super iis, quæ a nobis illi pro impetranda confirmatione collegii universitatis commissa erant, nos erga dictam Vestram Sanctitatem multo devinctiores reddit. Et ne tædiosum sit negotium in præsentiarum repetere, concessionem dictæ per nos humillime petitæ universitatis a Sanctitate Vestra expectamus, ut rem maximopere Catholicæ religioni, Civitati nostræ, et toti Burgundiæ Comitatui profuturam. Quæ civitas omnesque ejus cives tam generaliter quam particulariter omnem suam operam Sanctitati Vræ devovent, illam obnixe rogando, ut nos in humilium suorum obedientissimorumque servorum ascribat numerum: Deum Opt. Max. rogando, quatenus illam nobis ad

multos annos conservet incolumem. Bisuntii 4. Idus Martii anno 1582.

Sanctitatis Vestræ

Obedientiss. filii Senatus Populusque Civitatis Imperialis Bisuntinensis.

G. Galiot.

LVI. — Cum Rege Catholico Gregorius etiamnunc de jurisdictione Ecclesiastica gravissimis in rebus ab ejus administris in Comitatu Burgundiæ violata conqueritur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 180. f. 130.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Scripsimus alias ad Majestatem Tuam, significavimusque, quam multis modis, quamque graviter Consiliarii Dolani et Burgundiæ Comitatus Ministri Ecclesiasticam jurisdictionem violent, conenturque eam funditus evertere, idque etiam edicto Majestatis Tuæ nomine proposito. Expectabamus, ut quamprimum provideretur, sic enim rei ipsius magnitudo postulabat. Nunc mandavimus venerabili fratri Episcopo Landensi Nuncio nostro, ut cum Tua Majestate eadem de re agat, querelarumque capita omnia, quæ singula gravissima sunt, exponat. Cupimus, ut ejus verbis eandem, quam nostris, fidem tribuas. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die quinta Martii MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno decimo.

LVII. — Leodiensi denique Episcopo omnino pro suo jure mandat, ut Synodo Diœcesana convocata, Concilii Tridentini decreta recipi reteque observari studeat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI. ep. 1 f. 112.

Venerabili Fratri Ernesto Episcopo Leodiensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Tametsi nemini dubium esse potest, quin sacri Concilii Tridentini decreta omnem vim habeant etiam in iis diœcesibus, in quibus non fuerunt hactenus publicata, neque probabilis sit ulla omnino cujusquam ignorationis excusatio, tamen voluimus his literis monere Fraternitatem Tuam, et mandare, ut ex Concilii ipsius præcepto, cui multo ante satisfactum esse oportuit, quamprimum licebit, habeas Synodum Diœcesanam, inque ea tum ipse, tum cæteri, quos convenire oportuerit, omnia et singula, quæ in sancto illo Concilio sunt decreta et constituta, palam recipiatis, veramque obedientiam Romano Pontifici spondeatis, præstaturosque vos profiteamini, hæreses omnes Sacrorum Canonum, Tridentinique Concilii, cæterorumque Oecumenicorum Conciliorum decretis damnatas publice detestemini, anathematizetisque: neque ulla dissimulatione patiatur Fraternitas Tua, hæc ipsa decreta a quoquam violari, aut depravari, operamque des, ut ab omnibus quam diligentissime, fidelissimeque serventur; impedimentaque omnia amoveas, recusantesque omnes et contumaces tua, ut debes, auctoritate comprimas. Non dubitamus, Fraternitatem Tuam nostris monitis, a summa nostri muneris necessitate et Dei gloriæ zelo profectis, quam libentissime obtemperaturam esse. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die secunda Junii MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

LVIII. — Quot quantisque calamitatibus Catholici in Anglia hoc anno premerentur, narrat Spondanus ex fide coævorum scriptorum. [*] Angliæ Ordines, inquit, Westmonasterii exeunte mense Januario convenientes, nihil tam in animo habentes, quam omni crudelitatis genere religionem Catholicam eo regno exscindere, novas et crudeliores leges in ejus professores procudeunt, quibus Majestatis rei declarati fuerunt quicumque incolas a religione in Anglia constituta dissuaderent, aut Romanæ Ecclesiæ reconciliarent, nec non qui ita dissuaderentur aut reconciliarentur. Qui Missam celebrarent, ducentis marcis et incarceratione per annum et amplius, donec persolverent, mulctarentur; qui celebrationi sponte interessent, centum marcis et simili incarceratione; quique templa Calvinistarum adire recusarent (quos et propterea communi nomine Recusantes appellare consueverunt), viginti libris Anglicis in singulos menses, hoc est ducentis libris Turonensibus. Facilis utique modus congerendi pecunias. Quæ cruenta et prædatoria decreta ut executioni mandarentur, immissi passim sunt in nobilium aliorumque Catholicorum ædes lictores et exploratores, qui sacerdotes eorumque hospites et receptores atque adjutores in carceres raperent; magnaque proposita præmia ac scelerum quorumcumque condonatio improbissimis quibusque concessa, qui ejusmodi Catholicos detegerent ac deferrent. Unde ingens secuta est persecutio, et quamplurimi tormentis sunt affecti, bonis spoliati, vita privati, quos longissimum esset recensere, horretque ad hæc animus. Qui autem aliqua eorum, legesque ipsas tam pecuniarias quam sanguinarias, hoc et aliis annis latas, proditiones turpissimas et infames calumnias ad plurimos opprimendos adinventas, artes dolosas ad alios variis captiosis quæstiunculis laqueis ipsis paratis involvendos, et alia ejusmodi ex antiquis Gentilium in Christianos persecutionibus hausta et sua atrociori barbarie aucta noscere voluerit, habet multa Anglorum vel ea patientium, vel conspicientium, vel certe condolentium scripta, [*] quibus ea continentur, una cum diversis apologiis pro ipsorum innocentia et probationibus, quod solius religionis Catholicæ causa non ob ulla alia crimina, ac præcipue sedi-

[*] In cont. Annal. Ecclesiast. T. II. p. 794.

[*] Concertatio Eccl. Cath. in Anglia part. 3. Sander de Schism. l. 3

tionis in populis movendæ, aut conjurationis in Reginam intentæ, ut calumniabantur adversarii, paterentur.

Attamen his cruciatibus Catholicorum constantia non modo non frangebatur, sed ne flectebatur quidem. Qua de re legendæ sunt litteræ, quas fortissimus animo idemque prudentissimus vir Robertus Personius ex Soc. Jesu Pontifici misit, quibus eidem commendat quemdam Georgium nobilem juvenem, qui maximo suo periculo Patres Societatis Jesu pro fide Catholica ibidem strenue laborantes omnibus summæ necessitudinis officiis prosecutus fuerat; cuique ipse Personius persuasit, ut inde demigraret, tutumque in perfugium se reciperet; cognoscebat enim, præsentissimo in discrimine vitam ejus versari. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 33. fol. 221.

Beatissime Pater.

« Etsi de rebus nostris Sanctitatem Vestram, ex aliis, ad quos scripsi, satis jam cognovisse sperem: nactus tamen hunc tam opportunum nuncium, cui aliquid literarum necessario dandum fuerat, volui de statu nostro quædam brevissime adjungere. Hodie decessere Londino Legati Gallici, re infecta, ut vulgo existimatur, magnum enim jam silentium est de matrimonio. Expectamus jam quotidie novam procellam asperrimam persecutionis, quia ante biduum exiit mandatum a concilio regio ad omnes partes regni, ut inquiratur in Catholicos, ut appellant, Recusantes, secundum formam novi statuti proximis comitiis superioribus facti, quo singuli supra ætatem 16. annorum condemnantur ad solutionem 80. scutorum pro singulis mensibus, quibus recusaverint ad Ecclesias Protestantium venire. Et licet Catholicorum paucissimi sint, qui solvendo sunt, ideoque perpetuos carceres plerique expectent: tamen lætissimi sunt, minimeque de hac re solliciti, sperantes sic cum illis agi ut cum Israelitis, ut majoris pressuræ impositio celerioris redemptionis expectatio sit. In nos edicta minacissima, libri, conciones, rithmi, convitia, fictiones, comediæ divulgantur. Populus tamen avidissime nos recipit, fovet, protegit. Numerus credentium mirifice augetur, et ex infestissimis hostibus fleximus multos, convertimus nonnullos. Certamen acre est; Deus nobis humilitatem, patientiam et fortitudinem concedat. Quemcunque Sacerdotem aliumve intercipiunt, quem nostrarum rerum conscium suspicentur, equuleo vel catasta torquent, ut nos prodat, et unum nuperrime vehementissime torserunt, nihil tamen elicere potuerunt. Interim nos satis securi in eorum oculis habitamus, loquimur, concionamur, scribimus, cæteraque prosequimur quæ ad resistendum pertinent, omnes cruciatus expectantes, cum capti fuerimus, interea tamen per Dei bonitatem tranquillo animo dormimus. Suppetias novorum hominum vehementer expetimus, easque veloces, ne prius intercipiamur, quam illi nobis succurrere possint; atque hæc breviter de rebus religionis. Nunc restat ut aliquid Sanctitati Vſtræ significem de latore harum literarum, qui, ut verum fatear, præcipua causa fuit hujus meæ scriptionis. Juvenis est nobilis, Georgius Gilbertus nomine, qui universæ Angliæ spectaculum factus est rarissimum. Hic enim cum amplo esset patrimonio, magnaque apud aulam in gratia, se suaque omnia pro religionis Catholicæ defensione devovit; primo enim ingredientibus nobis in insulam, cum cæteri vel timerent, vel dubitarent, ipse solus nos recepit, fovit, vestivit et aluit: pecuniis, equis, famulis nos juvit; deinde per insulam nos suis sumptibus circumduxit: ipse simul nobiscum peragravit: libros cæteraque necessaria dedit, prælum nobis comparavit, possessiones quasdam vendidit, ex eisque pecuniæ bona summa nobis ad omnes usus attribuit, quibus causa Catholica promoveri possit; nec hoc solum fecit, verum etiam incarceratos omnes pro fide Catholica continuis eleemosynis reficiebat, quibus rebus tam odiosus brevi tempore hæreticis factus est (præsertim quia partibus eorum aliquando adhæserat), ut ubique locorum eum persequerentur, acerbissimamque mortem minarentur, si capi possit. Quod licet ille parum curaret, tamen cum amplius illum laborare non posse cernerem, nec in Anglia morari sine manifesto vitæ periculo, majorque nobis esset labor ac sollicitudo in illo, quam in nobis protegendis: persuasi illi tandem, ut relictis omnibus mare transfretaret, et meliori tempori se reservaret. Nunc igitur Sanctitati Vestræ humillime supplico, vel supplicamus potius sacerdotes omnes, quorum patronus benignissimus hic unicus exstat, ut eum respiciat et consoletur Vestra Sanctitas pro ea consolatione, qua ipse viscera nostra refecit, vel causam potius communem sustinuit; si quid enim unquam boni effecerimus, ejus magna pars huic juveni tribuenda est. Unde si istic par ei charitas reddatur, res erit apud omnes magnæ ædificationis, et apud sui similes non exiguum calcar, ut illius facta in posterum imitentur. Benignissimus Jesus diutissime nobis Tuam Sanctitatem conservet, ut hic intimis affectibus Catholici omnes die noctéque precantur, cum tantum se devinctos propter infinita et maxima beneficia existimant, ut nunquam cessent de Beatitudine Tua loqui, denique pro longæva tua in hac vita, incolumitate, æternaque futuri sæculi fœlicitate exorare. Datum Londini 24. Junii 1582.

Vestræ Beatitudinis

Indignissimus filius

Robertus Personius S. J.

LIX. — Habeas etiam quæstiones, quibus Anglorum Regina tentari atque expugnari Sa-

cerdotum Catholicorum constantiam posse sibi persuadebat. [*]

[*] Gallia Vol 16 fol 302

« Quæstiones sive articuli propositi jussu Reginæ presbiteris illis, qui jam ante aliquot menses fuerunt ad mortem damnati, quibus si respondissent secundum sententiam et voluntatem ejusdem Reginæ, eos a morte absolvisset, licet in reliquis fidem Catholicam profiterentur.

I. Utrum bulla Pii V., qua excommunicavit et deposuit Reginam, sit valida, contineatque legitimam sententiam, et an eidem subditi Regni Anglicani obedire teneantur?

II. Utrum Regina non obstante illa sententia, aut alia quaecumque quæ lata est, aut per Papam ferri potest, juste et legitime non regnet, et an subditi illi omnem obedientiam non debeant?

III. Utrum Papa ullam habeat potestatem vel auctoritatem mandandi, seu licentiam concedendi Northumbriæ et Westermorlandiæ Comitibus, aut cæteris Anglis rebellandi vel arma accipiendi contra S. M., vel dandi potestatem Doctori Sandero et aliis invadendi Regnum Hiberniæ vel cæteras S. M. ditiones, et arma contra ipsam accipiendi, et an Sanderus et cæteri recte id fecerint, vel non?

IV. Utrum Papa habeat potestatem absolvendi S. M. vel alterius cujuscunque Principis subditos a juramento fidelitatis ipsis præstito, et ab omnis obedientiæ et obsequii debito propter ullam causam?

V. Utrum Doctor Sanderus in libro de Visibili Monarchia Ecclesiæ et Doctor Bristous in libro Motivorum, ubi scribunt in commendationem et approbationem bullæ Pii V., vera doceant in hac parte et defendant, necne?

VI. Si contingat, Papam per aliquam Bullam aut sententiam declarare et pronuntiare, S. M. esse omni Regni jure privatam et illegitime dominari, illiusque subditos esse ab omni erga illam officio et obedientia absolutos; posteaque jussu vel auctoritate Papæ Regnum ab externo milite oppugnetur, cujus tum partes sectaremini, aut ad cujus partes populum hortaremini?

His quæstionibus, scribit Petrus Pussinus e Societatis Jesu [*], jam superiore anno damnatos sacerdotes septem aggrediuntur, Lucam Chirbæum, Thomam Cottamum, Laurentium Richardsonum, Thomam Fordum, Joannem Sherthum, Robertum Jonsonum et Guilielmum Filbium. Novum et singulare genus erat iniquitatis in abditas animi opiniones inquirere, et in crimen trahere Majestatis Theologorum sententias. Nihil vero iniquius, quam fingere pro libidine tempus et cogere profiteri, quid, si tale aliquando tempus incidat, facturus quisque sit; quod judiciorum hoc genus? Ergo homunciones vel ad facta vel præterita cæci de iis judicant, eaque supplicio ultimo vindicant, quæ forte erunt aliquando, forte non erunt: de quibus ne Deus quidem judicat. Quamquam enim sapientiæ infinitæ obscurum non sit, quid commissurus quisque sit, si certa offeratur occasio, non tamen si ea nunquam offeratur occasio, et præcognitum scelus nunquam re fiat, condemnat. Sed eadem nimirum sapientia æterni Principis tanta permittebat flagitia, ut comprehenderet sapientes in astutia sua. Sacerdotum suorum per hæc non probabat modo innocentiam, sed causa illustrata supplicii palmas sanciebat. Ad eas captiones cum Athletæ pars universe respondissent, se esse Catholicos, deque iis, quod Ecclesia docet Catholica, id sentire, nec verbum ultra addituros; alii singillatim moderate et prudenter, quæ Cæsaris erant Cæsari, quæ Dei Deo reddituros: tanquam confessis jam proditoribus pœna repræsentatur, et eadem rursus tentamenta sub ipsum patibulum ingeruntur. Septimo post hasce quæstiones die, qui fuit Maji vigesimus, Fordus, Shertus, Jonsonius usitata genti in perduelles pœna mactantur. Decimo posthæc die ad tertium Kal. Junias Filbius, Chirbæus, Richardsonus et ultimus omnium Cottamus eodem et loco et cruciatu, quo priores, contrucidati sunt. Horum Athletarum non caput modo amputatum, et extracta intestina et igni combusta erant, sed etiam discerpto trunco, partes in ferventem aquam injectas, pauloque post extractas ad urbis portas statuerant, et hastis præfixa capita in Jamesis ponte collocarant. Quam diram stragem cum populus mussitando execraretur, nec posset sine murmure ferre tot passim objecta immanitatis exempla; horum quatuor exustis visceribus, reliquas partes, ut maleficis et latronibus fieri mos est, eodem in loco juxta patibulum terræ mandarunt. Qua re nobiles Catholici animadversa furtim sacra illa pignora abstulere non ad Angliæ modo totius, sed exterarum etiam provinciarum solatium, ad quas inde pervenere. Nec suis caruere honoribus, quos hostes in portis aut ponte proposuerant. Adibant hæc loca tanquam ad sacras stationes Catholici, pieque preces ibi facientes, ex obviis, ne quam suæ religionis suspicionem offerrent, dissimulanter, quinam illi perduelles essent, interrogabant.

[*] Hist. Soc. Jesu Tom. V. p. 66 et plura Bartolus in opere citato.

LX. — Gregorius, qui vereretur ne specioso pacis nomine et simulatione ab Ecclesiæ adversariis quidam principes viri, Catholicæ fidei retentissimi, misere deciperentur, laudata eorum pietate et constantia, desumptis ex Sanctorum Patrum scriptis testimoniis, ut in re tanti momenti sibi etiam atque etiam caveant, admonet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 137. f. 101.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Gerardo Desmoniæ Comiti, Joanni ejus fratri, Jacobo Eustacio Latinglassæ Vicecomiti.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem et Apostolicam benedictionem. Lætati incredibiliter su-

mus testimonio pietatis vestræ, et charitatis inter vos, animorumque conjunctionis. Sic enim confirmat venerabilis frater Episcopus Cassellensis, vos io tantis rerum, temporumque iniquitatibus nullo loco deesse Catholicæ Religioni, et Dei gloriæ adversus hæreticos utriusque causæ hostes infensissimos. Reposita sunt huic vestræ virtuti præmia sempiterna, longeque omnium hominum existimatione ampliora, tantum abest, ut cum illis brevissimi hujus vitæ labores, ærumnæque omnes conferri possint. Quod hostium simulationi de pace, et turpissimis atque ab omni pietate alienissimis conditionibus assentiamini, nihil est. Paratur vobis hac simulatione interitus non tam corporum, quam animorum, Catholicæque Religionis labefactatio. Vos vero sic cogitate, unam tantum pacem esse posse, fidei nimirum, animorumque in hac ipsa Catholica Religione tuenda consensionem, hac una remota pacem nullam neque esse, neque ad breve aliquod tempus simulari posse. Cohærere et coojungi non potest, inquit Beatus Cyprianus, amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas; nemo existimet, bonos de Ecclesia posse discedere. triticum cum rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit, inanes paleæ tempestate jactantur, invalidæ arbores turbinis incussione evertuntur, hos execratur et percutit Joannes Apostolus dicens; ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis, si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum; hinc hæreses et factæ sunt frequenter, et fiunt, dum perversa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem. Nullam quoque posse pacem esse Catholicis cum hæreticis, declarat beatus Gelasius ad Anastasium Augustum his verbis. Quomodo potest esse pax vera, cui charitas intemerata defuerit? charitas autem qualiter esse debeat, Nobis evidenter Apostolus prædicat, qui ait, charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Quomodo quæso te de corde erit puro, si contagio misceatur externo? quomodo de conscientia bona, si pravis fuerit malisque commista? quomodo fide non ficta, si maneat sociata cum perfidis? Hæc autem non eo scribimus, quo vereamur, ne vos, aut eorum aliquis, qui vobiscum conjuncti sunt, (volumus enim has literas illis quoque omnibus communes esse) Christi hostibus aliquando conjuncti esse velitis, sed ut vobis sociisque vestris gratulemur, quod tantopere ab illis dissideatis, atque intelligatis, illos omni simulatione non in vestras tantum possessiones et res, sed in animas ipsas invadere, conarique omnia vobis superioris vitæ merita eripere. Vos vero attentius vigilate, et Satanæ fraudibus obsistite, certumque habete, vestræ charitati in Dei causa tuenda Divinam semper bonitatem atque opem affuturam esse, quod quidem hactenus experti estis, hacque ipsa spe certissima vestros omnes confirmate, inque ea, quam semper retinuistis inter vos, animorum conjunctione perseverate. Res vestræ, ut perspectum vobis esse confidimus, semper Nobis cordi fuerunt, eruntque. Cætera ex eo ipso, qui has literas vobis reddet, cognoscetis magno, ut speramus, vestro cum fructu et merito. Ejus igitur verbis omnem fidem tribuetis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die tertia Februarii, millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Pontificatus Nostri anno decimo.

Litteris denique Apostolicis, XII. Kal. Febr. datis, omnes Christifideles atque Episcopos vel maxime adhortatus est, ut aufugientibus Catholicis ex Anglia omnia charitatis munera tribuerent. (*)

(*) Extat in Bull. Romano Tom. IV. P. IV. Const. 134 p. 8

LXI. — Gregorius, novo quodam consilio inito, quod Episcopo Rossensi valde probabatur, fidei Catholicæ in Scotia restituendæ adjecit animum. Quam ad rem ipsa quidem Maria Regina subdidit stimulos datis ad Ducem Guisium litteris, ut cum Julio Cæsare Castello Episcopo Ariminensi, Nuntio Apostolico apud Regem Christianissimum, et Provinciali Præside Societatis Jesu transigens, aliquot ejusdem Societatis Patres illuc mittendos curaret: ipsummet nominatim Personium per Bernardinum Mendozam vehementer rogavit, ut id munus susciperet. En quæ Episcopus Rossensis Pontifici de explicanda ejus consilii ratione, deque juvenis Regis, Mariæ filii, spe referebat. (*)

(*) Inghi. Vol. 2 fol. 211

Sanctissimo Domino Nostro Papæ.

Beatissime Pater.

Etsi sciam Reverendissimum Ariminensem Vestræ Sanctitatis Nuncium omnia diligenter relaturum, quæ ex me in ea collatione intellexit, quam mecum ex mandato Vestræ Sanctitatis habuit de statu Principis et regni nostri: ipse tamen committere nec debui, nec potui, cum pro mea in Sedem Apostolicam observantia, cum etiam pro officio in Reginam, cujus hic licet minus idoneus vicem obeo, quin ipsius nomine Vestræ Sanctitati quam maximas possem gratias agerem, pro sollicitudine tam paterna, et Summo Pontifice ac Christi Vicario vere digna, quam de ipsius filio Principe nostro Vestram Sanctitatem habere, ex mandato ipsius ad Reverendissimum Nuncium evidenter perspexi. Ipse vero flexis genibus cordis et corporis immensas ago gratias Deo et Patri Domini Nostri Jesu Christi, qui pro incomparabili amore, quo suam sponsam usque diligit, Sanctitatis Vestræ menti de tota Britannia et Hibernia filii sui hæreditati, hoc est istius Sanctæ Sedis obedientiæ restituenda consilium hoc inspiravit, quo nul-

lum potuit solidius, salubrius, aut magis opportunum excogitari. Quin et ipsius Divinam benignitatem quanto poterimus devotionis affectu implorabimus, ut Vestram Sanctitatem nobis diutissime servet incolumem, ut quod de iis regnis Christi Ecclesiæ restituendis sapientissime concepit, opportune et efficaciter exequi possit, atque non tantum gravissima rationum momenta, verum etiam fœlicissimus eventus et totius negotii successus hoc Vestræ Sanctitatis consilium a Deo fuisse evidentissime convincat. Cæterum quia maturatione opus est, ego quanta potero diligentia adnitar, ut Regina, intellecto consilio Vestræ Sanctitatis, quicquid in ipsius prudentia et authoritate positum est, in id etiam conferat. Et quia difficile est subinde vel ad eam scribere, vel ejus literas habere (quod vel ex his ipsius literis quas cum præsentibus mitto, quæ mense Julio scriptæ vix nobis initio Januarii redditæ fuere, Vestra Sanctitas facile intelliget) nos interim dispiciemus si nulla alia occurrat ratio; num quis ex hac Francica vel Lotharingica nobilitate inveniri possit, qui ea sit et pietate et prudentia, ut cum Principe dextre conversando, ipsius animum valde per se docilem paulatim ad omnia sana consilia inducat. Interea si nos contingat eo proficisci, quod ut nobis liceat, a Regina cum spe concessionis contendimus, quamprimum certiorem faciemus Vestram Sanctitatem, ut si quid sit quod nostra opera, dum illic erimus, ad Dei gloriam et Ecclesiæ utilitatem fieri queat, accepta Vestræ Sanctitatis mandata executioni quanta poterimus fide et diligentia mandemus. Iterum Deum oramus, ut Vestram Sanctitatem nobis et Ecclesiæ suæ servet incolumem. Datum Parisiis ultimo Januarii 1582.

J. Episcopus Rossensis.

LXII. — Hæc autem confirmantur ex iis, quæ in ea narratione continentur, qua Sacerdos quidam Scotus Alano accuratius explicabat, qui esset Scotiæ status, quotquot etiam viri ex nobilitate censerentur Catholici, quanto desiderio Sacerdotes ex Anglia confugientes exciperentur; quantum præstaret, si Summus Pontifex per dies jejunii carnes vescendi gratiam faceret; quantæ curæ omnibus esset, ut Princeps, qui totius Britanniæ Rex aliquando esset futurus, catholice institueretur: de quo juvene id quidem taceri non potest, quod genitricis suæ Mariæ Reginæ, quam nondum vidisset, fuerit amantissimus. Hæc cum litteris Alanus Cardinali Comensi misit, quæ cum Pontifice communicaret. (*)

(*) Anglia Vol 3 fol. 216 et 217.

Illmo et Rmo in Christo Patri ac Domino Dño Cardinali Comensi, Dño suo Benignissimo.

Illme ac Rme Domine.

« Habuimus in Scotiæ primaria urbe Edenburgo duos hac hieme sacerdotes, qui de religione Principis ac Nobilium animos tentarent; alter est Societatis Jesu, alter Collegii nostri alumnus. Ceperunt ipsi, et nobis per literas antea dederunt spem non exiguam, ut jam pridem significavimus; at nunc in principio hujus Februarii, eorum alter, ut fusius tutiusque cuncta aperiret, Londinum in Angliam venit, unde ad me multa de pluribus mittendis illuc operariis, deque Reipublicæ et Religionis statu diligenter scripsit. Atque cætera quidem nos cum R. P. Societatis Generali transigemus, sed hæc pauca, quæ isto adjuncto scripto continentur, censui potius Sanctissimo Domino Nostro per Celsitudinem Tuam indicanda, quia et maximi sunt momenti et secretissime geri debent. Ut enim ille Princeps, cui jure hæreditario olim per Dei gratiam tota obveniet Brytannia nostra, fiat Ecclesiæ filius, ad universum orbem Christianum summopere pertinet. Si de vescendis carnibus, secundum illud quod in scripto continetur, Sua Sanctitas indulgendum judicet, ne gravetur Tua Illma Dominatio uno verbulo significare. Ista observantiæ causa scripsi, cætera vestræ committo sapientiæ, meque ipsum, obsecro, Cardinalis Amplissime, inter alumnos tuos continuo connumera. Remis 18. Febr. 1582.

Tuæ Illmæ ac Rmæ Dominationis

In Christo servus et orator

Gulielmus Alanus.

« Status regni Scotiæ ita se habet. Rex ab hæreticorum Ministris hactenus male educatus, nihil fere novit quod ad fidem Catholicam pertinet, ita tamen obstinate hæreticus non est, quin speremus eum libenter Catholicorum rationes auditurum, sicut et Reginæ matri suæ per literas id solicitanti se facturum promisit; genitricis enim suæ, licet sibi nunquam visæ, est amantissimus.

« Multi ex Nobilibus in Catholicam partem inclinantur, et illius religionis in sua regione stabilimenta exoptant: per se tamen hoc se effecturos diffidunt, tum quia se ab Anglo impediendos pertimescant, tum quia de auxilio omni externo incerti sint. Cogitant tamen de istis mediis, ad suum propositum maxime (ut ipsi putant) accommodatis: ut primum cum Rege per viros doctos agatur, et ad disputationem publicam inter Catholicos sacerdotes et hæreticorum Ministros, religionis causa, etiam Reginæ authoritate adhibita, procedatur: vel si hoc non possint efficere, ut tunc a Regina facultatem ac licentiam petant, Regem filium (si opus fuerit) transmittendi in regionem aliquam Catholicam, ubi et melius in fide instrui, et ad regni gubernacula informari, et potentiorum Principum amicitias et affinitatem sibi procurare possit, salvo semper suo jure et dignitate. Putant enim, propter incertum sui et Anglicani regni statum parum tutas amicitias sine externo milite posse conciliari; a Franco tamen au-

xilia se impetraturos non sperant, a Summo Pontifice vel Hispaniæ Rege quærerent quidem lubentius, si vel minima esset consequendi spes, et non dubitant paucorum militum externorum numerum sibi fore satis, Italosque cæteris aptiores ad eam rem esse arbitrantur.

« Interim ex Nobilitate præcipui, aliique multi nostrates sacerdotes Anglos libenter suscipiunt, idque publice ac palam, nomine quidem exulum ex vicina Anglia (ut fit) fugientium propter aliquid contra leges commissum, sed revera tamen et eorum sacris occulte interesse et conciones audire desiderant; linguæ enim fere nulla differentia est, multosque ex Nobilitate tam ferventea jam videmus, ut si brevi conscientiæ saltem libertatem impetrare nequeant, patriam se relicturos, et in alienis terris salutem animarum suarum prosecuturos affirment, eosque vel id quoque multum ad hoc incitat, quod cernant nec sibi nec Regi puero quidquam tutum esse ab hæreticis et suis et Anglis: nec ullam esse spem consequendi post Reginæ mortem regnum Angliæ, quod illi jure materno debebitor, nisi per Catholicos et Catholicæ fidei professionem; regnandi enim cupiditas in hujusmodi rebus multum valet in omnem partem.

« Rei Catholicæ præcipui fautores et procuratores sunt, Dux Leonorii, Comes Huntlæus, Comes Eglingonius, Comes de Argile, Comes de Catnes, Dynasta de Hume, et Dynasta de Seton, et alii aliquot Magnates. Qui D. de Seton (pater illius D. Alexandri Setonii non ante multus annos in Romano Seminario educati) pollicetur, se et chirographum procuraturum istorum omnium Nobilium, aliorumque quorundam, et filium suum primogenitum obsidem daturum, si externum militem ea ratione ab ullo Principe impetrare posset.

« Inimici hujus causæ sunt, ingratissimus Aranius, nuper Regis beneficio Comes creatus, cum Ministris, id est, pseudosacerdotibus hæreticorum. In civitatibus sunt etiam plures hæretici quam Catholici: interim tamen in ipsa urbe præcipua Edinburgo multi Catholici sparsim inveniuntur, ita ut nostrum alter centum communicaverit hoc Natali Domini.

« Opinio etiam Scotorum est, quod suæ gentis sacerdotes, nec tam tuto, nec forte tam fructuose ibi hoc tempore degere queant, atque Angli, qui exulum nomine (ut dixi) recipiuntur ubique; cum tamen Serenissima Regina Scotorum timuerit ab initio, Anglos propter antiquum illorum inter se odium non potuisse fructuose laborare. Sed contrarium experti sumus, maxime cum Nobiles Scotos in principio pauciores, Anglos paulo plores, sed non valde tamen multos esse, expedire judicent. Qui Angli ad sustentationem hoc solo egent, quod ad vestimenta comparanda et reliquas in itineribus faciendis expensas spectat, sine quibus subsidiis necessariis nihil agere possunt: cum quibus tamen tanta spes illius gentis est, et tantus amor causæ, ut vitam profundere non dubitent, si eo modo possint hanc rem procurare.

« Putant etiam ipsi Scoti, non inconveniens medium ad hoc propositum esse, si a Rege Catholico ad Scotiæ Regem sub aliquo alio prætextu legatus mitteretur, qui viros doctos apud se et prudentes et Catholicam causam vehementer zelantes haberet. Ipsi enim in Curia semper versarentur, et auribus Regis atque Aulicorum instillarent, quæ ad fidem Catholicam et ad causæ Catholicæ procurationem spectarent, et si Regi Catholico ita videretur, matrimonium etiam inter Regis Catholici filiam et ipsum Regem tractarent; quod tamen Scoti propter Regis sui paupertatem non multum sperant.

« Tempore Natalis Domini in domo Dynastæ de Seton celebravimus quotidie, concionatique etiam sumus coram præcipua parte illius familiæ, quæ numerosissima est.

« Sacerdotes vestri ex Gallia venientes, ubique possunt appellere in Scotia, sed portus Leth est convenientissimus, qui non distat nisi sex milliaria a domo D. Setoni; quo quando aliquis eorum appulerit, debet certiorem facere D. Setonum de suo adventu. Ex doctioribus atque ad disputandum et concionandum aptioribus valde desiderant, imprimisque (præter illos quos P. Robertus de Societate adducturus speratur) cupiunt vestri Collegii Gulielmum Reinoldum, et Mauricium, ac Richardum Barrettum de Romano Collegio, si carere potestis.

« Ego de Nobilium Catholicorum voluntate, et ex consilio socii ac compresbyteri mei transivi satis tuto fines utrinsque regni, et Londinum veni, ut citius vobis ista indicarem, et ut videatis quid porro facto opus sit de supplemento sacerdotum etc. Interim sodalis meus manet in ædibus Illustrissimi D. Setoni, ad Catholicæ causæ, dum revertor, procurationem. Atque animus quidem erat hic Londini subsistendi, donec responsum a vobis aut a P. Roberto acceperim: sed nunc consultius putatur hic, ut continuo revertar, ne fines Scotiæ ac viæ concludantur, propter motus, quos hujus mutationis metu Aranius et pseudopresbyteri dicuntur moliri contra Regem et Ducem Lenoxii; heri enim venit de Scotia nuntius qui narrat, Ordines iterum Regia authoritate convocandos, ad rescindenda quæ antea contra Catholicos in Scotia sancita sunt decreta; atque in eo loco (id est in palatio Ducis) designata esse Comitia, quo Aranius et prædicti pseudoministri non sunt ausi venire; atque propterea ipsos hæreticos in armis esse, eo prætextu, ut ejiciant Ducem Lenoxii, quod exterus sit, ab omni gubernatione.

« Atque ita quidem hoc præterito Januario se habebant res Scotiæ. Vestra Reverentia de rebus omnibus vel Londinum, vel Edindurgum in Scotiam per cyphras scribere potest.

« Prorsus in Scotia exolevit jejunandi religio; ex quo sacerdotes nostri eum comedere recusent, sæpe se immature cogentur prodere, ad causæ Catholicæ detrimentum. Proinde videat Dominatio Tua, si Sua Sanctitas velit dispensare, ubi necessitas urgebit, de vescendo carnibus. Desideramus unum qui bene loquatur gallice, nam D. Dux nullam aliam linguam novit, quocum tamen sæpius agendum est. Mittite, obsecro, vestros quam citissime; nos illis et viam aperiemus, et pericula si quæ eminent ex hæreticorum vigilantia, per Dei gratiam præveniemus. Frustra addidero, ut in hanc Christi causam strenue (ut cœpistis) incumbatis, aut ut pro nobis orari faciatis. Vale igitur mi Domine Reverende. Ille Illustris Dominus, in cujus cyphra hæc scribo, nos omnibus modis juvat et consolatur, Dominique sui nomine omnia pollicetur, ac de iisdem etiam negotiis prolixe scribit ad vos hodie et ad Principes quosdam.

LXIII. — Meliori loco esse Scotiæ res nunciavit Crittonius e Societate Jesu, paullo ante Edimburgo Parisios reversus. Res, ut tum quidem se habebant, narrat Possinus [*], vix poterant meliores optari; tamen ex levi momento pendebant. Rex adolescens ad Catholicam religionem, præsertim cum singulare Matri profiteretur obsequium, haud ægre perlici poterat: sed apparebat hæreticos haud diu passuros administrationem rerum apud Catholicos esse: neque Duci Lenoxiensi erant vires, quibus adversariorum impetus propulsaret. Hunc rerum statum cum jussisset Dux Crittonium amicis ejus et propinquis exponere, convenere Parisiis, ut viderent, quid consilii capiendum foret, Castellus Apostolicus Nuntius, Jacobus Glasguensis Reginæ Mariæ Legatus, Dux Guisius, Joannes Baptista Tassius Legatus Regis Catholici, Guilielmo insuper Alano et Claudio Matthæo accitis. His omnibus visa res est summi momenti, et Gregorio Pontifici ac Philippo Regi significanda. Eam ob rem Crittonium Romam, Personium in Hispaniam destinant. Summa erat mandatorum, ut incolumitati adolescentis Regis et Dobenii Ducis consuleretur, collato auxilio, unde firmum haberi militum præsidium posset: simulque de prospicienda Regulo Catholicæ religionis conjuge, quo pronior ejus conversis foret, cogitaretur. Et quoniam duæ Catholico Regi filiæ nubiles erant, ad alteram earum eurum adjici posse. Pontifex vehementer commotus Scotiæ calamitatibus, ac perinde uti oportebat omnium populorum Pastorem, affulgente tanta spe, in curam erectus, non solum probavit suscepitque negotium, sed etiam ad id, ut maximi ad rem omnem Christianam momenti, toto pectore capessendum suis impense litteris Philippum incitavit.

[*] Hist. Soc. Jesu Par. V. T. 1 l. 5. p. 88.

LXIV. — Glasguensis Præsul non idcirco ab incœpto desistendum esse Pontifici scribit, quod nonnihil in Scotia turbatum esset. [*]

[*] Gallia Vol. 16. fol. 340.

Sanctissimo Domino Nostro.

Beatissime Pater.

« Quam sum in scribendo ad Vestram Sanctitatem cunctabundus, nisi certum occurrat de quo scribam: tam nollem esse tardus, sicubi rei gravitas et certitudo meum in hoc genere requirit officium. Quæ res effecit, ut ex quo istuc profectus est Pater Creytton, etsi hic variis in utranque partem incertis rumoribus ad nos sint allata, nihil ad Vestram Sanctitatem scripserim; tantum semel ad nostrum Creyttonem scripsi minas adversariorum et occultos conatus, quantum eos certe colligere potui, sive ex Scotia, sive ex Anglia. Nunc quia legatus Regis Christianissimi, qui Londini residet, in aula Anglicana non tantum ad Majestatem Christianissimam et Reginam Matrem, sed ad Illmum Guisiæ Ducem et meipsum quoque literas dedit, ejusdem argumenti et datæ, nempe ultimo Augusti Londini scriptas, de statu Scotiæ nonnihil recens turbato: ego pro meo in Sedem Apostolicam, tum in patriam officio, totam rem quam potui diligenter scripto comprehensam, ad Reverendissimum Patrem et Coepiscopum meum Guilielmum Dumblanensem Episcopum, et dictum Patrem Creyttonem perscripsi, uti per ipsos Vestræ Sanctitati exponatur, quibus in ea re rogo Vestram Sanctitatem ut fidem habeat veluti mihi ipsi. Ex illis enim facile intelliget Sanctitas Vestra, ex hoc casu utcunque adversus videri possit, Sanctitatis Vestræ consiliis et sanctissimis conatibus plus spei quam timoris concipiendum esse: et proinde Vestræ Sanctitati in eo quod tam fœliciter cœptum est, fortiter insistendum. Deus Vestram Sanctitatem nobis et Ecclesiæ suæ diutissime servet incolumem. Parisiis nono Septembris 1582.

Vestræ Sanctitatis

Humillimus servus et Orator

Jac. Archiepiscopus Glasguensis.

Alanus enimvero ipse magno erat in metu, ne hæreticorum artibus optimæ spes e manibus elaberentur, nisi quamprimum occurreretur; ac maturato opus esse ad juvenem Regem ex adversariorum potestate eripiendum, Cardinali Comensi scribit. [*]

[*] Anglia Vol. 2. fol. 235.

Illmo ac Rmo in Christo Patri ac Dno D. Cardinali Comensi Patrono suo Optimo.

Illme et Rme Patrone.

« Etsi timide et illibenter Sanctitatem Suam vel Tuam Amplitudinem de his rebus, quæ et magis sunt vobis notæ, et non minus cordi quam nobis ipsis, interpellare soleo; tamen bonorum

studio et flagitatione cogor ista vel importune, vel non necessario sapientiæ vestræ suggerere. Jam pridem variis ex Scotiæ literis intelligo eum esse illic rerum statum, ut et spei ac desiderii dilatione vehementer angantur, et ex hac etiam qualicunque mora non parum periclitentur. Nam ita vel subodorati sunt aliquid hostes, vel ipsa Principis ætas et inclinatio in Reginam Matrem adversarios reddit suspiciosos, ut videantur mox aliquid contra pueri personam et regni administratores tentaturi, nisi celerrime prospiceretur. Cujus mali metus fecit, ut Principis se Lenoxii nomine ac mandato præterito Augusto publicatum sit edictum, quo protestantur se permansuros in illa jam recepta religione, nec cogitare de mutatione. Cui tamen promisso ita non fidunt, cum sciant Ducem esse animo Catholicum, et Principem ipsum male in hæreticos affectum, atque, ut existimant, ad simulationem doctum, ut, si rumoribus, qui recentissime per totam sunt sparsi Angliam, quique jam in Galliis quoque percrebuerunt, credamus, jamdudum nescio quo stratagemate ac arte hostes abripuerint ipsum Principem e manibus ac tutela Ducis ac suorum; quod si verum sit, magni existunt utrinque motus, præsertim cum et Dux ipse liber sit, et munitissima regni loca ac castra occupet, populusque sit indignissime Regis illiberalem oppressionem et captivitatem accepturus, et sine dubio, si ullas haberet suppetias opportunas, promptissime vindicaturus; est enim plebs universa et antiquissima Nobilitas in istum Principem summopere affecta, timebuntque non leviter, ne in Anglorum potestatem veniat. Istæ sunt ergo hoc tempore Scoticarum rerum illiusque adolescentis, in cujus salute et conservatione tanta rerum momenta in futurum tempus sita sunt, angustiæ. Nam vel est in manibus hostium, unde eripi quamprimum debet, et certe omnium judicio facillime potest; vel periculum est, ne primo quoque tempore incidat: cui malo in neutram partem seu succurri seu occurri potest, nisi ipsorum et nostris prioribus postulatis citissime et benignissime a Sanctissimo Domino Nostro annuatur. Nihil dico amplius, quia scio, ejus erga nos afflictos filios suos sancta desideria et consilia etiam vota in hoc genere nostra superare. Tua quoque mihi, benignissime Domine, tam est explorata voluntas et propensio, ut frustra plura addiderim, cum ista defungendi erga meos officii potius causa quam ulla necessitate exaraverim: tempus faciendi (optime Cardinalis) tempus faciendi a Domino. Quod reliquum est, solum tuam benignitatem oro, ut dignetur servitutis nostræ istud obsequium Beatissimo Domino ac Patri nostro suggerere; et idem apud Sanctitatem Suam, quantum potes et soles, promovere. Deus Optimus Maximus tuam Illmam Dominationem diu incolumem nobis conservet. Remis 12. Sept. 1582.

Celsitudinis Tuæ

Alumnus et servus
G. ALANUS.

LXV. — Maria etiam Regina per Oratorem suum de nuperrima rerum Scoticarum ratione Pontificem certiorem fecit. [*] [*] Anglia Vol. 3 fol 236

Sanctissimo Patri Gregorio Decimotertio Pontifici Maximo.

Beatissime Pater.

« Cum hactenus Vestræ Sanctitati satis cognitum explanatumque fuerit, qua ratione profligatis Regni Scotici rebus mederi possit, superesse tantum mihi videtur, ut de his, quæ nuper evenere, Vestram Sanctitatem certiorem faciam, quo presenti rerum statu perspecto, auxilium illa suum, sicut hic casus infortunatissimus postulat et urget, accelerare dignetur. Singula igitur Vestræ Sanctitati accuratius et prolixius enarranda huic Nuntio imposui, cui ut viro probo eximioque religionis studio flagranti fidem adhibeas, meique Vestræ Sanctitati addictissimæ miserearis, summis precibus contendo. Valeat Vestra S. cujus pedes humillime osculata, ut illam Deus fœlici rerum omnium successu cumulet, obtestor. Datum Shefeildi Idib. Sept. anno millesimo quingentesimo octuagesimo secundo.

Humillima et devota filia
MARIA R.

LXVI. — Januenses Gregorius monet, ut quæ esse impedimento viderentur, quoniam apud eos Collegium Societatis Jesu conderetur, curent amovenda. [*] [*] Reg. Gregorii XIII Ann X ep 125. f 91

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem et Apostolicam benedictionem. Vidimus ea, quæ diligenter cognosci et referri curastis de situ Monasterii Sancti Sebastiani Papiæ, et ejus loci, quo Sacerdotes Sodalitatis Jesu templi atque habitationis ædificandæ causa egere dicuntur; sic autem arbitramur, magnam in ædificando rationem adhiberi posse, tum ne luminibus Monasterii officiatur, tum ne Sacerdotes possint in suis ædibus a Monialibus conspici: itaque nihil esse, cur opus tam pium, tam necessarium, tamque Deo acceptum impediatur. Hortamur igitur, ut curetis impedimenta omnia amoveri. Erit id nobis gratissimum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die sexta Januarii, millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Pontificatus Nostri anno decimo.

LXVII. — Januenses autem causam Marchionis Finarii Pontifici, quam fieri vehementissime posset, commendant. [*] [*] Genua Vol. I. fol 116.

Sanctissimo et Beatissimo Patri ac Domino Nostro.

Sanctissime et Beatissime Pater.

« Quanti jure merito apud nos esse debeat restitutio Marchionis Finarii ad possessionem sui Marchionatus, qua superioribus annis violenter spoliatus fuit ab ejus subditis rebellibus, jam pridem Sanctitati Vestræ notum est; ipsum jure restituendum censuit Maximilianus Cæsar inclitæ memoriæ. Idem etiam novissime declararunt, et Cæsareæ Majestati consuluerunt Principes Electores, qui ad dietam habitam Augustæ Vindelicorum convenerant et concilium electorale, quibus rationibus fretus Imperator pollicitus est, se in primis rationem habiturum, ut Marchioni satisfieret. Verum cum hujusmodi restitutio fere in totum pendeat ab arbitrio Catholici Regis Hispaniarum, apud quem auctoritas Sanctitatis Vestræ omnia pollet: hoc ideo eam humiliter etiam atque etiam ac toto corde rogamus, ut, quod mirifice conservationis et quietis hujus Reipublicæ interest, nobis morem gerere dignetur in id, quod eidem mandato nostro declarabit Rñus Antonius Saulius, cui eam fidem habere dignabitur, quæ nobis ipsis haberetur, si coram loqueremur. Superest ut Sanctitatis Vestræ pedes, quod humiliter agimus, osculemur. Genuæ die xx. Novembr. MDLXXXII.

Sanctitatis Vestræ

Obedientiss. et obsequentiss. filii atque servi

Dux et Gubernatores Reipublicæ Genuensis.

Nicolaus Secretarius.

LXVIII. — Gallorum Rex Franciscum Panassesium, Dominum de Chambrilano, Sancti Ægidii Priorem summopere Pontifici commendavit, ut Magnus totius Ordinis Hierosolymitani Magister renunciaretur. [*] Idem prætere Gregorium oravit, ut res ejusdem Ordinis impense amplecti, sibique carissimas habere vellet, inque omnes recentiorum turbarum auctores severe animadverteret; et, quod esset æquissimum, memoriam Magni Magistri, qui anno superiore Romæ decesserat, ab omnibus calumniis contumeliisque vindicaret. [*]

[*] Manliosa document. N. 68.

[*] Ibidem N. 69.

Gregorius Gallorum Regem de Verdallo Magno istius Ordinis Magistro mira animorum consensione electo confestim docuit: de superioris porro Magni Magistri causa se ei gratificaturum pollicetur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 152. f. 107.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Hierosolymitanam Religionem semper plurimi fecimus, semperque nostrum studium ad ejus Ordinis amplitudinem Nos conferre debere existimavimus, propter insignem scilicet virorum illorum pietatem et virtutem, multaque et præclara erga Christianam Rempublicam merita. Quia vero perspiciebamus intestina dissidia universo Ordini exitium afferre, quid præstiterimus, quanta celeritate et studio motus illos omnes sedaverimus, ex aliorum literis cognovisse Majestatem Tuam speramus. Misimus eo Nuncium ac Vicarium amplissima cum potestate, providimus, ut Magister ad Nos quam tutissime perveniret; accepimus eum honorificentissime. Postquam autem ille, ut Deo placuit, ex hac vita discessit, neque ei Ordini eligendi facultatem omnino adimi, neque liberam omnino relinqui, convenire judicavimus. Quid ergo? curavimus gravissimorum atque integerrimorum virorum testimonio cognoscere, ecquos haberet is Ordo viros Gallicæ nationis dignos tam gravi munere, inter cæteros tres esse comperimus omni virtute præstantes, Balivum Manuasque, quem Nobis commendas, Priorem Sancti Ægidii, et Verdallum. Hos igitur tres Consilio proposuimus: inque eo summam Tuæ Majestatis rationem habuimus; sic enim cognovimus, omnes esse Majestati Tuæ addictissimos: nostram vero voluntatem omnibus in rebus tibi gratificandi perspectam omnibus esse confidimus. Ex his autem tribus omnium studia ad Verdallum inclinarunt. Eum igitur multo antequam literæ Majestatis Tuæ ad Nos pervenirent, elegerunt tanta animorum consensione, ut dubitandum non sit, quin id Spiritus Sancti, qui est charitatis et concordiæ spiritus, ope et præsidio factum fuerit, qua etiam spe ab hujus Magistri pietate et prudentia recta omnia expectanda sunt summa cum totius Ordinis tranquillitate, quam summopere velle Majestatem Tuam certo scimus. De superioris Magistri causa, postquam acta ea, quæ ad Nos mittebantur, una cum nave et aliquot vectoribus naufragio interierunt, jussimus alia conscribi atque ad Nos mitti. Ubi pervenerint, cognoscemus omnia diligentissime, inque hoc etiam tuæ postulationi satisfaciemus. Omnia fusius ex Nuntio nostro cognoscet Majestas Tua; cupimus, ut ejus verbis fidem tribuat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die v. Februarii, millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Pontificatus Nostri anno decimo.

Verdallo etiam de supremo Ordinis munere ei delato ex animo gratulatur; speratque, fore, ut per eum reliqua, si forte supersunt, dissidiorum germina prorsus excindantur; resque Ecclesiæ Melitensis, ut in ejus fidem recipiat, rogat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 139. f. 104.

Dilecto Filio Joanni Verdallo Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Magno Magistro.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Magno omnium consensu delatum

tibi esse munus gravissimum Hierosolymitanæ Religionis atque Ordinis Magistri, magnopere lætati sumus. Vidimus etiam atque audivimus dilectum filium Pasium, quem ad Nos cum litteris misisti, summaque cum voluptate et ex litteris ipsis et ex illius sermone pietatem tuam, et perpetuam erga Nos atque erga hanc Sanctam Sedem observantiam recognovimus, spemque optimam habemus, fore tua præstanti virtute atque auctoritate, ut Ordinis istius dignitati, Deique gloriæ quam diligentissime inserviatur, inque hac spe acquiescimus, nec dubitamus, tua opera provisum iri, ut tollantur omnia superiorum dissidiorum semina, utque pax et charitas omni studio retineatur; hoc enim et fratrum nomen et munus, et Ordinis ipsius conjunctio flagitat, et Christiana Respublica, cujus vester Ordo semper nobilis pars extitit, magnopere expectat, et tua pietas pollicetur; semper enim perspectam habuimus prudentiam tuam optima cum voluntate conjunctam. Sanctæ vero Inquisitionis officium, Ministrosque omnes ejus semper quam commendatissimos habebis, amplecterisque tua auctoritate atque opera, quoties opus fuerit: est enim officium illud in Christi Ecclesia pernecessarium, nec quidquam aliud propositum habet, quam Dei gloriam atque animarum salutem. Commendamus item Episcopum ipsum, universumque istius loci Ecclesiasticum ordinem, ut possit magna cum tranquillitate, honore et fructu in causam Christi incumbere. Cætera ex Pasio ipso cognosces, ejusque verbis fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Februarii, millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Pontificatus Nostri anno decimo.

Eumdem postea prudenter et vehementissime monet, ut Equites ad sanctioris vitæ institutum compellat; adeoque ea omnia vitiorum irritamenta evellenda curet, quibus factum, ut eorum plurimi libidinis fama non leviter aspergerentur, ac ad male audiendum vel infimæ sortis hominibus os præberent. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 110. f. 103.

Dilecto Filio Joanni Verdallo Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Magno Magistro.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Quod nobilissimi istius Ordinis Magistratus tibi delatus fuit summo omnium consensu, fuit id Nobis gratissimum, neque sine summa Dei providentia factum esse existimamus: eras enim eorum, quos nominaveramus, natu minimus. Sic igitur cogitare debes, præclara omnia a te expectari, teque omni cura et studio niti oportere, ut Deo gratus appareas, bonorumque expectationi respondeas. Volumus autem paterna charitate illud in primis monere. Laborant istic jamdiu permulti magna libidinis infamia; semper autem optavimus, ut huic turpitudini provideretur, sed multa obstiterunt, quominus id perfici posset. Suscepit hoc negocium superior Magister, nec perfecit: est autem hæc pestis corporum animarumque saluti exitiosissima, universo Ordini ignominiosa; eorum autem, qui tanta fœditate implicati sunt, professioni omnino adversaria; profitentur enim se esse milites et membra Christi, re ipsa autem meretricum sunt membra. Nescitis, inquit Apostolus, quod corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? absit: an nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Noluimus igitur remedium differri, neque Divinæ justitiæ severitatem tam publico, tamque gravi crimine diutius irritari, ne forte Ordinem istum gravius affligat, quam fecit olim levioribus de causis Rhodi, aliisque in locis. Ut autem majore tua cum laude, bonorumque lætitia id efficere possis, noluimus ipsi manum hoc tempore vulneri curando admovere, nec nostram illis voluntatem significare, sed id per te agi volumus, quasi tua sponte, et Dei gloriæ, Ordinisque ipsius existimationis atque honoris desiderio sis permotus. Quod si illos tam salutarem medicinam respuere, atque obstinatius repugnare animadverteris, judicaverisque opus esse hoc nostrum decretum aperiri, tum vero id facies, Nosque omnino id velle significabis, ostendesque sic fieri opus esse, neque posse te mandato nostro, tuoque in obtemperando officio deesse. Quia vero longum esset omnia explicare, quæ ad ipsam agendi viam et rationem pertinent, dilectus filius noster Cardinalis Comensis omnia fusius perscribet mandato nostro. Illud magnopere hortamur, ut hoc negocium magno alacrique animo amplectaris; contende omni studio, non hoc tantum crimen, sed cætera item gravia istinc evellere; tibi hoc facto amplissima apud Deum merita, summam apud bonos omnes gloriam comparare. Hoc nihil Deo gratius, nihil bonis omnibus expectatius, nihil Nobis optatius facere potes. Datum Romæ etc. die XII. Februarii MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno decimo.

LXIX. — Sæpissime in horum Annalium cursu vidimus, quam esset Gregorius justi rectique tenax, maxime in iis, qui præpotentium hominum fraudibus et vi opprimerentur, ab injuriis vindicandis. Nunc vero videbimus eum animum non erga viventes modo gessisse, sed eorum etiam, qui pravorum hominum conspiratione aspersi aliqua infamia hinc decessissent, jura ad posteritatis et laudem et gratiam sarta tectaque esse voluisse. Gregorius igitur magis, ut opinor, ex animi sui ingenio, quam Galliarum Regis petitione, superiorem Ordinis Hierosolymitani Magnum Magistrum, non ita pridem vita functum, ejus causæ accuratiore cognitione in-

stituta, ab omnibus, quibus vivus oneratus fuerat, calumniis publice rogata sententia purgavit absolvitque. Quum porro intelligeret, quanti in ea momenti esset tum ad turpes accusatores eo judicio profligandos, tum ad hujusmodi in optimos viros nefarias in posterum conjunctiones propulsandas, Verdallo mandavit, ut in perpetuam rei memoriam ea sententia universo Ordini cognoscenda traderetur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann XI ep. 33 f 165.

Dilecto Filio Ugoni Verdallo Hospitalis Sancti Joannis Hierosolimitani Magno Magistro.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Tametsi obitu Joannis Levesque, cui in istius Ordinis Magisterio successisti, videbantur magna ex parte extincti motus eo adhuc vivo excitati; tamen, quia res ita postulabat, providendumque magnopere erat multarum personarum desiderio et tranquillitati, summa Nobis utraque in re justi æquique ratio habenda fuit. Voluimus igitur acta a dilecto filio Gaspare Vicecomite, uno ex Auditoribus causarum Palatii Apostolici, quem istuc miseramus, confecta, per Cardinales a Nobis selectos quam diligentissime considerari, Nobisque omnia exponi; id vero illi fecerunt, ut solent, summa fide. Omnium igitur motuum illorum origine et causis penitus cognitis et perspectis, comperimus, Joannem Magistrum innocentem fuisse, indignissimeque vexatum ac tractatum, idque aliis nostris literis declaravimus, prohibuimusque, ne unquam in posterum audeat Conventus et Consilium Magistro manus afferre, ejusque officio obsistere, idque Apostolicæ Sedi reservatum esse voluimus. Ab hac enim licentia, quam Consilium et Conventus sibi vendicabant, mala illa omnia exorta sunt, quibus Ordo iste pene interierat; oportuit autem, Nos non præteritis tantum malis mederi, sed futuris etiam providere. Facies igitur, ut illæ nostræ literæ, quas cum his ad te mittimus, in Consilio ipso quanta majore poteris cum celebritate palam recitentur, utque ad universi Ordinis notitiam perveniant, inque Archivio Religionis collocentur, ibique quam diligentissime asserventur. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die duodecima Septembris, millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Qua in re præstat maxime, ut Pontificis litteræ in causa Joannis Levesque scriptæ legantur, luculentissimi certe integerrimæ justitiæ ejus testes, atque haud scio, an quicquam præstantius exhiberi possint; quoniam hac justitiæ ratione eorum jura defendantur, qui se tueri nequeunt, corpore soluti, et a quibus nulla possit gratia referri, perfectissimæ justitiæ munus summa cum pietate atque animi magnitudine conjunctum exercetur.

En actum solemnem in Consistorio secreto, die tertia Septembris apud Sanctum Marcum habito, rogatum. [*]

[*] Bollar. Greg. XIII Ann. 1582. Lib. 8. fol 178.

« Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

« Cum perpetuus generis humani hostis atrocem ac periculosam inter dilectos filios fratres Hospitalis Sancti Joannis Hierosolimitani seditionem excitasset, ita ut Consilium, quod completum vocant, quondam Joannem della Cassiere prædicti Hospitalis Magistrum ab administratione muneris sui prætextu decrepitæ ætatis suspenderit, et locumtenentem eidem dederit, eundemque Joannem Magistrum in Castro Sancti Angeli concluserit, etiam addita militari custodia; missique ad Nos essent ab utraque parte, qui omnibus de rebus Nos certiores facerent: Nos facti novitate commoti, ne quid Religio illa detrimenti caperet, statim dilectum filium Magistrum Gasparem Vicecomitem, Capellanum nostrum et causarum Palatii Apostolici Auditorem, Melitam destinavimus, ut inquireret de hoc negotio, ibique præsideret, donec alius a nobis constitueretur. Cum igitur Joannes Magister enixe postularet, ut præsenti sibi causam apud Nos dicere liceret, ejus precibus inclinati, statim eum e carcere liberari jussimus, itidemque seorsim locumtenenti electo a Convento mandavimus, ut se personaliter hic sisteret. At locumtenens quidem ipse nulla mora facta quam primum Romam veniens Nobis exposuit, non eo quidem esse animo, ut vellet se adversarium constituere adversus Joannem Magistrum, sed electum esse a majori parte Consilii completi, hoc onus non potuisse detrectare, omnia tamen subjicere juditio nostro. Paucis interjectis diebus venit ad Nos Joannes Magister liber cum triremibus suis, cum comitante Præfecto triremium Religionis, bona parte totius Conventus multorumque Priorum et Baillivorum. Qui honorifice et benigne a Nobis exceptus, omnia ea transacta et facta in hoc negotio Nobis narravit, et eo se demum tempore in eas molestias incidisse, cum de amplificanda Religione majora in dies animo agitaret, et præcipue pro emendatione et correctione morum, in quibus aliquos graviter errare animadvertebat. Qua ex re magnam sibi apud multos conflatam invidiam, et hac occasione plurium offensam se incurrisse dicebat, nihil optabilius sibi unquam fuisse, quam ut judicium apud Nos subiret; neque posse quemquam alium præter Nos de tali negotio cognoscere. Addebat se circiter quinquaginta annos vixisse in hac Religione, et gradatim omnia illius munia obiisse, et ad munus Magisterii ascendisse unanimi omnium consensu. Hæc et alia dum Nobis referret ipse Joannes Magister, et Acta, quæ Melitæ gesta erant, expectarentur, sicut Dño placuit, hic Romæ ab humanis exces-

sit. Nos qui ejus diligentiam et industriam magnopere Nobis a præcipuis Regibus et Principibus Christianis commendatam, etiam ex iis, quæ idem Nobiscum tractavit, cognovimus, et a multis fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, qui eum optime cognoverant, accepimus, integros ei sensus et corporis et animi, eumque et prudentia et judicio senili præditum, et aptum esse ad munia sua exercenda, et propensum ad Catholicam fidem conservandam, intellectis quoque ac perspectis inquisitionibus a prædicto Gaspare Auditore apud Melitam confectis, considerantes, quanto in periculo ex motibus hujusmodi Religionis status exstiterit, ad præscindendum seditionum causas, quæ in futurum possent exoriri, ac ut injuriis obviam eatur, de fratrum nostrorum consilio decretum illud adversus Joannem Magistrum latum injustum ac nullum esse declaramus, pro nihiloque habendum censemus, et quidquid inde subsecutum est, illud ex actis publicis deleri et obliterari mandamus: inhibentes eisdem fratribus hac Constitutione in perpetuum valitura, ne de suspensione, privatione, coadjutore, locumtenente invito dando, aut manus injectione in eum, qui pro tempore Magister erit, quicquam decernatur, et nihilominus quicquid in contrarium actum fuerit, irritum nulliusque roboris, hujusque causæ cognitionem proprie ad Nos, omnibus aliis exclusis, pertinere declaramus, præcipimusque hanc Constitutionem in Consilio ordinario seu completo, et aliis generalibus congregationibus, et in Capitulo generali pronunciari, et in Acta Conventus dicti Hospitalis referri ac describi. Nulli etc. Datum Romæ apud Sanctum Marcum tertio Non. Septembris MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

A. DE ALEXIIS.

« Supradictæ litteræ fuerunt lectæ in Consistorio secreto per me Cæsarem Glorierium Secretarium, jussu Sanctissimi Domini Nostri, die lunæ tertio Septembris 1582. habito apud Sanctum Marcum.

LXX. — Jam vero de iis, quæ intra Italiæ fines contigerunt, et memoratu semper digna sunt, nonnulla dicamus. Carolus Borromæus Archiepiscopus Mediolanensis, Provinciali Synodo absoluta, quæ sexta et postrema ei fuit, cuique novem Episcopi atque absentium Procuratores quinque interfuerunt, Romam se contulit de rebus suæ Diœcesis, deque instauranda fide apud Rhætios et in Valle Tellina cum Summo Pontifice coram collocuturus. De quo illustri sanctoque viro non est prætereundum, quod dum Romæ ageret, Gregorio auctor fuerit, ut novum librum, qui oppido necessarius erat, cui titulus Cæremoniale Episcoporum, confici edique in lucem juberet: quod opus utpote multis implicitum difficultatibus Clemens VIII. an. MDCI. absolvit. Habeas quæ diligentissimus Mucantius de tota hac re cum præclara hujus Purpurati virtutum prædicatione narrat. [*]

[*] Diarior. Cærem vol. 15. fol. 225.

« Die 12. Decembris Dominica tertia Adventus celebravit Reverendissimus D. Cardinalis Borromæus, Papa in sede veniente. Cardinales fuerunt 24. sermo per Procuratorem Heremitarum Sancti Augustini: Indulgentia annorum x. Diaconi assistentes iidem, qui in aliis præteritis: Præsbyter Jesualdus.

« Dictus Cardinalis, finita Missa, duxit secum ad prandium nos Magistros Cæremoniarum, et Diaconum et Subdiaconum Cappellæ ad suas mansiones apud Ecclesiam Sanctæ Praxedis suum titulum, ubi in architriclinio seu refectorio ad instar Religiosorum nos accumbere fecit, ipso in medio accumbente in veste rosæ siccæ cum caputio, prout hac die Rm̃i Cardinales utuntur. Comedimus omnes pisces, quia ipse Rm̃us Cardinalis jejunat in Adventu. Magnum silentium durante prandio, legente semper ex Sacra Scriptura quodam ejus familiari in suggesto. Ipse Cardinalis nunquam bibit vinum, sed aquam: ita enim a duobus vel tribus annis citra observat ob ejus miram abstinentiam: prout etiam apud ipsum super stragulo, nullo supposito tomento aut lana, nocte quiescere, ut corpus suum castiget et maceret. Vir certe ea dignitate singularis, moribus et vitæ innocentia et sanctitate nostra ætate admirandus, fama jam inter omnes Christicolas notus, et valde venerandus propter eximias ejus virtutes, adeo ut omnium ore inter ejus Sanctos numerari dignus habeatur, si in eo vitæ genere (ut credendum est) usque ad ultimum perseveret. Jam enim ex anteacta ejus vita, ex eo fere tempore quoad Cardinalatum assumptus est, quamvis ætate juvenis, favoribus pollens, nempe Nepos fel. rec. Pii Papæ IV., divitiis affluens, familia atque illustrissimorum virorum propinquitate perillustris et potens, non ut quamplurimi et major pars hominum, qui hujusmodi fortunæ et corporis dotibus ditantur, ventri ac deliciis indulsit, aut ullo se vitiorum genere commaculavit, quinimo adhuc patruo ejus Pio IV. vivente, totum se divinis legibus obstrinxit, christianamque amplexus est perfectionem, neglectis relictisque opulentis redditibus, quibus a præfato Pio IV. donatus fuerat, in quo vitæ genere magis magisque in singulos annos per opera justitiæ et charitatis se exercens, adeo cum fructu bonorum operum, Deo opitulante, profecit, ut ab omnibus ut Sanctus divinusque admiretur, et in summa existimatione et veneratione habeatur; cum etiam prædicentur de eo miracula. Nam cum quidam exosus ejus securitatem cum sclopeto occidere statuisset, dum genuflexus preces ad Deum funderet, pila ex sclopeto emissa licet eum retro percusserit, nullum tamen ei no-

eumentum attulit, sed eo vix tacto innocua in terram cecidit, quo casu omnes obstupuere. Is vero, qui tantum facinus perpetrare ausus fuerat, succedente tempore dignas pœnas luit. Rursus dum pestis grassaretur in Civitate Mediolani, cujus ipse est Archiepiscopus, miranda de eo prædicantur: opere enim, consilio, pecunia, precibus ad Deum, jejuniis, supplicationibus, omnique charitate singulis in ea Civitate studuit, quoad potuit, prodesse, se ipsum manifesto periculo vitæ exponens, singulorum fere eo morbo languentium, qui a suismet propinquis et domesticis deserebantur, domos adiens, eosque quibuscumque remediis opportunis pristinæ sanitati restituere procurans, ac demum spiritualibus monitis ac verbis, ipsaque Sacratissima Eucharistia suis manibus porrecta ad melioris vitæ statum iter illis munire studens; nullam tamen in corpore suo in tanta vi morbi, Deo miraculose operante, sensit læsionem, quamvis nonnullos ex solo contactu vestium ipsius in morbum incidisse et periisse narretur. Sed longum esset singula ejus opera ac merita recitare, quæ et nunc fere omnibus sunt perspicua, et futuris perpetuis temporibus memorabuntur. Utinam multi ejus similes essent Cardinales et Prælati!

« Ad propositum redeundo, post prandium Deo redditis gratiis vocavit nos secum in cubiculum suum, multaque circa sacras Cæremonias animadvertenda, ut est in illis accuratissimus, præsertim his, quæ ad Pontificale officium spectant, nobis proposuit. Non enim adhuc liber aliquis extat, qui ea plene declaret. Nam liber Pontificalis, ut plurimum versatur, circa benedictiones rerum et personarum, et alia quædam, quæ majori ex parte Episcopus potius private quam publice exequitur. Multa vero, quæ ad instructionem temporum dum publice et solemniter celebrat, vel interest celebrationi in ecclesia, vel in processionibus extra ecclesiam, in eo libro desiderantur, vel pauca quædam de ea re ponuntur. Sed nec opus est ea ibidem poni, cum liber ille principaliter sit editus, ut eo Episcopus utatur in ecclesia, contineatque verba, sermones, orationes, versiculos, antiphonas cum cantu, et psalmos, quæ in diversis illis actionibus sunt proferenda, vel cantanda per Episcopum aut alios. Alia vero, quæ ad pleniorem instructionem pertinent, tam pro illis, quam pro multis aliis, quæ ab Episcopis tam publice, quam private geruntur, debent seorsum in alio libro pertractari, quemadmodum videmus librum Cæremoniale Cappellæ Papalis, actionumque Summi Pontificis distinctum esse ab ipso libro Pontificali, quo quidem libro Cæremoniali non in ecclesia aut in actu solemnitatum, sed in studio Camerali utimur, ut plenissime omnes etiam minutissimæ Cæremoniæ agendæ edisci ex illo possint, quæ in libro Pontificali interserere fastidiosum nimis esset, et in ipso actu afferrent legibus confusionem et laborem, ac etiam volumen nimis augerent, ita ut commode operantibus inservire minime posset. Quare non sine causa olim Paris Crassus, Episcopus Pisaurensis et Cæremoniarum Magister, librum specialem condiderat, in quo cæremonias Ecclesiæ Bononiensis explicavit, quem nos superioribus annis edendum curavimus. Sed quia etiam in eo libro plura desunt, quæ sæpius Episcoporum et aliorum cum eo ministrantium animum torquent, cum ea non inveniant declarata, multa etiam pro mutatione temporum diverso ritu hodie fiant, juxta novi Breviarii et Missalis reformationem vel alia consuetudine introducta; præterea non commode liber ipse Paridis Crassi usui esse possit omnibus Ecclesiis per universum orbem, cum fuerit particulariter editus pro Ecclesia Bononiensi et pro Cardinali Episcopo, unde aliæ Ecclesiæ diverso modo situatæ, et quibus non Cardinales, sed simplices Episcopi vel Archiepiscopi, aut Patriarchæ præsunt, non plene habent ex eo, unde possint de necessariis, quæ in dies occurrunt, instrui: idcirco prædictus Rmus Cardinalis proponebat, necessarium et utile fore, si novus liber Cæremonialis, qui usui esse posit omnibus Episcopis, componeretur, quod et nos approbavimus, rogando ipsum Cardinalem, ut de ea re verbum faceret cum Sanctissimo, ut alicui Cardinali committeret libri hujusmodi compilationem, vocatis his, qui illi videntur idonei ad discutienda necessaria pro dicti libri compositione, prout postea fecit, ut inferius dicetur.

« Die 15. ejusdem feria 4. fuit Consistorium. Antequam discederet Papa, vocare nos fecit, et proposuit nobis de libro Cæremoniali pro Episcopis compilando coram Cardinale Paleotto, prout incepimus bis in hebdomada coram eo congregari, videlicet feria 3. et 6., omnes infrascripti, videlicet R. D. Fr. Augustinus Fivizanus Sacrista Papæ, R. D. Ludovicus de Torres Utr. Signat. Referendarius, D. Curtius de Franchi Canonicus S. Petri, et ego: et in prima vel secunda congregatione intervenit Cardinalis Borromæus; post ejus discessum ab Urbe incepit venire D. Petrus Gallesinus.

LXXI. — Hoc anno Summi Pontificis auctoritate celeberrima illa reformatio Calendarii, quod ab auctore suo Gregorianum appellatur, ad finem deducta est. Quæ quidem reformatio, antequam certo statueretur, plurimum et laboris et difficultatis habuit, nec publicata minores nacta est oppositiones et impedimenta. Quod arduum sane quidem opus, a longe remotis temporibus desideratum, per Gregorium confectum, satis superque est ad nomen auctoris immortalitati commendandum. Litteris igitur Apostolicis, alteris die XIII. Februarii, alteris VII. Novem-

bris datis novum Calendarium, veteri abolito, observari ac retineri jussit. [*]

Romæ novum Calendarium hoc ipso anno in usu esse cœpit, ut Mucantius narrat. [*]

[*] Extat in Bull. Rom. Tom. IV. P. IV. Const. 136 p. 10.
[*] Diarior. Caremon. Vol 13 fol. 331.

« Die quinta Octobris incœpit observari novum Kalendarium a Sanctissimo Domino Nostro reformatum, quod ab ejus nomine appellatur Gregorianum, per quod de præsenti mense Octob. sublati fuerunt decem dies, statutumque ut quæ futura erat secundum Kalendarium vetus dies quinta Octobris, dicatur dies decima quinta, hoc est Idus Octobr. et deinceps sequatur dies dicti mensis, perinde ac si decem illi dies fuissent transacti, agaturque quoad officia divina de illis festivitatibus et feriis, quæ assignatæ sunt in Calendario veteri, ab Idibus Octobris inclusivo, et deinceps mutata etiam litera Dominicali, ciclo solari, epacta, indictione et aureo numero, prout latius continetur in literis Apostolicis expeditis et publicatis una cum dicto novo Kalendario, quæ omnibus patent.

« Fuit hujusmodi actio inter multas egregias et memorabiles, summa prudentia a Sanctissimo Domino Nostro excogitatas, et in usu positas, de quibus alibi fortasse plenius scribam, æterna memoria et laude dignissima, quippe a tempore Julii Cæsaris Dictatoris, anno XIV. ante Christum natum, hunc ordinem mensium et unius diei intercalationem quolibet quarto anno, quem bissextum vocant, quo hucusque usi sumus, et a Concilio Niceno, quoad rectam Paschæ observationem, Lunæ cursus, prout in dicto Concilio decretum fuerat, observavimus; quo temporis spatio animadversum fuit a Mathematicis, Astronomisque ex cursu Solis per signa et gradus Zodiaci Circuli, quem diebus 365. horis sex et quibusdam minutis confecit, multiplicatis minutis illis spatio tot annorum ultra 1600. et ultra, manifeste colligi superesse dictos decem dies.

« Agendæ sunt ergo Deo Optimo Maximo immortales gratiæ, quod Pontificem habeamus ita solertem et vigilem, ut nihil prætermittat quoad tuendam, amplificandam, ornandamque Catholicam Ecclesiam spectet, operaque excelsa et memoranda, omnique laude dignissima, quæ jamdiu mente concepta habebat, nunc nobis exhibeat et demonstret; exorandusque idem Omnipotens Dominus, ut ei vitæ spatium concedat, prosperamque valetudinem, quo possit adhuc multa, quæ in animo habet utilia, honorifica et opportuna eidem Ecclesiæ in his temporum fluctuationibus et periculis ad optatum exitum perducere. Amen.

Italiæ Principes fere omnes hoc etiam anno Calendarium Gregorianum non admiserunt modo, sed cupidissimis animis acceperunt, atque in suis institutis et legibus censuerunt: ita præ cæteris Januenses Gregorio scripserunt. [*]

[*] Genua Vol. I. fol. 140.

Sanctissimo ac Beatissimo Patri ac Domino Nostro.

Sanctissime et Beatissime Pater.

« Redditæ nobis fuere litteræ Sanctitatis Vestræ in forma Brevis et simul libelli reformati Calendarii, ex quibus paterna caritate ut assolet nos monitos vidimus de iis, quæ in ejusmodi negocio gesta sunt, et qua ratione et consilio, necnon hortationem ad ipsius Calendarii observantiam. Nos igitur perpetuo studio nostro erga Sanctitatem Vestram et Sacrosanctam Sedem Apostolicam innitentes, (quod par est) in primis Beatitudini Vestræ toto corde gratias agimus, cæterum quod attinet ad Calendarii observantiam, illud in ditione nostra adamussim servari curabimus, et genuflexi pedes Sanctitatis Vestræ humiliter osculantes, nos et Rempublicam nostram ei etiam atque etiam commendamus. Genuæ die v. Julii MDLXXXII.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimi et obsequentissimi filii atque servi
Dux et Gubernatores Reipublicæ Genuensis.

Vidit
Hieronimus Canevarius Gubernator.
Nicolaus Secretarius.

Idem factum est in Hispania, in Lusitania, in Gallia, in Polonia: in Germania non item. Cæsar in postremis Imperii Comitiis Augustæ Vindelicorum habitis mense Julio hujus anni, omnibus modis huic rei studuit, ut novum Calendarium ab universa Germania reciperetur; sed cum omnes Protestantium Ordines propter inveteratum in Romanum Pontificem odium ab illo admittendo abhorrerent, in aliud tempus rem debuit rejicere. Qua re cognita Gregorius Cæsarem alteris monet litteris, ut Calendarium saltem ab Catholicis anno insequenti, initio a die decima Februarii facto, quæ vigesima habeatur, observandum curet. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. Ann. X. ep. 83. f. 179

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Ungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Post susceptam a Nobis necessario, ac perfectam, jamque editam Calendarii emendationem cœpimus vereri, ne forte opus ipsum tardius istuc perveniret, quam ut posset, quemadmodum decreveramus, emendationis initium fieri superiori mense Octobri. Providendum igitur Nobis omnino fuit, ne quid hoc primo anno in celebrando sanctissimo Paschæ die, cujus potissimum causa hoc negotium a Nobis susceptum est, inter Christianos discreparet: nihil enim absurdius fieri posse

intelligebamus, quam si in tam celebri die variaretur, et alii alium sibi constituerent diem. Sic autem facile provideri posse judicavimus, si emendationis initium fiat sequenti anno post diem decimum Februarii, statimque post eum diem numeretur vigesimus. Hoc autem aliis nostris literis decrevimus, earumque exemplum una cum ratione Divinorum officiorum, congruenter ad hanc emendationem post decimum illum diem celebrandorum, mittimus Majestati T. Sicubi igitur in tuis locis emendatio hactenus facta non est, conveniet magnopere spectatissimæ pietati tuæ, ut cures nostras literas, formamque eam, quam mittimus, diligentissime servari. Id vero libentissime facturam Majestatem Tuam non dubitamus. Cætera ex Nuncio nostro cognosces, cupimus ut ejus verbis omnem fidem tribuas. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decimatertia Novembris MDLXXXII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

LXXII. — Nostrum non est hic immorari fusius narrando, quæ Protestantes adversus hanc tantis laboribus, tanta scientia a tot acerrimi ingenii viris adornatam elaboratamque Calendarii correctionem protulere. Illud dumtaxat paucis expediemus, quibus isti rebus adducti ad illam explodendam fuerint. Neque enim id fieri potuit, quod erratum esse in ea animadverterent, vel quod eos lateret vetus Calendarium correctione utique indigere: pronum ergo est cogitare, id vel invidia offensos fecisse, quod quum sese omnium rerum et scientiarum instauratores jactarent, hac tanta in re alium se ipsos prævertisse dolerent; vel superbia elati verebantur, ne si illud comprobavissent, Romani Pontificis auctoritati obsequi viderentur. Omnium autem primus Josephus Scaligerus Gallus, vir non tantum doctus, sed et fervidioris ac turbulentioris ingenii, cui jurgia et contentiones placerent, in opus Gregorianum invectus est; hunc tamen clarissimi e Societate Jesu viri Christophorus Clavius et Dionysius Petavius satis superque confutarunt. Verum etiam inter ipsos Protestantes non defuerunt, qui Gregorianum opus validissimis argumentis propugnaverint. Ex quibus primum locum obtinet Bartholomæus Scultetus, oppidi Gorlicii in Lusatia Senator, idemque matheseos gnarissimus, qui vix emendationem Gregorianam habuit cognitam, non solum probavit, sed et in Lusatia inferioris Saxoniæ provincia, Protestantibus quam maxime referta, recipiendam curavit; quin etiam contra ejus obtrectatores doctissimum edidit commentarium. Ex recentioribus vero scriptoribus nominandi in primis sunt Ricciolus e Societate Jesu, inter sui ævi astronomos illustris, qui assumpto Michaelis Manfredi nomine egregium opus confecit, quod inscripsit: Vindiciæ Calendarii Gregoriani adversus Franciscum Leverum, Bononiæ 1666. fol., Guilielmus Bonjour ex Eremitarum S. Augustini familia: Calendarium Romanum Chronologorum causa constructum, Romæ 1701. fol., Horatius Borgendius e Societate Jesu: Constructio Calendarii Gregoriani, Romæ 1729. 4. etc: De cohærentia calculi astronomici cum æquationibus Gregorianis, Romæ 1734. 4. Melitus a Perpignano ex Ordine FF. Minorum Capuccinorum: Gregoriana correctio illustrata, ampliata et a conviciis vindicata, Coloniæ 1743. 4. et Salvator Felix de Marco: Computi Ecclesiastici Synopsis, in qua chronologiæ elementa aliqua, nec non vigiliæ, stationes Ecclesiasticæ, cycli, epactæ, periodi, Pascha, Calendarii Gregoriani correctio etc. Romæ 1755. 8.

LXXIII. — Hoc denique suno absoluta fuit celeberrima locorum Juris Canonici emendatio, Decreti inquam Gratiani et Codicis Decretalium Romanorum Pontificum, de qua supra fusius loquuti sumus [*]. Ea certe apud eos quidem, qui juris utriusque scientiam vel profitentur vel exercent, magnam Gregorio et laudem et gratiam peperit. En ejus litteræ, quibus mandat, ut ab omnibus Decretum Gratianum ita correctum retineatur. [**]

[*] Ad an. 1572 § 95 Tom I. pag 81

[**] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep 9. f. 119.

GREGORIUS PP. XIII.

« Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. Emendationem Decretorum locorumque a Gratiano collectorum, (erat enim is liber mendis et testimoniorum depravationibus plenissimus) a nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris optimo consilio susceptam, selectisque ad id negocium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, et aliis eruditissimis viris adhibitis commissam, multis autem variisque impedimentis hactenus retardatam, nunc tandem vetustissimis codicibus undique conquisitis, auctoribusque ipsis, quorum testimoniis usus erat Gratianus, perlectis, quæque perperam posita erant, suis locis restitutis, magna cum diligentia absolutam atque perfectam, edi mandavimus. In quo magna ratio habita est operis ipsius dignitatis et publicæ eorum præsertim, qui in hoc studio versantur, utilitatis. Jubemus igitur, ut quæ emendata et reposita sunt, omnia quam diligentissime retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur aut imminuatur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die secunda Junii, millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LXXIV. — Nec illa denique tanti Pontificis laus prætereunda silentio est, quod pro detestabili duellorum abusu tollendo Constitutiones Julii II., Leonis X., Clementis VII. et de-

cretum Concilii Tridentini Sess. xxv. cap. xix. novis saluberrimis legibus renovaverit ac confirmaverit. (*)

(*) Bullar. Rom. T. IV. P. IV. Const. 140. et 141. pag. 19.

LXXV. — Hoc eodem anno haud sine magna Ecclesiæ jactura S. Teresia Abulensis, Ordinis Carmelitarum de arctiori observantia mater et magistra, die v. Octobris, sed Gregoriano stylo xv. migravit ad Sponsum Christum, ab alio Gregorio Bononiensi Pontifice nempe XV. in Sanctorum numerum post annos quadraginta renunciata: cujus vitam recentiores Bollandiani operis continuatores doctissimo commentario illustrarunt Tom. VII. Par. I. mens. Octobris pag. 109 - 790. Bruxellis 1845. fol.

I. Cum prudentissimus Pontifex impense, qua diu molliter agendo, qua minas intentando Archiepiscopi Coloniensis animum perscrutatus fuisset; nec tamen is ullam spem faceret ab vitæ turpitudine cessandi; quin adeo obduruisset, ut fœdiora in dies de ejus moribus factisque Romam afferrentur, Sacrum Purpuratorum Senatum ad Consistorium secretum die decima Januarii convocatum de ea re sententias rogavit. Visum est igitur duos Cardinales Andream ab Austria et Ludovicum Madrutium Legatos de latere creandos esse, qui ad eam rem rationem inirent, quid facto opus esset statuerent, deque perditi hominis causa cognoscerent. Quod ut fieri commodius posset, Principibus Germaniæ viris tum Ecclesiasticis tum laicis, quo acrius tam ancipiti gravissimoque negotio sua studia adhiberent, litteras circummisit [*]. Canonicis autem pene profligatæ Coloniensis Ecclesiæ, ut Legatis adessent, hæc scribebat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI. ep. 83 - 97.
[*] Ibidem ep. 91. fol. 213.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Coloniensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Binas jam ad vos literas super rebus Archiepiscopi vestri dedimus: verum quia incredibiliter angimur, pro nostro munere, proque paterna et perpetua erga vos charitate voluimus vos nostri decreti certiores facere. Coacti sumus in tanto, tamque præsenti periculo id agere, quod gravissimis in rebus Sedes Apostolica facere consuevit, ut Legatos mitteremus. Itaque in Consistorio nostro secreto duos ex Cardinalibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ selegimus, Andream Austriæ et Ludovicum Madrucium. Alter quia in Germania est, poterit sese subito istuc conferre, mandataque nostra exequi; alter, quæ necessitas feret, alibi providere. Ut autem nulla unquam in re deerit vestræ dignitati, nobilissimæque istius Ecclesiæ incolumitati atque amplitudini nostra cura atque vigilantia; sic vestram operam utrique causæ nunquam defuturam esse confidimus. Restat igitur, ut Austriæ Legati verbis omnem fidem tribuatis, ejusque decretis atque actionibus adjumento sitis, nostramque de vestræ Ecclesiæ salute, deque Christi gloria, Catholicæque Ecclesiæ tranquillitate sollicitudinem vestra pietate prosequamini. Id vero facturos esse vos zelus vester Nos dubitare non sinit. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Januarii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

Qua de re Colonienses quoque illustres viros, penes quos civile regimen erat, edoctos voluit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep. 84. f. 204.

Dilectis Filiis Senatoribus Coloniensibus.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Quantopere angamur de vestra dignitate et salute, deque Catholicæ Reipublicæ gloria, cui utrique causæ turpes Archiepiscopi vestri actiones gravissime adversantur, ex aliis nostris literis, quas proxime ad vos scripsimus, facile intelligere potuistis. Nunc autem putavimus communicandum esse vobis nostrum decretum. Fecimus id, quod necessitas maxime

ferebat, ut Legatos mitteremus. Itaque in superiori Consistorio secreto ex Cardinalibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ duos delegavimus, Andream Austriæ et Ludovicum Madrucium. Alter quia in Germania est, poterit subito sese istuc conferre, nostraque mandata exequi; alter vero, quæ necessitas feret, alibi providere. Nostrum autem de vestræ Reipublicæ tranquillitate, deque Catholicæ Ecclesiæ gloria studium vobis quidem gratum esse, bonis autem omnibus necessario susceptum videri non dubitamus. Omnibus igitur in rebus Austriæ Legati verbis omnem fidem tribuetis, ejusque decretis atque actionibus adjumento eritis; sic enim et res postulat et vestra pietas spectatissima pollicetur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die duodecima Januarii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

Cæsarem præterea, communicato, quod inierat, consilio vehementer rogat, ut in re, quæ Ecclesiæ juxta atque Imperii rationibus conduceret, prudentem quempiam virum, cujus fidei hoc ab eo committatur negotium, Coloniam properare jubeat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep. 57 f. 206.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. In tam fœda tamque exitiosa Coloniensis Episcopi novitate, tanta cum hæreticorum conspiratione, malorumque omnium colluvie, unde ea, quæ pessime ab illo cœpta sunt, in dies convalescere ac propagari intelligimus, gravissima quoque remedia adhibenda sunt, nec quidquam omittendum quantum quidem præstare atque efficere poterimus. Itaque in superiore Consistorio nostro secreto duos ex dilectis filiis nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ad hanc causam atque actionem nostros et Sedis Apostolicæ Legatos creavimus, Ludovicum Madrucium et Andream Austriæ: hunc, quia familiæ splendori optimique parentis gloriæ sua quoque virtute et zelo ornamento sit, consistatque in Germania, facile poterit ea celeritate, quam res ipsa maxime postulat, sese Coloniam conferre, quæque opus erunt curare: illum vero, ut quæ negotii ipsius progressus ac ratio requiret, sua præstanti virtute alibi providere possit. Volumus hoc nostrum consilium factumque Majestati Tuæ significare, atque iterum rogare, ut si id, quod noster etiam Nuncius rogavit, hactenus factum non est, facias, ut Commissarium scilicet constituas, talem nimirum, qualem summa rei ipsius gravitas exposcit. Vides enim ab his malis non minus Imperio, quam reliquæ Catholicæ Reipublicæ periculum imminere. Hanc igitur tam justam, tam piam, tam communem, tam necessariam causam ut omni studio, auctoritate, conatu amplectaris, per Christi gloriam etiam atque etiam rogamus. Id vero facturum esse te, eximia virtus tua Nos dubitare non sinit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die duodecima Januarii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Salentinum vero Comitem præ cæteris ad eam curam capessendam excitavit: propterea quod in Coloniensem Ecclesiam, præsertim cum administrasset, mirifica ejus studia extiterint. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X ep. 95 f. 211.

Dilecto Filio Nobili Viro Salentino Comiti.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Pessimi undique sermones de Gebardo Archiepiscopo Coloniense a fœdissimis ejus actionibus consiliisque exorti, gravissimum nobilissimæ illius Ecclesiæ periculum, summa nostri muneris necessitas Catholicæ Reipublicæ pacis tranquillitatisque, et Dei gloriæ tuendæ Nos adduxerunt, ut id faceremus, quod gravissimis in rebus Sedes Apostolica facere consuevit. Itaque in nostro Consistorio secreto creavimus duos Legatos ex Cardinalibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Andream Austriæ et Ludovicum Madrucium. Alter, quia in Germania est, subito sese Coloniam conferet, nostraque mandata exequetur; alter ea, quæ dies feret, quæque opus erunt, alibi providebit. Quia vero perspectam habemus tuam præstantem virtutem, optimamque voluntatem, et animi synceritatem, ac studium Catholicæ Religionis tuendæ, existimamusque retinere te eam charitatem, qua semper Civitatem Ecclesiamque Coloniensem prosecutus es, speramus, Nobilitatem Tuam consilio, auctoritate, opera afflictis ejus Ecclesiæ rebus præsto futuram, causamque hanc tam justam, tam piam, tam necessariam suscepturam, omnique conatu defensuram. Id vero ut facias, etiam atque etiam rogamus. Erit hoc tuæ virtuti ad gloriæ immortalitatem apud Deum atque homines maximum, Nobis gratissimum. Nihil enim est, quod cupiamus magis, quam ne quid Ecclesia illa, Catholicaque Religio detrimenti patiatur. Cætera significabit Nobilitati Tuæ Austriæ Legatus noster. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die duodecima Januarii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Egit denique cum Parmensium Duce, militum in Belgio Præfecto: cui quanta in sollicitudine esset de Coloniensi casu, ita pluribus verbis disseruit, ut simul significaret se pro suo munere, si forte Truchsessius arma arriperet, optima ejus voluntate suis cum copiis auxilio Coloniensibus occurrendi, usurum. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI. ep. 92. f. 212.

Dilecto Filio Nobili Viro Parmæ et Placentiæ Principi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. In tam gravi periculo Ecclesiæ Coloniensis, de qua incredibiliter angimur, ob flagitiosas Archiepiscopi illius actiones et consilia perdita, mirifice consolata est Nos tua pietas eximia : sic enim accepimus, te obtulisse ei Civitati vires tuas. Nihil facere poteras gloriosius, neque tua excellenti virtute, inque omni laude præstantia dignius. Est enim Ecclesiæ ac Civitatis illius ruina, quæ sane, quomodo Archiepiscopus gerere cœpit, omnino pertimescenda est, magna cum vicinorum Catholicorum perturbatione maxime conjuncta. Nobis quidem certum est, omni ratione Satanæ cœptis obsistere ; inque eo Dei gloriæ et sanctæ ejus Ecclesiæ amplitudini inservire: qua etiam voluntate cum Nobilitatem Tuam esse intelligamus, est sane, quod tuæ virtuti gratulemur. Voluimus tamen te nostri consilii ac decreti certiorem facere. Cogit Nos rei ipsius gravitas, summaque nostri muneris necessitas id agere, quod Sedes Apostolica gravissimis in rebus consuevit, ut Legatos scilicet mitteremus. Delegimus autem in Consistorio nostro secreto ex Cardinalibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ duos, Andream Austriæ et Ludovicum Madrucium. Alter, quia in Germania est, subito sese Coloniam conferret ; nostraque mandata pro sua præstanti pietate et zelo quam diligentissime exequetur: alter eximia sua prudentia et virtute, quæ dies ipsa ac necessitas feret, alibi providebit. Et quamquam intelligimus, nihil esse quod causam hanc tam honestam, tam piam, tam communem tuæ virtuti commendemus, tamen pro nostro summo desiderio facere non possumus, quin eam etiam atque etiam commendemus, rogemusque ut omnibus in rebus, quas Austriæ Legatus Nobilitati Tuæ significaverit, præsto esse velis consilio, auctoritate, opera : in quo etiam gratissimum facturum te Regi Catholico, optima illius voluntas, et perpetuum Christi gloriæ Catholicæque Religionis amplitudinis studium Nos dubitare non sinit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die duodecima Januarii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno undecimo.

II. — Cardinalibus Legatis Pontifex socios dederat præstantissimos viros Germanicum Malaspinam ac Vercellensem Episcopum, quorum alter apud Carolum Austriæ Archiducem, alter apud Cæsarem Nuntium Apostolicum agebat. His porro adjunxit Franciscum Oranum Sacri Palatii causarum Auditorem, virum cum sacrorum Canonum tum juris civilis consultissimum. Dedit huic mandata, ut antequam iter cum Cardinali Austriaco Coloniam versus ingrederetur, Frisingæ Ernestum Bavarum Leodiensem Episcopum id temporis conveniret, coram de hoc negotio collocuturus: ab eoque exquireret, qua potissimum ratione tam præsens, tamque gravis pernicies ab Coloniensi Ecclesia depelli eidem posse videretur. Nemo omnium profecto difficillimi negotii explicandæ rationi opportunior erat eo viro, qui jam cum de Truchsessii electione disceptaretur, a sanioribus Canonicis in Archiepiscopum postulatus fuerat. (*)

Venerabili Fratri Ernesto Episcopo Leodiensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Gravioribus periculis necesse est graviora remedia adhiberi ; gravissimum autem periculum non illi modo Ecclesiæ, sed Catholicæ Religioni universæ afferunt perditæ actiones, et consilia Archiepiscopi Coloniensis. Fecimus igitur, quod in causis gravissimis Sedes Apostolica facere consuevit, ut Legatos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ crearemus : duos autem in superiore Consistorio nostro secreto ex Cardinalibus delegimus, Andream Austriæ et Ludovicum Madrucium. Alter, quia in Germania est, poterit sese subito Coloniam conferre, quæque opus erunt, providere pro sua eximia pietate et zelo : alter sua præstanti prudentia et virtute, quæ rei magnitudo et necessitas feret, alibi providere poterit : sed indiget magnopere Andreas tuo consilio, auctoritate, opera : certum autem habemus, Fraternitatem Tuam in tanto periculo non defuturam, cumque Legato nostro conjunctissimam futuram : sic enim pollicetur singularis pietas tua. Itaque nihil est, quod hoc negocium Fraternitati Tuæ commendemus; est autem quod speremus, fore tua ope, ut res felicem exitum habeat. Sed quia nihil est, quod optemus magis, gravissimeque præsenti rerum statu angimur, facere non possumus, quin hoc etiam atque etiam Tuæ Fraternitati commendemus, hortemurque per Christi gloriam, perque animarum ejus sanguine redemptarum salutem, ut hanc causam omni studio suscipias. Austriæ autem Legato et dilecto filio Magistro Francisco Orano, Palatii nostri causarum Auditori, qui ad Tuam Fraternitatem veniet, super iis, de quibus tecum aget nostris verbis, omnem fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die duodecima Januarii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno undecimo.

III. — Neque vero pretereundus fuit Argentinensis Præsul, ex cujus litteris cum Pontifex cognovisset, quam optimo esset animo erga illam Ecclesiam, vehementer rogavit, ut quam fieri celerius posset, Coloniam contenderet, Christi Religionisque causæ, una cum Legato et Colo-

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann XI ep. 88 f. 208.

ferebat, ut Legatos mitteremus. Itaque in superiori Consistorio secreto ex Cardinalibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ duos delegavimus, Andream Austriæ et Ludovicum Madrucium. Alter quia in Germania est, poterit subito sese istuc conferre, nostraque mandata exequi; alter vero, quæ necessitas feret, alibi providere. Nostrum autem de vestræ Reipublicæ tranquillitate, deque Catholicæ Ecclesiæ gloria studium vobis quidem gratum esse, bonis autem omnibus necessario susceptum videri non dubitamus. Omnibus igitur in rebus Austriæ Legati verbis omnem fidem tribuetis, ejusque decretis atque actionibus adjumento eritis; sic enim et res postulat et vestra pietas spectatissima pollicetur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die duodecima Januarii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

Cæsarem præterea, communicato, quod inierat, consilio vehementer rogat, ut in re, quæ Ecclesiæ juxta atque Imperii rationibus conduceret, prudentem quempiam virum, cujus fidei hoc ab eo committatur negotium, Coloniam properare jubeat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep. 87 f. 206.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. In tam fœda tamque exitiosa Coloniensis Episcopi novitate, tanta cum hæreticorum conspiratione, malorumque omnium colluvie, unde ea, quæ pessime ab illo cœpta sunt, in dies convalescere ac propagari intelligimus, gravissima quoque remedia adhibenda sunt, nec quidquam omittendum quantum quidem præstare atque efficere poterimus. Itaque in superiore Consistorio nostro secreto duos ex dilectis filiis nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ad hanc causam atque actionem nostros et Sedis Apostolicæ Legatos creavimus, Ludovicum Madrucium et Andream Austriæ: hunc, quia familiæ splendori optimique parentis gloriæ sua quoque virtute et zelo ornamento sit, consistatque in Germania, facile poterit ea celeritate, quam res ipsa maxime postulat, sese Coloniam conferre, quæque opus erunt curare: illum vero, ut quæ negotii ipsius progressus ac ratio requiret, sua præstanti virtute alibi providere possit. Volumus hoc nostrum consilium factumque Majestati Tuæ significare, atque iterum rogare, ut si id, quod noster etiam Nuncius rogavit, hactenus factum non est, facias, ut Commissarium scilicet constituas, talem nimirum, qualem summa rei ipsius gravitas exposcit. Vides enim ab his malis non minus Imperio, quam reliquæ Catholicæ Reipublicæ periculum imminere. Hanc igitur tam justam, tam piam, tam communem, tam necessariam causam ut omni studio, auctoritate, conatu amplectaris, per Christi gloriam etiam atque etiam rogamus. Id vero facturum esse te, eximia virtus tua Nos dubitare non sinit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die duodecima Januarii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Salentinum vero Comitem præ cæteris ad eam curam capessendam excitavit: propterea quod in Coloniensem Ecclesiam, præsertim cum administrasset, mirifica ejus studia extiterint. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. X. ep. 95 f. 211.

Dilecto Filio Nobili Viro Salentino Comiti.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Pessimi undique sermones de Gebardo Archiepiscopo Coloniense a fœdissimis ejus actionibus consiliisque exorti, gravissimum nobilissimæ illius Ecclesiæ periculum, summa nostri muneris necessitas Catholicæ Reipublicæ pacis tranquillitatisque, et Dei gloriæ tuendæ Nos adduxerunt, ut id faceremus, quod gravissimis in rebus Sedes Apostolica facere consuevit. Itaque in nostro Consistorio secreto creavimus duos Legatos ex Cardinalibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Andream Austriæ et Ludovicum Madrucium. Alter, quia in Germania est, subito sese Coloniam conferet, nostraque mandata exequetur; alter ea, quæ dies feret, quæque opus erunt, alibi providebit. Quia vero perspectam habemus tuam præstantem virtutem, optimamque voluntatem, et animi synceritatem, ac studium Catholicæ Religionis tuendæ, existimamusque retinere te eam charitatem, qua semper Civitatem Ecclesiamque Coloniensem prosecutus es, speramus, Nobilitatem Tuam consilio, auctoritate, opera afflictis ejus Ecclesiæ rebus præsto futuram, causamque hanc tam justam, tam piam, tam necessariam suscepturam, omnique conatu defensuram. Id vero ut facias, etiam atque etiam rogamus. Erit hoc tuæ virtuti ad gloriæ immortalitatem apud Deum atque homines maximum, Nobis gratissimum. Nihil enim est, quod cupiamus magis, quam ne quid Ecclesia illa, Catholicaque Religio detrimenti patiatur. Cætera significabit Nobilitati Tuæ Austriæ Legatus noster. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die duodecima Januarii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Egit denique cum Parmensium Duce, militum in Belgio Præfecto: cui quanta in sollicitudine esset de Coloniensi casu, ita pluribus verbis disseruit, ut simul significaret se pro suo munere, si forte Truchsessius arma arriperet, optima ejus voluntate suis cum copiis auxilio Coloniensibus occurrendi, usurum. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep. 93. f. 212.

Dilecto Filio Nobili Viro Parmæ et Placentiæ Principi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. In tam gravi periculo Ecclesiæ Coloniensis, de qua incredibiliter angimur, ob flagitiosas Archiepiscopi illius actiones et consilia perdita, mirifice consolata est Nos tua pietas eximia : sic enim accepimus, te obtulisse ei Civitati vires tuas. Nihil facere poteras gloriosius, neque tua excellenti virtute, inque omni laude præstantia dignius. Est enim Ecclesiæ ac Civitatis illius ruina, quæ sane, quomodo Archiepiscopus gerere cœpit, omnino pertimescenda est, magna cum vicinorum Catholicorum perturbatione maxime conjuncta. Nobis quidem certum est, omni ratione Satanæ cœptis obsistere; inque eo Dei gloriæ et sanctæ ejus Ecclesiæ amplitudini inservire: qua etiam voluntate cum Nobilitatem Tuam esse intelligamus, est sane, quod tuæ virtuti gratulemur. Volumus tamen te nostri consilii ac decreti certiorem facere. Coegit Nos rei ipsius gravitas, summaque nostri muneris necessitas id agere, quod Sedes Apostolica gravissimis in rebus consuevit, ut Legatos scilicet mitteremus. Delegimus autem in Consistorio nostro secreto ex Cardinalibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ duos, Andream Austriæ et Ludovicum Madrucium. Alter, quia in Germania est, subito sese Coloniam conferret; nostraque mandata pro sua præstanti pietate et zelo quam diligentissime exequetur: alter eximia sua prudentia et virtute, quæ dies ipsa ac necessitas feret, alibi providebit. Et quanquam intelligimus, nihil esse quod causam hanc tam honestam, tam piam, tam communem tuæ virtuti commendemus, tamen pro nostro summo desiderio facere non possumus, quin eam etiam atque etiam commendemus, rogemusque ut omnibus in rebus, quas Austriæ Legatus Nobilitati Tuæ significaverit, præsto esse velis consilio, auctoritate, opera : in quo etiam gratissimum facturum te Regi Catholico, optima illius voluntas, et perpetuum Christi gloriæ Catholicæque Religionis amplitudinis studium Nos dubitare non sinit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die duodecima Januarii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno undecimo.

II. — Cardinalibus Legatis Pontifex socios dederat præstantissimos viros Germanicum Malaspinam ac Vercellensem Episcopum, quorum alter apud Carolum Austriæ Archiducem, alter apud Cæsarem Nuntium Apostolicum agebat. His porro adjunxit Franciscum Oranum Sacri Palatii causarum Auditorem, virum cum sacrorum Canonum tum juris civilis consultissimum. Dedit huic mandata, ut antequam iter cum Cardinali Austriaco Coloniam versus ingrederetur, Frisingæ Ernestum Bavarum Leodiensem Episcopum id temporis conveniret, coram de hoc negotio collocuturus: ab eoque exquireret, qua potissimum ratione tam præsens, tamque gravis pernicies ab Coloniensi Ecclesia depelli eidem posse videretur. Nemo omnium profecto difficillimi negotii explicandæ rationi opportunior erat eo viro, qui jam cum de Truchsessii electione disceptaretur, a sanioribus Canonicis in Archiepiscopum postulatus fuerat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann XI ep. 89 f 208.

Venerabili Fratri Ernesto Episcopo Leodiensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Gravioribus periculis necesse est graviora remedia adhiberi; gravissimum autem periculum non illi modo Ecclesiæ, sed Catholicæ Religioni universæ afferunt perditæ actiones, et consilia Archiepiscopi Coloniensis. Fecimus igitur, quod in causis gravissimis Sedes Apostolica facere consuevit, ut Legatos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ crearemus : duos autem in superiore Consistorio nostro secreto ex Cardinalibus delegimus, Andream Austriæ et Ludovicum Madrucium. Alter, quia in Germania est, poterit sese subito Coloniam conferre, quæque opus erunt, providere pro sua eximia pietate et zelo : alter sua præstanti prudentia et virtute, quæ rei magnitudo et necessitas feret, alibi providere poterit : sed indiget magnopere Andreas tuo consilio, auctoritate, opera : certum autem habemus, Fraternitatem Tuam in tanto periculo non defuturam, cumque Legato nostro conjunctissimam futuram : sic enim pollicetur singularis pietas tua. Itaque nihil est, quod hoc negocium Fraternitati Tuæ commendemus: est autem quod speremus, fore tua ope, ut res fœlicem exitum habeat. Sed quia nihil est, quod optemus magis, gravissimeque præsenti rerum statu angimur, facere non possumus, quin hoc etiam atque etiam Tuæ Fraternitati commendemus, hortemurque per Christi gloriam, perque animarum ejus sanguine redemptarum salutem, ut hanc causam omni studio suscipias. Austriæ autem Legato et dilecto filio Magistro Francisco Orano, Palatii nostri causarum Auditori, qui ad Tuam Fraternitatem veniet, super iis, de quibus tecum aget nostris verbis, omnem fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die duodecima Januarii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno undecimo.

III. — Neque vero pretereundus fuit Argentinensis Præsul, ex cujus litteris cum Pontifex cognovisset, quam optimo esset animo erga illam Ecclesiam, vehementer rogavit, ut quam fieri celerius posset, Coloniam contenderet, Christi Religionisque causæ, una cum Legato et Colo-

niensi Capitulo, qua is polleret auctoritate prospecturus. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. XI. ep. 131. f. 239.

Venerabili Fratri Episcopo Argentinæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Gratissimæ fuerunt Nobis literæ Fraternitatis Tuæ, datæ decimaquarta Januarii; erant enim plenæ prudentiæ et pietatis. Scripsimus jam ad Charissimum filium nostrum Rodulphum Romanorum Imperatorem Electum, nec non ad Ecclesiasticos Electores super negocio Coloniensi, providimusque undique; nihil enim magis Nobis cordi esse potest. Fecimus etiam duos Legatos, Andream Austriæ et Ludovicum Madrucium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, jamque Austriæ Coloniæ erit, ibique quæ opus erunt, quæque ei mandavimus, diligentissime exequetur. Oportet etiam Fraternitatem Tuam ei Ecclesiæ, cujus, ut ipse etiam scribis, membrum es, in tanta necessitate non deesse; sed eo ire, nobilissimæque illius Ecclesiæ dignitati atque incolumitati una cum Capitulo illo providere. Id vero ut facias, Catholicæ Religionis et Christi causæ præsens consilio, auctoritate, opera, auxilio sis, etiam atque etiam hortamur per eundem ipsum Christum, cujus res agitur, quique tam præclaram tibi voluntatem est elargitus. Sic enim scribis, nihil aliud cupere te, quam pro illius Ecclesiæ salute et incolumitate, Catholicæque Religionis amplitudine omnes vires effundere; potes igitur præsens hoc facere; abesse enim nulla ratione debes. Eo autem libentius ire debes, quo certius habere potes, tali Legato nihil pertimescendum esse, neque Christi sanctæque ejus Ecclesiæ causæ, quam omnino suscipere debes, auxilia defutura. Non dubitamus, te tanto studio affuturum, quantum et res ipsa flagitat, et munus tuum exigit, et pietas literæque tuæ pollicentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die quinta Martii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno undecimo.

En Argentinensis litteras, quæ subdolas Truchsessii, artes mirifice edisserunt. (*)

(*) Germania Vol. 59. fol. 107.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino, Dño Gregorio ejus Nominis Decimotertio, Divina Providentia Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ Pontifici Termaximo, Domino meo Clementissimo.

« Beatissime Pater, Clementissime Domine, post devota pedum oscula beatorum et humillimam obsequii mei oblationem etc. Vfam Sanctitatem celare non possum, quod Vfæ Sanctitatis Breve sub dato decima septima Decembris anni elapsi, in quo de Archiepiscopi Coloniensis vita, consiliis, et quo ejus voluntas per pessimos hinc inde de illo disseminatos sermones divulgata, inclinare et spectare videatur, se certiorem reddi mandat etc. debita cum reverentia octavo hujus mensis Januarii præsentis anni accepi. Ad quod Vfæ Sanctitatis mandato debite parere cupiens, eidem humiliter respondere debui, jam abhinc aliquot diebus varios atque dissimiles sermones de memorati Archiepiscopi Coloniensis nova animi concepta intentione sparsos esse, quibus tamen ego hactenus nec fidem adhibere, nec de tali Archiepiscopo et Principe Electore, qui a Catholicis parentibus natus et educatus, tam sinistre suspicari potui; præsertim cum antequam ad summam istam Archiepiscopatus dignitatem proveheretur, tam pie et catholice vixerit, quod non immerito, accedentibus cæteris sui ingenii et doctrinæ dotibus, præ multis commendandus et promovendus videretur. Qua etiam de causa sine dubio a Vfæ Sanctitatis antecessoribus, fœlicissimæ recordationis retro Summis Pontificibus, suisque consanguineis de egregiis functionibus et dignitatibus Ecclesiasticis gratiose provisus fuit, donec tandem in Archiepiscopum Coloniensem electus, per Sanctitatem Vestram, præstito prius professionis fidei juramento, confirmatus et in sacerdotem ordinaretur. Et quamvis hujusmodi rationes meam de illo conceptam spem confirmarunt, cum tamen me, ut istius Capituli membrum, ad suæ existimationis et famæ defensionem obligatum putarem, tum etiam quod nihil magis mihi cordi esse possit, quam Catholicam ubique propagare religionem, eamque in nobilissima et antiqua illa Ecclesia Coloniensi tueri, idcirco quendam ex istius Ecclesiæ Prælatis, antequam ad Conventum Augustanum proxime proficiscerer, ad illum misi, qui ipsi singula, de quibus tunc temporis mihi constabat, meis verbis exposuit, adjuncta, quantum licuit, fideli admonitione, ut quam ipsi laudabile et pium foret, summæ istius dignitatis, cui ex divina providentia præpositus esset, hoc casu et recordaretur et propterea etiam re ipsa ejusmodi pravos rumores opprimeret. Pro qua admonitione dictus Archiepiscopus mihi gratias egit, se quoque tam verisimiliter ab iis suspicionibus purgavit, quod ulterius aliquid sinistri de illo præsumendi et suspicandi occasionem habere non potui, præsertim cum tunc inter cætera non solum juramenti et debiti obsequii, quibus Vfæ Sanctitati devinctus est, copiose meminerit, sed reliquas etiam obligationes et mutua vincula inter ipsum et Capitulum Coloniense in recentem memoriam revocaverit, addendo se secundum illa in sua Archiepiscopali vocatione, Dei omnipotentis beneficio, ita victurum, quod nemo eum vere culpandi causam habere posset. Quam resolutionem Capitulum Ecclesiæ Coloniensis mihi visum est confirmasse, ideo quod in suis

literis tunc temporis ad me datis, nullam illarum suspicionum mentionem fecerit, saltem quod mihi significaverit, prænominatum Archiepiscopum ante paucos dies aliquot militibus et majori, quam solitus est, equitatu ex Westphalia rediisse, cumque in iis alendis tota Diœcesis gravaretur, se ab illo petiisse, ut eos milites rursus dimitteret, et Archiepiscopatum a tali et simili onere liberare velit. Postquam vero non attenta illa petitione, in suo proposito perseveraret, dictum Capitulum coactum esse, non solum absentes Capitulares circa 22. hujus mensis Januarii convocare, sed etiam totius Diœcesis Status circa 28. ejusdem mensis conscribere, quo mature super rebus istis deliberatione habita, queant gliscentibus in dies malis mederi.

« Quibus autem mediis propter alia accidentia hoc commodius fieri possit, non video, nisi ut secundum pacta et concordata inter Archiepiscopum et Status a multis annis inita, quæ docent quatenus alter alteri devinctus sit, procederetur, quod Capitulo, ut hoc faceret, diligenter consului. Præterea etiam non abs re esse posset, si Vestræ Sanctitati gratiose visum sit, Sacram Cæsaream Majestatem, nec non Archiepiscopos et Electores Moguntinum et Trevirensem etc. admoneri, ut pro dignitate munereque suo præsentibus periculis opportuno consilio obviam irent, cum ex hac mutatione non solum provintiæ Coloniensi calamitas, sed vicinis etiam regionibus summa pernicies imminere posset.

« Cæterum de declaratione Archiepiscopi in negotio religionis, deque ipsius consiliis, moribus et vita, cum ab illo longius absim, quamvis libentissime velim, nihil certi Vestræ Sanctitati transcribere possum, saltem quod dicitur, eos, quorum consiliis quotidie utitur, Catholicos non esse; quæ tamen Vestra Sanctitas a suo Ablegato Minutio de Minutiis, qui, ut accepi, Coloniæ jam agit, abisque melius intelligere potest.

« Ad me quod attinet, Vestra Sanctitas sibi certo gratiose persuasum habeat, quod nihil aliud cupiam, nec malim, quam pro illius nobilissimæ Ecclesiæ salute et incolumitate, Catholicæque religionis amplitudine omnes vires effundere. Si quæ etiam per me ipsum præsens expedire non possum, sedulo agam, nec aliquid intermittam, ut per alios hoc præstetur, ne tandem pernicioso illo exemplo Catholica religio majus detrimentum patiatur. Nec dubito, quin Vestra Sanctitas eandem Ecclesiam, quæ hactenus multorum Principum et Comitum receptaculum fuit, paternis oculis intueri, atque labefactanti pio pastorali munere succurrere non dedignabitur. Deum Opt. Max. ardenter exorans, ut Sanctitatem Vestram (cui me meamque Diœcesim quam humillime commendo) suæ Ecclesiæ diu incolumem conservare velit. Datum Dagobertopoli 14. Jan. anno etc. 1583.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus Sacellanus

JOANNES EPISCOPUS ARGENTINENSIS.

IV. — Truchsessius Protestantium opibus fretus, iisdemque dubio procul suadentibus, quoniam qui verecundiæ fines semel excesserit, naviter oportet esse impudentem, Sacramenti proditor, quo suam fidem Deo et Ecclesiæ Catholicæ obligaverat, propalam ita ab ipso descivit, ut proposito edicto unicuique potestatem fecerit in singulis Diœceseos urbibus ex confessione Augustana sacra colendi. Cum vero homo nequam intelligeret, suis cœptis Catholicos omnes vi repugnaturos, rem conficere armis paravit: stipatus igitur militibus suæ ditionis urbes circumivit, quo repugnantibus terrorem injiceret. Quibus Colonienses Canonici permoti, metuentesque in posterum graviora, nisi in præsentiarum consuleretur, extemplo ad Pontificem confugerunt, ut ab tanta se clade prohiberet, atque Ecclesiam Coloniensem pene prostratam sublevaret. [*]

[*] Colonia Vol. I. f. 65.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino Nostro, Dño Gregorio Divina Providentia ejus Nominis Papæ Decimotertio, Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici ter Maximo, Domino Nostro Clementissimo.

« Beatissime Pater, Sanctissime Dñe. Post devota beatorum pedum oscula et humilem nostri recommendationem, Vestra Sanctitas dignetur tristem statum Ecclesiæ Coloniensis audire, et de remedio cogitare. Elegimus enim ante quinquennium in Archiepiscopum nostrum Reverendissimum Dñum Gebhardum, Sacri Romani Imperii Dapiferum et Baronem in Walpurgh etc., et speravimus ipsum utpote ex Catholicis parentibus ortum et catholice educatum, quique se semper Catholicum gessisset, acerrimum fore Catholicæ Ecclesiæ defensorem, nec non liberatorem æris alieni, quo Ecclesia Coloniensis diu oppressa fuit, prout utrunque tempore electionis jurato promisit; sed spes, proh dolor, nos longe fefellit. Dominus enim Reverendissimus noster Electus et confirmatus, quarto Octobris ex Westfalia Bonnam ad Renum sitam inusitato comitatu equitum et peditum veniens, claves a Magistratu Civitatis Bonnensis postulavit, ac demum obtinuit. Quibus habitis civitatem fortiore præsidio munivit, ac custodias diurnas et nocturnas, quæ penes Cives esse solebant, disposuit. Similiter præsidia in aliis Castris Archiepiscopatus ubique fere collocavit. Qua de causa eum ipsum partim literis, partim per legationem cohortaremur, ut inusitatum militem dimitteret, cæteraque inde emergentia gravamina emendaret, ipse defensionem finium contra hostiles ex inferiore Germania in-

cursiones prætendit. Tandem vero quid novarum rerum moliretur, ostendit.

« Nam ipso die Nativitatis Christi et die sequente Sancti Stephani Declarationem quandam, manu sua subscriptam et sigillo suo munitam, Consulibus Scabinis et Senatui, nec non plebi Bonnensi publicari fecit, qua suam fidem a Catholica religione alienam ostendit, et omnibus fecit liberam potestatem utramque religionem, Catholicam scilicet seu Orthodoxam, et illam novam, quam Augustanam confessionem vocant, exercendi, sub tenore hic oppositæ schedulæ, quam ex Germanico in latinum vertimus sub litera A.

« Eandem declarationem fidei, et liberam utriusque religionis potestatem etiam in aliis plerisque civitatibus Archiepiscopatus Coloniensis publicavit.

« Postmodum vero Edictis prelo excusis in omnibus locis Archiepiscopatus promulgavit sub tenore signato litera B.

« Et a magnis viris refertur, imo in edictis publicatis non obscure significatur, quod animum habeat contrahendi matrimonium retento Archiepiscopatu.

« Quantas autem confœderationes cum Principibus et Comitibus Augustanæ confessionis ad defendendam suam intentionem inierit, dici non potest, cum quotidie fere Principes et Comites Augustanæ confessionis et eorum Legati ad nos veniant, et partim bonis verbis nos alliciant, partim minis terreant, ne his inceptis Electi et confirmati nostri Archiepiscopi resistamus.

« Hæc autem ut circa spiritualia sunt gravissima, ita non minus deploranda sunt, quæ circa temporalia accidunt.

« Dum enim speramus æris alieni liberationem, videmus miseram Ecclesiam novo ære alieno prorsus submergi: non solum enim ex antiquis debitis nihil solvitur, verum etiam nova quotidie contrahuntur. Quicquid ex teloneis vel aliunde corradi potest, hoc totum in militem et harum rerum novarum fabricatores expenditur. Interim nec reddituariis, nec ministris solvitur: imo Reverendissimus noster telonariis prohibet, ne ullas pensiones ex teloneis solvant. Unde metuendum est, ne debita in tantum cumulentur, ut Archiepiscopatus tanti æris alieni nexum nullo unquam tempore possit dissolvere.

« Et dum in posterum non est, unde militibus satisfieri possit, timendum est, ne Archiepiscopatus et ejus subditi præda militum fiant.

« Tacemus quod inter has rerum novarum molitiones justitia jacet, et causæ in judicio vel extra judicium pendentes, quas Archiepiscopatus quam maximas et quam plurimas contra quosdam vicinos habet, negliguntur.

« His innovationibus, quantum potuimus, maxime quidem restitimus, scripsimus, et legationes Domino nostro Reverendissimo misimus, obnixe et humiliter rogavimus; sed nihil apud Dominum Reverendissimum nostrum hactenus effecimus. Ipsius etiam Consiliarios Catholicos et præcipuos Status Patriæ antehac convocavimus, et consilia et auxilia ipsorum postulavimus. Ac ad diem vicesimum octavum hujus mensis Januarii generalia Comitia, seu generalem Conventionem omnium Statuum Renensium hujus Archiepiscopatus indiximus. Quid consilii et auxilii apud illos nobis sperandum sit, eventus docebit.

« Cum vero, Pater Sanctissime, non solum res tristissima sit, hunc inclytum Archiepiscopatum collabi, verum etiam totius Christianitatis intersit, hunc Archiepiscopatum, cui Electoria dignitas Sacri Romani Imperii cohæret, in antiqua et orthodoxa religione, dignitate et splendore conservari, nobis autem illæ vires non competant: hinc Sanctitatem V. humillime obsecramus, ut de salutari remedio ad talem morbum curandum cogitare, et Ecclesiæ nostræ periclitanti ope et consilio succurrere dignetur. Nos quantum in nobis est, Sanctitati Vræ humillime offerimus debitam obedientiam. Quam omnipotens Deus Universali Christianæ Ecclesiæ nobisque diu incolumem conservet. Datum Coloniæ anno MDLXXXIII. XXVI. mensis Januarii.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimi et humillimi
DECANUS et CAPITULUM ECCLESIÆ
COLONIENSIS.

Lemgovius.

Operæ pretium facies, si legas Pontificis ad Coloniense Capitulum litteras, gratulationis, miræque securitatis plenas. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep. 121. f. 121.

Dilectis Filiis Decano et Capitulo Ecclesiæ Coloniensis.

GREGORIUS PP. XIII.

Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. In tantis, tamque multis nobilissimæ Ecclesiæ vestræ difficultatibus, quæ Nos semper anxios habuerunt, non mediocriter consolatæ sunt Nos vestræ literæ, plenæ pietatis, prudentiæ, zeli, constantiæ, sinceræque erga hanc Sanctam Sedem obedientiæ, quam quidem semper hactenus retentam, et hoc tempore pollicemini, et perpetuo conservaturos vos non dubitamus. His enim præsidiis muniti, nihil erit, quod ab Archiepiscopi vestri perfidia, turpissimaque defectione magnopere extimescere debeatis, nec unquam nefariæ illius actiones tantum Nobis molestiæ afferre poterunt, quantum ipse sibi exitii comparavit. Perspectum vobis esse arbitramur, quantopere Nobis cordi sitis. Sic credite, tam esse Nos de vobis sollicitos, quam esse debet amantissimus parens de filiorum optimorum dignitate, tranquillitate, salute: quibus

cum rebus præclare intelligimus, conjunctam quoque esse rationem Catholicæ Religionis et Dei gloriæ; his vero causis omni conatu atque ope inserviendum Nobis esse agnoscimus. Jam arbitramur istic esse dilectum filium nostrum Andream Cardinalem Austriæ a Nobis legatum; dedimus ei omnibus de rebus, quæcunque agi oportebit, mandata amplissima. Curavimus etiam apud Charissimum filium nostrum Rodulphum Romanorum Imperatorem Electum, cæterosque Catholicos Principes ea, quæ causam ac tempus maxime postulare judicabamus: neque ullum unquam a Nobis paternæ charitatis officium desiderari patiemur. Oportet, vos cum Legato nostro conjunctissimos esse voluntate atque opera. Sic enim facile irriti reddentur conatus hominis levissimi, qui nisi resipuerit, pœnitentiamque egerit, et turpiter vivet, et misere interibit, et sempiternas impietatis suæ pœnas luet. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Martii MDLXXXIII. Pontificatus Nri anno undecimo.

Ernesto Bavaro Pontifex significat, gratissimum sibi cecidisse, quod Orano se tam facilem ac promptum præbuerit: monet ne Colonia ante discedat, quam de nova electione a Capitulo decretum confectum sit. [*]

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann XI ep. 120. l. 235.

Venerabili Fratri Ernesto Episcopo Leodiensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Scripsit ad Nos dilectus filius Franciscus Oranus, Fraternitatem Tuam acceptis ab eo nostris literis decrevisse Coloniam ire, eique Ecclesiæ in tantis necessitatibus eam, quam deberes, operam præstare. Fuit id Nobis gratissimum: scimus enim præstantem auctoritatem et virtutem tuam afflictis illius Ecclesiæ rebus magnopere profuturam. Jam arbitramur Fraternitatem Tuam Coloniæ esse, idque a multis confirmatur. Hortamur igitur, ut omnibus illius Capituli decretis intersis: quæque agi oportebit, cures ut perficiantur, neque ante discedas, quam novæ electionis confecto negocio, Ecclesiæ illius incolumitati, Catholicæ Religionis dignitati, Dei gloriæ prospectum sit. Id vero Fraternitatem Tuam diligentissime curaturam esse, eximia pietas tua Nos dubitare non sinit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima tertia Martii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Rem Cæsari iterum prolixe commendat: consilium ab eo initum de Commissariis Coloniam mittendis, quos cum Legatis suis conjunctos fore confidit, sibi valde satisfecisse scribit. [*]

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann XI ep. 118 l. 230.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis Majestatis Tuæ datis XXIV. Januarii cognovimus, gratam tibi extitisse nostræ paternæ erga te voluntatis significationem, eam vero perspectam tibi esse, fuit Nobis gratissimum. Fecimus, faciemusque semper omnia libentissime tua causa: persuasum enim vicissim habemus, tuam virtutem ac zelum Catholicæ Ecclesiæ, cui te Advocatum dedit Deus, nullo loco defuturum. Cujus quidem zeli declarandi summa nunc tibi facultas datur in tanta Coloniensis Ecclesiæ perturbatione, quæ et ipsa per se gravissima est, et nisi obsistitur, non minus evadet Imperii Augustæque Domus tuæ rebus perniciosa, quam Catholicæ Religioni et Apostolicæ Sedi infesta. Toto igitur pectore, omnibusque opibus, per Dei gloriam, quam Tuæ Majestati semper commendatissimam fore certo scimus, in hanc causam incumbe: sic enim illa fœditate et scandalo sublato, Catholicæque Religionis decore et puritate retenta, lætissimus exitus consequetur. Laudamus in primis factum tuum de Commissariis, speramus illos iter jam ingressos esse, omnibusque in rebus cum Legato nostro voluntate atque opera conjunctissimos fore. Interea non cessamus Deum orare, ut eximiæ virtuti tuæ, illorumque consiliis atque actionibus adsit sua ope et gratia. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die nona Martii MDLXXXIII. Pontificatus Nri anno undecimo.

V. — Truchsessius tandem per propudiosam licentiam, nulla neque Dei neque hominum verecundia habita, Catholicis quidem omnibus improbantibus, cæterorum vero summa lætitia, ipsa die Immaculatæ Virginis Purificationi sacra, Protestantium ritu, cum Agnete Mansfeldia, quam hactenus concubinæ loco habuerat, sacrilegas nuptias inivit. Tum mox vesanus ac furens latronum in morem armata manu in militum stationes impetum facere, invadere, in suam potestatem abducere, templa vasis argenteis aureisque spoliare, suumque in usum cultumque mutare: eoque amentiæ ac perfidiæ erumpere, ut ex Ecclesiæ Metropolitanæ tabulario, Carolo fratre suo, qui æque a fide defecerat, adjutore, omnia privilegia, diplomata, scripta reliqua ad universam Diœcesim pertinentia abstulerit, atque extra ditionis suæ loca transferri jusserit. Decanus et Capitulum cum vix, aut ne vix quidem Archiepiscopi vim ac furorem compescere se posse sentirent, demum, miserrimo Ecclesiæ suæ statu per Pontificium Commissarium Minutium de Minutiis Gregorio antea enarrato, nunc per litteras vehementissime postulant, ut in nefarium hominem pro gravitate criminum animadvertere statuat: eique non modo jus sacrum, sed jus etiam imperii abroget; po-

testatemque sibi ipsis faceret alium Præsulem, Catholicum utique virum eligendi. [*]

[*] Colonia Vol. 1. fol 68

Sanctissimo in Christo Patri et Domino Nostro, Dño Gregorio Divina Providentia ejus Nominis Papæ Decimotertio SS. Rom. et Universalis Ecclesiæ Pontifici ter Maximo, Domino Nostro Clementissimo.

« Beatissime Pater, Sanctissime Dñe. Post devota beatorum pedum oscula et humilem nostri recommendationem, Vestra Sanctitas ex literis nostris 26. Januarii procul dubio tristem statum Ecclesiæ nostræ Coloniensis satis intellexit. Postea vero Dominus noster Electus et confirmatus Ecclesiæ Coloniensis suam sententiam non mutavit, aut quicquam de his, quæ cœperat, remisit; sed palam prætensum matrimonium contraxit, liberum exercitium Augustanæ Confessionis omnibus subditis permisit et mandavit. Jura etiam et literas sigillatas Ecclesiæ Coloniensis, quæ auro æstimari non possunt, ex consueto Archivio tolli, necnon aurea et argentea vasa, et id genus alias res preciosas, ex Castris in alia loca extra territorium transferri curavit. Et hunc in modum Archiepiscopatum vi et armis retinere nititur.

« Nos quidem extremis viribus, quantum potuimus, hactenus restitimus, et deinceps promptis præstabimus animis, quod possumus et debemus. Qua in re quidam Capitulares nostri, necnon Dñus Salentinus, Comes ab Isenburgh etc. quondam noster Archiepiscopus, strenuam navant operam.

« Nos vero præsentem Ecclesiæ nostræ statum in scripto quodam hic apposito, et per Sanctitatis Vestræ Commissarium, Magnificum et Reverendum Dominum Minutium de Minutiis, certis notis exarato, Sanctitati Vestræ declaravimus. Et humillime petimus, ut Sanctitas Vestra super illo apposito scripto deliberare, et super eodem per veredarium præsentem, quem ejus rei causa ablegavimus, mentem suam nobis declarare benignissime dignetur.

« Præterea cum in tanta rerum difficultate novo capite nobis opus sit, dignetur etiam Sanctitas Vestra prospicere, ut nostro Electo et confirmato quam celerrime liberati, ad novam electionem procedere possimus.

« Nos vicissim preces nostras humillimas ad Deum, et debitam Sanctitati Vestræ offerimus obedientiam; quam Deus ad Universalis Ecclesiæ salutem diu incolumem conservet.

Datum Coloniæ anno 1583. 15. Mensis Martii.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimi

Decanus et Capitulum Ecclesiæ Coloniensis.

Lemgovius.

Eadem Cardinali Comensi perscripserunt, orantes, ut ipsorum causam majorem in modum commendatam Pontifici per se vellet esse. [*]

[*] Germania Vol 37 fol. 403

Reverendissimo in Christo Patri et Illustrissimo Domino, Dño Ptolomeo Gallo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali Novocomensi etc. Domino Nostro Observandissimo et Clementissimo.

« Reverendissime Pater, Illustrissime Domine. Vestra Paternitas et Celsitudo ex literis nostris, datis 26. Januarii, absque dubio cognovit, in quam tristi statu, ob mutatam Domini nostri Electi et confirmati religionem, res Ecclesiæ Coloniensis versentur.

« Interim vero Dominus noster Electus et confirmatus ad saniorem mentem non rediit; sed multo magis status et vocationis suæ immemor, palam matrimonium contraxit, omnibus subditis liberum exercitium Augustanæ confessionis permisit et mandavit. Jura quoque et literas sigillatas Ecclesiæ Coloniensis ex Archivio tolli, et una cum aliis vasis aureis et argenteis, ac aliis rebus preciosis, extra Archiepiscopatum transferri curavit. Et in hunc modum Archiepiscopatum vi et armis retinere contendit. Hinc quantus omnium piorum dolor, facile quisquis intelligit. Nos quidem quantum possumus, maximo conatu enitimur.

« Sed dum hoc facimus, nostræ res ad maximas angustias rediguntur, prout Sanctissimum Dominum nostrum de Ecclesiæ nostræ statu per scriptum quoddam, manibus Magnifici et Reverendi Domini Minutii de Minutiis Commissarii Apostolici certis notis exaratum, latius fecimus certiorem.

« Quapropter obnixe et devote petimus, ut Vestra Paternitas et Celsitudo apud Sanctissimum Dominum nostrum causam nostram, juxta tenorem prætacti nostri scripti, juvare non dedignetur; idque per opportunitatem quam potest fieri celerrime, cum res præ magnitudine periculi moram pati non possit.

« Hoc erga Vestram Paternitatem et Celsitudinem omni studio, et quam maxima possumus diligentia promereri conabimur. Quam Deus ad Ecclesiæ salutem diu incolumem conservet. Datum Coloniæ xv. Martii anno MDLXXXIII.

Vestræ Paternitatis et Celsitudinis

Observantissimi et devoti

Decanus et Capitulum Ecclesiæ Coloniensis.

VI. — Impium Truchsessianum facinus Catholici omnes mirum, quam fuerint detestati! quia eorum germani fratres adeo veriti sunt, ne contagione sceleris si minus re, hominum certe opinione inficerentur, ut ad se purgandos, profitendumque se ne levissime quidem fraterna peste esse afflatos, Pontifici animorum cujusque suorum dolores per litteras patefecerint. [*] Habes Jacobi Truchsessii litteras, in quibus se

[*] Mancisa document. N. 70.

suosque Gregorio commendavit, imprimisque duos majores natu filios, qui in universali Patavino Gymnasio litteris vacabant. [*]

[*] Germania Vol. 30. fol. 183

Sanctissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ Sedis ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Clementissimo, ac Omnimoda Reverentia Colendissimo.

« Gregorio XIII. Sacrosanctæ Romanæ Sedis Pontifici Maximo, Domino suo summa observantia Colendo, Jacobus Sacri Romani Imperii Dapifer hæreditarius, et Baro in Waldtburg, omnimodam commendationem et reverentiam.

« Quantis in periculis ac calamitatibus, Beatissime Pater, hac tempestate universum Romanum Imperium, ob mutationem et status et Religionis antiquæ Archiepiscopi et Electoris Coloniensis, hincque tantos excitatos fluctus constitutum sit, res ipsa nulli non cognita clamat. Ex quo quidem periculoso negotio, quantum doloris, quantumque mœroris ac luctus mihi quoque tum propter pacis, ac communis et publici boni in Republica Christiana perturbationem, tum etiam propter commune mihi cum eodem Electore et stirpis, et generis ac familiæ Imperii Baronum a Waldtburg nomen, armaque communia accesserit, dici vix potest. Cujus rei nomine, cum verear, ne et ego apud Sanctitatem Vestram aliosque Romanæ Ecclesiæ Proceres ac Principes hujus mali fautor, consors, vel conscius incusari, insimulari, vel saltem in suspitionem aliquam adduci queam, omittere non potui, quin apud eosdem conceptæ forsitan insimulationis alicujus vel suspitionis me excusarem. Scripsi itaque ea de re etiam Reverendissimo in Christo Principi, ac Domino Domino Marco tituli Sancti Georgii, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinali et Episcopo Constantiensi, Domino meo multis nominibus observando, cui similiter hac in parte animum et mentem meam exposui, eidemque supplicavi, quatenus pro sua singulari pietate, meaque erga ipsum observantia apud Sanctitatem Vestram me similiter excusare dignaretur: quod idipsum ipsius Dominationem summa fide expedituram, plane mihi confido. Interim Sanctitatem Vram ea, qua possum et debeo, summa reverentia obsecrans, ejusdem nomine meo interponendam excusationem, propensamque meam et quidem humillimam erga Romanam Catholicam Ecclesiam voluntatem benigne ac clementer suscipiat, eamque mihi fidem adhibeat hoc in negotio Electoris. Dolet me recte prælhabitas deliberationes, consultationes, aliaque omnia actitata et gesta, me plane inscio et ignorante, ullo meo accedente neque consilio, neque ope seu auxilio, vel alio quovis suffragio peracta esse, hodieque peragi ac perfici, meque hactenus Sanctam Romanam et Catholicam Religionem, in qua natus, in qua etiam educatus sum, ut debeo quidem, retinuisse. Quam me etiam in posterum, Divina annuente clementia, puram atque integram sancte et religiose ad extremum usque vitæ spiritum conservaturum, in eademque etiam numerosam meam prolem cum omni posteritate mea ad dies vitæ educaturum et instituturum, plane mecum statuo. Sanctitati Vestræ, quam Deus Optimus Maximus pro sua gratia et præsidio diu nobis incolumem fœlicemque tueatur atque conservet, hisce me ac seniores duos filios meos Heinricum et Frobenium, quos hoc tempore insigne alit Patavinum Italiæ universale Gymnasium, meamque omnem posteritatem, summa qua debeo humilitate commendans. Datæ ex Arce mea Wolffegg VI. Idus Aprilis MDLXXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimus et Devotissimus
Jacobus S. R. I. Dapifer Hereditarius
Baro in Waldpurg.

Gregorius, ut par erat, in tam acerbo Truchsessianæ domus casu præstantes pietate viros solatur. Ita eorum alterum adhibitis apostolicis verbis in avita fide confirmat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII. ep. 1. f. 267

Dilecto Filio Nobili Viro Christophoro Truchsio Baroni Valdburgi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Amavimus semper te, tuosque omnes. Gravissime igitur doluimus, deflevimusque sempiternam ignominiam et damnationem fratrum tuorum in Catholica Religione deserenda. Non fuit hoc ab illis expectandum, tam multis nominibus huic Sanctæ Sedi, Catholicæque Ecclesiæ conjunctis, inque ejus sinu educatis. Amisit uno tempore et Ecclesia filios, et tu germanos, illi vero, quod horrendum dictu est, Christum perdiderunt. Vitam retinent ejusdem ipsius Christi, quem tantopere oppugnant beneficio; atque utinam aliquando resipiscant, neque obstinati divitias, ut ait Apostolus, bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnant, neve ignorent, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam ipsos adducit, nec secundum duritiam suam et impœnitens cor thesaurizent sibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus: his quidem secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quærentibus, vitam æternam: his autem qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum. Ut autem eorum interitu dolemus, sic tua præstanti pietate et bono lætamur. Scribis enim in literis, datis Scenæ XXV. Februarii, semper retinuisse te synceram atque

incorruptam Romanæ Catholicæque Ecclesiæ fidem, neque illorum perfidiæ participem aut conscium fuisse, neque tibi quidquam amplius cum illis fore, non magis quam cum hominibus alienissimis atque ignotissimis. Retine, fili, istam, quam habes Dei munere, voluntatem tua virtute perpetuaque majorum tuorum laude dignissimam. Nos semper te hoc nomine amabimus, neque ulla unquam in re nostram paternam erga te charitatem desiderari patiemur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima tertia Maji, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

En litteras in eamdem fere sententiam Jacobo scriptas; in quibus mireris Pontificis charitatem, ut erga perditum illum virum tamque sibi molestum nondum paternos sensus exuerit: ex quo fit ut de ejus perditione doleat, lugeatque. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII ep. 11. f. 271.

Dilecto Filio Nobili Viro Jacobo Romani Imperii Dapifero et Baroni Valburgii.

GREGORIVS PP. XIII.

Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Summam Gebardi Truchsii impietatem semper detestatum esse te, ex tuis literis magna cum voluptate cognovimus, et vero tam aperta tamque nefaria est, ut omnes boni eam merito exhorrere debeant. Dolet Catholica mater Ecclesia ejus interitu illa quidem; utinam ipse quoque suum agnoscat et defleat. Miser, si non agnoscit, miserrimus et desperatissimus, si agnoscit, et tamen in ea fœditate tanquam incœnosus jacere vult, seseque obscœnissime volutare. De tua vero Nobilitate nihil unquam secus suspicati sumus, neque te alio unquam loco habuimus, quam quo tu ipse maxime vis, optimo scilicet et laudatissimo, semperque fidem pietatemque tuam plurimi fecimus, faciemusque; nec ulla unquam tibi liberisque tuis a Nobis deerunt paternæ charitatis insignia. Deus benedictus tueator vos sua gratia, cumuletque omni fœlicitate. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die octava Junii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

VII. — Nihil propius factum est, ut ex hoc incendio tota Germania factionibus, intestinis discordiis, belloque civili conflagraverit. Omnino non deerant, qui seditionis signo elato ad arma conclamarent. Ex Protestantibus enim Principes viri fere omnes Truchsessii causam, utpote communem amplexi, tutatique sunt; eique auctores fuerunt, ut universam Coloniensem ditionem, Electorali dignitate retenta, armis sibi vindicaret, proprioque regeret jure. Truchsessius flecti facile passus ab horum hominum consiliis, qui et ipsi ad ea perficienda arma opesque suas suppeditarent, plura Coloniensis ditionis oppida vi armisque, Catholicis fortiter repugnantibus, suæ potestati subegerat. At vero sacrilegis ejus cœptis repugnabat ipsa conventio, seu alio nomine Passaviensis Pax Religionis, in comitiis Augustanis die 25. Septembris an. 1555. confirmata, in qua licet multum, Protestantium audacia prævalente, de Ecclesiæ Catholicæ juribus detractum fuerit, hæc tamen inter cætera præscribebantur, quæ consilium Truchsessii evertebant.

« Si quis Archiepiscopus, Episcopus, Antistes, aut alius ordinis Ecclesiastici a Religione veteri deficiat, is continuo decedat ab Episcopatu suo, Præfectura, beneficio, simul omnibus etiam fructibus, quos inde percepit (quod tamen ad nullam ejus infamiam pertinebit); et Collegio, sive iis, ad quos ea res jure atque consuetudine pertinet, liceat in ejus locum eligere seu constituere alium, qui sit veteris Religionis. » Quæ leges Gregorium haud latebant. Cum igitur videret Truchsessium neque suis, neque Cæsaris, neque reliquorum Catholicorum Principum precibus et comminationibus commoveri, ut ad saniorem mentem rediret, impiis obscœnisque hominis facinoribus sacro Ecclesiæ Senatui in Consistorio secreto Kal. Aprilis habito, enarratis ac detestatis, de Patrum Cardinalium consilio atque assensu, suaque propria auctoritate gladio spirituali perculsum eum ab fidelium Christianorum communione sejunxit, ac veluti putridum Ecclesiæ membrum abscidit, omnibus ablatis juribus. Cujusmodi sententiam ad Canonicos Colonienses mittit, eos exhortans, ut primo quoque tempore alterum Præsulem, probatissimum quidem virum eligant, vel postulent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep. 137. f. 265.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Coloniensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Postquam Gebardus Truchses, antea Archiepiscopus vester, instinctu Sathanæ abjecta fide Orthodoxa sese a Catholica Ecclesia, in qua natus atque educatus fuerat, sejunxit, atque ad hæreticos contulit, idque et scriptis et factis suæ impietati consentaneis palam testificatus est; non putavimus nostrum munus, cui a Deo præpositi sumus, sanctæ scilicet ejus Ecclesiæ gubernandæ, Catholicæque Religionis tuendæ, scandalorum omnium, quantum quidem Divina gratia adjuti præstare possumus, ex sancto Dei regno amovendorum, deserendum Nobis esse, neque tam gravi in re diutius cunctandum. Itaque hoc ipso die in Consistorio nostro secreto de venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio et assensu, auctoritate Nobis a Domino tributa, Gebardum ipsum hæreticum notorium, et a Catholica Ecclesia tamquam membrum putridum a syncero corpore abscissum privavimus, privatumque esse declaravimus isto Coloniensis Ecclesiæ

Archiepiscopatu, cæterisque honoribus, gradibus, beneficiis, titulis, officiis, administrationibus, dignitatibus tum Ecclesiasticis, tum sæcularibus omnibus. Mandamus igitur vobis in virtute sanctæ obedientiæ, quam huic Sedi Apostolicæ et debetis, et debere vos tum verbis, tum rebus ipsis semper agnovistis, professique estis, ut eum amplius pro vestro Archiepiscopo ne habeatis, neve eum hoc titulo appelletis, aut ei aliqua in re obediatis; immo vero illum ut hæreticum notorium, et Christi hostem perniciosissimum publice, privatimque vitetis, nec ei in ullis actionibus communicetis, atque absentibus, qui vocandi fuerint, vocatis, eisque ad eum terminum, quem pro locorum intervallo necessarium esse judicabitis, expectatis, ad Archiepiscopi electionem vel postulationem omni cum circumspectione et Dei timore procedatis, ut in eo, quem maxime probaveritis, confirmando nullus in Nobis scrupulus residere possit. Sic enim et Dei gloriæ, et vestræ Ecclesiæ incolumitati, et bonorum omnium desiderio summa cum laude inservietis. Habebitis ad omnia Nuncii nostri operam paratissimam: Nos vero quidquid valebimus consilio, auctoritate, opera ad vestram, Ecclesiæque vestræ salutem, dignitatem, amplitudinem conferemus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 1. Aprilis MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

Eadem mandat egregiis viris, penes quos civile Coloniæ regimen erat; eos admonens, ne ulla in re Truchsessio pareant, neve communicent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI. ep. 110. f. 216.

Dilectis Filiis Senatui Coloniensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. In manifesta et publica Gebardi antea Coloniensis Archiepiscopi, nunc autem hæretici apertissimi, a fide atque ab Ecclesia Catholica defectione non potuimus deesse muneri Nobis a Deo imposito, ipsius scilicet gloriæ et sponsæ ejus Ecclesiæ dignitati prospiciendi. Itaque hoc ipso die in Consistorio nostro secreto de venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio et assensu, auctoritate Nobis a Domino tributa Gebardum ipsum hæreticum notorium, et a Catholica Ecclesia tanquam membrum putridum syncero a corpore abscissum privavimus, privatumque esse declaravimus Coloniensis istius Ecclesiæ Archiepiscopatu, cæterisque honoribus, gradibus, officiis, beneficiis, titulis, dignitatibus tum ecclesiasticis tum secularibus omnibus: mandavimus et ejusdem Ecclesiæ Canonicis et Capitulo, ut ad alterius Archiepiscopi electionem procedant, eumque eligant, quem sine ullo scrupulo confirmare possimus. Vos igitur posthac Gebardum pro vestro Archiepiscopo ne habeatis, neve eum hoc nomine appelletis, neve ulla in re ei obtemperetis: oves enim Christi non audiunt vocem alienorum. Omnibus autem in rebus pro vestra eximia pietate tum Capituli tum Legati nostri decretis, actionibusque adjumento eritis: neque in Christi causa omnibus studiis tuenda adversariorum furori in oppugnanda ulla in parte cedetis. Sic postulat res ipsa, sic pollicetur vester zelus. Nos certe vestræ dignitati atque amplitudini consilio, auctoritate, opera nunquam deerimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Aprilis, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Idem Cæsari præstitit, vehementissimeque eum excitavit, ut Coloniensibus in tuendis Ecclesiæ eorum juribus auctoritate adesset. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI. ep. 113. f. 219.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. In tam manifesta Gebardi Truchses antea Coloniensis Archiepiscopi, nunc autem hæretici manifestissimi defectione, tam multis verbis, scriptis, factis, in primis vero infamibus illis nuptiis testificata, non potuimus deesse muneri Nobis a Deo imposito, ipsius scilicet gloriæ, sanctæque ejus sponsæ Ecclesiæ dignitati prospiciendi. Itaque in Consistorio nostro secreto de venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio et assensu privavimus illum Archiepiscopatu Ecclesiæ Coloniensis, cæterisque officiis, honoribus, dignitatibus, hisque omnibus privatum, et tanquam putridum membrum sincero a corpore Ecclesiæ abscissum, excommunicatumque esse declaravimus. Expectabat Capitulum avidissime, quid Sedes Apostolica decerneret, et impedimenta ea, quibus Legatum nostrum in itinere detineri acceperamus, ostendebant, tamdiu illum Coloniam perventurum esse, quam necesse erat, sicque etiam fore ut privatio ipsa, quam legato commiseramus, quæque celeritatem requirebat, nimium differretur. Curavimus etiam ut ipsius privationis literæ quam celerrime ad Canonicos perferrentur, ut scilicet possent alium quam primum eligere, qua etiam de re ad ipsos scribimus. Rogamus nunc Majestatem Tuam, ut subito ad eos scribas, literasque perferendas des, quibus eos horteris, ut omni cum prudentia et zelo eum eligant, qui possit innocentia, consilio, auctoritate, opera afflictæ illi Ecclesiæ præsidio esse, ejusque calamitates et pericula sublevare. Communis, ut vides, causa est, neque minus cum Imperii tui, Augustæque domus tuæ, quam

cum nostris rationibus conjuncta. Iterum igitur rogamus, ut hanc causam toto pectore suscipias, adversariorumque conatibus atque audaciæ obsistas. Et quamquam nihil nostra cohortatione tam gravi, tamque necessaria in re opus esse intelligebamus, tamen coegit Nos noster zelus, ut id postularemus, quod tua pietas spectatissima ipsa per sese pollicebatur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Aprilis, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Diploma denique quod Pontificis in Truchsessium sententiam continet, ita se habet. [*]

[*] Apud Mich. ab Isselt De bello Coloniensi. p. 227.

«Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

« Humani generis Conditor ac Redemptor, et summus æternusque sacerdos in cœlis regnans S. Ecclesiam suam Catholicam ita Beato Petro Apostolorum Principi, ac ejus successoribus Romanis Pontificibus regendam tradidit, ut super gentes et Regna constituti, potestatisque divinæ principatum in terris obtinentes, quid in ea plantari vel evelli, ædificari aut destrui opus esset, dicerent ac judicarent.

« Nos igitur, in eadem Apostolicæ Sedis specula, quamquam tanto oneri impares, sola Dei miseratione et gratia collocati, ad satisfaciendum muneri nostro eo solertius incumbere debemus, quo magis calamitosi hujus sæculi tempestates ingravescere, et nostram undequaque vigilantiam requiri non ignoramus. Proinde cum ex multorum sermonibus et literis gravis jampridem rumor ad aures nostras pervenisset de turpi et flagitiosa vita Gebhardi Truchsii, qui Ecclesiæ Coloniensi præerat, ingenti sane dolore ex tam gravi Ecclesiæ vulnere, et quacunque potuimus ratione, ex charitate vere paterna ad sanitatem revocare conati sumus. Sed ille, ut erat perverso et obdurato animo, vel literas nostras ad se pervenire passus non est, vel si quas alias eadem de re accepit, et homines certos ad se hortatu nostro a nonnullis Principibus missos audivit: iis ita respondit, ut satis appareret sibi in animo esse, nostrum illorumque officium eludere, auctoritatemque contemnere, ac deterrima quæque cogitare et moliri, sicuti paulo post reipsa declaravit.

« Nam præter alia enormia debita, quæ antea ille patrasse dicebatur, superioribus diebus palam omnibus factum est, et Nos multorum fide dignorum relationibus et literis, aliisque authenticis documentis et fama voceque ipsa publica notum et apertum habuimus, ipsum Gebhardum cum primariis diversarum Sectarum hæreticis continuam consuetudinem habuisse, consilia communicasse, impium fœdus cum iis pepigisse, ut scilicet post nefarias et sacrilegas nuptias, quas animo destinaverat, Ecclesiam simul Coloniensem illorum ope atque auxilio retineret, scripto se semel atque iterum promulgato ab Ecclesia Catholica defecisse et in hæresin incidisse, potestatemque suis subditis eandem hæresin amplectendam fecisse: ac tandem publicis nuptiis cum quadam muliere, hæretico ministro conciliante, contractis se coinquinasse, ac postmodum cum eadem prætensa uxore convivia celebrasse, et choreas ac tripudia duxisse.

« Bonnam insigne Coloniensis ditionis oppidum, aliaque loca vi occupasse, præsidio militum firmasse, apertamque tyrannidem, Capitulo frustra reclamante, exercuisse. Scripturas omnes ad Ecclesiam Coloniensem spectantes, et aurea argenteaque vasa, quæ Bonnæ custodiebantur, corripuisse et secum asportasse, totam denique ditionem bellis, tumultibus et periculis implicasse, ac spiritualia ac temporalia pessumdedisse. Igitur Nos, tot tantisque in hoc quasi monstrum congestis, quæ adeo publica et notoria sunt, ut nulla possint excusatione aut tergiversatione celari, commoti et impulsi, causæ hujus cognitionem et decisionem a dilecto filio nostro Andrea Cardinali ab Austria, cui tanquam Legato nostro commissa fuerat, avocantes et ad Nos trahentes, sacris canonibus ac prædecessorum constitutionibus contra hæreticos editis inhærentes; quamquam enim propter præmissa ab omni jure suo cecidisse dubitandum non erat; tamen ut id omnibus constaret, re cum venerabilibus fratribus nostris Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus communicata, de eorumque consilio et assensu, motu proprio, ex certa scientia, ac etiam de potestatis plenitudine supplentes omnem juris defectum, si quis sit, in Consistorio nostro secreto,

« Gebhardum Truchsium prænominatum uti hæreticum notorium, et infinitis prope criminibus maculatum, ac perjurum Ecclesiæ Romanæ rebellem, et excommunicatum et anathematizatum, tanquam membrum putridum ab Ecclesiæ Catholicæ corpore separatum, dicta Ecclesia Archiepiscopali Coloniensi, eumque titulo, officio, dignitate et jure, quod sibi ad eam quovis modo competere posse, nec non aliis omnibus dignitatibus, canonicatibus, beneficiis, officiis, pensionibus, juribus, feudis, actionibus et jurisdictionibus quibuscunque, quæ hucusque quovis modo habuit et possedit, privatum fuisse et esse declaramus, et quatenus opus sit, de novo privamus, Ecclesiamque ipsam Coloniensem et cætera omnia prædicta vacare decernimus, ac ad illa aliave in posterum obtinenda penitus inhabilem fore statuimus et mandamus.

« Declarantes præterea, si deinceps idem Gebhardus in his, quæ prius erant sui muneris, ratione omnium supradictorum se immiscere præsumpserit, omnes et quoscunque actus, in quibus intervenire continget, nullius esse robo-

ris et momenti, ita ut nullo unquam tempore firmitatem habeant, nec vigorem.

« Quocirca Decanum, Canonicos et Capitulum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ, omnesque Parochos ac universum Civitatis ac provinciæ ejusdem Clerum, nec non Vasallos, subditosque, et civitatum, oppidorum, locorum gubernatores, arcium præfectos, officiales et ministros quoscumque a juramento, si quod ipsi Gebhardo præstiterant, liberos exemptos esse, ac nulla in re eidem obedientiam debere, similiter statuimus et declaramus.

« Mandantes eisdem et eorum cuilibet sub excommunicationis pœna, quam ipso facto contravenientes incurrant, ut posthac Gebhardo suisque procuratoribus in aliquo non respondeant seu pareant. Cæterum idem Coloniense Capitulum serio monemus, ut cum primum de hac privationis sententia notitiam habuerint, ad Electionem novi Archiepiscopi, termino competenti ad conveniendum Canonicis absentibus præfixo, omni mora cessante procedant, non obstantibus privilegiis quibuscumque.

« Ut autem facilius hæ literæ ad omnium notitiam deducantur, volumus et eadem authoritate decernimus, ut earum transumptis, manu scriptis vel impressis, et Notarii alicujus publici manu subscriptis, sigilloque personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur in judicio et extra illud, quæ haberetur ipsis præsentibus, si essent exhibitæ et ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ avocationis, suppletionis, privationis, statuti, declarationum, mandatorum, voluntatis et decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXXXIII. Calendis Aprilis, Pontificatus Nostri undecimo.

VIII. — Comes Salentinus ab Isenburg, qui ante Truchsessium cum omnium laude Ecclesiam Coloniensem administraverat, non ab Pontificis modo, sed etiam ab Cæsaris Catholicorumque Germaniæ Principum Legatis accersitus, egregiam operam in Colonienses motus sedandos, amoliendosque nefarios Truchsessianorum conatus, contulit. Is Coloniam convolat: ibique die tertia Aprilis, consentientibus Canonicorum sententiis, copiarum præfectus dicitur. Ita factum est, ut præstantissimus ille vir, qui optime de illa Diœcesi erat meritus, nunc ultro ad laicorum mores reversus miles novis meritis vetera cumulaverit. Ducis etiam Bavariæ singulare studium officiumque enituit, qui nihil prætermisit, quod ad Ecclesiæ Coloniensis incolumitatem pertineret; atque adeo Pontificem edocuit, quibus rationibus expediri facilius negotium illud posset: in quibus erat, ut Pontifex eam causam tum Cæsaris tum Galliarum atque Hispaniarum Regum fidei et Religioni commendaret. (*) [(*) Germania Vol 29. fol. 51.]

Beatissime in Christo Pater ac Domine Benignissime.

« Humillima obsequentissimi filii officia, cum devotis beatissimorum pedum osculis. De periculosis istis ad Rhenum, ac alibi passim per Germaniam motibus non ignorat, scio, Sanctitas Vestra. Faciunt enim proculdubio ea in re officium præter Coloniense Capitulum, cujus res agitur, plures alii quos ibi habet Sanctitas Vestra. Quantum ego intelligo, una est conatuum illorum audaciæque istius omnis meta, ut affectatam diu libertatem cum assumendi ad Ecclesias Cathedrales hæreticos et sectarios quosvis sine discrimine, tum religionum et opinionum omnis generis obtineant. Nec enim alioqui tantus esset in apostatam amor aut reverentia, ut puto, quem leges ipsaque publica honestas odiosum reddunt merito. Quod si res eo eveniant, quo spectant consilia ista, ut quartus sit in Electorali dignitate et præeminentia constitutus, qui contrariam religionem amplectatur et foveat, male prospectum erit per Imperium non solum religioni Catholicæ atque iis qui ab ejus sunt partibus, sed ipsa etiam Sanctæ Sedis Apostolicæ authoritas penitus vilescet, ne dicam hic extrema illa, quæ tali rerum statu futuram Imperatoris Romanorum electionem, si quis aliquando incidat, perturbare ac evertere possent. Nec enim tam, qui hoc tempore tam impudenter agunt et moliuntur, defuturi sibi sunt, quo ad libitum omnia protrudant et evehant. Ideoque necessarium fuerit in primis, ut Capitulum Coloniense firmis et efficacibus Sanctitatis Vestræ auxiliis juvetur ac sustentetur, ne animi concidant adversariorumque insolentia ab officio et constantia abducantur; neque enim suis viribus sustinere se tuerique potest, in his rerum turbis præsertim, ubi eversa ereptaque videntur omnia alia, quæ alioqui usui fuissent et consolationi. Certe Sanctitas Vestra est una et sola, in quam istius Ecclesiæ ultima necessitas respicit, adeoque Catholici bonique omnes sua vota dirigunt, et quæ tantis calamitatibus adesse fœliciter potest. Alterum opitulandi modum efficacem in eo statuet Sanctitas Vestra, si non desinat apud Cæsaream Majestatem hortari ac perurgere, quo suam quoque authoritatem cum Sanctitatis Vestræ voluntate constanter serioque conjungat, quibusvis rationibus ac mediis, quæ illuc facere videbuntur, atque ea minime defuerint, si vel ad veteres tuendi Imperii, publicæque ejus pacis formulas respiciatur, vel præsentium periculorum magnitudo consideretur attentius. Ea enim talia equidem sunt, quæ ad

omne genus facinoris viam sternunt. Deinde non parum fuerit præsidii in summa Catholici Regis pietate, ac licet is Belgicis furoribus vicinis, regnique Portugallici negociis vehementer distrahatur et occupetur, poterit tamen, quem Parmensis Dux in vicinia habet, exercitus regius ingentem et Ecclesiæ consolationem adferre et adversariis terrorem, id quod hucusque factum esse nemo non videt, atque hoc magis etiam fiet, si optimus ac pientissimus Rex Sanctitatis Vestræ nutu impellatur. Porro de Gallicis in apostatam studiis, quæ passim prædicantur, ea proculdubio ad Sanctitatem Vestram explicata sunt jampridem. Fama est Truchsessium non parum iis inniti in eoque esse, ut Gallis auxiliatoribus Ecclesiæ Coloniensis oppida quædam tradat; quod sane non poterit non cum summo publicæ pacis et tranquillitatis discrimine conjunctum esse. Unde non intempestivum censuerim, si a Sanctitate Vestra Rex Christianissimus admoneatur, ne suis earum partium potestatem faciat ullam, sed eos potius qui sua temeritate ad ista negotia convolarint, serio statim revocet domique contineat, atque ita sua pax et securitas citius redibit Ecclesiæ isti, etiam præter Gallorum injuriam satis afflictæ. Hæc autem omnia, ut Sanctitas Vestra benignissimo animo accipiat et interpretetur, humilime rogo, apud me sane ex optimo proficiscitur affectu, Vestræ imprimis Sanctitatis paternæ benevolentiæ innixo, ac ejusdem etiam crebris cohortationibus ita excitato, ut mea quoque existimem, quæ in religionis ac Reipublicæ perniciem a longe jam accidere videntur. Me vero commendo et offero semper devotissime. Datum Monachii VI. die Maji anno MDLXXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Filius obsequentissimus
GUILHELMUS D.

IX. — Cum Andreas Cardinalis ab Austria, cui ad Colonienses sententia adversus Truchsessium lata reddenda fuisset, ob insidias, quas ei Protestantium Principes undique extruxerant, iter non sine certo vitæ discrimine posset conficere, adeo ut in Alsatia consistere oportuerit, Vercellensem Episcopum quam maximis itineribus Coloniam contendere Gregorius jussit. Jam eo convenerant Ernestus Bavarus, Germanicus Malaspina, Oranus una cum Minutio de Minutiis, quo hi a secretis utebantur. Vercellensis demum Kal. Maji pluribus, nec vero parvis superatis periculis cum ingenti omnium expectatione et lætitia Coloniam pervenit. Qui per crebra colloquia animis Coloniensium tentatis, sententiam tandem in Truchsessium latam, quam Andreas Cardinalis per eos dies ei reddendam curaverat, omnibus audientibus pronunciavit; simul quæ ad novi Præsulis electionem opus essent, præcepit et comparavit.

En Coloniensium hoc de negotio litteræ. [*] [*] Colonia Vol. I. f. 71.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino Nostro, Domino Gregorio Divina Providentia ejus Nominis Papæ Decimotertio, Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici ter Maximo, Domino Nostro Clementissimo.

« Beatissime Pater, post devota pedum beatorum oscula et humilem nostri recommendationem. Sanctissime Domine, Vestræ Sanctitatis benignissimum paternum animum, solicitudinem et auxilium tum ex literis, nunciisque et Commissariis Sanctitatis Vræ percepimus, tum vero maxime re ipsa experti sumus. Pro qua re Vestræ Sanctitati devotissimas agimus gratias.

« Accepimus etiam ab Illustrissimo et Rmo Domino D. Andrea Cardinale Austriaco debita cum reverentia originalem sententiam privationis Gebhardi Truchsii, quondam Electi Archiepiscopi Coloniensis. Et ne Ecclesia nostra diu in summis, quibus cingitur, periculis Pastore careat, vicesimum tertium diem Maji ad electionem novi Archiepiscopi statuimus. Perque gratiam Dei illum eligemus, qui Deo et Sanctitati Vestræ gratus sit, et qui in spiritualibus et temporalibus commode præesse possit.

« Adversarii nostri plus quam hostiliter sæviunt, Archiepiscopatum undique populantur, subditos infestant, non solum pecora, verum etiam liberos homines in prædam agunt, omnia diripiunt et perdunt.

« Attamen constituimus, juvante Deo, pro defensione Ecclesiæ nostræ et conservatione Catholicæ Religionis omnia pati, etiam sanguinem fundere. Et Vestram Sanctitatem quam humillime petimus, ut cujus auxilium hactenus affatim sensimus, ejusdem paterna benevolentia, cura et ope etiam in posterum sublevemur.

« Nos cum gratiam referre seu ipsa re præstare non possimus, ejus loco Vestræ Sanctitati offerimus summam obedientiam.

« Et Deum Optimum Maximum precamur, ut Sanctitatem Vestram ad salutem Universalis Ecclesiæ diu incolumem conservet. Datum Coloniæ VIII. Maji anno MDLXXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimi filii
DECANUS ET CAPITULUM ECCLESIÆ COLONIENSIS.
Lemgovius.

Stata die mirifice omnium consensu Ernestus Bavarus Archiepiscopus renuntiatur; omnes alii aliis de tam pio, tamque potenti electo Principe gratulabantur. Huic tanto gaudio Comes Solmensis cum Barone a Winenburg, Canonici et ipsi Colonienses, impii Truchsessii sectatores, quique aliquot ante annos Sacramentum Catholicæ Religionis abjecerant, intercedebant. At impavidus Vercellensium Præsul obfirmatam eorum audaciam nihil moratus, eos omnibus exuit juribus, censuris plectit, diem-

que eis dicit, ut se purgent ab hæreseos crimine. [*]

[*] Germania Vol. 51. fol. 299.

« **Joannes Franciscus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Vercellensis et Comes**, atque ad Sacram Cæsaream Majestatem, et universa Germaniæ loca, ad quæ nos declinare contigerit, Nuncius Apostolicus cum potestate Legati de latere, universis et singulis Christi præsertim fidelibus præsentes nostras lecturis aut auditu-ris, salutem in Domino sempiternam. Oneris nobis injuncti ratio postulat, ut in proxime futura Archiepiscopi Coloniensis electione omnia sine contentione, aut scandalo ad Omnipotentis Dei gloriam juxta sacrorum Canonum Constitutiones rite, recteque dirigi curemus, ad quod consequendum diligenter nobis de illorum personis indagandum esse censuimus, quibus in ipsa electione suffragia ferre per sacros Canones liceat. Cum igitur ex multorum litteris, atque sermonibus jampridem graves rumores ad nos sint delati de Hermanno Adolpho Comite Solmensi et Joanne Barone a Winemburg, qui Canonicorum Capitularium personas in hac Ecclesia sustinere consueverunt, quod a Catholica Religione deficientes in apostasiam et hæresim sese præcipites dederint, partesque Gebardi olim Archiepiscopi Coloniensis, nunc autem depositi tutandas susceperint, ac eo nomine in universæ Diœcesis Coloniensis et status, et Religionis exitium conspiraverint; nihilominus operæ precium nos facturos putavimus, si causam certioribus rationibus cognosceremus, propterea testes aliquot omni exceptione majores in religiosarum personarum præsentia examinari, eorumque responsa scriptis referri mandavimus, ex quibus omnibus notorium permanentis facti, quod nulla potest tergiversatione celari vel excusari, et fama et voce ipsa publica satis comprobatum habuimus. Compertum enim est, dictos Comitem et Baronem choro, Ecclesiæ et processionibus a quamplurimis annis (prout ratione officii tenebantur) non interfuisse, a sanctissimis Sacramentis interim se subduxisse, partes dicti Truchsessii tum in Capitulo, tum extra secuturos se temere et perfide jactasse, reque ipsa et aperto Marte secutos esse, dictumque Comitem ad varios Principes Protestantes in Truchsessii tutelam excitandos circumcurasse, et demum quod sane sine ingenti animi dolore proferre non possumus, utrumque ipsorum fidei, juramenti et Ecclesiasticæ professionis immemorem a Catholica Religione prorsus defecisse, atque Lutheri et Calvini respective hæresum damnatas sectas dicto et reipsa ingressos, in id pertinaces, et per consequens ipso facto excommunicatos reperiri. Quapropter Fiscali ad hoc per nos specialiter deputato instante, quamvis id exigentibus gravissimis culpis ipsos Comitem et Baronem, uti putrida membra a Reverendo **Capitulo segregatos, Canonicatibus et Præbendis jam dictis omnique dignitate privatos declarare confestim potuissemus, nihilominus cum illis mitius agere volentes, ejusdem Sanctissimi** Domini Nostri Papæ diplomati inhærentes, quod eidem Capitulo exhibuimus, eosdem Hermannum Adolphum Comitem Solmensem, et Joannem Baronem a Winemburg uti de notoria hæresum labe per quamplures testes inquisitos, maculatos, et reos ab omni voce activa et passiva, et ab Ecclesiæ vel Capituli ingressu suspendendos fore, et esse censuimus, prout illos et eorum quemlibet auctoritate Apostolica, qua fungimur, a quacumque voce activa et passiva, et ab Ecclesiæ vel Capituli ingressu declarando suspendimus; ita ut nullo pacto processu tali contra eos pendente deinceps eligere alios, vel ipsi eligi in Archiepiscopum Coloniensem, vel super aliis quibuscumque causis suffragium in Capitulo ferre valeant aut possint: mandantes propterea eidem Reverendo Capitulo Coloniensi, sub pœna interdicti, et aliis gravioribus pœnis non tam Capitulo ipsi, quam particularibus Canonicorum personis, arbitrio nostro irrogandis, ne dictos Comitem Hermannum et Baronem Joannem in eodem Capitulo de cætero ad aliquam vocem activam, vel passivam, nec ad alium quemcumque actum Capitularem admittant. Et nihilominus illos monemus, ut intra spacium novem dierum, quorum tres pro primo, tres pro secundo, et reliquos pro tertio et peremptorio termino ac monitione Canonica assignamus, coram nobis compareant, et quilibet ipsorum compareat, causam istam si quam habeant allegaturi, quare Canonicatibus, Præbendis, omnibusque aliis Ecclesiasticis beneficiis, ac dignitatibus, quas habent et possident, privati declarari non debeant: decernentes citationem hujusmodi in pleno Capitulo faciendam, et in ædibus Cathedralis affigendam, ob non tutum ad eosdem accessum, de quo nobis satis superque constat perinde valere, ac si personaliter reperti prænominati, et ad prædicta citati ac moniti legitime essent; suspensionem autem supradictam interea ratam esse, et firmam, atque a Capitulo districtissime servari jubemus, etiamsi illi a quibuscumque Judicibus, vel Prælatis, consuetudinis cujuscumque etiam immemorabilis aut privilegii prætexto, absolutionem aliquam præmissorum ratione subreptam, vel quovis modo de facto impetratam ostenderent: illam enim si quam concedi vel impetrari contingat, invalidam, mancam, irritam, nullamque omnino, ex nunc pro tunc, et e contra fuisse, et esse decernimus ac declaramus; ut autem præsentes nostræ litteræ ad omnium notitiam deducantur, mandamus, ut earum transumptis Notarii subscriptione, sigilloque nostri impressione

munitis fides indubia in judicio et extra adhibeatur. Datæ Coloniæ Agrippinæ apud Sanctum Cunibertum die Sabbati 28. Maji ad novi Calendarii præscriptum 1583.

X. — Vercellensis de electione pro votis confecta Cæsarem edocuit. Quoniam porro sibi offensioni verteretur, quod tamdiu ab Vienna abesset, gravissimis de causis id factum esse affirmat: in primisque ex eo quod sciolus quidam circulator libellum ediderat, quo Coloniæ Consules et Senatores calumniis incessebat, tyrannosque traducebat, quia liberum Augustanæ Confessionis cultum interdixissent. [*]

[*] Germania Vol. 91. fol. 398.

Augustissime Cæsar.

« Existimaram equidem debere me superioribus diebus ad Sacram Cæsaream Majestatem Vestram de nova Archipræsulis Coloniensis electione aliquid scribere; sed quoniam compertum habui, Nobilem ac Magnificum Dominum Jacobum Curtium ejusdem Majestatis Vestræ consiliarium et commissarium illam de omnibus, quæ hic gesta sunt, diligentissime certiorem fecisse, ego autem ex podagra chiragraque haud leviter laborabam, id officii tunc prætermisi, quod nunc tamen subterfugere, absque negligentis atque inofficiosi hominis nota, me non posse intelligo.

« Siquidem prospere ac fœliciter (quæ Dei gratia singularis fuit) confecto, cujus causa a Cæsareæ Majestatis Vestræ latere discesseram, electionis negocio, ipsa fortasse, aliique prudentes viri mirabuntur, quid ego non statim pro mei officii ratione isthuc me receperim, eoque magis mirarentur, si præterea ex Summi Pontificis nutu ac voluntate, electione peracta, Viennam mihi redeundum fuisse intelligerent. Quamobrem cum moræ hujus consiliique mei rationem Sacræ Majestati Vestræ reddere debeam, eandem quam humillime possum, rogatam velim, ut omnia boni consulere velit, mihique id nunquam ab ullo imponi patiatur, quod, dum ex illius Sanctitatis jussu Nuncii ad Cæsaream Majestatem Vestram Apostolici munere fungi licuerit, alibi uspiam libentius, quam apud ipsam agam, vel conquiescam; siquidem nihil mihi antiquius esse profiteor, uti semel atque iterum Sacræ Majestati Vestræ me dixisse memini, quam ut post Sanctissimi Domini Nostri, cui in primis servio, mandata, illius commodis, voluntati, jussisque inserviam, et quoad ejus fieri potest, obtemperem, modisque omnibus satisfaciam: sed quod aliquantisper Coloniæ moras traherem, duæ potissimum causæ fuerunt, quas ab illius Majestate probatum iri non dubitarim, una quidem necessaria, altera vero et rationi consentanea, et non tam Coloniensibus rebus, quam universi Imperii rationibus valde accommodata. De illa porro, quæ necessitatem conjunctam habuit, aperte satis constat, quod cum nondum ex gravibus pedum manuumque doloribus convaluerim, ad Viennense iter aptus 15. dierum spacio esse vix possem. Altera longe gravior est, quæque una jure potuit mensem integrum me Coloniæ detinere; cum enim mala omnia, quæ Ecclesiæ huic Coloniensi proxime acciderunt, quæque universam prope Germaniam perdiderunt, at certe in magnam turbationem, maximumque discrimen adduxerunt, ab illo uno fonte prodierint, quod promiscue in Capitulo Coloniensi Canonici essent hæresi infecti simul cum Catholicis permixti, nullaque hactenus in his recipiendis cautio adhibita esset, operæ pretium me facturum putavi, si postquam Rm̃us Electus in posterum cavit pie ac diligenter admodum, ne quispiam deinceps in Capitulum admittatur, qui Catholicæ fidei professionem ad Pontificiæ constitutionis præscriptum non ediderit; ego etiam, quotquot hæresis labe jam infecti reperiuntur, tam Canonicatus, quam dignitates obtinentes, in quos cum genere illustres sint, non facile quispiam alius post discessum hinc meum animadvertere auderet, omnes non modo e Capitulo Cleroque ejicerem, verum etiam beneficiis et dignitatibus Ecclesiasticis exuerem, immo privatos jam esse declararem, et ita Coloniensis Clerus pestilenti hac lue omnino liberaretur, ut hoc etiam exemplo adducti Consules et Senatus Colonienses, alios quoque hæreticos omnes ab hac civitate discedere quamprimum juberent, quemadmodum etiam se facturos receperunt, et non solum mihi, sed etiam Electo ipsi polliciti sunt.

« Est vero aliud de quo Cæsaream Majestatem Vestram pro meo in Catholicam Religionem studio, proque mea erga eandem Majestatem Serenissimamque Austriacam familiam observantia commonefaciendam duxi, nempe de Epistola nuper a Georgio Mullero, prædicante Augustano, (quam ille mentito cognomine se Mylium appellat) ad Senatum Coloniensem scripta, typisque Heidelbergæ exensa, atque in vulgus edita; in qua quidem magna cum animi admiratione animadverti, impudentissimum hominem Senatui Coloniensi sævæ tyrannidis notam inurere conatum esse, quod civibus liberam religionem petentibus non assenserit, quia et audacissime minitatum fore, ut quod preces non impetraverint, vi et armis extorqueatur; addita insuper seditiosissima illa Principum et Magistratuum, qui jure hæreditario imperant, ab iis, qui per electionem assumpti sunt, distinctione, qua certe una, si populorum animis accuratius insinuaretur, non modo liberarum Imperii civitatum, sed et Principum omnium Ecclesiasticorum, quodque magis est, etiam Cæsareæ Majestatis Vestræ, quæ profecto in Romanorum Imperatorem electa est, potestas atque authoritas imminui atque adeo convelli funditus posset.

Quod autem omnem audaciæ et impudentiæ modum excedere mihi visum est, illud sane fuit, quod Serenissimum Sacræ Majestatis Vestræ parentem invictissimæ memoriæ Maximilianum, Augustanæ confessionis ministrorum et asseclarum clementissimum patronum et actorem appellare non dubitavit, sibi quidem suæque inauditæ pervicaciæ omnia licere arbitratus. Nunc vero tametsi Majestas Vestra pro sua innata animi magnitudine impurissimi nebulonis dicta impia et contumelias, quasi fortissimus Gigas thorace et clypeo munitus parvulorum sagittas, nihili facere, excelsoque animo despicere merito possit; debet tamen, meo sane judicio, pro sua præstanti pietate atque prudentia Catholicæ religionis causam contra nequissimum homuncionem non negligere, ac præcipue Senatum suum Coloniensem, quem ut illa toties ad avitæ fidei conversationem benevole fortiterque animavit, ita hic, nescio quis, sciolus concionator, aut potius circulator, in contrarias partes rationibus atque argumentis seducere, minisque tanquam gloriosus miles perterrefacere satagit, ac populari seditioni, quantum in ipso est, trucidandum exponere molitur, nec non Augustanos Catholicos, quibus ab hujusmodi monstro timendum est, assidue, ne in summa vitæ et bonorum dreptionis discrimina adducantur, tueri, eorumque patrocinium suscipere ac clementer gerere, idque pro summa sua authoritate serio curare, ut gravibus acrioribusque ad Senatum Augustanum hac de re datis litteris, quin etiam si videbitur, peculiari hanc ob causam illuc commissario allegato, seditiosissimus perditissimusque homo meritas suorum flagitiorum pœnas luat, aut minimum capitali banno ab universa provintia exulare cogatur.

« Hæc ipsa tamen Sacræ Majestati Vestræ non ideo suggesta volui, ut modum illi rationemque in flagitiosissimum hominem agendi præscriberem; verum ut potius animi mei sententiam, ardensque in scelere hoc intollerabili vindicando studium apertius ostenderem. Omnia igitur uti soleo, integerrimo ac prudentissimo Sacræ Cæsareæ Majestatis Vestræ arbitrio subjecta esse quam humillime et testor, et volo, eidem precans ab uno omnium bonorum largitore Deo omnem veræ et amplioris gloriæ cumulum, fœlicitatemque perpetuam. Coloniæ Agrippinæ pridie Idus Junii 1583.

Sacræ Cæsareæ Majestatis Vestræ

Humillimus atque addictissimus servus

JOANNES FRANCISCUS EPISCOPUS VERCELLENSIS

NUNCIUSQUE APOSTOLICUS.

XI. — Gregorius maximum in modum Ernesto de electione gratulatur: in ejus pietate summam se spem habere, fore, ut afflictæ Coloniensium res recreentur, his ad eum litteris affirmat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. XII ep. 6. f. 271.

Venerabili Fratri Ernesto ad Archiepiscopatum Ecclesiæ Coloniensis Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabili fratri salutem et Apostolicam benedictionem. Electio tua ad Ecclesiam Coloniensem, de qua prævaricatus est Truchsius, ut abiret post concupiscentias suas, tantam Nobis voluptatem attulit, quantam debuit afferre studium laudis tuæ, et cura nobilissimæ istius Ecclesiæ tranquillitatis et salutis. Speramus enim fore pietate et prudentia tua, ut quæ integra adhuc sunt, conserventur, quæ depravata, corrigantur, utque omnibus in rebus Dei gloriæ inserviatur tanta cum vigilantia, quantam et res ipsa flagitat, et tuæ literæ pollicentur, et boni omnes expectant: expectant autem summa omnia a viro nobilissimo, in Ecclesiasticis honoribus semper versato, inque ea familia nato, cujus insignis semper extitit fides, prudentia, gloria in Catholica Religione Sanctæque hujus Sedis auctoritate pie sancteque colenda et tuenda. Sperant denique fore tua prudentia, ut Ecclesia ista post tantam tempestatem tutissimo in portu te gubernatore collocata, lætetur tua laude, sua amplitudine, filiorum suorum salute. Præstet hoc immensa Dei bonitas, adsitque semper pietati tuæ sua gratia. Nos nulla in re tibi deerimus. Cætera ex dilecto filio Trivio, cujus fidem perspectam habes, cognosces. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima quinta Junii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Senatui etiam Coloniensi Gregorius gratulatur de Ernesti electione, tum quod gratissima sibi acciderit, tum quod ejusdem zelus et constantia multum valuerit, ut negotium illud perfici posset. Confidit universum Senatum conjunctissimum perpetuo cum Ernesto fore. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. XII ep. 27 f. 283.

Dilectis Filiis Senatui Coloniensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. De venerabili fratre Ernesto Episcopo Leodiensi ad Archiepiscopum Coloniensem Electo merito vobis gratulamur: certe enim scimus, id vobis gratissimum accidisse, vestramque in electionis negocio, inque Dei causa prudentiam, zelum, constantiam singularem extitisse: singularem item erga nostros, Sanctæque hujus Sedis Ministros humanitatem atque observantiam. Neque vero aliud expectandum erat a vestra pietate et devotione. Conservabimus perpetuo virtutis meritorumque vestrorum memoriam omni cum charitate. Quod vos hortemur, ut cum Electo consiliis ac voluntate quam conjunctissimi sitis, omnique studio et vigilantia in Christi causam incumbatis, nihil est: scimus enim, id vos facere vestra sponte, præclareque intelligere, quantopere id vestræ charita-

tis intersit. Cætera ex venerabili fratre Episcopo Vercellensi Nuncio nostro cognoscetis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die nona Julii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Quod autem in ea causa tuenda Fridericum ex Ducibus Saxoniæ Coloniensem Canonicum cæteris præstitisse fama ferret, hæc ad eum Pontifex scribebat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An XII ep. 90. f. 263.

Dilecto Filio Nobili Viro Federico ex Ducibus Saxoniæ Canonico Coloniensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Lætati incredibiliter sumus tua gloria in Christi, nobilissimæque istius Ecclesiæ causa adversus transfugam suscipienda, sustinenda, tuenda. Celebratur literis, fama, Catholicorum sermonibus virtus tua. Quod eximiæ pietati tuæ et zelo stimulos adhibeamus, quodque hortemur, ut quod tanta cum laude et merito suscepisti, pari studio atque animi ardore persequaris, nihil est; quod autem hoc nomine Deo gratias agamus, quodque tibi ab ejus benignitate bona omnia precemur, permultum. Id vero facimus toto pectore. Sic crede, te a Nobis unice diligi, hancque ipsam voluntatem excellenti virtuti et pietati tuæ Nos debere existimare. Cætera ex venerabili fratre Episcopo Vercellensi Nuncio nostro cognosces. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die nona Julii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Truchsessio apostata ejusque fratre bona Ecclesiæ atque ditionis Coloniensis magnam partem adhuc obtinentibus, Pontifex Cæsarem monet, ut Imperii legibus eos plectat, Electoque sit auxilio. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII ep. 34. f. 267.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Incredibilem Nobis voluptatem attulit electio venerabilis fratris Ernesti ad Ecclesiam Coloniensem: sic enim grex Christi ex perfidi Apostatæ faucibus ereptus est, et viro tum sua pietate, tum perpetua majorum suorum laude in Catholica Religione, et hujus Sanctæ atque Apostolicæ Sedis auctoritate syncere sancteque colenda et tuenda commendato commissus. Gratulamur hoc nomine Majestati Tuæ, cujus assidua cura, et per literas perque Nuncios studium atque opera in hoc negocio enituit; hæc enim omnia ex Nunciorum nostrorum literis cognovimus tanta cum voluptate, quantam semper Nobis attulit tua gloria. Restat ut, quoniam Gebardus et frater adhuc res et bona Coloniensis Ecclesiæ occupant, eos Imperiali banno afficias. Judicant omnes hoc magnopere illius Ecclesiæ interesse; inceptumque Electi de recuperatione facilius atque expeditius hoc facto redditum iri. Hortamur et rogamus Majestatem Tuam, quantum possumus, ut hoc facias, hunceque cumulum tuæ gloriæ adjicias. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Julii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

XII. — Truchsessius ad opes suas firmandas, quibus nefaria incepta perficeret, in auxilium perduelles quoque Belgas et Hugonottos Gallicos advocavit. Quare piissimus Bavarorum Dux, Electi Præsulis Coloniensis frater, Pontificem per Cubicularium quemdam exorandum esse duxit, ut in tanta fratris rerum difficultate apud Hispaniarum Regem sua adhiberet officia: itaque orat, ut det mandata Minutio de Minutiis, quem gnavum virum in re Coloniensi perspexerat; cumque is gratia plurimum apud illum Regem valeret, facile posset efficere, ne perditi homines ex provinciis Belgicis Truchsessii partibus sese adjungerent. [*]

[*] Germania Vol. 20. fol. 104.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Benignissime.

« Humilem beatissimorum pedum exosculationem, sinceræque pietatis atque devotionis perpetua officia. Quia non possum, quod in vobis maxime est, ad Sanctitatem Vram de præsentibus Ecclesiæ Coloniensis, fratrisque dilectissimi Ernesti periculis atque difficultatibus ipse exponere, mitto ad eam, qui meo isto munere fungatur, Generosum Consiliarium et Camerarium meum, in primis dilectum ac fidelem, Joannem Baptistam Guidobonum Cavalchinum Baronem in Liechtenberg, et Sarzani Carbonarææque Dominum, virum omni fide dignum. Oro autem a Sanctitate Vestra, quanto maxime possum studio, ut eum et benignissime audiat, et causæ non unius istius Ecclesiæ, non fratris solummodo, sed omnium, sed Reipublicæ ac Religioni imprimis communi, adeoque Sanctitatis Vestræ propriæ totam sese paterna cum liberalitate effundat. Quod quidem expectatissimum suæ beneficentiæ munus, publicum Christiani orbis beneficium erit in omnem posteritatem summa cum gratitudine deprædicandum. Mihi vero, familiæque meæ universæ argumentum id statuetur, quod penes avitam pietatem perpetuam erga Sanctissimam Sedem Apostolicam devotionem ad omnes pro religione Catholica labores, ad pericula omnia excitet ac devinciat penitus. Cum vero maximæ sint et extremæ potius tam Coloniensis Ecclesiæ, quam dilectissimi fratris in Archiepiscopum ejus Electi necessitates, quibus consolandis ac sustinendis cum Vestra Sanctitate, in qua rerum istarum spes summa conquiescit, Serenissimus Dominus cognatus meus Hispaniarum Rex Catholicus, ad-

ducendus quoque est omnino: non occurrit melior aliqua et efficacior conficiendi ejus negocii ratio, quam si mittatur illuc aliquis, qui et rei cognitione et agendi dexteritate valeat. Qualis si vel optari possat, omnibus numeris absolutus idoneusque videtur Secretarius Minutius, qui et præsens vidit, quibus res eæ difficultatibus sint implicatæ, et ad persuadendum Regem Catholicum summam adferet graciam. Unde is a fratre primum compellatur, et jam ejus consilio ac precibus per me similiter rogatus plurimum, munus quidem hoc subire paratus est, si hoc sit cum Sanctitatis Vestræ voluntate ac mandato. At vero tanta ego sum de Sanctitate Vestra spe, quod non dubito, hoc etiam et laboranti isti Ecclesiæ, et universæ Reipublicæ Germanicæ, de qua tuenda conservandaque hic omnino agitur, ab ea tributum iri, ut vel Pontificio nomine, cujus merito est authoritas graciaque summa, in Hispanias adcurrat Minutius, tantisque difficultatibus, quas nemo ipso melius novit, oportuna auxilia impetret. Ideoque Sanctitatem Vestram quam possum devotissimo studio rogo, ut ei, quamprimum ad Urbem redierit, provinciam hanc commendet, perspecta jam ejus virtute, certaque fide ac dexteritate ornandam. Non pœnitebit Sanctitatem Vtam id precibus hisce dedisse, atque hac ratione sua, quæ sperantur hisce malis certissima remedia, efficatiora quoque efficiet, per eum maxime virum, cujus fidei atque virtuti, si quid hucusque in Coloniensibus istis negociis ex voto atque sententia Sanctitatis Vestræ institutum gestumque est, acceptum ferri maxime debet. Reddet autem pro iis omnibus, et hic et in futuro, cujus hic causa agitur, cujusque regnum in his terris, adeoque sanguinis precium, Ecclesia Catholica, commendata est Sanctitati Vtæ. Quæ ut me meosque paterna sua gracia continere fovereque non desinat, ipse quoque precari, mererique non cessabo. Datum Monachii die XXVIII. Augusti anno MDLXXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
GUILHELMUS D.

Hujus precibus Gregorius libentissime se satisfacturum respondit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. XII ep. 61 f. 205

Dilecto Filio Nobili Viro Gulielmo Duci Bavariæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis Nobilitatis Tuæ, quas Nobis reddidit dilectus filius Guidobonus, Consiliarius tuus, cui eas dederas, atque ex accurato illius sermone cognovimus de toto Coloniensium rerum statu. Agimus gratias Deo, quia vult tua fratrisque tui Archiepiscopi merita ex illis difficultatibus ac molestiis crescere, dum omni studio obsistitis, et pugnatis pro Ecclesiæ illius incolumitate, pro Christianæ Reipublicæ dignitate, pro Christi gloria. Speramus, eos, qui convenerunt adversus Dñum et adversus Christum ejus, furoris sui pœnas daturos, eumque exitum brevi consecuturum, quem maxime optamus, quemque in causa æquissima a summa Dei benignitate expectari par est. Nos Archiepiscopo auctoritate atque opera nunquam deerimus; quidquid denique sive per Nos ipsos, sive per alios Catholicos Principes præstare poterimus, id totum ad hanc causam conferemus. Cætera ex Guidobono ipso cognosces. Datum Romæ apud S. Marcum sub etc. die decima septima Septembris MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Interea cum idem Dux animadverteret, fore, ut ad dissidiorum civilium flammam ab Truchsessio excitatam extinguendam, Cæsar conventum Principum tum Catholicorum, tum Protestantium quamprimum indiceret: simul vereretur, ne ex eo Coloniensi Ecclesiæ ac Religioni Catholicæ ob adversariorum vim ac potentiam majus periculum timendum esset, aut certe Protestantium res longe meliori loco essent futuræ, Pontificem consuluit, quid sibi, si et ipse ad conventum vocaretur, agendum esset. [*]

[*] Germania Vol. 29 fol. 107.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino, Dño Gregorio XIII. Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Benignissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Benignissime.

« Humilima obsequentissimi filii studia, pedumque beatissimorum oscula devota. Ad restinguendam Truchsessiani incendii flammam, tuendamque pacem publicam id video apud plerosque, atque ipsam etiam Cæsaream Majestatem consilii enasci, ut componendi negocii cura suscipiatur ab Electoribus et Principibus deputatis utriusque religionis. Quo in tractatu quam tuta sit futura Catholica religio ab iis, qui hæresi atque odio jam diu in eam sunt armati, aut quam condolenter pieque actum iri videatur in Ecclesiam Coloniensem, vi et injuria non solum oppressam miserrime, sed omnium etiam eorum, qui se apostatæ conjunxerunt, prædæ cupiditatique expositam, ipsa facile judicabit Sanctitas Vestra. Ego sane, si aliam sperare licebit eripiendorum armorum rationem, non facile author fuero instituendi talis alicujus tractatus, cum quo non potest non aliquid esse conjunctum, quod gravissime cedat et Religioni et Ecclesiæ Coloniensi. At vero hic vi et armis, non ratione aut æquitate res agitur, et ea quæ opponi possent deberentque, infirma admodum sunt, nec illis adhuc præsidiis necessariis munita: itaque verendum est, rem hanc ad compositionis etiam iniquissimæ conditiones aliquas rejectum iri. In qua magis laborare necesse fuerit

Catholicorum partes, quod auxiliis firmioribus inniti non possunt, adversarii porro et viribus et studiis longe sunt superiores. Quid itaque in tali aliquo casu, ubi præsertim vel apostatæ ad vitam ejus, vel in motuom istorum nefariorum sumptus aliquid concedendum proponatur, consilii amplectendum mihi fuerit, Sanctitatis Vestræ mentem ac sententiam humiliter peto, primo quoque tempore mihi paterne significari. Ita enim futurum video, ot, si iis de rebus conventus aliquis instituatur, cum Electoribus tam Ecclesiasticis quam sæcularibus, Archiduceque Ferdinando, deinde Landgravio Hassiæ, Duceque Wirtembergensi, ego quoque vocer omnino. Atque de hoc significare volui Sanctitati Vestræ, non solum ut ego, quod jam intellectum est, voluntatis suæ ac judicii argumentum prius videam, sed etiam ut ipsa quoque cogitare possit, quid penes rem tanti negocii statuendum ei fuerit. Interim quibus potero modis ac rationibus, laborantem ex sommo periculo dilectissimi fratris causam, quæ religioni ac Reipublicæ communis est, diligentissime tuebor. Sanctitati Vestræ valetudinem ac fœlicitatem omnem exoptans, commendo et offerro me semper devotissime. Datum Monachii die 14. Septembris anno 1583.

Sanctitatis Vestræ

Filius obsequentissimus
Guilielmus D.

Tertio post mense cum res Ecclesiæ Coloniensis summo adhuc in discrimine versarentur apostatæ calliditate, idem Bavariæ Dux per oratorem suom Baruitiom, qui sibi fratrique suo in Coloniensi causa cumulatissime satisfecisset, Gregorium de universo rerum stato accuratius edocendum censuit: ab eoque petiit, ut in Baruitium ornamenti aliquid conferret, quo cæteros etiam bonos per Germaniam viros in causa Catholica toenda faceret alacriores. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 115.

Beatissime in Christo Pater ac Domine, Domine mihi Clementissime.

« Post Sanctitatis Vestræ beatissimorum pedum devotissima oscula, obsequentissimi filii humilia obsequia officiaque omnia deferens, eidem in meotem revoco ea, quæ ad illam superioribus diebus paulo post Baronis Guidoboni ex Urbe reditum scripsi, accidere nimirum Electo Coloniensi atque ipsi mihi imprimis gravem illam molestiam, qua Sanctitatem Vestram petendis auxiliis affecerimus antehac, inque posterum afficiendam esse metuamus. Tametsi igitur non dubitem haud quaquam defuturos, qui debellatum jam esse existiment, eo quod campo excesserit Casimirus: longe tamen aliter se rem habere, magnamque adhuc corarum ac periculorum molem superesse, neque illis difficultatibus omnibus superandis vires meas sine ulteriori Sanctitatis Vestræ subsidio sufficere, ut Sanctitas Vestra exacte edoceri queat, elaborandum mihi modis omnibus existimavi. Qui autem illud præstaret, pro dignitate reique magnitudine maxime omnium mihi idoneus visus est Joannes Baruitius; ut enim ille omnibus fere, quæ Coloniæ et vicinis in locis gesta sunt, interfuit, et partium cuique ne in hunc quidem diem addictus, nihil hactenus cupere videatur, prætterquam quod cum bono publico sit conjunctum, ita candide sincereque respondere de singolis nullo privato affectu impulsus poterit.

« Is itaque a Rño Nontio Vercellensi Colonia discedente ex mediis gliscentis belli flammis, gravissimisque et apertis adversariorum minis, quod unus fere, vel sanctissimis etiam prudentissimisque viris (apostata sub ovili pelle lupinam nequitiam callide contegente) in fraudem impulsis, tragœdiam hanc prævidisse præmonuisseque, et consilia malignantium intervertisse videretor, abductus, a meque exceptos, si quidem rerum Coloniensium curam magno discrimine susceptam nondum omnem deposuisset, profectionem hanc, quam nonnullas ob causas diu detrectaverat, tandem ut susciperet permoveri sese passus est. Ex illo igitur qui nunc rerum status sit, quamque nihil adhuc tutum, quæ hostium potentia, quæ consilia spesque subsidiorum, quibus nostri premantur incommodis, quam pauci sint omnium, qui communi hoic incendio restinguendo manus admoveant, atque id genus alia Sanctitas Vestra ut intelligat, etiam atque etiam humilime oro. Ex quibus facile colliget, omnem fiduciam in sola Sanctitatis Vestræ liberalitate, Ecclesiamque juvandi promptitudine, summoque studio (qood postremis suis literis, ubi ejus usum res flagitare videbitur, benignissime pollicita est) collocatam esse. Baruitium igitur optime de Republica meritum, si paterne liberaliterque exceperit, nostraque postulata exponentem (qua in re fidem illi omnem meo nomine adhiberi rogo) benigne audiet, auxilia porro laboranti Ecclesiæ pro rei ac necessitatis gravitate magnitudineque suppeditabit, magno Baruitium, majore me fratresque pro Ecclesiæ incolumitate in aperto discrimine versantes, maximo vero Ecclesiam beneficio afficiet, sibi quoque ipsi summam apud bonos omnes gloriam, ingentem autem atque infinitam in cœlis mercedem, coronamque immarcescibilem comparabit. Porro si Sanctitas Vestra Baruitium ipsum aliquo liberalitatis suæ inditio ornabit, aliis quoque viris bonis, si quid alicubi hujus generis in Germania obveniret, ad capita sua periculis objicienda, animum addet. Ego vero meaque omnis familia ad Sanctitatis Vestræ, atque adeo Sedis Apostolicæ dignitatem authoritatemque sartam tectam conservandam, quicquid in viribus futurum unquam est, libenter conferemus. Illi autem me Ecclesiæque

dignitatem officiose commendo. Datum in Civitate mea Monachio XVI. Decembris anno 1583.
Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
Gulielmus D.

XIII. Summa hic cum laude commemorandus est Poloniæ Rex; qui plane perspiciens quam Reipublicæ Christianæ interesset Germaniæ regiones esse pacatas, maxime quod perpetui Christiani nominis hostes in omnes erumpendi occasiones imminerent, Principes Protestantes Germaniæ, in primisque Imperii Electores sapientissimis consiliis commonefecit, ut communi patriæ saluti consulerent, ab armis discederent, nequissimi apostatæ partes desererent. Hæc inter cætera ad Augustum Saxoniæ Ducem. [*]

[*] Polonia Vol. 20 fol. 488.

« Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, et Princeps Transilvaniæ, Illmo Principi Domino Augusto Dei gratia Duci Saxoniæ, ac Sacri Romani Imperii Archimarschalco, et Principi Electori, Lantgravio Turingiæ, Marchioni Misniæ et Burgrabio Magdeburgensi etc. affini et amico nostro charissimo, salutem et mutui amoris continuum incrementum.

« Illme Princeps, affinis et amice noster charissime. Quas antehac de negociis, quæ cum Cæsarea Majestate nobis intercedunt, literas ad nos Illustritas Vestra dedit, eæ quod pondus apud nos habuerint, ex superioribus litteris nostris, quibus ad illas ei respondimus, Illustritatem Vram cognovisse, optimeque perspexisse nobis persuademus, eum mutuæ inter Principes Christianos benevolentiæ, tranquillitatisque publicæ tuendæ vel ultro maximo studio teneremur, non parum tamen etiam Illustritatis V. litteris iis, atque erga nos benevolentia, in voluntate ista nostra nos confirmatos. Quamvis enim injuriæ, quæ in nos profectæ viderentur, pro innato omnibus existimationis atque juris sui tuendi studio, non levem sane nobis etiam doloris sensum afferrent: ita tamen perferendas eas judicabamus, ut potiores semper apud nos Reipublicæ Christianæ atque ejus commodorum, quam privatæ controversiæ rationem nos ducere ostenderemus: et postquam tollendæ ejus rationes susceptæ fuissent, cum ad compositionis hujus tractationem animum attulimus, ut plurimum a nobis æquitati publicæque concordiæ omnes, privatim etiam non parum suæ intercessioni tributum Illustritas Vestra intelligeret. Itaque eo jam tractatio ista progressa est, ut cum in parvis quibusdam rebus adhuc hæreat, apud Cæsaream Majestatem plus justitiæ atque æquitatis rationem valituram, quam tam parvi momenti res, confidamus: in quibus ipsis si nos hæremus, non tam ob earum commodum id fit, quam quod cum ad consanguineos etiam nostros pertineant, non nostri modo, sed nostrorum etiam juris, atque aliorum de nobis opinionis rationem nobis habendam intelligamus. Cum autem Illustritas Vestra sui et erga nos animi plurimis aliis rebus, et erga communem Rempublicam Christianam voluntatis iis ipsis etiam litteris maxime illustria documenta nobis dederit, eo facilius et ante adducti fuimus, ut cum moveri quædam in Imperio intelligeremus, quæ ad labefactandum præsentem ejus statum, totiusque adeo Christianitatis gravissimum incommodum pertinere viderentur, pro mutua nostra erga Illustritatem Vestram, ac Sacrum Romanum Imperium voluntate de ejusdem salute ac tranquillitate solicitudinem nostram nostris etiam litteris ei testificaremur: etiam cum graviora fere indies iis de rebus ad nos perferantur, idem eo magis etiam facere non dubitemus, quod cum ad priores eas nullum ab Illustritate Vestra responsum acceperimus, casu aliquo, ut ad eam non pervenerint, fieri potuisse cogitemus.

« Etsi enim in ea, quæ in aliena Republica fiant, curiosius inquirere nec velimus, nec deberemus, cum tamen eo loco in communi hac Republica Christiana Imperii illa sit, ut ipsius potissimum opibus, ac quasi robore quodam contra Barbaros res Christiana stare videatur, fit, ut nonnihil sane ad nos etiam, seu omnes potius Principes ac populos Christianos ipsius salutem atque incolumitatem, qua communem omnium quoque contineri judicamus, pertinere arbitremur: ac ut illa a publica sejungi possit, privatim tamen nostræ erga ejusdem Sacri Imperii Principes benevolentiæ esse statuamus, ut quorum in utranque partem pro mutua hac conjunctione vel prosperis vel adversis rebus non mediocriter afficeremur, ad eorum res in suo statu conservandas, si quid a nobis etiam proficisci posset, non prætermitteremus. Itaque non parum sane animo commoti sumus, postquam proximum Electorem Coloniensem Truchsessium uxore ducta, mutatoque vitæ instituto, Archiepiscopatus tamen et Electoratus ejus possessionem contra publicum jus, et antiquissimas Sacri Imperii leges, decessorum etiam quorundam suorum exempla, nihilominus sibi defendere intelligebamus. Facile enim nobis in mentem veniebat, in hujusmodi imperio, quod ut omnia alia suis legibus ac institutis continetur, qui earundem legum authoritate in ipsius locum sufficeretur, easdemque ac jus publicum armis vindicaret, non defuturum. Quæ ex re quid verendum esset, ut alia civilium dissensionum incommoda prætermittantur, qui Barbaros perpetuos nominis Christiani hostes, in omnes oppugnandi ejus occasiones intentos, huic certe tempori suo, quo eas vires, quibus contra se potissimum uti deberent, in mutuam perniciem in ipsorum pene oculis convertere

Christianos intuerentur, minime defuturos cogitaret, facile provideri poterat. Quare eo magis id nunc metuendum intelligimus, postquam quod ante jam futurum animo prævidebamus, subsequutam Ernesti Bavariæ Ducis electionem, eundemque armis jus suum ac instituta majorum tueri, Cæsaream etiam Majestatem sub pœna duplicis banni mandata jam edidisse audiamus; eo enim loco rem esse videmus, ut nisi ab armis discedatur, alterutrum consequi necesse sit, ut vel Cæsarea Majestas jus authoritatis publicæ non sine ipsius Imperii Majestatis imminutione aliqua remittat, aut si armis id tueri necesse habeat, adjungentibus se ad ejus partes Ecclesiasticis et Catholicæ Religionis Principibus, ad alios Augustanæ confessionis gravissimum civilis belli incendium excitetur. Non arbitramur hic necesse esse, uti omnium aliorum imperiorum, ita istius quoque Sacri Romani Imperii salutem in sola inter Principes concordia ac mutua consensione positam, Illustritati Vestræ ea prudentia Principi pluribus ostendere. Eam autem hac fere ratione maxime retineri judicamus, si in suo omnia statu relinquantur, ac a pristinis legibus et institutis, quæ et Reipublicæ et concordiæ tanquam fundamenta quædam sunt, nulla in re discedatur. Eo loco Illustritas Vestra est, ut cum pro sua persona, quam in Sacro Imperio sustinet, aliis etiam Principibus consilio et authoritate præeat, maximum sane momentum ad pacandos motus hosce, qui ea ex re universæ Christianitati impendere videntur, in universumque ad publicam utilitatem atque tranquillitatem adferre possit. Ita hactenus etiam Illustritatem Vestram omnia summa cum laude ejus administrare, omniaque consilia et actiones suas direxisse eam scimus, ut quantum fieri ejus posset, publica inter Christianos Principes consensio, ac in Sacro Imperio pax atque concordia retineretur: quo minus dubitandum nobis intelligimus, ne non vel omnium huic, hoc maxime necessario Reipublicæ Christianæ tempore, de moderatione atque prudentia ejus expectationi respondeat, vel in hoc tuendæ in Imperio concordiæ, communisque Reipublicæ Christianæ salutis instituto seipsam imitetur: nostrum certe hoc in Rempublicam Christianam studium ab optimo animo profectum, ut in optimam partem accipiat, postulare non debere nobis videmur: cujus eo justiores causas habere non existimabamus, quo furori Barbarorum viciniores, si non prudentius, id quod nobis non ascribimus, e propinquiori certe loco inexplebilem eorum Christiani sanguinis sitim, quæque ab illis Christianitati pericula impendent, providere nos arbitramur. Quod reliquum est, Illustritatem Vestram, cui omnia fausta ac felicia precamur, quam optime valere cupimus. Datum Brestiæ die x. Novembris anno Domini MDLXXXIII. Regni Nostri VIII.

STEPHANUS REX.

XIV. — Ex tot Ecclesiæ Coloniensis incommodis id boni evenit Germaniæ Ecclesiæ, ut eo tempore Coloniæ Apostolicus Nuntius datus fuerit, qui ibi perpetuo maneret. Causas vero, cur id fieri ab Sede Apostolica oportuerit, habeas hic enucleatas ab Germanico Malaspina, qui in dissidiis Coloniensibus componendis una cum Vercellensi Episcopo adlaboraverat, laudemque nec vero mediocrem inde sibi comparaverat. [*] [*] Germania Vol. 86. fol. 84.

« Rationes propter quas multi judicant necessarium esse, ut Sanctissimus Dominus Noster Ministrum aliquem suum Coloniæ, et in tractu Rhenano residentem habeat.

1. Et in primis Catholicæ religionis, quæ acerrime oppugnatur, conservatio id postulare videtur. Sunt enim in primis tres Archiepiscopi Principes Electores Ecclesiastici, et ut non recenseam Proceres, qui aliqua hæreseos labe contaminati sunt, est Episcopus Herbipolensis, Monasteriensis, Leodiensis, præter alios Comites, Barones, Dominos temporales et magna nobilitate præstantes viros, amplissimos Magistratus, partim ecclesiasticos, partim politicos. Proximus est Dux Clivensis cum unico filio futuro hærede, qui visitatione et familiaritate eorum, quos Sua Sanctitas ablegare solet, multum animi, roboris ac consolationis subinde accepisse videtur, et qui hac ratione juvari foverique debet. Taceo vicinum Belgium, Ducatumque Geldriæ maxime vicinum. Hic omnes potentia, divitiis, authoritate, nisi Ecclesiæ matri, Christique in terris Vicario subsint, plurimum possunt obesse, sicut (proh dolor) experientia subinde docet.

2. Deinde, si quis authoritate Sedis Apostolicæ hic perpetuo adsit, is summi Magistratus jurisdictionem et potestatem, ubi adhuc est integra, conservare poterit, aut collapsam restituere, debilitatam confirmare, et ut debita erga Sedem Apostolicam reverentia retineatur, procurare: qui præsens est, ut observare omnia potest et lustrare, ita etiam optima fide nunciare, nec locus erit adversariorum vel fraudulentorum hominum dolis, fraudibus et machinationibus.

3. Constat jam, quot annis hæc Ecclesia Coloniensis verum, constantem Sacerdotem, bonumque Pastorem desideraverit, nec tamen habuerit, et quisquis tandem præerit, is certe Nuntii Apostolici præsentiam, oculos, vultum, consilium et auxilium in tam sublimi amplaque cura necessario requirit.

4. Respublica hæc Coloniensis Archiepiscopo subjecta non est, libera, valde ampla, clavis superioris et inferioris Germaniæ, sanguine tot Martyrum consecrata, tot tantisque conatibus,

tanto tempore in prædam ab adversariis expetita: qua si potiantur, tota Germania gravissimo labefacta casu brevi periclitabitur. Quam si non habeat, spes affulget recuperandi quicquid in hisce partibus Ecclesiæ Romanæ subjectum esse solet; adeo in hanc sanctam urbem, tanquam in matrem, orthodoxæque fidei ac pietatis arcem, omnium defixi sint oculi. Si aliquis hic sedem fixerit, habebit hæc Respublica, ad quem præsentem in omnibus difficultatibus confugiat. Cum enim Archiepiscopo subjecta non sit, solet pro sua reverentia ad Pontificem Summum recurrere: qui si in remotissimis locis consulendus sit, facile Magistratus politicus, ut fit, vel negligit obedientiam, vel sese excusat, et interim summus Magistratus non agnoscitur. In libero populo, liberoque et amplo Senatu facile dissidium excitatur; suscipiuntur, qui Rempublicam administrant, homines infidi, inepti: hæc incommoda sollicitudo, præsentia, admonitio et diligentia Nuncii Apostolici vel propulsare, vel mitigare potest: præsertim si amica cohabitatione, authoritatis sapientiæque opinione, virtutumque omnium exemplo populi animos sibi devinctos obligatosque habeat. In hisce locis, proh dolor, afficitur Sedes Apostolica non raro injuria, contumelia, calumniis, falsissimi ab impudentibus, etiam Christianis, de ea sæpe sparguntur rumores: his et similibus verbo et exemplo occurrere posset, qui locum Pontificis teneret, cujus præsentia et opera hac in parte tanto futura esset utilior, quanto hæc et similia progressum fidei ac pietatis retardant vehementius.

5. Difficiles casus et Summo Pontifici reservati in hisce corruptissimis locis, in medio hæreticorum frequenter contingunt circa beneficia Ecclesiastica, eorumque pluralitatem, nundinationes, simonias, et circa Sacramentorum administrationem atque hæreticorum absolutionem, et id genus alias gravissimas res, in quibus etsi id fieri oporteret, non confugitur ad Sedem Apostolicam. Atque ita jacent Canones ecclesiastici, et miseri homines maximis peccatis obnoxii, et censuris obvoluti atque implicati periclitantur de salute. Quo fit, ut necesse sit aliquem hic Nuncium residere, qui idoneas facultates habeat.

6. Quia Patres Societatis, qui tum in juventute erudienda, tum in omnibus piis operibus utilissimi sunt, cum adhuc Collegium firmiter fundatum non habeant, et solum se ipsos bonorum hominum eleemosinis sustentent, verendum est, ne in Senatu, qui singulo semestri mutatur, aliquando illi cooptentur, qui ab ipsis alieni sunt, et sic aut expellantur aut perturbentur: qui autem Sanctissimi Domini Nostri nomine in his partibus ageret, eos facile tueri posset.

7. Quia post factam electionem de Civitate Coloniensi purganda et de hæreticis expellendis cogitandum erit, quæ res non usque adeo difficilis futura est, si per Suæ Sanctitatis Ministrum diligenter et prudenter curetur; et certum est maximam inde utilitatem ad Dei gloriam et Catholicæ religionis incrementum percipiendam esse.

8. Quia multa possunt contingere in Ecclesiis finitimis Moguntina, Trevirensi et aliis, quæ si prævidereutur, et opportune in Urbem scriberentur, per remedia celeriter adhibita sanari facile possent; si vero diutius occulta maneant, summam perniciem afferant, quod Coloniense exemplum satis docet.

XV. — Ex Truchsessii apostasia, quantum doloris acceperint cæteri Germaniæ Episcopi, quamque metuerint, ne quid dedecoris labisque inde in sese redundaret, patefaciant Herbipolensis Episcopi litteræ. (*)

(*) Germania Vol. 39, fol. 137

Sanctissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Gregorio Decimotertio, Sacrosanctæ Romanæ Catholicæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Dño meo Clementissimo.

« Post debitam obedientiam et sacrorum pedum oscula, humilimamque mei commendationem.

» Beatissime Pater et Domine, Domine Clementissime. Sanctitatis Vræ Breve, in quo me, quid cum Gebhardo Truchses antea Archiepiscopo Coloniensi, nunc autem eo Archiepiscopatu, omnibusque honoribus, gradibus etc. privato, nuper egerit, clementissime certiorem facit, paterneque admonet, quo in loco eum posthac in omnibus rebus habere debeam, his diebus cum debita reverentia humiliime accepi: nec facere potui, quin Truchsessii olim Domini et Amici mei, vel potius Ecclesiæ Coloniensis, gravissimum hunc casum, et a Sanctitatis Vræ obedientia, adeoque a Catholica et Romana Religione detestandam defectionem vehementer indolerem: quantum enim ex hoc præcipiti et impio facto Germaniæ Ecclesiis vulnus inflictum, quamque Sectariis et alioquin seditiosis hominibus immoderati audaciæ spiritus aucti sint, Sanctitati Vestræ notius est, quam ut a me multis exponi possit et debeat. Cæterum cum infaustum hoc scandalum eo loci processerit, ut jam infectum esse nequeat, erunt, ut ego quidem existimo, mei et aliorum Episcoporum in suo pastorali officio adhuc persistentium partes, ut munus commissæ nobis a Sanctitate Vestra solicitudinis, cum Dei adjutorio, vigilantissime obeamus et exequamur, ac omni studio et cura in id incumbamus, quo hoc probrum et dedecus ordini nostro impositum, honestis et inculpatis moribus et actionibus aboleamus, admissamque per id Ecclesiæ ruinam, quibus possumus rationibus, reparemus. Id pro tenuitate mearum virium, Domino adjuvante, bona fide et citra omnem exceptionem me facturum ultro

offero et promitto, quod Sanctitas Vestra certissime de me polliceri et expectare debet, quam ut Deus Optimus Maximus ad multos annos toti Ecclesiæ salvam et incolumem conservare velit, ex animo et obnixe eundem oro. Datum in civitate mea Herbipoli XXII. Junii anno MDLXXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Humilimus et obñtus filius

JULIUS EPISCOPUS WIRCEBURGENSIS.

XVI. — Vercellensis Episcopus in omnem occasionem Catholicæ rei juvandæ apud Germanos intentus, cum plane sentiret, quantæ ad populos Christianos offensionis, quantique ad Germanicas Ecclesias discriminis esset, quosdam hæreseos labe infectos quandoque inter Canonicos reperiri; ne id ita facile accidere posset in posterum, Pontificis nomine Episcopis mandavit, ne quem in Canonicum reciperent, aut cuiquam Ecclesiastica beneficia conferrent, aut animarum curam committerent, nisi antea ad Tridentinum Decretum in verba Catholicæ fidei coram frequenti Capitulo jurassent; simul injungens, hoc de professione fidei decretum capitulariter recipi, et inter Capituli statuta referri. Cujusmodi mandatum concordibus animis Canonici Monasteriensis, admiserunt, summopere eos urgente ad plenam rei executionem administratore hujus Ecclesiæ qui omnia Pontifici renunciavit, postulans etiam ex Capituli voluntate, ut sibi facultas esset, ex junioribus Canonicis aliquos Romam in Collegium Germanicum mittendi, qui Theologicis disciplinis accuratius vacarent, ad suos doctrina paratiores redituri, Ecclesiæque utiliores. [*]

[*] Germania Vol. 89, fol. 153.

Sanctissimo Beatissimoque Patri ac Domino, Domino Gregorio ejus Nominis XIII. S. Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Clementissimo.

« Post debitam more majorum meorum observantiam.

« Sanctiñe Beatissimeque Pater, Dñe Clementissime. Quod Sanctitas Vestra nostræ ac Episcopatus nostri salutis ac incolumitatis subinde paterna sollicitudine recordetur, ac eam ita sedulo ac Apostolice curet, omni obsequio et qua decet reverentia erga Apostolicam Sedem, Vestramque Sanctitatem promereri studemus ac laboramus. Quam Apostolica et vere paterna cura et sollicitudine Sanctitas Vestra Episcopatus nostri profectum, ac emolumentum hactenus promovere intenderit, ab annis jam aliquot intelleximus, nuper vero enituit quam maxime. Reverendissimus enim Dominus Johannes Franciscus Vercellensis Episcopus, in Germaniam cum facultate Legati de latere Nuntius Apostolicus, a Vr̃a Sanctitate ad motus et perturbationes Colonienses componendos ac sedandos ablegatus, ejus rei nobis manifestissima signa edidit, quod Colonia Agrippina quarto Calendas Sextiles anno præsenti literas nobis pergratissimas, Vestræ Sanctitatis mentem ac voluntatem sollicitudinemque quæ continent, destinavit, quas ea, qua decet, reverentia recepimus, ex quibus prudens et salutare vereque paternum Sanctitatis Vestræ affectum atque animum, ad hanc Diœcesin in obedientia Romanæ Sedis, in professione ac agnitione veræ religionis Christianæ retinendam, et in collapsis restaurandam agnovimus, ac manifestissime percepimus. Ex iis enim placere Vestræ Sanctitati intelleximus, neminem in Ecclesiam nostram Episcopalem, omniaque Collegia cætera totius Monasteriensis Diœcesis in posterum recipiendum, neque ad emancipationem et fructuum perceptionem admittendum, nisi prius Catholicæ fidei professionem in forma Sacrosancti Concilii Tridentini, ad præscriptum Pii Quarti Pontificis Maximi, in pleno Capitulo edidisset, ac de verbo ad verbum recitasset, juramentoque confirmasset. Quo autem hæc Sanctitatis Vestræ voluntas non sine fructu esset, sed debito modo ad exequutionem et actum deduceretur, præfatus Episcopus Vercellensis, ex Apostolica commissione, Capitulo Monasteriensi tale de professione fidei Vestræ Sanctitatis decretum capitulariter recipiendum, atque in statutorum libris receptum atque approbatum describendum, a Domino Decano et Capitulo moderno eorumque successoribus perpetuo et inviolabiliter observandum mandavit, atque injunxit. Realis vero ac actualis paritionis commemorati Apostolici mandati, non solum per literas Capituli sigillo corroboratas, sibi, et in ipsius absentia D. Melchiori Hittorpio, S. Cuniberti Coloniensis Decano, fidem fieri sub gravissimis comminationibus præcepit, certo ac præfinito tempore, sed nos insuper requisivit, quo ejusmodi literas nostra cum admonitione paritionis Capitulo præsentari atque intimari curaremus. Quod vero Sanctitatis Vestræ consilium, requisitionem et voluntatem, Legati vero Vestræ Sanctitatis commissionis mandatum ad Dei Omnipotentis gloriam, Catholicæ religionis propagationem et Apostolicæ Sedis reverentiam maxime spectare et summopere facere judicaremus, pro reverentia Sedis Apostolicæ, et Catholicæ fidei propagatione ac confirmatione, a præfato Vercellensi Episcopo Vestræ Sanctitatis nomine requisiti, hoc mandatum Venerabili ac Nobili viro D. Godefrido a Ræsfeldt ac Capitularibus quibusdam præsentavimus, ejusque utilitatem ac commoditatem, exequutionis necessitatem ipsis ponderandam ac diligentissime examinandam esse, significari jussimus. Præfati vero Decanus et Capitulares, summa qua decet reverentia, et obviis (ut dici solet) manibus mandatum illud Apostolicum haud gravate receperunt, et statim in ipso tempore convocato Capi-

tulo Capitulares omnes, qui tempore redditarum literarum præsentes erant, acquiescendum debiteque parendum mandato Apostolico existimarunt, ac unanimi consensu decreverunt, et mandatum salutare hoc Apostolicum ad proximum generale Capitulum, cum id citra absentium approbationem juxta statuta fieri non possit, in ea ad perpetuam rei memoriam ut referatur, sedulo ac diligenter laboravimus, quo modernos Decanum et Capitulum, eorumque successores in modum edicti perpetui constringat atque obliget. Quod ut fiat, et nos diligenter advigilabimus, idque non solum in hac Ecclesia, verum etiam in aliis Collegiatis Ecclesiis. Cum itaque tam promptos ac paratos sese exhibeant Decanus et Capitulum, existimarem eos ante generale Capitulum, quod festo D. Martini celebrabitur, de inobedientia nullo pacto suspectos esse posse, aut etiam ullis comminationibus ad ad id, quod sunt paratissimi, compellendos esse. Adeo enim Decanus et Capitulum hanc ordinationem salutarem existimaront, et ex ea affectionem et animum Vestræ Sanctitatis erga hunc Episcopatum Monasteriensem perspexeruut, ut de novo medio juvandæ Ecclesiæ, religionis Catholicæ promovendæ, ac collapsæ restaurandæ sedulo ac prudenter cogitarint, ac spem sibi non exiguam fecerint id obtinendi, quod a Sanctitate Vestra postulant. Proinde a nobis requisierunt, ut apud Vestram Sanctitatem pro amore patriæ et affectu, quo ferimur erga hunc Episcopatum, eorum petitionem promovere non gravemur. Existimant enim e re et salute Episcopatus et Capituli Monasteriensis futurum, aliquot juniorum Canonicorum Vestræ Sanctitatis gratia ad Collegium Germanicum admitti per vices, ibidemque educari ac institui. Hoc pacto id demum eventurum arbitrantur, ut hisce locis vicinis Septentrionalibus partibus hæresi corruptis Sedi Apostolicæ paulatim sua dignitas, reverentia et authoritas quasi ex postliminio redeat. Pro ratione enim studii, quod jam in Urbe exercetur, existimant junioribus Canonicis magis consultum fore, quam si in ultramontanana aliqua Galliæ Universitate, juxta statuta Capituli, studia compleant. Hæc gratia si Capitulo a Vestra Sanctitate fieret, ut per vices nonnullos ad Collegium præsentare possent, judicarent huic Episcopatui et Capitulo a Sanctitate V̄ra non exiguum beneficium præstari. Hæc dum Decanus et Capitulum nobis significaverint, ac nostram postularint intercessionem, eam ipsis nullo pacto denegandam esse putavimus. Proinde id quam officiosissime petimus atque exoptamus, V. S. hoc nomine requirentes, ut hac in re Capitulo nostro deesse nolit; sed illis gratiose et illorum obedientiæ et utilitatis petitionis et nostræ intercessionis gratia, quod postulant, elargiatur. Quod si a Sanctitate Vestra obtinuerimus, Capitulum Monasteriense ac nos ipsos Sanctæ Sedi ac sibi in perpetuum devinciet atque obligabit. Ad negotium Conradi Westerboltii quod attinet, existimo perturbationem hanc Coloniensem ejus machinationes atque artes satis detexisse, et quid in perniciem et eversionem Ecclesiæ Catholicæ molitus sit, manifestam in lucem perduxisse, ut hactenus Vestram Sanctitatem monere minime opus fuisse judicaverimus. Ne autem Vestra Sanctitas a nobis hanc causam negligi existimet, petimus pro reverentia Sedis Apostolicæ, qua Vestræ Sanctitati adstricti sumus, ut ejus causæ rationem habeat, in ea id decerni curet ac mandet, quod juri et æquitati consonum, sacrorum Canonum constitutionibus conforme ac par reperiatur. Atque his Sanctitati Vestræ me humillime commendo, quam Deus Optimus Maximus diutissime felicem et florentem ad suam gloriam, et Reipublicæ Christianæ salutem conservare dignetur. Datum ex arce mea Horstmariana Diœcesis Monasteriensis anno MDLXXXIII. V. Septembris.

Vestræ Sanctitatis

Obsequentissimus filius
JOHANNES WILHELMUS ADMINISTRATOR
ET DUX JULIÆ ETC.

Habeas Capituli Monasteriensis decretum de fidei professione præstanda ab iis, qui inter Canonicos cooptandi essent. [*] [*] Germania Vol. 39. fol. 165

In Nomine Domini Amen.

Nos Gosuinus de Ræsfeldt Præpositus, Godefridus de Ræsfeldt Decanus, Henricus Drost Scholasticus, Johannes a Velen Thesaurarius, Jodocus Drost Vicedominus, Melchior de Beuren Senior et Cellerarius, Arnoldus a Beuren Subsenior, Bernhardus a Smisinck Bursarius, Adolphus de Ræsfeldt, Herbordus de Beer, Wilhelmus Schenckinck, Lucas Nagel, Winnemarus ab Aschebroick Cantor, Bitterus de Ræsfeldt, Wilhelmus ab Elvervelt, Matthias Nagel, Georgius Nagell, Christhophorus ab Elvervelt, Diderichus a Merveldt, Bernhardus ab Oer, Henricus de Beueren, Bernhardus a Westerholt, Rutgerus ab Asbeck, Alexander a Velen, Henricus a Ræsfeldt, Johannes Reppell, Johannes a Westherholt, Nicolaus a Zersenn et Johannes Asbeck Torek Canonici Cathedrales Ecclesiæ Monasteriensis, in generali Capitulo altera Martini anni infrascripti capitulariter convocati et congregati, ad Capitulum dictæ nostræ Cathedralis Ecclesiæ inter nos facientes ac repræsentantes, notum facimus tenore præsentis ordinationis sive statuti, Reverendissimum ac Illustrissimum Principem ac Dominum, Dominum JohannemWilhelmum, Ecclesiæ nostræ Postulatum et Administratorem, Juliæ, Cliviorum et Montensium Ducem etc. jam pridem nobis literas similiter Reverendissimi in Christo Patris ac Domini, Domini Johannis Francisci

Episcopi Vercellensis, Nuotiique Apostolici, cum seria admonitione at adhortatione paritionis, eo quod consilium salutare ac vere paternum, conservandæ nimirum Religionis Catholicæ contioerent, adjunctis similiter aliis ejusdem fere argumenti ad suam Celsitudinem datis, præsentasse atque intimasse tenore subsequentis.

« Reverendi ac Nobiles Amici in Dño Charissimi etc.

« Quibus quidem literis a nobis pro ea, qua decebat, reverentia receptis ac capitulariter perlectis, Apostolicæ Sedis affectum atque animum ad hanc Diœcesim, io professione ac agnitione veræ Religionis Christianæ retinendam agnovimus ac manifestissime perspeximus. Proiode ot bojusmodi præinsertum Apostolicæ Sedis consilium non sine fructo esset, pensata interim Ecclesiæ et Diœcesis prædictæ communi utilitate, ac alias diligenter exequotionis necessitate ac commoditate ponderata, ad realem ac actualem exeqootionem ejusdem procedendum esse duximus. Unde unanimi voto et suffragio ad perpetuam rei memoriam hoc præsenti statuto in formam edicti perpetui valitoro, vocatis vocandis capitulariter ordinavimus, statuimus, ac religiose inviolabiliterque observaodom conclusimus, præsentium per tenorem, ut de cætero ac post hæc nullus Canonicorum, qualicunque præfulgeat dignitate, etiam Sedis Apostolicæ vel Ordinarii authoritate promotus, ad emancipationem locumve capitularem io prædicta Ecclesia nostra quomodolibet admittatur, nisi prius Catholicæ fidei professionem ad præscriptum Sacrosancti Concilii Tridentini, et Pii IIII. Pontificis Maximi capitulariter edidisset et juramento confirmasset.

« Ne vero ob illius Pontificiæ constitutionis defectum tam salotari, tamque necessario de profitenda fide Decreto mora fortassis objiceretur, statuimus, ordinaaous, volumus et mandamus, ut ejusdem constitutionis exemplum hic adjiciatur, atque in Capitularium statutorum libro perpetuo, uti præmittitor, observandum describator, hojusmodi sub tenore.

«Ego N. N. firma fide credo et profiteor etc.

Insuper volumus, ordinamus et statuimus, ot similiter nullus Vicariorum, cujuscunque generis, status vel conditionis, in posterum ad professionem Vicariæ in prædicta Ecclesia nostra quomodolibet admittatur, nisi prius ad formulam suprascriptam tempore petendæ possessionis per se, vel per suum legitimum procuratorem fidei Catholicæ professionem præstet, seque eandem religiose observare velle tempore residentiæ vel ad chorum admissionis, quatenus per procuratorem pridem eandem præstitisset, in persona propria repetat ac juramento confirmet.

« In quorum omnium et singulorum præmissorum fidem et firmius robur, et ut præinsertom de profitenda fide salutare statutum et decretum perpetuis futuris temporibus inviolabiliter et inconcusse observetur, statutum præsens, uti præmittitur, et præscriptam fidei formulam in Capitularium statutorum oostrorum librum describi jussimus, sigillorum minori dicti Capituli nostri corroborari ac communiri, manuque nostri Secretarii subscribi mandavimus. Actum et conclusum in domo nostra Capitulari, sub anno Domini MDLXXXIII. postridie Martini Episcopi, qui fuit XII. mensis Novembris.

XVII. — Hoc decretum Canonici ad Pontificem cum litteris miserunt, io quibus denuo supplicant Pontifici de nonnullis Canonicis in Collegium Germanicum admittendis: deinde toti in eo sunt, ot cum eo demisse quidem multa conquerantur, quod per triennium factitabant, de sequestro beneficiorum Westerholtii ab Pontifice indicto; rogantque vehementer ot illud tolli jubeat; velitqoe ratas sartas esse collationes tempore sequestri factas, quo Canonici alacrius plebi Christianæ excolendæ vacare, pacemque inter se possint componere. Qood si ab eo impetraverint, summo se beneficio affectos putabunt. [*]

[*] Germania Vol. 99. fol. 162.

Sanctissimo Beatissimoque in Christo Patri ac Domino, Dño Gregorio ejus Nominis Decimotertio Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino Nostro Clementissimo.

« Sanctissime Beatissimeque Pater, Domine Clementissime, humilima obsequia nostra Sanctitati Vestræ cum devotissimo pedum osculo offerimus. Sanctitatem Vestram ex copiis interceptarum literarum, quas pridem aliis sub dato nimirum 15. mensis Octobris introclusimus, jamdudum cognovisse arbitramur, nos ad parendum Rñi et Illñi Domini Dñi Johannis Francisci Vercellensis Episcopi, Nunciique Apostolici literis (quibus ille erectionem Statuti de præstanda fidei professione ad præscriptum Sacrosancti Tridentini Concilii serio mandavit, adeoque gravissimis propositis pœnis nobis nostrisque successoribus perpetuo observandum erexit) non minus paratissimos quam promptissimos fuisse et esse; oeque enim aliter pro ea, qua Sedi Apostolicæ deviocti sumus, obedientia, ponderata maxime negocii utilitate, commoditate et executionis necessitate, facere ous conveniebat. Ut autem S. V. de nostra reali et actuali paritiooe liquidius constare possit, copiam Statuti in proximo generali Capitulo a nobis desuper erecti et promulgati præsentibus adjunximus, eo potissimum consilio, ut Sanctitas Vestra hoc ipsum, quatenus ita videbitur, gratiosissime confirmare dignetur; oeque enim in hoc tam pio decreto et vere paterno consilio quicquam in nobis desiderari patiemur. Qoo enim

magis hisce difficillimis temporibus hæreses et schismata (proh dolor) in Ecclesiam Dei irrepere videmus, eo majorem nostram vigilantiam et industriam requiri non ignoramus. Hinc etiam prædicti Domini Nuncii et Episcopi literis non parum excitati, sed quasi præsenti et commodissima nobis oblata occasione, de novo medio juvandæ Ecclesiæ nostræ cogitavimus, quod quale fuit, Sanctitas Vestra similiter ex iis, quas proxime, dedimus procul dubio probe intellexit: siquidem e re et salute Ecclesiæ nostræ futurum existimavimus, si nobis Sanctitatis Vestræ gratia et beneficio concederetur, ut per vices nonnullos nostrorum juniorum Canonicorum ad Collegium Germanicum istic in Urbe præsentare successive possemus. Quam præsentandi facultatem si a Sanctitate Vestra obtinuerimus, Episcopatui et Capitulo nostro haud exiguum beneficium conferri arbitramur, adeoque ejus occasione Sanctitas Vestra Nobiles hujus Episcopatus, (quorum filii hac ratione promoventur) ac nos ipsos Sanctæ Sedi Apostolicæ ac sibi in perpetuum devinciet et obligabit. Proinde ut Sanctitas Vestra nostris precibus hac in parte gratiosissime et paterne annuere dignetur, iterum obnixe et devote oramus.

«Porro pro relaxatione sequestri Westerholtiani, cujus occasione fere indies novis iisque gravioribus involvimur molestiis, apud S. V. humiliter instare, nostrasque literas iterare, tum sollicitudo tranquillitatis et pacis publicæ, tum etiam quotidianæ protestationes Canonicorum interesse habentium nos impellunt. Etsi enim annis abhinc tribus in omnibus fere literis ad Sanctitatem Vestram directis manifeste satis ostendimus, prætensum illud expraticatum sequestrum statutis et privilegiis Ecclesiæ nostræ quasi ex diametro repugnare, tamen hactenus speratam et ab omnibus bonis expectatam ejusdem revocationem a Sanctitate Vestra impetrare non potuimus, in permaximum tam Ecclesiæ quam Statutorum nostrorum detrimentum. Hoc enim prætenso sequestro stante, quod dolenter referimus, accidit, ut tam Scholasticus per nos unanimiter in vim Statutorum antiquissimorum per Sanctitatis Vestræ prædecessores felicissimæ recordationis confirmatorum Electus, et sine contradictione, accedente nimirum Sanctitatis Vestræ expressa et seria adhortatione, assumptus, quam etiam cæteri Canonici, ista sequestrata officia possidentes, a muneribus ac oneribus ipsis incumbentibus, me interim Decano gravi senio et laboribus confecto, (ita ut omnibus intendere non possim) omnino abstineant, certe non sine gravi tum scandalo plebis, tum detrimento irreparabili hujus Ecclesiæ, quæ sane supina rerum Ecclesiasticarum administratio avitæ religionis et Ecclesiastici status, ejusdemque auctoritatis contemptum tandem paritura est. Ut interim taceamus, quam perniciosissimæ disputationes et dissensiones circa collationes inter Canonicos fraterne reconciliatos subinde oriri possent, si interea dum hæc Sanctitatis Vestræ declaratio et desiderata sequestri revocatio pendet, in turno Canonicorum præbendas per obitum vacare contingeret. Sunt hæ, Beatissime Pater, difficultates, quæ nos non parum angunt; sunt quæ Sanctitatis Vestræ prædecessores piissimæ memoriæ impulerunt, ut Scholasteriæ electionem et aliorum officiorum optationes in hac Ecclesia nostra certis finibus temporum circumscriptas Canonicis in ordine proximioribus perpetuo indulgerent, atque gratiosissime concederent. Unde etiam nos, sæpedicto Westerholtio jam ad S. V. speciale rescriptum privato et ejecto, intra legitimum et præscriptum tempus, non temere, neque injuria alicujus pereiti, sed necessitate tum rei præsentis, tum privilegiorum permoti, ad electionem Scholastici, accedente præsertim Sanctitatis Vestræ seria admonitione de ea maturanda, cæterorumque officiorum optationes, uti prædiximus, progressi sumus. Hinc est, quod alias non mediocriter Sanctitatis Vestræ literis, quibus eadem nobis objicere videtur, quasi nullo jure officia Westerholtii aliis contulissemus, contristati et affecti sumus, vehementer dolentes, Sanctitatem Vestram tam sinistram opinionem de nobis concepisse, et fortassis malevolorum hominum falsis suggestionibus locum dedisse. Proinde ut tandem veritas totius hujus negocii et actus, nostraque innocentia, obedientia et observantia adversus Sedem Apostolicam (de quibus tum alias, tum superioribus annis non exigua argumenta extant) elucesceret, optaremus omnia et singula tam nostra, quam aliorum consilia et acta, tum etiam jura et privilegia dictæ Ecclesiæ nostræ apud agitatum processum fideliter registrata, tandem penitus, prout de jure conveniebat, examinari ac discuti; quod si fieret nihil dubitaremus, quin processus et acta prædicta eam forte molestiam, quam malevolorum falsa de nobis suggestio Sanctitati Vestræ aspersisset, facile iterum abstergerent, nostramque causam justiorem Sanctitati Vestræ ostenderent. Ne itaque hujus diutinæ sequestrationis gratia officia sequestrata negligantur, status Ecclesiæ nostræ, ejusdemque auctoritas collabescat, Christi patrimonium negligentia absumatur, inter Canonicos mutuo reconciliatos novæ nocentiorisque rixæ, contentionis et diffidentiæ materia et occasio suppeditetur, sed potius omnibus istis malis tempestive occurratur, et tandem maximis laboribus restituta concordia conservetur, ubnixe et devote oramus, Sanctitas Vestra creberrimis iisdemque iteratis nostris supplicationibus clementissime locum dare, et tandem literis nostris fidem adhibere, et proinde non solum præ-

dictum sequestrum tollere et revocare, verum etiam paterne mandare dignetur, et Canonici in vim privilegiorum optata et suscepta officia fideliter expediant, oneribusque intuitu eorundem officiorum ipsis incumbentibus satisfaciant: hoc enim pacto præstabit Sanctitas Vestra Ecclesiæ nostræ clemens ac benignum officium, eandemque paterne ab incommodo vindicabit. Deus Opt. Max. ioterim Sanctitatem Vestram quam diutissime incolumem conservare dignetur. Datum sub sigillo nostro ad causas, die 18. mensis Decembris, stylo novo, anno 1583.

Sanctitatis Vestræ

Devoti et obedientes filii
DECANUS ET CAPITULUM ECCLESIÆ
MONASTERIENSIS.

Precibus Caoonicorum adversus Westerholtium Administrator etiam Monasteriensis suffragabatur, adjectis nonnullis de illo vaferrimo homine, deque Truchsessianorum artibus. [*]

[*] Germania Vol 35. fol. 132.

Sanctissimo Beatissimoque Patri ac Dño, Domino Gregorio hujus Nominis XIII. Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Clementissimo.

« Post debitam more majorum meorum observantiam. Sanctissime Beatissimeque Pater, Dñe Clementissime. Ante aliquot septimanas Sanctitati Vfæ literas misimus tenoris præsentis copiæ. Verum cum viæ ut plurimum obsessæ sint, a Truchsessianis militibus illæ interceptæ fuerunt, non sine magna cachinnatione ac comminatione, quod ex iis artes Pontificias (ut hominum illud genus loqui ac stomachari solet) detectas esse clamitarent, jamque certo constare, quid de nobis nostroque Capitulo, ut Pontificiis mancipiis sentiendum, aut expectandum in posterum foret, quod eorum intentioni ac proposito directe adversemur. Sed hæc et ejus generis nugæ nos minime movent, quod Deum Opt. Max. Ecclesiam suam non deserturum confidamus. Quantum vero par est, humano consilio et præsidio laboramus, ne nos oscitantes opprimant et aggrediantur imparatos, non tamen sine damno nostrorum subditorum maximo. Westerholtium fuga salutem tentasse accepimus, sed minime illi successisse nostro nostrorumque commodo; nam eventus expectati exitus, si illi successisset, haud dubie partibus Truchsessianorum sese adjunxisset, oportnoum ratus injuriæ, ut ipse præpostere somniat, in perniciem Ecclesiæ Catholicæ et Episcopatus hujus, quo ejus cogitationes atque actiones omnes diriguntur, vindicandæ occasionem sese esse nactum. Proinde necessitas Ecclesiæ Catholicæ requirit, ut Vestra Sanctitas accuratissime in hanc rem intendat. Quamvis enim omnibus communiter persuasum sit, nullius orbis anguli interiora secreta Curiam Romanam latere posse, multa tamen esse, quæ eam lateant, atque concinno interpretationis colore ab hominibus in Romana Curia versatis, et in eo solum laborantibus, ut aut detrahant aut imponant Curiæ Romanæ, non sine magna jactura authoritatis Sedis Apostolicæ, tegantur, Vfa Sanctitas sibi persuasum habeat. Summo itaque ardore petimus, ut Sanctitas Vestra pro solita illa sollicitudine paterna nos nostraque curare pergat, in nobis filialis obedientia non deerit, qua Ecclesiæ Catholicæ fidem colimus, Sedem Apostolicam observamus ac veneramur, ac apud subditos nostros, quantum in nobis est, promovere studemus ac laboramos. Id tamen si par est, præter ea quæ copia præsenti interceptarum literarum postulavimus, humillime a Vestra Sanctitate requirimus, ot ob multa, quæ Capitolum nostrum Vestræ Sanctitati hactenus copiose satis exposuit, sequestrum dignitatum ac Præbendarum Westerholtii tandem relaxetur. His Sanctitati Vestræ me humillime commendo, quam Deus Opt. Max. diutissime felicem et florentem ad suam gloriam, et Christianæ Reipublicæ salutem conservare dignetur. Datum ex arce nostra Horstmariana Diœcesis Monasteriensis anno MDLXXXIII. XXIII. Octobris.

Vestræ Sanctitatis

Obsequentissimus filius
Johannes Wilhelmus Postulatus et Administrator Ecclesiæ Monasteriensis,
Dux Juliæ, Cliviæ, Montium etc.
JOANNES WILHELMUS ADMINISTRATOR
ET DUX JULIÆ ETC. mpp.

XVIII. — Hic vero cum de Monasteriensi Administratore sermo inciderit, quo patefiat quam multi inter Nobiles earum regionum nuper inductas religiones sequerentur, non erit absque re hæc animadvertere. Bavarorum Dux e re Catholicæ fidei esse censuit, si Pontifex auctor esset, ut Juliacensi Duci, quocum propinquitate generis ipse erat conjunctus, ægritudine animi corporisque affecto, persuaderet, ad nuptias ejus filio comparandas, deposita illius Ecclesiæ administratione, ne eo inopina morte abrepto, Clivensem Provinciam ex Protestantibus Principibus quispiam obtenturus esset. [*]

[*] Germania Vol 29 fol. 110.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Benignissime.

« Humilima obsequentissimi filii studia, pedumque beatissimorum oscula devota. Non ingratum fore censeo Sanctitati Vestræ, neque a pietatis officiique mei rationibus alienum, si apud eam de re, cujus ad Catholicæ religionis ac Reipublicæ Christianæ consolationem atque usum maximum esse videtur momentum, humilime admonuero. Quæ quidem ita sese habet: Illmus Dux Juliacensis cognatus et affinis meus charissimus, quam sit jam diu animi affectione, et qua ætate etiam gravi, non latet Sanctitatem Vestram. Atque hæc exigere mihi videntur in

primis, ut ad filii, quem unicum habet, nuptias animum adjiciat majori aliqua cura, antequam gravior aliquis casus vel ipsum parentem ejuscemodi solicitudini subtrahat, vel Princeps juvenis per diversa Provincialium, hæreticorumque maxime studia evertatur. Hic enim Catholica aliqua conjuge maxime fuerit opus, quæ Principem erga religionem atque pietatem non male affectum confirmet, animetque magis. Et ad talem potius etiam inclinat ipse Princeps, quæ omnino sit Catholica. Itaque ut induceretur pater citius, valde profuturum existimatur, si Sanctitas Vrã, Imperator, Rexque Catholicus communi aliqua legatione per Principem idoneum eu de re agerent serio cum Duce parente, et sic authoritate sua quasdam illius animo infixas difficultates, aut suspiciones potius ex judicii infirmitate quadam inhærentes eximerent. Deinde non abs re quoque fuerit, si Dux pater Sanctitatis Vræ literis excitetur, ut Catholicorum maxime consiliis utatur, tamquam fidorum certorumque magis. Non enim parvus est numerus, inter Nobiles præsertim illius Provinciæ, qui post novam jam religionem abierunt, et cum aliis ad consilia et officia passim consueverunt admitti. Quod si Sanctitas Vestra his rebus conficiendis Principis alicujus Catholici operam utilem esse judicabit, qui non procul distet a Juliacensi, graciaque apud ipsum valeat, fratrem dilectissimum Electum Coloniensem et idoneum esse censeo, cui nuptiarum inprimis negocium commendetur. Is cum amore ac benevolentia utrique et patri et filio est conjunctissimus, atque ob locorum vicinitatem rei huic vacare commode posset. Ego vero Sanctitati Vestræ cogitationes has, quæ pacis et pietatis sunt, mihique cum multis bonis viris ac Reipublicæ amantibus communes, adeoque me ipsum quoque simul reverenter ac humiliter commendo et offero, vitæ longitudinem ac fœlicitatem ipsi ex animo precans. Datum Monachii ipso die SS. Apostolis Simoni et Judæ sacra, anno Christi nati 1583.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
Guilielmus D.

XIX. — Hoc anno Bavariæ Episcopi a Pontifice litteris amantissimis invitati Synodum Monachii habuerunt, quo Jurisdictioni Ecclesiasticæ caveretur. Bavariæ Dux, cui Gregorius eam commendaverat, spondet se Episcopis non defuturum. (¹)

(¹) Germania Vol 19. fol. 87.

Beatissime in Christo Pater ac Dñe mi Benignissime.

« Pedum beatissimorum oscula, devotamque obedientissimi filii oblationem. Ut Episcopi diœcesani per Bavariam convocentur, jam pridem mihi non erat ingratum, certo nimirum sperans illum ex ea re eventum proditurum, qui votis meis respondeat. Et testis mihi Deus est, cujus causam hic pro Ecclesiæ suæ tranquillitate, religionisque Catholicæ summa necessitate promotam cupio, id me mihi expetere unice, quod jure ac tuta cum conscientia tenere possidereque liceat. Nec etiam dubium mihi est de Sanctitatis Vestræ paterna, quam promittit, erga me charitate, hoc eam effecturam benigniter, quo mea familiæque devotio et Ecclesiæ et Religioni cum fructu atque dignitate adesse, commodareque perpetuo possit. Deus Opt. Max. et Sanctitati Vestræ vitam, et negotiis hisce commodos successus benignissime largiatur. Datum Monachii 21. die Februarii novo reformati Calendarii stylo, anno 1583.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
Guilielmus D. B.

Præerat huic Synodo, quæ die quinta Septembris finem habuit, Felicianus Ningarda, ab Gregorio per eos dies de Scalensi ad sedem S. Agathæ Gothorum translatus. Saluberrimæ illic leges de Episcoporum juribus, de lustrandis diœcesibus, de electione Prælatorum, de pœnis in clericos delinquentes statuendis, de beneficiorum collatione, de personis ac bonis clericorum, de causis matrimonialibus conditæ sunt: quas Hundius in publicum edidit, adeoque non est, cur denuo hic proferamus.

XX. — Cum hæreses per Germaniam undique glscerent; Gregorius nihil unquam de studio Religioni Catholicæ cavendi remittens, vix ad se perlatum est, Postulatum Bremensem totum in eo esse, ut Lutheranam hæresim in Ecclesiam Paderbonensem inferret, Cæsarem gravissimis verbis monuit, ut pro virili parte impios illius conatus frangeret. (¹)

(¹) Reg Gregorii XIII An. XII ep. 11 f. 275

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus Ecclesiam Paderbonensem summo in discrimine esse; etenim postulatum Bremensem non obscure et tecte, sed palam ac per vim Lutheranam hæresim semper ab Ecclesia illa superiorum Episcoporum, optimorumque Canonicorum virtute et constantia depulsam inferre conari, Catholicosque ejus Civitatis homines a Christo avocare et perdere, aut certe constantiores impiis hæreticorum tum factis, tum concionibus, quibus nihil acerbius Catholicorum sensibus objici potest, quotidie excruciare, syncerum denique Dei cultum, sacras ceremonias, sanctissimum sacramentum convellere atque exterminare. Accepimus hoc tanto cum dolore, quantum Nobis afferre debuit hominis perversitas Dei gloriam, Catholicam Religionem, Catholicorum

tranquillitatem perturbare, contaminare, evertere, suosque Christo eripere, atque Antichristo adjungere contendentis. Obsistendum omnino est: præsidium autem in te uno constitutum est, si perfidum illum sive per literas, sive per nuncium daterrueris, Capitulumque ejus Ecclesiæ et equestrem Ordinem confirmaris, atque ad retinendam constantissime antiquam et Catholicam fidem incitaris. Perspecta est omnibus eximia pietas tua, certumque habemus, nunquam commissuram esse Majestatem Tuam, ut majori studio videantur hæretici versari in Catholica Religione atque Ecclesia oppugnanda, quam tu summus ejus advocatus in tuenda; percupere autem omnes ubique hæreses extingui, inque eo vires omnes profundere paratum esse, tantum abesse, ut pati possis, eas Catholicorum Ecclesiis occupandis in dies magis ac magis diffundi, et propagari. Itaque hæc scripsimus magis, ot nostro summo studio ac desiderio satisfaceremus, quam ut te cohortandum esse existimaremus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Junii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Canonicis item ejusdem Ecclesiæ suavissime in eos effusus stimulos adhibuit, ut in avita fide retinenda perseverarent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII ep. 13. f. 276.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Paderbonensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Certiores facti sumus, omnibus vos machinis oppugnari a Bremense, illumque apertissime conari Lutheranam isthic hæresim vestra semper pietate et virtuto depolsam inferre, quamqua multos poterit Catholicos Christo eripere, suosque Antichristo adjungere, syncerum denique cultum, sacras ceremonias, sanctissima sacramenta perturbare, contaminare, evertere. Accepimus hæc tanto cum dolore, quantum Nobis afferre debuit importunitas hominis perversissimi, humana ac divina omnia permiscere et perdere violantis. Scripsimus ad Charissimum filium nostrum Rodulphum Romanorom Imperatorem Electum, eumque hortati sumus, ut vobis auxilio sit, pestemque illam deterreat et comprimat. Non dubitamus, illum tanto studio facturum esse, quantum res ipsa flagitat, eximiaque ejus pietas pollicetur; vos etiam obsistite, proque vestra salute et Dei gloria pugnate, vestramque perpetuam gloriam in Catholica Religione colenda, hæreticisque detestandis ac propulsandis retinete. Aderit Deus virtuti vestræ, suæque causæ, cumulabitque vestram pietatem præmiis amplissimis ac sempiternis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quarta Junii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

XXI. — Capitulum Ecclesiæ Lubecensis ex novissimis Imperii legibus (ea tum erat miserrima temporum conditio) Canonicis partim Catholicis, partim Protestaotibus coostabat. Enitendum igitur erat, ne heterodoxi numero, neve auctoritate prævalerent: si enim id fieret, brevi temporis intervallo fides Catholica exinde erat exulatura. Quod secum reputans Gregorius, hujus celeberrimæ Ecclesiæ Præposituram Merodio collegii Germanici de Urbe alumno, juveni pietate atque avitæ fidei retinentissimo, contulit. Hinc est quod ad Cæsarem has litteras misit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII. ep. 4. f. 260.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ ac Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Contulimus Præposituram Ecclesiæ Lubecensis dilecto filio Adriano Merodio, juveni in Collegio nostro Germanico pie sancteque educato. Is literarum nostrarum auctoritate, Tuæ etiam Majestatis ope adjutus, ejus Præpositurae possessionem adeptus est. Verum hæretici, ut accepimus, conantur sectæ suæ hominem intrudere, quantumque possunt, quidquid in Ecclesia illa adhuc reliquum est Catholicæ Religionis evertere. Commendamus hoc negocium Majestati Tuæ. Non dubitamus, te illud tanto studio suscepturum, quanto semper consuevisti Christi causam, atque hujus Sanctæ Sedis auctoritatem tueri. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima quinta Junii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Eadem scripsit Canonicis Lubecensibus. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII ep. 5. f. 270.

Dilectis Filiis Canonicis Catholicis Ecclesiæ Lubecensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus, hæreticos conari suæ sectæ hominem in Præposituram Ecclesiæ vestræ intrudere, quam Nos dilecto filio Adriano Merodio contulimus. Videtis quo spectet illorum impietas, ut et vos ipsos, et quidquid istic reliquum est Catholicæ religionis evertat. Scribimus ad Charissimum in Christo filium nostrum Rodulphum Romanorum Imperatorem Electum. Is nunquam patietur vos opprimi, vos etiam nobile impietati cedere, et vobis ipsis Christique causæ deesse, sed quantum potestis, resistite, neque dubitate vestræ pietati adfutura esse Catholicorum Principum studia. Nos certe quidquid valemus auctoritate atque opera, vobis ad hoc negocium atque ad omnia, quæ ad Dei gloriam atque ad vestram, Ecclesiæque vestræ dignitatem atque amplitudinem pertinebunt, omni cum charitate deferimus. Datum Romæ apud

S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesimaquinta Junii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pont. Nostri anno duodecimo.

XXII. — Ducem Brunsvicensem, cui plurimæ erat molestiæ quod tam multi suæ ditionis homines hæretico Truchsessio studentes, ita obcæcati essent, ut frustra eos conatus fuerit ad Catholicam fidem revocare, Gregorius litteris Christiana sapientia præstantibus solatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII ep. 91. f. 205.

Dilecto Filio Nobili Viro Henrico Duci Brunsvicensi et Luneburgensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Eximia pietas et zelus tuus omni ex parte sese ostendit in tuis literis datis xx. Aprilis. Quod tam duras, tam a Catholica Religione aversas, tam obstinatas repereris istorum hominum voluntates, dolendum magnopere est, mirandum non est; novit enim Satan, fidem esse januam salutis: obsistet igitur quantum poterit, ne eo unde, semel abducti sunt, revertantur, sed potentior est Christus, cui servis, potestque brevissimo temporis momento id efficere, quod hactenus non suscepit; quamobrem nihil est, quod defatigeris, aut desperes. Quod si forte (ut sunt ejus judicia abditissima) permiserit Deus, illos in sua obstinatione perseverare, tu certe pietatis tuæ amplissimum fructum feres, nihilo minorem, quam si id ipsum effecisses, quod tantopere laboras. Gebardum Truchsium, ut ejus insania atque impietas postulabat, Coloniensi Archiepiscopatu a Nobis privatum esse, electumque Ernestum Episcopum Leodiensem, hactenus cognovisse Nobilitatem Tuam existimamus. Quamobrem nihil est, quod impii hoc transfuga sese efferant, dabit pœnas miser, nisi resipuerit, datque hoc tempore, et quidem eo graviores, quo minus intelligit; dum in illo cœno volutatur, dumque a veritatis luce aversus, in densissimis turpissimorum errorum tenebris omni cum ignominia versatur. Vivendum est semper omnibus sancto cum Dei timore, arcendæque sunt cupiditates, quibus infelix ille tam alte dejectus est. Amabimus semper insignem pietatem tuam, et zelum Dei gloriæ, perpetuamque erga hanc Sanctam atque Apostolicam Sedem observantiam, quibus nominibus tibi, conjugique tuæ, tuis omnibus Catholicis a Domino omnem fœlicitatem precamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Julii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Eumdem Ducem deinde Hispaniarum Regi impense commendat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII ep. 18. f. 278.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus literas Henrici Ducis Brunsvicensis. Nihil unquam libentius legimus; quamquam enim sciebamus, illum Catholicum esse, multorumque ejusdem familiæ hominum dissimillimum, tamen incredibiliter lætati sumus ipsius voluntate et conatu. Significabat enim laborare se, ut hæretici ditionis suæ abjecta impietate ad Catholicam Ecclesiam, unde Sathanæ fraude abducti essent, redirent; illos vero excæcatos, Coloniensisque desertoris, transfugæque perfidia elatos recusare, gravissime autem dolere Coloniensis Ecclesiæ statum ac pericula: percupere pro Christi gloria Catholicæque Religionis amplitudine vitam profundere. Voluimus significare M. T., Nos ejus pietatem, et virtutem plurimi facere, gaudereque illum a te diligi. Nec dubitamus, quin omnibus in rebus Majestas Tua magnam ejus virtutis rationem habitura sit. Erit id Nobis gratissimum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima octava Julii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

XXIII. — Eadem de causa Gregorius Comitem Dietrichstenium, virum et generis splendore et pietate in Moravia illustrem, pro ejus in hæreticis ad fidem Catholicam revocandis studio et labore, allatis Sanctorum Patrum sententiis, collaudat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann XI ep. 117 f. 253.

Dilecto Filio Nobili Viro Adamo Diatristano.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Magnam semper Nobis voluptatem attulerunt gravissimorum hominum testimonia de tua excellenti pietate, inque omni virtute præstantia; recentis autem facti tui memoria summa cum bonorum omnium lætitia conjuncta, incredibile est, quanta cum jucunditate nostro in corde versetur. Nihil enim præclarius fieri potest; si rem ipsam spectamus, nihil optabilius, si piorum zelum attendimus, nihil fructuosius, si Dei gloriam, et tum nostram, tum aliorum salutem quærimus, quam si detur opera, ut homines ab impietate avocentur, atque ad Christum convertantur; est enim hoc eximiæ charitatis argumentum. Quis unquam ambiget, inquit Beatus Cyrillus, supremæ dilectionis esse, omni studio atque opera ad cognitionem veritatis et obsequium Dei errantes homines convocare? et Beatus Chrysostomus. Hæc est, inquit, major eleemosyna, quam decem millium alintorum, quam hic mundus universus, quantus undique patet oculis, si quidem homo est universo mundo preciosior, hujus enim causa et cœlum, et terra, et mare condita sunt, et sol, et stellæ, qui dederit pauperi, famem solvit, qui judaizantem correxerit, impietatem extinxit, ille corpus liberavit ab angustia, hic animam eripuit a gehenna. Hoc vero fecisse Nobilitatem Tuam, tam perdita in pro-

vincia saluti fuisse, eque pestilentissimorum errorum certissimo naufragio ereptos in tutissimum Catholicæ Ecclesiæ portum collocari curasse; majus quiddam est, quam ut verbis explicari possit. Lætamur igitur et Christi gloria, et illorum salute, et isto tuo tam præstanti bono, rogamusque per eundem ipsum Christum, cujus causa agitur, ut nullam opportunitatem omittas, quam plurimos poteris e Sathanæ faucibus eripiendi, majoraque in dies promerendi ab immensa Dei bonitate, a qua etiam precamur Nobilitati Tuæ omnem fœlicitatem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die ultima Aprilis, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno undecimo.

XXIV. — Carthusianorum in Moravia Generalem Priorem excitat, ut Seminarium a quodam ejusdem ordinis Priore Olomucii institutum, eoque mortuo sublatum, restitui curet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep. 181. f. 236.

Dilecto Filio Priori Generali Ordinis Carthusiani.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus Seminarium a quodam tui ordinis Priore Olomucii constitutum, eo mortuo sublatum esse, quendam autem Visitatorem eo missum rem neglexisse. Doluimus tam laudatum, tamque necessarium opus interiisse; atque una cæteris Monasteriis optimi exempli imitandi facultatem ademptam esse. Facies igitur omnino, ut alium Visitatorem eo quam primum mittas, virum scilicet Dei timore et zelo præditum, duos item alios Monachos pari voluntate et virtute, perque eos Seminarium illud restitui cures; pertinet hoc magnopere ad Dei gloriam atque ad munus tuum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIV. Maji MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

XXV. — Auspicatiora tandem tempora Collegio Societatis Jesu Augustæ Vindelicorum condendo illuxerunt. Præclarissimi viri Philippus et Octavianus Fuggeri, vel jam inde ab anno 1572. ipso Pontifice auctore, id curæ in se exceperunt. Tandem hoc anno fundum proprium obtulerunt, quo illud inædificaretur, atque e suo censum assignarunt. Cum vero non ea qua oporteret celeritate, nec pro bonorum hominum expectatione opus procederet, quoniam attributus census sumptibus par non erat, expetiverunt ab Pontifice, ut cum ipse antea pollicitus esset sumptus integros suppeditaturum, nunc aliqua ex parte suppetias ferret. [*]

[*] Germania Vol. 99. fol. 90.

Sanctissime Pater.

« Et literæ privatæ et verba internuntia per Reverendum Nuntium Dominum Octavium Sanctacrucium piæ memoriæ ad nos delata, quibus Sanctitas Vestra pro sua paterna in Ecclesias omnes solicitudine et charitate, ad erigendum in hac inclyta Republica et Civitate amplissima Augustana Societatis Jesu Collegium, paterne nos exhortari et incitare dignata est, tantum effecerunt, ut omnem rationem iniremus, omnemque lapidem, ut dici solet, moveremus, quo illud aliquando effectum videremus, quod non a Vra Sanctitate et nobis ipsis tantum, sed a bonis et prudentibus omnibus tantopere desiderabatur et expetebatur. Tentavimus varias negocii conficiendi vias et modos, ut notum est satis; verum omnes frustra: divinæ namque providentiæ ad publicam ædificationem consultius, et ad tollendam omnem invidiam et malevolentiam, quæ Societatem aliquando gravare poterant, et gravare quoque jam tum cœperant, commodius videbatur, ut tantum illud et tam utile et necessarium opus non in alieno, sed in nostro proprio fundo constitueremus, constitutumque non ex alieno, sed ex nostro proprio et privato censu fundaremus et dotaremus. Itaque præter locum, quem Societati libera et irrevocabili donatione donavimus et assignavimus, amplissimum et saluberrimum, et optime præterea ac commodissime situm, partim pro annuo censu, partim rursum pro fabrica, quam ex fundamentis exstruxerunt plane vastam et elegantem, partim denique pro quotidianis usibus et necessitatibus, quæ in novis Collegiis solent esse variæ et magnæ, ad quinquaginta millia florenorum insumpsimus, neque insumere adhuc cessamus, idque non absque aliquo rerum nostrarum incommodo et jactura, (si tamen illud jactura recte appellari potest, quod propter Christum in pias causas impenditur, et non potius certus quæstus) et cum tantis sumptibus et impensis, quæ fecimus et subinde adhuc facimus, necdum eo pervenimus, quo tendebamus. Nam etsi domus Collegialis sit jam absoluta et inhabitare cœpta, et scholæ itidem hoc primo et rudi initio necessariæ (nam alias tertia pars et eo amplius adhuc deest); attamen templum anno hoc labente inchoatum et aliquo etiam tenus perductum, propter rei pecuniariæ inopiam lente admodum procedit, et ut maxime rudi opere usque ad tectum provectum esset; attamen propter structuræ varietatem et elegantiam magnis adhuc opus est pecuniarum præsidiis et sumptibus, ut omnibus suis numeris et partibus interius exteriusque absolvatur, sacraque suppellectile et necessariis ornamentis instruatur. Interim boni et religiosi Patres non absque suo et populi Catholici incommodo, et non vulgari quoque spiritualis fructus detrimento pro templo utuntur angusto quodam loco, pro infima schola deputato, in quo neque concionari, neque doctrinam Christianam tradere commode queant, sed tantum celebrare et confessiones excipere: cui incommodo facili negotio

obviam iretur, si tantum in aere haberent, ut anno hoc proximo totam templi fabricam absolvere possent. Meminimus Sanctitatem Vestram larga quandoque praesidia Collegio hic erecto, vel erigendo pollicitatam esse; imo vero totum suis impensis alere voluisse: animadvertens enim, quod de Monasterio S. Crucis tentatum erat, non procedere, neque rem illam citra maximam invidiam et turbam ad finem perduci posse, serio hortata est Societatis Patres, ut in hac Civitate commodam aliquam domum conducerent, ibidemque scholas aperirent, sese facturam sumptus non modo pro domo illa conducta, verum etiam pro Praeceptoribus et reliquis Sociis in ea commorantibus. Jam singulari Dei beneficio admirabilique ejusdem providentia ista alienae domus conductione, iisque sumptibus et impensis pro Praeceptoribus et aliis necessariis ministris non est opus, sed pio tantum et liberali subsidio, ut absolvant templum, sine quo usitata in Societate munia et exercitia obire commode non queunt. Humiliter proinde Sanctitatem Vestram propter Deum et bonum publicum rogatam cupimus, ut ineat commodam aliquam viam et rationem, ut opus illud tempestive absolvatur. Non ignoramus Sanctitatem Vestram plurimum gravari, plurimosque ad pias causas sumptus quotidie facere, ut de aliis interim ordinariis et extraordinariis nihil dicamus (siquidem quotquot egent, ad Sanctam Sedem, maxime vero ad Sanctitatem Vestram, quam ex multis illustribus exemplis liberalissimam esse intelligunt, tanquam ad piam matrem praesidii causa occurrunt, omnemque, si de egestate certo constiterit, ejusdem charitatem et liberalitatem sentiunt): verum cum hoc quoque opus sit pium, et ad Dei gloriam et fidei Catholicae promotionem peculiari quadam ratione pertineat, speramus Sanctitatem Vestram illud ea in re facturam, quod rei utilitas postulat, et necessitas quodammodo efflagitat, et ardens illud promovendae religionis Sanctitatis Vestrae studium efficaciter suadet, et promissio tandem aliquando facta fortiter sperare nos jubet. Pastor aeternus Christus Deus et Dominus noster Sanctitatem Vestram in multos adhuc annos tueatur incolumem, cujus pedes humiliter deosculamur. Datum Augustae Vindelicorum Nonas Januarii Anno 1583.

Sanctitatis Vestrae

Humiles servi
Philippus Eduardus Fuggerus.
Octavianus Fuggerus.

XXVI. — Abbatis Fuldensis causa adhuc in comitiis Imperialibus agebatur, nihil tamen conficiebatur, contendente Herbipolensi Episcopo, se non aliter cum eo conventurum, nisi ipse in regenda Fuldensi ditione ei socius daretur. Quamobrem afflictissimus hic vir, qui septem jam annos ab sua ditione exulabat, ad Pontificem confugit, ut suam causam Caesari quam commendatissimam velit habere. [*]

[*] Germania Vol. 25 fol. 44.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Gregorio Papae XIII. Domino suo Clementissimo.

Post sanctorum pedum oscula et humillimam mei meorumque commendationem.

« Beatissime Pater, in causa afflictissimae ditionis meae, quam Sanctitas Vestra ut clementissime, sic justissime suam omni tempore judicavit, post comitia Augustana ex voluntate Caesaris huc usque expectavi, num Episcopus Herbipolensis a Sacra Majestate per literas interrogatus fateri vellet, quae praesens Sanctitatis Vestrae Legato Cardinali Madrucio de animo suo in me, deque modo meae restitutionis explicarat, ut vel sic gradu facto, cum aliae omnes justae viae mihi impediantur, ad tractatum ulteriorem et diuturnae controversiae finem aliquem perveniretur. Ut omnia Episcopus fateretur non sperabam, ut nihil non metuebam, cum id neque Episcopum deceat, neque Apostolici Legati, et quidem talis Legati dignitas pateretur, maxime quod a suis, quos in aula Caesaris faventes habet, scire posset, non modo me cum ipsius sermonem Caesari explicasse, sed Illustrissimum Legatum ipsummet scriptum illud narrationis meae Sacrae Majestati obtulisse, suisque verbis idem confirmasse, adeoque quod Illustrissimus Legatus eandem rem scripserit ad Reverendum Vercellensem Episcopum, Sanctitatis Vestrae Apostolicum Nuntium, quodque Reverendissimus Nuntius id Legati scriptum Caesari exhibuerit, ut hinc nulla ei negandi via esset relicta, nisi aperte quasi Illustrissimum Legatum falsi arguere vellet.

« Dum haec ego cogito atque exspecto, ut Episcopus pro ingenii sui dexteritate rimam aliquam inveniat, dicatque, non omnia plene Caesari narrata, se enim quaesivisse praecipue, ut ad unum aut alterum annum mihi in gubernatione ipse conjungatur, sicque reliquis ab eo non negatis, de hac ejus satis intolerabili postulatione a Sanctitate Vestra et clementissimo Caesare inter nos agatur: ecce mittit superioribus diebus suas pius Imperator ad me literas, et iis inclusam Episcopi resolutionem ejus substantiae, quod cum Cardinale Legato aliud nihil locutus sit, quam rationibus ostenderit, se meam restitutionem admittere non posse; de reliquo quod me impedire nolit, maxime vero quod non adversetur, si restitutio fieret cum adjuncto Caesareo Commissario etc. verbum se nullum fecisse, nec scire modum aliquem componendi hoc negotium, quam vel praeclarus ille per vim exturtus contractus a me ut servetur, sibi ut Fuldensis ditio tradatur, vel juris actionem compellar a Caesare instituere. Et quidem hoc effecit, ut in literis suis Caesar, nisi alterum horum faciam, com-

minetur, in contumaciam se contra me processurum.

« Cum igitur, Beatissime Pater, præter meum apertum imminens periculum, hac negatione Episcopi etiam existimatio Illustrissimi Apostolici Legati lædatur, et injuria fiat Sacræ Apostolicæ Sedi, humillime Sanctitatem Vestram rogo, ut via magis opportuna, aut si alia desit, utique per efficacia Brevia negotium hoc, omniaque ea verba, quæ de hac re Episcopus cum Sanctitatis Vestræ Legato contulit, Cæsareæ Majestati, duobus Archiepiscopis Electoribus Moguntino et Treverensi, ac Bavariæ Duci diligenter explicentur, neque permittatur Episcopus cum tanto contemptu Sedis Apostolicæ conditionem quidem intolerabilem (ut scilicet ipse in gubernatione mihi adjungatur) proposuisse, ab eadem tamen postea resilire tamquam fastidiens, et aperte quasi Apostolicum Legatum falsi arguere. Sed cum quod mihi multis nominibus præjudiciale est, ut in tam aperta, tamque justa causa, ad ejus honorem salvandum, ego acceptem restitutionem non plenam, sed cum adjuncto Commissario, idque ipse tandem pro summa gratia, ut quidem post septennale meum exilium videri vult, in gratiam Apostolicæ Sedis se non impugnare declaret, sicque de hoc inter nos conveniat, de altero quod intolerandum petit, ut ipse is Commissarius sit, a Sanctitate Vestra et pio Cæsare inter ipsum et me agatur, et quid faciendum constituatur. Res enim in manu Episcopi non est, ut retractet, sed cum conditiones proposuerit Apostolico Legato, compositionem Sanctitati Vestræ commisit; neque vero par est, ut omnia omnino, quæ proposuit, consequatur, cum ea non sit natura pacificæ compositionis.

« Quem laborem inter reliquos gravissimos a Sanctitate Vestra susceptum, et ad pacem multarumque animarum indubiam salutem pertinentem, divina bonitas Sanctitati Vestræ hic et in futura beatitudine, sine dubio abunde retribuet, quod ab Omnipotente Deo assiduis precibus rogare non desino, qui Sanctitatem Vram ad universalis Ecclesiæ evidentem utilitatem, et meam consolationem incolumem conservare dignetur. Datum Bieberstein 26. Jannarii Anno 1583.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimus filius et Sacellanus

BALTHASAR ABBAS FULDENSIS m. pp.

XXVII. — Gregorius commotus Fuldensis Abbatis justissimis querimoniis, eidem scribit se nunquam cessare ab ejus restitutione tractanda cum Cæsare atque Archiepiscopis Electoribus Coloniensi, Moguntino, et Trevirensi; cæterum jubet eum bene sperare. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep. 186. f. 236.

Dilecto Filio Balthassari Abbati Fuldensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Nunquam cessasse Nos de tua restitutione cum Rodulpho Romanorum Imperatore Electo, cum Moguntino, cum Treverense, cum Herbipolensi denique ipso per literas, per Nuncios, per Legatos nostros agere, perspectum tibi esse non dubitamus; misimus enim semper exempla literarum omnium. Dolemus, nihil hactenus perfectum esse. Scribimus nunc quoque ad eos ipsos, quos nominas. Verba vero ipsa et conditiones, quibus Herbipolensem de tua restitutione assensum esse, Legatumque nostrum illius voluntatem Rodulpho exposuisse dicis, idcirco in illis literis ascribere non possumus, quia difficile est aliorum inter se sermonem eisdem verbis referri ab eo, qui ei sermoni minime interfuit; præsertim cum scribas, Herbipolensem non modo verba, sed ipsam quoque rem inficiari. Utinam id obtinere possimus, quod cupimus, ut Abbatia tam indigne tibi erepta restituatur. Sed non defatigabimur, neque tu debes in causa optima atque æquissima desperare. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Martii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

Videas, quam libere, quantoque studio pro suo more Gregorius hac de re, cum oppressis nimirum esset opitulandum, ad Cæsarem scripserit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep. 187. f. 236.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Nulla omnino de re frequentius ad Majestatem Tuam scripsimus, quam de dilecti filii Balthasaris Abbatis Fuldensis restitutione; id enim semper æquissimum esse judicavimus. Nunc autem cum rem confectam jam esse oportuit, accepimus Episcopum Herbipolensem iis conditionibus stare recusare, quas dilectus filius noster Ludovicus Cardinalis Madrucius, cum esset Legatus, ex Episcopi ipsius sententia Majestati Tuæ exposuerat. Dolemus gravissime, virum optimum tam indigne deludi, neque ullum causæ æquissimæ exitum reperiri. Rogamus, ut quoniam res non disceptatione, sed executione indiget, cures, ut Abbas restituatur. Convenit hoc summopere et causæ ipsius æquitati, et tuo perpetuo recti æquique studio. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima tertia Martii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

XXVIII. — Pius Bavarorum Dux totus est in eo, ut apud Pontificem de miserrima Abbatis Fuldensis conditione doleat, simul conqueratur tam justam causam tamdiu iniquissime perduci; mireturque quibus rationibus id fiat: se quidem pro eadem conniti magis non posse, omnem ejusdem exitum ab unius Pontificis auctoritate expectandum esse: atque ad id facto matura-

toque opus esse, ne celeberrima Germaniæ Ecclesia penitus extinguatur, ne optimus vir in certum discrimen adducatur. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 112.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Benignissime.

« Obedientissimi filii bumilitatem, pedumque beatissimorum oscula devota. Abbatis Fuldensis causam quam cordi habeat Sanctitas Vestra, ex eo facile mihi constare debet, quod sæpius eam, ut pro viribus promoveam ac juvem, graviter et paterne eum per literas, tum viva quoque nunciorum suorum voce mihi commendavit. Ego vero eum de justitia ejus minime ignorarem, id cupivi semper, ut ab injuriis, quibus oppressa jacet, vindicaretur, ideoque cum apud Cæsaream Majestatem, tum Rmum Episcopum Herbipolensem in eum finem omnem movi lapidem. Verum quod hucusque promovere efficereque nihil admodum potui, haud facile dixerim, causæque istorum impedimentorum me latent. Ipse tamen procul dubio non tacet, istas suas ærumnas opt. Abbas, et negotium quoque qua parte maxime laboret, loquitur. Unum hic ego apud Sanctitatem Vestram, ut susciperem agendum, notissima afflictissimi Abbatis innocentia, justaque antiquissimæ et meritissimæ Ecclesiæ commiseratione adducor. Accedit enim ad priores afflictiones jam id, quod nisi opem ferat in tempore, extrema proculdubio invehet: tum nimirum recenti Cæsareæ Majestatis decreto jubetur Abbas, in ea re et causa, ubi vis et spoliatio sunt manifesta, jamque confessa et præjudicata, litem tamen instituere novam: futurum alioquin ut causæ isti suæ perpetuum silentium imponatur, unde novis angustiis constrictus Abbas Sanctitatis Vestræ auxilio quam maxime indiget, ne penitus opprimatur. Nam ut Jure contra ipsum experiantur, a quibus hucusque læsus est, si ad sua sit is restitutus, minime formidare debet, qui omni juris et æquitatis præsidio munitus est. At vero ejectus ipse rebusque suis omnibus exutus, ut Juris contentiones ingrediatur, mille periculis expositum esse nemo non videt. Et post omnia alia ejuscemodi litigationum incommoda fieri facile potest, ut immortali disceptatione cum ipsa causa et Abbas et Ecclesia opprimantur, pereantque funditus. Certe qui jam penes tantam voluntatum Judiciorumque æquitatem et conformitatem Cæsaris Maximiliani gloriosissimæ memoriæ, Electorum Principum, Statuumque omnium Sacri Romani Imperii in Comitiis Ratisponensibus anno 1576. pro ipso Abbate unanimiter sentientium, ut restituatur, impetrare tamen hucusque non potuit, maturiores gravis et intricatæ litis eventus sperare minime potest. Atque ita sive agat, sive deserta causa taceat, præsens ipsi discrimen imminet. Igitur quæ una ei in his pressuris superest consolatio, a Sanctitate Vestra humillime petitur, ut nimirum ea patrocinium et defensionem ejus serio suscipiat, atque ad innocentem Abbatem virum optimum, Ecclesiamque illam Germaniæ olim in fide magistram sublevandam, eam efficacem rationem adhibeat, quam eadem a sua summa prudentia facile capiet, et rei præcipitium ac urgens necessitas maxime requirunt. Sive enim longissimæ litis aleam subeat Abbas, seu tacendo juri suo cedat, non extra summum periculum versabitur, dum illinc mortem potius ejus, quam finem ullum causa videre poterit: hinc uno momento in æternos cineres sepelienda conjiciatur. Quamobrem si prius ullum aliud, hoc maxime tempus esse videtur, quod Sanctitatem Vestram in Abbatis tutelam atque præsidium adducat. Quod sane auxilium non minus necessarium quam oportunum a S. V. impetratum iri, certo mihi polliceor, idque ex iis erit, quæ in hanc rem impendisse procul dubio volet Sanctitas Vestra, in cujus gratiam et consolationem magna sæpe præstitit, ad majora quoque parata semper, si usui esse poterant. Me vero pro innocenti bono viro justaque causa solicitum benignissime audiet Sanctitas Vestra, suaque paterna benevolentia continebit, fovebitque amplius. Deus Opt. Max. vitam eidem et fœlicitatem largiatur longissimam. Datum Monachii 28. die Novembris Anno 1583.

Sanctitatis Vestræ

Filius obsequentissimus
GUILIELMUS D. B.

Ipse Abbas Petrum Loppersium, qui Collegio Societatis Jesu Fuldæ præerat, ut coram de suis rebus cum Pontifice colloqueretur, Romam misit. [*]

[*] Germania Vol. 33. fol. 48.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Gregorio Papæ XIII. Domino suo Clementissimo.

Post sacrorum pedum oscula et humillimam mei meorumque obsequiorum oblationem.

« Sanctissime Pater ac Domine Clementissime, cum causa Fuldensis ob diuturnam et iniquam restitutionis meæ protractionem in dies ingravesceret, ego vero post Dei bonitatem spem meam omnem in Sanctitatis Vestræ authoritate repositam haberem, ad eandem Sanctitatem Vestram præsentium latorem venerabilem mihi sincere dilectum patrem Petrum Loppersium, Collegii mei Fuldensis Societatis Jesu Rectorem, qui rem ut ab initio acta est, probe perspectam habet ac coram aspexit, ablegandum existimavi, ut apud Sanctitatem Vestram meas partes susciperet, ageret et tueretur.

« Quare Sanctitatem Vestram demisse et qua decet reverentia oro atque obtestor, ut eundem paterne atque benigne audire, eique in iis, quæ Sanctitati Vestræ meo nomine reverenter proponet, omnem fidem non secus ac mihi ipsi, si præsens essem, attribuere, sua etiam Apostolica

et gravissima authoritate interposita, me et causam meam satis afflictam adjuvare dignetur, prout ipsius rei æquitas, juris ratio, bonorum omnium desiderium atque Apostolicæ Sedis existimatio postulare, et mea in Sanctitatis Vestræ paterna solicitudine collocata fiducia polliceri videtur. Id Deus Optimus Maximus Sanctitati Vestræ et in hac et in æterna vita cumulatim retribuet, et ego assiduis meis pro Sanctitatis Vestræ incolumitate fusis precibus promereri studebo. Datæ Bieberstein 27. Octobris 1583.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimus filius

BALTHASAR ECCLESIÆ FULDENSIS ABBAS.

XXIX. — Receptio novi Calendarii in Germania ob incredibilem Protestantium pervicaciam summis erat difficultatibus obnoxia. Gregorius igitur vehementissime Cæsari instabat, ut in Imperium quam primum eam legem induceret, observarique juberet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI. ep. 121. f. 232.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Antequam perficeretur emendatio Calendarii, multis gravissimisque de causis a Nobis suscepta, communicavimus consilium nostrum Majestati Tuæ, misimusque emendationis formam eam, quam doctissimi viri, quibus id negocium commiseramus, in primis probabant; ut eam scilicet Mathematicis tuis traderes, videresque num quid addi, aut mutari oporteret. Postquam vero cognovimus eam Tuæ quoque Majestati placere, mandavimus perfectam edi. Ea vero tam multis in locis Christianæ Ecclesiæ recepta, diligentissimeque servata, veremur, ne multi mirentur, cur Majestas Tua hactenus non curaverit, ut idem quoque in tuo Imperio fieret. Nihil enim fieri posse videtur absurdius, quam si in dierum ac mensium ratione, inque Sanctissimi Paschæ tempore inter Christianos discrepare videatur. Aequissimum enim est, ut quoniam tantum tribuimus judicio et pietati tuæ, quantum certe debebamus, cures, ne amplius differatur id, quod multo ante factum esse oportuit. Id vero facturum esse te non dubitamus. Nobis certe hoc negocium magnopere cordi est, de quo etiam cum dilecto filio Nobili viro Joanne Federico Madrucio, tuo apud Nos Oratore, locuti sumus. Is etiam super eo scribet ad Majestatem Tuam. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die duodecima Martii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno undecimo.

En alteras Gregorii eadem de re litteras ad Cæsarem. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII. ep. 17. f. 278.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Existimavimus, significandum esse Majestati Tuæ piorum hominum desiderium. Verentur nonnulli, ne Calendarii emendatio tardius multo, quam oporteat, in tuo Imperio recipiatur. Nos vero dubitare non possumus, quin quod facturum te ostendisti, cures emendationem ipsam proponi proximo mense Octobri, eamque diligentissime observari. Voluimus igitur has literas multo ante dare, ut intelligeres, id a Catholicis magnopere expectari. Rogamus, ut id facias tanto studio, quantum et res ipsa, et Catholicarum tam gravi in negocio Ecclesiarum consensionis ratio exposcit. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Julii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

XXX. — Neque vero prætereunda silentio est hæc Cæsaris laus, ut, suadente imprimis et impellente Episcopo Vercellensi, edito diplomate novam Calendarii emendationem Augustæ Vindelicorum, inque aliis Imperii urbibus die 4. Septembris, in Silesia autem die 10. Decembris admitti jusserit. [*]

[*] Apud Lunig Spicileg. Eccles. Contin. T. I. pag. 298. et 300.

Altero decreto, quod vulgo Aulicum nuncupatur, pridie Cal. Septembres interposito, Cæsar jamjam sanciverat, ut Calendarium Gregorianum non solum in suis provinciis hæreditariis, sed etiam in quibusvis aliis Sacri Romani Imperii ditionibus a die decima Octobris observaretur. [*]

[*] Germania Vol. 61. fol. 376.

XXXI. — En demum scriptum, quod hac occasione Episcopus Vercellensis Cæsari exibuerat. [*]

[*] Lettere e memorie del P. Possevino Nunzio Apostolico nel Settentrione Vol. 2. fol. 237.

« Rationes quibus Sacram Cæsaream Majestatem adduci debere existimat Nuncius Apostolicus, ad emendatum Calendarium in usu recipiendum post decimam Februarii proxime sequentis diem, a Sanctissimo Domino Nostro postremo præscriptum; hæ fere sunt breviter exaratæ.

« I. Cum errorem decem circiter dierum admissum jam inde a Concilio Nicæno constaret, curandum erat omnino, ut ejusmodi error tolleretur, omnisque ratio nunc postulat, ut omnes agnitum errorem fugiant, et correctionem rite factam amplectantur.

« II. Nulli vero alii magis convenire poterat hæc emendandi Calendarii cura potestasve, quam Summo ipsi Pontifici, quando hæc Calendarii correctio eo perpetue spectat, ut Resurrectionis Dominicæ dies congruo tempore celebretur; quam unam ob causam primum post Apostolos Concilium Cæsareæ coactum est, deinde etiam Romanum, Gallicanum, Ponticum et

Achaicum habitum, Victore primo Pontifice, anno a Christo nato circiter ducentesimo, ac tandem in Nicæna magna illa Synodo anno circiter 325. hac ipsa de re ita constitutum est, ut nulla deinde ad hæc usque tempora de Paschatis die fuerit in Ecclesia controversia. Accedat quod cum ex Concilio Tridentino Breviarii restituendi cura ad auctoritatem Summi Pontificis relata esset, hæc etiam necessario emendandi Calendarii continebatur, quo divina officia Paschatis die, aliisque mobilibus festis persolvenda certa ratione suisque temporibus congruenter celebrarentur. Neque id fortasse ab re fuerit hoc loco commemorare, quod hanc ipsam anni et Calendarii correctionem non decem dies demendo, sed sexaginta septem intercalando, olim curavit Julius Cæsar anno ante Christi adventum XLV. non tanquam Imperator, sed potius tanquam Pontifex Maximus, quo tunc officio inter Gentiles atque Idolatras fungebatur. Quis igitur inter Christianos dubitare nunc queat, quin ad Summum Pontificem tanquam Ecclesiæ militantis caput, tum vero etiam Tridentini Concilii auctoritate non tam munitum, quam monitum hoc judicium pertineret?

« III. Licet autem sine ulla controversia hoc esset Ecclesiæ Summique Pontificis judicium, tamen illius Sanctitas, antequam deliberaret, rem totam cum omnibus fere Principibus Christianis celebrioribusque Academiis communicavit, qui quidem omnes adhibitis etiam peritorum Mathematicorum consultationibus errorem agnoscentes, omnia libero illius Sanctitatis arbitrio concordes commiserunt. Quod quidem etiam cum fecisset, jampridem Sacra Cæsarea Majestas satis explicite, hoc ipso anno iterum consensum præstitisse videtur, dum peculiari privilegio cavit, ne Calendarium jam emendatum ab nullo alio, quam ab Antonio Lilio, vel facultate ab illo impetrata prælis imprimi, aut divendi uspiam in Imperii aut Suæ Majestatis regnis provinciisve posset. Itaque suspicari non potuit, neque certe debuit Sanctissimus Dñus Noster, difficultatem aliquam hac de re apud ullum ex Principibus, minusque apud Cæsaream illius Majestatem interpositum iri.

« IIII. Considerandum jam hoc Calendarium fuisse in usu receptum ab omnibus Catholicis Regibus et Principibus, uno Imperatore excepto, qui tum cum Imperator Romanus appelletur, et vere sit, quin etiam juramento obstrictus, Romanæ Ecclesiæ jura et dignitatem tueri debeat, illius certe partes esse videbantur, alios potius exemplo suo ad hujus Pontificiæ tam gravis, tamque necessariæ sanctionis observantiam inducere, quam alios sequi atque imitari. Quid vero dicendum, si neque adhuc consentire vellet, curaretve?

« V. Cogitandum quam grave sit futurum, non modo a Sedis Apostolicæ decreto, sed etiam ab universo totius orbis Christiani consensu dissentire, in re tanti momenti, quanti porro est Dominicæ Resurrectionis aliorumque redemptionis nostræ mysteriorum celebratio; quod fortasse timendum erit, ne sit alicujus Imperio Romano impendentis cladis indicium. Quæ quidem ob nonnulla etiam alia argumenta cum instare videatur, debet sane Imperator pro sua prudentia ac pietate Serenissimæ Austriacæ familiæ, regnisque ac provinciis suis ab imminentibus malis sedulo cavere, atque ideo si fortasse in toto Imperio hanc promulgationem fieri difficile putarit, in suis certe regnis ac provinciis, quod sine ulla dubitatione facile potest, id facere omnino debet, aut ut ab Episcopis fiat curare, vel saltem si id satius esse duxerit, connivendo permittere etc.

« VI. Illud præcipue animadvertendum, quod etsi antea Summus Pontifex Principes hortabatur aut monebat, nunc jam præcipit ac mandat, ut in omnibus regnis ac provinciis illud in usu recipiatur atque observetur, verbaque illa singula notari debent, quæ quidem ex communi Doctorum sententia vim habent ad peccati mortalis pœnam, quicumque parere contempserint, obligandi, motu proprio et ex certa scientia, maturaque deliberatione nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine statuimus, præcipimus ac mandamus, ut semotis cunctis excusationibus et impedimentis omnino servent, etc.

« VII. Et postremo non est silentio prætereundum, quod si recte præcipiatur, omnem plane difficultatem ex animis omnium eradicare potest: si quidem hoc anno MDLXXXIII. cum in eumdem ipsum Dominicum diem incidat S. Paschatis celebritas, et consequenter septuagesimam, sexagesimam, quinquagesimam et quadragesimam, nec non Ascensionis et Pentecostes et Corporis Christi festos dies, iisdem prorsus diebus juxta novum, quibus etiam juxta antiquum Calendarium celebraturi simus, quam facillima nunc fiet hæc emendandi Calendarii mutatio, demptis dumtaxat iis decem diebus in numerando, quos tolli jubet Summus Pontifex post decimam Februarii proxime sequentis diem, ut nullum prorsus incommodum sentientibus, aut etiam vix advertentibus populis, omnia statim futura sint ex illius Sanctitatis sententia rite composita atque accommodata. Neque enim ideo nuptiarum tempus contrahendum erit, aut etiam bachanales dies celerius peragendi, vel jejunium quadragesimæ prorogandum, vel nundinarum quadragesimalium dies mutandi, aut ulla alia ratione populis ipsis incommodum aliquod ex eo inferendum, quod quidem sequentibus annis fieri æque non poterit; immo vero anno 1584. sanctus Paschæ dies celebrabitur quatuor hebdomadis integris citius ab omnibus

aliis Christianis, quam ab iis qui Calendarii correctionem non admiserint.

« Quod quidem magnus Imperator Costantinus indecorum et nefas esse judicavit, cujus verba ab Eusebio relata hic adscribere visum est, ut Sacra illius Majestas tamquam verus maximi illius Imperatoris successor pium et Christianum animum ejusdem inducat, et sententiam hac ipsa de re sequatur. Is siquidem cum Synodum Nicænam tot sumptibus, tantaque diligentia, ab omnibus mundi partibus advocatis Episcopis, celebrari curasset, non tantum ut de fide Catholica, sed etiam de celebrando Paschatis die concordia, non ipsius quidem, sed Episcoporum arbitrio iniretur, hæc verba in literis, quas peracta Synodo ad omnes Ecclesias dedit, scripsisse legitur.

« Ex his intelligi potest, nefas esse, ut in tanto et tam solemni Religionis nostræ festo regnet dissensio; unum enim libertatis nostræ diem festum, hoc est Sanctissimæ Passionis Salvator noster nobis tradidit, unamque Ecclesiam Catholicam esse voluit, cujus quidem membra, tametsi in multa et varia loca dispersa sint, tamen uno spiritu, hoc est divina voluntate et nutu coalescunt. Vestræ igitur Sanctitatis prudentia accurate secum consideret, quam grave, immo vero quam indecorum sit, ut iisdem diebus alii jejuniis vacent, alii agitent convivia, et post dies Paschatis, alii in festis et animorum remissione versentur, alii præscriptis jejuniis se dedant. Quapropter istud rectius instituendum est, et ad unam formam ac modum redigendum; hoc enim (sicut omnes vos animadvertere existimo) Divina providentia vult.

« Quæ sane verba ex illius Imperatoris animo vere pio ac Catholico, atque Ecclesiæ authoritatis observantissimo prolata, si Sac. Cæsareæ Majestatis cordi inhæserint, magnam profecto vim habebunt ad hæsitationes objiciendas difficultatesque superandas, atque ad optatam summeque a piis omnibus expetitam deliberationem suscipiendam.

« Nam cum illud unum difficultatem parere videatur, quod Imperator non debet, nisi prius rem cum omnibus Imperii Principibus et Statibus communicata deliberare, alioquin aliis non consentientibus, uti certe non statim consentient omnes, ac præsertim Protestantes, sequetur in Imperio maxima confusio et perturbatio: Respondetur, quod imo erit majus Imperio ratione commerciorum incommodum, si ab universo orbe Christiano totum, quam si ex illo pauci dissentiant, qui quidem paucissimi atque ad modicum tempus futuri sunt. Nam præter omnes Catholicos Principes Episcopos Prælatosque omnes Ecclesiasticos, qui statim sine dubio exemplum Sacræ Majestatis sequentur, facile etiam Protestantes acquiescent, cum suæ Religioni nihil ex eo detrahi viderint. Excusabuntque etiam fortasse Suam Majestatem, quod non potuerit in hujusmodi Summo Pontifici non obedire, et simul tam gravi tamque aperto universi Imperii incommodo non prospicere. Quod si pertinaces fuerint in sua contumacia, mature videat, diligenterque consideret Sacra ipsius Majestas, utrum majus incommodum, quandoquidem de duobus minus est eligendum, futurum sit a paucis Protestantibus, an a Summo Pontifice Christi in terris Vicario, quem Spiritu Sancto duce, in his præsertim, quæ Ecclesiæ Universalis administrationem et dierum festorum cultum, divinorumque officiorum celebrationem spectant, deliberationibus nos equidem non ambigimus, in re tam ardua tamque rationi consentanea, dissidere.

« Quæ sane omnia Nuncius pro suo erga Sacram Cæsaream Majestatem studio atque observantia, ut est illius dignitatis, gloriæ atque existimationis, salutisque studiosissimus, omni animi pietate ac submissione non proponere non potuit Sacræ illius Majestati ejusque Consiliariis, quam maxime potest obnixe rogans præpotentem Deum, ut suo Sanctissimi Spiritus lumine illustrare dignetur illius Majestatis mentem ad ea, quæ nunc et semper ipsius Dei honori, Ecclesiæ sanctæ exaltationi, atque etiam vero solidoque Sacri Romani Imperii incremento conducere possunt, pie matureque deliberanda ac fortiter feliciterque perficienda. »

Habeas etiam responsum Cæsaris, ex quo intelliges, quanto studio, quanto obsequio in Sanctam Sedem ille hoc in negotio se gesserit. [*]

[*] Lettere e Mem. del P. Possevino Nunzio Apostolico nel Settentrione. Vol. 2. f. 78.

« Quæ Sacræ Cæsareæ Majestati, Dño nostro Clementissimo, jam ab aliquo tempore nomine Sanctissimi Domini Summi Pontificis, per Sanctitatis Suæ Nuncium Reverendissimum Dominum Episcopum Vercellensem, tum viva voce, tum diversis scriptis ratione novi Calendarii, tam in ditionibus Sacri Imperii, quam Majestatis suæ regnis et provinciis hæreditariis publicandi ac in usum et effectum deducendi, proposita atque in mentem vocata sunt, Majestas sua benevole cognovit.

« Cæsarea autem Majestas uti in aliis, ita hoc quoque loci filialem suam erga Sanctitatem ejus observantiam, ac ejusdem pio desiderio quavis occasione satisfaciendi, obsequendique voluntatem haud difficulter jam nunc comprobatura esset, nisi habita ulteriori de negotio isto deliberatione rem ejus qualitatis esse animadverteret, ut eamdem, si non aliis Sacri Imperii Principibus, saltem Electoribus communicari plurimum referat. Quod cum Majestas Sua citra omnem moram facere constituit, tum vero Sanctitati Suæ ita omnino persuasum cupit, id nullo a Sanctitate Sua (cujus præclarum ac pium institutum Majestas Sua et agnoscit, et probat) dissentiendi

vel negotium protrahendi studio, sed ea præcipue de causa fieri, ut hoc ipsum Sanctitatis Suæ institutum tanto magis promoveat. Etenim Majestas Sua communicatione ista, ac junctis eidem persuadendi rationibus ad rem maxime idoneis, futurum esse sibi pollicetur, ut si non omnes, saltem major eorum pars in Majestatis Suæ sententiam ituri, adeoque reformati Calendarii publicationi minus difficulter assensuri sint. Cum viceversa eo casu, quo prætereantur, illorum aliquos hujusmodi præteritione offensos, vel inde occasionem arrepturos esse timendum sit, varia impedimenta injicendi.

« Quibus quidem recte consideratis, non dubitat Cæsarea Majestas Sanctitatem Suam, ac ejusdem nomine Reverendissimum Dominum Nuntium moram hanc æquioribus animis accepturos esse. Majestas autem S. habitis dictorum Principum Electorum responsis, se ita resolutura est, ut Sanctitati Suæ ipsique Domino Nuntio satisfactum iri confidat.

« Quod reliquum est Majestas Sua eidem Domino Nuntio Cæsaream Suam benevolentiam propenso animo defert. Viennæ die vigesima mensis Decembris anno Domini 1582.

XXXII. — In Bavaria Dux, re cum Metropolitano Salisburgensi aliisque Episcopis deliberata, novum Calendarium sub initium hujus anni recipi ac teneri jussit. Quare ut se excusaret, cur id ante non fecerit, hæc ad Pontificem scripsit. [*]

[*] Germania Vol. 20. fol. 84.

Beatissime in Christo Pater ac Domine, Domine mihi Benignissime.

« Humilem obedientissimi filii oblationem, pedumque beatissimorum oscula devotissima. Literas Sanctitatis Vestræ decima tertia Octobris proxime præteriti ad me datas, qua debui, reverentia accepi; iisque siquidem de Calendario emendato acceptando, usuique ad præfixum a Sanctitate Vestra terminum, post decimam nimirum Februarii jamjam affuturi diem, accommodando solum agebant, nulla interposita mora feci satis. Egi enim cum Metropolitano Salisburgensi, aliisque nonnullorum in meis provinciis locorum Ordinariis hac de re diligenter, a quibus omnibus fere ejusmodi responsa accepi, ut nihil propemodum jam videatur superesse, quod Calendarii illius promulgationem observationemque, quo se usque ditionis meæ fines extendunt, impedire aut suspendere quoquo modo possit. Ut autem mandata, quæ ad illud mense Octobri jampridem elapso apud meos subditos observandum emissa meis jussibus, promulgataque jam fuerant, tunc temporis revocari curarem, cum aliis gravissimis, tum hac potissimum de causa factum est, quod Ordinariorum nonnulli, ad quos animarum apud nostros homines cura pertinet, ubi de negotio isthoc a me essent edocti, ad Metropolitanos de eo referendum dicerent, nonnulli temporis angustia ab operis hujus executione excludi sese causarentur. Atque hæc quidem tam excusandi mei, quam obedientiæ meæ declarandæ gratia humiliter respondenda Sanctitati Vestræ duxi, eamque ut Deus Optimus Maximus quam diutissime servet incolumem votis omnibus opto. Datæ in Civitate mea Monachio ix. Januarii anno 1583.

Sanctitatis Vestræ

Filius obsequentissimus

Gulielmus D. B.

XXXIII. — Ut narrationem de Poloniæ rebus ab Superis exordiamur: sese nobis offerunt nonnulli ex inclyto Ordine S. Dominici Patres, qui a suis Romam missi fuerant, ut cum Summo Pontifice de Beato Hyacintho Sanctorum albo adscribendo coram agerent. Hos autem eorumque causam Archiepiscopus Gnesnensis Cardinali Comensi enixe commendavit. [*]

[*] Polonia Vol. 20. fol. 140

Illustrissimo ac Reverendissimo Domino meo Observandissimo, Domino Ptolomeo Gallio Cardinali Comensi.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

« Proficiscentibus hinc ad Urbem hisce familiæ Divi Dominici Patribus, non potui pro officio meo prætermittere, quin eorum negotium, cujus causa sunt istbuc ablegati, Illustrissimæ Dominationi Vestræ commendarem; quam egregie in primis erga nostram Poloniam animatam esse, plurimis et maximis illius erga nos officiis jampridem ipse sum expertus. Datum est autem Patribus istis hoc negocium, ut Beati Hyacinti canonisationem a Sanctissimo Domino Nostro flagitent, cujus corpus in eorum Ecclesia Cracoviæ sepultum multis insignibusque claret miraculis, eaque de causa quotidiana et religiosa populorum veneratione frequentatur. Etsi vero omnibus iis, quæ ad actionem hanc necessaria sunt, Patres isti satis se instructos arbitrantur, nequaquam tamen aliquid se perfecturos intelligunt, nisi gratia patrociniioque Illustrissimæ Dominationis Vestræ apud Suam Sanctitatem fuerint adjuti. Peto igitur majorem in modum ab Illustrissima Dominatione Vestra, ut hoc negotium ita sibi curæ esse, ita promovere velit, quemadmodum illa omnia consuevit, quæ ad cultus gloriæque divinæ amplificationem referuntur. Quibus solis in rebus cum Illustrissimam Dominationem Vestram omnes suas curas et cogitationes fixisse existimem, pluribus illam non detinebo, ne videar de illius pietate insigni religioneque dubitare. Hoc unum peto, ut quod sua sponte ea in re factura est Illustrissima Dominatio Vestra, idem ut mea causa magis etiam velit. Deus Optimus Maximus Illustrissimam Dominationem Vestram diutissime sanam ser-

vet atque floreotem. Datum Lovicii 18. Martii 1583.

Illustrissimæ ac Rm̃æ Dñis Vræ

Deditissimus servitor
STANISLAUS CARNCOVIUS
ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS.

XXXIV. — Albertus Bolognettus Massæ Episcopus, qui Caligario Apostolico ad Regem Poloniæ Nuntio datus fuerat successor, ut primum iniit dignitatem, faciendum sibi existimavit, ut hujus regni Episcopos humanissimis litteris de ipsorum munere commoneret: Dioeceses suas perlustrare ne prætermitterent, Ecclesiasticam disciplinam instaurarent, corruptos utriusque Cleri mores componerent; atque rationes, quibus tot tantisque incommodis obviam iri possit, invenirent. Quibus de rebus legas, quæ celeberrimus ille vir Martinus Cromerus, historicorum Poloniæ facile princeps, qui Cardinali Hosio in cathedra Varmiensi successerat, Nuntio Apostolico scribebat. [*]

[*] Polonia Vol. 21. fol. 13.

Reverendissimo in Christo Patri et Illm̃o Domino, Dño Alberto Bologneto Dei gratia Episcopo Massanensi, et ad Serenissimum Regem Poloniæ Nuncio Apostolico, Dño Observandissimo.

Reverendissime in Christo Pater et Illm̃e Domine, Dñe Observandissime.

» Epistola Rm̃æ et Illm̃æ Dominationis Vræ undecima die mensis Septembris Cracoviæ scripta, totis tribus mensibus ad me tandem advolavit, erudita sane et gravis, lamentis autem juxta ac solatio condita. Ego vero ad considerationem afflictæ apud nos religionis et Reipublicæ nostræ jam pridem occalui, neque facile spem rerum meliorum admitto, quamvis salutaria pharmaca adhibeantur. Inveteravit malum, et quod est deterius, ab ipsis adeo, qui manum ei medicam admovere deberent, pululat et alitur. Quibus enim conferuntur sacerdotia? Qua vero conditione conferuntur? Nempe ut ii in aulicis ministeriis maneant, et ne præ se ferant, se in Ecclesiastico ordine esse. Item permagnam vim habebit Regia authoritas. Quænam? Eaoc, quam experimur in Elbigensibus parochiis recuperandis: et quidem non judicio, sed executione rei judicatæ recuperandis? scilicet utrisque juratum est. Ergo juratum est furibus et prædonibus. Qoid obstat, quominus retineant ii, quæ fraude vel per vim quæsierunt? Verum concedant Catholici hæreticis alterum, imo tertium, imo plura templa, retineant ipsi unicum: vel utantur utrique communibus templis, hoc est, conjungatur Belial cum Christo. Verum sint rata, quæ Dominationis Vestræ Reverendissimæ et Illustrissimæ cura, studio et aothoritate constituuntur. Quam diu vero? Martin. Bric. dicebat pius quidam concionator, quem adolescentulus, audiebam, idest in tertium diem. Utinam sim falsus vates. Cæterum in hac mea Dioecesi per Dei gratiam paretur isti sanctæ constitutioni, etiam antequam ea nata sit. Nemo enim Sacerdos non sacerdotali vestitu utitur, nisi intra domesticos parietes, aut in itinere in agrum vel in sylvam exiens, aut peregre. Nemini confertur Parochia, nisi Sacerdoti: nec est quisquam Parochus, aut alioqui sacerdotium aliquod obtinens, qui non resideat, et officio suo fungatur. Resident etiam Canonici præter administros arcis et bonorum Capitularium, et Cancellarium meum, et duos tresve Parochos, qui cum sint etiam Collegiati Canonici (non a me facti) non desides resident. Neque pudet Prælatos et Canonicos in Basilica cum choro cantare, et sacris privatim crebro operari. In penuria autem Sacerdotum, quæ est hic, coërcentur tamen incontinentes et aliis peccatis (scandalosis præsertim) obnoxii, nec tam mulctis, quam carcere fere coërcentur, et e Parochiis, aut etiam e Dioecesi ejiciuntur. Neque Canonicis parcitur. Hæreticus nullus est: nec suspectus quidem fortassis de hæresi. Templa omnia etiam in pagis et bonis nobilium hæreticorum nostra sunt. Patiuntur ii a nobis ea regi, et quibus volumus pastoribus conferri, et ritibus Catholicis administrari: nec eis negant proventus ipsorum. Non tolerarentur autem omnino in ditione nostra ii, qui equestris sunt ordinis, (nam oppidani et rusticani si qui comperiuntur, solum vertere coguntur) nisi eos tueretur confœderatio comitialis (vere comitialis) imo vero patroni aulici, sive mercede redempti, sive quo alio perverso studio. Neque vero externia et nobis non subjectis, sive ii sunt rusticani, sive oppidani, sive nobiles, licet in Dioecesi nostra libellis, colloquiis, disputationibus, aut actionibus et exemplis hæreseon semina spargere: et suscipiuotur a nobis nonnumquam eo nomine vicini dominatus offensiones, præsertim quod non patimur nostros subditos execrandis eorum sacris interesse, neque baptismi, matrimoniive et nuptiarum consortia cum illis habere et inire. Ante unum atque alterum annum coactus est advocatus meus provincialis, homo nobilis et honoratus, fratrem suum seuem, cum hæreticis sentientem, post mortem extra Dioecesim sepulturæ mandare: neque ipse tamen funus assectari permissus est. Filium vero ejus tum demum hæredem scripsit, cum se paterna impietate abdicavit. Hæc igitur et alia ejusdem modi correctionem, Deo sit gratia, apod nos non requirunt. Quod ego fosius Dominationi Vestræ Reverendissimæ et Illm̃æ perscribere volui, ut remissa pro nobis solicitudine gaudeat. Quam diu salvam et incolumem esse cupio. Ex arce mea Heilsberg 16. Decembris anno Domini 1583.

Rm̃æ et Illm̃æ Dominationis Vestræ

Addictissimus servitor
MART. CROMERUS
WARMIENSIS EPISCOPUS.

Idem cum ad Tridentinum præscriptum vellet Ecclesiæ suæ pœnitentiarium et concionatorem dare, neminem autem aptum inter suos haberet, quidam vero Michael Duntius Regiomontanus, ab hæreticis quidem ortus parentibus, sed qui Viennæ sex annos alumnus Pontificius fuisset, utrumque munus ab eo sibi deferri cuperet, idoneumque gravissimorum hominum testimonio sese probaret, petiit ab Nuntio, ut nonnullas, quæ huic rei intercederent, difficultates, nulla justa de causa adversante Capitulo, ipse ex Pontificis auctoritate explicaret. [*]

[*] Polonia Vol. 21. fol. 15.

Rm̃o in Christo Patri et Illm̃o Domino, Dño Alberto Bologneto Dei Gratia Episcopo Massanensi, et in Vilnam atque Lituaniam Nuntio Apostolico, Dño Observandissimo.

Rm̃e in Christo Pater et Illm̃e Dñe.

« Compluribus annis laboro, ut quemadmodum aliis Ecclesiis Cathedralibus antiquitus secundum præscripta Sanctorum Patrum, et Canonum Ecclesiasticorum provisum est, ut idoneos pœnitentiarios et concionatores habeant, ita huic quoque meæ Varmiensi provideatur. Sed hactenus non successit, cum quod collatio sacerdotiorum non est in manu mea, sed communis mihi est cum Capitulo, quasi uni ex Canonicis, in mensibus ordinariis, alternis vero ad Pontificem Maximum pertinet: tum quod non facile invenitur homo idoneus Germanicæ linguæ peritus, qui suscipere munus utrumque velit, et fungi eo recte possit. Nunc demum obtulit se mihi Michael Duntius Regiomontanus, honestis quidem, ut accepi, sed hæreticis parentibus ortus, et inter hæreticos ab ineunte ætate educatus, sed qui se a multis annis ad Catholicam nostram Ecclesiam transtulit, et reconciliatus in ea constanter perseverans, Brunsbergæ, Viennæ, Perusiæ, Romæ, et alibi fortassis inter pios (Jesuitas præsertim) pietati, studiisque, doctrinæ atque Theologiæ operam dedit, quod testantur præstantes Jesuitæ, qui eum diu norunt: Viennæ quidem in sextum annum alumnus Pontificius fuit. Perusiæ vero, ad lauream in juris peritia provectus est. Mihi quoque is mores doctrinamque suam probat. Is igitur et sacris initiari, et supra memorata duo munera in Varmiensi Ecclesia cupit suscipere, si commode et cum dignitate ibi se sustentare queat. Id autem fieret, si canonicatum cum præbenda, ut vocant, adipiscatur. Quod ut fiat studeo, Concilii Tridentini authoritate adductus. Sed quia nihil ejusmodi nunc vacat, opus est, ut Sedes Apostolica gratiam ei de primo vacanti, in mensibus suis atque etiam ordinariis conferat, et eum ipsum Canonicatum cum præbenda pœnitentiario et concionatori in perpetuum uniat, quod Capitulum nulla justa de causa recusat. Id ego a Dominatione Vestra Rm̃a et Illm̃a non difficulter perfici posse confido et opto. Fuerit id pietate simul et officio ipsius dignum, et Ecclesiæ Varmiensi, imo et finitimis, spero, populis ab errore revocandis perutile. Scribo his de rebus etiam Romam ad amicos meos, P. Laurentium Magium Jesuitam, et Stanislaum Rescium Canonicum Ecclesiæ meæ, et Secretarium Regium, qui pro sua pietate favere videntur negocio. Persuasi etiam Rolembergio Canonico, ut hunc ipsum dictum Duntium, præterito cive et necessario suo Gedanensi, Coadjutorem sibi dari consentiat, et mitto instrumenta ad eam rem necessaria, ad manus P. Laurentii Magii, ac D. Stanislai Rescii. Alterutrum igitur caretur iis, quas supramemoravi, conditionibus, et in quolibet mense, non obstantibus etc. Quo rectius autem Duntius (reconciliatus quidem et absolutus ab hæresi, sed ab irregularitate tamen non absolutus) sacros ordines suscipiat, dignabitur D. V. Rm̃a et Illm̃a ipsi in hoc quoque benigne subvenire. Erunt hæc mihi grata: Quam Deus Opt. Max. diutissime salvam et incolumem servet opto. Heilsbergæ 15. Decembris an. 1583.

Rm̃æ et Illm̃æ Dñis Vestræ

Addictissimus servitor

MART. CROMERUS

VARMIENSIS EPISCOPUS.

« Non abs re esset, impetrare a Regia Majestate consensum in Coadjutoriam, ne forte habeat Majestas ejus nominationem ad hanc Ecclesiam: quæ foret nobis impedimento. Mitto autem ad Dominationem Vestram Rm̃am et Illm̃am ducatus Ungaricos 40. ut totidem Romæ Magio vel Rescio, a procuratore suo sine mora annumerari curet, in sumptus expediendæ Coadjutoriæ. Mandet autem, ut plus etiam numeretur, si opus erit. Magno quidem ea non constabit, cum non sit intercessura compositio, quandoquidem proventus Canonicatus 24. ducatus non excedunt, et orator est alumnus Pontificius. Quicquid supra 40. ducatus impensum fuerit, solvetur bona fide et sine mora. »

XXXV. — In id magna cum solertia incubuit Episcopus Vladislaviensis, qui Pomeraniæ provinciam, in qua hæretici homines plurimum valerent, suæ curæ traditam perlustravit, simulque constantis et prudentis Episcopi exempla edidit: ut nimirum tum ludimagistros hæreticos ab scholis removeret, tum ipsos hæreticos, ne efferarentur eorum animi, suavius exciperet. [*]

[*] Polonia Vol. 20 fol. 133.

Illm̃o ac Rm̃o Domino Alberto Bologneto Episcopo Massanensi, Sanctæ Sedis Apostolicæ ad Regnum Poloniæ cum potestate Legati de Latere Nuntio, Domino Observandissimo.

Illustris et Reverendissime Domine.

« Cum in Pomeraniam venissem, nihil prius mihi faciendum esse existimavi, quam ut ex visitatoribus hinc inde dimissis de statu singularum

Ecclesiarum mearum cognoscerem, tum autem ubi major necessitas meam præsentiam postulare videbatur, nonnullas Ecclesias ipse adirem et inspicerem. Video adhuc rem ecclesiasticam eo loco hic esse, ut non difficili negotio, vel certe absque ullis tumultibus, adjuvante Domino, in pristinum statum eam restitui posse non diffidam: modo Regiæ Majestatis accedat authoritas, quam equidem mihi non deesse sentio. Primum occurrit Novense oppidum Regium, quod permittente Domino Vejero ejus loci Capitaneo, de vocando Hæretico, exacto meo sacerdote, cogitabat. Ea consilia adventu meo dissipata sunt, et primum mihi templa proventusque ad ea spectantes restituti sunt, deinde explicatis per Concionatores meos præcipuis nostræ fidei capitibus et controversiis, multisque salutaribus exhortationibus et sacramento Confirmationis per me roboratis, brevi temporis spatio effectum est, ut omisso Hæretico falsitatis seminatore, ad meam potius voluntatem accedere videretur. Eadem facilitate Pucensis Ecclesia restituta est, quin et in oppido Regio Derschovia primo ingressu meo schola et proventus ad Ecclesiam spectantes, exacto Ludimagistro Hæretico, redditi sunt, nec dubito quin cum tempore pravas in fide opiniones, quas imbiberunt, una cum suo Ministro exacturi sint, modo habeant bonos Concionatores Catholicos, quod ut fiat, mea cura hæc erit.

« Jam ad nonnulla Monasteria proficiscor, in quibus regularis disciplina, ut audio, dissolutissima est, multaque et diligenti indiget reformatione. Multi hic mihi sese offerebant, qui a me sacros ordines peterent: eos ego eum ad tempora a jure præscripta rejicerem, et Wladislaviam venire juberem, nequaquam se venire posse ob distantiam loci et paupertatem ajebant. Itaque quod fore divinabam evenit, ut eorum malis facilius compati, quam remedium afferre potuerim.

« Hæretici qui hactenus in templis et Cimiteriis tumulabantur, crebris precibus a me contendunt, ut eorum sepulturæ vel aliquod templum permitterem, vel certe locum certum assignarem; neutrum a me adhuc concessum est, et quia urgent quid illis respondeam, valde perplexus sum. Metuo etenim ne si in proposito persistam, animos eorum irritem. Sed de his deque toto Pomeranicarum Ecclesiarum statu, ubi reliqua Pomeraniæ loca Diœcesis meæ obiero, Dominatio Vestra Illustris et Reverendissima ex me vel aliquo meorum copiosius intelliget. Interim Dominationem Vestram Illustrem et Reverendissimam valere cupio, eidemque officia mea commendo. Datum Sobkoviæ 28. Julii 1583.

Dominationis Vestræ Illustris et Rmæ
Observantissimus servitor
HIERONYMUS ROZDRAZOWSKI DEI GRATIA EPISCOPUS WLADISLAVIENSIS ET POMERANIENSIS.
manu propria.

XXXVI. — Assiduis hujus Præsulis curis factum est, ut, operam navante Rege, Thorunii fides Catholica, quæ plurimis ante annis intermortua videbatur, ad vitam revocaretur; ea tamen conditione, quod miserrima hæc tempora ferebant, ut eodem templo ad suis quique sacris operandum et Catholici et hæretici seu Dissidentes uterentur. Hi namque vix suborto religionis dissidio, quod recentiores specioso vocabulo Reformationem sæculi XVI. nuncupant, Catholicis civibus omnes ecclesias ac monasteria, quæ Thorunii erant, per incredibilem furorem, non sine magna cæde eripuerunt, avitæ fidei assertoribus expulsis. Exorati tandem Senatus et Consules Thorunenses, solemni sponsione interjecta, precibus Catholicorum sunt obsecuti, ut eorum parocho templum S. Joannis Baptistæ ad sacrorum usum in has conditiones concesserint. (*)

(*) Polonia Vol. 20. fol. 567.

« Universis et singulis cujuscunque status, gradus, dignitatis, aut conditionis fuerint, quorumque interest, Dominis nostris gratiosis, fautoribus et amicis observandis, præmissa diligenti et accurata officiorum nostrorum pro cujusque status exigentia commendatione, notum testatumque facimus nos Proconsul et Consules Regiæ Civitatis Thorunensis: quod cum ante annos aliquot Sacra Majestas Regia, Dominus noster Clementissimus, Plebaniam Thorunensem tituli Sancti Joannis Baptistæ Reverendo et Magnifico Dño Jacobo Gorski J. U. Doctori, Archidiacono Gnesnensi, Canonico Cracoviensi et Plocensi, necnon Thorunensi et Cracoviensi Plebano clementissime concessisset; nosque ejusmodi concessionem Regiam pro debito officiorum nostrorum gratam semper uti inicio, ita etiam nunc habuissemus: id tamen interim agentes, ut penes jus et possessionem nostram usumque veterem in eadem Ecclesia hactenus observatum relinqueremur, tandem hoc nomine Reverenda ejus Dominatio actionem nobis in Curia Sacræ Majestatis Regiæ intentasset, atque factum esset ut S. Majestas Regia ad nos clementissime perscribere dignaretur, eas cum præfato Reverendo Dño iniremus rationes, quibus citra juris strepitum orta inter Reverendam ejus Dominationem et nos controversia bonis modis componeretur. Nos, ubi Reverenda ejus Dominatio hanc ob causam ad nos advenisset, habito prius maturo cum Ordinibus Civitatis hujus Consilio, tandem in hunc qui sequitur modum negocium istud cum Reverenda ejus Dominatione composuimus et transegimus.

I.

« Reverenda ejus Dominatio Parochiam Thorunensem a Sacra Majestate Regia, Domino nostro Clementissimo, sibi concessam habebit et obtinebit. Reservat tamen interim sibi in eadem Ecclesia Senatus die in primis Dominico et

aliis festis diebus concionem matutinam unam, et ad vespertinas preces concionem pomeridianam alteram, ita ut matutina ex sexta hora suum sumat initium, et circiter octavam expediatur, vespertinæ vero preces prima hora incipiantur, et vel tercia vel ante terciam finiantur. Die deinde Veneris concionem similiter matutinam et a prandio vespertinas preces, in quibus Lithania et Passio Dominica decantari consueverunt, Senatus sibi reservat. Reliquis tocius hebdomodæ diebus omnibus, uti et eo tempore, quod tam ante, quam post meridiem in specificatis supra diebus superest, Dominus Parochus vel substituti ab illo ritus et ceremonias suas Ecclesiasticas libere, citraque impedimentum aliquod exercebunt.

II.

« Dominus Parochus, Viceparochus, vel a Domino Parocho substituendi Sacerdotes, maxime vero qui Concionatores futuri sunt, Germanicæ linguæ, periti esse debent. Cum enim suggestum Parochiale ad linguam Germanicam privilegiatum sit, Civitas etiam et eam incolentes Germani sint, conciones non nisi lingua Germanica in Parochia haberi debebunt.

III.

« Reverendo Domino Parocho ad Concionatores vel Sacerdotes in Ecclesia Sancti Joannis alendos, Senatus ea omnia beneficia cedit, quæ sub adventum Sacræ Majestatis Regiæ Domini nostri Clementissimi tres sacerdotes habuere; in arbitrio autem Reverendi Domini Parochi erit, beneficia ea tribus, duobus, unive Sacerdoti assignare. Eorum autem beneficiorum nomina sunt hæc quæ sequuntur.

I. Summum Altare.

II. Beneficium S. Crucis secundi ministerii.

III. Sanctæ Elizabethæ primi ministerii.

IIII. Montis Oliveti utriusque ministerii.

V. Sancti Wolffgangi primi ministerii.

VI. Sancti Wolffgangi secundi ministerii.

VII. Sanctæ Annæ sive Corporis Christi secundi ministerii.

VIII. Sanctæ Catherinæ secundi ministerii.

IX. Beneficium apud Moniales Spiritus Sancti.

X. Quinquaginta floreni Polonicales ex beneficio ad Sanctum Georgium.

« Census annui horum beneficiorum habentur in Regestis a Rmo Episcopo Culmensi Senatui traditis, et iis etiam quibus Sacerdotes ipsi per successionem in exigendo usi sunt.

IIII.

« Ad alendos scholares sive uti apud nos vocari consueverunt astantes, quorum opera in canendo tam Sacerdotes Catholici, quam nostri concionatores horis intermediis utantur, Senatus 40. florenos Polonicales annui stipendii assignat, quibus de commoda habitatione idem Senatus prospiciet. Liberum etiam iis astantibus erit, pueros quos et quot voluerint instituere, et iis in decantando in Ecclesia uti.

V.

« Assignatis hisce tam Sacerdotibus quam scholaribus beneficiis atque pecuniis annuis, Reverendus Dominus Parochus et substituti ab illo contenti erunt.

VI.

« Sacerdotes hi, quos loco sui Reverendus Parochus substituet, viri docti, pii et modesti erunt, qui caste, sobrie et honeste viventes, pacisque et tranquillitatis amantes, nullum auditoribus suis de se scandalum præbeant.

VII.

« Sepultura et usus campanarum in Ecclesia Sancti Joannis omnibus promiscue liber erit, exceptis iis, qui ex Catholicorum et Protestantium numero non fuerint. Proventus tamen ex usu campanarum collecti in reparationem ipsius templi convertentur.

VIII.

« Copulationes conjugum in eadem Ecclesia omnibus quoque liberæ erunt.

IX.

« Domum liberam Dominus Parochus habeat, plenoque jure eam possideat, nemo in eam admittatur, nisi quem ille admiserit. In primis autem Dominus Parochus providebit, ne eam alii quam homines pacifici inhabitent, neve ædificium ipsum per incuriam ruinosum fiat.

X.

« Ex fundatione ad Parochum marcas duas Prutenicas pertinentes in usum astantium Reverendus Dominus Parochus ultro ex gratia concessit.

« In quorum quidem omnium fidem, et evidentius initi hujus contractus in omnibus suis articulis firmiter utrinque servandi testimonium, præsentes Reverendus Dominus Jacobus Gorski et manu sua subscripsit, et sigillo suo scienter communivit, et Senatus Thoruneusis suo Ordinumque Civitatis nomine sigillum ejusdem de certa scientia subappressit. Actum Thoronii die XIII. mensis Octobris anno Dñi MDLXXXIII.

XXXVII. — Stephanus Rex Ecclesiam Polonicam auxit ornavitque, ad sedem Premisliensem præstantissimo viro ex Cancellariis suis Joanne Borokowskio designato. Itaque Cardinalem Comensem rogat, cum Pontifice agat, ut eundem confirmet, et de beneficiis nonnullis, quæ ex duabus Præposituris maxime constabant, simul retinendis gratiam faciat. [*] [*] Polonia Vol 20. fol 41

Illmo ac Rmo Domino Ptolomæo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Novocomensi, Sincere Nobis Dilecto.

« Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Podlachiæ, Livoniæ, et Princeps Transilvaniæ.

«Illustrissime ac Reverendissime Dñe, sincere nobis dilecte. Cum Reverendus Simon Lugowski, quem ad Episcopatum Præmisliensem post mortem Reverendi olim Alberti Staroirzebski Episcopi Præmisliensis nominaveramus, antequam a Sño Dño Confirmationem Nominationis nostræ obtinuisset, fatis concessisset, rem Ecclesiæ illi perutilem facturos nos esse existimavimus, si de pastore illius idoneo primo quoque tempore prospiceremus. Itaque cum Reverendi Joannis Borukowski de Bilino, Regni nostri Procancellarii, ac Plocensis Lanciciensisque Præpositi, erga nos et Regnum nostrum præclara merita, tum vitæ morumque integritas, singulareque in propaganda fide Catholica studium, ac non vulgaris eruditio nobis perspecta fuissent, illum ad Episcopatum Præmisliensem pro jure nostro nominavimus. Et quoniam dicti Episcopatus tenues sunt proventus, ac Reverendi Procancellarii Regni assiduis obsequiis in Aula nostra uti debemus, beneficia sua, Plocensem et Lanciciensem Præposituras, illi possedenda relinquimus. Postulamus igitur a Sinceritate Vestra, ut pro sua erga nos benevolentia negotium hoc Sanctissimo Domino, ad quem ea de re nostras dedimus, commendet, partesque suas interponat, quo ejus Sanctitas non modo cum Nominationem nostram authoritate sua primo quoque tempore ratam et gratam, sed etiam beneficia, quæ hactenus possedit, illi reservata esse velit. Factura est Sinceritas Vrã rem eo nomine et Ecclesiæ illi perutilem, et nobis gratissimam. Quam bene valere cupimus. Datum Cracoviæ die XXVII. mensis Januarii anno Dñi MDLXXXIII. Regni vero nostri anno septimo.

STEPHANUS REX.

Ejusdem Cardinalis in ea re operam expetivit etiam idem designatus Episcopus: iisque litteris ejus voluntatem sibi demerendam esse existimavit. [*]

[*] Polonia Vol 20 fol. 38.

Illño ac Rño Domino, Domino Ptolomeo Novocomensi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali etc. Domino suo Observandissimo.

Illme ac Rme Dñe, Dñe Observandissime.

« Cum illius singularis erga gentem nostram benevolentia, a nostris hominibus qui ex Urbe in patriam redeunt, mihi relata fuisset, optime de illius benignitate persuasus, prætermittendum minime censui, quin in meo negotio, quod mihi apud Sanctam Sedem intercedit, opera Illustrissimæ Dominationis Vestræ uterer. Spero autem illam pro sua humanitate non ægre laturam esse, quod illi incognitus, nec ullis meritis et obsequiis commendatus ad illam confugiam. Res autem est hujusmodi. Post mortem Reverendi Alberti Staroirzebski Episcopi olim Præmisliensis, Sacra Regia Majestas Dominus meus clementissimus nominaverat Episcopum Ecclesiæ illius Reverendum Simonem Lugowsky, Præpositum Miechoviensem, qui cum ante consequutam a Sancta Sede Nominationis suæ confirmationem, ultimum clausisset dieme, jus Sacra Regia Majestas, Domino Deo ita deposcente, me Regni sui officialem Episcopum Præmisliensem nominavit, ac quod istius Episcopatus sint exigui proventus, neque pro debito officii mei in Aula S. Majestatis assidue manere viderat pernecessarium, ad eundem Episcopatum ut Præposituras meas Plocensem et Lanciciensem retinerem, voluit, eaque de re Sanctæ Sedi perscripsit. Quoniam vero Ecclesiæ illi, quæ jam quadriennio pastore suo caruit, plurimum interest, ut illi primo quoque tempore præessem, a Dominatione Vestra Illustrissima majorem in modum peto, ut pro suo erga Regnum hoc patrocinio et benevolentia, partes suas apud Sanctissimum Dominum Nostrum interponat, quo ejus Sanctitas Nominationem Sacræ Regiæ Majestatis in personam meam factam, tum etiam reservationem præfatarum Præpositurarum mearum authoritate sua, quam citissime fieri poterit, ratam et gratam esse velit; curabo vicissim ut Dominatio Vestra Illustrissima intelligat, hoc beneficium in hominem gratissimum contulisse, et si in partibus istis opera mea uti aliquando voluerit, inveniet me semper paratissimum servitorem. Quod reliquum est, me negotiumque meum Illustrissimæ Dominationi Vestræ diligenter commendo, illamque diu fœlicissime valere ex animo cupio. Datum Cracoviæ die 27. mensis Januarii anno Domini 1583.

Illmæ et Rmæ Dominationis Vestræ
Addictissimus Servitor
JOANNES BORUKOWSKI NOMINATUS EPISCOPUS
PRÆMISLIENSIS, REGNI POLONIÆ
VICECANCELLARIUS manu propria.

Hic Præsul, accepta ab Pontifice confirmatione, Nuntio Apostolico refert, se ad quasdam suæ Diœcesis urbes advenisse, perquam benigne ubique acceptum, plurimos sacro chrismate consignasse. Deinde eidem significat, Archidiaconum suæ Ecclesiæ visitationem Diœceseos indixisse. Ab eodem denique postulat, ut Lanciciense Capitulum sua auctoritate compellat, ad parendum Apostolicæ Sedis juribus in sibi concessis Præpositūris. [*]

[*] Polonia Vol. 20 fol. 451.

Illño et Rño Dño D. Alberto Bolognetto Massæ Populonicæ Episcopo, ac ad Serenissimum Poloniæ Regem Sedis Apostolicæ cum potestate Legati de Latere Nuncio, Dño Fautori Observandissimo.

Illustris et Rme Dñe, D. Observandissime.

« Ut primum ad meam Præmisliensem Ecclesiam veni, statueram de rationibus istius Diœcesis ad Vram Rmam Dominationem perscribere, nisi tot in dies exortæ, atque etiam in horas continuatæ occupationes me retinuissent, imo

vero post aliquot ibi dies consumptos Brzozoviam extrusissent. Quapropter majore diligentia qua possum a Dominatione Reverendissima peto, ne serius id factum reputet, quod a necessitate profectum est. Incolumis per Dei gratiam ad octavum diem mensis Julii a Civitate, Diœcesi, ipsa denique Cathedrali Ecclesia cum omni lætitiæ jucunditatisque testimonio exceptus sum. Decima Julii, quæ fuit sexta post ferias Pentecosten Dominica, maxima populi frequentia Sacrum Episcopale celebravi. Confirmationem eodem die vesperis horis absolutis, et postridie plurimis ad me venientibus dedi. Præmislia dum essem feria quinta profectus, ad noctem in oppidum magnificæ Dominæ Castellanæ Præmisliensis perveni, ipsiusque humanitate singulari non solum hoc die sum hospitalissime tractatus, sed subsequentis etiam diei prandium accepi, quo finito plurimos homines in Ecclesia confirmavi. Ad noctem hujus diei Brzozoviam ad meum oppidum veni. Hic dies aliquot commoratus, XXIII. die mensis Julii profectus sum ad oppidum Crosna meæ Diœcesis, et incolis antiquitus Germanis et muris etiam in hunc diem satis insigne, ubi Dominicum diem et feriam secundam Saucto Jacobo Apostolo festam exegi, plurimis fidelibus utroque die confirmatis; tertio die qui fuit Sanctæ Annæ festus, audito solemni sacro, ad vicinas mei Episcopatus villas discessi. Hæc est brevissima commorationis meæ in Episcopatu significatio. De hæresibus vel antiquis, vel exurgentibus, vel etiam extinctis atque extirpatis, non possum adhuc plene ad Vestram Dominationem Reverendissimam scribere. Sed Archidiaconus Ecclesiæ meæ Reverendus Dominus Paulus Zaiaczkowski, Vestræ Dominationi Rmæ domestice notus, instituit ac intimavit visitationem suam Diœcesanam, qua perfecta, non dubito quin de rebus quibusque, etiam minutissimis Diœcesis meæ sim cogniturus. Quicquid cognovero, Dominationem Vestram Reverendissimam non celabo. Velim etiam Reverendissimam Dominationem Vestram exoratam esse, ne recuset mandata mihi dare ad Venerabile Capitulum Lenciciense, ne quid audeat agere vel attentare in mea præstimoniali villa, quam ego Præpositus jure senii possideo. Dederat ejusdem generis Vra Dominatio Rma mandata cum cittatione, ut moris est, sed a meo famulo quidam ex Capitulo persuasionibus obtinuit, ut mandatum non publicaretur, quam etiam ob rem existimo novum requiri cum superioris repetitione. Nam ut Vestræ Dominationi Rmæ de reservatione Præposituræ Lenciciensis scribam, vel etiam reservationis litterarum Apostolicarum mittam exemplum, minus id necessarium esse judico, cum id sit certius, quam ut a quoquam dubitari possit; Præposituras Plocensem et Lenciciensem a Sede Apostolica beneficio singulari cum Episcopatu Præmisliensi ad regendum mihi concessas esse. Quapropter iterum atque iterum a Dominatione Vra Rma diligenter peto atque oro, ex Cancellaria sua jubere mandata ejusmodi extradi, quæ coerceant Lenciciense Capitulum, ne quid contra Sedis Apostolicæ Decreta singularemque gratiam audeant. Omnibus gratitudinis testimoniis me Dominationis Vestræ Rmæ benevolentiæ memorem, neque ingratum esse comprobabo. Quod superest, Dominationem Vram Rmam incolumem esse cupio, illique meam ad obsequendum voluntatem animo propensissimo defero. Datum Brzozoviæ die prima Augusti anno Domini MDLXXXIII.

Vestræ Dominationis Rmæ

Obsequentissimus frater et famulus
JOANNES BORUKOWSKI DE BYLINO EPISCOPUS
PRÆMISLIENSIS, REGNI POLONIÆ
VICECANCELLARIUS manu propria.

XXXVIII. — Rex iterum a Cardinali Comensi petit, ut commendatione ejus apud Pontificem rata habeatur designatio clari viri Demetrii Solikovii in Archiepiscopum Leopoliensem. Quod cum a Pontifice IV. Cal. April. esset impetratum, Archiepiscopus Gnesnensis Calissii in Ecclesia parochiali S. Nicolao sacra Canonicorum Regularium S. Augustini, pridie Idus Junias eumdem solemni ritu Archiepiscopum consecravit. [*]

[*] Polonia Vol. 20. fol. 62.

Illustrissimo et Reverendissimo in Christo Patri, Domino Ptolomæo Gallio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tituli Sanctæ Agathæ Cardinali Comensi, Amico Nostro Charissimo et Honorando.

« Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, et Princeps Transilvaniæ, Illmo et Rmo in Christo Patri Domino Ptolomæo Gallio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sanctæ Agathæ Cardinali Comensi, amico nostro charissimo et honorando salutem, benevolentiæque nostræ significationem. Illustrissime et Reverendissime in Christo Pater, amice noster charissime et honorande. Nominavimus in locum Reverendissimi olim in Christo Patris, Domini Joannis Sieninsky Archiepiscopi Leopoliensis, Venerabilem Joanuem Demetrium Solikowsky Scholasticum Wladislaviensem, Lenciciensemque Custodem, Sandomiriensem Secretarium nostrum, virum doctrina, morumque probitate ac sanctitate excellenti. Eum cum ita Sanctissimo Domino Nostro commendatum esse cupiamus, uti eum velle debemus, quem propter singularem virtutem pietatemque muuere eo dignissimum judicamus, gratissimam nobis rem Illustrissima et Reverendissima Paternitas Vestra fecerit, si ad nostram diligentissimam commendationem illa suam quoque adjecerit, effeceritque apud

Sanctissimum Dominum Nostrum, nt nominationem eam nostram authoritate sua ipsa quoque quamprimum ratam firmamque habeat; id ut faciat, amanter eam rogamus, eamdemque bene et fœliciter valere cupimus. Datum Niepolomociis die xxix. mensis Jannarii anno Domini 1583. Regni nostri septimo.

STEPHANUS REX.

XXXIX. — Episcopum Camenecensem Gregorius vehementissimis verbis increpat, quod non sit veritus in se piaculum contrahere, cum benedixerit nuptiis, quas Magnus regni Cancellarius cum Grisella, Christophori Bathory Transilvaniæ Palatini, fratris Poloniæ Regis, filia confessioni Augustanæ addicta, ritu Catholico iniverat; licet id factum sit sine strepitu atque in cubiculo regiæ domus Cracoviæ. En Pontificis litteras, in quibos Regis et Cancellarii pietatem Pontificio testimonio confirmatam videas. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. An. XII. ep. 90. f. 279.

Venerabili Fratri Episcopo Camenecensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Non possumus satis mirari, quæ te causa tam temere ad id impulerit, quod a Catholici Episcopi professione tantopere abhorreret; ut iis nuptiis benediceres, aliena præsertim in diœcesi, a quibus intelligeres tuam auctoritatem atque operam procul esse oportere. Quod dicas, Regi te gratificari voluisse, nihil est: nt enim ipsi hoc libentissime facimus, quoties facultas datur, sic sinceram ejus religionem et pietatem, Ecclesiasticique cultus studium perspectissimum habemus, nihilque illum magis velle, quam sacras leges inviolatas esse, certo scimus; qua quidem de re, si quemadmodum munus tuum postulabat, aut Regem ipsum, aut Magnum Cancellarium, virum spectata virtute et pietate commonuisses, nunquam in istam fraudem, quæ nunc tibi summo animi dolore et vera pœnitentia ac lachrimis expianda est, incidisses. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxx. Julii MDLXXXIII. Pont. Nost. anno duodecimo.

Præsul hic, præstantissimus quidem vir, si ab hoc discedas, adeo de in se admisso crimine affectus mœrore est, nt cum lacrymis ab Nuntio Apostolico veniam precari non sit veritus: a quo ad Possevinom rejectus fuit, qui eum absolveret. Quare exhilaratus ac fere recreatus ad Pontificem ipsum humillimis verbis scripsit, attulitque gravissimas causas, quibus inductus in errorem labi se passus fuerit. [*]

[*] Polonia Vol. 20 fol. 308.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Sacrosanctæ Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici.

Beatissime Pater. Post oscula beatorum pedum Sanctitatis Vestræ.

« Is meus semper erat animus, hoc firmum et constans propositum ac perpetua voluntas, ut Sacrosanctam Romanam Ecclesiam ita colerem, venerarer et adorarem, ut pro illa, si oporteat, etiam vitam meam profundere non dubitarem; idem nunc est, eritque, Deo juvante, semper, quamdiu hæc mortalis vita mihi superstes fuerit. Quod etiam ab initio sacerdotii mei in publicis concionibus per annos complures habitis, deinde vero et scriptis in re Theologica nostris luculenter demonstravi: adversarios omnes acriter refutavi: modisque omnibus Sanctæ illius Ecclesiæ authoritatem et Sedis Apostolicæ dignitatem asserui, et pro mea virili defendi, ac in omnibus Reipublicæ conventibus contra hostium conatus me opposui, et etiamnum per omnes occasiones oppono. Itaque et hoc meum factum in conjungendo matrimonio non aliquo authoritatis Romanæ Ecclesiæ et Sanctæ Sedis Apostolicæ contemptu (quod quidem a me Deus avertat) susceptum fuit; priusquam enim hoc facerem, Sacræ Regiæ Majestati et sponso futuro illius puellæ satis diu me excusabam, hoc in medium adferens, quod res esset omnino mihi periculosa. Sed postea magnis rationibus persuasus, id ipsum quamvis invitus feci: quarum prima fuit, quod sponsus, illustris Regni nostri Cancellarius, vir magni consilii et authoritatis, esset Catholicus et Ecclesiæ defensor ac propugnator primarius, cujus petitioni reluctari, rem esse videbam magni periculi: propterea quod odium implacabile erga nos multorum potentium virorum ortom fuisset, magno cum detrimento status nostri Ecclesiastici. Accessit ad hoc Sacræ Regiæ Majestatis pariter cum marito talis sponsio, quod promiserint, Regia Majestas suam ex fratre neptim, sponsus vero conjugem futuram, ad Ecclesiæ Catholicæ gremium brevi se reducturos esse, quod quidem eo etiam respectu a me factum est, quod viderem Canonem in Decretis, Causa XXVIII. parte II. quæstione I. cap. Non oportet, talibus sponsionibus hæreticos et hæreticas posse cum Catholicis miscere conjugia, ideoque hoc licite me facturum esse arbitrabar. Altera causa est, quod animadverterem antea sæpenumero ab aliis id factitatum esse, idque non aliam ob causam, nisi ne inde sequeretur alienatio animorum ab ordine Ecclesiastico, eorum quibuscum in Senatu et alibi omnia præter religionem sunt nobis communia, quique in eo versantur magistratuum et officiorum genere, quibus nullo modo Ecclesiastici carere possumus. At cum præter spem et opinionem meam, Breve Sanctitatis Vestræ ad me allatum fuisset, quo paterne meum ea in re per fragilitatem lapsum coarguit, dici non potest quantum expaverim, et quanto animi mei mœrore et lacrymis id meum factum deploraverim. Itaque confestim Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Sanctitatis Vestræ Legatum accessi: culpam meam deploravi, ab eoque veniam obnixe

petii, utque ea authoritate, qua sibi donata fungitur, mihi enm lapsum indulgeat: qui me ad Reverendissimum Dominum Antonium Possevinum Sanctitatis Vestræ apud Deum exoratorem remisit, illique facultatem dedit, ot me ab hoc et aliis reatibus humiliter confitentem absolvat, quod etiam fecit, eaque res animum meum gravi solicitudine pene confractum mirum in modum erexit. Oro itaque atque obsecro benignitatem Sanctitatis Vestræ atque a natura inditam clementiam, ut meæ fragilitati paterne eum lapsum condonet, et ad Sanctitatis Vestræ pedes supplicem procumbentem paterna sua benedictione non dedignetur, illamque mihi ooo gravatim largiatur. Ego vero ut humilis servus Sanctitatis Vestræ, a Deo Optimo Maximo assiduis precibus efflagitabo, ut Sanctitatem Vestram ad Ecclesiæ Catholicæ defensionem atque propagationem quam diutissime servet incolumem ac fœlicem.

Datum Cracoviæ die 16. Septembris anno Domini 1583.

Sanctitatis Vestræ

Humilis servus
et perpetuus apud Deum Orator
MARTINUS BYALOBRZESKY
EPIS. CAMENECENSIS.
manu ppria.

XL. — Matrimonia inter Catholicos et Angostanæ Confessionis asseclas, quæ vulgo mixta dicuntur, nullibi hoc ævo magis usurpabantur, quam in Polonia. Rex enim iisdem non modo non adversabatur, sed propemodum favebat, ea spe ductus, ita facilios hæreticos sponsos cum Ecclesia Catholica se conciliaturos fore. Hinc fiebat, quod ut alias docuimus, Rex plurimos Italos, viros quidem magni ingenii ac litterarum præstantes cultores, sed hæreseos vel labe vel opinione aspersos, eaque propter patria expulsos, apud se hospitaliter haberet, eorumque familiaritate et amicitia imprimis uteretur. Memoratu profecto digna sunt, quæ Nuntius Apostolicos de hac ejusdem cum hæreticis Italis necessitudine, deque ejus incredibili studio viros istos ad fidem Catholicam reducendi Cardinali de Sabellis scripsit. Qua de causa duo illa clarissima Societatis Jesu lumina, Franciscum Toledum ac Robertum Bellarminum in Poloniam accersiri statuerat, qui in iis ab hæresi per rationes ac suasiones deducendis operæ pretium facerent. Inter hujusmodi infelices Italos in primis recensendi sunt Buccella; Michael Brutus, Venetus; Simonios, Lucensis, Medicus; Prosper Provana; Faustus Soccinos; Rosminus Rosminius a Rovere, Tridentinus; Bovius, Bononiensis; Fabritius Postulavanus, Clavennensis; Alciatus, Mediolanensis. Ex iisdem Nuntii Apostolici litteris cognoscimus, quænam teterrima errorum monstra Itali isti consectati fuerint; edocemur etiam quonam modo famosus ille Michael Brutus spem, quam de sua ad Ecclesiam Catholicam accessione Episcopo Britonorensi annis superioribus fecerat, turpiter fefellerit. [*] [*] Mantissa document. N. 71.

Ut ad matrimonia mixta redeamus, illud meminisse sufficiat, quod iisdem tum Episcopi, tum Nuntius Apostolicus vehementer sunt adversati: neque unquam admiserunt, nisi antea Pontificis auctoritas intercessisset, aut hæreticus conjux, ejuratis erroribus, fidem Catholicam ex animo amplexus fuisset. Quamobrem Apostolicus Nuntius nullis flecti precibus potuit, ut facultatem daret matrimonium inter Annam Sczawinskiam Catholicam et Joannem Herbortum Lutheranum benedicendi; quamvis id pater sponsæ, vir Catholicus, vehementer peteret, et uterque conjugum ex nobili essent genere, nec non, quod momentum facere videbatur, Referendarius regni Poloniæ, optimus vir, se quodammodo fidejussorem præberet, fore, ut brevi conjux hæreticus in sinum Ecclesiæ Catholicæ se reciperet, a qua levitate magis ingenii et mobilitate, quam mentis perversitate, cum esset in ætatis flore, discesserat. En litteræ Pauli Sczawinskii ad Nuntium. [*] [*] Polonia Vol. 20 fol. 248

Illustrissime ac Reverendissime in Christo Pater.

« Deo volente factum est, quod filia mea Anna Magnifico Domino Joanni Herborto in uxorem desponsata sit, diesque contrahendi matrimonii certus Varsoviæ post festa Paschæ futuræ assignatus, utque a nemino alio, quam a Præsbytero Catholico rite in Ecclesia matrimonium conferatur, est per me cantum atque provisum. Cum autem Dominus Herbortus sit fidei Confessionistarum, vereor, ne matrimonium hoc illi in Ecclesia nostra Catholica per Prælatos et Ministros Ecclesiæ denegetur, quod certe cum maxima ignominia et mea et meorum esset. Fretus itaque singulari benevolentia Reverendissimæ Paternitatis Vestræ, qua me amplectitur, etiam atque etiam ab illa peto, dignetur authoritate sua huic meæ necessitati subvenire, litterasque patentes ad Sacerdotes Diœcesis Poznaniensis dare, ut quicunque litteris Reverendissimæ Paternitatis Vestræ per me seu quempiam alium ex meis requisitos fuerit, absque ulla cunctatione Domino Herborto cum filia mea Sacramentum Matrimonii in Ecclesia administret. Quod Reverendissimam Paternitatem Vestram ad petitionem hanc meam facturam non dubito, provisuramque, ne me, qui observantissimus sum Ecclesiæ Catholicæ præceptorum, necessitas ipsa adigat ad ea remedia, quæ certe nollem, confugere. Non enim ab hoc matrimonii pacto, quod per nos factum est, possumus, salvo utriusque nostrum honore, ulla ratione discedere.

Quod reliquum est, me meaque addictissima officia in gratiam Illustrissimæ ac Reverendissimæ Paternitatis Vestræ commendo, quam diu sanam atque incolumem valere cupio.
Datum Varsoviæ die prima Aprilis an. Domini MDLXXXIII.

Illmæ ac Revmæ Paternitatis Vestræ
Amicus et Servitor Addictissimus
PAULUS SCZAWINSCKI DE MAGNA SCZAWIN, CASTELLANUS LENCICIENSIS, SACRÆ REGINALIS MAJESTATIS CURIÆ PRÆFECTUS, SOCHACOVIENSIS WARACENSIS CAPITANEUS
manu ppria.

Habeas et litteras Referendarii plura continentes, quibus Nuntio persuadeat, id facultatis dari oportere. [*]

[*] Polonia Vol. 20. fol. 247.

Illustris ac Reverendissime in Christo Pater, Domine Observandissime.

«Cum Magnificus Dominus Paulus de Sczawino, Castellanus Lenciciensis ac Reginalis Majestatis Curiæ Magister, filiam suam Annam nepotem meam ex sorore Generoso domino Joanni Herbort a Fulstin in uxorem dare constituisset, admonitus est a nonnullis, ut quandoquidem prædictus Dominus Herbort sit confessionis Augustanæ, nec Sacerdotibus nostris integrum est alienis a fide Catholica Sacramentum hoc conferre, ab Illustrissima et Reverendissima Dominatione Vestra peteret, quo, cum filia illius sit Catholica, sponsumque ad obedientiam fidei nostræ rediturum maxima nos spes teneat, Reverendo domino officiali Varsoviensi perscribere velit, ut non obstante eo impedimento, liceat Sacerdoti Catholico in Ecclesia Collegiata Varsoviensi matrimonio illos jungere. Itaque cum sibi Magnificus Dominus Lenciciensis plurimum de benevolentia Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ persuadeat, meque illi esse addictissimum sciat, rogavit me, ut partes quoque meas interponerem, quo petitis illius annuere velit. Majorem igitur in modum peto, ut cum non uterque a religione nostra dissideat, ac Dominus Herbort potius imprudentia, quam temeritate in eum errorem sit delapsus, conversationeque uxoris suæ, vel potius adhibitis viris eruditis inde revocari poterit, jamque se quodammodo obedientiæ Sanctæ Ecclesiæ submittat, Illustrissima ac Reverendissima Dominatio Vestra non difficilem se magnifico Domino Lenciciensi ea in re præbeat. Factura est eo nomine rem non modo illi gratam, sed et omni genere officiorum refferendam. Vereor enim ne si forte id ab illa non obtinuerit, ad quædam remedia confugiat, quæ majori scandalo esse possint, quæ fusius coram brevi aperiam. Serenissima Reginalis Majestas hactenus non convalescit, videtur morbus in eodem statu permanere. Quod reliquum est, Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationi Vestræ obsequia mea paratissima diligenter commendo. Datum Varsoviæ die 11. Aprilis 1583.

Illmæ ac Rmæ Dominationis Vestræ
Servitor addictissimus
JOANNES TRANOWSKI REFFERENDARIUS.
manu propria.

XLI. — In vastissima Lithuaniæ provincia Ecclesia Catholica lætissima habuit incrementa ex accessione viri celeberrimi Constantini Ducis Ostrogiensis, Palatini Kioviensis, qui non minus litteris, quam opibus pollebat, atque ad hæc usque tempora veluti antesignanum et fulcrum hac in regione græco-ruthenici schismatis sese prætulerat. Ipse enim cum tota sua domo, opera imprimis Apostolici Nuntii et Leopoliensis Archiepiscopi, mense Majo exeunte, juxta decretum Florentinum fidei Catholicæ sacramentum dixerunt. Qua in voluntate ut magis magisque constarent, idem Apostolicus Nuntius Antonium Possevinum e Societate Jesu accersivit, eique hanc provinciam demandavit. Quam porro Constantinus, stirpis maximus, fratresque ejus Georgius et Janusius fidei Catholicæ studio flagrarent, ex eo patet, quod religiosissimi Principes in id animos mentesque defixerunt, ut tota gens Ruthena suarum cujusque regionum schismati addicta cum S. Romana Ecclesia sese conjungeret. Eapropter quamprimum fieri potuit, Collegium Ostrogiæ institui curarunt, ut ibi Rutheni juvenes a Patribus Societatis Jesu sacris litteris imbuerentur; qui patrio id est græco-rutheno ritu sacris operarentur, suosque cives docerent. Iidem Principes animo etiam versabant officinam typographicam condere, quo facilius SS. Patrum scripta tum græce, tum ruthenice, sin minus latine typis excuderentur, in lucemque ederentur ad sacerdotum ac cæterorum Christi fidelium usum; quod et percommode cederet ad proferendam firmandamque Ecclesiæ Orientalis cum Romana conjunctionem. Georgius quoque Dux Slucensis, frater secundo loco natus, Nuntio Apostolico consilium profecto saluberrimum de sede Episcopali pro Rutheno ritu Slucii erigenda communicavit. Ad hoc, quo certissima ratione ambarum Ecclesiarum per Lithuaniam conjunctioni caveretur, suadebat, ut Ostrogiæ sedes Patriarchalis constitueretur, ne Rutheni amplius in posterum ad Patriarcham Constantinopolitanum in rebus fidei confugerent. [*]

[*] Mantissa document. N. 73.

En horum virorum litteras, obsequii in Romanum Pontificem atque in religione confirmatæ voluntatis testes. Hæc scribit Constantinus Ostrogiæ Dux; agitque gratias Pontifici de Bibliorum libro per Dionysium Paleologum ad se misso. [*]

[*] Polonia Vol 20 fol 274.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Universalis Ecclesiæ Pastori, Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater.

Post oscula pedum beatissimorum, obsequiorumque meorum commendationem.

« Cum Reverendissimus Episcopus Massanensis Sanctitatis Vestræ Nuncius, quem Cracoviæ conveneram, multa mecum de hominibus nonnullis conquestus esset, qui inter Græcam et Romanam Ecclesiam studiose dissidia quærunt, cumque ego aperte testatus essem, nihil me ardentius, quam fidei unitatem et Christianorum omnium consensionem exoptare, et si res ferret aliquando, ut pro tanto hoc bono mors mihi esset oppetenda, non recusaturum: idem Reverendissimus Nuncius velle se dixit, pium hoc meum propositum adjuvare, atque a Sanctitate Vestra adjumenta illa, quæ ad hanc rem necessaria esse videbantur, imprimisque homines Græcos ejusdem religionis pro Collegio Ostroviensi, probos et eruditos, qui Græcos etiam libros in Slavonicam, vel si hoc non potest esse, in Latinam linguam vertant, impetrare. Quare ut ipsius Domini Nuncii literis fidem habeat Sanctitas Vestra, utque me, licet longissimo terrarum intervallo ab ipsa distantem, (quod pro sua benignitate facere tum, cum per Reverendum dominum Dionisium Paleologum gratissimum mihi bibliorum librum misit, dignata est) semper etiam in posterum gratia sua complectatur, studiosissime peto, beatissimosque ipsius pedes humillime exosculor. Datum Cracoviæ 8. Julii anno Domini 1583.

Negocium vero meum, quod mihi apud Sacram Cæsaream Majestatem ratione bonorum Radnicensium in Regno Bohemiæ intercedit, de quo ex litteris Reverendissimorum Nunciorum suorum Domini Episcopi Massanensis et Patris Possevini melius cognoscet, humillime Sanctitati Vestræ commendo.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus et devotissimus servus
Constantinus Dux Ostrogiæ
manu propria.

Præstat etiam, ut legas Georgii Slucensis Ducis litteras. [*]

[*] Polonia Vol. 20. fol. 366.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino, Dño Gregorio Divina Providentia Papæ XIII. Sacrosanctæ Romanæ atque Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Dño meo Clementissimo.

Beatissime Pater, post pedum oscula beatorum.

« Cum ego et Reverendissimus Dñus Episcopus Massanensis S. V. Nuntius de Grecæ et Catholicæ Romanæ Ecclesiæ unione, quantum in nobis est, restituenda, instaurandaque egissemus, tandem ad hoc devenimus, nihil ad hanc rem opportunius commodiusque excogitari posse, quam ut Ecclesiis ritus Græci, quales ego in meis ditionibus permultas habeo, sacerdotes præficiantur Græci illi quidem, et Græci ritus, qui Basilii, Chrisostomi, Nazianzeni, aliorumque ejuscemodi sanctorum virorum purissimam et Catholicam doctrinam sequantur. Quoniam vero idem Reverendissimus Dñus Nuntius cum Sanctitate Vestra acturum se recepit, ut unum aliquem talem, vel plures, si fieri poterit, jubeat ad me transmitti, satis mihi erit brevi hac epistola eidem Sanctitati Vestræ supplicare, ut quæ meo nomine idem Dominus Nuntius ad eam scripserit, libenter legere, meumque hoc pium institutum (quæ ipsius benignitas est) gratia et auctoritate sua adjuvare non gravetur. Deus Optimus Maximus diutissime incolumem ac fœlicissimam servet Sanctitatem Vestram, cui me obsequiaque mea humillime commendo. Datum Cracoviæ die vi. Julii Anno Dñi 1583.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus et devotissimus servus
Georgius Dux Slucensis
manu propria.

XLII. — Ex horum virorum ad Ecclesiam Catholicam accessione stimulus injectus est aliis Ruthenis, nec non ipsis Armenis regnum Haliciense incolentibus, cujus urbs princeps est Leopolis. Quorum plurimi, maxime laici homines, illorum exemplum secuti schismati valedixerunt, fidemque Catholicam sunt amplexi. Illud quidem bonis omnibus accidit permolestum, quod pervicacia Episcoporum et Sacerdotum Schismaticorum egregium sane opus tot millia hominum ad fidem Catholicam adjungendi ad irritum evasit. Operæ pretium facies, si legas, quæ Nuntio Apostolico referebat solertissimus Leopoliensis Præsul; cujus in tam salutari opere instituendo et efficiendo non postremæ fuere partes. [*]

[*] Polonia Vol. 20. fol. 402.

Illustrissime et Reverendissime in Christo Pater et Domine, Domine Colendissime.

« Nequeo gaudium meum in Domino ab Illustrissima et Reverendissima Dominatione Vestra abscondere, quod se sic habet ovicula mea primi nominis in hisce partibus. Dux Constantinus Ostroviensis, Ducis Constantini Palatini Kioviensis filius, in græca superstitione natus et educatus, una cum uxore sua, atque id quidem tota aula sua, viris pariter ac fœminis, abjurato schismate, ante dies aliquot unitati Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ reconciliatus atque insertus est. Benedictus Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, qui indigni famuli sui ingressum inter cætera hac non vulgari consolatione spirituali cumulavit. Qua de re, cum ipse Dominus Dux, tum concionator et Canonicus noster Joannes Herbestus, vir singularis pietatis et zeli, cujus opera ac ministerio in ejus Principis instructione usi sumus, uti spero, plura suis litteris ad Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem Vestram perscribent.

Spero Illmam et Rmam Dominationem Vram recentem hanc plantulam literis gratulationis, et paternæ consolationis, et admonitionis suæ irrigaturam, et ad ferendos animo forti incursus tum patris, tum aliorum Russorum, (mœsti enim sunt Wladicæ et popi nostri, amisso hoc capite) et ad benemerendum in dies de Ecclesia, atque non gravatim aliorum minorum conversionem procurandam admonituram esse. Convocaveram, antequam id fieret, Magistratum Civilem, Armenos cum suo Episcopo et Clero, item Russos, ut cum illis de Calendario, atque anni temporum festorum et nundinarum etiam ratione, io quibus hic multum erroris admittitur, recipienda agerem. Re in medium a me proposita, cum Magistratus obseqneretur, et omnia a se impleri diceret, Armeni, dicendi facultate impetrata, se a suo Catholico Summo Pontifice, quem se habere sub Persa dicebant, nihil adhuc ea de re mandati habere dixerunt. Item se talem semper gentem fuisse, quæ suam propriam religionem habuerit et coluerit semper, et quæ nullam communionem cum alia natione ritus, linguæ, et morum obtineat. Quod cum ego illis execrandum esse potius, ac omni reprehensione dignum dicerem, quam ut inde aliquid gloriæ sibi sumere debeant, quod a concordia totius orbis in religione dissideant, et instituto Apostolorum atque mandato Christi aperte contraveniant, omnium qui aderant cachinis excepti, hebetiores et magis verecundi in respondendo ad reliqua redditi sunt, quemadmodum de multis et interrogati et informati ad tegendam schismaticam labem authoritate Silvestri Summi Pontificis implorabant, a quo Patriarcham vel Pontificem suum fratrem salutatum, et proprium locorum suorum in sempiternum pastorem ac rectorem constitutum, atque ab obedientia absolutum referebant. Sed cum etiam ad hoc congruum responsum tum a me, tum a Theologo nostro eodem Joanne Herbesto accepissent: ipsi Ruthenici sacerdotes, qui etiam erant dicturi, casu Armenorum perculsi, tantum mihi bene precati, et subjectione oblata, ad reditum sui Wladicæ sive Episcopi Russici omnia differri petierunt. Quare ut fundamenta earum rerum mitissima ponerentur, quæ ad communem utilitatem spectant, dum ex industria cum Calendario, quod illi non intelligunt, neque nisi a condito mundo suos falsos annos numerant, negociationes ac nundinas eorum conjunxissem, cum Magistratu communicato consilio, in aliud tempus rem prorogavi, ut et Wladica rediret, et Armeni cum civibus mihi responsum deliberatius darent. Sed nunc Wladica mœret, furitque absens et mutus ob amissum a sua Synagoga Ducem, neque adhuc mihi obedientiam præstitit, fretus affinitate cujusdam Magnatis Catholici, sed et iste vir bonus est et mihi amicissimus. Heri, hoc est die Sanctæ Annæ, Societas io hac Civitate apud fratres Bernardinos a nobis cum maxima hominum utriusque sexus devotione, quæ appellatur Sanctæ Annæ, et jam etiam authoritate Sanctissimi Domini Nostri ab antecessore Illustrissimæ et Revmæ Dominationis Vestræ confirmata, instituta est. Judæi a me magnis precibus, etiam muneribus contendunt, ut illis Synagogam, ab ipsis ante annos aliquot erectam, privilegio confirmarem, sed nihil impetrant, neque impetrabunt. Jam bis cum illis sermonem paulo ante habebam, cum quendam juvenem Ungarum Catholicum a carcere atque periculo mortis, quod illi ab iisdem Judæis parabatur, liberarem, ut ne diutius frustra Messiam expectarent, sed eum, qui jam missus esset, agnoscerent; utinam saperent, et bona sua nossent, agricolæ fortunati essent. Pluribus nunc non agam, tantum me Illmæ et Rmæ Dominationis Vestræ gratiæ et amori paterno quam diligentissime commendo, eamque diutissima et rectissima valetudine frui peropto. Leopoli 27. Julii 1583.

Illmæ ac Rmæ Dominationis Vestræ

Cliens et servitor addictissimus

JOANNES DEMETRIUS SOLIKOWSKI

ARCHIEPISCOPUS LEOPOLIENSIS

manu propria.

Haud quidem sine voluptate leges, quæ Benedictus Herbestus e Societate Jesu de optime ab se locata opera in Ruthenis cum Ecclesia Catholica conjungendis, Vapovia pientissima fœmina, magnæque apud suos auctoritatis, plus quam ex virili parte adlaborante, eidem Nuntio Apostolico scribebat; adeo ut in spem venerit, ipsosmet Popones (ita Ruthenorum Sacerdotes appellantur) ad Romana sacra adductum iri. [*]

[*] Polonia Vol 99 fol. 500.

Reverendissimo in Christo Præsuli Domino Alberto Bologneto Dei gratia Episcopo Massanensi, S. Sedis Apostolicæ in Polonia Nuncio, Domino et Benefactori suo Observandissimo.

Reverendissime in Christo Præsul, Domine et Patrone noster Observandissime.

« Gratia et pax Christi etc. Cum Magnifica Domina Vapovia, vidua pietatis excellentis, quæ tota studio perfectionis suæ et salutis suorum proximorum ardet, integras quinque hebdomadas hoc tempore exegi: curabamusque modis omnibus id, ad quod et Sanctissimus Dominus noster singularem nobis benedictionem concessit. Conversio hæc Ruthenorum, et quod quasi nova esset, quæ ab aliis non curatur, et quæ pericula videatur habere adjuncta, paucis hic sane probabatur. Virilis tamen piissimæ hujus fœminæ animus, dum etiam mihi vires adderet, effectum est id per gratiam Dñi, quod sine ullo periculo tres et hoc tempore Synagogas Ruthenorum in Catholica templa consecra-

verimus. In prima Dynoviensi Ruthenо-romana Ecclesia ideo nobis res ex animi sententia procedere non poterat, quod Popones clam abducebant homines, ne ex nobis audirent verbum Dei; propterea que Duces ipsos aggressi, convocataque Ruthenorum plebe, ita ubique convincebamus eos, ut quid contradicerent, non invenirent. Provocaverant autem et ad Wladicam suum Premsiliensem, nobis id eis libenter concedentibus: a quo reversi, nulloque relato præsidio, causam nostram firmiorem fecerunt. Tria proposueram eis ipsis Poponibus colloquii nostri capita.

Gratiam Dei et Regnum Cœlorum omnibus esse ante omnia curanda;

Incredulis et inobedientibus paratam esse gehennam;

Ruthenosque ipsos et errores habere, et esse inobedientes.

Atque ita factum est, ut qui nos prima fronte aversabantur, audirent postea attentius; fierentque omnes dubitantii, quidam semicredentes, tres tantum absoluti ab hæresi. Ruthenorum enim horum commune dictum esse ad nos solet, maxime vero ad suam hanc piissimam Dominam: dum alii ad Ecclesiam Romanam accedent, tunc etiam nos.

« Animis ergo omnium ad dubitationem adductis, magnoque metu eis propter nostram salutem incusso, oportebat equidem me opus hoc cœptum in nomine Domini continuare; sed quia instabat alia mea missio ad Illustrem Ducem Ostrogensem Costantinum filium, qui nuper cum uxore sua ad Ecclesiam quoque nostram accesserunt, propterea necesse erat, causam hanc Dynoviensem in reditum meum (Deo volente) differri.

« Descripsi etiam totam hanc nostram Ruthenorum Dynoviensium conversionis rationem lingua nostra vernacula: quæ dum ad Reverendum Patrem Provincialem nostrum mittetur, eritne excudenda typis, (quod nostri hic desiderant) illius erit judicare.

« Si etiam Popones (idest Sacerdotes) Ruthenorum vellent fieri Catholici, ad id jam non parum (nisi quid simulent) inclinati; quid cum eis faciendum esset, opus est nos habere certam hujus rei resolutionem. Ad Ruthenos citius convertendos valeret magis illa ratio, quæ in Florentino Concilio constituta fuit, ut liceret Grææ fidei Sacerdotibus ritu suo facere omnia, uno hoc, ne quid erroris admisceatur, proviso. Ante omnia autem, si quid eis credendum esset, conscientiæ eorum per veram pœnitentiam expurgandæ essent.

« Hæc ego ad Reverendissimam Dominationem Vestram paucis, ante lucem, in mediis occupationibus, ad sacrum accessurus, moxque rediturus ad nostros Jaroslaviam, et illinc iturus ad Illustrem Magnum Dominum Palatinum Podoliæ, Reverendissimumque Dominum Archiepiscopum Leopoliensem, et ad ipsum denique Illustrem Dominum Constantinum Ducem: cum quo forsitan oportebit me esse usque ad Natalem Domini; ne desimus ei et propter sacra atque conciones, et propter patrem ejus, matremque uxoris ejus, qui adhuc in erroribus Ruthenicis persistunt. Sint autem hæc ad Reverendissimam Dominationem Vestram scripta, etiam Magnificæ hujus Dominæ Vapoviæ nomine: quæ Revmæ Dominationis Vestræ benignitatis in se gratissima, et salutat eam quam officiosissime, et commendat se ejus sanctis sacrificiis ac orationibus, ipsa vicissim coram Domino Reverendissimæ Dominationis Vestræ libenter memor. Quam cupimus bene in Domino semper valere, in dies ad majorem ipsius gloriam etc. Amen. Dynovi 13. Octobris anno Dñi 1583.

Reverendissimæ Dominationis Vestræ Domini et Patroni sui observandissimi

Servus in Christo

Benedictus Herbestus.

XLIII. — Gregorius, ut oportuit, de admodum felici apud Ruthenos segete valde lætatus, viros illos Principes, qui in ea excolenda omnes suas curas contulerant, in eo studio confirmavit, promisitque sese eorum votis satisfacturum. Hæc ad Slucensem Ducem. (*) [(*) Reg. Gregorii XIII. An XII ep. 37. f. 300.]

Dilecto Filio Nobili Viro Gregorio Duci Slucensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Nullus potest esse Catholici Principis conatus gloriosior et fructuosior, quam is, in quo tantopere versari Nobilitatem Tuam ex tuis, nostrique in Polonia Nuncii literis cognovimus, de Græcorum scilicet Ecclesia tuis in locis ad Romanam Catholicamque Ecclesiam reducenda, quo nomine gratulamur Nobilitati Tuæ, tum præsentem laudem, tum amplissima immortaliaque a Deo præmia tuæ pietati reposita, rogamusque, ut quod tanto cum zelo suscepisti, pari quoque studio usque ad extremum exequaris. De mittendis ad te hominibus Græcis, ut sapienter ais, piis, inque Sanctorum Græciæ Patrum scriptis diligenter versatis, satisfaciemus postulationi tuæ. Cætera ex Nuncio ipso cognosces; optamus, precamurque tibi a Dño Deo Nro omnem fœlicitatem. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die III. Septembris MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

En litteræ in eandem sententiam scriptæ, quas Ostrogiæ Duci dedit; quibus præterea fidem ei fecit, se negotium illud Romanorum Imperatori per Nuntium suum Vindobonensem vehementer commendasse. (*) [(*) Reg. Gregorii XIII. An. XII ep. 62. f. 302.]

Dilecto Filio Nobili Viro Constantino Ostroviæ Duci.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Amamus Nobilitatem Tuam propter tuam præstantem voluntatem, Christianorumque inter se discordiæ ac dissidiorum odium, propterque optimam spem majoris in dies Divinæ in te gratiæ fructus. Quod postulas, ut Græcos ad te homines mittamus Ostroviensis collegii causa, tum in hac re, tum in cæteris omnibus, quas ad te pertinere intelligemus, gratificabimur Nobilitati Tuæ, idque libentissime faciemus. De tuo negocio apud charissimum filium nostrum Rodulphum Romanorum Imperatorem electum, venerabilis frater Episcopus Vercellensis aget cum eo nostris verbis diligentissime; sic enim ei mandavimus. Deus benedictus amplectatur cumuletque Nobilitatem Tuam sua gratia omnique fœlicitate. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die III. Septembris MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

XLIV. — Negotium autem hoc erat hujusmodi. Janusius Dux, Constantini frater, nobilem quamdam puellam Hungaricam sibi in matrimonium duxerat, cujus pater omni fere re familiari a Cæsare spoliatus fuerat, propterea quod una cum aliis ex Nobilitate hominibus ejus regni, medio hoc sæculo, contra Rempublicam conjuraverat. Quamobrem Constantinus Dux Pontificem curare efflagitavit, ut fratris uxori bona paterna restituerentur; præsertim quod, quo tempore ipsius pater condemnatus fuerat non ea erat ætate, ut patris conscia esse posset; æquum igitur non esse, ut nullius paterni facinoris comperta, eadem lege mulctaretur. En supplicem libellum, quem Christophorus Kasimirski, Canonicus Ecclesiæ Tarnoviensis, qui Duci Janusio a secretis erat, de hac re Nuntio Apostolico exhibuit. [*]

[*] Polonia Vol. 20. fol. 113.

Memoriale Illustrissimo Domino Domino Sedis Apostolicæ Nuntio, in negotio Illustrissimi Domini Janusii Ducis Ostrogiæ.

« Petit agendum, ut mandatum Sacratissimæ Majestatis Cæsareæ Romanorum contra Illmam Dominam Susannam Seredi, conjugem Illustrissimi Ducis Ostrogii, de Constitutione ipsius in Conventu Regni Ungariæ tollatur et abrogetur, vel ne Suæ Celsitudinis uxor in crimine rebellionis et nota perpetuæ infidelitatis condemnetur.

Ex rationibus infrascriptis.

Primo, quod fœminam, et quod magis, adolescentulam rebellionis accusare, et indignum et inconveniens sit, propter sexum et ætatem ad rebellandum minus aptam.

« Secundo, si fœmina crimen rebellionis incurrere possit aliquo facto, virgo, quæ tenetur obedire parentibus, nequaquam tamen possit. Ducissa vero quidquid fecit, si in illo peccasse putatur, quod Polono nupserit, virgo nupsit, nec sibi ipsa elegit virum, sed a parente electum accepit.

« Tertio, neque per parentes suos vitricum et matrem quicquam peccatum esse videtur ex iis rationibus ex prima.

« Quoniam lex Regis Mathiæ venditionem, oppignorationem, commendationem, resignationem prohibet, affinitates vero contrahere et propria possidere nullibi prohibet, et Illustrissima Domina Susanna Seredi conjux Illmi Ducis Ostrogii id fecit quod leges non prohibent, quod nupsit Duci Ostrogio; quod leges prohibent non fecit, nam bona sua nemini peregrino commendavit, præter Ungarum Joannem Batori, non resignavit, non vendidit, sed ipsa possidet tanquam hæres.

« Secundo, quod lex illa dum condebatur tempore Regis Mathiæ, tum Duces Ostrogiæ non continebantur in corpore Regni Poloniæ, sed ad magnum Ducatum Lituaniæ pertinebant, qui Ducatus proprium habuit Principem et ante; nam apud Polonos regnante Wladislao Sagellone, apud illos regnabat Alexander Vitoldus, postea Sigismundus, illis successit Casimirus, qui inde ad Regnum vocatus, et illo defuncto jam post tempora Regis Mathiæ, apud Polonos regnante Joanne Alberto, apud illos regnabat Alexander Casimiri filius, et ideo Ducem Joannem et uxorem ejus afficere hæc lex non potest.

« Tertio, quia illa lex fuit condita ex summa iniquitate; nam cum Mathias Rex cerneret se alienum occupasse Regnum, quod jure successionis pertinebat ad Regis Poloniæ Casimiri filios, nepotes ex sorore Ladislai Regis Ungariæ Austriaci, et multi Ungari sollicitarentur filios Regis Poloniæ ad recuperandum Regnum, ut facilius illis iter præcluderetur, hæc lex a Rege Mathia condita est, verum nunquam in usu fuit; nam post obitum Regis Mathiæ, et Regnum Wladislao Casimiri filio Polono Sigismundi fratri concessum, post quem Austriaci successionis jure tanquam ex filia ejus progeniti successerunt, et multi Poloni maximas possederunt possessiones, et superioribus proximis temporibus Hyeronimus Lazki Arcem Kiesmach Polonus ex donatione Joannis Regis Ungariæ possedit, et filius ejus Albertus possidebat, et Arcem Niedziedza idem Laski jure oppignorationis possidebat.

« Et hanc ipsam Arcem Makowicza idem Albertus Laski jure uxoreo et reformatorio, cum relictam uxorem Magnifici Georgii Seredi Magni patrui Ducissæ duxerat, possederat, unde apparet hanc legem aboletam esse causa ipsa, propter quam fuit laudata aboleta. Affinitates autem semper contrahebantur Ducum Masoviæ ultima

filia in Ungariam locata. Dux Joannes Wisniowieczki et Theodoretus Sanguskowicz ex Ungaria acceperant uxores, Magnificus Dominus Georgius Seredi Ungarus ex Polonia duxerat uxorem, et nunc Dominus Hnmienczki Ungarus Polonam quoque duxit. Hæc Ungari: Dominum vero Lubomirczki Polonum, qui nunc est magister salinarum, mater Ungara peperit, et Dominus Sieniawski unus Ungaram duxerat: hæc nostris temporibus.

XLV. — In eo vero laudes omnes suas idem Constantinus Dux superavit, quod nulli curæ, nulli operæ pepercerit, ut ipsum Constantinopolitanum Patriarcham, cui Rutheni Schismatici sacro jure parent, ac tanquam supremum fidei suæ arbitrum venerantur, ad se Ecclesiæ Catholicæ conjungendum induceret. Cui rei ut molles aditus captaret, novam illi Gregoriani Calendarii emendationem miserat, ab eo petens, ut eamdem apud suos reliquosque Orientis populos in mores induci curaret. Nam Hieremias (hoc erat Præsuli Constantinopolitano nomen) vir erat ingenii mitissimi, quod facile moveretur, et animum haud ita multum ab Ecclesia Catholica alienum gerebat. Neminem unum certe latet, quanta cum constantia, quantaque doctrina Ecclesiæ Orientalis dogmata adversus Theologorum Protestantium Germaniæ, præsertim Tubingensium hæreses propugnaverit. Illi enim vel ab anno MDLXXIV. omni blanditiarum, argumentorum, mendaciorumque genere eum ad Confessionem Augustanam probandam, veluti Ecclesiæ Orientalis placitis congruentem, adducere fuerant conati. Quos vero ille vir ab ea spe dejecit, in eamdem Confessionem scribens accuratam doctamque censuram. Propensæ quidem suæ in Latinam Ecclesiam voluntatis specimen quoddam dedisse visus est, cum egregias quasdam SS. virorum reliquias exeunte anno superiori Gregorio XIII. dono misit, inter has S. Andreæ Apostoli manum, Achajæ ex translato corpore relictam, atque S. Joannis Chrysostomi digitum, una cum litteris ad eumdem Pontificem, quas postea eruditissimus vir Emmanuel Schelstratenius ex autographo originali in Bibliotheca Vaticana asservato necnon alia acta, quæ eidem Patriarchæ circa Augustanam Confessionem cum Protestantibus intercesserunt, græce et latine edidit, commentariis sane quam doctis adjectis, in opere cui titulus: Acta Orientalis Ecclesiæ contra Lutheri hæresim, monumentis, notis ac dissertationibus illustrata. Romæ 1739. 2. Vol. fol. Tom. 1. pag. 249. 252.

Gregorius igitur tanta illius Præsulis humanitate captus, de vaferrimis impiisque Protestantium postulatis ab eo rejectis et confutatis maximopere est gratulatus; suasitque, ut novam Calendarii emendationem adscisceret; simul misit spiritualia quædam munera per Joannem Bonafidem presbyterum Societatis Jesu, cui una cum duobus Patribus ejusdem Societatis res Catholicorum Constantinopoli curandas dederat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI. ep. 111. f. 325.

Venerabili Fratri Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Ex quo tempore primum cognovimus, quanta cum libertate Germanorum hæreticorum te tuosque omnes ad suum numerum, hoc est ad certissimum interitum aggregare cupientium postulata rejeceris, quamque aperte conscripto etiam libro atque edito illorum perfidiam confutaveris, amavimus virtutem tuam. Hæc enim a venerabili fratre Petro tunc Nonæ Episcopo, cum istinc ad Nos rediisset, accepimus. Itaque etiam agimus gratias Deo, quod te ab illa peste integrum conservaverit. Non satis habent miserrimi homines Christum exuisse, eque finitimorum etiam animis ejecisse; conantur idem facere in regionibus longissimo intervallo disjunctis: toto denique orbi ei bellum indixeront, neque illum usquam consistere pati possunt. Nam ut præclare ait Beatus Basilius, quid aliud, quam Christum oppugnant, qui sanctam et Catholicam ejus fidem, Apostolicasque traditiones oppugnant? Quid non a patribus profectum est? inquit beatus Athanasius; sed nuper inventum, quid aliud de eo existimari debet, quam illum ipsum, cujus Paulus mentionem facit? in novissimis temporibus deficient quidam a recta fide, adhærentes spiritibus erroris et doctrinæ dæmoniorum per hypocrisim, eorumque, quibus conscientia cauteriata est, et aversantur veritatem. Amamus te igitur in primis hoc nomine, quod illos tam aperte rejeceris, quodque tam testatam illorum perfidiam esse volueris. Nostræ autem erga te charitatis testes erunt hæ literæ et libellus, quem una mittimus. Scis beatum Athanasium atque Epiphanium scriptum reliquisse, duabus potissimum de causis Sanctos illos Patres Nicæam convenisse, Arrianæ nimirum impietatis damnandæ, et sancti Paschæ temporis constituendi, et hæresis quidem illa Patrum illorum providentia et Dei benignitate extincta est. Paschalis autem celebritatis tempus, quomodo a Patribus illis tum fuit definitum, superni motus necessario immutarunt. Nihil igitur fieri melius posse judicavimus, quam si eadem illa, quæ tum Patribus illis probata est, verni æquinoctii, ac decimæquartæ lunæ, primæque Dominicæ diei ratio reduceretur; provideretur que, ne qua in posterum commutatio fieret. Id vero, adhibitis veris optimis atque eruditissimis, summa Catholicorum Principum omnium voluntate perfectum est. Eam nunc igitur emendationem hoc libello comprehensam ad te mittimus, ut eam a tuis observari velis. Absur-

dum enim esset, si quid inter Christianos tam gravi in re discreparet, et alii alio tempore sacrosanctum Pascha celebrarent. Te vero, ne hoc accidat, neve tui a reliqua Ecclesia hac in re dissideant, provisurum speramus. Mittimus etiam per dilectos filios Michaelem Eparchum, et Joannem Bonamfidem munera quædam spiritualia. Ex iis etiam cætera, quæ ad Calendarii emendationem pertinent, cognosces, rogamus ut eis fidem tribuas. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quinta Februarii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nři anno undecimo.

Habeas etiam litteras ea de re ad Catholicos Constantinopolitanos datas. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. An. XII ep. 9. f. 272.

Dilectis Filiis Deputatis Scholæ Sanctæ Annæ Christianorum Peræ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Incredibiliter lætati sumus vestra charitate et desiderio pietatis plenissimo, dum omnium scholæ vestræ Christianorum nomine postulatis, ut vestræ salutis ac profectus causa mittamus ad vos aliquos ex Sacerdotibus Societatis Jesu. Tres igitur mittimus in ipsa religione probatissimos, quorum studia et labores semper vobis inservient magna cum Dei gloria, vestrumque omnium, ut speramus, utilitate et fructu. Accipietis, tractabitisque tanta eos cum charitate, quantam spectata eorum virtus meretur. Amamus vos omnes, ut par est, filios optimos, nec unquam vestris commodis deerimus; hancque ipsam voluntatem vřæ pietati Nos debere existimamus. Deus benedictus amplectatur, cumuletque vos sua gratia atque omni fœlicitate. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die vigesima quinta Junii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Quos viros Gregorius ad opus egregie perficiendum Oratoribus Reipublicæ Venetæ ac Regis Galliarum commendavit: subjicimus litteras ad Venetum. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. An. XII ep. 9. f. 273.

Dilecto Filio Nobili Viro Francisco Moresino Reipublicæ Venetæ Constantinopoli Bailo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Ex tuis litteris scriptis ad dilectum filium nostrum Aloysium Cardinalem Cornelium cognovimus incredibili cum voluptate, quanta cum charitate et zelo Christianorum eorum, qui Peræ sunt, salutis curam susceperis, quamque prudenter cogitaris de mittendis eo aliquot Sacerdotibus ex Sodalitate Jesu. Tres igitur mittimus apud suos in primis probatos, unum Gallum, alterum Ragusinum, tertium Anconitanum. Speramus eorum laborem atque operam fructuosissimam futuram. Probamus etiam consilium tuum de Ecclesia Sancti Benedicti, de qua etiam scribimus ad Oratorem Regis Christianissimi. Quæ præterea opus erunt, providebimus. Quod Sacerdotes ipsos Tuæ Nobilitati commendemus, nihil est; jam enim perspectissimam habemus in hoc negocio optimam voluntatem et zelum tuum, quo etiam nomine te unice diligimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima quinta Junii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

XLVI. — Veruntamen res haudquaquam pro spe tum Gregorio, tum Ostrogiensi Duci contigit. Nam Constantinopolitanus ab Alexandrino Patriarcha, qui ab Ecclesia Catholica alienato omnino erat animo, impulsus atque illectus non modo Calendarium non admittendum existimavit, sed etiam Duci Ostrogiensi graviter succensuit, quod in ea esset sententia, ut ejus Ruthenis idem adsciscendum proponeret. Pius hic Princeps litteras, quas ab utroque Patriarcha de ea causa acceperat, Antonio Possevino reddidit, rogans vehementer, ut quæ sibi contra novum Calendarium objicerant, refelleret. En ejus ad Possevinum litteras. [*]

[*] Germania Vol 38. fol 193.

Reverendissime Pater Domine et Amice Colendissime.

« Candorem animi mei erga Rev. Paternitatem Vřam ex eo colligere potest, quod litteras a Sanctissimis Patriarchis Ecclesiæ Grecæ nostræ ad me de Calendario scriptas, legendum et in linguam latinam transferendum Rev. Paternitati Vřæ mitto, diligentissimeque rogo, ut eæ litteræ quam fidelissime transferantur, tum quid respondendum mihi ad eas sit, Græca lingua exemplar litterarum, cum translatione Polonica, ut ipse intelligam mihi scribat, ut intelligant me velle contrarium illis sentire, quo ex disceptatione nostra res in lucem prodeat, cum et ipsa R. P. V. ex literis ipsorum cognoscet, velle eos plura de hoc negocio scribere; rem mihi quam gratissimam R. P. V. factura, quam omni genere officii ac gratitudinis referre curabo. Cum his me orationibus R. P. V. diligentissime commendo. Datum Niepolomiciæ die 9. Julii anno Domini 1583.

Vestræ Reverendæ Paternitatis

Observaotissimus Amicus
CONSTANTINUS DUX OSTROGLÆ PALATINUS KYOWIENSIS, WOLHINIENSIS MARSALCUS
manu propria.

Possevinus studium tanti viri haud esse remorandum ratus, continuo doctissimum commentarium conscripsit, quo vana illa et nullius ponderis argumenta, ab utroque Patriarcha in litteris ad Ostrogiensem Ducem prolata, plane refellit. [*] Hunc commentarium ille Dux extemplo cum litteris summa et pietate et cha-

[*] Mantissa document. N. 73 Cf. et Possevini perdoctum comment de anni et pascha emendatione in lib. de Moscovia p. 206 220

ritate scriptis ad eosdem Præsules misit. Qua de re hæc Possevino retulit. [*]

[*] Germania Vol. 15. fol. 344.

Reverendissime Pater Dñe et Amice, Fautorque nobis Observandissime.

« Literas quas Tuæ Reverendæ Paternitatis trinas accepi, viro omni laude et honore digno, tantaque sanctitate prædito, magni momenti apud me esse fateor, quod hercle non postremum signum esse arbitror singularis benevolentiæ Reverendæ Paternitatis tuæ erga me: cumque id gratum mihi sit, quamquam gratissimum omnibus viribus contendam, Deumque Optimum Maximum exorabo, ne immemor tanti beneficii Reverendæ Paternitatis Tuæ in me collati ingratus esse videar.

« Per certum tabellarium meum literas meas ad Beatissimum Patriarcham Constantinopolitanum me nunc mittere Reverenda Paternitas tua sciat, in quibus hujusmodi verbis usus sum, ne aliqua nota suspicionis et inconstantiæ cujusdam inuratur, ne etiam ab ulteriori processu unioni qua de agitur eum deterream; mollibus enim verbis mitigatur animus protervus, duro vero sermone et aspero provocatur ira. Et cum Paulus doceat monendos esse fratres in spiritu lenitatis: hunc modum et ordinem servare nos docet. Deus vero et Pater Domini nostri Jesu Christi, dator pacis et amator veritatis, (qui est trinus in persona, unus vero in essentia regnans in ævum) unum nos efficiat (uti est ipse unus cum suo dilecto filio, Sanctoque Spiritu) in opprobrium et confusionem inimicorum Crucis Jesu Christi; hujus enim gratia sine intermissione Ecclesia Orientalis humiliter exorat Deum, quod nobis præstare dignetur Pater et Filius et Spiritus Sanctus in sæcula benedictus.

« Ad extremum cum mihi certo sit persuasum de tuæ Reverendæ Paternitatis prudentia, atque in rebus gerendis dexteritate, multumque pollere auctoritate et eloquentia apud magni nominis, tum eximiæ virtutis et eminentiæ viros omne negotium meum Reverendæ Paternitati tuæ committo, præcipue apud Cæsaream Majestatem in causa Makovicensi et Radnicensi, in qua non dubito Reverendam Paternitatem tuam talem se exhibituram, prout Deus Omnipotens Reverendam Paternitatem tuam erudiet, et per Spiritum suum Sanctum eloqui faciet, in quibus negotiis cum sciam Reverendam Paternitatem tuam bene jam informatam esse, eo brevius hac de re ad Reverendam Paternitatem tuam scribo. Casimirium tamen istuc meum mitto, ex quo omnia, quæ ad negotium pertinent, lucidissime et copiose cognoscet. Cum his me devotis precibus Reverendæ Paternitati tuæ humiliter commendo.

Datum Ostroviæ die 3. Octobris, anno restitutæ salutis 1583.

Vestræ Reverendissimæ Paternitatis amicus benevolus

CONSTANTINUS DUX IN OSTROG, PALATINUS KIOWIENSIS, TERRARUM WOLINIÆ MARESCALCUS SUPREMUS

manu propria.

XLVII. — Atque heic singulari laude est perhibendus Luceoriensis Episcopus, quod, Apostolico Nuntio auctore, Brestæ, quæ est Urbs Masoviæ, Ruthenis Schismaticis quam maxime referta, Collegium Societatis Jesu Patribus excitavit; a quibus juvenes et sacris et prophanis litteris imbuerentur, ad illius gentis conjunctionem cum Ecclesia Romana promovendam. Cum autem census haud suppeterent, duo illi Præsules hanc inierunt rationem, ut parochialis Ecclesia S. Mariæ Brestensis eidem Collegio attribueretur ea lege, ut per Patres Societatis Jesu Vicarius perpetuus designaretur, qui curam animarum susciperet. Quod cum fieri sine Pontificis auctoritate Regisque venia non posset, ab utroque id se petituros, per hanc syngrapham a scriba exaratam alter alteri fidem suam obligavit. [*]

[*] Polonia Vol. 20. fol. 481.

Instrumentum publicum

« Universis et singulis quorum interest notum sit, qualiter Reverendissimus Dominus Victorinus Wirzbiczki Episcopus Luceoriensis, agens cum Reverendissimo Domino Nuntio de rebus suæ diœcesis et præsertim Brzesti, Lomazy, Piesctatka oppidorum et aliorum locorum, qui in hac vicinia sunt, exposuit Dominationi Suæ Reverendissimæ, propterea destitui cultum divinum, et Catholicos homines carere sacris, ciboque spirituali indigere, quod operarii idonei non reperiantur. Cum vero Reverendissimus Dominus Nuntius eidem Reverendissimo Domino Episcopo obtulisset daturum se operam, ut hic Patres Jesuitas (quorum diligentia, vigilantia, doctrina, et pietas omnibus perspectissima est, quique propterea a Reverendissimis Dominis Archiepiscopis, Gnesnensi, et Leopoliensi, Episcopo Cujaviensi, et aliis exoptantur) in hoc oppido Brzesctie introduceret, dummodo idem Reverendissimus Dominus Episcopus Luceoriensis vel certam illis pecuniam donaret, quæ ad sustentationem aliquot Patrum sufficere posset, vel saltem illos ex suis proventibus aleret. Dominatio Sua Reverendissima cum proventuum ipsorum tenuitatem causaret, hoc potius remedium proposuit, ut in ipsa ista Parochiali Ecclesia Tituli Assumptionis B. Mariæ Virginis hujus oppidi Regii Brzesctie Patres ipsi Societatis introducerentur, ubi scholas haberc, ac Civium, tum etiam vicinorum filios ad pietatem erudire possent. Quod cum audiret Reverendissimus Dominus Nuntius, obtulit se paratum Reverendissimam Dominationem Suam in hoc adjuvare, sed dixit rogandum es-

se Regiam Majestatem, ut hac in re tanta pro sua pietate nobis auxilium præstare non gravetur, ut institutum opus perficiatur, quod commodissime fieri posse subjecit idem Reverendissimus Dominus Episcopus Luceoriensis, si hæc ipsa Parochialis uniretur Societati Jesu cum obligatione statuendi Vicarium perpetuum, quemadmodum Vilnæ factum est, id quod facile Regiam Majestatem a Sanctissimo Domino Nostro obtenturam confidit. Quare rogavit eundem Reverendissimum Dominum Nuntium, ut hoc opus alacri animo perficeret, cum sibi nihil gratius accidere posse affirmaret. Itaque utraque ex Dominationibus suis Revm̃is mandavit mihi Notario infrascripto hac de re fieri unum vel plura, publicum seu publica, Instrumentum et Instrumenta, quæ pro supplicatione nunc statim Regiæ Majestati offerrentur, moxque etiam ad Sanctissimum Dõm Nostrum mitterentur. Acta fuerunt hæc Brzesctie Lithuaniæ anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Indictione undecima, die vero xviii. Novembris, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri, Domini Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno duodecimo, præsentibus Reverendissimis Dominis Alberto Moglio utriusque Juris Doctore, Balthasare Vornetto Bononiensi, et Petro Maguano dicti Reverendissimi Domini Nuntii familiaribus ad præmissa testibus.

« Et me Stanislao Schydlovio publico Apostolica authoritate Notario. Quia præmissis omnibus et singulis, dum sic fierent et agerentur una cum prædictis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi. Ideo hoc præsens publicum Instrumentum exinde confeci, subscripsi, signoque, nomine et cognomine meis solitis et consuetis signavi. In fidem et testimonium præmissorum rogatus et requisitus.

Quæ res cum Regi pro sua pietate valde esset probata, Luceoriensis Episcopus, quo ardebat Patrum Societatis Jesu desiderio, non dubitavit per id temporis, dum Patres illi eo convenirent, parœciam ipsemet ultro regendam suscipere. Ita cum Nuntio convenisse patet ex altera syngrapha. [*]

[*] Polonia Vol 20. fol. 626

« Universis et singulis quorum interest pateat evidenter et sit notum, quod cum Reverendissimus Dominus Victorinus Wirzbiczki Episcopus Luceoriensis convenisset Reverendissimum Dominum Nuntium Apostolicum, et exposuisset Regiam Majestatem miro gaudio affectam esse, quod audisset inter Dominationes suas Reverendissimas ita conventum esse, ut Parochialis Ecclesia Brzestensis tituli Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis adjudicaretur Societati Jesu cum deputatione Vicarii perpetui, postea idem Reverendissimus Dominus Luceoriensis petiit a Reverendissimo Domino Nuntio, quisnam deberet curare negotia istius Parochiæ, dum Reverendissimus Generalis, vel Reverendus Pater Provincialis Societatis Jesu in Polonia mitterent aliquos Patres ad capiendam possessionem. Ad quod cum vidisset Reverendissimus Dominus Nuntius nihil consultius fieri posse, quam ut ipsemet Reverendissimus Dominus Nuntius deputaret aliquem, qui interea nomine Sedis Apostolicæ et habitationem Plebani curaret, et Subditos regeret, et lites negociaque omnia Parochiæ administraret, replicavit idem Reverendissimus Dominus Luceoriensis non facile inveniri posse talem virum, qui ex fide et ea qua par est diligentia præstiturus esset, seque ipsum obtulit paratum hunc laborem suscipere, testans Deum Omnipotentem se non lucri alicujus gratia, nec commoditatis id facere, sed tantummodo Ecclesiæ hujus gratia et ad commodum Reverendorum Patrum Societatis, quos in procuranda Dei gloria et salute animarum egregios adjutores habere sperat, imo et plane confidit. Quod cum audisset Reverendissimus Dominus Nuntius, pietatem Dominationis suæ Reverendissimæ et studium in Patres maxime laudavit, statimque eundem Reverendissimum Dominum Luceoriensem deputare et constituere, quemadmodum deputat et constituit, Administratorem nomine Sedis Apostolicæ Parochialis istius Ecclesiæ, donec Dominatio sua Reverendissima vel per introductionem Patrum, vel alio modo providendum esse duxerit; sicque idem Reverendissimus Dominus Luceoriensis administrationem præfatam et cum præfata conditione acceptavit, promittens ad arbitrium vel Sanctissimi Domini Nostri vel Dominationis suæ Reverendissimæ quocumque tempore præfatam Ecclesiam, habitationem, subditos, aliaque omnia bona, quæ præfata omnia nunc se administratorio tantum nomine tenere confitetur, libere dimittere; renuncians cuicunque impetrationi, et quibuscunque juribus, quæ in dicta Ecclesia et bonis quocunque jure, forma et nomine prætendere posset: quæ omnia et singula utraque ex Dominationibus suis Reverendissimis medio juramento, manibus ad pectus admotis more Prælatorum, observare, et in nullo contravenire promiserunt. Super quibus omnibus et singulis utraque ex Dominationibus suis Reverendissimis mandarunt, per me Notarium infrascriptum unum vel plura, publicum seu publica, confici Instrumentum et Instrumenta. Acta fuerunt hæc Brzesctie anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Indictione undecima, die vero vigesima mensis Novembris, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri, Domini Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno duodecimo, præsentibus egregiis viris Domino Alberto Moglio utriusque Juris Doctore, Honorato Felice Glemboczki Plebano in Nieeziecza, Domino Carolo Gambarino Bononiensi, et Fran-

cisco Seragonio Lucanæ diœcesis Clerico, testibus ad præmissa specialiter vocatis atque rogatis.

Et me Stanislao Schydlovio publico Apostolica authoritate Notario etc. ut supra.

XLVIII. — Stephanus Rex, Livonia a Moscis recepta, (a quibus plures Episcopales Ecclesiæ male mulctatæ violatæque fuerant, earumque bona ita distracta ac dissipata, ut vix aut ne vix quidem iniri ratio potuisset, qua ea a privatis hominibus possessa recuperarentur) sanctissimo consilio statuit Ecclesiæ Catholicæ in ea provincia, cui hostes tam proxime imminerent, esse prospiciendum maxime. Quapropter sedem Episcopalem Vendensem excitandam esse existimavit, quam non amplissimis solum vectigalibus dotavit, sed etiam Episcopum peculiaribus in re civili juribus auctum esse voluit. Quæ ut Pontificis auctoritate essent rata, ab eoque alia etiam postulata impetraret, has Gregorio scripsit litteras, in quibus non minus regiam liberalitatem, quam animum semper intentum in fide Catholica ad pristinum decus restituenda et prolatanda admireris. [*]

[*] Lettere e memorie del P. Possevino S. J. Nunzio Ap. nel Settentrione Vol. 2 fol. 213.

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater et Domine Domine Clementissime.

« Post oscula pedum beatorum, mei Regnique et dominiorum meorum diligentem commendationem. Cum Dei Optimi Maximi benignitate factum sit, ut jam tandem Livonia Provincia Schismaticorum imperio liberaretur, nihil antiquius habui, quam ut Divinæ bonitati hujus tantæ victoriæ fructum, ea qua Christianum Regem imprimis decet, pii gratique animi significatione quam possem maximum atque uberrimum redderem, atque uti per Christi gratiam, sic Christo ipsi vicisse Polonos testatum omnibus relinquerem. Quod ipsum sane voluissem in eo potissimum præstare posse, ut bona omnia Ecclesiastica Ecclesiis ipsis, Ecclesias vero ipsas pristino suo decori atque dignitati restituerem. Verum ut bona illa, primum quidem a Teutonibus hæreticis, mox vero a Moscis usque adeo direpta, distracta, perturbata, ac in varios possessores translata sunt, ut eorum nec jura, nec vestigia fere ulla appareant, tum aliæ etiam nonnullæ difficultates, quæ in hoc pio instituto meo me impediant, non exiguæ sane mihi objiciuntur. Etenim ad Rigensem Ecclesiam quod attinet, præter quam quod ab initio jam ita Civitas ab Ecclesiæ observantia alienata fuerit, ut non modo crebras cum Archiepiscopis suis contentiones exerceret, verum sæpe etiam in illos sævierit, quemdam equo inversa ad eamdem faciem impositum urbe exigeret, extremis etiam temporibus Archiepiscopis ipsis a fide Catholica ad hæresim desciscentibus, bona etiam Ecclesiastica primum ab Archiepiscopis, deinde post eorum obitum a Civitate, quæ illorum jus usurpavit, vel in prophanos usus conversa sunt, vel inter privatos ita distributa, ab iis denique variis rationibus ad diversos successores transmissa, ut qui ea recuperare velit, illi universam eam Provinciam turbare, ac quicquid ejus ab hoste incolume relictum est, evertere necesse sit. Eadem fere ratione Derpatensis Diœcesis bona et ipsa a superioribus Episcopis, qui summa cum auctoritate illi præerant, in privatos magna ex parte jam ante collata fuerant, maxime vero posterioribus temporibus, cum ita opes Episcoporum imminutæ fuissent, ut ad authoritatem suam apud subditos largitionibus, pacemque aut a Mosco redimere, aut contra ejus ipsius arma privatorum opibus tueri se cogerentur; tandemque propriorum civium perfidia, una cum urbe ipsa, universoque tractu illo in Moschi potestatem venirent, in qua cum XXIX. annis regio ea fuerit, instituto gentis Moscoviticæ nullum ædificiorum nitorem magnopere amantis, quin potius suis omnia corrumpentibus, traductis præterea in Moscoviam habitatoribus, urbs plane deformata est. Templum Episcopale, alioquin amplissimum et satis magnifice, quemadmodum pleraque ejus Provinciæ, extructum odio Religionis Catholicæ, dum ad suum ritum transmutare id contendunt, ipsorum Episcoporum sepulturis dissipatis, corporibusque ejectis, plane corruptum; reliquorum templorum ornamenta, bonaque omnia ablata. Accedit huc, quod in ea propinquitate Moscoviæ, qua octo ad summum dierum spacio navibus Derpato Plescoviam, atque inde Derpatum rursus perveniri, tormenta constitui, exercitusque admoveri possit, omnibusque prius viribus oppugnari, quam rumor ullus belli in Polonia aspiret, nec Episcopos satis pacatam, nedum commodam in perpetuo armorum metu sedem ibi habiturus esset, et mihi si universam Provinciam salvam esse velim, hæc potissimum præ cæteris ejus partibus omni studio curaque tuenda sit. Quare cum partim in præsidium ipsum, partim in munitionibus ad centenorum fere millium thallerorum quotannis sumptus faciendus sit, vel ex aliis etiam territoriis non pauca sane bona adjicienda ad Diœcesim illam mihi fuerant, ut tantum redituum conficeretur, ex quibus urbs ea munitionibus, tormentis, commeatu, aliisque ad defensionem necessariis rebus instrueretur conservareturque, in cujus salute universæ Provinciæ securitas atque pax, sine qua nec Ecclesia ipsa atque Religio Catholica propagari posset, constituta esset. Non alia et Curonensis Ecclesiæ conditio est, ut cum et ipsa tot annorum spacio in hæreticorum ac recentissimi Ducis Magni Regis Daniæ fratris potestate fuerit, bonaque ejus æque in varios possessores diversis titulis distracta, ea quoque sine maximo motu extorqueri e manibus eorum non

possent; eoque magis quod mortuo jam Duce Magno a ministris ejus adhuc teneantur, et a Rege Daniæ in controversiam vocentur. Ositensis Episcopatus ab eodem Daniæ Rege adhuc usurpatur, quemadmodum et Renasiensis a Svetiæ Rege. Quo rerum statu et Rigam quidem interim de Societate Jesu aliquos introduxi, templumque D. Jacobo quondam sacrum, et Monasterium Cisterciensis ordinis Virginum, quarum una atque altera adhuc supervixerant, quamvis ab hæreticis, quoniam alia usurpata ac ad eorum ritus traducta, recuperavi, cumque proventibus ac redditibus suis assignavi, quodque in tam vetusto hæreticorum domicilio, in quo qui Religionem Catholicam sequeretur, nemo reperiebatur, solum fieri potuit, feci, ut qui hominibus a vera Religionis plane alienatis doctrina, ac pietate sua ad eam cognoscendam præirent, non deesset. Et Derpati eadem ratione ejusdem Societatis Collegium fundare constitui, si forte benignitate Divina, non modo eorum locorum homines, sed vicinam etiam Moscoviam Catholicæ Religionis luce illustrare possent. Ita ut cum deinceps in cæteris quoque oppidis atque locis Parrochi atque Scholæ institutæ fuerint, ad quam rem omnem cogitationem sedulo contuli, cum paulo ante tot annorum spatio nullus omnino in Provincia illa locus esset, in quo Religio Catholica consisteret, nullus deinceps futurus sit, in qua non ea summo cum studio doceatur. Sed hanc ad rem, cum ut latius atque majori cum fructu fides Catholica proferatur, Episcopus, qui cum auctoritate ei præsit, in Provincia ea omnino necessarius sit, ad Sanctitatis Vestræ præsidium supplex confugio, rogoque, ut in ea Provincia Cathedralem unam Ecclesiam pro tot aliis, quæ, ut dixi, temporum injuria, iniquorumque hominum scelere perierunt, pro sua benignitate paternoque zelo erigat atque instituat, Episcopalique dignitate eamdem ornare, ac Prælatorum et Canonicorum peculiare Collegium ad aliarum Ecclesiarum exemplum, Præpositum nimirum, Decanum, Archidiaconum, Cantorem, Scholasticum, et Custodem, Canonicos vero sex adjungere dignetur. Ad id institutum Vendensem Civitatem elegi, ut quæ non modo olim secundum Rigam ac Derpatum una ex potissimis Livoniæ urbibus fuerit, et nunc maxime adhuc integra sit, verum etiam in media fere Livonia, solo ubere ac cum primis feraci ad flumen navigabile sita. Eam ob causam caput totius illius regionis, in quo judiciorum appellationis ex universa Provincia, Consiliique publici causa conventus habeantur, a me constituta sit, cum ob loci celebritatem, hominumque frequentiam, tum ob templi, quod ibi fere quamvis et ipsum ab hæreticis aliquandiu possessum, maxime tamen adhuc integrum restat, aliasque omnes commoditates non ad vitæ modo usum, sed et ad Dei cultum necessarias maxime opportunum judicavi; illique propterea arces, terras, aliaque bona immobilia assignavi, si non quæ voluissem, at certe quæ potui, et quæ ad Episcopi et Canonicorum sustentationem, adeoque etiam decorem, maxime cum ex tot continuorum bellorum vastitate ad culturam aliquam perducta fuerint, satis esse posse arbitratus sum: nimirum arcem et oppidum Wolmar, Frikatum, Brutnik, Odempa, Wrangelmoiza et Rodempens, cum omni eorum territorio, ambitu, locis, iisque omnino limitibus, quibus antiquitus quam latissime circumseptæ fuerunt, omnibus denique, quæ ad earumdem arcium usus utilitatesque pertinuerint, vel posthac pertinere possint, oppidis, foris, villis, earumdemque incolis, ascriptitiis, præsidiis tam rusticis quam urbanis, prætoriis, agris, fundis, campisque tam pascuis, quam novalibus, silvis, item lacubus, fluminibus, rivis omnibus, eorumdemque omni proventu, ejusque generis molendinorum, piscationum, venationum, aucupiorumque omnibus adeo opportunitatibus, quæ vel jam in illis sunt, vel posthac cujusvis industria ingenioque institui poterint, nullius prorsus exceptis reservatisque, omni præterea jurisdictione atque imperio, eo solo jure, quod in aliorum Regni mei Episcopatuum bona mihi competit, maxime vero, ne sine mea successorumque meorum authoritate consensuque permutare, aut alienare ea possint, salvo, in perpetuo possidenda tenendaque, proque utilitate Ecclesiæ ejus libere administranda. Domos item ejusdem Episcopi habitationi Vendæ, Parnaviæ, Derpati ac Falini, cum omni eorumdem usu fructuque singulas: Prælatorum vero Canonicorumque usibus Vendæ Vicum unum, in eoque sitas domos omnes, arbitratu Episcopi in eosdem distribuendas: Proventus autem omnes iisdem Prælatis, Canonicisque ex supra nominata dote Episcopali ita commodissime assignari posse existimo, ut nimirum Episcopus, successoresque ejus, qui posthac Ecclesiæ ejus Episcopi fuerint, Præposito, Decano, Archidiacono trecentos, Cantori, Scholastico et Custodi ducentos, reliquis sex Canonicis centenos et quinquagenos flurenos, acceptæ usitatæque in Regno meo æstimationis quotannis numeret, adque eam præstationem Divi Stephani Protomartiris festum non incommode præfiniri; reliquos autem reditus ex sanctorum Canonum præscripto atque utilitate Ecclesiæ Episcopo ipsi administrandos permitti, ita ut cum aliis, quæ muneris sui sunt, diligenter exequantur, tum in singulis oppidis, quæ supra nominavi, Vendæ nimirum, Parnaviæ, Derpati ac Falini, Vicarios officialesque suos, qui in ipsius absentia, quæ muneris ejus sunt, administrent, habeat. Parochias item et scholas

in oppidis et locis, quæ illi attribui, suo sumptu instituat. Libertatibus autem, immunitatibus, juribus ac privilegiis omnibus, quibus in Polonia Episcopi, Prælati, aliive homines Ecclesiastici, vel jure scripto, vel more et consuetudine utuntur, idem etiam Episcopus Vendensis, omnesque ejus successores, Ecclesiæque illius Prælati, et Canonici ipsi quoque libere utentur, fruenturque, neque ulla in re deteriori conditione erunt, quam qui in Polonia ejus ordinis optima conditione sunt. Nominatim autem in Consilio Provinciæ Livoniæ, judiciisque atque conventibus omnibus provincialibus principem locum a Gubernatore, seu Locitenente ejusque dicendæ sententiæ Episcopus omnesque successores ejus habebunt. Nominationem autem horum Episcoporum Vendensium, sicut et Prælatorum Canonicorumque Ecclesiæ ejus jus mihi Successoribusque meis, cum non modo Regni hujus more, sed jure communi id illis debeatur, qui de patrimonio suo Ecclesias dotant, Sanctitatem Vestram non gravate recepturam minime dubito. Quo tamen Episcopus etiam, qui ad obsequia ejus eo promptiores sint, habeat, ut illi etiam omnibusque successoribus ejus custodiæ, et trium Canonicatuum patronatus ejus Sanctitas Vestra reservet, etiam atque etiam rogo.

« At quia etiam in gravissimo hoc contra Moscum bello Illustris et magnifici sincere mihi dilecti Joannis Zamoiscii, Regni mei supremi Cancellarii, exercituumque generalis, Craeoviensisque Mariemburgensis Capitanei, præcipua opera ac singulari virtute usus sum; quo, et illius virtutis, et meæ erga illum clementiæ ad posteritatem etiam memoria propagetur, ut duorum Ecclesiæ ejus beneficiorum, Decanatus nimirum et Canonicatus unius Patronatus jus illi etiam, legitimisque hæredibus, aut siquos ex se procreatos non habuerit, iis, in quos jus id vel testamento vel inscriptione transtulerit, Sanctitas Vestra reservet, supplico. Eo igitur modo Sanctitas Vestra prædictæ Vendensis Civitatis Ecclesiam Episcopali dignitate decorare dignetur. Atque eidem Venerabilem Alex. Milenski pastorem atque Episcopum præfici, quo debeo animi studio atque observantia a Sanctitate Vestra peto. Cum enim hucusque in vocatione sua eum se hic præstiterit, qui pietate ac sanctitate vitæ sedulo aliisque præiret, minime dubitari posse videtur, qui in posterum etiam in ampliori illa vinea excolenda, spinisque ac vepribus expurganda, fidem, studium, solertiam, pietatem suam, veræque Dei gloriæ zelum omnibus probaturus sit. Quia autem in hac Provinciæ ejus tot continuis bellis exhaustæ vastitate nondum eum, qui deinceps benignitate Divina futurus est, fructum ex proventibus Ecclesiasticis percipere poterit, quo eo commodius sit majori cum fructu munus id Ecclesiasticum suum obire possit, ut Abbatiam Trzemesnensem, cui hactenus præfuit, Sanctitas Vestra una cum Episcopatu hoc reservet. Contendendum etiam mihi video, idque etiam Sanctitatem Vestram Ecclesiæ ipsius commodis non invitam tributuram confido, Sanctitatis Vestræ clementiæ me Regnumque meum etiam atque etiam commendo. Cracoviæ die xxi. mensis Maji 1583.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius

STEPHANUS REX.

Vladislaviensis Episcopus Cardinalem Comensem orat, ut commendatione sua Abbas Trzemesnensis Ecclesiæ Vendensis Episcopus a Rege designatus facilius a Pontifice instituatur.[*] [*] Polonia Vol. 20 fol. 57.

Illmo et Rmo Domino Cardinali Comensi, Domino meo Observandissimo.

Illme Domine Dne Observandissime.

« Cum Sacra Regia Majestas Poloniæ Dominus meus Clementissimus, ut recuperatæ Lituaniæ tanto commodius Religio Catholica velut postliminio restitueretur, Episcopatum initio Vendensem in Provincia illa erexerit, illique Reverendum Dominum Abbatem Tzemesnensem, virum ut nobilem, ita pium et doctum adnominaverit: nihil me aut importune aut temere facturum existimavi, si meam, quantacunque esse potest commendationem pro eodem Domino Abbate apud Dominationem Vestram Illmam interponerem. Ille enim non meo tantum, sed aliorum omnium testimonio per multos jam annos ita se in Abbatia gessit, Ecclesiamque et Monasterium illud, cui præfuit, ita juvit ac ornavit, ut quid ab eo Episcopo expectandum esset, non obscuris præ se tulerit argumentis. Cum igitur mihi pollicear, Dominationem Vestram Illustrissimam pro eo, quo est erga pios quosque studio, etiam illi non esse patrocinio suo defuturam: ego quod reliquum est, officia mea Dominationi Vestræ Illmæ etiam atque etiam commendo. Datum Viennæ Austriæ 6. die Februarii secundum vetus Calendariom 1583.

Illmæ Dominationis Vestræ

Observantissimus

HIERONYMUS ROZRAZEWSKI EPISCOPUS

WLADISLAVIENSIS ET POMERANIÆ. m. ppria.

XLIX. — Neque vero sapientissimus Rex his fuit contentus: alia præterea ratione provinciæ Livoniensis commodo voluit esse consultum. Quum enim eam provinciam maxima ex parte non solum hæreticis refertam, sed etiam ob diuturna ac fera continentia cum Mosco, Sveco, Dano bella habitatoribus pene orbatam conspiceret, consilium iniit a finitima Germania coloniam, quæ constaret ex iis, qui vel mercaturam facerent, vel artes exercerent, vel agros colerent, et præterea religionem Catholicam pro-

fiterentur, in Livoniam deducendi. Quos ut ad sedes ibi figendas illiceret, magnis sane atque pluribus privilegiis, beneficiis, juribus cumulavit. Qua de re legendæ sunt litteræ, quas publice ad Principes Germaniæ Catholicos misit: in quibus illud est animi plane regii et cum incredibili quadam animi voluptate memorandum, quod id se agere affirmat non privati sui commodi causa, sed ut universæ Christianæ Reipublicæ rationibus consulatur. (*)

(*) Germania Vol. 85. fol. 73.

Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Podlachiæ, Volbiniæ, Kioviæ etc. Princeps Transilvaniæ.

« Universis et singulis cujuscunque status et ordinis hominibus significamus præsentibus litteris nostris: quod quamprimum benignitate Divina Provinciam nostram Livoniam superiorum Regum Poloniæ lenitate amissam de potentissimo Moschorum Principe recuperavissemus, et recepissemus, faciendum nobis esse, quod recta ratio jubet, quod magni itidem et pii Principes factitarunt, in constituendis rebus ipsius Provinciæ duximus, uti quidem quod nobis et universæ Reipublicæ Christianæ felix et salutare sit. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ de Religione sententiam, quæ illic jam plane obliterata erat, Episcopo Catholico constituto, advocatisque piis Sacerdotibus, et satis amplis possessionibus Ecclesiæ addictis constituimus, et nostram in id adhuc conferimus operam, ut Provinciam legibus devinctam, viris et populo, rerumque copia auctiorem et instructiorem faciamus. Sed quia sine re agraria, et mechanicorum operis, et commerciorum usu nequicquam Provinciæ illius statum stabiliremus, placuit nobis hinc inde literas hasce nostras universales mittere, quibus omnibus quibuscunque liberet colonis, mechanicis, negociatoribus in Provinciam nostram præfatam Livoniam facultatem veniendi concederemus, ita, si graves in primis aliqui, rerumque periti viri coloniam eam deducendi sibi desumpserint munus et officium. Ceterum conditiones, quibus, quæ nos illis cavemus, et illi vicissim nobis debebunt, erunt istæ. Coloni, mechanici, negociatores isti, quas coloniæ præfectus educet, erunt Catholicæ Romanæ fidei. Iis colonis tantum fundi cultoribus vacui, cum omnibus fertilium camporum, pratorum, sylvarum, pascuorum commoditatibus, paludum, aquarum decursibus, illorum instituto accommodatis, attribuemus, quantum illis sufficiet jure hæreditario, ut certiores de jure possessorio rem familiarem curent melius. Permittemus ei coloniæ in præfata Provincia oppida, villas, prædia, atque in eis templa, scholas, domicilia, molendina, officinas, et alia id genus ædificia, præsertim ad œconomiam pertinentia, extruendi, fundosque qui ei attribuentur, prout ei melius et commodius videbitur, ad culturam reducendi, in eis etiam proventus et commoda quævis instituendi, opificia et commercia exercendi, atque salvo tamen Portorio nostro aquatico negociandi. Et si aliquod non ignobile oppidum successu temporis exædificaverint, tum eidem jura et privilegia civitatibus reliquis Livoniæ similia concessuri sumus. Ut autem hæc ipsa colonia tanto citius incrementa sua habeat, immunitatem atque libertatem decennalem ab omnibus censibus, exactionibus atque oneribus, ratione fundi quem possidebit, illi concedemus, et in ea eandem coloniam conservaturi sumus. Interim autem transigemus cum ejusdem coloniæ agricolis, mechanicis et negociatioribus de justo aliquo censu, quem post exactam decennalem libertatem subsequentibus annis, redimendis oneribus et operis rusticanis, Thesauro nostro exsolvere tenebuntur. Præfecto quoque ejusdem coloniæ, ut laborum et sumptuum in ea educenda referat fructum, satis competentem fundum et agrum conferemus. Quibus quidem conditionibus suprascriptis nos in toto et in parte satisfacturos esse pollicemur, atque hisce præsentibus cavemus, modo et ipsi ei rei, quam in se recipient, sint satis facturi. Petimus autem diligenter a Sanctissimo Domino Nostro, cæterisque Illustrissimis Principibus Christianis, ei tam salutari negotio in dimittenda colonia constituendæ Provinciæ Livoniæ ut ne desint: quio mutuis ut nos juvent operis, præsertim cum non tam emolumentum nostrum quæramus, quam Provinciæ illius reformationem, quam Regno nostro adjectam esse, non tantum nobis, sed et universæ Reipublicæ Christianæ confidimus magno futuram esse commodo et emolumento. In cujus rei fidem præsentes manu nostra subscriptas Sigillo Regni nostri consignari jussimus. Datum Niepolomiciis die XXIX. mensis Januarii, anno Domini MDLXXXIII. Regni vero Nostri anno septimo.

Subscriptum erat

STEPHANUS REX.

L. — Quæ res non minori curæ fuit Nuntio Apostolico, qui operam dedit, ut Franciscus Richardus, cui negotium illud coloniam in Livoniam deducendi commissum ab Rege fuerat, per publici scribæ syngrapham, se neminem nisi Catholicum hominem in coloniam illam esse admissurum, fidem faceret. (*)

(*) Polonia Vol. 20. fol. 180.

« In Nomine Domini Amen. Per hoc præsens publicum Instrumentum cunctis pateat evidenter et sit notum: quomodo a Nativitate ejusdem Dñi millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Indictione undecima, die vero vigesima quarta mensis Julii, Pontificatus Sñi Dñi Nñi, Dñi Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno duodecimo, in mei Notarii publici testiumque infrascriptorum præsentia, egregius vir

Dominus Franciscus Richardus Schade cupiens negocium illud jampridem a se tentatum de coloniis in Livoniam deducendis pec gratiam Regiæ Majestatis posse perficere, ac propterea denuo recurrens ad patrocinium Illmi et Reverendissimi Domini Alberti Bologneti Episcopi Massanensis Nuntii Apostolici, quem uti vicesgerentem Sanctissimi Domini Nostri, et pastorem suum spiritualem agnoscit, sic ubique protectorem habere cupit, confirmat, ratificat ac pro certo promittit, illud idem quod præterita hyeme promiserat, nempe se non alios colonos in dictam Provinciam quam Catholicos esse ducturum. Et hujus rei quodlibet experimentum vel professionis fidei per dictos colonos faciendæ, vel aliud quodcunque, quod vel Regiæ Majestati et Dominationi Suæ Reverendissimæ placuerit, etiam daturum. Super quibus omnibus et singulis præfatus Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Nuntius sibi a me Notario publico unum vel plura, publicum seu publica fieri mandavit atque confici Instrumentum et Instrumenta. Cum autem hæc præsentibus infrascriptis relicta essent, statim post relectionem idem Dominus Richardus subjunxit verba sequentia, italico sermone videlicet: Io dal canto mio sono apparecchiato affar quel che promisi sin' a verno passato circa il condur cattolici, et perchè sono persona privata, et servitore, et suddito del Rè, Vostra Signoria pò esser ben certa che io non sono per preterire in questo quanto mi sarà commesso da Sua Maestà, et da Vostra Signoria Illustrissima. Acta fuerunt hæc Cracoviæ in Venerabili Monasterio Sancti Francisci in ædibus solitæ residentiæ dicti Revmi D. Nuntii, anno, Indictione, die, mense, Pontificatu quibus supra, præsentibus ibidem egregiis viris Hyppolito Zucconello Medico Bellunense, Horatio Spannochi, Senensi, Francisco Seragorio Lucanæ diœcesis Clerico, et Nobili Jacobo Trepzki testibus ad præmissa specialiter vocatis atque rogatis.

Et me Stanislao Schydlovio Clerico Cracoviensis diœcesis publico Apostolica auctoritate, et prædicti Illustrissimi et Reverendissimi Domini Nuntii Apostolici.

LI. — Quo in negotio perfungendo quam optimos adjutores sese Germaniæ Principes præstiterint; quamque alacres undique confluerent, qui in coloniam conscribi cuperent, idem Schadenus his ad Regem litteris detulit: atque etiam petiit, ut gratitudinis ergo turcicos quosdam equos Archiepiscopo Coloniensi, cujus præcipua opera usus erat, mitteret. [*]

[*] Germania Vol 15. fol. 467.

» Serenissime, Invictissime et Clementissime Domine Rex; prævia debita oblatione meorum erga Regiam Majestatem Vestram officiorum eidem hisce meis literis significare volui, me in hac a Regia Majestate Vestra mihi demandata Legatione apud Reverendissimos et Illustrissimos Principes et Dominos, Dominum Ernestum Archiepiscopum Coloniensem Electorem etc. Dñum Wilhelmum Ducem Bavariæ etc. Dominum Wilhelmum Ducem Juliæ, Cliviæ et Montium etc. et ejusdem filium Dominum Joannem Wilhelmum postulatum et Administratorem Monasteriensem etc. Legationis Regiæ Majestatis Vestræ mandata et negotia summa cum cura exposuisse, qui me tanquam Regiæ Majestatis Vestræ Legatum omnes tam honorificenter exceperunt, ut nihil intermissum sit, quod ad Regiæ Majestatis Vestræ honorem et reputationem desiderari potuerit; seseque ad quævis officia erga Regiam Majestatem Vestram promptissimos obtulerint, et quo magis ex voto apud Ducem Juliæ legationis munera expedire possem, prædictus Dominus Ernestus Coloniensis Archiepiscopus Elector conjuncto sodalitio mecum ad eumdem Juliæ Ducem profectus est, et postulata mea summa cum diligentia non aliter ac sua curavit, qua de causa non dubito, quin Regia Majestas Vestra erga singulos Principes regii animi sui gratitudinem significare velit.

« Quantum ad Legationis meæ negotia attinet, ad ea sese omnes inclinatos obtulerunt, ita ut in provinciis eorum, nempe Coloniensi, Leodiensi, utriusque Bavariæ, Juliacensi, Clivensi, Montensi, Marchiæ, Ravensburgensi, et in districtu Ravenstein, nec non diœcesi Monasteriensi, literis in locis publicis ubique affixis hanc conditionem subditis et quibusvis aliis significare, et abeundi licentiam concedere velint, ita tamen ut tantum illi recipiantur, qui magistratus testimonio Religione Catholica imbuti fuerint, prout in illum finem literæ istæ typis sunt excusæ et publicationi destinatæ.

« Mitto Regiæ Majestati Principum eorundem ad Regiam Majestatem Vestram scriptas, et mihi demandatas literas, ex quibus Regia Majestas Vestra animi eorundem promptitudinem, et diligentiam meam perficiendæ functionis sine dubio intelliget.

« Et vero iis, qui ex hisce regionibus in Livoniam sunt transferendi, quorum meo judicio non exigua, sed magna futura est copia, sit tutum iter, e re futurum est, ut Regia Majestas Vestra ea de causa ad Regem Daniæ et Archiepiscopum Bremensem scribat, quo in eorundem ditionibus tam mari, quam terra citra ullam offensionem salvi navigare, vel iter facere possint, iisdemque securitas et alia quæ in illum finem necessaria sunt subministrentur.

« Nam illi qui ex provinciis antedictorum Principum colligentur, in territorio Bremensi, qui vero ex Hollandia venient, in Civitate Enckhusen iter navale sunt ingressuri. Unde si ita Regiæ Majestati Vestræ visum fuerit, literæ

credentiæ ad Regem Daniæ et Archiepiscopum Bremensem, quarum fide hujusmodi securitas apud eosdem impetrari possit, mihi a Regia Majestate Vestra transmitti possunt.

« Arbitrio Regiæ Majestatis Vestræ defero, cum Princeps Elector Coloniensis præcipuam suam operam in perfunctione Legationis mihi collocarit, atque erga Regiam Majestatem Vestram ad quævis obsequia summa cum animi promptitudine sese obtulerit, an Regia Majestas Vestra in signum Regiæ gratitudinis nonnullos Turcicos equos eidem remunerare velit.

« Neque etiam Regiam Majestatem Vestram latere volo, eandem apud Principes et Status Imperii hujus sui instituti ergo et alias honorificentissime haberi, et vere Regium nomen sustinere, quo mihi tanquam Regiæ M. V. ministro et subdito nihil jucundius eveuire unquam potuit.

« Non dubito quoque quin Majestas Vestra facile æstimarit, quanti sumptus ad perfectionem tanti itineris et demandatæ legationis exigantur; quapropter Regiam Majestatem Vfam obnixe rogo, quatenus in eum finem per Mensularios Dantiscos apud Consulem civitatis Coloniensis nomine Joannem Krentener necessariam pecuniam clementissime mihi perscribere velit; Regiam Majestatem Vestram Deo Optimo Maximo pro conservatione Regiæ Sublimitatis commendo. Datum Monasterii 31. Decembris, stilo reformato, anno 1583.

Regiæ Majestatis Vestræ

Obsequentissimus minister
Franciscus Richard Schaden.

LII. — Stephanus Rex et ad grati animi sensa erga Deum testanda ob Livoniam tanquam novum regnum regno suo adjectam, et ad iterum profitendum se in fide esse Pontificis, Romam misit Sigismundum Bathorium fratris sui filium, admodum adolescentem; qui a Gregorio insignibus Romanæ Curiæ ante ornatus, in publico Consistorio Nonas Decembris magnam sui admirationem ex apta ac memoriter oratione habita excitavit, quod concinne refert Mucantius. (*)

(*) Mucantius Diariot. Caerem Vol. 15. fol 418.

« Die 5. Decembris feria secunda fuit Consistorium, et antequam Papa ad illud ingrederetur, substitit parumper in parvo cubiculo inferiori, ubi faldam solet accipere, sedens in Sede Camerali ibi posita, et jussit vocari novum Oratorem missum a Rege Poloniæ, qui paulo ante ingressus fuerat urbem sine pompa, videlicet die ultima Novembris, quo die ivit private ad Pontificem, cui osculatus fuit pedem præsentibus Reverendissimis Dñis Cardinalibus Farnesio, Sabello et Aragona, et habuit mansionem in Palatio Apostolico Andreas Battorius prædicti Regis ex fratre Nepos, admodum juvenis et fere imberbis; is expectabat in Cameris Reverendissimi Domini Cardinalis Sancti Sixti in habitu Prælati, sine tamen rochetto. Itaque statim venit ad Papam afferens secum rochettum, quem illi genuflexo ante se Pontifex imposuit, dicens, esto noster Notarius, quo facto ipse Orator rediit ad dictas Cameras Cardinalis Sancti Sixti una cum ipso Cardinale, et ibi expectavit simul cum aliquot Prælatis donec vocaretur. Itaque in fine Consistorii nos Magistri Ceremoniarum accessimus ad eum, indicantes ut veniret, et venit quidem associatus a dictis Prælatis, præcedentibus suis familiaribus, quos una cum ipso Oratore et dictis Prælatis in Consistorium intromitti decretum fuerat. Attamen adeo frequens illuc turba populi convenit, ut nec ipsi Oratori aditus pateret, nec ejus familiares intromitti possent, cum importune vulgus illis mixtum in Consistorium ingredi conaretur. Quapropter Illustrissimus Dux Soræ, et secreti Cubicularii Suæ Sanctitatis, qui ad fores Consistorii assistebant, prohibuerunt, ne quis omnino illuc ingrederetur præter nos Magistros Ceremoniarum et ipsum Oratorem, quem inter nos medium induximus. Introiverunt in Consistorium etiam ipse Dux Soræ, ac secreti Cubicularii, Illustrissimus Dominus Marius Sfortia, Anselmus Buccapadulius secretarius, et pauci alii, familiares autem ipsius Oratoris et Prælati, qui eum illuc usque comitati fuerant, remanserunt extra ob multitudinem hominum urgentium et ingredi cupientium. Putabant enim fere omnes dictum Oratorem Cardinalem renunciandum fore, quod unusquisque videre maximopere optabat. Nihil enim rarius in Pontificatu Gregorii XIII. hucusque vidimus, quam creationem Cardinalium, sed opinio eorum tunc frustrata est. Ipse enim Orator receptus fuit in Consistorium ad exponendum sui adventus causam et mandatum sui Regis. Statim ergo cum ingressus fuit Consistorium, nobis monstrantibus vertit se ad levam versum Pontificem, et ei genuflexus reverentiam fecit. Tum circuendo sedilia Cardinalium pervenit directo ante faciem Pontificis, ubi denuo genuflexus, reverentiam exhibuit: præmonueram enim antea, ut removeretur pars sedilium, ita ut aditus ad Pontificem pateret. Inde surgens, nobis semper a lateribus eum comitantibus, ivit ante pedes Pontificis, ubi tertio genuflexus, osculatus fuit pedem dextrum Suæ Sanctitatis, deinde surgens manum, et demum sublatus ad osculum oris, quo facto præsentavit Sanctitati Suæ litteras sui Regis, quas Papa tradidit legendas Buccapadulio suo secretario. Ipse vero, nobis innuentibus, facta iterum reverentia ante Papam rediit ad aperturam bancorum Cardinalium, salutans ipsos Cardinales capitis inclinatione, atque iterum in ipso aditu aperturæ genuflexus expectavit, donec per secretarium litteræ Regis legerentur, quibus lectis adhuc genuflexus habuit brevem

oratiunculam ad Sanctissimum Dominum nostrum mira cum gravitate et elegantia, sine ulla vel levi hæsitatione, in qua summatim exposuit propensum ac devotum animum, optimamque voluntatem Regis sui erga ipsum Sanctissimum Dominum nostrum et Sanctam Sedem Apostolicam, commemorans quæcumque ab initio Regni sui hucusque bello contra infideles feliciter gesserit propagandæ Religionis gratia, adjectamque nuper Regno suo amplissimam Provinciam Livoniam, quasi alterum Regnum Regis virtute ac bello, Deo cooperante, acquisitum, cujus rei causa ipsum Regem nihil antiquius duxisse, quam ut primo quoque tempore ad Sanctissimum suum specialem Nuncium mitteret ad declarandam hanc ejus voluntatem, ac simul ei debitum obsequium, reverentiam et iteratam obedientiam præstandum pro nova hac adjectione Livoniæ ad Regnum suum, quamvis alias jam pro toto suo Regno per alium Oratorem similiter Sanctitati Suæ obedientiam præstiterit, prout ipse nomine sui Regis dictum obsequium, reverentiam et obedientiam Sanctitati Suæ præstitit, summa cum pietate et humilitate. Hujusmodi oratio fuit attentissime et libentissime ab ipso Summo Pontifice et Sacro Senatu ibi circumsedente excepta et audita, nullo non laudante et approbante tum pietatem Regis, tum ipsius Oratoris gravitatem et facundiam, aptamque pronunciationem, quæ in ipso tanto magis elucere videbantur propter ætatem, cum adhuc sit adolescens, neque alias unquam assuetus in augustissimo totius orbis consessu verba facere, ut vix a quoquam credi potuisset, cum tam apte memoriter ornateque dicturum fuisse. Finita oratione, Buccapadulius Secretarius nomine Pontificis respondit, gratissimum fuisse Pontifici suum adventum, litteras, voluntatem atque officium Regis, eaque libentissime acceptare, sperareque in dies ex tam pio animo, devotione, virtute, potentiaque Regis Christianam Rempublicam ampliores fructus accessusque percepturam: quod ut fieret, Deum Optimum Maximum continue rogaturum esse, ut ei felices prosperosque successus concederet. Tum surgens Orator iterum ante Pontificem rediit, eique genuflexus osculatus est pedem, gratias agens de dignitate Prothonotariatus in eum collata, surgens deinde osculum pedis a Sanctitate Sua pro suis familiaribus petiit, qui fuerunt intromissi, et singuli pedem Sanctitatis Suæ deosculati sunt, et sic finis Consistorii.

LIII.—Spes etiam non exigua affulgebat, Poloniæ Regem suo studio vel maxime rei Catholicæ in Curlandia profuturum, ubi victoriis de hostibus relatis suam ditionem validiorem firmioremque efficiebat. En quæ hac de re Episcopus Vilnensis, qui Livoniæ præfectus erat, Regi renunciat. [*]

[*] Polonia Vol. 20. fol. 327.

Serenissime Princeps, et Domine Domine Clementissime.

« Proxime scripsi Majestati Vestræ de eo, quod in Curlandia successerat: quid postea sit actum, Majestas Vestra ex Oborski litteris intelliget, videlicet cessisse jam duas arces Amboten et Neihaus. Ego magnam concepi spem, quod res brevi atque ex sententia conficiatur: ex hoc enim facile conjici potest, eos non esse Regi Daniæ adstrictos, uti antea dictitabant, alioquin enim diutius restitissent, et aliquam in deditione mentionem Daniæ Regis fecissent; quem tamen omnino silentio præterierunt. Hoc etiam certum est, illos exigua ab eodem sperare subsidia, quando usque ad hoc tempus nulla acceperunt. Neque credo quidquam desiderari amplius posse, quam ut arx Piltensis Majestati Vestræ cedat, quod non dubito brevi futurum, et in dies aliquam ab eis legationem expecto; quamvis enim in ea collecta sit major pars Nobilium, tamen cum ii habeant bona sub iis arcibus, quæ in Majestatis Vestræ fidem se dederunt, et non possint diutius præsens incommodum sustinere, (sunt enim cum uxoribus et filiis ibi conclusi) ad aliquam compositionem brevi devenient, ne de bonis periclitentur. Quidquid est factum, non tam vi, (nulla enim adhuc tormenta missa sunt) quam metu factum est. Quid nuper ad me Joannes Beer, qui est omnibus antesignanus, scripserit, et quid itidem illi responderim, Majestas Vestra ex litterarum exemplo quod illi mitto, intelliget. Illi res accidit mirabilis, quam ad Majestatem Vestram nuper scribere prætermiseram: cum in Curoniam cum Legato Regis Daniæ appulisset, et in castello suo Edual thryumpharet, quod incolumis et rebus bene gestis in patriam esset reversus, ex tormentorum displosione et aliis lætitiæ significationibus herbæ quædam in porta pendentes succensæ fuerunt, atque ita totum castellum conflagravit, non sine ingenti ejusdem Beri et aliorum damno, cum fere majorem partem suppellectilis tam ipse, quam alii eo comportassent. Quod omen læto animo accepimus. Quæ in dies succedent, Majestati Vestræ significabo. Hoc quidquid esset, nuntiare volui per illius Cubicularium, quem aliquot diebus ideo detinui, ut Majestati Vestræ aliquid certi significare possem. Ab illa humiliter peto, ut illius mandata ad me celeriter mittat, et velit esse memor hujus provinciæ et horum præsidiorum, quæ sine pecuniis et commeatu retineri non possunt, quod proximis etiam litteris meis Majestati Vestræ significavi. Datum ex Arce Rigensi die 16. Junii 1583.

Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ

Fidelissimus consiliarius et humill. subditus

GEORGIUS RADZIWIL EPISCOPUS VILNENSIS.

LIV. — Moscorum res valde afflictas hoc

tempore fuisse ad Zamoiskium datæ litteræ produnt; in quibus legas, quæ de puniendorum militum ratione apud illos usurpabantur. [*]

[*] Polonia Vol. 20. fol. 270.

Illustris et Magnifice Domine.

« Feci consilio domini Thesaurarii, ut neque Orsam prius venirem, neque de me quicquam significarem, quam Moschorum Internuncius ditiones Regiæ Majestatis ingrederetur: resciveram enim ipsum quamprimum de Regiæ Majestatis Internuncio cognovisset, nova mandata Principis sui expectaturum fuisse. His ita cognitis, properandum mihi jam esse existimo. Habet is Moschorum Internuncius in comitatu suo homines 40; equos in universum 150. Fert Regiæ Majestati dono a Magno Duce Moschorum tymbros zybellinarum, aliarumque pellium non contemnendum numerum. Ex quibus unum miræ pulchritudinis 800. Rubl. dicunt æstimari. De reliquis rebus certi nihil didici.

« Hisce temporibus Magnus Moschoviæ Dux conjugem repudiavit, alterius conquirendæ causa in Angliam usque misit.

« Czeremissii Hornii et Zichonii jugo Moschovitico excusso ad 5000. Moschorum prælio fuderunt, 15. millibus in fugam versis. Confecto prælio, Hornii Czeremissii, missis ad Moschum legatis, hanc pacis conditionem obtulerunt, ne unquam in posterum ad illos tributi ab ipsis pendi soliti exigendi causa legatos mittat, ipsos se quotannis tributum, quod ipsis, impositum fuerit, allaturos: fiebat enim, ut cum hactenus legati exigendi tributi causa cum tot centenis equorum venissent, decuplo plus, quam debebant, ab illis reciperent, intolerandam vim et injurias exercentes. Accepit Dux Moschoviæ conditionem, atque ita pax sancita. Interim Lukovii Czeremissii, detrectata pace, ditiones ipsius infestas reddunt, cum illis, quod nullos omnino pagos et oppida inhabitent, sed tantum in sylvis palantes vagentur, a Moschis periculi timendum sit nihil.

« Constituerat Moschoviæ Dux, ut illa 15. Moschorum millia, quæ ex prælio fugerunt, fustibus cæderentur: jamque per aliquot dies Moschoviæ singulis diebus aliquot centeni ante arcem cædebantur; sed quod id diutius duceretur, aliquo compendio utendum ratus, 1500. Bojarorum primariorum ex toto illo exercitu seligi jussit, hi singulis diebus 1200. per plateas urbis eos ducentes fustibus cædunt: jamque existimo ad hoc tempus ad postremos etiam sortem pervenisse.

» Iidem Lukovii Czeremissæ 300. illos Cosacos, qui a Regiæ Majestatis exercitu in Moschoviam transierunt, interfecerunt. Datum Borissovii 8. Junii 1583.

LV. — Ast vero quæ Rex in Transilvaniam, ubi natus educatusque fuerat, contulit beneficia, non modo illum nobis exhibent charitate patriæ in primis ornatum, sed etiam virum sapientissime de religione Catholica existimantem. Is enim intellexit, non alia ratione posse ab illa provincia barbariem depelli, et homines a vita fere silvestri ad omnem humanitatis cultum traduci, nisi illa Catholicorum instituta excitarentur, quibus cura esset Transilvanos in sincera pietate et honestis disciplinis instituere. Itaque cum instruendæ juventuti Collegium fundavisset, etiamnunc suadente et adjuvante Summo Pontifice, Claudiopoli Seminarium tum Nobilium, tum plebejorum, qui ob rei familiaris angustiam litteris vacare minus potuissent, condidit, annuo censu mille ducatorum hungaricorum attributo. Cui rei Patrem Possevinum, qui in Transilvaniam profecturus erat, præfecit, ut Pontificis ac suo nomine, quæ opus essent, compararet, statueret, conficeret. [*]

[*] Germania Vol. 33. fol. 81.

« Nos Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kioviæ, Volhiniæ, Podlachiæ, Livoniæque etc. Dominus, nec non Transilvaniæ Princeps. Memoriæ commendamus tenore præsentium significantes, quibus expedit universis, quod nos pro nostra in primis in Deum Optimum Maximum pietate, quam rebus omnibus potiorem semper ducimus, deinde pro ea cura et studio, quod in promovenda Religione Christiana libentissime impendimus, postremo peculiari etiam quodam gentis nostræ Ungaricæ amore incitati, nihil hactenus earum rerum, quæ ad Provinciæ nostræ Transylvaniæ cultum, ornamentum, commodumque spectare arbitrati sumus, reliqui fecimus; dedimus siquidem ante omnia operam, ut juventutis in pietate et honestis disciplinis, ex quibus omnis humanitatis ratio petitur, instituendæ gratia complures docti et pii viri ex Societate Jesu in illam patriam se conferrent, sedes ibi figerent, ludos aperirent, et depulsa sensim barbarie, quæ injuria temporum irrepserat, maxima hominibus illis commoda importarent. Ad quæ omnia eo rectius instituenda atque perficienda, amplissimum iisdem patribus Societatis Jesu Collegium attribuimus et fundavimus, sumptus eis necessarios suppeditavimus, scholas ædificavimus, ac omnibus in rebus eorum usibus abunde prospeximus. Quibus ita ex ordine provisis, illud quoque nobis omittendum non fuit, quin ingenuorum adolescentum et juvenum studiis addictorum frequentiam, seu segetem quandam uberem produceremus, eamque sumptu nostro ad spem pietatis et litterarum laudis continue aleremus. Cum itaque ad hoc tam præclarum opus promovendum æquas nobiscum rationes Beatissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus Gregorius Decimus Tertius Pontifex Maximus, pro sua in gentem nostram Ungaricam charitate et liberalitate ferendas constituerit, prædictu

Collegio Societatis Jesu Claudiopoli in Transilvania, una cum scholis jam erectis, Seminarium quoque juvenum et Nobilium et plebejorum, qui nempe ob tenoem eorum fortunam ingenium litteris excolere non possent, adjicimus ea forma, modo et ratione, quam in Septentrionalibus aliquibus Provinciis Rev. Pater Antonius Possevinus Societatis Jesu, qui nomine ejusdem Summi Pontificis, tum de aliis, tum de hac re ad nos missus, solitus est constituere, et quam hoc quoque loco ordinabit et constituet, ad quod sumptus annuos mille ducatorum aureorum Ungaricalium summam ex censu cathedratico pastorum sive Plebanorum Saxonum Transylvanorum, perpetuo conferimus et addicimus, ea lege, ut hæc pecunia collata cum pontificia per eos, quorum curæ committetur, ad solos tantum studiosæ juventutis, egenæ scilicet et ope indigentis usus, victusque rationem convertatur, ac integre semper ac bona fide erogetur. Ceterum tibi fideli nobis dilecto magnifico Ladislao de Sombor Consiliario nostro, et arendatori decimarum nostrarum Transylvanensi, aliis quoque in hoc officio successu temporum constituendis, modernis scilicet et futuris, per præsentes serio committimus et mandamus, ut quotiescumque cum hisce literis nostris requisiti fueritis, singulis semper annis prædictam pecuniæ summam ex præscripto Plebanorum censu plene ac integre præfati Seminarii Præfectis et Procuratoribus numeretis ac deponatis, secus non factum. In omnis rei firmiter observandæ perpetuam memoriam has literas manu nostra subscripsimus, et sigillo nostro secreto pendenti, quo in rebus Transylvanicis utimur, muniri jussimus. Datum in Arce nostra Regia Nepolomicensi decima tertia die mensis Februarii anno Domini 1583. Regni vero nostri septimo.

STEPHANUS REX.

LVI. — Quam gratus Transilvanis Possevini adventus fuerit: quam in conficiendo hoc negotio et Princeps et Ordines eum adjuverint, eorum litteræ ad Pontificem testantur. Ita Princeps. (*)

(*) Germania Vol 55. fol. 111.

Sanctissimo ac Beatiño Papæ Gregorio XIII. Pontifici Maximo ac Supremo in Terris Christi Vicario, Patri in Christo Amantissimo.

« S. Beatitudinis Tuæ scriptum Breve exhibuit nobis dilectus ac Reverendus Pater Possevinus, quem ut gratissimo animo vidimus, ita de rebus ab ipso, nomine Sanctitatis Tuæ, propositis, responsum accepit dignum postulatione, ac dignitate Sanctitatis Tuæ, et nostra. Nihil enim nos magis decet, nec sane quicquam nobis gratius, quam cum profectu Catholicæ Religionis cum plurimis benefacere. Ego me Sanctitatis Tuæ precibus commendo, regnumque meum, una cum meipso, sub protectione Beatitudinis Tuæ trado ac offero. Numeret et me indignum Sanctitas T. inter filios suos, eos, quos per orbem terrarum Sancta Mater Ecclesia per fidem et Evangelium genuit Sponso suo Jesu Christo Domino nostro, qui est verus Deus et vita æterna. Qui in mei tutelam ac protectionem Sanctitatem Tuam ad multos annos servet incolumem. Albæ Juliæ 7. Martii anni MDLXXXIII.

Beatitudinis Vestræ

Obedientissimus filius et servitor
SIGISMUNDUS BATORY PRINCEPS
TRANSYLVANIÆ. m. pp.

En Ordinum litteræ, quibus de optima Pontificis in se voluntate quam maximas agunt gratias. (*)

(*) Germania Vol 55. fol 112.

Sanctissimo atque Beatissimo Patri et Domino, Domino Nostro Gregorio Decimo Tertio Pontifici Maximo.

« Beatissime Pater, post oscula pedum Beatitudinis Vestræ, et humillimam in gratiam Beatitudinis Vestræ nostri commendationem.

« Rñdus Pater Antonius Possevinus, hisce diebus, jussu et voluntate Beatitudinis Vestræ venit ad nos, ac luculentissimis verbis, quæ illius est eruditio et pietas, testatam nobis fecit præclaram Beatitudinis Vestræ in nos, provinciamque hanc nostram totam, non solum animi propensionem, sed etiam erga gentis nostræ filios instituendos liberalitatem. Quæ res quemadmodum inexpectata nobis fuit, ita etiam incredibili quadam voluptate nos affecit, reputantes scilicet, quod hæc tanti et tam benemeriti de Christianis omnibus hominibus Principis visitatio, hac prope extrema in parte orbis Christiani, maximo olim nobis et decori et emolumento esset futura. Itaque quod unum præstare nunc possumus, gratias in primis Deo Optimo Maximo quas possumus maximas agimus, quod Beatitudini Vestræ hanc mentem indiderit, ut inter tot maximas et gravissimas Ecclesiæ curas, nobis quoque partem aliquam favoris studiique sui impertiret. Deinde gratissimis etiam animis hanc Beatitudinis Vestræ in nos benignitatem accipimus, quam ut in posterum quoque, pro sua innata in omnes Christiani nominis homines clementia, retineat erga nos et augeat, Beatitudinem Vtam etiam atque etiam oramus et obsecramus. Qua in re Beatitudo Vestra non pietati tantum suæ satisfaciet, sed apud hanc etiam gentem nostram, quæ in hac alioquin tam necessarii Christianæ Reipublicæ propugnaculi inclinatione, Principisque hujus tenelli pernecessario patrocinio, Beatitudinis in primis Vestræ opem supplex requirit, perpetuum sibi et immortale nomen comparabit. Cætera idem Reverendus Pater Possevinus de rebus omnibus nostris Beatitudini Vestræ fusius et scripto et verbis referet. Quæ ut diutissime

salva et incolumis vivat, ex animo Deum precamur. Alba Julia undecima die Martii anno Domini MDLXXXIII.

Beatitudinis Vestræ

Humillimi servitores
SENATORES ET CONSILIARII
TRANSILVANIÆ.

LVII. — Quod si statum religionis Catholicæ in Transilvania cognoscere cupias, habes uberrimam narrationem in litteris a Patre Possevino Stephano Regi missis, in quibus multas ob causas se de religione Catholica in ea regione bene sperare affirmat. (*)

(*) Germania Vol. 55, fol. 107.

Serenissime Rex, Domine in Christo Clementissime.

« Quod iter in Transylvaniam institueram, id, Deo aspirante, confeci undecim diebus. Bartuæ cum essem, dedi homini fido ad Majestatem Vestram Regiam literas iis de rebus, quas inaudiveram. Egnedum cum appropinquassemus, neque ibi Illustrissimus Dominus Nicolaus Batoreus esset, divertimus duo circiter milliaria ad eum pagum, ubi ex venatione substiterat. Cum eo locutus, qui nos perhumaniter accepit, deque Religione mecum haud sine Catholicismi indicio vel spe egit, auctor fui, ut Sacmarium is qui est a secretis illius præmitteretur, de meo adventu, deque fide publica, quam habeo a Cæsare, præfectos arcis et civitatis certiores facturus. Obviam illi mihi venere, primum Pancratius cum Ungarico equitatu, deinde Nogaroli, Comitis absentis loco arcem custodiens, nobilis Germanus. Hi postea prandio ipsa in arce me exceperunt una cum Keresturio et Georgio, quos mihi itineris comites Vestra Majestas attribuerat. Interfuere item aliqui e nostris, novum Luteranis spectaculum, et non malo omine, quod Jesuitæ in arcem illam pacate admitterentur. Quod autem Bartuæ e militis cujusdam Ungari, qui ad V. M. R. propere ibat, relatu collegeram, motus aliquos animorum Sacmarii esse, commeatum vero et sex eo majora tormenta fuisse invecta, id denique cognovimus non omnino ejusmodi fuisse. Nam præter ea, quæ superioribus annis ad militum sustentationem hoc anni tempore tum in eam, tum in ceteras arces subvehi solent ob constantem gelu tellurem, et flumina quæ conglatiaverant, quæ quidem nobis compendiosiorem quoque, aut certe faciliorem viam straverunt, nil reperimus novi. Et habemus Sacmarii Italum nobilem, amicum, et non minus sincerum, quam Cæsari fidelem, qui ea quæ pacis sunt, salva utriusque Majestatis justicia cogitat. Rumor tamen circumquaque ferebatur, agi accurate apud Cæsarem de Sacmario restituendo. Sed quibus erat ignota tractatæ jam rei series ac ratio, ii varia excogitarant, quibus cum exemimus scrupulum, qui novas ingerere suspiciones, aut forsan remorari negotium potuisset. Inde eadem die digressi, ne quid de meo comitatu (si non de me) suspicarentur. Erdudum a Præfecto Ungarici equitatus adducti peramanter sumus, qui se cum equitum ala paratum in meo reditu futurum ultro dixit, ut me ob Turcarum excursiones tuto deduceret eo, ubi altera Ungarici ala equitatus exceptum in pacatam Ungariam comitaretur. Porro Sacmarium, ceteraque inspeximus. Civitas ipsa et natura loci, et planicie illa nobili, ac ob Samosii fluminis commoda, qui eam quasi circino circunducto circumsidet et circumluit; floret adhuc, nec desunt reliquiæ Catholicorum, quæ Somlium interdum excurrunt, peccata Catholico Sacerdoti expiaturæ, et Eucharistiam Sacrosanctam sumpturæ. Molendina item extant, quæ tum Sacmariensibus, tum Nemetensibus suam operam præstant. Arx ipsa, quæ prope flumen extructa est, diverso ab ea quæ prius erat loco, quasi e regione, sita, domos frequentes habet non incommodas, et ex latere plerumque extructas. Aggere autem solidiore, quam Riga in Livonia, atque ad propugnandum aptiore, deinde vero firmis propugnaculis invicem respondentibus, præsidio Germanorum custodita et communita est. Spacium ipsum peramplum, ut speciem referat ipsa una arx civitatis. Quæ eo scribo, quod ea species arcis, ubi menti meæ inhæsit, non semel dubitationem mihi injecit, num Christianæ Reipublicæ expediret, ut complanaretur. Magnum enim videtur habitum monumentum ad ingentem illam planiciem tutandam, et Turcarum incursiones, qui tamen haud longissime absunt, arcendas. Cum vero compensatio secutura sit, id quoque præsidium compensationi non erit incommodum præterquam quod divina sapientia parere ea aliquando posset, ut neque Sacmarium complanatum accepisse, nec prius habuisse V. M. R. voluisset; sed de his hactenus. Progressi ulterius venimus Somlium, ubi licet Illustrissimum Dominum Stephanum Batoreum non reperi, maximam tamen inde voluptatem cepi, quod ipsis oculis cernerem templum ab Illustrissimis Vestræ Majestatis parentibus eodem anno ædificatum, ac Beatissimæ Virgini dicatum, quo Majestas Vestra edita est in lucem, ut et intelligerem ad Ecclesiam Christi propagandam, et templa alia multis in locis struenda Vestram Majestatem Regiam, Deo miserante, natam fuisse. Ibi et bonum Sacerdotem illum, qui in paralysim incidit, quique Cracoviam advehi cupit, ut convalescat, et non solum dignus, sed necessarius est, in quem Regia charitas se exerat, invisi. Habet vero Polonum Sacerdotem Hungarice jam nonnihil noscentem, qui gregem illum non deserit: et Keresturius mihi cervorum septa, et ut ita dicam seminaria satis referta, quæ quondam ipsa parari jusserat, et hortum osten-

dit, in quo arbores a Vestra Regia Majestate plantatæ uberes fructus ferunt: ex quibus multo majorem, quam antea spem concepi, fore, ut qui ferarum et arborum seminariis non defuit, adolescentum, quos jam colligimus, novellæ huic Pontificiæ ac Regiæ plantationi incrementum daturus sit. In Comitatu autem Craznensi tres adhuc sunt Catholici Sacerdotes; in Siculia plus duodecim, licet non omnes, quales cuperemus. Magocius ipse Franciscanus, ad quem a Vestra Majestate literas attuleram, aberat ab Illustrissimo Domino Nicolao Batoreo, Claudiopolim ad provisoris cujusdam filium ad Collegium nostrum adducendum profectus. Itaque in reditu eum, ut spero, alloquar, Regiasque literas reddam, quod assequi potero, ut ad cor redeat, V. R. Majestati scripturus. Claudiopolim quod attinet, majorem, quam certe haud putaram, civitatem inveni. Ad Collegium centum sexaginta studiosi jam accedunt. Pagi vero, quos V. Majestas Collegio addixit, jam et ipsi ab uberibus Ecclesiæ Catholicæ pendent: ut æternæ illi fœlicitati, quam hinc R. Majestas Vestra consecutura est, ex animo gratuler. Claudiopolitani, quæ novissime nostro rogatu a Majestate Vestra concessa sunt, haud gravatim executioni mandarunt. Apud eos triduum commoratus, ut vel aream vel domos ad Seminarium instituendum inspicerem, deque aliis rebus perquirerem, nudius tertius Albam Juliam veni, ubi ab Illmo Principe, qui Consiliarium cum multis nobilibus Egnedum obviam nobis præmiserat, perhonorifice exceptus, indolem pueri senis aspexi, et auditæ antea ex multis a me narrationi de illo respondentem agnovi. Quæ jam sæpe Pontificis Maximi ac Vestræ Majestatis R. nomine cum eo sum collocutus, ea denique ejusmodi fuere, ut se unius demortui loco duos parentes assecutum esse intelligeret: si donorum, quæ Vtæ Majestati Deus elargitus est, imitator fuerit, præmii quoque et magnarum illarum rerum, quas Divina sapientia se metuentibus solet impertiri liberalissime, hæredem futurum. Hac vero Summi Pontificis salutatione, munusculisque excitatus, non facile memoriam officii hujus, quo Principem se esse melius cognovit, deponet. Ac Senatores ipsi primarii, ad quos præcipua Regni administratio hujus pertinet, omnia gratissimorum virorum et rerum momenta pendentium signa mihi dedere: qui (nisi fallor) haud procul a Regno Dei absunt. Hi vero hortatu meo ad Pontificem Maximum scribunt literas, quas et Illustrissimus Princeps mittet, suis addendas. Id non ad unam rem proderit, quemadmodum V. M. R. pro sua sapientia perspiciet. Regiis vero literis de attributa Seminario pensione productis non solum acquievere, Pontificis quoque Maximi pietatem mirifice collaudantes, verum etiam (licet cathedratici illi reditus post novem adhuc menses persolvi non soleant) illico, cui velim, sese tantundem daturos polliciti sunt, quantum ipse relinquam, ne confluentibus etiam ex ipsa Turcica ditione scholasticis simus in mora. Et ipsi quidem Senatores tum propriis, et commodis patriæ, tum aliis rationibus adducti sunt, ut solutionem maturarent: quod ita Transylvania futura erit frequentior; quod quasi obsides e finitimis provinciis sibi devincient; quod in Hungaricis proximis comitiis, quæ Posonii habenda sunt, ea fama latius manante, et Cæsari stimulus addetur ad alia Seminaria procuranda; neque compositioni rerum, de qua agitur, ac fœderibus inter utriusque Majestatis Regna renovanda, id parum proderit. Si quid enim ad persuadendum efficax est, id bonum est nomen ac studium re ipsa erga Christianam Rempublicam Catholicam collatum. Ceterum hac nocte, illucescente cœlo, una cum D. Conasocio Cancellario in viam me dabo, ut ad fauces Marusii, quæ via fert ad Turcarum ditionem, excurramus. Perspecta natura loci et campis Tegnirii, quos coloniæ deducendæ putabat idoneos V. R. M. (quamvis Sassebesium huic civitati propinqua civitas multo commodior hic videatur), deflectemus Sibinium versus, ut quatridui spacio, si divinæ placuerit bonitati, Albam Juliam redeamus: ex qua acceptis ab Illustrissimo Principe ad Pontificem Maximum litteris, Claudiopolim accurram, ut tota res de domo pro Seminario conducenda, deque aliis, præsente D. Somborio Senatore, cui negotium est cordi, constituatur. Inde Varadinum ibo, ut reliquum per Ungariam iter diligentissime absolvam. Et litterarum illarum exemplum, quæ ab Andrea Hierosolymitano Rege in monte Calvario scriptæ sunt, in itinere accipiam. Exemplar enim ea in arce est, quæ inter Claudiopolim et Varadinum spectat ad Illustrissimum D. Stephanum Batoreum, qui huc excurrit, ut R. Majestatis ea de re literas acciperet, mihique sua fidenter animi sensa exponeret. Quæ ejusmodi sunt, ut cum primum Leopoli V. M. fuerit, eo advolet, otium hoc Transylvanicum pertæsus, et auditis aliis rebus nonnihil incitatior factus ad decus et ad Religionem Catholicam, de qua et libros ab eo legendos ei attuli, alacrius retinendam. Quod ipsum ut Vestræ Majestati R. curæ sit, cumque propterea aliquandiu avocet, præsertim Leopolim ubi floret Catholicismus, justissimis de causis cupio. Interea vero patefaciet aliquam fenestram Deus, ad pietatem et præclara facinora a tanto adolescente patranda, sive is in Italiam capta occasione allegetur, sive alia tractet, unde avitæ dotes Illustrissimæ familiæ suæ in eo excitentur ardentius. Ad istos vero Senatores quod pertinet, quando putant ex clementia, qua me R. M. prosequitur, nonnihil ponderis hasce literas

meas habituras, laxabo rete in nomine Dei, et duo quam demisissime possum Vestræ Majestati R. ex animo commendabo. Alterum est quod ad D. Joannem Galfrum Senatorem ac primum Cobicularium Illustrissimi Principis spectat, quem virum si Deus ad Catholicam fidem propius adduxerit, (jam enim ipsius frequens cum Catholicis consuetudo et officia id sperantes nos facit) nemo ad ipsum Illustrissimum Principem in solidis virtutibus fovendum, atque ad illa, quæ possunt evenire incommoda, avertenda, prudentior aut cordatior esse a fide dignis mihi narratur. Is quod prædium, sive qui pagus ab Illustrissimo piæ memoriæ Principe Christophoro sibi legatus est ex testamento, non eo cupit, ut admodom ditescat, sed ut testimonium tanti Priocipis, ac qoasi perpetuum suæ fidei monimentum ad familiam suam accedat: quod unum vel Civitati integræ aoteponeret. Ego vero cum putem non nisi prudentissime hactenus id a V. R. M. denegatum fuisse, existimavi tamen potuisse contingere, ut Deus hoc in meum adventum reservasset, ut cum iu gratiam meam M. V. R. hoc illi concederet, tanto fieret alacrior ad veritatem attentius a nostris excipiendam, Principemque ipsum Illustrissimum io fide sustinendum. Quod si ejus pagi salinarum aliqua spes est, (quam tamen referunt non esse tantam) videat R. M. num pagus ei addici posset, servatis Principi salinis. De quo quidquid statuerit, ut mihi erit summi beneficii loco, si judicarit V. M. R. hoc ei esse concedendum, ita non dubitabo, si secus accidat, quin id sapientissime fiat. Alterum vero est, quod a me D. Somborius alter Senator petiit, ut consanguineum suum Michaelem Cherignium, qui Philosophiæ curriculo emenso Theologiam meditatur, et V. Majestati Regiæ et iis qui Romæ sunt de meliore nota commendem, ut et facio, et faciam iis in literis, quas per eum ad Urbem mittam. Cum autem hæc epistola ita in tempore ad R. Majestatis Vestræ manus perventura sit, ut antequam ego Cassoviam venero, possim ab eo cognoscere, si quid scitu opus esset; propterea peto a R. M. V. humillime, ot hominem Cassoviam mittat, qui me de omnibus rebus moneat, sive eæ sint ad Cæsariana negotia, sive ad Svetica (si quid responsi venisset) spectantes. Interim maxima quæque et cœlestia dona his diebus sacrosanctis Christi patientis anniversariis Majestati Vestræ Regiæ precor.

Albæ Juliæ die 6. Martii 1583.

Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ

Perpetuus in Christo servitor

ANTONIUS POSSEVINUS S. J.

LVIII. — Heic non sine admiratione prudeotiæ et caritatis leges, quas regulas Possevinus Seminario Claodiopolitano custodiendas præscripsit; præsertim ut in dimittendis ex eo juvenibus et eorum salutis æternæ et famæ ratio haberetor. (*)

(*) Lettere e Memorie del P. Possevino hunzio Apost. nel Settentrione Vol. 8. fol. 177.

Jesus

« Ratio Seminarii Pontificii et Regii administrandi a Reverendo Patre Antonio Possevino præscripta, Claudiopoli die XVIII. Martii 1583.

« Quamvis interioris charitatis lex, quam Christus Dominus unicuique Christiano et Orthodoxo per Spiritum Sanctum impressit, ea sit, quæ Seminarii præfectos, et tam eos qui illis præsunt, quam alios qui eis subduntur, agere ac dirigere debeat, ut in omnibus id quod Divinæ bonitati summopere placet, atque rebus publicis et Regnis est salutare, diligenter perquirant, ac sedulo in rem conferri curent: quoniam tamen suavis Divinæ dispositionis ordo requirit, ut ei cooperemur, mediaque illa et methodum adhibeamus, quibus facilius exitum rei consequamur, propterea quibus id mediis effici possit, dicemus.

« In primis ea Pontificis Maximi Gregorii Decimitertii Domini Nostri atque Serenissimi Stephani Regis Poloniæ, qui hoc Seminarium Claudiopolitanum institui mandarunt, mens est, ut quicumque ad id admittentur, ii intelligant, sibi quandiu in eo fuerint, esse necessarium, diligentem operam optimis moribus, pietati ac studiis litterarum adhibere pro ea ratione, quæ ipsis proponetur in scholis collegii Societatis Jesu, hic ipsa in Civitate Claudiopolitana a Serenissimo Rege Stephano instituti. Ac proinde neqoe vagari per Civitatem, neque alio absque Præfecti facultate migrare debebunt, ut sensim humilitatis et obedientiæ virtutibus assuescentes, tum Principi suo, quem maxime revereri debent, atque in primis Deo discant ex animo omne obsequium præstare: tum ea ratione intelligant, fore ut ii, quibus aliquando et ipsi præerunt, sibi obediant. Vix enim quisque alios regere vel obedientes habere poterit, qui aliis (ac præsertim probis viris) non paruerit et obedire didicerit. Cæterum quoniam quæ de moribus, de litterarum studiis, de pietate dici uberius possent, ea petenda erunt ex aliorum Seminariorum Regulis, propterea hæc ad illas, quandoquidem omnibus pro suo captu quadrant, referimus.

De admittendis.

« Delectus accuratissime habebitur in admittendis Alumnis. Et cum hæc cura continenter adhibenda sit, tum certe summo conatu, ac re frequenter Divinæ sapientiæ commendata, hoc initio pervigilis sit oportet, qui id exequendi munere fungetur, recordatus ex firmitate fundamenti firmitatem ædificii pendere. Quamobrem nec privatus affectus, neque studium aut favor alicujus rationi et ordini huic erit anteponendus. Præstat autem paucos potius sellectissimos hoc principio habere, qui rectissi-

me efformentur, quam multos, qui disciplinæ inenervatæ Seminario labem aliquam aspergant, et denique tanquam malorum ovorum mali pulli fiant. Sic vero fiet, ut post paucos menses, quibus ipsa res firmius statuetur, animentur et Serenissimus Rex atque Illmus Princeps, quique ab eo præcipui pendent, ut præsidio sint operi recte inchoato, ac si quos proposuerint admittendos, (quod pro ratione ejus summæ, quam Illustris Princeps ei sive iis, quibus id mandaverit, integrum erit) illi iis dotibus ac certe eo ingenio præditi sint, quod Seminarii leges una cum debita ætate requirunt.

« Sciant autem qui admittentur, uti pauperes (sed decenter tamen) esse alendos, idque Seminarii sumptibus esse faciendum. Quod si qui ditiores ob disciplinæ et ob majorem virtutis amorem in Seminarium admitti voluerint, iis hoc ea lege concederetur, si primum sumptus Seminario pendant, quanti justissime judicabuntur sine ulla lucri spe aut specie: deinde si communi victus ratione una cum aliis uti voluerint. Qua in re si quid postea tempus ostenderit, quo mensis eorum alii cibi addendi essent, id tum ab iis, quibus hæc curæ demandantur, erit perpendendum, an expediat.

« Domum, victum, magistros gratis habebunt: pannorum item seu indusiorum lotionem, ne ea occasione aut tempus terant aut alio vagentur: ipsi tamen sese induent vestibus omnibus suo sumptu, librosque sibi ement, ac lectos sive stragula secum afferent, quæ omnia item secum auferent, cum ex Seminario discedent. Sic enim multo plures alentur, bonumque ipsum, quo erit communius, eo divinius erit. Quod si alicui orphano vel pauperrimo, alioqui magnæ expectationis adolescenti, modus vestium comparandarum deesset, Præfectus una cum Reverendo Patre Rectore, sive cum eo, quem idem Pater Rector Collegii nostri judicabit, dispiciet, quanam ratione minimo cum onere Seminarii id effici possit.

« Qui vero Ecclesiasticis muneribus addici voluerint, iis quidem, nisi habuerint unde sibi vestes comparent, aliquæ saltem dari poterunt; sed ita ut pro honesta ratione Clericorum induti incedant, ac moribus interioribus sæpe perfectius intelligant, eo vestium genere ornari debere. Ut vero earundem vestium spe Seminarium haud fraudent, opera detur, cum id vitæ genus sponte sese electuros non semel interrogati affirmaverint, ut ea de re caveant probi alicujus viri sponsione Seminario rite oblata, ac per scribam publicum publicis actis inserta: quod si postea non præstiterint, sciant sibi vel sponsori suo sumptus esse refundendos, quos mala fide in Seminario exhauserint.

« Qui munere examinandi eos, qui admitti petunt, fungentur, scripto habeant, et adeo ex legibus ipsis Seminarii petant ea, quæ ab iis requiruntur.

« Difficili ingenio adolescentes aut turbulento, quive hebetes sint aut aliquo morbo laborent, nec studiis litterarum vires fortasse idoneas haberent, non admittentur.

« Ætas nimirum erit quindecim annorum: neque enim expedit, ut tam tenera ætate sint, ut nutrice potius quam præceptore egeant: aut dum plures quam par est annos Seminarii sumptus exhauriunt, nec ipsi Reipublicæ usui sint: et aliis ostium præcludant, qui citius id possent præstare.

« Quod si quis tam pretiosi esset ingenii, ut ætati minori id videretur condonandum, is suis poterit sumptibus ali tantisper, dum ad justæ ætatis terminos pervenerit: sin autem aliqua alia ratio subesset, cur id antevertendum videretur, expectetur ea de re quid respondebo, ubi rationes ad me diligenter a Præfecto fuerint perscriptæ. Quod quidem et in aliis rebus, quæ viderentur hisce regulis obstare, intelligendum est, ut omnia ordinate fiant ad laudem et gloriam Domini Jesu Christi.

De modo admittendi.

« Quamquam vero admittendi ratio accuratius iis in Regulis cerni poterit, quas Vienna vel Olomucio quamprimum mittam: interim tamen hæc observabuntur. Ne statim in Seminarium admittantur quicumque aliunde vel mittentur aut venerint: sed primum scholas aliquot dies frequentent, in quibus ingenii specimen edant, eorumque propensio sive pronitas attente ab aliquibus observetur. Quinam vero id observare debeant, judicium esto tum Præfecti, tum Reverendi Patris Rectoris, nisi id totum Præfecto relinquere voluerit.

« Cum vero in Seminarium admittendus judicabitur, per aliquot paucos dies ne ei nimia cum aliis familiaritas permittatur: quin vero expediet, ut octidui spatio separatim maneat, iisque de rebus et Seminarii legibus diligentius instruatur: sic enim magis disciplinæ observatio illi placebit, quique rationes ejus ordinis primum audierit, erga eumdem facilius afficietur.

« Cæterum ex Hungariæ Regno alumni admittendi erunt: sed omnino in primis, tum ex Transylvanis et ex Saxonicis Civitatibus, tum ex iis Comitatibus, qui extra Transylvaniam Illustrissimo Principi parent.

De dimittendis.

« Qui jam sua studia absolverint, aut eo usque progressi viderentur, qui usui alicui Reipublicæ ac Regno esse poterunt, ii dimitti poterunt.

« Si in morbum aliquem, vel paralysis, vel ejus generis morbum inciderunt, qui difficile curantur:

« Si obscena et turpia agentes vel loquentes

aliis scandalo essent, neque admoniti serio resipiscerent;

« Si fures et pacis domesticæ turbatores, nec ordinem et institutum Seminarii sequi vellent;

« Si perniciosas doctrinas et libros invehi curarent, aut in summa contra Seminarii bonum intelligeretur esse, si diutius ibi commorarentur: omnes ejusmodi (præmoniti tamen, et charitatis paternæ atque studii solidas in Præfecto rationes experti) dimitti debebunt, adhibito prius, post rem Deo commendatam, Reverendi Patris Rectoris consilio, sive eorum quos ille judicaverit.

Modus dimittendi.

« Si autem quis justas ob causas dimitti debebit, danda erit opera, ut si quis e Senatoribus, aut primarius alius vir, ejus admittendi procurator fuisset, præmoneatur per litteras, ne non adhibitam esse diligentem in eo corrigendo charitatem aliquis suspicaretur, aut is qui dimitteretur, culpam suam in alios injuste transferret.

« Ac tamen curandum erit, ut recedat ex Seminario, quoad ejus fieri poterit, sine dedecore vel ignominia, suaque omnia (ut dictum est) secum asportet.

« Quod cum ad exteriorem dimittendi rationem pertineat, tum interior illa erit adhibenda, nempe ut cum charitate atque erga Seminarium benevolentia, eaque, qua poterit, secundum Deum consolatione ipsius et aliorum ædificatione discedat.

« Ut vero ne seipsum prodigat aut facinoribus laxet habenas, is serio dirigendus erit, et ut Deo non semel commendetur, enixe curandum.

« Quod si vel quis dimissionem hanc commeritus fuisset, vel quia studia sua jam absolvisset, abire deberet, viaticum, intelligat primo, et quidem antequam admittatur, hoc a Seminario non esse præstandum. Quamobrem si quid pecuniæ, cum admittetur, habuerit, eam Præfecto suo, vel cui ille injunget, servandam tum ad eum usum, tum ad reliquas suas necessitates tradet.

« Neque enim quisquam alumnorum pecuniam retinere debebit, ne et ad luxum et ad gulam abutentes sibi, cæterisve sint detrimento. Sciant vero interim quidquid ii servandum daturi sint, id optima fide restitutum iri.

De conservandis et augendis in omni genere virtutum iis, qui usque ad præfinitum tempus permanent in Seminario.

« Cum quæcumque ad virtutis et reliquarum rerum conservationem in iis, qui permanent in Seminario, ad quatuor capita referri possint: vestium et librorum, quos secum ferent vel subinde coemerint, ad quas item attinet munditics, et cultus honestus ac decens: corporis, cujus sanitas ad Dei gloriam exercitatione, laboribus moderatis et sobrietate, quanta satis est, procurari debet: animi, qui virtutibus et litterarum studiis sedulo excolatur: unionis animorum, ne qui Hungari sunt et non Transylvani aut Scytuli, vel Germanicarum aut Saxonicarum Civitatum, ac si qui alii ex Polonia vel aliunde fuerint, invicem mordeantur, aut is qui inter Christianos omnes esse debet mutuus amor, ulla ratione lædatur: propterea hæc erunt peraccurate servanda, quæ tamen fusius in iis Regulis, de quibus superius scriptum, explicabuntur.

Seminarii administri et qui vocantur officiales.

« Licet ipsum Seminarii crementum ostendet, majori opus esse numero eorum, quam qui modo ipsius curæ sunt adhibendi; nunc tamen hi necessarii esse videntur Præfectus, Emptor, Janitor, Cocus, Præfecti socius, qui eo absente Alumnos moderetur et in officio contineat. Et quidem ad reliqua, si quæ opus fuerint paranda, aut ad inserviendum iis, qui mensæ accumbent, (ut hac quoque ratione discant inservire, atque ad omnia præsto esse) adhiberi poterunt vicissim Alumni, sicuti et ad ea legenda, quæ divinam scripturam, historias, aliaque pia (dum cæteri comedunt) attinent.

« Porro his omnibus non solum regulæ tradentur, quæ aliorum Seminariorum officialibus tradi solent, verum etiam curandum erit, ut eas statis temporibus perlegant, atque antequam ad ea officia adhibeantur, intelligant. Interea vero dum illæ mittentur, exponet Præfectus, quæ ad Emptoris et cæterorum officia spectant, quæ quidem magna ex parte sunt, qualibus in Collegiis nostris uti cum ejusmodi hominibus solemus.

Præfectus et ipsius gubernatio.

« Cum ei qui aliis exemplo et animi moderatione ac sedulitate prælucere debeat, invigilandum sit, ut se tanquam speculum omnium virtutum teneris istis plantis exhibeat, tum diligenter omnia nosse curet, quæ ad gubernationem Seminarii attinent. Primum ut animarum, deinde corporum, postremo bonorum temporariorum vigilem curam habeat. Itaque expediet, ut futura prospiciat, quidve suis temporibus procurandum sit, id ut effici mandet, ipseque manum operi admoveat, quibus in rebus erit ab eo admovenda.

« Ac quod ad se eosque pertinebit, qui de Societate nostra pro tempore secum manebunt, sciat se debere in omnibus pendere a Reverendo Patre Rectore Collegii Claudiopoli tam in iis, quæ nostræ Societatis institutum attingunt.

« In cæteris vero, quæ spectabunt ad gubernationem Seminarii, habebit quidem eam facultatem, quæ observandis legibus et executioni mandandis ex iisdem intelligetur. At vero et consilium dicti Rectoris potius quam aliorum se-

quetur, et illum in rebus alicujus non mediocris momenti semper consulet.

« Neminem nostrorum aut invitabit, aut admittet in Seminarium, nisi plane jubente Reverendo Patre Rectore; si quis sua sponte venerit, admonebit fideliter eumdem Reverendum Patrem Rectorem.

« Externos item alios haud facile admittet ad Seminarium, omneque genus conviviorum diffugiet, ut fideliter in pauperes pecunia impendatur.

« Pecunia ipsa Seminarii, donec aliud statuatur, in Collegio apud Reverendum Patrem Rectorem manebit ea in cista, quam propterea relinquo. Una autem clavis ejusdem cistæ sive arcæ apud Reverendum Patrem Rectorem, altera apud Præfectum retinebitur.

« At cum pecunia ad ordinarios usus et sumptus erit eximenda, scribetur ea in libro, qui semper in arca seu cista dicta manebit, cujus libri alterum similem apud se habere procurabit, ex quo rationes dati et accepti Superioribus suis reddere possit.

« Sciat nec commodato, nec quovis alio prætextu, pecuniam a Pontifice Maximo et a Serenissimo Rege Seminario addictam, in Collegii usum, neque in cujuslibet alterius negotii, quantumlibet boni, unquam esse convertendam, vel ne mutuo quidem accipiendam: idque sanctissime esse observandum: nec vero Reverendum Patrem Rectorem, neque Procuratorem, nec adeo Reverendum Patrem Provincialem posse de ea nisi ad Seminarii usum quidquam omnino statuere: idque tantum pro ea ratione, quæ secundum mentem ejus Sanctitatis et ejus Majestatis, aut facultatem mihi a Reverendo Patre Generali concessam, ut declarata est, vel subinde declarabitur.

« Curet ut Emptor rationes ita distincte conscribat, ut singulis sex mensibus earum noticia possit haberi.

« A rusticis potius quam in foro triticum vel alia emi curet, si inde viliori precio coemi poterunt. Qua in re navus sit et prudens, mediaque interim disquirat, ut hanc noticiam assequatur, ut fidelis in domo Domini sit dispensator.

« Ordinariam tantum domus unam januam habeat, cujus sit fidus janitor, et majores rimas, si quæ in interstitiis lignorum fuerint, asseribus obstruat, ne vel aliis in domum aditus vel domesticis alio exitus pateat.

« Non ædificet quidquam in domo conducticia, sed tantum ea aptari vel effici curet, quæ necessaria sunt, quæque, si emigrandum erit, inde auferri possint.

« Locum quisque lectulo suo distinctum, et vel storeis vel nigra tela divisum habeat, ut honestati omni suus sit locus, occasio omnis amoveatur, quæ ne ipsos quidem oculos lædant.

Sic enim Hungaricæ avitæ puritatis laus iterum, Deo juvante, maximum in hujus Regni commodum reflorebit.

« Librum habeat, in quo quidquam ad Dei gloriam acciderit, excipiatur, quod singulis annis erit tanquam annua epistola perscribendum, et ad me mittendum, vel ei cui Seminariorum cura pro tempore incumbet, ut et Summo Pontifici et Serenissimo Regi atque Illustrissimo Principi fructus in bonis moribus et litterarum studiis constare possit.

« Si quid accesserit ad Seminarii bona, id libro adscribatur, in quo rerum mobilium et immobilium distinctus cathalogus sit.

« Ad me singulis mensibus scribat, et quandocumque ejus Superiores judicaverint, aut ipse necessarium esse existimaverit, admodum Reverendo Patri Generali de ipsius quoque Seminarii rebus.

« Reliqua in ejusdem Seminarii regulis, quæ, ut dixi, mittentur, continebuntur; sed quod ad numerum Alumnorum spectat, is per hos menses, quibus paranda erit aliqua suppellex, et aptanda nonnihil loca, aut tabulæ suæ cuique parvæ tradendæ, erit ejusmodi, ut aliqua summa restet in manibus, qua provisiones majores effici possint, et æs alienum ne confletur. Jesus Filius Dei vivi adsit suo operi. Amen.

Antonius Possevinus ex Societate Jesu.

LIX. — Possevinus, Transilvanis rebus compositis, jussus est a Pontifice ad finitimas Valachiæ et Moldaviæ Provincias ad res fidei curandas sese conferre. Qua de causa Gregorius ei cum mandatis litteras utriusque Provinciæ Principibus reddendas dedit. (¹) (¹) Reg. Gregorii XIII Ann. XI ep. 139 f. 261

Dilecto Filio Nobili Viro Michaeli Principi Vallachiæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem, et omnis gratiæ cumulum, perpetuamque fœlicitatem. Lætati incredibiliter sumus tua præstanti laude, et optima spe majoris in dies progressus in omni virtute et pietate. Narrant enim viri gravissimi, te et naturæ bonitate, et accurata matris tuæ prudentissimæ feminæ educatione multa præclare agere, inque iis magna erga nostræ Ecclesiæ homines benignitate uti. Non putavimus alienum esse a nostra charitate, qua omnes Principes Christianos amplecti debemus, Nobilitatem Tuam per has litteras salutare. Mandavimus etiam dilecto filio Antonio Possevino, Sacerdoti excellenti doctrina, pietate, integritate, charitate prædito, ut ad te iret, teque viseret, quæque ei commisimus, coram exponeret. Gratissimum Nobis facies, si ejus verbis omnem fidem tribues. Dominus noster Jesus Christus amplectatur, tueaturque Nobilitatem Tuam sua gratia, cumuletque omni fœlicitate. Datum Ro-

mæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xiv. Maji MDLXXXIII. Pont. Nost. anno undecimo.

En litteras ad Moldaviæ Principem. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep. 158. f. 260.

Dilecto Filio Nobili Viro Petro Moldaviæ Principi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem, et omnis gratiæ cumulum, perpetuamque fœlicitatem. Charitas Domini Nostri Jesu Christi facit, ut omnibus Principibus Christianis omnem gratiæ cumulum optemus precemurque. Tuam vero Nobilitatem hoc etiam nomine diligimus, quia gravissimorom hominum testimonio confirmatur de tua præstanti erga homines nostræ Latinæ Ecclesiæ humanitate et benignitate, deque veritatis in iis, quæ ad salutem pertinent, inquirendæ studio, inque hæreticos perpetuos omnis veritatis Christique hostes, qui ex Bohemia et Transilvania istuc penetrant, pio quodam et Christiano odio. His igitur nominibus amamus Nobilitatem Tuam, voluimusque te per has literas, perque dilectum filium Antonium Possevinum Sacerdotem excellenti doctrina, synceritate, pietate, charitate præditum salutare. Mandavimus, ut ad te iret, tibique nostras literas redderet, quæque ejus fidei commisimus, coram exponeret. Gratissimum Nobis facies, si ejus verbis omnem fidem tribues. Deus benedictus amplectatur Nobilitatem Tuam sua gratia, cumuletque omni gaudio et fœlicitate. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIIII. Maji MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno undecimo.

LX. — Hunc Principem a Turcis vexatum atque a Provinciæ possessione deturbatum, Gregorius jam antea sæpius, et nunc denuo Cæsari æque ac Galliarum Regi commendavit, ut in illa recuperanda ei præsidio esse vellent. Legas quæ Galliarum Regi scripsit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI. ep. 111. f. 228.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil libentius facimus, quam cum Tuæ Majestati commendamus ea, quæ ad Christi gloriam et Catholicæ Religionis amplitudinem pertinere intelligimus, nihil etiam a Tua Majestate libentius suscipi certum habemus: hoc autem negocium, quod hoc tempore commendamus, ad totius Moldaviæ Provinciæ salutem, Catholicamque Religionem opera dilecti filii Jani viri nobilissimi in ea constituendam pertinet; sic enim dicitur, Provinciam illam Jano huic jure hæreditario deberi; occupatam autem teneri a quodam tyranno. Speramus fore tua præstanti pietate, atque apud Turcam auctoritate, ut ea Provincia Jano restituatur. Rogamus, quantum possumus, ut hoc negocium suscipias. Omnia planius ac fusius ex Nuncio nostro cognoscet Majestas Tua; cupimus, ut ejus verbis fidem tribuas. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die nona Februarii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Ea tandem recuperata, Gregorius has ad eum litteras gratulatorias dedit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII. ep. 84. f. 314.

Dilecto Filio Nobili Viro Petro Vallachiæ Principi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Sapienter facis, cum in rebus secundis Divinam benignitatem agnoscis, eique bona omnia accepta refers, velut hoc, quod scribis, de recuperato Vallachiæ Principatu. Gavisi sumus vehementer: tibi enim optavimus semper omnem fœlicitatem. Faxit Deus, ut ista potestate utaris ad ipsius gloriam, atque ad tuam populorumque tibi commissorum salutem: hac enim cura et studio remoto, nihil est, cur Principatus optandi sint. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die duodecima Novembris, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

LXI. — In Gallia Apostolicus Nuntius Joannes Baptista Castellius Bononiensis, Episcopus Ariminensis, sedulam navavit operam, ut Regem ad tamdiu expectatam Concilii Tridentini promulgationem induceret. Verumtamen omnes sui conatus perinde atque annis superioribus incassum ceciderunt, ut et ipse refert [*]: quod infidelitate magis administrorum Regis, quam hæreticorum artibus factum est. Supremus enimvero causarum regni actor, advocatum regium vocant, eo impietatis processit, ut mentito Hugonottorum nomine iniquum sane libellum contra auctoritatem et sanctitatem Concilii Tridentini in vulgus ediderit. Quippe hoc versipellis homo egit, ut inde occasionem arriperet, Regem ab eo promulgando deterrendi, eidem vel ad summum timorem proponens, in quantam rabiem, si id fieret, Hugonotti agerentur, nec procul ab armis rem abfuturam. Verisimilem causam aucupatus fuerat, quo magis fidem rei faceret; nec tamen id gnaris et rerum experientia præditis viris persuadere potuisset. Hugonottos namque vel inde ab verno tempore sæpius, instigante præprimis Navarræ Rege, publicam quietem turbare conatus fuisse, Cardinalis Arminiacus pluribus ad Cardinalem Comensem datis litteris refert. [*] Illud profecto in dubium haud vocari potest, quin Hugonotti in Occitania, Vasconia, Delphinatu, animis plane ad proximum bellum versis, milites publice conscriberent, atque id maxime studerent, ut ad suam factionem sustinendam urbes arcesque, quam possent plurimas, in suam po-

[*] Mantissa document. N. 74.

[*] Ibidem N. 75.

testatem redigerent. Neque id agebant, quod ex Concilii Tridentini promulgatione aliquid sibi timendum esse putarent, eique coactis viribus obsistere in animu haberent; sed propterea quod urbes, quæ eorum Principibus ex Blesensi pacis edicto ad se tuendos in quatuor annos, fide data publica, traditæ essent, Regi restituere recusabant. Hic igitur nefariis eorum conatibus obsistere cum sui muneris esse duxisset, lege die 22. Decemb. promulgata cavit, ne quis, nisi ab se autea potestate facta milites conscribere anderet, severissimis pœnis inflictis in eos, qui hanc legem violaturi essent. [*]

[*] Mantissa document. N. 76.

LXII. — Gallicanæ Ecclesiæ haud exiguo detrimento fuit prænatura mors Nuntii Apostolici, viri sane virtutibus omnibus præditi, quem maxime illius Ecclesiæ tempora poscebant. Hæc de ejus obitu refert Mathæus e Societate Jesu, qui ei a sacris confessionibus fuerat. [*]

[*] Galba Vol 17 fol. 233.

Rño et Illño Domino, Dño meo Observandissimo Cardinali Comensi.

Rñe et Illñe Domine.

« Rñus Episcopus Ariminensis, Sanctissimi Dñi Nostri in hoc Regno Nuntius, hodie mane hora circiter sexta cum dimidia, more nostro Gallico, ad meliorem et fœliciorem vitam, ut speramus, transivit: sicut enim sanctissimam duxit vitam, sic in sua ægritudine, quæ diuturna fuit, et in suo obitu usque ad extremum spiritum semper fuit Deo conjunctissimus, cujus rei testis ego sum oculatus; nam et illi toto sui morbi tempore frequens adfui, et morienti oculos clausi: faxit Deus ut æterna illa Beatorum pace fruatur. Vix dici potest, quantum ejus mortem viri omnes boni defleant: erat enim vir, qualem hoc tempore Religionis in hoc Regno negotia perturbatissima requirebant, Deo devotissimus, Suæ Sanctitati fidelissimus, insigni pietate, prudentia, et zelo divini honoris et animarum salutis præditus, et qui apud Regem Christianissimum et Principes omnes hujus Regni plurimum gratia et authoritate valebat. Catholici omnes sperant Sanctissimum Dominum Nostrum magnam habiturum rationem necessitatum Regni hujus in deligendo Nuntio, qui loco defuncti huc mittatur, neque dubitant, quin in ea re multum possit Illña D. Vra, quam Christus Jesus diutissime incolumem servet ac tueatur. Parisiis die 27. Augusti 1583.

Vestræ Dominationis Rñæ et Illñæ

Servus in Christo Jesu humill. et inutilis

Claudius Mathæus Societ. Jesu

LXIII. — Gregorius in ejus locum sufficit Hieronymum Ragazonum Venetum, Episcopum Bergamensem, virum æque præstantissimum, ac variis ad Principes legationibus egregie peractis, probatissimum. [*]

[*] Reg Gregorii XIII An XII ep. 63 f 301

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Postquam placuit Divinæ bonitati ad se avocare venerabilem fratrem nostrum Episcopum Ariminensem Nuncium nostrum, dedimus hoc munus venerabili fratri Hieronymo Episcopo Bergomensi, viro præstanti prudentia, doctrina, pietate, integritate prædito; quibus nominibus illum Tuæ Majestati omnibus in rebus satisfacturum non dubitamus. Ejus igitur verbis super iis rebus, quas in adventu ipso exponet, quæque dies ipsa afferet, eamdem fidem tribues, quam nostro et Sanctæ hujus Sedis Nuncio tribui par est, quamque Nobis ipsis, si coram essemus, tribueres. Erit id Nobis gratissimum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, die vigesima octava Septembris, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

LXIV. — Idem Archiepiscopum Burdigalensem laudat, quod Synodum provincialem tam pie sancteque confecerit. Quid in ea sit animadvertendum, Cardinales Sacri Concilii Tridentini interpretes ei significaturos scribit. [*]

[*] Reg Gregorii XIII An XII ep. 92 f 320

Venerabili Fratri Archiepiscopo Burdegalensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Incredibiliter lætati sumus, Synodum Provincialem a Tua Fraternitate ad Nos missam perfectam esse tanta cum pietate, quantam et res ipsa flagitabat, et zelus tuus pollicebatur. Quo nomine te plurimi facimus, tibique, provincialibusque tuis omnia a Nobis paternæ charitatis officia deberi agnoscimus. Restat, ut pari studio et cura operam des, ut quæ pie sancteque decreta sunt, quam diligentissime serventur: sic enim et Dei gloriæ inservietur, et disciplina Ecclesiastica magna cum dignitate et fructu retinebitur. Id vero te pro tua singulari prudentia facturum esse non dubitamus. Cætera quæ ad Synodum pertinebunt, perscribent Fraternitati Tuæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, dubiorum Sacri Concilii Tridentini interpretes, qui decreta ipsa diligentissime considerarunt. Adsit semper Fraternitati Tuæ Divina gratia, ad sui nominis gloriam, Catholicæ Religionis amplitudinem, commissi tibi gregis salutem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die tertia Decembris, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

LXV. — Episcopus Parisiensis, vir tum rei sacræ tum civilis consultissimus, eaque propter in secretius consilium superioribus jam annis a Rege adlectus, Pontificem supplex adit, ut quo-

niam ipse non minus ætate, quam rerum publicarum mole premeretur, sibi in Ecclesia regenda Julianum a S. Germano, virum et doctrina et pietate omnibus valde probatum, Coadjutorem, qui postea in suum locum sufficiatur, velit dare. (*)

(*) Gallia Vol. 17. fol. 127.

Beatissimo Domino Dño Papæ.

« Beatissime Pater. Cum primum jam a viginti annis Dei et Vestræ Sedis Apostolicæ gratia Episcopatui Lingonensi præfectus fuissem, hinc Christianissimi Domini mei Regis Caroli defuncti hortatu cedere, et pro Parisiensi retinendo Sanctissimum Dominum nostrum Pium Prædecessorem Vrum supplicare coactus sum. Nimirum optimus ille Princeps me regiæ suæ personæ a Consiliis esse volebat. Huic igitur Parisiensi Diœcesi, quantum Dominus dedit, et florens ætas perferre potuit, ego superioribus annis omnem operam et diligentiam impendi, expertus sane quam longe sit gravius hic, quam illic Episcopum agere. Nunc vero multa sunt, quæ vestram gratiam implorant, assidui pro Gallicæ Reipublicæ statu labores, (a quibus me regiis mandatis implicitum, non nisi cum pietatis detrimento exolvere posse arbitror) magnum istud Episcopatus onus propter civium multitudinem et omnis generis et professionis populorum concursum, continuam hac in urbe Regis residentiam, magnum Senatum, florentem Academiam, celeberrimam Theologiæ Scholam, frequentes Episcoporum pro rebus Ecclesiæ conventus. Quæ omnia tanta me rerum et negotiorum varietate impetunt, ut solus jam me ferre posse diffidem ea, quibus etiam duo maxime laborabunt. Accedit et prona in senium ætas, quæ minus ferat ea, quibus hactenus maximis cum angustiis sufficere potui. Hinc fit ut a Vestra Sanctitate coadjutorem humiliter postulem, qui meas vices supplere, partem oneris istius et consilio et administratione ferre possit, quamdiu mihi vita superstes erit, etiam cum conditione successionis futuræ, si modo Episcopatum vacare contigerit, cui ex fructibus pensionem honestam et decentem persoluturum sim, ad personæ et gradus sui cohonestationem. In eam sollicitudinis partem, quamvis e consanguineis aliquos seligere potuerim, malui tamen, teste mihi Deo, nulla nisi capacitatis habita ratione, Vestræ Sanctitati offerre Magistrum Julianum a S. Germanu, virum Sacerdotem, Doctorem in Theologia Parisiensem, natalibus nobilem, doctrina et vitæ probitate conspicuum, Ecclesiasticis, Nobilibus, Senatoribus et plebi gratissimum, multis conjecturis et argumentis a me probatum. Hunc superioribus annis post cessionem Reverendi Dñi Vigoræi tandem Archiepiscopi Narbonensis, Theologali cathedræ Ecclesiæ meæ præfeceram, hanc ille singulari sua doctrina decoravit. Demum Vicarium Generalem meum constitui, quod et ille magna cum omnium congratulatione executus est; sed et nuper ad Regem nostrum vocatus est, ut et a spiritualibus consiliis esset. Ita denique in omnibus fecit, ut Ecclesiastica præfectura et Episcopatu dignissimus esse videatur. Et quoniam dicto Magistro Juliano nec beneficiorum nec alterius commodi proventus sunt, ut qui e Sorbonico sodalitio proficiscatur rursus, hanc a Sanctitate Vra gratiam postulo, ut gratis provisiones et diplomata vestra illi donentur, ita me et illum ipsum et Diœcesanos nostros vobis devinctissimos habituri estis.

« Interim vero omnes mihi creditos ad preces pro Vestræ Sanctitatis integra valetudine provocare non desinam, ut et ipsam Deus Optimus Maximus Ecclesiæ suæ ad multos annus conservet incolumem.

Ex Episcopali domo Lutetiæ hac ultima die Aprilis 1583.

Ad beatissimorum pedum vestrorum oscula humill. et obedientiss. servus
Petrus Gondius Episcopus Parisiensis.

LXVI. — Franciscus Jusius virtutem æque ac generis splendore illustris, Magni Galliæ Mareschalli filius, Gregorio de cathedra Narbonensi sibi collata gratias agit; simulque Romam Gassotum mittit, ut exponat, quæ ipsum ab munere capessendo morarentur. (*)

(*) Gallia Vol. 17. fol. 218.

Sanctissimo Domino Domino Nostro Papæ Gregorio Decimotertio.

Beatissime Pater.

« Etsi constitueram primo quoque tempore Romam proficisci, ut, quam debeo Sanctæ Sedi Apostolicæ, tibi pollicear obedientiam, coramque immortales gratias agam, quod egregia paternaque in familiam nostram voluntate, Archiepiscopum Narbonensi Ecclesiæ præsse volueris: tamen cum insperati rerum eventus meam profectionem retardarent, et interim occurrerent nonnulla, quæ mihi injiciunt scrupulum in hac provincia capessenda, mitto cum his litteris prudentissimum virum Gassotum Regis secretarium, cui exposuimus quæcumque videbantur negotium facessere, ut quam tibi præsens ipse detulero, in exoranda venia summissionem animi et humilitatem exhibeat. Atque hæc omnia permitto censuræ tuæ Apostolicæ, testorque Deum Optimum Maximum, me nec ullis obstructum conscientiæ vinculis, nec temporalibus commodis irretitum velle ad hanc dignitatem accedere. Da igitur, Sñe Pater, gaudium et lætitiam auditui meo, annue supplicibus votis et sic habeto, me quicquid jusseris, ac per eum renunciaveris, id paratissimo animo esse facturum. Qua fiducia procumbens Sanctitatis Tuæ pedes deosculor, Deumque Optimum Maximum precor, ut te diutissime Ecclesiæ suæ Sanctæ servet

incolumem. Datum Parisiis quarta Nonas Junii 1583.

Sanctitatis Vestræ servus humillimus
usque ad humillima sanctissimorum
pedum oscula
Franciscus da Joyeuse.

LXVII. — Galliarum Rex operibus pietatis intentus maxime Pontificem efflagitat, ut pium sodalitium titulo B. Mariæ Virginis ab Angelo salutatæ ab se institutum, sua auctoritate confirmet, sacrisque indulgentiis auctum ire velit. Rogat præterea, quod sæpius antea fecerat, ut Fuxium Archiepiscopum Tholosanum in sacrum PP. Purpuratorum senatum tandem referat. [*] Eadem amplissimæ dignitatis insignia Episcopo Parisiensi, et Archiepiscopo Narbonensi, nec non Guirio Abbati S. Benigni Divionensis iteratis precibus petit. [*] Carolum ex Guisia gente Divionensem etiam Abbatem Pontifici commendatum habere voluit. [*]

[*] Mantissa document. N. 77.
[*] Ibidem N. 78.
[*] Ibidem N. 79.

LXVIII. — Magna controversia exorta erat inter tres status Comitatus Avenionensis et Venusini de ratione, qua impensæ superioribus annis ad bellum factæ, essent solvendæ. Status Ecclesiasticus ab Hugonottis propter insitum ac mortale in fidem Catholicam odium omnibus fere bonis spoliatus fuerat. Nobiles quidem viri feudatarii vetera quædam privilegia prætendebant, ex quibus se oneribus immunes esse debere affirmabant. Tertius vero status seu reliqui cives, cum invidia aliqua in Clerum afficerentur, eidem solvendarum omne impensarum onus imponi debere contendebant. Gregorius utpote qui paci valde studens, pronior esset lenioribus remediis, non tam ad justitiæ vim, quam ad æquitatis rationem eas exigendas ratus, ita summa fere omnium voluntate controversiam diremit. [*]

[*] Avignone Vol. 13. fol. 313.

Venerabili Fratri Dominico Episcopo Savonensi Comitatus Nostri Venayssini Rectori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Vidimus matureque consideravimus informationes per te mandato nostro captas, super differentiis tertii status istius nostri Comitatus contra Clerum ac Vassallos, cum ipse prætendat reliquos duos status debere esse participes occasione expensarum factarum, et faciendarum causa belli. Unde Nos cupientes subditos istos nostros inter se pacifice atque amanter vivere ac se tractare, visum est Nobis in hac eorum controversia æquitatis temperamentum adhibere, postposito justitiæ rigore, et ad hunc ipsum effectum tenore præsentium declaramus et ordinamus, quod ob debitum contractum ab eodem Comitatu propter prædictum bellum usque in presentem diem status Ecclesiasticus ob ejus paupertatem, et aliis etiam rationabilibus de causis teneatur solum contribuere et solvere quinque millia scuta, quindecim mille francos vel circa constituentia. Quoad vero Vassallos ipsos, attentis privilegiis et eorum obligationibus servitii personalis, declaramus pariter et ordinamus, ut persolvant pro extinctione eorum debitorum duodecim millia scuta, videlicet ad francos triginta sex mille vel circa ascendentia, pro omni et toto eo, quod eos ex rigore tangeret. De residuo autem ejus debiti tertius status cogitationem et curam suscipere debebit. Et hoc quoad expensas jam decursas et factas. Cæterum de expensis, quæ in posterum fieri contigerit, similiter declaramus et ordinamus, quod quilibet ex tribus statibus contribuere debeat pro parte eos tangente, juxta taxam, antiquam seu secundum unam novam taxam ad extimationem facultatum uniuscujusque, a Deputatis per ipsas partes cum interventu Superiorum super hoc faciendam: dummodo status Ecclesiasticus non requiratur ad præstandum amplius, quam tenetur per sacros canones vel ex consuetudine regionis legitime præscripta. Sua vero contributio exigenda ab eis erit, non juxta taxam bonorum, sed ad instar decimarum vel collectarum aut aliarum ejusmodi impositionum, prout eis melius esse videbitur. Et quod Vassalli non debeant teneri ad contributionem expensarum belli propter bona nobilia ac feudalia, quæ possident, ratione quorum astricti sunt ad præstandum servitium personale, secundum obligationes consuetudinum feudalium vel particularium cujusvis investiturarum, seu homagii præstiti secundum pœnas appositas per dictas consuetudines feudales, et etiam per leges communes et consuetudines ejus status: sed ob bona allodialia, ab illis possessa aut in locis ubi habent jurisdictionem, vel alibi, obligati sint ad contribuendum cum aliis tertii status ad omnes expensas, et omnia onera belli, et aliorum pro communi beneficio. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die III. Junii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Momorantius Galliæ Mareschallus, qui provinciis Occitaniæ et Vasconiæ præerat, quique nonnulla feuda in Comitatu Venusino possidebat, in ea controversia Nobilibus favebat. [*] Is enim animi ægritudinem non dissimulavit in cives Avenionenses, qui eum militibus stipatum ex Occitania revertentem minus urbane exceperunt, ac veluti hostem habuerunt. [*] Itaque Gregorius eum humanissimis verbis de sententia in negotio trium statuum Comitatus Venusini lata, certiorem reddidit. [*]

[*] Mantissa document. N. 80.
[*] Ibidem N. 81.
[*] Reg. Gregorii XIII An. XII ep. 19. f. 279.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Momorancy.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Confectum erat a Nobis negocium trium statuum Comitatus nostri Ve-

naysini multo ante, quam redderentur Nobis literæ Nobilitatis Tuæ datæ xii. Maji, quo in negocio eam æquitatis rationem habuimus, ut lætemur ante a Nobis satisfactum esse officio tuo pro nobilitate suscepto, quam ad Nos pervenirent tuæ literæ; quia enim perspectam semper habuimus prudentiam et virtutem tuam, semperque eam plurimi fecimus, postulationibus tuis semper libentissime satisfaciemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die i. Julii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

LXIX. — De ea controversia optime composita Nobiles Pontifici agunt gratias; significant tamen, cum adhuc apud tertii status homines dubia de Brevium interpretatione supersint, non ita pridem ea exequutioni mandari potuisse. Qua in re Episcopi Savonensis, Rectoris Comitatus, viri imprimis pacis studiosi, operam plurimum valuisse scribunt. [*]

[*] Avignone Vol. 12. fol. 671.

Sanctissimo Domino Nostro Papæ.

Beatissime Pater.

« Cum eo rescripto justitiæ et æquitatis pleno, quod a Sanctitate Sua super controversiis inter feudatarios Ejusdem Sanctitatis, et homines tertii status Comitatus Vestri Venayscini subortis, emanavit, certa norma, certaque regula, omnibus debitis ratione belli in eodem Comitatu in hunc usque diem contractis dissolvendis, fuisset præscripta, nec non quid hac in re deinceps constituendum esset, æquissime præfinitum fuisset, quod propterea obtestatione coram Reverendissimo Savonensi Episcopo eo nomine facta, eum humillima gratiarum actione amplexi fueramus; aliqua tamen dubia parte dictorum hominum tertii status circa interpretationem rescripti proposita fuerunt, ideoque executio ejusdem necessario differenda fuit: sed idem Reverendissimus Episcopus pacis concordiæque amantissimus, ac salutis hujusce Provinciæ studiosissimus, ut hanc etiam, quæ inter alia multa ab eodem peracta in his partibus præclara facinora non minima est, Sanctitati Suæ navaret operam, in id omnes industriæ nervos intendit, ut quæ inter nos exortæ erant circa ipsum rescriptum controversiæ, quam primum consopirentur, hisque consopitis statuum concordia floreret Provincia. Quod tandem summo Dei favore, summisque suis laboribus ad finem perduxit. Quo nomine non possumus non illi nos deditissimos profiteri: sed duo tamen articuli circa debita imposterum ineunda Vestræ Sanctitatis judicio definiendi remissi fuere, quos cum definitos intellexerimus, eorumque fuerimus facti certiores, integra eademque mutua statuum amicitia potiemur. Quare Ejus Sanctitatem humillime deprecamur, ut quemadmodum præter innumera, quibus hanc Provinciam affecit, beneficia recens id accessit, (quæ summa sua est benignitas et humanitas) ut eo rescripto donaremur: ita ad horum cumulum id beneficii, nimirum utriusque articuli definitionem dignetur adjungere, quo postquam affecti fuerimus, luculentum Ejus Sanctitatis in nos humanitatis prodetur judicium, quod non solum sperare, sed ne optare quidem in mentem venisset. Cujus et aliorum nomine Ejus Sanctitati perpetuo addictos nos fore pollicemur. Et ut grati animi aliquod specimen exhibeamus, nos, liberos nostros, fortunasque nostras Vestræ Sanctitatis obsequio et mancipio addicimus, devovemus et consecramus, et S. S. pedibus qua decet animi abjectione prius deosculatis, Deum Opt. Max. deprecamur, ut E. S. Christianæ Reipublicæ quam diutissime incolumem servet.

Sanctitatis Suæ

Humillimi et ad omnia obsequentissimi
Feudatarii ac Subditi
Rostang Cadard de Cadenousse
Duarignan esleu de la noblesse et depute.
Vellerons-Venasque.

Quum autem apud Rectorem Comitatus per certos utriusque partis homines de controversia inter secundum et tertium statum deliberatum fuisset, placuit dubia illa, quæ rem morarentur, Pontifici exponenda, petendumque ab eo rursum esse, ut æquitatis ratione pro suo more habita, rem plane definiret. [*]

[*] Avignone Vol. 12. fol. 817.

« Nos infrascripti Deputati per duos status, scilicet secundum et tertium hujus patriæ Comitatus Venayssini super differentiis existentibus inter dictos duos status ad causam contributionum, quas dictus tertius status petiisset, et peteret fieri per prædictum secundum statum in subsidiis ejusdem patriæ factis, et faciendis pro præterita impensa belli, postquam mature consideravimus et discussimus, quantum diligenter fecisse potuimus, omnia dubia concernentia Breve Sanctissimi Domini Nostri Papæ emanatum super differentiis jamdictis, et quæcunque superessent dubia, tam circa interpretationem et declarationem Brevis jamdicti, quam ad plenam decisionem petitionum dicti tertii status, et prætensionum hinc inde propositarum, et postquam diu in eo negotio processimus, examinato et tractato coram Rmo in Christo Patre Dno Domino Dominico Grimaldi, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Savonensi et Rectore Comitatus jamdicti, et post quamplures congregationes per nos habitas in domo Rectoriatus, omnes unanimiter in hanc devenimus sententiam, seu opinati fuimus super capitulis sequentibus in modum qui sequitur.

« Primo, quod cum per prædictum Breve Smus Dnus Noster Papa condemnaverit jamdictos Dnos secundi status, ad reficiendum et solvendum prædicto tertio statui summam duodecim millium scutorum auri solis, pro omni eo

quod ipsi Magnifici D. Feudatarii haberent contribuere in prædicta impensa belli facta usque in diem dicti Brevis emanati; quod hujusmodi adjudicatio summæ prædictæ sane debeat intelligi pro omni contributione, quam dicti Dñi Feudatarii haberent præstare pro bonis sive feudalibus, sive obtentis intra feudum ipsorum ad causam impensarum belli tam in universum, quam per particulares communitates locorum, in quibus dicta bona sita sunt, factarum. Quoad vero reliqua bona per eosdem Dominos Feudatarios tenta et possessa, et in futurum obtinenda in aliis locis et territoriis dicti Comitatus, minime existentibus de feudis ipsorum teneantur contribuere in eisdem locis et oppidis, in quibus bona prædicta sunt sita, et in subsidiis eorumdem locorum, et tam pro causa belli quam alia legitima factis et faciendis ad instar aliorum habitatorum dicti Comitatus ibi bona possidentium, non existentium de dicto secundo statu, servatis statutis et ordinationibus ejusdem patriæ observari solitis, quoad modum et formam contribuendi in dictis subsidiis locorum, tam respectu habitatorum quam forensium.

« Cæterum quoad secundam partem dicti Brevis, sequentia remansere dubia, de et pro quibus decidendis nondum potuimus convenisse.

« Primo de et super petitione, quam fecisset et faceret dictus tertius status pro prædiis rusticis et urbanis, aliisve bonis non feudalibus per eos possessis intra feuda et territoria eorum respective tenerentur contribuere ad instar aliorum possidentia prædia, et minime existentium de dicto secundo statu: quia prædicta bona essent habenda velut allodialia, quæ ex tenore dicti Brevis subjicerentur contributioni. Et ex adverso dictus status secundus dissentiret et opponeret, non teneri pro bonis proxime declaratis contribuere, quia prætenderent eadem bona non debere dici allodialia, sed dependentia de eorum feudis, et consequenter debere eximi ab oneribus jamdictis tamquam feudalia; in hac controversia et hujusmodi dubio aliter non valentes convenire, hanc elegimus viam scilicet, esse rursus supplicandum Sñio Dño Nostro Papæ, quod dignetur dubium hujusmodi diffinire et terminare.

« Similiter et secundo, remansit dubium indecisum, videlicet an dicti D. Feudatarii pro feudis ipsorum debeant esse immunes ab impensa belli, quando non contigit intervenire servitium personale ipsorum; pariter in casibus et causis, in quibus non habet intervenire, neque desideretur servitium personale eorumdem, et tamen respicientibus conservationem totius status patriæ et utilitatem eorumdem Dominorum Vassallorum, velut aliorum habitatorum ejusdem patriæ. Iden super hoc quoque dubio esse supplicandum Sanctitati Suæ, ut sua benignitate et paterna pietate, qua prosequitur totam patriam jamdictam, et singulos status prædictos, dignetur et velit hæc duo præscripta dubia, cum omni nedum justitia, sed etiam æquitatis temperamento decidere et terminare, prout magis convenit conservationi jamdictæ patriæ, et sublevationi paupertatis illius, et quiete et pace suæ provinciæ, prout nos omnes S. S. humiliter supplicamus.

In quorum fidem subscripsimus, Carpenturacti hac die undecima mensis Augusti, anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo octuagesimo tertio.

Rostang Cadard de Caderousse deputé. – Paul de Venasques deputé. – Thomas des Astvandz deputé. – Lodovicus Belles pro Consilio. – Ægidius Benedictus Advocatus. – Michel des Isnardz deputé. – Thomas des Bertons deputé – S. Raymondi premier esleu du tiers estat et deputé. – H. Benedicti deputatus pro toto statu. – J. Verotus Doctor et deputatus a tertio statu. – C. P. de Gigondas conseigneur de Garde esleu.

Quod negotium Cardinali quoque Comensi commendabant.(*)

(* Avinione Vol. 12. fol. 611)

Illño ac Rño Cardinali Comensi.

Illustrissime Domine.

Nulla quidem fuit hucusque data facultas, ut tuam demereremur gratiam, modestiæque propterea fines, ne quid ab Illña Paternitate Vestra efflagitaremus, jubere videbantur, sed humanitatis plane singularis, quæ in te relucet fama, ut ad te scriberemus, simulque tuam omnibus promptam operam imploraremus, impulit. Ex litteris quas ad Sanctitatem Suam scribimus, in quo statu sint controversiæ, quæ inter nos Feudatarios et homines tertii status Comitatus hujusce Venaiscini vertebantur, et quemadmodum opera Reverendissimi Savonensis Episcopi, quo nomine illi tota Provincia deditissima est, definitæ sunt, E. I. D. V. cognoscere poterit. Duo tamen cum supersint articuli circa debita in futurum contrahenda, Sanctitati Suæ remissi definiendi, E. I. D. quibus possumus precibus obsecramus, ut in eorum definitione nobis adesse dignetur, in quibus quantum jure nitamur, ex brevibus memorialibus ad hanc rem confectis, quæ propterea simul mittimus, intelliges. Patiare igitur, te in patronum nuncupemus, utque tanto digni honore, rara tua benignitate hoc suadente, censeamur. Tanti beneficii ergo nos eidem I. D. Tuæ perpetuo deditissimos fore profitebimur, ac cum parem gratiam referre non possumus, saltem Deum Optimum

Maximum pro ejusdem prospera diuturnaque salute deprecabimur.

Illmæ Dominationi Vestræ

Obsequentissimi et ad omnia paratissimi

ROSTAING CADARD DE CADEROUSSE.

DAUBIGNAN ESLEU DE LA NOBLESSE ET DEPUTÉ.

Vellerons-Venasque.

LXX. — Qua in controversia non defuerunt ex Nobilitate, qui obscura simultate acti Episcopum Tholonensem, quem Cardinalis Arminiacus ab anno MDLXXIII. juri dicendo in causis civilibus præfecerat, apud Pontificem veluti virum, qui gratiam vel aurum sequutus justitiam violasset, traduxerint. Gregorius justitiæ retinentissimus, quique nullam labem in iis maxime, qui aliqua dignitate præditi erant, patiebatur, ubi audiit, quænam crimina de Episcopo Tholonensi asserebantur ab iis, de quorum fide nullam antea dubitationem habuerat, extemplo Episcopum Tholonensem evocat, suamque in Diœcesim redire jubet. Hoc optimus ille vir ægre admodum tulit, qui editis libris hæreticos homines exagitaverat; itaque de sibi injuste illatis criminibus apud Pontificem se purgandum curavit. Lege iis in litteris suam apologiam, verborum gravitate et elegantia, miraque orationis securitate cum modestia conjuncta, adeo concinnatam, ut viri innocentiam stilus ipse emunctæ naris homini prodere possit. [*]

[*] Avinione Vol. 12. fol. 619.

Beatissime Pater.

« Quadraginta fere anni sunt, ex quo tempore ego Illostrissimo Cardinali Armaignaco operam navare cœpi, in maximis rebus gerendis et gravissimis negotiis pertractandis, quæ ille curanda suscepisset, vel mandato Regis Christianissimi, vel jussu Summorum Pontificum, et istius Sanctæ Sedis authoritate. Sunt autem anni decem et octo, ex quo ipse venit in hanc Civitatem hujus Legationis administrandæ causa, in cujus administratione ita se gessit, ut ipsius studio, labore et summa diligentia eam e faucibus hostium ereptam difficillimis et acerbissimis temporibus, atque salvam et conservatam esse plerique omnes profiteantur. Qua quidem in re magna ex parte usus est opera mea. Nam ego totos novem annos priores cum eo fui semper, post quos integrum quinquennium transegi in Ecclesia Tholonensi, ubi in coercendis et reprimendis hæreticis, quantum in me fuit, omnem laborem et industriam consumpsi, atque eorum errores verbo et scriptis meis gallico sermone profligavi. Deinde huc reversus rursum commodis et utilitati ejusdem Illmi Cardinalis inservivi, idque hortatu et mandato Sanctitatis Tuæ, dum ad eum scripsisti, pergratum tibi fore, si opera mea deinceps uteretur, quod vir essem rerum usu et providentia præditus (sic enim in literis tuis scriptum reperitur): ob eam causam, et quod jam inde a longo tempore me cognitum et perspectum haberet Cardinalis, mihi administrationem justitiæ commisit, sed ita ut graviores causæ ad eum semper referrentur. Dum hæc rite geruntur, acerba pestis hanc Civitatem usque adeo invasit, ut post cives fere omnes, etiam ipse Cardinalis ex ea discedere cogeretur, me una cum Pirrho Malvetio nobilissimo et prudentissimo viro in eadem relicto, ut ne quid detrimenti Civitas eo absente caperet, diligenter curaremus. Id dum facimus patefacta est conjuratio, in qua de Pirrho occidendo et capienda Civitate fuerant habiti sermones. Hos conjuratus ego gravissimo, et hic inusitato supplicio plectendos curavi, ut cæteri a tam nefario scelere in posterum deterrerentur. Id factum ita laudabant omnes viri boni, ut hunc laborem meum a Sanctitate Tua etiam laudatum et remuneratum iri omnes arbitrarentur: idque etiam ipse Pirrhus mihi sæpenumero confirmabat. Deinde post annum restituta valetudine Civitati, et in eam civibus cum Cardinali reversis, lites maximæ et gravissimæ exoriuntur, dum creditores Patriæ, et singulorum oppidorum Comitatus Venaissini intermissam aliquot annis solutionem pensionum flagitant, et creditam pecuniam reposcunt, debitores vero inopia coacti se id præstare posse omnino pernegant, usque adeo ære alieno erant gravati. In componendis igitur his litibus ego una cum Illmo Cardinali triennium consumpsi. Qua in re quantum laboris dies noctesque susceperim, sciunt cives Avenionenses, et omnes incolæ Comitatus, quorum Consules et alii ob eam causam mihi sæpenumero gratias egerunt, multis præsentibus: propterea quod opera mea gravissima molestia liberati esse viderentur. Qua ex re dum ego valde lætor, de improviso mihi renuntiatur venisse nuncium ex Urbe, me apud Sanctitatem Tuam male audire, et ad eam perlatum esse, justitiam in hac Civitate et Comitatu Venaissini a me male administrari, subditos Sanctitatis Tuæ et Sedis Apostolicæ tractari perperam, de ea re conqueri populum, ita ut ei satisfactum esse nequeat, nisi ego tuo jussu hinc discederem: atque ob eam rem literas datas esse Pompejo Catilinæ; hunc vero rumorem sparsum esse in vulgus non sine magno dedecore nominis mei. Hic, Pater Sanctissime, ego valde mirari cœpi, deinde perquirere diligenter, num id verum esset. Non enim facile poteram persuaderi, adductus primum testimonio conscientiæ meæ, qui nihil tale cogitassem, nec quod sciam, in suspicionem violatæ justitiæ unquam venissem. Sic enim mecum reputabam, causas criminales a me nunquam fuisse decisas; propterea quod earum mihi jure communi esset interdicta cognitio, neque ut de iis cognoscere liceret, ullo privilegio essem suffultus: causas vero civiles ita tractarem, ut liti-

gantes coram me semper audirem, adhibito Doctorum et proborum hominum consilio. Et si quid ex scripto judicandum esset, id nunquam a me nisi de communi sententia Auditorum Rotæ fuisset factum, in quorum libris omnes graves sententiæ ita scriptæ reperiuntur, ut in iis causæ decisionis ipsarum diligenter sint annotatæ, quo facilius earum ratio reddi possit. Libellis vero supplicibus nunquam a me fuisset responsum, quin eis perlectis, ac plane intellectis Illustrissimus Cardinalis subscripsisset. Quæ cum ita sint, et omnibus, qui hic agunt, perspecta atque cognita, mihi sane non veniebat in mentem, in quo peccatum esse diceretur. Sed cum hæc fama de me in ore omnium triduo versaretur, tandem Pompejus Catilina, quod ei mandatum esset, Illustrissimo Cardinali exposuit. Ex quo ego, quid esset, paulo post intellexi, nempe tibi placere, ut ad Ecclesiam meam proficiscar. Id quod mihi pergratum fuit: nihil enim viro bono debet esse gratius, quam suo muneri fungi et uni Deo servire. Causa vero profectionis meæ ita, ut supra dixi, divulgata, scriptaque ad Cardinalem nomine Sanctitatis Tuæ mihi fuit permolesta. Quid enim, Sanctissime Pater, Episcopo accidere potest gravius, quam Summo Pontifici, Principi Christianorum omnium, et Vicario Christi displicere, et apud Sanctitatem ipsius violati juris reum esse factum, præsertim cum ex scripturis sacris bonum nomen divitiis multis et aliis rebus omnibus debeat anteponi, sitque maledictus is, qui negligat famam suam? Hac re igitur ego usque adeo permotus fui, ut sicut tibi in omnibus rebus obediendum esse semper putem, ac certo sciam, ita, ut mihi justitiam administret Sanctitas T., omni ope contendam. Nam si ego talis sum, qualem me esse clanculum dixerunt adversarii mei, ignominia affici, atque aliis gravissimis pœnis debeo subjacere: sin minus non solum absolvi, sed etiam honorem et præmium ob res a me præclare gestas obtinere. Ego enim si ad meos redeo tam gravi notatus infamia, eo quod tibi displicuerim, et subditos tuos male tractarim, quid de me sentient ii, qui sciunt Episcopum oportere non solum culpa vacare, sed etiam omni suspicione culpæ, atque omnino irreprehensibilem esse? Neque vero id a me idcirco dictum est, ut me aliqui peccatorem non agnoscam; sed quod justitiam a me labefactatam esse isti falso criminantur, ego supplex ad pedes Sanctitatis Tuæ justitiam tuam imploro. Deputentur Commissarii arbitrio Sanctitatis T. prodeant isti accusatores, examinentur testes fide digni juxta decreta Concilii Tridentini, et in quo peccavi, nominatim ostendant. Quod si accusat me nemo, quis, obsecro, condemnabit? At, inquiunt, populus conquestus est. Ego vero id valde et constanter nego. Vocetur ergo populus calatis comitiis, et de me quam velit sententiam ferat: ego statim eorum sententiæ subscribam, et libenter acquiescam. Cogantur concilia civitatum et municipiorum omnium, dicant libere, an ea, quæ tibi dicta sunt de me, vera esse confirment. Quod si quis separatim asserat injuriam accepisse, quod fortasse litigando causa cecidit sua, is doceat a me contra leges judicatum fuisse, vel per sordes, favore, vel odio, atque si provocare non potuit, exigat a me pœnam judicis, qui male judicavit. Sed hæc omnia vana sunt atque inania, et opinione omnium falsa. Non enim quicquam hujusmodi a me commissum fuit unquam. Propterea a te justitiam peto, Sme Pater, qui neminem judicare soles inauditum, aut indefensum, sed aurem alteram reis absentibus servare: descende, obsecro, paulisper de excelso solio Majestatis T., et vide an sermonem, qui ad te pervenit, opere compleverim. Tunc agnosces qualis vir fuerim semper, et quam devotus Apostolicæ Sedi, pro cujus authoritate sæpe pugnavi cum Hugonottis, et eam scriptis libellis fœliciter defendi. Scripsi de Sacramentis Ecclesiæ, tum cum pestis grassaretur, atque ita scripsi, ut ex librorum meorum lectione errores hæreticorum hujus temporis vel ignaris hominibus patefactos esse plerique omnes putent. Quamobrem a Sanctitate Tua etiam atque etiam peto, quoniam agitur de honore, aut ignominia Episcopi, ut mihi hac in re, sicuti res postulat, libenter justitiam administres. Et ut tibi ac omnibus hominibus veritas elucescat, me ad syndicatum admittas: nam hac notatus infamia Episcopus vivere nullo modo potest, aut debet. Hoc ubi feceris, ego hinc multo discedam libentius, et Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum orabo semper, ut te diutissime salvum et incolumem conservet Ecclesiæ suæ Sanctæ. Avenione xxv. Octobris MDLXXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Humilissimus et devotissimus Servus

GUILLELMUS EPISCOPUS TAOLONENSIS.

Tantam autem ex inimicorum technis calumniarum molem in hunc virum conjectam fuisse, litteræ Cardinalis Arminiaci testantur, qui etiam atque etiam a Pontifice petit, ut ex juris formula in Episcopum Tholonensem inquiri juberet, quo facilius vir probatissimus tam gravem a se notam amoliretur. (*)

(*) Avinione Vol. 12. fol. 646.

Beatissime Pater.

« Pompejus Catibna postridie, quam Urbe Avenionem appulit, is nos monuit, velle Beatitudinem Tuam Episcopum Tolonensem, cujus nos opera utimur, Avenione excedere, quod ejus extarent quam plurima, cum in causis civium disceptandis, tum in publicis judiciis diffiniendis inique atque injuste gesta, ejusque in locum Episcopum Savonensem suffici. Idemque nobis si-

gnificavit, Beatitudinem Tuam hac tota de re responsum nostrum expectare. Quocirca, Beatissime Pater, etsi nos filii obedientiæ simus, tamen si modo prius id nobis Beatitudo Tua concesserit, libere quæ sentimus, quæque ipsi judicamus scribendi, scito Beatissime Pater, nos qui multos jam annos Episcopum Tolonensem jussu tuo juri dicundo præfecimus, nihil unquam in eo comperisse, quod aut religioso atque orthodoxo Episcopo, vel probo magistratu foret indignum, qui si alius existeret, haud ita jam tanto tempore auctoritate nostra abuteretur. Cum contra elucent in illo ornamenta illa omnia, (quod et ejus libri, qui in manibus habentur, testantur abunde) quæ in Episcopo atque magistratu desiderare solent, Christianæ veræque religionis pietas eximia, doctrinarum omnium quidem, maxime autem Sacræ Theologiæ atque jurisprudentiæ scientia quædam singularis, vitæ integritas, morumque atque animi ingenuus liberalisque candor. Quæ cum ita sint, maximopere Beatitudinem T. oramus atque obtestamur, quæ orbi jus reddit universo, ne uni creaturæ tuæ sanctissimæ justiciæ tuæ aures interclusas esse patiatur, quominus antequam quid gravius in eum Episcopum Tolonensem statuas, prius Beatitudo Tua causam ipsius audiat per se, vel alium, cui libuerit in Episcopum Tolonensem inquirendum committere. Scit autem Beatitudo Tua, nec id ob summum a Deo concessum imperium ignorare patitur, eos qui publicis præfecturis funguntur, et calumniatorum technis fraudibusque obnoxios esse, et multorum inimicitias pro republica suscipere. Quo fit, ut jam confidentius a Beatitudine Tua contendamus, ut jubeat Episcopum Tolonensem coram quocunque placuerit causam dicere, ne quem semper integerrimum cognovimus, cujusque permulta extant in rempublicam præclare gesta, et pro fide tuenda doctissima opera, is forte non causa cognita inimicorum artibus honoris et existimationis jacturam faciat. Qua de re Beatitudinis Tuæ voluntatem significari nobis cupimus, ut quam primum intelligat Beatitudo Tua nos filios obedientiæ et jam antea fuisse, semperque futuros esse, nihilque prius vel antiquius habere nos, quam ejusdem sanctissimis jussis obtemperare. Deus Sanctitatem Tuam longævam et incolumem conservet. Avenione sexto Calendas Novembris 1583.

Sanctitatis Vestræ

Humilissimus et obñus Servus
G. Cardinalis D'Armaignac.

LXXI. — Has alia excepit gravissima quidem causa, ex qua prope abfuit, quin civitatis quies turbaretur; id quod procul dubio esset factum, nisi Clerus et Consules, et sapientes homines Reipublicæ suis studiis consuluissent. Causa erat hujusmodi. In ditione Pontificia Avenionensi, quemadmodum etiam in tota Gallia, ii contractus iniri consueverant, præsertim cum immanes sumptus ad bellorum causam fuerant subeundi, ut cives ex omni ordine sive Ecclesiastico sive laico pecuniam in rerum publicarum commodum civitatibus at oppidis suppeditarent: et vicissim civitates et oppida annuos reditus, seu annuas pensiones sponderent ea conditione, ut septem annui nummi pro singulis centenis solverentur, et pro iis annuis reditibus præstandis saltem implicite civitates et oppida sua bona ac jura obligabant. Contra hos contractus Bighierius unus ex Deputatis urbis Cabillionensis, qui pro negotiis expediendis Romam venerat, egit coram Auditore Rev. Cameræ Apostolicæ, asserens tales contractus usuræ labe infectos esse, in quibus creditores nulla indigitare possent bona stabilia, vi contractus specialiter obligata, pro annuis reditibus seu pensionibus solvendis. Auditor R. C. A. futili illa ratione permotus, nec animadvertens illos contractus inde ab antiqua ætate initos fuisse, semper proborum hominum judicio legitimos habitos, ipsis Romanis Pontificibus saltem tacite probatos, paulo ante sententia etiam Romanæ Rotæ sancitos, quæ decreverat reditus seu pensiones pro iis contractibus debitas eo in loco, ubi erant creditores, esse solvendas, literis datis diem præfinivit omnibus creditoribus, seu pensionum emptoribus, qua Romæ essent ii contractus irriti declarandi; facta interea inhibitione debitoribus, quominus pensiones cuivis solverent. Hæc sententia vix in Comitatu fuit vulgata, gravissimas querimonias omnium ordinum excitavit, qui ad Cardinalem Arminiacum confugerunt, ut damnum, quod sibi inferretur, averteret. Hæc ad eum Consules. [*] [* Avinione Vol 12. fol. 781.]

Illmo et Rmo Cardinali Armeniaco Collegæ.

« Illustrissime et Reverendissime Pater, manavit tota urbe rumor, decretas esse a Reverendo Domino Auditore Cameræ litteras, quibus omnes ii, qui certos quosdam annuos reditus emerunt (quos pensiones vocant), illius accitu Romam evocantur, causam dicturi, quominus ejusmodi contractus uti fœneraticii rescindi et antiquari debeant, et interim pendente lite, eorum executionem sustineri et omnino differri districte præcipitur. Quibus quidem literis obreptitie, uti probabile est, obtentis si pareretur, verendum sane esset, ne serendis discordiis et mutuis excitandis seditionibus occasio præberetur, iisque quasi morbis quibusdam infestatus ac laborans universæ ditionis istius Pontificiæ status everteretur tandem, ac plane concideret. Difficillimum quippe esset, Cives optimos plerosque, (quorum bona pars ex Sacerdotibus, nobilitate, orphanis ac viduis constat) qui religionis Catholicæ sancte colendæ, ac ut debebant retinendæ, patriæ tuendæ acerrimeque

propugnandæ studio accensi, ad bellorum sumptus immanes tolerandos pecunias lubenter suppeditarunt, ac in emptionem dictorum redditaum, ut omni usurariæ labis suspitione carentem, ex consuetudine hujusce regionis, Galliæ, atque adeo totius Reipublicæ Christianæ inveteratissima impenderunt, animo et voluntate cum iis conjungi ac conglutinari, quos bonis soli pacatis (quoad ferunt tempora) frui cernerent. Quæ secundum Dei et Summorum Pontificum auxilium, dictorum redditaum justo pretio constitutorum præsidio conservassent: sese vero fortunis omnibus eversos ac spoliatos jacere indignissime, ut qui sibi ipsis malum hoc quodammodo mendicassent. Jam Gallicis rebus, ne pace quidem constituta, utpote parum certa et firma, satis tranquillitatis, ditione item ista nondum ex adversa tempestate erepta, clandestinis nimirum proditionibus in dies erumpentibus, si bellum aperte renovaretur, mente et cogitatione facile prospici potest, in quod discrimen ditio hæc Pontificia adduceretur, oppidis quippe omnibus pecunia exhaustis, ejusve nanciscendæ ratione prorsus destitutis, quam dictorum redditaum ope cum a Civibus tum ab externis eliciebant, eaque sese veluti nervis quibusdam, dum bellorum difficultatibus conflictarentur, sustentarunt magna ex parte ac tutata sunt. Accedit quod non modo ab hostibus metuendum nobis esset, sed et ab intimis quibusque vicinis, quibus horum redditaum ratione obstricta tenentur dicta oppida, qui qua pollent apud Regem Christianissimum gratia facile ab eo pignorandi jus, quod represalias vocant, obtinerent. Quid quod gravissimum est, adversus tot Pontificum indulta disceptatione prima Cives Avinionenses extrahi et quam longissime evocari: ab executione contractuum palam initorum, et post hominum memoriam usitatissimorum protinus supersedere, denique nulla adhibita causæ cognitione, inauditos non solum bonis prope exui ac alimentis carere, sed et impietatis ac usurarii sceleris tacito quodam quasi præjudicio damnari. Quocirca Consules Avinionenses communi omnium bonorum Civium incommodo doloreque commoti, Reipublicæ impendente periculo perculsi, ad Tuam Illustrissimam confugiunt Paternitatem, demisseque supplicant, dignetur ea pro sua prudentia ac vigilantia mirifica, tot ac tantis imminentibus malis occurrere ac obsistere, proque Vicaria, qua iis in oris fungeris Pontificis authoritate, dictarum litterarum executionem justissimis de causis morari ac sustinere; denique Beatmo Pontifici et pientissimo faciem harumce regionum temporumque conditionem per litteras exhibere, ac quæ clades toti ditioni importarentur, quæ crearentur pericula, si literis a dicto Reverendissimo Domino Auditore emanatis pareretur, amanter et studiose repræ**sentare. Pro quo singulari accepto beneficio et** aliis, quæ in horas a Tua Illustrissima Paternitate accipiunt, supplicatores cumulatissime, pro statu isto tuo amplissimo tuendo et amplificando, et ut quam longissime vitam tibi producat Deus Optimus Maximus, perpetuo vota faciunt.

T. des Bertons Consul – Boudart de Reins Consul – Degareto Consul – Joseph de Ropis Assesseur – Lisle Renes – Nicollaus – Louis de Alfonso – Chrysau – Pony – De Fougasses – Paul de Gravessis – Rouvois – De Puyel – Francois de Fortia – Jehan Farin – Hier. Bourdin – Michel et Guidy de Roddez – Lepomar – Hierome de Pol. – Ferrande Pagano – Dacryac C. – Chilon – Lebyssau. – De Sauvyns.

Universitas studiorum, quæ præcipuam sui census partem ex iis pensionibus percipiebat, in judicium vocata, per eos præsertim qui Universitati præerant, ea animadvertenda Cardinali proposuit, quæ valerent suadere illos contractus legitimos esse habendos, nec posse sine gravi detrimento solutionem illorum redditaum differri: nec debere primam causæ cognitionem in Urbe fieri, cum juxta privilegia Romanorum Pontificum causæ primum judicari deberent in Comitatu ab Ordinariis, vel ab aliis per Summum Pontificem deputatis: atque his addiderunt se postulare, ut Romanus Pontifex vellet decernere, ne literæ Auditoris R. C. A. ullum effectum essent habituræ. (1)

(1) Avignone vol. 12 fol. 762.

Supplicatio Doctorum.

» Illustrissime et Reverendissime Pater. Exponunt humiles et devoti oratores Primicerius, Universitas, Doctores, Scholares almæ Universitatis generalis studii Civitatis Avinionensis, quod his diebus pervenit ad eorum noticiam, instantibus Communitatibus et patria Comitatus Venayssini, obtentas fuisse a Rmo Dño Auditore Cameræ Apostolicæ Urbis quasdam prætensas litteras citatorias adversus dictos oratores, ad comparendum in Curia Romana coram eodem Reverendissimo Domino Auditore, visuros et audituros omnes et quoscumque contractus pensionum annuarum et perpetuarum, cum earum capitalibus declarari nullos, invalidos, illicitos et fœneraticios, et interim inhiberi, ne lite pendente exigant a dictis oppidis et Communitatibus decursas, et decurrendas dictas annuas pensiones illis debitas. Quæ quidem litteræ nondum executatæ fuerunt; sed rumore publico et jactantia, adversariorum pervenerunt ad noticiam dictorum oratorum. Cum autem, Illustrissime Pater, maxima et principalis pars substantiæ dictæ Universitatis, Doctorum, Scholarium et viduarum consistat in dictis annuis pensionibus seu reditibus, ex quibus negotia dictæ Universitatis substinentur, stipendia et salaria Doctorum le-

gentium solvuntur, et ipsæmet personæ aluntur: quæ omnia cessarent et perirent, si locus esset citationi et inhibitioni, et præsertim quod dictæ litteræ impetratæ fuerunt obreptieie, et subrebticie per dietos adversarios a dicto R̃mo D̃no Auditore, inscio et non informato de periculo et clade, quam dictæ litteræ inferrent, si exequerentur. Qui si scivisset anno proxime elapso, ad instantiam eorumdemmet adversariorum, litem fuisse motam contra eosdem creditores super solutione dietarum pensioonum, an earum solutio Avinioni, an vero in dictis oppidis facienda esset; tandem fuisse, instantibus Consulibus et Civibus Avinionensibus, dictam litem remissam in Rota Romana, et per eam, mandato Sanctissimi D̃ni N̄ri Papæ, decisam in utilitatem dictæ Civitatis Aviniinnensis, non obstantibus oppositionibus et nullitatibus prædictis per dietos adversarios coram dicta Rota in medium adductis; nec non plures Bullas Summorum Pontificum ac Legatorum Gubernatorumque publicatas fuisse in his partibus, quibus permittuntur dictæ pensiones annuæ usque ad septem pro centenario; et quod plures ac infinitæ sententiæ per judices latæ fuerunt in favorem dictarum pensionum; et ulterius quod statutis dictæ Civitatis Avinionensis per Superiores confirmatis jubentur tutores, pecunias pupillares collocare in pensionibus super Communitatibus, et oppidis dictæ Civitatis Avinionensia et Comitatus Venayssini, prout a tempore immemoriali consuetudo inconcusse observata fuit, vendendi et emendi dietos annuos et perpetuos reditus seu pensiones; et quod nulla Bulla in contrarium, si quæ forsan reperitur contraria, unquam fuit publieata in his partibus, nec illius unquam noticia pervenit: quæ omnia si narrata fuissent eidem Reverendissimo Domino Auditori, is dictas litteras non decrevisset, cum maxime iniquum sit, lite pendente ereditores pensionarios privari possessionis seu quasi exigendarum dictarum pensionum, in qua sunt a longissimis temporibus, et in eadem possessione seu quasi manutenendi veniunt, alioquin universum commercium impediretur, status universus turbaretur et forsan periculum immineret. Quocirca supplicant prædicti oratores, ut dignetur eadem Illustrissima Reverendissima Paternitas Vestra, ad conservandum statum pacificum dictæ Universitatis informare Sanctissimum Dominum Nostrum Papam, qui sua elementia dignetur almam hanc suam Universitatem sarctam tectam conservare, et privilegia per Summos Pontifices illi concessa manutenere, quibus cavetur, ne Doctores et alii in dicta Universitate matriculati extrahantur in prima instantia; sed prima cognitio causarum terminetur coram Ordinariis vel conservatoribus per Summos Pontifices Deputatis: quæ conservatoria per Sacrum Concilium Tridentinum confirmata fuit, et quia ordo Juris postulat, ut actor sequatur forum rei. Et interim dignabitur eadem Illustrissima et R̃ma Paternitas Vestra, tamquam Judex abusium, ex facultatibus suis præcipere et mandare ac inhibire omnibus et quibuscunque, ne dictas litteras exequantur, illarumque executionem, quatenus opus est, suspendere, donec aliter per Sanctissimum Dominum Nostrum Papam, universa re intellecta, mandatum et ordinatum fuerit, non obstantibus quibuscunque pœnis, censuris sub quibuscunque litteris derogatoriis et derogatiarum derogatoriis, per dictum R̃mum D̃num Auditorem in dictis assertis litteris contentis, eosdemque oratores a quibuscunque censuris absolvere, et quod sola præsentis supplicationis signatura tam in judicio, quam extra judicium sufficiat, et ipsi oratores pro felici statu ejusdem Illustrissimæ ac Reṽmæ Paternitatis Vestræ perpetuo orabont, ut dicitur.

JOSEPHUS SCARES PRIMICERIUS – J. DE GRAVESSIS DECANUS – HYERO. A LAURENTIIS J. U. COMES ET REGENS – DYSSOIGNE – BENEDICTUS DRAVETUS – DE ROMEIS – BARTHOLOMEUS SERRA – JO. NICOLAUS – PARCEVALDUS GAUTERIUS – DELABEAU – PETRUS DE POS – DEPUPUS – A. ILIOTTUS – JO. F. FARANDUS – F. VALENTIANUS – DE LA SALLELOGER – R. TONDUTUS – J. GARDANA – P. ANDREUCIS – BLANCHET – LUDOVICUS BORELLINUS – GASPAR BARRASIUS – LUDOVICUS BELLUS – JOANNIS – ANTONIUS DE GAY – JOANNES A LAURENTIIS – BELLONUS – DYSSOIGNE – G. A. BELLUS – HYERONIMUS BARBERIUS – G. VALENTIANUS – N. DE PERNASIO – PETRUS PATANUS – SIMEON PHILIOLUS – R. MARTINI – F. VILLARDUS – DEAGUERIA.

Prælati etiam Monasteriorum et Ecclesiarum instabant apud Cardinalem pro impetranda revocatione illarum literarum, quæ tacita veritate, et expressis falsis et illegitimis causis obtentæ fuerant, quæque si effectum haberent, in gravissimum damnum Monasteriorum, Collegiorum et Ecclesiarum cederent. [*] [*] Avignone Vol. 13. fol. 700.

Supplicatio Cleri.

Illustrissimo ac Reverendissimo Cardinali Armaignacio Legationis Avinionis Collegæ.

« Illustrissime et Reverendissime Pater. Parte devotorum ejusdem Ill̃mæ et Reṽmæ Paternitatis V̄æ oratorum, Præpositi Ecclesiæ Metropolitanæ, Decanorum S. Agricoli et Sancti Petri, Præpositi Sancti Desiderii, Archipresbyteri Sancti Stephani, Prioris Sancti Genesii, Rectoris Collegii Jesuitarum, Priorum conventuum Fratrum Divorum Dominici, Augustini, Beatæ Mariæ de Carmello et Beati Francisci, Abbatissarum Monasteriorum Sanctæ Claræ, Sanctæ Catharinæ, Sancti Verani, Sancti Lau-

rentii, Sanctæ Praxedis et Sancti Georgii, alias de miraculis, tam eorum nominibus, quam eorum Capitulorum, Collegiorum, Monasteriorum, et aliarum Ecclesiarum et locorum piorum civitatis Avinionis exponitur, qualiter rumore publico ad eorum aures pervenit, sub nomine patriæ Comitatus Venaiscyni civitatum et oppidorum illius obtentas fuisse certas litteras a Rm̃o Dño Auditore Cameræ Apostolicæ Urbis Romæ, obreptitias et subreptitias tacita veritate, et expressis falsis et illegitimis causis, quibus (ut fertur) mandatur citari prædictas Ecclesias, Collegia et Monasteria coram prædicto Rm̃o D. Auditore ad videndum cassari, annullari, et tamquam fœneratitios (ut dicunt) rescindi omnes contractus emptionis pensionum per oratores Vr̃os cum dictis patria, civitatibus et oppidis præfati Comitatus initos et passatos, et interim inhiberi sub magnis et formidabilibus pœnis, ne pensiones decursas et decurrendas petant et exigant: quæ si executioni contra prædictos humiles oratores Vestros mandarentur, cederent in ruinam et subversionem prædictarum Ecclesiarum, Collegiorum et Monasteriorum; cogerentur enim deserere divinum servitium pro perquirendo eorum victu, cum major et præcipua pars redituum prædictarum Ecclesiarum et Monasteriorum, fundationum, missarum, anniversariorum et piorum legatorum in prædictis pensionibus consistat; præcluderetur etiam in futurum omnis via fundationes prædictas in dictis Ecclesiis faciendi, cum nullus hodie reperiatur promptior modus fundationes assignandi, quam medio emendarum similium pensionum, quia fere bona stabilia omnia moventur de directo dominio vel Cameræ Apostolicæ vel alterius Dñi, et non possunt pervenire in manus mortuas et contractus, qui ab immemorabili tempore fuerunt passim ab omnibus habiti et tenti legitimi, et a Summis Pontificibus et omnibus Magistratibus approbati, dubitarentur illegitimi, inciviles et illiciti, unde oriretur maximum scandalum contra mentem Sanctissimi Dñi Nostri Papæ ac prædicti Rm̃i Domini Auditoris, cui si prædicta narrata fuissent, et ea quæ hoc eodem anno pertractata et decisa Romæ in Rota fuere de mandato Sanctissimi Domini, ad instantiam impetrantium prædictarum litterarum, super contributione ab eisdem pro eisdem pensionibus prætensa, numquam tales litteras concessisset.

« Supplicant igitur humiliter oratores præfati Illustrissimam et Reverendissimam Paternitatem Vestram, uti Collegam et Sanctissimi Domini Nostri Papæ Vicarium, humiliumque oratorum vestrorum Pastorem et Patrem, ac Ecclesiarum et quietis publicæ conservatorem, quatenus dignetur et velit præcipere et mandare, ne prædictæ litteræ contra præfatos oratores vestros exequutioni demandentur, et de his omnibus Sanctissimum Dominum Nostrum Papam certiorem facere, ut prædictas litteras revocet, et inhibeat ne tales vel similes in futurum concedantur, imo quod prædicta patria, civitates et oppida ejusdem pacifice et quiete persolvant pensiones, ad quas prædictis Ecclesiis tenentur et submissæ sunt, vel in futurum submitti possent, juxta formam et tenorem contractuum super eisdem inter eosdem initorum, et quod sola signatura sufficiat cum absolutione a censuris. Et prædicti oratores, universusque prædictarum Ecclesiarum populus, Deum Optimum Maximum exorabunt pro felici statu Suæ Sanctitatis et Illustrissimæ et Reverendissimæ Paternitatis Vestræ.

Hieronymus Barrerius Præpositus Avinionensis – Joannes de Reins Dec. S. Agricoli – P. la Salla Decanus Sancti Petri – P. Andreuccius Præpositus Sancti Desiderii – Io. Razet Archipresbyter Sancti Stephani – Petrus Majorius Rector Collegii Societatis Jesu – F. Joannes Provincial. Prior FF. Prædicatorum – Ant. Cunellus Prior Augustinensium – Grossus Prior Carmelitarum – Frere Francois Miche Vicaire des Cordelliers – Soeur Francoise Doraison Abbesse du Monastere de S. Clere d'Avignon – Anne des Merles Abbesse de Saint Laurens – Janne de Toullon Abbesse de Sainte Chaterine – S. Phelipe Darpairn Abbesse de Saint Veran – Marchione de Tande Abbesse de S. Prasede – Soeur Marie Cartiere Regente de S. George.

Cardinalis Arminiacus literis datis ad Cardinalem Comensem confirmat, æquas esse postulationes omnium ordinum, ac Pontificem exorat, ut literarum revocatione omnia in pristinam tranquillitatem velit restituere. (¹)

LXXII. — Res Catholica hoc anno in proximo Arausionensi Principatu multo melius se habere cœpit. Guilielmus namque Arausionis Princeps idemque Nassoviæ Comes, ab Galliarum Rege sæpius rogatus, Antverpiæ tertio Idus Februarii edixit, ut omnia bona quæ turbato civitatis statu per summum nefas Catholicæ Ecclesiæ ablata fuerant, restituerentur. Sed suprema Curia seu Parlamentum, cui edicti executio commissa erat, cum ex hæreticis constaret, acerbe ferens ad hæc in Catholicorum commodum Principem devenisse, ea adjicienda curavit, ut ex Ecclesiasticorum bonorum redditibus pars detraheretur pro stipendiis ministrorum hæreticorum, et pro juvenibus hæreticis alendis in Collegio Arausionensi. In ipso autem Principis edicto ea conditio adjecta erat, ut Episcopus et alii non possent restitutionem bonorum obtinere, nisi juramentum fidelitatis et homagium Principi præsta-

(¹) Mantissa document. N. 82.

(*) Montium document. n. 93.

rent. Praeterea decreta bonorum restitutione, (*) adhuc impetrari non potuit facultas libere religionem Catholicam exercendi; de qua re in primis Episcopus et cæteri Catholici solliciti erant. Verum quod ad hoc attinet, Episcopus Arausionensis in literis ad Pontificem affirmat, se magnam spem habere, fore, ut post bonorum recuperationem, facillime obtineri possit facultas libere Catholicum cultum exercendi, cum cessaret potissima ratio, qua ad oppugnandos Catholicos illi hæretici moverentur; quod vero ad alterum, itidem exponit, quoniam deliberandum erat antequam literæ Pontificis hac de re possent ad se pervenire, statuisse Principis voluntati obsequi, eique homagium præstare, ne hæreticorum molitionibus animus Principis contra Catholicos concitaretur, et concepta spes amitteretur; insuper post hanc deliberationem pro se et pro Ecclesiasticis viris opem Apostolicæ Sedis implorat, ne dum homagium exhibeant hæretico Principi, ullis censuris irretiti existant: rogat et Pontificem, sua auctoritate apud Regem Christianissimum agat, qui Principi suadeat, ut conditiones in commodum hæreticorum adjectæ tollantur, libertas Catholicæ Ecclesiæ reddatur. Denique illud etiam valde opportunum esse addit ad turbas prohibendas et ad pericula propulsanda, quæ Comitatui Avenionensi impendebant, si opera Regis Galliæ Gubernator arcis in urbe Arausionensi hæreticus removeretur, eique Catholicus sufficeretur. (*)

(*) Avinione Vol. 12. fol. 221.

Beatissimo Domino Nostro Papæ.

Beatissime Pater.

« Postquam ad id omnes conatus impendimus, omnemque lapidem movimus, ut restitueremur simul cum Catholicæ religionis exercitio in pristinum statum, quemadmodum ex litteris frequentibus, quas ad Sanctitatem Vestram dedi, dum omnium rerum, quæ gerebantur, certiorem feci, Sua Sanctitas intellexit, summa Dei clementia, Sanctæ Sedis Vræ auxilio et ope sola, nec non Christianissimi Regis litteris, quas, ut Sanctitati Vestræ morem gereret, ad Principem Auraicensem scripsit, factum est, ut Princeps Auraicensis per litteras publicas et rescriptum a se emanatum, ad bona nostra omnes Ecclesiasticos redintegraverit, omnesque pensiones et diminutiones, ex quacumque causa factas, irritas decreverit, sicut latius ex ipso rescripti exemplari, quod ad Sanctitatem Vestram mitto, cognoscere poterit. Nunc vero rescriptum hujusmodi Parlamento dicti Principis exhibendum, et ab eo homologandum est, cum ad illud dirigatur; Parlamentum vero illud, cum non nisi ex hæreticis et gravissimis religionis nostræ Catholicæ hostibus constet, resistet quantum poterit ejus homologationi, omnemque operam navabit, ut irritum et inutile reddatur; maxime tamen quia ex reditibus beneficiorum tantas pecuniarum summas desumere sibi volunt, quantæ sufficerent, et ad salaria ipsorum simul et iniquitatis ministris persolvenda, et ad pueros in collegio, quod hæretici Auraicæ instituerunt, in hæretica pravitate edocendos: quod quanto Reipublicæ Christianæ, maxime tamen Comitatus Vestri damno, periculo et perniciei futurum sit, Sanctitas Sua satis intelligit. Et cum ex superioribus satis turber, longe tamen vexor ex eo, quod quantumvis nos in bona nostra restituerit, tamen ut exercitium Catholicæ Religionis Auraicæ fieret, permittere noluit. Cum tamen magis de eo, quam de bonis elaboraverimus et elaboraturi simus, tamen quantum ad bona attinet, non nisi homagio solito præstito nos ad ea restituerit. Cum tamen nec ego, nec ceteri beneficia obtinentes Principi hæretico homagium præstare teneantur; attamen quantum ad primum dubium, ex eo quod exercitium Catholicæ Religionis nondum restituitur, puto sicut ceteri Episcopi vicinarum Diœceseon, quorum consilium ea de re exquisivi, postquam bona consecuti fuerimus, facillime exercitium Catholicæ religionis nos consecuturos. Nam qui nostræ redintegrationi huc usque restiterunt, non aliquo falsæ eorum Religionis zelo moti fuerunt, sed sola bonorum nostrorum cupiditate; nulla enim apud eos amplius Religio præter opes et rapinas. Quod si bonis nostris, quibus fruuntur, se privatos viderint, non solum dum exercitium nostræ Religionis petemus, non repugnabunt, sed nec aderunt quidem, qui repugnare possint. Cum enim fere forenses sint, qui nostrorum bonorum usu et causa sola Auraicæ commorantur, his spoliati alio se transferre et inde discedere cogentur, indeque non solum hoc commodum sentiemus, sed etiam latronibus nefandissimis Comitatus vester velut peste atrocissima expurgatus erit. Quantum vero ad homagii præstationem attinet, ni statim atque rescripto Parlamentum assentiet (si tamen assenserit), ego etiam et cæteri Ecclesiastici solitum præstiterint homagium, occasione inde captata, maxime cum prædecessores mei homagium fecerint, vanas reddent nostras litteras redintegrationis, tantumque Principis inde odium in nos conciliabunt, ut credendum sit, nihil amplius boni ab eo nos consecuturos; in necessitate vero tanta, in quanta nunc versamur, et propter infinita commoda, quæ ex restitutione hujusmodi manabunt, quæ satis Sua Sanctitas percepit, nec non mala mente nostrorum adversariorum perspecta, quodque nihil unquam boni, hac sola vice excepta, habere potuimus: et si occasionem hanc amiserimus, timendum admodum est, ne in futurum similem unquam habeamus. Quodammodo in eam descendo sententiam, maxime amicorum meorum mei similium consilio adhibito, ut si homologationem dictarum litterarum

obtinere possim, non et quoque homagii præstationem refugiam, sed quia intra tres aut quatuor dies tota res peragenda est. Convocatur enim ea de causa ab inimicis Auraicæ concilium, et si forsan rescripto assenserint, nullo modo ut dilationem mihi concedant, ut omnia Sanctitati Vestræ renuntiem, ejusque jussa expectem, quibus obtemperem, impetrabo; sed statim mihi aut præstandum aut recusandum erit homagium, et sic literis redintegrationis carendum. Supplico igitur humillime S. V., ut ex nunc prout ex tunc et e contrario ab omni excomunicationis vinculo me, Ecclesiasticosque meos omnes (si forsan aliquam incurrerimus per hujus homagii præstationem) absolvere dignetur in amplissima forma. Rursusque eandem Sanctitatem humillime supplico, ut quemadmodum tanti boni, quod consecuti aut mox consecuturi sumus, sola causa fuit, ita et illud perficere dignetur, idque ad Regem Christianissimum scribendo, qui cum Principe agat, ut petitiones hæreticorum tam super salariis ministrorum, quam super pueris instituendis rejiciantur, nec non ut exercitium Catholicæ religionis restituatur: et ad Ducem Dumanorum scribat, et quam gratum ab eo officium erga Regem præstitum super hujusmodi rescripto Sanctitas Sua habeat, demonstret. Est et aliud, cujus Suam Sanctitatem necessario certiorem facere debeo, et ex quo uno ictu tot turbæ, totque pericula, quæ ex Auraicensi civitate Comitatui Vestro impendent, cessarent, nempe si cum Rege Christianissimo ageret, ut gubernatori arcis civitatis Auraicæ nominato Blacons, qui subditus est Regis, et omnia sua bona habet in regno Franciæ, scriberet, ut arcem, cui voluerit, gubernatori Catholico tradat, eique promittat, se alterius alicujus civitatis vel oppidi in regno Franciæ gubernatorem facturum; nam si id ei promittatur, ego certo scio Blacons id facturum, maxime tamen si Dux Dumaniorum ea de re ad eum scriberet. Atque dum his omnibus de rebus ut Sua Sanctitas dignetur alicui committere, ut ad me rescribat, easque literas expecto, Deum Optimum Maximum pro felici diurnoque Sanctitatis Vestræ statu deprecabor, ejusque pedes humillime deosculabor. Datum Caderossiæ die decima octava mensis Aprilis MDLXXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus et ad omnia obsequentiss.
J. De Tullia Episcopus Auraicensis.

LXXIII. — Idem Episcopus duos fere post menses Pontificem certiorem fecit de restitutione bonorum ab Arausionensi Senatu impetrata, cum damnosis tamen conditionibus: tum de nuptiis Arausionensis Principis cum vidua De Tellius, quæ propinquitate generis cum ducibus hæreticorum erat conjuncta: denique de pluribus opera et auctoritate Regis Christianissimi obtinendis. Ex illis conditionibus pronum est judicare, hæreticorum hominum id moris semper fuisse, ut non multum ipsorum intersit, quid de Religione ex animo sentire debeant; verum quantum ex sua factione sint lucri consecuturi, de eo vehementer laborare. [*] [*] Avinione Vol. 12. fol. 396.

Sanctissimo Domino Nostro Papæ.
Beatissime Pater.

« Satis diffuse Sanctitatem Vestram certiorem feci rescripti, quo in nostra bona Ecclesiastica a Principe Auraicensi redintegramur, id vero ab ipsius Senatu, quem Parlamentum vocant, homologatum fuit; reservavit tamen ipse Senatus pro Collegio, ubi pueri hæretici instituuntur, et pro stipendiis prædicatorum hæreticæ pravitatis, et aliis similibus rebus, duo millia quatuor centum librarum Turonensium, uno quoque anno ex nostris redditibus percipiendarum, coegeruntque nos ad homagii, quod antecessores mei præstare soliti erant, exhibitionem, quæ causa fuit, ut rursus ad Principem miserimus, tum ut exercitium Catholicæ Romanæque religionis impetraremus, tum ut dicta reservatio tollatur, quod scilicet non possunt non maxima orthodoxæ religioni inde manare incommoda. Credo Sanctitatem Suam scire, Principem nuptias de novo contraxisse cum vidua De Tellini, filia quondam Gasparis de Collini, hæreticorum in Gallia dum vivebat ducis, sorore de Chastillon, unus ex ducibus hæreticorum nostri temporis, cui Chastilloni, fertur inter hæreticos rumor, Principem daturum sui Principatus administrationem. Cujus rei Sanctitatem Vestram a me certiorem fieri debere necessarium putavi, quod totum in damnum et perniciem vestri status cedit; est enim ipse Chastillio inquietus, et qui semper aliquid novi meditatur, quique eadem causa non nisi nefflarelissimos quosque penes se habet: id vero hæretici apprime desiderant, ut Sanctitatem Vestram et bello et sumptibus semper vexent, utque commeatum inde liberum habeant ad provinciam Provinciæ et Occitanam, et ad ipsum Delphinatum. Quibus omnibus facillime occurretur, si ad Regem Christianissimum scripserit, dictum Chastillionem eo ad Principatum migrare, quod se fere toto Galliæ regno videat exulem, quo confugiat ignarus, et ut provincias vicinas deprædationibus devastet, illuc tendere, quod maximo Regis totiusque regni damno cessurum est: ac proinde scribat Rex ad Principem, rogetque, ne talem sui Principatus gubernatorem constituat; quod si Princeps Regi non obaudierit, velit Rex, ut supremus Princeps, Principatum occupare, fructibus Principi reservatis; aut saltem scribat ad Blacons, qui nunc et Civitatem et fortallitium regit, ne Chastillionem aut alium ipsius nomine illuc ingredi permittat. Multa

equidem alia ad hæc pertinentia vellem Sanctitati Vestræ narrare, quæ litteris comprehendere non audeo, quo fit, ut humillime Sanctitati Suæ supplicem, ut dignetur mihi concedere, ut Romam eam, quo ipsius pedes deosculer, et limina beatorum Petri et Pauli proximo mense Septembri visitem: quod si ita Sanctitas Sua mihi jusserit, absque dubio exequar tanquam humillimus filius obedientiæ, qui semper fui at toto tempore vitæ meæ esse cupio. Quod expectans Sanctitatis Vestræ pedes humillime deosculabor, et Deum Optimum Maximum pro suo felici diuturnoque statu deprecabor. Datum Caderossiæ die xv. Junii anno 1583.

Sanctitatis Suæ

Humillimus et obsequentissimus
J. De Tullia Episcopus Auraicensis.

LXXIV. — Henricus Galliarum Rex Pontificis atque Arausionensis Episcopi postulationibus morem gerens, Principem Arausionensem unis et alteris litteris pridie Calendas et viii. Idus Martias datis rogavit, ut Catholicis Arausionensibus, quod maxime optabant, fidem suam libere palamque profitendi facultatem faceret. [*] Guilielmus, ut videretur aliqua ex parte precibus et monitis Regis Galliæ flexus, permisit Catholicis baptismum et matrimonium publice juxta ritum Ecclesiæ Romanæ posse celebrari. Quod autem Principatum mulieri, quæ quamvis Calvini dogmatibus addicta esset, æqua tamen voluntate in Catholicos erat, ipse communicaverit, non esse cur hi vererentur: quin etiam Cardinali Arminiaco fecit spem, exinde Catholicis majora commoda obventura. [*]

[*] Apud Dumont Corps diplom. T. V P. I pag. 423.

[*] Mantissa document. N. 64.

LXXV. — Cardinalis Archiepiscopus Toletanus acta Synodi provincialis, anno superiori initæ et nunc absolutæ, sapientissimo S. Sedis judicio corrigenda ac probanda Romam misit. Cum Cardinali Comensi simul conqueritur, extitisse homines quosdam, qui ea de re falsos rumores in vulgus ediderint. [*]

[*] Hispania Vol. 26. fol. 263

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

« Peracta Synodo Provinciali Toletana, quam proxime celebravi, nihil mihi antiquius fuit, quam ut ejus acta atque decreta ad Beatissimum Dominum Nostrum referrem, sanctissimisque ejus pedibus subjicerem. Sed quod Catholicus Rex Philippus Dominus meus significaverat, se velle cum concilio literas quoque suas ad Beatitudinem suam mittere, ejusque hanc ego voluntatem, atque animi propensionem multis rebus fore utilem et peropportunam judicabam; variis gravissimisque ejus Majestatis negotiis factum est, ut concilium serius omnino quam optaram ad Sanctissimum Dominum Nostrum transmitteretur. Transmissum est tandem, et ut arbitror Romam perlatum, antequam Illustrissimæ Dominationis Vræ literæ 12. Augusti scriptæ, nudius tertius mihi redditæ essent. Neque enim sum nescius, hoc officium erga Sedem Apostolicam cum aliis omnibus debitum esse; tum vero mihi maxime necessarium, qui tot tantisque beneficiis obstrictus ab ea sum; quique in ejus majestate colenda summam (ut par est) mihi pietatem constitui. Quamobrem ferrem moleste a Dominatione Vestra Illustrissima Sanctissimi Domini Nostri nomine accusari, nisi culpa vacarem. Nam neque Toletana Synodus edita est, neqoc promulgata, neque mandata executioni; sed intacta atque integra Sñæ istius Sedis censuræ reservata. Quod ex ipsamet Synodo fiet perspicuum, meisque literis ad Sanctissimum Dñum Nostrum missis. Sed nihil mirum, homines libertatis amantes justis legibus obstrepere ac repugnare, et vanis etiam criminationibus Superiores suos apud Sanctissimam Sedem traducere. Sic enim putant absque lege et jugo se posse vivere, et disciplinæ ecclesiasticæ correctionem subterfugere. Quorum temeritas frenanda, licentia coercenda est. Quare ab Illñia Dominatione Vestra etiam atque etiam peto, ut consiliorum meorum atque factorum rationem Sanctissimo Domino Nostro reddat, detque operam, ut concilium ipsum, quod misi, (si dignum sapientissimo ejus juditio fuerit) probet, ne maximi gravissimique labores, quos tot Episcopi, vita, prudentia doctrinaque præstantes, in eo celebrando hauserunt, frustra suscepti esse videantur. Erit hoc Dominationis Vestræ Illustrissimæ officium Deo acceptum, Ecclesiæ utile, Apostolica Sede dignum, mihi vero ita gratum, ut plurimum hoc nomine Dominationi Vræ Illñæ me debiturum profitear. Quam diutissime ac felicissime Dominus Jesus servet incolumem. Madriti 25. Septemb. 1583.

Illñæ et Rñæ Dominationis Vestræ

Humilis servitor
G. Cardinalis Toletanus.

LXXVI. — Squillensis quoque in Hispania Episcopus Pontifici se purgat de pluribus criminibus, quibus perperam atque ex invidorum odio accusabatur: oratque Pontificem, ut minime omnium suspectos judices ad suam causam adhibeat cognoscendam. [*]

[*] Hispania Vol. 34. fol. 311

Beatissime Pater.

« Ea est in te pietas et clementia, eaque uteris humanitate erga filios et subditos, Pater Sanctissime, ut hac ratione merito desisterent a suis excessibus et culpis, meritoque deberent pœnas recipere: hac ego profitear me devictum, ita ut etiamsi a quamplurimis aliis non essem obligatus, ea una tui obsequii, tuæque felici memoriæ me meaque debitum fore in perpetuum cognoscerem, et a meis pravis affectibus et operibus in perpetuum diverterem.

« Venerabilis Episcopus Laudensis tuæ Apostolicæ Sedis in hoc Regno Legatus misit ad me quoddam epistolium, quo me reprehendit a

quibusdam excessibus et culpis; quod sum in tuo conspectu infamatus; et quamvis ingenue fateor me multis aliis defectibus delapsum, in hoc tamen genere perperam, Pater Sanctissime. Et non omittens meis a Jure propositis defensionibus, aliquibus rationibus adversariorum malitiam ostendam manifeste; et non erit extra rem, quod advertat Sanctitas Vestra, et intelligat, qui fuerint præcipui motores hujus calumniæ, et cognoscat eos esse notorios, et evidentes inimicos meos. Nec omittendum puto, quod tam audacter velint, ut Vestra Sanctitas adversus me indignaretur his falsitatibus et calumniis.

« Archidiaconus nempe Baltasar de Estudillo, in cujus dignitatem habemus medietatem fructuum, suspectus est mihi ex eo, quia super fructus hos ad presens litigamus, et in Auditorio Cameræ lis durat; quamvis in eo nullum vitium reperiretur, quam ingratitudinis, dignus erat, ut suspectus haberetur, præcipue in rebus mihi concernentibus, maxime cum et ipsæ calumniæ manifeste præseferant, et ostendant suam malitiam, et meam innocentiam.

« Ex prædicto Brevi seu epistolio a Tua Sanctitate demisso, intelligimus, relatum esse Tuæ Sanctitati nos mercaturæ deditos, nostraque omnia venalia et emptabilia esse. Et cum adversarii mei viderent hoc posse difficillime comprobari, testium depositionibus putarunt intelligendum in aliqua tritici quantitate, quam ex meis proventibus et fructibus vendidi, et in aliqua quantitate calcis et laterum coctilium, quam emerant in ædificium cujusdam Hospitalis, in cujus sementa et fundamenta consumpsit plusquam quindecim millia ducatorum. Et postea cum maxime dubitaretur de sanitate et salubritate situs, opus inceptum relinquimus, frustraque susceptus fuit labor. Hic nempe falsissimo sensu judicant ea, quæ ratione et animo charitatis videre debebant; aliaque quamplurima hujus generis de me falso asseruere, indigna dictu, indignaque visu in tuo beatissimo conspectu. Quod si, ut affirmant, in me esset aliquis mercaturæ spiritus, tantaque suppeteret nummorum quantitas, non in vilioribus ita mercaturis tempus et pecuniam consumerem, maxime in hac civitate ubi sunt merces tanti momenti. Etsi animus avaritiæ deditus pecuniam hæsitaret, et appeteret, non dubium profecto quin in rebus magni momenti et lucri, magnæque utilitatis et commodi apponerem; et ut Tuæ Beatitudinis animus in me magis indignaretur, ut meæ culpæ graviores viderentur, asseruere, me cum superpellice et sacris vestibus inter ementes et vendentes sæpius vidisse, quod fateor sæpissime posse comprobari. Nam mercatores omnes hujus civitatis assidue in hac ecclesia operam dant suis mercaturis, et necesse est quotidie nos, omnesque hujus Capituli clericos et Canonicos inter eos videri, non sine dedecore maximo dignitatis et loci, quod in futurum spero providendum. Nam locus quidam mercationibus nunc construitur, opera et sumptibus mercatorum. De me etiam, Pater Sanctissime, dictum est, non interesse assidue divinis officiis, veritate in hoc omissa, cum ipsi sciant, me ab hac obligatione emeritum, opere ac labore solutum, ut mos est in hac ecclesia, et simul continuis corporis cruciatibus defessus ac fatigatus, ut vix de domo exire possim. Lubet tamen ut sciat Vestra Sanctitas, quod quando per ægritudines licet, in parva domi capella celebramus. His et aliis rationibus, Pater Beatissime, intellige, qualis sit calumniatorum motivus, et an fuerit pro charitate, et Dei cultu et servicio, an vero suarum pravarum intentionum stimulus et indefessum odium.

« Enim vero mihi esset maximus favor, maximaque gratia in nos conferretur, si a V. B. hæc causa committeretur alicui Judici insuspecto, qui inspecta veritate reos castigaret. Adversus me nempe postmodum facta fuit quædam informatio, ut hæc delicta probarentur, susceptis adversus me testibus inimicis et male affectis, et quibusdam eorum ita suæ voluptati deditis, ut in aliis causis in favorem meum deposuerint in approbationem vitæ ac morum meorum: postea vero increvit in eis invidia, et levissimis de causis oderunt me. Habeo similiter suspectos Judices hujus diœcesis, aliquibus rationibus. Et ut suspecti et inimici Judices esse non debeant, videlicet ipsa ratio demonstrat, et pluribus probatur exemplis, ut Nicolaus Pontifex scripsit Michaeli Imperatori; unde mihi erit maxime necessarium et utile, maximeque favor, ut V̄ra Sanctitas hoc negotium committat alicui Judicum Synodalium aut hæreticæ pravitatis Inquisitorum, aut aliorum similium liberis et absque suspectione Judicibus, qui inspecta negotii veritate nocentium culpas plectent, tuæque in primis gravitati consulent, meoque decori et honori satisfaciant, defecto seni et in ultimo vitæ tempore infamato, pontificiaque dignitate ab hinc ferme triginta annis quamvis immerito decorato. Quibus de causis oportet maxime, Pater Sanctissime, ut hæc oblivioni non tradantur, mihique obedientissimo filio consulas, et provideas. His finem imponens solum exopto, ut Omnipotens Deus noster tuum felicissimum Pontificatum augeat, conservet, feliciter disponat, teque, Pater Sanctissime, incolumem servet. Hispalis Kalendas Maji MDLXXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Creatura ac humilia servus

A. Squillensis Episcopus.

LXXVII. — Duce Albæ vita functo, Gregorius ejus filium in tanta jactura solatur. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep. 143. f. 253.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Albæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Magnam jacturam fecisse Christianam Rempublicam obitu parentis tui agnoscimus; sed consolata Nos est cogitatio immortalis ac sempiternæ beatitudinis, in qua versari illum magnam spem affert summa Dei misericordia, atque ipsius pietas et zelus; qua etiam cogitatione lenivisse te dolorem eum, quem attulit natura, facile arbitramur. Eris Nobis semper charissimus et optimi parentis memoria, et tuo ipsius merito in illius laudibus imitandis, inque hujus Sanctæ atque Apostolicæ Sedis observantia et veneratione retinenda; utrumque enim pollicentur tuæ literæ, humanitatis ac pietatis plenissimæ. Nostram vero paternam charitatem percipies omnibus in rebus, quas ad te, atque ad tuos pertinere intelligemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima Aprilis, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LXXVIII. — In Lusitania res publicæ propter Antonii Crati Prioris conatus turbatæ aliquantum erant. Ut eæ componerentur, Gregorius in illud regnum Albertum Cardinalem ab Austria amplissimis Legati a latere facultatibus munitum misit: quod ægre admodum tulit Galliarum Rex. [*] Ille adeo se prudenter gessit, ut cum omnium plausu rem confecerit; habitusque sit tanquam exoptatæ pacis præsentissimus nuntius. Ex quo tantam in ipso fidem habuit Philippus Rex, ut eidem regnum illud administrandum commiserit. Legas quæ Franciscus Mengaccius unus ex ejus consiliariis de præclare ab eo gestis refert. [*] Quam intento animo Cardinalis in id incumberet, litteræ ejus ad Pontificem testantur. [*]

[*] Mantissa document. N. 85.

[*] Ibidem N. 86.

[*] Lusitania Vol. 5. fol. 217.

Sanctissimo Domino Nostro Papæ Gregorio XIII.

Beatissime Pater.

Post obsequentissima pedum Sanctitatis Vestræ oscula.

« Ad reliqua Beatitudinis Vestræ in me beneficia, quibus me pro suo erga me paterno amore hactenus benigne admodum affecit, quæque ego quotidiana, ut debeo, memoria recordor, accessit modo recens illud, quo me amplissime ornatum voluit, ut in hoc Portugaliæ Regno Sanctitatis Vestræ Legatus a latere existerem. Quam dignitatem etsi ego tanti facio, quanti merito æstimanda est, et hoc mihi certissimum est, Sanctitatis V̄ræ erga me benevolentiæ argumentum, qua etiam de re incredibilem voluptatem capio, perpetuasque ago Beatitudini Vestræ gratias, tamen video mihi gravem adversariam constitutam exspectationem de me hominum, et judicium eorum, qui non perspiciunt, quantas difficultates, in omni munere publico recte exercendo, hæc temporum conditio afferat, et in his præsertim locis ubi superiorum mensium licentia nonnulla irrepsit morum depravatio. Sed tamen pro virili parte mea contendam et enitar, ut quod oneris mihi a Sanctitate Vestra impositum est, ejusdem auspiciis, quæ mihi secunda fore auguror, si non ut debeo, saltem ut potero, sustineam. Serviendi quidem certe Sanctæ Matri Ecclesiæ et Beatitudini Vestræ voluntas in me nulla unquam desiderabitur, neque ullos hac in re diffugiam labores. Cætera Deum Optimum Maximum confecturum spero, et ab eo Sanctitati Vestræ valetudinem atque diuturnam vitam expeto. Datum Ulissippone postridie Idus Marcias anno 1583.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus filius

ALBERTUS CARDINALIS.

Gregorius igitur de collata regni gubernatione eidem gratulatur, pietatemque ejus laudat; ita tamen, ut eum admonere non prætermittat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI. ep. 153. f. 231.

Dilecto Filio Nostro Alberto Cardinali Austriæ Nuncupato Portugalliæ Legato.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Magnopere lætati sumus præstanti humanitate, pietate, prudentia tua; hæc enim facile perspeximus in iis literis, quibus significabas, te a Charissimo in Christo filio nostro Philippo Rege Catholico Regni Portugalliæ gubernationi præfectum esse, gratiasque agebas, quod te in eodem Regno nostrum et Sedis Apostolicæ Legatum fecissemus, declarabasque præclare intelligere te, quam multis, quamque magnis difficultatibus plena esset omnis rerum publicarum administratio. Verissime prudentissimeque cogitas, sed bona in primis voluntate, perpetuoque Dei timore opus est; tum summa cura adhibenda in optimis Ministris deligendis. Hæc quia et facere et curare te persuasum habemus, summa omnia tuæ virtuti recte committi arbitramur. Deus benedictus amplectatur, foveatque te sua gratia, cumuletque omni fœlicitate. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Maji MDLXXXIII. Pont. Nost. anno undecimo.

LXXIX. — Quæ Pontificis monita tam pronis auribus Albertus accepit, ut ea non cogitatione tantum, sed reipsa se complexum esse, ex his, quæ de sua legatione retulit, Gregorius potuerit cognoscere. [*]

[*] Lusitania Vol. 5 fol. 258.

Sanctissimo Domino Nostro Papæ Gregorio XIII.

Beatissime Pater.

Post humillima pedum Sanctitatis Vestræ oscula.

« Cum omnes actiones meas, tum illas præcipue, quæ legationis meæ propriæ sunt, Sancti-

tati Vestræ probari vehementer cupio, idcirco administrationis hujus auspicium et progressum, consilia et acta omnia, quasi qui functionis suæ rationes referat, Sanctitati Vestræ, ne quid ipsam lateat, abundanter et dilucide explicare statui, et hoc quidem ordine, quod a divinis incipiendo munus Legationis assumere voluerim, solemniter conferendo me ad Ecclesiam Cathedralem, et ea omnia faciendo, quæ Pontificale seu Cerimoniale dictat. Deinde præcipuam adhibui curam, ut de more Serenissimi Cardinalis Infantis Legati felicissimæ memoriæ antecessoris mei statuerem prætorium Legationis, Mensam vulgari sermone nuncupatam, quatuor virorum doctrina et rerum experientia insignium, nempe Datarii a Sanctitate Vestra missi, Doctoris Antonii Toscani, qui omnibus Legationis officiis per plures annos cum præfato Cardinale Infante Legato functus est, Doctoris Marci Teixeræ, quem a tribunali Regio in civitate Portugalensi nuper erecto vocavi, et Doctoris Antonii de Almeyda expeditoris Mensæ conscientiæ, coram quibus tam supplicationes Justitiæ quam Gratiæ aliquam difficultatem seu dubietatem præseferentes, proponerentur, et ab illis secundum Canones et stylum Curiæ definirentur.

« Præterea eidem Datario talem domum deputari mandavi, ut in ea præter solitum officiales suos habere posset, ad brevius et fidelius in commodum partium et legationis honorem negotia expedienda, et curavi, ut hi ipsi officiales eligerentur ex omnibus meliores.

« Et quia mos Legationis Lusitaniæ est, ut Legatus auditorem generalem habeat, qui majorem partem causarum per appellationem ad Legationem venientium per viam commissionum cognoscat: ideo deputavi eundem Marcum Teixeram, virum non solum doctrina, sed judicandi peritia et animi integritate ab omnibus valde probatum, in Auditorem generalem meum, eidemque Notarios et Procuratores bonæ famæ adjunxi.

« Statui etiam, quod circa taxas expeditionum et salaria Officialium nihil pro nunc innovaretur ex his, quæ tempore præfati Legati diuturno tempore servata fuerunt.

« Nolo etiam silentio præterire, quod circa dispensationes matrimoniales de scienter et alias, quæ mixtam habent clandestinitatem, tempore Nuntii Frumenti et meo etiam, scandalum generaverint et generent apud multos viros doctos et alios, ex eo quod nedum ipsis videatur dispensationes hujusmodi contra decreta Concilii Tridentini fieri, sed maximam et valde frequentem peccandi et mentiendi occasionem multis præstare: et licet Datarius optimæ mentis Sanctitatis Vestræ plures rationes reddiderit, cur cum istis dispensari concesserit; tamen omnibus neque parti satisfieri potest. Quare visum est mihi committere, ut cum istis raro et nonnisi urgentissimis de causis dispensetur.

« Ut vero Legationis fructus et exitus Beatitudini Vestræ magis innotescat, qualis quantusque sit omnium expeditionum a die xv. Junii, quo cœptum est expediri, usque ad diem xi. Julii, breve compendium, quod his litteris adjunctum erit, ad Sanctitatem Vestram transmittendum curavi.

« Hæc erant in præsentia, quæ existimabam ad Beatitudinem Vestram scribenda esse, ut in eis, quæ ipsi placebunt, perseveremus, et si quid mutatum velit, ejus mandatis (uti par est) obediamus. Dominus Deus Omnipotens Beatitudinem Vestram multos annos (ut ego opto et precor) tueatur incolumem. Datæ Ulissippone xvi. die mensis Julii anno MDLXXXIII.

Beatitudinis Vestræ

Humillimus et obedientissimus filius

ALBERTUS CARDINALIS.

Quare Gregorius tam vehementer, quæ gesserat, approbavit, quam quod in matrimonialibus dispensationibus consideratissimus fuerit: eumque hortatur, ita in hac voluntate perseverare, ut neque ullum piis scandali, neque malevolis obtrectationis locum relinquat. [1] [1] Reg. Gregorii XIII An. XII ep. 47 f. 295

Dilecto Filio Nostro Alberto Cardinali Austriæ, Nuncupato Nostro et Sedis Apostolicæ Portugalliæ Legato.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Probamus vehementer actiones tuas in ista Portugalliæ legatione, de quibus Nos certiores fecisti, judicamusque, te in Ministris Judicibusque deligendis, rebusque constituendis pie prudenterque fecisse; non dubitamus reliquas actiones tuas fore optimis consiliis consentaneas. Summa omnis vitæ et ratio rerum gerendarum est studium Dei gloriæ inserviendi, quam quidem cogitationem et curam in te esse lætamur. Quod in dispensationibus matrimonialibus, de quibus scribis, quam consideratissimus fueris, gratissimum Nobis fecisti; hortamur, ut in ista voluntate et cautione permaneas, tuisque facultatibus quam parcissime utaris, neque ullum piis scandali, aut malevolis obtrectationis locum relinquas. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die vigesima quinta Septembris, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

LXXX. — Albertus quo afficiebatur in Patres Societatis Jesu amore, Pontifici spondet, se nihil prætermissurum, ut Episcopus Coimbricensis eorumdem in hac urbe Collegio annuum censum per Synodalem legem adscriptum persolvi jubeat: deinde Gregorium de prospero regiorum armorum ad insulam Terceram successu docet. [1] [1] Lusitania Vol. 3. fol. 202.

Sanctissimo Domino Nostro Papæ Gregorio XIII.

Beatissime Pater.

Post obseqnentissima pedum Sanctitatis Vestræ oscula.

« Quod Beatitudo Vestra mandat, ut Archiepiscopo Ulissiponensi in procuranda persolutione annuæ pensionis, quam Episcopus Coymbriensis Collegio Sodalitatis Jesu debet, interposita Legationis auctoritate operam meam præstem, et efficiam, ut Sanctitatis Vestræ literis sine ulteriori mora, et fructuum præteritorum persolutionis dilatione obtemperetur, Sanctitatis Vestræ mandato qua par est diligentia et studio satisfieri curabo, et patribus præfati Collegii, quantum potero et opem meam illi requirent, commodabo: speroque rem ita confectum iri, ne hæc causa Sanctitati Vestræ molestiam præterea afferat.

« In causa Legationis nihil est jam, quod Sanctitati V. nuntiari magnopere expediat, vulgaria sunt negotia et de numero quotidianorum, quæ modo aguntur, de reliquis prout se offerent Sanctitatem Vestram certiorem faciam, cui commentariolum de prospero successu rerum gestarom ad Insulam Terceram aliasque adjacentes mittendum duxi, ut videat quam clementer Deus victoriam illam concesserit, de qua Sanctitati Vſæ, cui gratum esse scio, tam parvo sanguinis Christiani dispendio illam constitisse gratulor, optoque ut reliquos omnes Christiani populi inter se tumultus sedatos compositosque videat, et diutissima vita perfruatur. Datum ex Arce Regia in Cintra III. Sept. anno MDLXXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus et humillimus filius

ALBERTUS CARDINALIS.

LXXXI. — Eborensis Archiepiscopus, qui inter Lusitaniæ Præsules in Ecclesiæ suæ prospiciendo haud postremus habebatur, ægre ferebat, sese impediri ob excitatos in regno rumores, quominus ad limina Apostolorum accederet, votique compos fieret. Quare Cardinalem Comensem adit, ut ab Pontifice impetret sibi ejus rei gratiam, id nimirum in biennium facere: quippe hæc non esse tempora intelligeret, quæ absentiæ Episcoporum locum darent, multoqua minus, quia Synodum Provincialem cogendi consilium inierit. [*]

[*] Lusitania Vol. 3 fol. 309.

Illustrissimo ac Reverendissimo Cardinali Comensi, Domino meo Observandissimo.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

« Astringi me jurejurando, quod et in consecratione, et pallii traditione concepi, singulis quibusque annis Apostolorum sacra limina invisere, Illustrissimam Dominationem tuam non ignorare arbitror; et quamvis eo onere jam olim Dominus noster me sua beneficentia semel liberarit, significaveritque libenter se hujusmodi solutionem debito tempore præstiturum: quia tamen nihil mihi tam ob oculos obversatur, quam et juri jurando, et reliquis mei muneris partibus cumulatissime (si possim) satisfacere, ejus itineris arripiendi singulari desiderio exardescebam. Nec me molestiæ itineris deterrebant: eo enim mihi jucundiores essent, quo et Apostolorum corpora et fœlicia loca, in quibus Martyrum reliquiæ conditæ sunt, præsens invisere, et Beatissimi Parentis mei totiusque Ecclesiæ Pastoris, a quo non solum beneficia maxima et paterni amoris signa certissima, sed quicquid sum, accepi, supplex pedes deosculari ardentius desiderabam. Verum rumores bellorom variique tumultus in his regnis excitati me et a proposito, et a juris jurandi solutione petenda hactenus dimoverunt: dum enim spero commotas tempestates quam primum sedari, meque mei voti compotem fieri posse, aliud biennium ellapsum est, ex quo nec iter confeci, nec sacramenti solutionem impetravi. Hæc vero regna nondum in eo statu sunt, (quamvis jam Dei Optimi et Maximi beneficio Regisque nostri vigilantia pace desiderata fruantur) ut nunc Pontificium absentiam meo judicio commode patiantur, necessariumque arbitror me diutius in eo immorari, tum ad sedandos nonnullorum animos, tum ad alios in pace et tranquillitate conservandos. Præterea hoc anno statui (nondum enim mihi per tempora licuit) provinciale Concilium celebrare, ut paulatim dillabentes mores severiore disciplina restituantur. Quo feliciter (ut spero) peracto, Romam, si Dño nostro placuerit, proficiscar, tum ut juri jurando satisfaciam, tum ut Dominum nostrum de statu hujus Provinciæ certiorem faciam, ab eoque et mihi et fidei meæ commissis ovibus Apostolicam benedictionem impetrem. Quod dum mihi per tempus non licet, Dominationem Tuam Illustrissimam oro, hæc quæ me retardant negotia Dño nostro referre velit, ut eis perpensis, facultatem manendi (si visum fuerit) benigniter impertiat. Quamvis enim jam de hac re Dominum nostrom proxime diebus elapsis per litteras admonuerim, solutionis tamen beneficium etiam a tua Dominatione acceptum habere volo. Valeat Dominatio tua Illustrissima, quam Deus Optimus Maximus ad Ecclesiæ suæ gloriam multo tempore conservet, et divinis muneribus augeat. Datum in Oppido Sines in visitatione XIV. Calendas Januarii anno MDLXXXIII.

Illmæ et Rmæ Dominationis Tuæ

Humillimus servus

THEOT. ARCHIEPISCOPUS EBORENSIS.

LXXXII. — Inopinatus Bragantiæ Ducis obitus accidere Lusitanis nisi molestus non potuit. Catharina demortui conjux, cui cura et gubernatio ex testamento viri imposita fuerat, donec Theodosius filius imperio maturus fieret,

Pontificem per litteras oravit, ut Domum Brigantiæ sua commendatione et gratia complecteretur. [*]

[*] Lusitania Vol. 3. fol. 249.

Sanctissimo Dominn Nostro Papæ Gregorio XIII.

Beatissime Pater

« Catharina neptis Emanuelis Regis, filia Infantum Odoardi et Elisabethæ, sacros Sanctitatis tuæ pedes supplex exosculor. Cum Joannes Dux conjux meus nuper diem obiisset, egoque in eo luctu et mœrore posita essem, quem Sanctitas tua facile considerabit, meque omni humana consolatione orbatam viderem, mecum ipsa constitui, nihil mihi amplius cogitandum, quam de animæ salute et filiorum educatione. Sed apertis tabulis testamenti, quo Joannes Dux meus curam mihi hujus domus injunxit, ut illius teneam gubernaculum, quousque Dux Theodosius filius noster decimum octavum ætatis perficiat annum, intellexi nullam mihi superesse excusationem, qua conjugis jussa recusare, aut filii commodis possim deficere. Quæ cum ita sint, Pater Sanctissime, non potui amplius differre hoc meum, et Theodosii mei debitum officium, quo totam hanc domum Brigantiæ, ego quamdiu illius curam gero, Dux vero Theodosius quoad vixerit, Sanctitatis tuæ, Sanctæque et Apostolicæ Sedis servitio devovemus, humili obsecratione postulantes, ne ullam negligas occasionem, Pater Beatissime, quæ se offerat, ut nos in tuo obsequio valeas exercere, quo humanitatis tuæ gratiam possimus promereri. Faxit Deus Optimus Maximus, ut post longos et felicissimos vitæ annos in Beatorum æternas sedes evehiaris. Datæ Villævicosæ 8. Idus Maji anno salutis nostræ 1583.

Osculor sacros pedes Sanctitatis tuæ

Caterina.

En religiosissimi Theodosii, Joannis Ducis filii, litteras, quibus se totum Pontifici devovet, non modo ut paternam pietatem imitetur, sed etiam propter beneficia sibi collata ex eo tempore, quo admodum adolescens apud Marrochi tyrannum obses detinebatur. [*]

[*] Lusitania Vol. 3. fol. 251.

Sanctissimo Domino Nostro Papæ Gregorio XIII.

Beatissime Pater.

« Theodosius Dux Brigantiæ et Barcellorum, Marchio Villævicosæ, Comes Ourensis et Arrajolorum, Dominus Montisfortis et Montislæti etc. sacros Sanctitatis tuæ pedes supplex exosculor. Etiamsi omnes Christiani Principes teneantur singulare quoddam specimen devotionis in Apostolicam Sedem exhibere, seque præ aliis Christianis ejusdem obsequentissimos filios hisce præsertim temporibus ostendere, ego quidem, Pater Sanctissime, ante alios id præstare debeo tum ob non vulgaria beneficia a Sanctitate tua in me collata, quo tempore apud Xeriphum Marrochiensem et Fecensem Tyrannnm detinebar, tum etiam quia domestico paternoque exemplo ducor, et omnino cogor, ut hac in re cæteris palmam studeam præripere. Ea enim semper fuit Joannis Ducis patris mei erga Sanctitatis tuæ et Apostolicæ Sedis obsequium propensio, is animus, ut fieri non possit, quin illius nuper emortui penitus obliviscatur filius, qui hanc velut peculiarem inter alias ipsius virtutes non imitabitur. Egregium ergo secutus exemplum, qua die Brigantiæ Dux designatus fui, ea ipsa constitui in eo mihi potissimum fore elaborandum, ut in his, quæ Sanctitatis tuæ Sedisque Apostolicæ servitium concernerent, si non excedere, æquare saltem valeam parentis desideria. Hanc animi mei significationem committo Dño Eliseo de Portugal, viro nobilitate præstanti, et mihi sanguinis necessitudine conjuncto, speroque pro singulari munere futurum, ut Sanctitas tua illum humaniter excipiat, meque semper eisdem gratiis et favoribus prosequatur, quas apud Sanctitatem tuam pater meus Joannes Dux nunquam non fuit expertus. Deus Optimus Maximus Sanctitatem tuam Ecclesiæ suæ diutissime servet incolumem. Datæ Villævicosæ 8. Idus Maji anno 1583.

Osculor sacros pedes Sanctitatis tuæ

Ho Duqrs.

LXXXIII. — Senatus Bisuntinus et populus ægerrime ferentes, quod apud se per laicam potestatem Ecclesiastica jurisdictio plane labefactata jaceret, gravioraque metuentes, per suos Oratores Ecclesiasticos viros Pontificem obtestantur, ut Hispaniarum Regi auctor sit, edicta quædam Ecclesiasticæ libertati in Comitatu Burgundiæ valde adversantia revocandi. [*]

[*] Gallia Vol. 17 fol. 231

Sanctissimo Domino Nostro, Dño Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Beatissime Pater.

« Cum propter perniciosum illud laicale, quod jamdudum exiit auctoritate curiæ Dolanæ in Comitatu Borgondiæ, et Diœcesi Bisuntina mense Januario 1572, adversus Ecclesiæ censuras promulgatum edictum, de quo apud Sanctitatem Vestram pluries conquestum fuit, jam multis collapsam modis, ac in dies magis et magis collabentem, variisque cuniculis adortam apud nos Ecclesiæ auctoritatem cerneremus: ulterius ferre tantam iniquitatem non valentes, eoque Religionis zelo ducti, quo hactenus nos cum prædecessoribus nostris (Dei gratia et beneficio) erga Romanam Ecclesiam perstitimus, et ne deterius inde (quod Deus avertat) contingeret, nihil intactum relinquere, et non modo apud Sanctitatem Vestram de ea re agere, sed etiam pro revocatione edicti ejusdem, ac restitutione Ecclesiasticæ Jurisdictionis juxta formam S. Concilii Tridentini exercendæ, apud

Regem Catholicum Burgundiæ Comitem intercedere visum fuit: et ideo cum Illustrissimo D. Cardinali Archiepiscopo nostro Bisuntino, ac Reverendis Dominis Decano et Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ Bisuntinæ Oratores propter hoc communi nomine delegavimus. Supplicamus igitur obnixe, et summa qua possumus et debemus humilitate exoramus S. Vestram, quatenus ipsa (quæ nunquam defuit piis quorumcunque conatibus) dignetur pro sua solita pietate et singulari sapientia, nobis justa petentibus, et Ecclesiæ causam tuentibus contra fortes adversarios inique renitentes suppetias ferre, ac suis sanctissimis consiliis apud ipsum Regem per Reverendissimum ejusdem Sanctitatis Vestræ, qui illoc nunc agit, Oratorem providere, ut fœlicissimis auspiciis dictæ Sanctitatis Vestræ restitutam iri videamus apud nos auctoritatem et Jurisdictionem Ecclesiæ. Non enim dubitamus, quin Catholicus Rex Pontificiæ Majestatis celsitudinem, Sedisque Apostolicæ dignitatem plurimum (ut solet) in re tam sancta non suspiciat, ac revereatur, et ejus monitis extimulatus facile concedat, quæ ipsi Oratores nostris juste exposcunt nominibus, dummodo in hoc studium et commendatio dignetur accedere Ejusdem Sanctitatis Vestræ, quam nobis et universæ Reipublicæ Christianæ diutissime servet incolumem, semperque fœlicibus incrementis in majus augeat, qui eam donavit urbi Christus Optimus Maximus. Vesontioni die XVI. Augusti MDLXXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimi filii

SENATUS POPULUSQUE VESONTINUS.

De Galiot.

LXXXIV. — Res Belgii iniquissimo erant loco, cum Alenconius dominandi cupiditate obreptus, seque Dominum Belgarum gerens, primum Antverpiam die XXVI. Januarii, et alias deinde urbes in suam potestatem ditionemque redigere aggressus est. Verum mox ubi intellexit vim et metum diuturnitatis imperii haud satis firma propugnacula esse, animosque idcirco hominum ab se abalienasse, Dunokerca, quo se receperat, die XXVIII. Junii discessit et in Galliam rediit. Cujus quidem reditus non exiguam Regi molestiam facessivit: quippe ob ardens ejus ingenium, atque ad omne facinus promptum omnes timebant, ut ab novandis rebus contineri posset. Nihilo tamen minus, cum Ecclesiæ studiom præ se ferret, apud Pontificem ejus commendatione nonnullos Ecclesiasticos viros usos fuisse comperimus. [*]

[*] Santiasa document. n. 87.

De his Belgarum motibus sedandis habe, quid senserit pius quidam vir, et quæ arbitratu suo ratio pacis restituendæ ineunda esset tum a Pontifice, tum a reliquis, qui per Europam summa rerum potirentur. [*]

[*] Germania Vol. 61. fol. 261.

De mediis adjuvandi Belgium.

« Quanto cum periculo sanctissimæ Religionis longa mora protractum fuerit bellum hoc civile in Belgio per annos undecim, notius est, quam ut probatione egeat. Quod si Sua Majestas sano consilio acquiescere voluisset, statim in ipsis initiis exiguo tempore vi et potentia, qua decebat, confici potuisset; sed quandoquidem Sua Majestas pro sua innata mansuetudine maluit uti clementia, quam rigore, vi et justitia, malum, quod prius Hollandiam et Zelandiam invaserat, per omnes fere Belgii provincias penetravit. Suæ Majestati nunc notum est, quam fuerint perniciosa illa consilia eorum, qui putabant, clementia potius quam vi et armis reduci posse rebellium animos ad Suæ Majestatis obedientiam.

« Quum et illa clementia, qua Sua Majestas erga perfidos rebelles usa est, nihil commodi aut emolumenti attulit Catholicis Suæ Majestatis subditis, cum erga eos tanta crudelitas, etiam a Regiis nobilibus committatur propter collapsam rei militaris disciplinam, ut horrendum sit narrare eorum facinora.

« Porro cum hæreticorum studia eo tendant in hoc bello, ut Rege defuncto, exitialis quædam rerum confusio et apostasia introducatur per universam Europam, necessarium est, ut quibus Religio cordi est, et qui auctoritate valent, serio cogitent de remediis mature adhibendis his malis.

« Remedia autem (sub correctione melioris judicii) hæc poterunt esse.

1. Ut Sanctissimus Dominus noster instituat Legationem ad Suam Majestatem, ut expositis periculis, in quibus propter hanc belli moram per universam Europam versatur Catholica Religio, Sua Majestas serio cogitet de compescendis subditorum suorum rebellibus animis. Non deerunt, qui hunc finem pro Christi gloria suggerant, sive communicent.

2. Ut legatio instituatur a Sua Sanctitate ad Christianissimum Francorum Regem, ut serio cogitet, quantum mali intulerit rei Christianæ Alenconius ejus frater, qui impiis Catholicæ Religionis hostibus auxiliares contulit manus contra suum naturalem Principem Catholicum Regem: neque unquam futurum, ut ille cum imperio imperet rebellibus, qui nullius Principis parere voluit mandatis, sed omnibus imperare pro suo arbitrio. Necessario igitur S. Majestatem revocare debere suum fratrem, si Religioni et suo honori consultum velit; quodque tanto minus Sua Majestas debeat secreto intellectui ferre suppetias vel fratri, vel hostibus hæreticis in causa tam iniqua, quam babent contra suum Principem.

3. Anne possit inveniri ratio, ut ex bello hoc civili fiat sacrum bellum, utque omnes

in universum Principes Catholici per Europam fœdus ineant, et in hoc conjunctis viribus conspirent, ut bello huic funestissimo ocissime finem imponant.

4. Ut mittatur Nuncius Apostolicus sanctus, et rerum gerendarum peritus ad omnes Principes Catholicos Germaniæ superioris, et liberas Imperiales Civitates, tractus Rhenani, et Belgii provincias, sedem suam positurus Coloniæ, ut intendat maxime rebus Belgicis.

LXXXV. — In Anglia quamvis hoc anno ab igni ferroque abstineretur, carcere tamen bonorumque publicatione in Catholicos sæviebatur. Magna sane cum animi voluptate leges, quæ Personius e Societate Jesu Rectori Collegii Anglorum de Urbe scribebat: de aucto mirum in modum Catholicorum numero; de Calvinistis qui æquiores essent in Catholicos, quam Puritani; de Sacerdotibus in carceres detrusis, qui mirum in modum medelam facerent animabus perditissimorum juvenum Anglorum, cum in eosdem ob facinora conjicerentur; denique de quodam conscientiæ casu, in quo sacerdotis cujusdam Catholici constantiam in Pontificis Romani super universam Ecclesiam primatu asserendo admiraberis. [*]

[*] Lettere e Memorie del P. PossevinoNunzio Apost. nel Settentrione Vol. 2. fol. 286.

Exemplum epistolæ Patris Roberti Personii ad Patrem Rectorem Collegii Anglorum de Urbe, datæ Parisiis 24. Augusti 1583.

« Admodum Reverende in Christo Pater, jam antea intellexisse Vestram Paternitatem arbitror, Superiorum me jussu his in locis ad tempus fuisse, cum propter negotia quædam commodius expedienda, tum etiam ne in ea præsentia inimicis odiosissima, amicis gravioris causa pressuræ existat; id enim sentiebant Catholici plerique, cedendum esse aliquantulum tempori, nec tam voluntati meæ satisfaciendum esse proprioque desiderio, quam rei ipsi causæque universalis emolumento serviendum. Cum ergo nuper in Anglia res essent perturbatissimæ, furiosa quadam hæreticorum violentia, qua etiam tantum prævalebant, ut media nostra quædam et instrumenta præcipua, quibus causa Dei promovebatur, interciperent, eoque processisset furoris æstus, ut omnia susque deque verterent mei unius quærendi causa, (quod præter molestiam, quam omnibus inferebat, fuit etiam meis fratribus et compluribus periculosum, qui sæpissime capiebantur, dum ego quærerer) visum fuit in has me partes vicinas ad tempus recipere, ubi cum aliis minus molestus et periculosus, tum caussæ vel æque necessarius vel utilior esse possem. Itaque ea sum hic modo conditione, ut licet in Anglia non sim, anglicane tamen cogito tractoque quotidie: nihilque magis vel expeto vel especto, quam ut quamprimum mihi liceat per eorum bonam veniam in Angliam reverti, quod hic vel desiderio judicioque, vel imperio retineor. Interim tamen cursum nostrum prosequimur ex his locis, nec unquam mirabilior, quam modo proventus. Vix est credibile quod narrant modo de augmento Catholicorum hoc ultimo anno, posteaque libros quosdam legerint de rebus spiritualibus scriptos, sacrasque scripturas catholice in nostrum idioma conversas et interpretatas. Audivi viros prudentes vehementer affirmasse, existimare se, Catholicos esse modo duplo plures in Anglia, quam ante unum annum fuerint. Quod quam sit probabile, ex hoc uno conjici poterit, quod ex duobus sacerdotibus recenter huc ex Anglia negotiorum causa missis, alter eorum testatus nobis est, se quattuor sacerdotes cognoscere, qui in una sola Provincia (quæ Hamptonia dicitur) plusquam quadringentos homines reduxerint ad Ecclesiæ gremium post ultimum festum Paschatis.

« Hinc est quod quamvis indies ex Seminariis multi in Angliam ingrediantur sacerdotes, tamen adhuc queruntur in provinciis particularibus deesse sacerdotes; præcipue autem plures de Societate petunt, de qua re ad Rmum P. Nostrum Generalem et Doctor Alanus et ego jam scripsimus, et insuper rogamus Vestram Reverentiam, ut in hac petitione nostra nos adjuvet.

« Sex illi ultimi martyres, hoc est Kirkman, Latii, Hart, Tomson, Thirkab, et Laborn, qui superioribus his mensibus Eboraci sunt passi, mirabile dederunt fidei incrementum. Post quorum gloriosissimas mortes non est tam in corpora vitasque hominum sævitum, quam solebat, sed in bona, fortunas, possessionesque Catholicorum multo crudelius, quam unquam; sacerdotes capti non ita torquentur equuleo, aut occiduntur ut antea, sed tenentur solum inclusi; quo fit ut inclusorum numerus vehementer sit auctus in multis carceribus, v. g. in carcere Hullensi sunt triginta, in castro equitis Martii Londini sunt viginti sex sacerdotes, qui juvante Deo quotidie fere uno vel alio artificio sacrum faciunt omnes, atque summa Dei providentia sane fit, ut isti sacerdotes carceribus inclusi utiliores nobis nonnunquam sint, quam si essent liberi; ad hos enim (cum certi constantesque in eodem loco sint) multi possunt accedere, qui alios sacerdotes reperire non possunt. Deinde etiam cum Londini semper sint, vel in aliis magnis civitatibus, aptiores sunt ad transigenda negotia in illis civitatibus, quam alii qui vel tot amicos in illis locis non habent; vel si habent, uti illis tam audacter non præsumunt, quam jam incarcerati, ne incidant in pericula, quæ incarcerati jam amplius non timent. Præterea cum juventus Anglicana propter hæresis licentiam in multa vitia et pericula incurrat, propter quæ non raro a Magistratu in carceres conjicia-

tur, mirum est, quantum boni capiunt ex consuetudine et conversatione cum presbyteris. Plus enim sæpe ex illa schola unius mensis spatio ediscunt virtutis, moderationis atque disciplinæ, quam multis annis in libertate didicissent.

« His de causis et aliis adversarii nostri non tam libenter modo capiunt sacerdotes, imo existimatur, quod vellent omnes liberos, si honeste et cum honore suo potuissent illos carceribus extrudere; propter quam causam irasci solent jam hæretici, cum aliqui se facile sacerdotes fatentur. Sic fuit nuper Lomaxius vester secreto reprehensus a Magistratu, quod comprehensus in porta ad primam Magistratus vocem simpliciter est fassus, se esse presbyterum, ex qua ejus non necessaria confessione coacti fuerunt carceribus illum mandare.

« De multitudine juvenum, qui quotidie ad nos ex Universitatibus Anglicanis aliisque bonis scholis confugiunt, non est opus orationem longam texere. Jam scio audistis ex literis D. Alani, et sentietis efficacius ex illo magno numero aptissimorum Scholarium, qui hac missione ad vos veniunt, quorum nonnulli recenter ex Anglia venerunt, et gradus literarios in Universitatibus receperunt, statumque rerum Anglicarum abundantissime et facetissime vobis narrabunt. Hoc tamen dicam, numerum huc adventantium esse tam magnum, ut licet gaudii materiam, spemque magnam præbeat, quod Deus tot talesque sua gratia ex Sodoma ejiciat, tamen ita D. Alanum sumptibus opprimunt, partim qui Rhemis degunt, partim qui iter ad vos suscipiunt, ut nisi mirabiliter Deus juvet, nullo modo perferri tanti sumptus poterunt. Huc etiam accedit, quod indies fere ex Anglia nobiles quidam viri effugiunt cum uxoribus et liberis, ut crudelissimum impetum persecutionis vitent, qui omnes ad Alani auxilium tamquam ad communem patrem recurrunt: ex quo existimare Vestra Reverentia possit, quanto thesauro illi viro opus esset ad tam multas et varias expensas sustinendas.

« Puritanorum furor tantus esse jam cœpit contra Calvinistas in Anglia, ut ipsi Calvinistæ aliquanto mitius nobiscum agere cogantur. Res enim plane ad arma spectare videtur, nisi quod timeamus, omnem vim Calvinistarum cito transituram in factionem Puritanorum, qui nobis multo immaniores sunt hostes, quam Calvinistæ. Audistis opinor de tribus libris recenter editis a Puritanis contra Reginam et omnes Calvinistas, (quos libros hic habemus) et eorum postremus, cujus titulus est, « Postulatio reformationis sine dilatione » penitus rebellionem manifestam minatur: propter quem librum strangularunt nuper in publico duos Puritanos in Provincia Suffolciæ, cum ingenti murmuratione reliquorum omnium ejusdem sectæ. Catholici ex alia parte dimicant fortiter pro sua fide. Queruntur enim cum libris, tum etiam scriptis et sermone, se solos plecti et vexari, cum boni et fideles subditi sint; Puritanos vero, qui manifestos se produnt Reginæ inimicos, liberos esse ab omni vexatione. Hoc regni Consiliarii audiunt, sed dissimulant tamen, quia maxima ex parte et ipsi Puritani sunt: vellent nihilominus libenter nonnullos Catholicos liberari, si possent aliquo prætextu bono, salvo honore suo, maxime omnium, si Catholici vellent in re aliqua vel minima illis conformari. Unde nuperrime obtulerunt hanc conditionem viro cuidam pernobili, docto et prudenti, quem jam diu pessime omnium tractaverant, videlicet se illum statim liberaturos carcere, omnesque pecuniarias mulctationes (quæ erant gravissimæ) remissuros, si unam illis solam rem promitteret; quam cum ille peteret, quænam esset, non est (inquiunt illi) ut abjures Pontificem, vel ut ad Ecclesiam nostram venias, hoc enim scimus te non facturum, sed tantum Regina vult, ut promittas te nullum Jesuitam aut Presbyterum ex recentioribus, quos Seminaria illa proditoria Pontificis huc emittunt, te esse domo tua recepturum. Quibus ille, si aliquem, inquit, mihi ex Societate vel ex illis Seminariis designaveritis, qui proditionem aliquam in patriam fecerit, aut aliquod aliud delictum, ob quod hostis Reipublicæ jure dici aut haberi debeat, ego illum domo mea non recipiam: sed in genere, ut ego promittam, me illos omnes viros domo mea exclusurum, quos mihi mea religio tamquam præcipuos Dei servos proponit, facere non possum, nec audeo, etiamsi summum mihi mortis periculum instaret, ne gravem in me divini judicis iracundiam excitarem. Quo responso licet primo irati, postea tamen ita sunt commoti, ut illum virum nobilissimum æquiore multo conditione carcere laxarent, licet omnino illum non liberarent. Hujusmodi responsa multa Catholicorum prætereo.

« Hoc unum tamen præterire non possum, de casu quodam conscientiæ infra biduum ad me allato, de quodam ex vestris Romanis sacerdotibus, qui modo in castro Londinensi detinetur. Venit enim ad illum superiori hoc mense minister quidam hæreticus, ut conferret de controversiis de religione, cumque parum apud illum proficeret, petiit minister cum magno furore, an Regina esset caput Ecclesiæ Anglicanæ; cui Sacerdos: qua, inquit, auctoritate hoc a me petis? Lege enim cautum est, ut quia responsio ad hanc petitionem capitalis est, nemo possit hoc a quoquam petere, nisi ex manifesta auctoritate Reginæ scripto data. Petiit ergo Sacerdos, qua auctoritate etc. ad quod minister: Si tu verus esses Christi servus, nunquam peteres, qua auctoritate etc. sed simpliciter profitereris

religionem tuam coram quocumque petente. Qua voce accensus Sacerdos respondit: tunc mihi timorem objicis in causa Dei, hæretice? Ego affirmo igitur Reginam nec esse, nec esse posse Ecclesiæ Anglicanæ caput. Quis ergo est caput, inquit Minister? Pontifex Romanus, respondit alter. Heu proditor, exclamavit minister! tu hoc dicis, quia vides, hic non adesse idoneos testes, qui te convincant tuorum verborum. Non ideo dico, respondit Sacerdos, sed ut a te provocatus fidem meam profitear. Si ita est, inquit hæreticus, scribe hæc eadem verba. Non est mihi charta vel atramentum, inquit servus Dei, sed pront scribere possum, scribam. Et arrepto carbone scripsit super ostium suum in præsentia ministri et sui custodis hæc verba. « Gregorius Decimus tertius est caput Ecclesiæ Anglicanæ, et Universalis, cui tam Elisabeta Regina, quam reliquus mundus universus subjici debent, si salvari volunt. » His verbis scriptis et lectis decessit minister et custos carceris, et sacerdos per multos dies postea mortem semper expectavit. Sed nunc cum nihil fere ad mensem de ea re audiverit, nonnulli Catholici persuadent illi, ut deleat illa verba de ostio suo, ne irritare videatur sua sponte adversarios: satis diu jam apparuisse in ostio suo fidei confessionem. Ille contra hoc non audet facere, nec verba expungere, ne videatur hoc ex timore facere; et ne scandalizet illos, qui illa verba in ostio suo legerunt, maxime vero custodem suum, quem ejus confessio constans meliorem facere jam cœpit. Itaque adhuc remanent ea verba descripta in ostio, et nunc Sacerdos petit consilium, an salva conscientia delere illa possit. Hæc habui ex ipsius Sacerdotis proprio chyrographo.

« Possem esse longior, nisi chartæ penuria me restringeret. Hic ergo sit finis. Vestra Reverentia videt quantum indigeamus vestris precibus et auxiliis ad perseverantiam in hoc tanto opere: orate ergo Deum, orate etiam Suam Sanctitatem, Illustrissimumque Protectorem, cæterosque Dominos et Patronos nostros, ut nobis propitii esse velint. Deinde etiam emittite nobis idoneos operarios, qui strenue jugum Christi promoveant. Certissima tandem futura est victoria, licet differatur, et licet acquisitio ejus sit laboriosa et sanguinolenta. Salutat vos omnes Birkettus vester, qui nuper hic mecum fuit.

LXXXVI. — Ex his vexationibus factum est, ut major in dies juvenum Anglorum numerus Remos ad Alanum confugerent, qui in eo collegio sacris litteris imbuerentur. Laudandus quidem præprimis hic est Hispaniarum Rex, quod attributo annuo duorum millium ducatorum censu hujus collegii inopiam sublevarit: Quam Alanus Regia liberalitatem, his litteris ad Cardinalem Comensem datis, Pontificem celare noluit. [*]

[*] Anglia Vol. 2. fol. 241.

Illustrissimo ac Reverendissimo in Christo Patri ac Domino, Dño Cardinali Comensi Suo Singulari Patrono.

Illme et Optime Patrone.

« Miserator et misericors Dñus, qui escam dat timentibus se, sicut continuo multiplicat gentem, ita certe hoc tempore magnificavit lætitiam. Cum enim Collegium istud ita magnitudine et numero suo indies magis magisque laboraret, ut nec menstrua Suæ Sanctitatis munificentia, nec ullis undecunque collectis eleemosynis tantæ multitudinis infinitis necessitatibus me succurrere posse putarem, planeque in futurum tempus essem intime supraque solitum sollicitus, Deus excitavit cor Suæ Majestatis Catholicæ sine omni de ea re cogitatione aut expectatione nostra, ut Christi indignis militibus duplicaret annonam, juberetque mihi quotannis solvi ad Collegii nostri amplificationem duo millia ducatorum hispanicorum: quod licet mihi secreto exsolvi mandaverit, nolueritque id vel nostros vel Gallos vel alios quosvis propter certas causas scire, tamen nullo modo potui, nec debui istud a Deo nobis profectum bonum apud Sanctissimum Dñum Nrum tacere, et ut Tua Amplitudo humillimi servi sui nomine hoc Suæ Sanctitati significet, supplex postulo: ut filiorum suorum obedientissimorum bono Pater pientissimus lætetur, sicut non dubito benignitatem tuam nostris incrementis non mediocriter affici. Utrum autem id porro petendum esset, ut Sua Sanctitas dignaretur aliquo verbulo significare Majestati Catholicæ, hoc ipsius in Collegium suum beneficium sibi gratum esse, nescio: quia ut occultum sit velle videtur. Et id totum vestro sapientissimo judicio et in nos amori relinquo. Quædam per Reverendissimum Dominum Nuntium postulata ad spiritualem patriæ nostræ profectum pertinentia, hoc tempore, uti existimo, Sanctissimo Domino Nro proponentur, quæ ut promoveas, vehementer te precor, benignissime Cardinalis. Diu nobis et toti Ecclesiæ fœliciter vivat Sanctissimus Papa noster Gregorius, et tu quoque Beatissimi Patris sanctissimo ministerio multos in Christo annos vivas et valeas, Mecænas optime. Rhemis 9. Martii 1583.

Illmæ Dominationis Tuæ

Orator et servus

GULIELMUS ALANUS.

LXXXVII. — In Scotia, ut annis superioribus, boni omnes exigua admodum in spe erant, fidem Catholicam veluti postliminio restitutum iri. Sed factiosi homines, qui Anglicanæ Reginæ gratiam respiciebant, adeo omnia obsederunt, ne quid Catholici nominis in aulam adolescentis Regis admitteretur. Quin ipse Galliarum Rex id efficere tantum potuit, ut duos Oratores suos illuc mitteret, qui clam cum eo de

Catholica fide restituenda consilia inirent. Legę quæ Archiepiscopus Glasguensis Cardinali Comensi [*] tota de hac causa, deque mira Regis industria tegendi intima animi sensa scribebat. Cujus in voluntate hic præstantissimus Præsul non parvam spem sitam habuisse videtur; præsertim si ad ejus aliorumque manus pervenire potuisset liber, quem ipse erudite eleganterque conscripserat, ubi mores et consilia ministrorum Protestantium perbelle exagitabat. Cujus rei gratia, quod ad eum librum typis edendum opus esset, a Pontificis liberalitate se expectare dicit. [*]

[*] Gallia Vol. 17. fol. 82.

Illmo et Rmo Domino Cardinali Comensi, Domino Suo cum primis Observando.

« Literas ad Illustrissimam Tuam Dominationem ob id rariores do, quod in rebus nostris Scoticis, quæ vellem, quæque Illustrissimæ Tuæ Dominationi accepta forent, pauca aut fere nulla occurrant memorato digna. Princeps ex insidiis in potestatem pertractus factiosorum, ad nutum Anglicanæ curiæ cuncta administrantium, sub specie libertatis non veræ verissimam pariter et indignissimam sustinet servitutem. D. d'Obenie non tantum aula, sed regno toto cedere coactus; et Parisiis interim morbi violentia detentus, regressum in Scotiam meditatur magis, quam maturat. Primores Regni, qui Catholicæ religioni favent, ab omni publica administratione exclusi, domi quisque suæ se continent. Rex (ut par est credere) in multa trepidatione versatur, nec quo se vertat, tutum habet perfugium: occultat tamen mirifice animi sententiam, et quæ oppido displicent, frontis hilaritate placere sibi simulat. Apud eum Christianissimi Regis Galliarum Oratores duo magno in honore sunt: quorum unus in aula ipsius mansurus, propter spectatum in sancta religione zelum, adolescenti Principi in rectam viam revocando non parum profuturus creditur. Quamquam per excubantem ubique factiosorum vigilantiam opus hoc modis omnibus principio prohibeatur: petit ille liberum religionis Catholicæ, in suis saltem ædibus, usum. Negant hi et ultima quæque tum passuros, tum facturos se minantur, priusquam huic postulato annuant. Unde quis rerum nostrarum status sit, Illustrissima Tua Dominatio colligere facile potest. Quamvis autem præsentis status ea deploratio sit, ut nulla major esse posse videatur: tamen ad spem expectationemque meliorem fovendam non parum momenti in ea inest. Hæreticæ siquidem pravitatis fructus Princeps puer hic primum non tantum videre, sed etiam tangere et gustare poterit, et quos in Reginæ matris persona vel per animi celsitatem non dispexit, vel per securitatem neglexit, nunc ipse animo simul et corpore vorare cogitur: ex quorum sensu ubi eum quem par est dolorem, et ex dolore odium indignationemque conceperit, inde sane si qua alia re commotus, voluntatem in melius commutabit. In qua commutatione, sic per divinam providentiam citra hominum industriam perfecta, quantum ad Religionem in Scotia, adeoque Anglia restaurandam adjumenti accedet, Illustrissima Tua Dominatio pro data a Deo Optimo Maximo sapientia iterum atque iterum reputabit. Ego mandati memor, et in omnem occasionem intentus, hac hieme tractatum Scotico sermone conscripsi, in quo supra disputationis contra ministros institutæ summam veluti in compendium redactam eorumdem mores et consiliorum fructus et fines ob oculos posui. Quanta dexteritate illud abs me factum sit, piorum, in quibus palmam facile præfert Sanctissimi Domini Nuncius, judicium erit. Præter fidem in narrando, et in labore diligentiam meum nihil esse dico, nec haberi volo. Unum apud Illustrissimam Tuam Dominationem confirmare ausim, non mediocre ad resipiscentiam calcar tum Principi, tum populo inde accessurum, si typis commissus ad eorum manus pervenire possit; studium meum et laborem Sanctissimo Domino, et Illustrissimæ Tuæ Dominationi cum omni debitæ humilitatis officio lubens offero, facultates, quibus ad optatum finem idem perduci possit, a vestra vicissim (modo ita videatur) liberalitate recepturus, cujus declarationem in proximis vestris ad D. Nuncium literis (quia mature opus facto est) expectabo. Deus Optimus Maximus ad nominis sui gloriam, et Ecclesiæ utilitatem vos diu nobis incolomes conservet, Smi pariter et Illustrissimi Domini. Parisiis 20. Martii instantis 1583.

LXXXVIII. — Episcopus Rossensis, alter Reginæ Scotorum Orator, etiamsi Rothomagi degebat, nihilo secius rei Catholicæ apud Scotos operam navabat. Quom summa necessariarum rerum difficultate laboraret, poscebat a Cardinali Comensi, operam daret, ut sibi Decanatus Ecclesiæ S. Martini Turonensis, quem Dux Alenconius abstulerat, restitueretur: id esse facile nunc ab eo Duce obtineri, si modo Pontifex ad eum scriberet. [*]

[*] Germania Vol. 98. fol. 114

Illustrissimo et Reverendissimo Domino Domino Cardinali Comensi, Domino meo Observandissimo.

Illustrissime et Reverendissime Domine.

« Etsi veritus ne a gravissimis illis pro Ecclesia curis Tuam Amplitudinem avocarem, rarius ad eandem literas dederim, non tamen destiti D. Chesolmum Theologum nostratem de Religionis Reipublicæque nræ vario mutabilique statu sæpius monere, ut singula tuæ prudentiæ meo etiam nomine, sicut aliorum forsan complurium scriptis, vere innotescerent, cum interea ne desidem quidem vitam in hac Ecclesiæ fluctuante navicula ab eo tempore, quo Roma

derelicta in extremis Galliæ oris Britanniam versus, traduxerim. Verum dum in hac amplissima diœcesi pontificalia munia in dies obirem, non tamen immemor desolatæ meæ patriæ, lapsos ab erroribus revocare, dubios in fide confirmare, afflictosque consolari piis exhortationibus, consiliis, aliisque quibus potui mediis sedulo sum conatus. Nec inanis fuit hic noster cum nonnullis forte aliis communis labor, cum facta quidem sint in clarissimorum hominum (forsan etiam ipsius adolescentis nostri Regis) animis Catholicæ Religionis semina, quæ (Deo incrementum dante) fructum suum reddent in tempore suo. Qua in re ne vigiliis, laboribus aut sumptibus pro tenui mea virili peperci, plura, si suppeteret facultas, Deo conatus nostros juvante, facturus. Sed tam parvas radices in Principum animis pietas aut erga afflictos charitas fixisse videtur, ut tametsi Sanctissimus Dominus noster Christianissimo Regi et aliis me aliquando commendaverit, nihil certe liberalitatis aut beneficii a quovis horum Principum hactenus acceperim, et ne vix quidem stipendia mihi constituta pro meo munere sic obeundo, persoluta: imo vero benefitium quoddam (decanatus nempe Ecclesiæ Sancti Martini Turonensis civitatis), de quo mihi justissime per Reginam Principem meam, tunc ejusdem patronam, provisum fuit, postea Ducis Andegavensis Christianissimi Regis fratris authoritate aut potius violentia est ablatum. Et quamvis hic Princeps blandis me compensandi pollicitationibus alere soleat, tot tamen inopum militum ducibus septus est, qui omnibus illum emungunt, ut nisi Sanctissimi Domini nostri commendatio in mei favorem accedat, parum inde spei mihi reliquum esse video. Si quidem cum paucis abhinc diebus eundem inviserem, mecum sæpissime de afflictis Catholicis, tanquam illorum miseratus sortem, sermonem habens, protestatus est, lubenter se omnia sua expositurum, nec vitæ periculo velle parcere, ut illis subveniri possit, unaque et sola Catholica Religio in toto orbe coleretur. Nam mihi videtur, illum non parvo odio in hæreticorum fautricem ac sectarios omnes exacerbatum. Cumque de Sanctissimo Dño nostro verba faceret, cum summa observantia ipsius pietatem ac in regenda Ecclesia prudentiam admiratus, in ejus gratiam insinuari multum cupiebat. Quare Illustrissimam Dominationem tuam obnixe rogo, ut pro solita sua erga me charitate Breve Sanctitatis Suæ commendaticium eidem Duci Andegavensi impetrare dignetur, mihique mittendum curet. Quod etsi tuæ prudentiæ mihi mandare vel instruere, ut Sanctitatis Suæ nomine vel tanquam ex me in Ecclesiæ commodum aliquid illi communicandum vel persuadendum suscipiam, instructus, fideliter et integre vestris votis satisfacere conabor, cum mihi quidem ob hæc mea particularia facilius, quam alteri patere poterit accessus. Plura ex Domino Chesolmo intelliget Amplitudo tua: quam Dominus Deus Ecclesiæ suæ diu servet incolumem. Rothomagi 18. Novembris anno 1583.

Illñæ et Rñæ Dominationis Tuæ

Addictissimus servus

JOANNES EPISCOPUS ROSSENSIS SCOTUS.

LXXXIX. — Illud Galliarum Regis maxime salutare consilium de avita fide in Scotia instauranda, Dux a Guisia mirifice adjuvit. Uterque in sententia, qua superioribus annis perstabant; quare utrique visum est ad rem pertinere, Regem e Scotia deduci, atque in aula alicujus Principis vel Parisiis vel Matriti ad fidei Catholicæ instituta educari: quod Glaguensis Præsul et Creythonius e Societate Jesu referunt [*]. Habeas hic alterius litteras. [*]

[*] Mandosa document. N. 88

[*] Gallia Vol. 17. fol. 246.

Illño et Rño Dño Dño Cardinali Comensi.

Illñe et Rñe Domine.

« Visum fuit Illustrissimo Duci Guisiano aliquem ad Regem Scotiæ mittere, qui ipsius animum propius tentaret in omnibus: id negotii cum nostro cuidam Nepoti commendasset datis illi instructionibus, Deus illius iter ita direxit, ut etsi Catholicus sit, optime acceptus, ejus animum optime disposuerit; quemadmodum Vestra Dominatio Illustrissima ex ipsius Regis literis ad Ducem scriptis facile intelliget. Eas literas, quia non oportebat cum alio quam cum Sua Sanctitate communicari, coactus fui, nondum appulso huc Reverendissimo Dño Nuntio, quadam zifra P. Roberti, quam ille ex P. Generali habebat, describere; alioqui pro mea consuetudine Nuncio omnia dedissem perscribenda. Intelligat Vestra Dominatio Illustrissima omnia gratissima fuisse Duci Guisiano, quæ ei relata fuere a P. Roberto Personio istuc redeunte; verumtamen nihil adhuc auditum est de resolutione alterius partis, quum Dux valde avide expectat. Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi Illustrissimam Dominationem tuam nobis, et toti Ecclesiæ diotissime conservet. Parisiis 13. Novembris 1583.

Vestræ Illñæ Dominationis

Servus devinctissimus

JAC. ARCHIEPISCOPUS GLASGUENSIS.

XC. — Quæ dum agerentur, Catholici Angli, qui in aula Matritensi commorabantur, toti in consiliis agitandis erant, quibus Rex Hispaniarum ad Scotorum Reginam ex Elisabethæ potestate abducendam, fidemque Catholicam in Britannia relevandam excitaretur. Imo ipsa urgente Scotorum Regina, et cæteris Catholicis ex præcipua nobilitate viris in Anglia, Regi Catholico et Romano Pontifici ea in scriptis proposita sunt, quæ et miserrimam conditionem Catholicorum in Anglia patefacerent, et

suaderent finem gravissimæ calamitati imponi posse, si maxima cum celeritate in Angliam advenirent, qui una cum Anglis impetu facto Elisabethæ dominationem everterent; neque dubium rei exitum fore, si ab ipso Pontifice et Angli et externi ad arma excitarentur. Licet autem non innotescat quisnam fuerit, qui vota et postulationes Catholicorum ad Romanum Pontificem detulerit, conjici tamen potest eum fuisse Alanum, vel alium ex iis, qui in rebus Anglicis versati fuerant, quique illud, quod pro scelere Elisabethæ rependi æquum erat, sine mora faciendum auctoritate Pontificis judicabant. Sed longe aliud fuit Apostolicæ Sedis judicium: quæ licet non prohibuerit Anglos opem ab externis Principibus implorare, tamen nunquam assensum præbuit iis, qui adnitebantur, ut bellum ipsius Pontificis nomine et auctoritate gereretur: adeo a vero alienum est, Romanum Pontificem animos Anglorum ad arma sumenda commovisse. Atque his confirmari potest, eo spectasse Apostolicam Sedem universa sua agendi ratione, ut, quoniam armis esset dimicandum, omnes licet infensissimi hostes, vel belli metu perculsi vel armis superati, ejuratis erroribus ac hostili animo deposito, ad eam non tanquam ad victricem accederent, sed tanquam ad parentem amantissimam reverterentur. [*]

[*] Anglia Vol. 2. fol. 101.

« De præsenti rerum statu in Anglia brevis Annotatio, unde sacræ expeditionis facilitas et opportunitas cerni potest.

« Totum Angliæ Regnum est in quinquaginta duas provincias divisum, quas comitatus vocant, ex quibus circiter quadraginta sunt in Catholicam Religionem magis propensæ, et in quibus sunt paucissimi hæretici, et ii omnibus exosi: reliquæ vero provinciæ sunt hæresi magis infectæ, licet in illis etiam plurimi sint omnium ordinum Catholici. Ita quidem, ut si dividamus totam Angliam in tres partes, non sit dubium, quin e tribus duæ ad minimum sint in rem Catholicam corde affectæ, licet multi metu Regiæ potentiæ publice fidem non confiteantur.

« Duo sunt Catholicorum genera in Anglia: unum eorum qui publice et aperte usque ad carceres, spoliationem honorum, et mortem ipsam, fidem profitentur: alterum eorum qui credunt corde, sed dum non habent vires resistendi, nec vitam aut fortunas pro Christo amittere volunt; externis obediunt hæreticorum legibus, redemptionem suam a corporum et animorum servitute non minus expectantes, quam Catholici confitentes, quibus Christus dedit, ut non solum credant, sed ut pro illo patiantur.

« Regina et sui magis sibi timent ab istis occultis Catholicis, quam ab aliis fidem aperte profitentibus: quia istos interim castigant, spoliant, armis denudant, ut minus nocere queant: in illos quia exterius Reginæ parent, non possunt quidquam gravius statuere, nec ab eis sibi ullo modo cavere, cum veoerit tempus castigationis divinæ.

« Illæ Regoi provinciæ, quas diximus esse magis Catholicas, sunt etiam magis quam cæteræ bellicosæ, atque eo loco sitæ, ut ad rem gerendam, et ad militem externum in insulam excipiendum, portuum et aliarum rerum commoditate sint magis idoneæ. Nam et tota plaga Septentrionalis, quæ ad Scotiæ usque fines extenditur, est continuis bellis exercitata, ac vicinia quorundam Principum Catholicorum in Scotia, magnopere potest adjuvari; et Wallia omnis duodecim continens comitatus, ubi antiquus Britannorum populus consistit, ad bellorum difficultates ferendum aptissima; cum aliæ magis mediterraneæ et meridionales provinciæ, quæ sunt plus cæteris infectæ, in majori otio, delitiis ac securitate viventes, fere sint imbelles, et minime omnium exercitatæ ad pugnam.

« Civitates in Anglia communiter sunt magis corruptæ quam cætera loca, licet plurimæ magnæ et antiquæ urbes, et commodissime sitæ, in fidem Catholicam sint propensissimæ.

« Robur Regni non adeo consistit in Civitatibus aut oppidis, sicut in cæteris fere nationibus: cum neque urbes ibi sint munitæ, nec incolæ fere alii quam mercatores et artifices; nobiles aut magnates pene nunquam: sed robur est partim in nobilitate, quæ cum catervis maximis familiarium manet in castellis sparsim per agros, ab urbibus longe; partim etiam et imprimis in iis qui agriculturam sectantur, quod genus hominum est in illa insula dives, potens et honestum, multum veteris disciplinæ ac fidei tenax, in quo erit magnum præsidium, si quid pro religione tentetur.

« Inferior nobilitas, idest equestris ordinis viri, ac in universum cæteri omnes, quos gentilhomines appellamus, sunt plures magis bene, quam male affecti: nec ullus erit ordo (uti credimus) ad Catholicam causam juvandam promptior, ubi dabitur; nam eorum fere filii sunt in Seminariis istis Suæ Sanctitatis educati: ex quo etiam ordine plures sunt in exilio io omnibus provinciis, qui causam nostram singulariter promovebunt, et certe ad expeditionem erunt imprimis commodi et necessarii.

« Superior nobilitas, quæ est magnatum, idest Comitum, Vice-comitum ac Baronum, qui sunt in illo regno principes satis potentes, partim est bene affecta in religionem, partim iniqua. Et isti sunt homines fere novi, ab ista Regina vel propter hæresim, vel propter impuros amores ad istum gradum evecti, qui propterea omnibus sunt exosi.

« Totius antiquæ nobilitatis primus Princeps est summe Catholicus, nempe Comes Arundelius, Ducis Norfolciæ filius et hæres, quem in

carcere tenent, quia volebat Regno exire, ut consuleret conscientiæ: cujus omnes fratres et affines sunt Catholici, qui habent quoque Vassallos potentes, qui data occasione hanc Illustrissimi Principis ac domini sui injuriam vindicare conabuntur. Comes etiam Northumbriæ ac ejus fratres sunt Catholicissimi, qui non solum pro religione restituenda, sed etiam pro vindicanda morte patris sui, quem hæretici hoc ipso anno in carcere crudelissime trucidarunt, castra Catholica lubentissime cum tota ipsorum provincia, quæ est bellicosissima, sequentur. Ex hoc tempore sunt tres filii istius trucidati Principis, qui extincto jam patre se meæ dispositioni obtulerunt.

« Comes item Vigorniæ, ejusque primogenitus, qui dominantur in Wallia, exosam habent hæresim, qui multos habent asseclas ac subditos summe deditos religioni; Comes item Cumberlandiæ, Comes Oxoniæ, Comes Southamptoniæ, qui adhuc est in minoribus, sed sub tutoribus Catholicis; Vicecomes etiam Montis acuti, valde Catholicus et potens est; Barones item plurimi apud nos valde clari, Dacrius, Morleus, Vauxius, Vartonus, Vindisorius, Lomleus, Stortonus, et hujus ordinis alii plurimi; præter Comitem Westmorlandiæ, hominem et loci et dominii commoditate, et antiquissimæ nobilitatis gloria illustrem, qui temporibus sanctissimæ memoriæ Pii Quinti pro religione arma cepit; sed cum expectata externa auxilia non venirent, coactus est fugere in Belgium, ubi suæ Catholicæ Majestati pensionarius hucusque vixit, qui et ipse eum variis coexulibus suis, viris nobilibus, causam et expeditionem potest incredibiliter promovere.

« Tot ergo ac tales cum habeamus Catholicæ religioni deditos, non possumus non omnia prospera, fausta ac facilia nobis ex hac expeditione polliceri. Nam tales cum sufficientia viderint auxilia externa, nostras partes secuturos, multis constabit argumentis.

1. Quia aliquot ex præcipuis mihi per literas et nuncios omnem operam suam promiserunt.

2. Quia ante sedecim annos, intellecta voluntate Pii Quinti de excommunicanda Regina et deponenda, mox arma ceperunt plurimi Catholici; sed Principibus externis non adjuvantibus, nec omnibus Catholicis Anglis se adjungentibus, quia adhuc non erat publicata contra Reginam Pontificis sententia, non potuerunt prævalere. Quem tamen animum sint habituri Catholici, ubi viderint Suæ Sanctitatis voluntatem, et justa externa auxilia, facile possumus judicare.

3. Quia Catholici sunt nunc longe plures, quam tunc fuerunt, magis quoque nostrorum hominum et Sacerdotum quotidiana adhortatione, doctrina, scriptione, et Sacramentorum usu instructi, adeo quidem, ut nullus sit omnium orthodoxorum in toto regno, qui putet se amplius debere Reginæ propter conscientiam parere, licet propter metum utcunque se obedire posse putent, qui metus tolletur, eum viderint copias externas; libri enim a nobis peculiariter sunt his temporibus editi, ubi probamus non solum licere, sed oportere Pontificis jussu pro Catholica fide contra Reginam et alios hæreticos pugnare, qui libri cum avidissime legantur ab omnibus Catholicis, non potest fieri, quin oblata occasione, se Catholico exercitui adjungant.

4. Quia habemus adhuc, licet multos ejecerint in exilium, pene trecentos Presbiteros in variis nobilium et honestorum hominum ædibus, pluresque indies mittemus, qui Catholicorum conscientias et actiones in hac re, cum opus erit, dirigent.

5. Catholici vivunt his annis in tanta servitute, ut nec de bonis ac possessionibus suis, nec de vita ac libertate queant esse ad unum diem securi, cum indies rapinam bonorum, et intollerabile hæreticorum jugum ferre cogantur. Qua re posita, fieri non potest, quin infinito desiderio expetant liberationem suam, et sint qualibet occasione oblata cooperaturi ad hostium suorum castigationem, quorum intollerabilem dominatum magis quam Turcicum horrent; et propterea Catholica auxilia cujusvis nationis admittent, eum jamdiu didicerint magis odio habere hæreticum domesticum, quam ullum omnino externum Principem Catholicum.

6. Si qui futuri sint, qui lubenter non admittent Hispanicas aut alias exteras copias, ne in externorum Principum servitutem redigantur, his omnibus facillime satisfiet, si res Pontificis nomine et auctoritate geratur; quem certo sciunt, non alia quam restituendæ religionis, castigandorum hæreticorum et legitimæ successionis stabiliendæ causa bellum moturum, et cujus paternæ dominationi, etiam in temporalibus, casu quo deficeret Catholicus hæres Regni, mallent se subjicere in perpetuum, quam ulli principi mortali. Et nos vere putamus, Suam Sanctitatem per se posse hanc totam rem perficere, longe fœlicius quoad successum, longe gratius quoad populum nostrum, et cum longe minori duorum illorum maximorum Regum offensione et zelotipia, quam ullus alius princeps. Nam si hoc solum Sua Sanctitas efficere possit renovando excommunicationis sententiam et depositionis contra Reginam, ut Reges prædicti nullum cum illa commercium habere velint, non mittere, non admittere legatos, mercaturam cum suis omnem prohibere, non illam ullo modo juvare, tum res facillime perficeretur.

7. Jam ergo Legato Sanctissimi Domini Nostri, tanquam exercitus supremo Duce seu Gene-

rali, bellum Pontificis nomine, et sola religionis ac legitimæ successionis constituendæ causa, publico edicto indicente, Catholici sine dubio omnes se Suæ Sanctitatis exercitui adjungent. Et nos jampridem scripsimus libellum (ut putamus necessarium) in nostra lingua, de modo procedendi et movendi Catholicos, quando ventum erit ad executionem rei, quem habemus hic in Urbe, et si jusserit Sua Sanctitas, curabimus in Latinam aut Italicam linguam converti, unde videri queat, quomodo populus noster tractari possit, ut lubentissime consentiat, et omnem opem ferat.

8. Jam vero præter eos quos religionis causa amicos videmur habituri, omnium etiam ordinum plurimos, vel mitiores hæreticos, vel nullius fidei homines, quibus nunc abundat Anglia, habebimus, qui Reginæ Scotiæ futuram, quam sperant, fortunam omnibus viribus sequentur. In quibus sunt primarii, Comites Lalopiensis, Darliensis, Rotlandius, Cicilius, et alii permulti proceres. Atque tam ad hos, quam ad Catholicos omnes ad nostras partes trahendos, supra modum valebit, licet in carcere, prædictæ Reginæ Scotiæ opera. Nam illa novit omnes secretos fautores suos, et hactenus habuit viam præmonendi illos, atque semper, ut speramus, habitura est, ut cum venerit tempus expeditionis, præsto sint. Sperat etiam se posse per amicos, quos illic habet, et per corruptionem custodum personam suam e custodia liberare. De qua re sæpe ad me scripsit, et in postremis ad me litteris, ante decem menses jam scriptis, hortatur vehementer, ut progrediamur in sollicitatione negotii apud Suam Sanctitatem et alios Principes, ut expeditionem accelerent; nec ullam periculorum, quæ personæ aut vitæ suæ inde accidere possint, curam habeant; se enim vel sibi consulturam, vel libenter pro tam sancta causa mortem oppetituram.

9. Hostes habebimus zelosiores hæreticos, quos Puritanos appellamus, et quasdam Reginæ Angliæ creaturas, ut Comites Leicestriæ et Huntingtoniæ, et alios non multos: qui in hoc cæteris sunt superiores, quod pecunias Regias, arma et reliquam bellicam suppellectilem, tam terrestrem quam navalem, magnam ex parte occupent: qui tamen ipsi nec suis, quibus uti debent, fidunt, et sunt tales, qui nunquam fere castra viderunt, atque ita in amoribus et aulicis dilitiis enutriti, ut nullum belli impetum laturi videantur.

10. In toto prope Regno, præter unum in finibus Scotiæ ad septentrionem, et alterum ad meridiem versus Galliam, nullus est locus munitus, nulla civitas, quæ possit impressionem trium dierum sustinere. In Principibus nullus est, qui novit exercitum ducere: in populo propter longissimam belli dissuetudinem pauci sunt, qui arma tractare possunt, præter paucos, qui in tumultibus Flandricis hæreticis servierunt, quorum multi sunt extincti, multi desertis rebellium castris, se in militiam Illustrissimi Principis Parmensis dederunt, ut vel inde videamus, quam facile milites sint ab hæreticis defecturi, quando venerit tempus castigationis.

« Anglia tam in urbibus, quam in pagis omnibus abundat omni genere commeatus, a quo miles excludi non potest, quia loca non sunt munita.

« Portus in omnibus Regni partibus sunt tutissimi, et capacissimi, et præter paucos nullis præsidiis muniti, ubi miles externus sive ex Hispania, sive ex Gallia, sive ex Flandria, sine magno periculo in terram poni possit; imo non solum ad portus appellere, sed et in varias oras et litora continua milites possunt exponi, ducentibus nautis Anglicanis, qui litora norunt.

« Decem vel saltem sedecim millibus exercitatorum militum, aut etiam paucioribus, rem totam cum incolarum auxilio transigi posse putamus; quanto tamen copiosior erit miles externus, et præsertim equitatus firmior, eo certius, citius, facilius, et per consequens minoribus expensis, bellum totum per Dei gratiam conficietur. Nam infinita nostrorum turba imbellis, et inexperta, nullo modo veterani militis impetum sustinebit.

« Plus minus sedecim vicibus Regnum nostrum ab externis copiis, iisque non ita magnis, tentatum et invasum legimus, in quibus omnibus bis tantum prævaluerunt incolæ, in reliquis semper oppugnationibus superati sunt, ut propterea in tam justa causa, quam habemus, omnia sperare debeamus.

« Expensæ quantæcunque sunt futuræ, facillime re bene gesta, ex hæreticorum et falsi cleri bonis non modo Suæ Sanctitati reddi possunt et debent, sed eo modo abunde erit compensatum eorum laboribus, qui in hac causa promovenda nobis operam navabunt.

« Ut res quam fieri possit citissime agatur, summopere expedit; nam in mora sunt infinita pericula. Si enim res differatur sicut hactenus, verendum erit, ne in insula Catholici Principes ac cæteri tædio, afflictione, hostiumque violentia, et pauciores et impotentiores fiant; ne nobiles, sacerdotes ac studiosi, qui nunc extorres vivunt et causam maxime promovere possunt, miseria et inopia rerum necessariarum extinguantur, sicut multi sunt his annis sublati; ne Regina Scotiæ tollatur, vel naturæ cedat; ne Principibus Catholicis fautoribus nostris, aut Sanctissimo Domino Nostro interim aliquid humanitus accidat; ne ipsa etiam Regina Angliæ moriatur, antequam res conficiatur. Nam si ipsa mortua, res per hæreticos semel constituatur, et aliquis hæreticus successor suffectus fuerit, sive ille fue-

rit Rex Scotorum, sive alius, res erit prorsus desperata. Quod punctum debet diligentissime considerari. Sin autem præveniamus hæreticorum consilia opportune, et de conservanda Regina Scotiæ, et de Rege filio ad fidem convertendo, et de tota insula ad obedientiam Sedis Apostolicæ reducenda, erit spes maxima.

« Opportunissime autem nunc fieri posse expeditionem videmus, cum res Galliæ eo statu sint, ut impedimentum non adferre, sed causam plurimum juvare possint; nam nec Rex impediret, et Principes Guisiani magna potius auxilia allaturi videntur propter summum et in fidem Catholicam, et in Reginam consobrinam suam studium: cum a Turca nec Sanctitati Suæ, nec Regi Catholico, nec orbi Christiano periculi quidquam impendeat: cum non modo Status Ecclesiæ temporalis, incredibili Dei bonitate per fœlicissima novi Pontificis auspicia, subito tranquillitati et securitati sit restitutus; sed majori quam patrum nostrorum memoria, omnium Italiæ Principum ac Statuum arctissima conjunctione roboratus: cum omnia Regna Catholico Regi subjecta prius, et nuper acquisita, sint a tumultibus libera, et Belgium quoque ipsum pene universum ad fidem et obedientiam sit redactum; et ea maritima loca, quæ subjuganda restant, vel brevi ex aliqua pactione se reddent, et ita ex illis locis, propter portuum et trajectionis summam commoditatem, facillimus erit in insulam transitus; vel si in obstinatione persistant, non alio modo nisi per devictam Angliam recuperanda videantur.

« Frustra addidero apud S. D. N. quanti referat, ut hoc gloriosum opus quamprimum fieri possit, aggrediatur eum singulari sua sapientia, præ multis mortalibus cernat, non aliunde, quam ab ista Jezabele ac suis orbi Christiano tam immania et continua pericula ereari; nec alio modo, quam per ejus castigationem, hæreticæ pravitatis aliorumque maximorum malorum futurum finem.

« Atque pro meo in Suam Sanctitatem obsequio, et in perditam patriam studio ista suggessi tantum, et illa omnia et meipsum suo sanctissimo judicio humillime subjiciens.

XCI. — Aquenses Canonicos Gregorius vehementissime increpat, quod absurdissimo quodam decreto prohibuerint, ne ullus unquam eorum Ecclesiæ Decanus posset concionari: quod nullius esse roboris decernit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep. 138. f. 241.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Aquensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus, prohibuisse vos decreto quodam, ne ullus unquam istius Ecclesiæ Decanus possit concionari. Visum est hoc Nobis absurdissimum. Nam quo jure istam vobis auctoritatem vindicatis, ut homini Catholico et docto concionandi munere interdicatis? quo zelo id facitis? quo exemplo? Optandum est, ut in singulis Ecclesiis permulti essent doctrina, pietate, charitate præstantes, qui id facere possent: tales vero homines a Canonicis ipsis prohiberi, mira atque inaudita quædam res est. Facile suspicamur, non rei ipsius, sed hominis, hoc est Decani vestri odio hoc excogitatum esse, eademque cogitatione factum, ut quoniam Decanus necessario curru utitur, decerneretis avenam, quæ equorum nomine præberi solet, ab iis tantum peti posse, qui equitant, quod quidem ille facere non potest, non qui curru vehuntur, quod quidem necessario facit. Eodem etiam pertinere caput illud tertium, quo prohibetur, quominus Decanus possit alicujus Principis Consiliarius esse. Mandamus igitur vobis, ut in his tribus capitibus temporum consuetudinem nulla in parte immutetis, perindeque eam retineatis, ac si decretum illud factum non esset. Cæteris in rebus quoad jus atque æquitas feret, libentissime vobis gratificabimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die ultima Aprilis, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Nostri anno undecimo.

XCII. — Magnus Etruriæ Dux se excusat apud Pontificem, et graves exponit rationes, quibus prohibetur, quominus Romani Pontificis voluntati possit plene satisfacere, in componenda cum Venetis controversia de libera Orientali navigatione. [*]

[*] Mantissa document. N. 89

XCIII. — Gregorius inde ab anno MDLXXVIII. haud sine magna multorum admiratione simulque mœrore, ne dicam mussitatione, a Patribus purpuratis creandis abstinuerat; ita ut nonnulli ex Cardinalibus, qui id ægre ferrent, contra Pontificias de futuro Pontifice sanctiones clam egerint [*]. Gregorius postquam Deum enixe oravit, et singulare adhibuit studium, viros præstantes occultissime delegit; et in Consistorio, ubi qui de futuro Pontifice locuti fuerant, reprehendit, et singulari benignitate ab anathemate solvit, pagella, in qua eos notaverat, e crumena educta, Cardinales decem et novem pronunciavit.

[*] Ciaconius in vitis Pontificum Roman. etc. Tom. IV. p. 60.

Plura in hac Cardinalium creatione præter morem a sæculis sancitum acciderunt, digna sane quæ memoriæ posterorum tradantur. Habeas igitur quæ Mucantius refert. [*]

[*] Diarior. Caerem. vol. 15. fol. 124.

« Die 12. Decembris feria 2. Concistorium, in quo, cum nemo id suspicaretur, Sanctissimus Dominus Noster tandem creavit Cardinales novos Num. 19., omnibus mirantibus taciturnitatem Suæ Sanctitatis in tam numerosa promotione Cardinalium. Quippe valde pauci aut potius nulli, sed nec ipsi quidem Cardinales antiqui (ut ajunt) eam prænoscere potuerunt, sed ex improviso, cum minus expectaretur, renun-

ciati sunt: nobis etiam Ceremoniarum Magistris nihil indicatum fuit, ut alias consuevit. Itaque nihil de hoc cogitantes, ad nostras habitationes post ingressum Pontificis in Concistorium redivimus, et ecce rumor per Urbem creatos esse 19. Cardinales, quod vix credebam, nisi plures Cardinales a Concistorio curru redeuntes, et me casu videntes in via, rem mihi pro certo affirmassent. Gavisi ergo fuimus gaudio magno, gratias Deo agentes, quod nobis jam valde laborantibus et indigentibus tandem aliquod subsidium, et levamen (sua operante clementia) oblatum sit, quod aliunde sperare, quam ex tali promotione, haud facile dabatur.

« Nomina novorum Cardinalium hæc sunt.

Joannes Antonius Fachinettus, Patriarcha Hierosolymitanus, Bononiensis.

Joannes Baptista Castaneus, Archiepiscopus olim Rossanensis, Romanus.

Alexander Medices, Archiepiscopus Florentinus.

Rodericus de Castro, Archiepiscopus Hispalensis, Hispanus.

Carolus Borbonius, Archiepiscopus Rothomagensis, Gallus.

Franciscus de Giojosa, Archiepiscopus Narnensis, Gallus.

Michael a Turre, Episcopus Cenetensis, Utinensis.

Julius Canauius, Episcopus Adriensis, Ferrariensis.

Nicolaus Sfondratus, Episcopus Cremonensis, Mediolanensis.

Antonius Maria Salviatus, Episcopus S. Papuli et Cameræ Apostolicæ Clericus, Romanus.

Augustinus Valerius, Episcopus Veronensis, Venetus.

Vincentius Laurus, Episcopus Montis Regalis, Nuncius ad Ducem Sabaudiæ, Calaber.

Philippus Spinola, Episcopus Nolanus, Genuensis.

Albertus Bolognettus, Episcopus Massanensis, Nuntius ad Regem Poloniæ, Bononiensis.

Matthæus Contarellus, Sanctissimi Dñi Nostri Datarius, Cenomanensis Gallus.

Scipio Lancellottus, Rotæ Auditor, Romanus.

Georgius Radzivil, Electus Vilnensis, Polonus seu Lituanus.

Simeon Talliavia de Aragona, Ducis Terræ novæ filius, Siculus.

Franciscus Sfortia de S. Flora, Romanus.

« Adhuc tamen non est mihi bene notum de eorum præcedentia et ordine. Statim a prandio vocatus a Reverendissimis Cardinalibus Sancti Sixti et Vastavillano, accessi ad Palatium, ubi in cameris prædicti Cardinalis Sancti Sixti congregati erant sex ex dictis Cardinalibus novis, videlicet Fachinettus, Castaneus, Florentinus, Salviatus, Contarellus et Lancellottus, nam reliqui absentes sunt a Curia, qui omnes erant in habitu Prælatorum, videlicet cum mantelleetis, et vestibus violaceis, ac rochettis ac suis biretis nigris, et modica interposita mora usque ad cocleas, et scalas ad instar cocleæ fabricatas omnes prædicti sex Cardinales novi una cum Cardinalibus Sancti Sixti et Vastavillano ac Duce Soræ, qui eos ducebant, ascenderunt ad cameras Papæ, ad quem prius ingressi sunt ipsi duo Cardinales Nepotes cum Duce Soræ, mox ipsi sex novi vocati, me præcedente, fecerunt triplicem reverentiam cum genuflexione ante Papam, quibus ante se uno post alium accedentibus, imposuit singulis bireta rubra, quæ sibi per Ludovicum Blanchettum secretum Cubicularium subministrabantur, dicens (ut mihi videbatur) unicuique: Accipe insigne Cardinalatus; et bireto accepto quilibet eorum osculatus fuit pedem Suæ Sanctitatis gratias agendo, et demum Fachinettus pro omnibus gratias agens professus est, omnes ipsos perpetuo tantum beneficium in ipsos collatum in memoria habituros, et quandocumque occasio præbeatur, gratum memoremque animum erga Sanctitatem Suam et Sedem Apostolicam ostensuros: qui demum habita benedictione redierunt in aliam cameram propinquam, ubi sumpserunt supra mantellos caputia, quos mozettas vocant, ejusdem coloris violacei, et inde unusquisque ad propria reversus est.

« Nos Magistri Ceremoniarum habuimus bireta nigra Dominorum Cardinalium, ut alias consuetum fuit.

« In eodem Concistorio Sanctissimus Dominus Noster verbo creavit Presbyterum Reverendissimum Dñum Antonium Cardinalem Carrafium, qui propterea dimisit Diaconiam Sanctæ Mariæ in via lata.

« Hujusmodi modus creationis Cardinalium licet non sit secundum regulas in Ceremoniali libro positas, ubi præcipitur pluribus Concistoriis promotionem tractari et concludi, tamen nostris temporibus, et proxime Prædecessorum Pontificum ita est in usu. Illud tamen bene factum fuit, ut ipsi novi Cardinales non fuerint in Concistorium vocati, ut bireta rubra ibi acciperent de manu Papæ, præsentibus omnibus Cardinalibus, prout alias sæpe observatum fuit tam ab ipso Sanctissimo Domino Nostro, quam ab aliis Prædecessoribus: id enim parum conveniт, cum ipsi Cardinales novi secundum rectas ceremonias non debeant publice a quoquam videri nec visitari, nisi private ab amicis, secreto vel noctis tempore, et sine ostentatione, donec acceperint habitum rubrum. Nec etiam hæc ceremonia tradendi eis bireta rubra sive in Concistorio sive extra, reperitur in libro Ceremoniali, et videtur superflua, ut latius in primo tomo nostrorum Diariorum discruimus. Sed et

illud præter regulas ceremoniarum, ac præter decorum et honestatem ex abusu nostrorum temporum observatur, ut vix novi Cardinales in Concistorio sint pronunciati, cum veteres ad eorum domos cursitant palam gratulantes, quod etiam utrisque valde incommodum esse, præsertim ipsis novis, experimento dignoscitur. Cum enim ex tali gradus mutatione curis plenos eos esse contingat, ac multis necessariis rebus carentes et imparatos, neque adhuc de his, quæ pertinent ad eorum gradum, instructos, necesse est eos tanta visitantium Cardinalium, Prælatorum, cæterorumque amicorum frequentia nimium defatigari, et in suis negotiis peragendis retardari et impediri; quare non sine causa statutum fuerat, ne per hos paucos dies visitarentur, nisi ut supra, cum etiam honestas et ratio postulet, ut ipsi novi prius visitent antiquos, quam ab illis visitentur, prout in eodem Ceremoniali libro cavetur. Non omisi hæc Reverendissimis Dominis Cardinalibus Sancti Sixti et Vastavillano memorare, dum ipsi novi Cardinales essent apud illos, qui tamen responderunt se idem facere velle, quod cum ipsis observatum esset tempore eorum creationis, hoc est secundum usum seu abusum prædictum novos statim visitare. Quod si eis ita placet, et me acquiescere æquum est, nec plus velle sapere quam oporteat. Cum nec abusus hujusmodi tolli possit, nisi ipsomet Summo Pontifice expresse antiquis Cardinalibus prohibente hujusmodi præproperam et immaturam visitationem; quod et ipsi Sanctissimo Domino nostro paulo post significavi, qui visus est meam sententiam approbare, arguens, cur non prius memorassem, cui respondi, mihi non licuisse prius de ea re Sanctitatem Suam monere ob improvisam creationem Cardinalium, me inscio, cum prius fere ab antiquis visitari cœpissent, quam nota esset per Urbem eorum creatio; nam prohibitio hujusmodi debuisset a Sanctitate Sua fieri Cardinalibus in ipso Consistorio, antequam divulgaretur promotio. Sed quando hac vice præmonere Sanctitatem Suam ante tempus nequiveram, posset, si sibi videretur, hæc memoriæ tenere pro alia vice, qua, Deo dante, sperabam denuo novos Cardinales publicaturam esse, super quo nihil aliud mihi respondit, quasi annuens: et sic isti novi præsentes fuerunt indistincte ab omnibus antiquis visitati absque ordine.

« Die Sabbati 17. Decembris fuit Consistorium publicum in Aula proxima Cameræ paramentorum, in quo sex Cardinales novi superius nominati habuerunt pileos rubros cum solitis ceremoniis. Summo mane dicti Cardinales novi venerunt in Sacristiam Cappellæ Palatii cum mantellis brevibus et capuciis violaceis, ac etiam subtanis violaceis, quia intra Adventum. Aliqui eorum audiverunt Missam in parva Cappella Sacristiæ, et deinde omnes simul venerunt in Cappellam magnam, et facta Altari et Cruci reverentia cum brevi oratione sederunt simul in sedili Episcoporum et Presbyterorum Cardinalium, quorum dignior erat primus versus solium Papæ, videlicet Fachinettus, secundus Castaneus, tertius Archiepiscopus Florentiæ, quartus Salviatus, quintus Contarellus, sextus et ultimus Lancellottus. Interim Cantores in eorum choro cantarunt motecta jucunda et læta; ipsi vero Cardinales expectabant, donec vocarentur; et paulo post cum præstita esset Papæ reverentia per Cardinales in Concistorio, et incepta propositio causæ per Zannettinum Advocatum, septem Cardinales, videlicet tres Diaconi et quatuor ultimi ex Presbyteris, qui aderant, surrexerunt, et factis Papæ reverentiis iverunt ad novos. Presbyteri eundo antecedebant, Diaconi sequebantur, procedentes hoc ordine bini, primo Sancti Sixti et Albanus, secundo Carrafius et Deza Presbyteri, tertio tres Diaconi simul, videlicet Medices, Vastavillanus, Gonzaga. Cum pervenerunt in Cappellam, orarunt parumper genuflexi versus Altare, deinde surgentes salutaverunt novos mutuis inclinationibus, et statim inceperunt illos ducere in Concistorium ordine converso. Nam primus, videlicet Fachinettus veniebat medius inter duos primos Diaconos, videlicet Medicem et Vastavillanum; post prodibat Castaneus a dextris Gonzagæ Diaconi; 3. Archiepiscopus Florentiæ ibat a dextris Cardinalis Carrafii Presbyteri; 4. Salviatus a dextris Dezæ Presbyteri; 5. Contarellus a dextris Sancti Sixti Presbyteri; ultimo Lancellottus a dextris Albani Presbyteri. Ingressi Concistorium et quadraturam bancorum Cardinalium, fecerunt triplicem reverentiam Papæ, videlicet in ipso aditu quadraturæ, in medio, et ante gradus Solii, prout hoc tempore est in usu, licet aliter habeatur in Ceremoniali, ut alias dixi. Interim duo primi Diaconi Cardinales Assistentes videlicet Medices et Vastavillanus cum debitis reverentiis ascenderunt ad latera Papæ, assistendo ei, alii vero Cardinales antiqui, qui comitati fuerant novos, iverunt ad loca sua; deinde eodem ordine ipsi novi Cardinales unus post alium ascenderunt ante pedes Papæ, cui osculati sunt primo pedem, deinde manum, et postremo fuerunt elevati a Papa ad osculum oris; mox factis Papæ debitis reverentiis, deducti fuerunt a dictis duobus primis Diaconis ad osculum et amplexum omnium antiquorum Cardinalium. Præibat Cardinalis de Medices, sequebantur illum ipsi sex Cardinales novi, et post ipsos Cardinalis Vastavillanus. Adeuntes ergo singulos Cardinales antiquos per ordinem in eorum sedilibus stantes, factis prius et postea mutuis reverentiis, unumquem-

que deosculabantur ab utraque parte faciei, et ultimo ipsos duos Diaconos eorum ductores. Quo facto singulos ex novis in locis sibi convenientibus inter alios Cardinales antiquos collocavimus, idest post ultimum Cardinalem Presbyterum, qui erat Carrafius. Est notandum quod Cardinalis Lancellottus, licet non esset adhuc in sacris, tamen quia intendebat brevi se ad sacros et Presbyteratus ordines promoveri, misit me ad Pontificem, ut intelligerem, an placeret Sanctitati Suæ, ut inter Presbyteros poneretur; quod feci, et Papa libenter annuit, et sic positus fuit post ultimum ex prædictis novis, qui omnes erant in ordine Presbyteratus. Postquam modicum consederunt omnes, et idem Zannettinus Advocatus prosecutus est suam causam, omnes Cardinales antiqui surrexerunt, et bini processerunt ad dictam Cappellam Sixti, præter duos Diaconos Assistentes, qui remanserunt apud Pontificem, ipsi vero novi ibant ordine converso, quia dignior ex eis, videlicet Fachinettus erat ultimo loco medius inter duos Diaconos, seu verius inter Gonzagam Diaconum a dextris et Carrafium Presbyterum a sinistris, qui supplebat loco Diaconi, cum plures Diaconi non essent; reliqui ex novis ibant a dextris Presbyterorum pariter pro Diaconis supplentium ordine proxime dicto, videlicet primo minus digni, deinde digniores, præcedentibus Ceremoniario, et Cantoribus, et hymnum Te Deum etc. cantantibus. Cum pervenerunt ad Cappellam Sixti, Cardinales omnes antiqui, factis reverentiis Altari, locaverunt se a latere Evangelii, stantes ac ipsum altare circuentes, ita ut ultimi Presbyteri et Diaconi essent in cornu Epistolæ. Novi vero procubuerunt in supremo Altaris gradu super pulvinis ibidem præparatis, et dignior ex eis erat in cornu Epistolæ, cucullis capparum supra capita eorum reductis. Statim completo hymno prædicto per Cantores, Reverendissimus Dominus Cardinalis Farnesius Sacri Collegii Decanus, stans in cornu Epistolæ, quo paulo ante cum Cardinales novi procubituri erant, accesserat, legit versiculos et orationes solitas, et statim surrexerunt omnes novi. Quibus stantibus ante altare, capite detecto, ego incepi alta voce legere litteras felicis recordationis Pii Papæ Quinti de Civitatibus et locis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non alienandis, nec infeudandis, confirmatas a Sanctissimo Domino Nostro, quas dum legerem Cardinales antiqui circumstabant capite cooperto, et quia tenor earum erat satis prolixus, acceleravi quantum potui verba, ita tamen ut distincte omnia intelligi possent, et omnibus placuit. Quibus latis, Fachinettus primus ex novis appropinquavit altari, et ex libro nostro super eo existente, quem Reverendissimus Dominus Decanus prædictus manu dextera tangebat, legit Juramentum in forma, cui in fine addita fuere hæc verba, videlicet: et observabo litteras felicis recordationis Pii Papæ Quinti, et Sanctissimi Domini Nostri Gregorii Papæ Decimitertii, de Civitatibus et locis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non alienandis, neque infeudandis, nunc lectas, et per me auditas, juxta earum tenorem. Sic me Deus adjuvet etc. Successive cæteri Cardinales novi jurarunt per hæc verba, videlicet: ego Nicolaus Cardinalis promitto et juro in omnibus et per omnia, prout in forma nunc lecta, et per me audita. Sic me Deus etc.; tangendo ambabus manibus sacra Evangelia. Quibus peractis eodem ordine reversi sunt ad Concistorium. Caudatarii eundo et redeundo sustinebant caudas capparum tam antiquorum, quam novorum Cardinalium, usquequo redirent in Concistorium, id est, usque ad aditum quadraturæ sedium Reverendissimorum Cardinalium, ibi eas relinquebant. Postquam ergo omnes Cardinales in Concistorium reversi sunt, antiqui factis debitis reverentiis Papæ, iverunt ad suas sedes; novi vero factis pariter reverentiis, junxerunt se in una linea ante infimum gradum solii Papæ, ita ut eorum dignior staret a latere Cardinalium Episcoporum et Presbyterorum. Tunc, nobis nutu significantibus, unusquisque eorum successive ascendit ante pedes Papæ, incipiendo a digniori, et genuflexit super scabello parvo, quod regulariter est ante sedem Papæ, ibique cucullo cappæ eorum capitibus per nos imposito, Pontifex unicuique eorum galerum rubeum super caput imposuit, proferens ex libro, quem tenebat Sacrista Palatii, verba solita; quo recepto unusquisque eorum iterum osculatus fuit pedem et manum Papæ, et ab eo sublatus ad osculum oris, et mox firmarunt se ad dexteram Papæ; licet ego dicerem non convenire, ut ad osculum oris sublevarentur tunc, sed sufficere, ut pedem vel manum tantum deoscularentur pro gratiarum actione, prout a prædecessoribus meis Ceremoniarum Magistris annotatum videram; sed Ludovicus Collega attestatus est suo tempore fuisse observatum ut supra, et male, prout etiam Cardinalis Decanus et alii antiqui dixerunt, approbantes meam opinionem. Post hæc impositus est finis Concistorio, et Pontifex cum Cardinalibus rediit ad cameras.

« Supradictæ litteræ Sanctissimi Domini Nostri et Pii Papæ Quinti de Civitatibus et locis etc. non alienandis, nunc primum fuerunt prædicta forma lectæ, et juratæ ita expresse, eodem Sanctissimo Domino Nostro jubente, qui etiam voluisset, ut legerentur a priore novorum Cardinalium. Qua de re cum pridie me Sanctitas Sua vocari fecisset, conatus fui ei persuadere, ne eo in loco legerentur ob nimiam eorum prolixitatem, quia necesse fuisset Sanctitatem Suam nimium et indecenter in Concistorio ex-

pectare, ut evenit: attamen sic voluit, et ægre impetravi, ut litteræ per me vel alium legerentur, ipsis novis et antiquis Cardinalibus audientibus, cum dicerem ipsos Cardinales tardius fortasse, neque adeo intelligibili voce fuisse lecturos. Cardinalibus autem antiquis non admodum probatus fuit hujusmodi novus ritus, tum ob incommoditatem quam sufferunt stantes, dum litteræ leguntur, tum quia, ut dixi, indecorum videtur, ut Pontifex solus cum duobus Diaconis tamdiu expectet in Concistorio sine ulla actione, cum interim Advocatus suam propositionem perfecerit, nec esset alius qui proponeret, adeo ut remanserit Concistorium in silentio et sine actione. Credidissem satis huic rei factum fore (prout etiam eidem Sanctissimo proposui), si dictæ litteræ pridie ante per nos ad domum cujuscunque Cardinalis novi delatæ fuissent, et ab eis lectæ de verbo ad verbum, et demum ipso die Concistorii publici cum præstant juramentum solitum, jurarent observare etiam ipsas litteras, quas affirmarent vidisse, ac mature et considerate legisse. Sed Papæ sic placuit: ideo acquiescere oportuit.

Perquam raro evenit sane, ut Pontifex quisquam sicuti Gregorius uno duntaxat Concistorio tam multos præstantes quidem viros, sive respicias eorum res præclare gestas, sive pietatem, sive doctrinam, sacro Ecclesiæ Senatui adscripserit. Memorare sufficiat ex his quatuor, Castaneum nimirum, Sfondratum, Fachinettum et Medicæum, qui non ita longo annorum cursu eidem Gregorio in divi Petri cathedra sub nomine Urbani VII., Gregorii XIV., Innocentii IX., et Leonis XI. successerunt. Quid tandem dicendum de Roderico de Castro, de Francisco Jusio, de Autouio Maria Salviato, de Augustino Valerio, de Vincentio Laureo, de Alberto Bolognetto, ac denique de Georgio Radzivilio, qui præclarissimi viri amplam quantumvis laudem superant?



I. — Civilium discordiarum flammas in Coloniensi ditione ne quis putet restinctas; imo vero eæ tum maxime ardebant. Nefarius enim apostata ille Truchsessius, cum adhuc munita quædam loca in sua potestate haberet, a rebus permiscendis, excitandisque animis non abstinebat: apparebat igitur rem armis esse conficiendam. Cumque in id pecunia opus esset, Bavariæ Dux ad Pontificem confugit, ut Ernesto Coloniensi Archiepiscopo, fratri suo, subsidii quiddam elargiatur, quo contra Truchsessium ejusque factionem se atque Ecclesiam Coloniensem tueretur. Quibus precibus obsecutus est Gregorius. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An XII ep. 97. f. 323.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Bavariæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Vidimus libentissime dilectum filium Joannem Bravitium, fueruntque literæ Nobilitatis Tuæ, et ejus sermo Nobis gratissimus de tua præstanti pietate, et zelo in rebus Ecclesiæ Coloniensis, et Archiepiscopi fratris tui tuendis, in quo non dubitamus divinam opem affuturam esse suæ causæ et virtuti tuæ, Archiepiscopique laboribus. Mittimus Nobilitati Tuæ per eundem Bravitium florenorum vigintiquinque millia; tantum enim in maximis angustiis ac difficultatibus Sedis Apostolicæ conficere potuimus. Habebis hinc testimonium nostræ paternæ voluntatis et charitatis, tametsi non dubitamus, eam Tuæ Nobilitati abunde perspectam esse. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Januarii MDLXXXIV. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

II. — Nemine omnium, quorum interesset, Coloniensem causam sustinente, non exiguum quidem subsidium a Gregorio profectum, Bavariæ Duci est visum: qui totus inde est et suo et fratris Archiepiscopi nomine in agendis Pontifici gratiis, eumque orat, ut quoniam diuturnum fore bellum videatur, liberalitatis suæ ne pœniteat unquam: se scilicet suis opibus tantum, si conniti vellet, nihil efficere posse, nisi domum suam prorsus perditum iret, quam nuperrime nato auctam quinto filio scribit. [*]

[*] Germania Vol 20. fol 120.

Beatissimo in Christo Patri Domino Domino Gregorio XIII. S. Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Benignissimo.

« Beatissime in Christo Pater ac Domine Clementissime. Humillimam commendationem et oblationem paratissimorum obsequiorum meorum, cum beatissimorum pedum osculo devoto. Quamvis Sanctitati Vestræ meo nomine gratiæ fuerint actæ, quod ad bellum nostrum (vel potius Dei et S. V.) iterum suum auxilium cum 25. mille florenis præstitit, non possum tamen omittere, quin hoc ipse quoque repetam per literas meas humillimas: ago igitur Sanctitati Vtæ tam fratris Electi, quam meo nomine gratias maximas et immortales, Deum devotissime rogans, ut Sanctitati Vestræ abundanter reddat, nobisque fratribus gratiam largiatur, ad tanta beneficia promerenda. Atque utinam non opus esset Sanctitatem Vestram toties molesta-

re! Sed ita res sunt qualificatæ, ut magnis et diuturnis auxiliis omnino necesse habeant, quibus ego profecto, sicuti hucusque, ita multo minus imposterum solus non sum sufficiens: neque forsan teneor me et meas propter bellum illud ruinare ex toto; imo minime potuissem tantum onus hucusque solus portare, si Sanctitas Vestra nos non ita paterne et benigne juvasset: alii enim etiamsi periculum vident et tenentur juvare, nihil plane faciunt, aut tam parum, ut nil promoveant, quod valde est dolendum. Vellem libenter omnia et plura, si possem facere; frater Electus neminem habet post Sanctitatem Vestram quam me, ad quem confugiat. Ut igitur subvenire possem longius ac fortius, necessitas me compulit aliquid cogitare et proponere, quod ultimum refugium, de quo Sanctitati Vestræ ex meis precibus proponet amplius Reverendissimus et Illm̃us Cardinalis Madrutius, Dñus et amicus mihi charissimus: et rogo Vestram Sanctitatem per quam humilime, ut cum in hoc tam clementer et paterne audiat, ac si ipse (et utinam) adessem in propria persona, suamque paternam gratiam et benignitatem in tanta necessitate non deneget: grati erimus frater et ego per totam vitam, et Deus Clementissimus hic et in altero sæculo misericorditer restituet. Commendo simul me, uxorem et liberos, quorum Deus mihi hoc mane jam quintum filium dedit, meaque omnia S. V. eique omnem fœlicitatem precor humilime. Datum in Civitate mea Monachio 10. die Aprilis anno 1584.

Sanctitatis Vestræ

Humill. et obedientiss. filius
Guilhelmus D.

Tametsi Truchsessianorum copiæ a Ferdinando, altero Ducis Bavariæ fratre, fusæ per eos dies fuerant, ut earum caput Henricus Brunsvicensis in ejus manus venerit: tamen adhuc Truchsessius non tantum Germaniæ Principum gratia, sed et externis opibus pollebat plurimum. Quare Dux Bavariæ secum reputans, quam pia ac justa arma sibi suisque causa Coloniensis induisset, ad exercitus alendos, quæque in usum ejus belli essent, comparanda, ne suppellectili quidem domus suæ perpercit. Itaque cum bellum in dies magis urgeret, et non solum Coloniensi, sed universæ Germanicæ Ecclesiæ, quam celeriter fieri posset, illud confici valde expediret, per Cardinalem Comensem iterum obsecravit obtestatusque est Pontificem, ut alias saltem mutuas dare sibi pecunias vellet, suis rebus Sedi Apostolicæ obligatis. Vide hanc rem fusius explicatam in ejus ad Cardinalem Comensem litteris. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 118.

Reverendissime in Christo Pater et Illm̃e Domine, Amice Honorandissime.

« Salutem et promptissima gratificandi studia. Non impudentis, non ingrati hoc dici potest, quod jam quærimus apud S̃m̃um Dominum Nostrum Summum Pontificem, ultra ea quæ pro tuenda Ecclesia Coloniensi, ipsaque Religione Catholica clargitus est, liberalissima subsidia. Nec enim hic donari desideramus, sed mutuo saltem dari, ad fratris dilectissimi, Electi Archiepiscopi necessitates consolandas ac sustinendas; idque nobis ipsis, ad fidem et securitatem nostram non verbis solummodo litterisque obligatoriis, sed pignore etiam ultra mutui precium præstandam et firmandam. Quod quidem quantum sit necessitatis summæ argumentum, et quam sincere cautum cupiamus Sanctæ Sedi, ex ipsa charioris suppellectilis distensione deprælienditur satis clare. Cui ut parceretur, magnæ etiam difficultates hucusque permiserunt. At præsens hæc, quæ non tam Coloniensis Ecclesiæ, quam totius Catholicæ religionis est, calamitas, ac illud quod cum fratris dilectissimi saluti, tum universæ familiæ nostræ dignitati incumbit periculum, ut ne parceretur amplius, apud nos effecerunt; utpote omni alia quæ inferri potuisset fortuna, longe majora et graviora. Nec enim sedati sunt isti motus, non fractus hostis omnino, quamvis superioribus diebus non postrema ejus manus, Eitel Henrico Brennsvicensi ductore, cum dilectissimi fratris Ferdinandi levioribus copiis congressa, fusa sit, ipseque Brennsvicensis captus. Non pacata Provincia: nam in Westphalia Arenspergum et alia, in Comitatu Reckhlinchausen magna pars, et in superioribus Coloniensis Ecclesiæ partibus Berga et Urdingum, se in apostatæ observantia continent. Igitur cum ad ea recuperanda, quam continendam in fide Provinciam, milite adhuc opus est alacri, certo et diuturno. Quali ut non destituatur frater tempore tam necessario, una præsentis pecuniæ vis ingens præstiterit. Atque ejus procurandæ et impetrandæ cum in Germania, vel suis propriis difficultatibus colluctante, vel quod Catholicæ religioni Sanctæque Sedis Apostolicæ dignitati tanto cum animo adsumus, aversa palam a nostris partibus, nulla penitus occasio aut spes alluceseat, ad hanc sancti hujus negotii anchoram sanctam confugiendum nobis fuit, expectatione optima plenis, non desertum iri hanc nostram juvandarum maximarum rerum cupiditate flagrantem promptitudinem. Quæ sane quo juvabitur alacrius tempestiveque magis, eo citius belli hujus finem sperare licebit, quod non potest nisi summo cum discrimine in longum protrahi. Restant equidem ad ea, quæ hucusque gesta sunt, longe difficillima et gravissima. Nam præter domesticas in Imperio factiones, quibus se munire contendit apostata, externorum quoque auxiliorum fiducia non destituitur. Pergit machinando turbandoque Sathan ex omni parte, ut ne quiescat Germania. Nec sufficit hic rebellium Belgarum malitia; Galli

quoque hæretici in armorum ac seditionum societatem instigant; quod ex adjunctis Regis Navarri litteris, quæ insolenter apud protestantes Germaniæ status extolluntur, depræhendere licet. Unde cum graves sint aut saltem minaces Catholicis adversæ religionis Principes, sequutum est hucusque, quod nulla illorum auxilia obtineri potuerint. Etsi enim iis, qui tam ex religionis, quam æquitatis studio fratris dilectissimi partibus merito accederent, aperte bellum non indicitur; ita tamen subirate et minaciter ad ipsos scribitur, et respondetur subinde, ut quæ in mente lateant consilia, satis manifeste appareat omnibus; sic ut nec animum aut consilium, neque manum auxiliumve explicare audeant. Interim nos sumus soli, ex quibus petitur consolatio, quod ipsum etiam tam grave non accideret, si modo tantis oneribus pares esse possemus. Nec enim solitudo ista nos frangit, sed vires desunt. Quas ut recipiamus majores ex præsenti et efficaci Sanctissimi Domini Nostri consolatione opeque benignissima, Vestra juvare et efficere potest Rña et Illña Dominatio, quam ut ne hoc nolit, sed libenter potius in se suscipiat et promoveat, remque hanc omnem secretissime haberi curet, quibus possumus ab ea precibus ac studiis contendimus et rogamus, omnia vicissim offerentes, quæ gratitudinis et amicitiæ perpetuæ officia esse queant. Deus benignissimus eamdem ad multam fœlicitatem provehat et conservet diu florentem. Datum in Civitate nostra Monachio x. die Aprilis anno salutis humanæ reparationis MDLXXXIV.

Guilelmus Dei gratia Comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ Dux.
Guilhelmus. D. mpp.

III. — Bonnense tandem oppidum ditionis Coloniensis munitissimum, in quo constare summa hujus belli haud perperam videbatur, post diuturnam obsidionem mense Januario, Trochsessio profligato et expulso, in Ernesti Archiepiscopi potestatem venit. [*] En ejus de illa victoria litteras. [*]

[*] M. ab Isselt De bello Coloniensi pag. 435-443.
[*] Colonia Vol. I. f. 51.

Sanctissimo Domino Nostro.

Bñe Pater, post pedum oscula beatorum.

« Cum placuerit Altissimo, ut tandem per deditionem in potestatem meam veneril oppidum Bonuense, in quo sicut semper hujus belli summam constitui, ita quæ adhuc debellanda restant, eadem divina favente gratia fœliciter ad finem progressura confido: omittendum mihi non est, quin Sanctitatem Vestram de hac victoria certiorem facerem: tum quod ipsam ex ea propter publicum et privatum meum bonum lætitiam singularem concepturam scio; tum quia ipsi ob auxilia, in hoc bello ab ipsa mihi præstita, eamdem victoriam magna ex parte debeo: ac proinde quicquid mihi ex ea accessit, gratissimo animo Sanctitati Vtæ deferens, suppliciter ipsam oro, ut mihi ad reliquas hujus belli difficultates superandas benignam suam subventionem continuare, ac Deum Optimum Maximum, ut eamdem Sanctitatem Vestram ad Sanctissimi nominis sui gloriam, et Ecclesiæ suæ consolationem longævam et incolumem servare dignetur. Datum Bonnæ octava Februarii 1584.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimus et humill. filius
Ernestus Electus Coloniensis.

Castro Bedburgii (Bedber) valde opportuno vel ad defendendum vel ad inferendum bellum recuperato, idem in Vestphaliam ad reliquas hostium copias persequendas exercitum traducturus, Pontificem etiam atque etiam orat, ut quam mature fieri possit, angustis suis rebus subsidium mittat. [*]

[*] Colonia Vol. I. fol. 54.

Sanctissimo Domino Nostro.

Bñe Pater, post pedum oscula beatorum.

« Post deditionem oppidi Bonnensis, de qua Sanctitatem Vram litteris meis certiorem feci, secuta est occupatio Bedber ab exercitu meo expugnati, et deditio Arcis ejusdem oppidi non minore sane Dei beneficio, quam ipsius oppidi Bonnensis victoria. Utrumque enim commeatu et apparatu militari abunde instructum, et firmissimo præsidio munitum erat, ita ut exercitus meus in obsidione non levem inde cladem acceperit. Erat locus ille vehementer infestus et damnosus toti tractui ditionis hujus Coloniensis Cisrheuanæ; ex eo enim omne eum vicinis ditionibus commercium, et agricultura circumquaque per excursiones et latrocinia hostium turbabatur. Visum nunc est, ut exercitus in Westphaliam traducatur, ad turbandos illic hostis conatus, ne vires quas apparat, colligere et conjungere possit, in quo quidem hujus belli summa consistit; sed quoniam exercitui meo jam longo tempore stipendia debeutur, et ea sit conditio soli Westphaliei jam præsertim ab hoste penitus devastati et exhausti, ut ibi miles sine pecunia subsistere nequeat, ne exercitus meus præ egestate et inopia institutum deserere cogatur, unde omnis, quod Deus avertat, parta antehac victoria facile corrueret, Sanctitati Vestræ supplico, ut sollicitudines, curas et labores meos assiduos benigna subventionis suæ continuatione sustentare, et sublevare dignetur, qua hostis in angustias jam redactus penitus confundi et opprimi queat. Pater Sancte, Beatitudo Vra plurimis et amplissimis Pontificatum suum meritis illustravit; ceterum hoc præ reliquis ereptæ et conservatæ a Catholicæ fidei hoste Ecclesiæ ac Provinciæ Coloniensis beneficium, memoriam ejus sacrosanctam et immortalem reddet. Deum Optimum Maximum supplex oro, ut San-

ctitatem Vestram Ecclesiæ suæ diu superstitem conservet. Datum Bonnæ 16. Martii 1584.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus ac obedientiss. filius
ERNESTUS ELECTUS COLONIENSIS.

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII. ep. 116. f. 349.

Hæc ad eum Gregorius gratulandi causa. [*]

Venerabili Fratri Ernesto Archiepiscopo Coloniensi, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Nunquam dubitavimus, causam Catholicæ Religionis Ecclesiæque suæ fore Deo quam commendatissimam; sed verebamur, ne crimina ipsa efficerent, ut suos isthic diutius affligi vellet: cognita autem Bonnæ recuperatione, in qua, ut scribis, totius belli summa consistebat, egimus gratias Divinæ bonitati; speramusque brevi fore, ut quæ restant, optatissimum eventum habeant, liceatque Fraternitati Tuæ depravata restituere, omnibusque in rebus summa cum tranquillitate Dei gloriæ inservire, quod quidem Divinam bonitatem precari non desistimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima Martii MDLXXXIIII. Pont. Nostri anno duodecimo.

IV. — Truchsessii viribus Bonna amissa prope fractis, nihil alind ei restabat, nisi ut vel bellum reliquum, cujus tamen incertus esset exitus, persequeretur, vel ditionem Coloniensem ultro Ernesto cederet, seque Principis Electoris dignitate exueret. Ast Principes Protestantes Germaniæ, quorum plerique a Truchsessio stabant, ejus casum ægre admodum ferentes, in id valde incubuerunt, ut eum in dignitate Electorali retinenda, quibuscunque modis possent, adjuvarent. Res hæc disceptata diu ut amice quodammodo Catholicos inter et Protestantes componeretur, conventus Principum Imperii mense Aprili Rottenburgii, quod est oppidulum in ditione Ducis Virtembergensis, habitus est. Acriter ibi utrinque certatum: Catholici, quorum primas Archiepiscopus Trevirensis unus ex septem S. R. I. Electoribus, partes egit, suffulti Imperii constitutionibus contendebant, Truchsessium juribus omnibus atque insignibus tam Archiepiscopatus, quam dignitatis Electoralis sese abdicare oportere; si secus faceret, veluti hostem habendum, in eumque vindicandum. Ernestum autem unanimi Coloniensium consensu electum Archiepiscopum, legitimum S. R. I. Principem Electorem a Cæsare reliquisque Germaniæ Principibus sine ulla mora habendum ac renunciandum esse. Protestantes Principes Catholicorum constantia, quæ gravissimis nitebatur rationibus, si minus permoti, victi tamen, aliam viam ad rem transigendam inierunt. Postulabant enim, ut Truchsessius, certa pecunia accepta fidem daret, omnibus se juribus et dignitatibus cessurum. Hanc vero rei componendæ rationem Catholici omnino rejecerunt, quippe in ea doli quidpiam latere sunt suspicati. Ex hac enim fiebat, ut vis aliquando omnis illarum Imperii constitutionum infirmaretur, nec unquam postea ad jura et commoda Ecclesiæ tuenda uti iisdem possent.

Verum cum Protestantes in eo conventu nihil ad sua vota assequerentur, nulla re confecta, Principes abeunt. Legesis quæ de eo Archiepiscopus Trevirensis Episcopo Vercellensi Apostolico ad Cæsarem Nuntio scripsit, ubi plura reperies, quæ ostendunt, quam juverit ad Catholicam religionem in Germania servandam vetus illa a Carolo Magno Sacri Romani Imperii institutio. [*]

[*] Germania Vol. 63. fol. 138.

Illustrissime et Reverendissime Dñe, Domine Colendissime.

« Illustrissimæ et Reverendissimæ Dominationis Vræ literas, Pragæ 16. Calendas Maji datas, recte, uti res modo postulat, inscriptas et signatas, hodie accepi: et libenter intellexi, priores meas cum notis adjunctis ad manus suas pervenisse; de eo enim multum dubitare inceperam, sicuti Illustrissima Vestra Dominatio videbit ex proximis meis literis, ex Cancellaria Bavarica ad Illñam et Rñam Vestram Dominationem perferendas transmissis, ex quibus difficultatem scribendi vel mittendi potius literas percipiet. Adjecta cedula continet eum articulum in Constitutione pacatæ Religionis (quam Religionsfride vulgariter dicimus), super quo totam hanc actionem Coloniensem Catholici contra eos, qui Augustanam Confessionem sequuntur, politice conferendo, et hac vice fundandam esse censuerunt: nempe quod Truchsessius mutando religionem, Archiepiscopatum quoque statim relinquere debuisset; quod cum non fecerit, in hanc Constitutionem Imperii et fœdera Ordinum graviter deliquerit; cum uti fœdifragum et Imperii rebellem, in Bannum Imperiale declarandum cum suis asseclis, et uti talem puniendum esse censuerunt; quibus postea privata delicta et perjuria accumulata fuere. Hi vero qui Augustanam Confessionem profitentur, aliqua contra hunc Constitutionis articulum, quare subsistere non posset, neque Truchsessium ligaret, protulerunt: quibus, uti existimo, inconvincibilibus rationibus, argumentis et demonstrationibus ad satietatem responsum fuit. Aliam postea ingressi sunt viam, qua nobis persuadere conabantur, seorsim jam ponendum esse istum Constitutionis articulum, et compositionem amicabilem inter partes tentandam esse; nempe ut Truchsessius sua sponte, aliqua pecunia accepta, Archiepiscopatui sese abdicaret: hac via pacem melius constitui, stabiliri, et incommoda alia evitari posse. Catholici

vero, cum hanc viam, quamvis satis honesta appareret, variis tamen periculis obnoxiam esse putarent, nempe quod articulus ille Constitutionis ab adversariis antea in dubium vocatus, hac vero ratione jam omnino præteritus, in posterum tanquam a Catholicis etiam neglectus, nullius esse roboris, argui, et gravioribus periculis subjici posset; Catholici, multis persuasionibus et coloribus ab aliis adductis, sese tamen nullo modo a sua sententia divelli passi sunt. Postea eo deventum fuit, quod Confessionistæ multam spem aperiebant, si rejecto judicio privationis et depositionis, per Vestram Illmam et Reverendissimam Dominationem nomine et jussu Sanctissimi Domini Nostri facto, se non imparatos fore, communi consilio ipsum Truchsessium deponere, Ernestum vero stabilire, pro Archiepiscopo et Principe Electore agnoscere et admittere, cum ex Constitutione Caroli IV. quam auream Bullam vocamus, Electores judicio tantum Cæsaris et Electorum, non Papæ deponendi veniunt, neque ullo modo sese consentire et ferre posse, ut Summi Pontificis auctoritas et jurisdictio super Principatibus Imperii potestatem sibi vendicet. Potuisset certe Illustrissima et Reverendissima Vestra Dominatio auribus suis gratissima audire, si præsens fuisset, quæ longa oratione dicta et responsa fuere, quomodo propter religionem hanc Catholicam, quam ipsi Papisticam vocant, et Sanctam Sedem Apostolicam fideliter et strenue defensam, Imperium Romanum auctoritate Pontificum ad Germanos in persona Caroli Magni translatum fuisset; ita ut necessario, nolint velint, confiteri cogerentur, aut Germanos hactenus falso et perperam Imperii Romani dignitatem et titulum usurpasse, aut beneficio Pontificum Romanorum accepisse, et hactenus tenuisse. Deinde quod Carolus Magnus multis Episcopatibus erectis et fundatis, Principatus quoque Imperii eos constituisset, Imperium æque bene, et magis super Archiepiscopatibus, Episcopatibus et Prælaturis, quam sæcularibus Principatibus fundasset et constituisset: propterea quod sæcularibus plerumque ita fuissent suæ ditiones assignatæ, ut eas, vel bonam earum partem, ab Ecclesiasticis in feudum reciperent, et Ecclesiasticis juramentis in stabilimentum Religionis Catholicæ arctius constringerentur; Ecclesiasticis vero suas ditiones ab omni obligatione liberas relinquere. Deinde quomodo succrescente Religione Imperium quoque ad summam potentiam et gloriam, ut omnibus aliis nationibus terrori, evectum fuerit: quomodo deinde etiam in hominum memoria, Religione mutata, Imperium quoque languescere, ejus auctoritas evanescere cœperit, et jam attritum ruinam præsentem minitetur, omnibus potentatibus diripiendum, et ludibrio expositum sit, et justæ Dei sententiæ, Regnum in se divisum desolabitur, subjaceat.

« Ultimo, quæ Jurisdictionem Summi Pontificis concernant, nulla verba jam esse facienda: dictum est, quantum Jurisdictio Summi Pontificis super Principatus sæculares, maxime iis qui Augustanam confessionem sequuntur, competet; sed de hoc casu Coloniensi dicendum esse saltem aliquid, quod ad rem pertineat, et evitari non possit. Nempe quod Catholici in Germania, et alii Summum Pontificem semper pro suo et Ecclesiæ capite, et Religionis Catholicæ custode in terris agnoverint et coluerint, adhuc agnoscant et colant, neque se unquam passuros ab hoc suo capite segregari, sine quo Catholici Christiani esse non possent: sed capite avulso, in varias sectas dissecari eos oporteret, quemadmodum et ipsis horribilia exempla ob oculis versarentur, multo minus posse eos jurisdictionem Pontificis abjicere, et adversariis suis super Prælaturas concedere, cum non obscurum sit, quale judicium essent reportaturi. Sine controversia Summos Pontifices semper super Prælaturis cognovisse; electionem enim Capitulorum non facere Episcopum, vel Principem, neque quicquam aliud, quam præsentationem operari; Pontificem vero præsentatum, cognita causa, vel rejicere, vel ei Episcopatum providere, quod vulgo Confirmationem dicimus. Deinde per Constitutionem pacatæ Religionis Pontifici suum jus non ademptum, sed potius confirmatum fuisse, et posse multa exempla enumerari, ubi a Pontificibus Archiepiscopi Moguntini, Treverenses et Colonienses, et alii fuerint privati et depositi, eoque etiam modo ab Electoratu cecidisse, cum Archiepiscopatus sit substantiale, et Electoratus accessorium seu accidens, quod sine subjecto consistere non possit; neque posse Imperatorem Electorem per concessionem Regalium creare, nisi prius a Pontifice Archiepiscopus factus sit. Sic quoque nec in hodiernum usque diem Imperatorem vel Judicium Cameræ Imperialis sibi auctoritatem, vel jurisdictionem super Archiepiscopatibus, Episcopatibus sumpsisse; sic enim fieri solere, quod Principi sæculari præcipitur sub pœna Banni Imperialis, ubi et corpus, et fortunæ omnes totis et omnibus periculis subjiciuntur, et cuilibet nocendi libera sit potestas; Ecclesiasticis vero Principibus præcipitur tantum sub pœna privationis Regalium et sæcularitatis, quæ etiamsi per Imperatorem ab eo auferuntur, ipse tamen maneat Archiepiscopus vel Episcopus, et ab Imperatore, donec reconcilietur, administratorem sæcularitatis constitui posse; non enim valet Imperator ei hoc auferre, quod ei non dedit. Quapropter nullo modo fieri posse, quod Catholici judicium privationis de Truchsessio factum impugnare, vel contemnere velint; sed

quia jam dignitate Ecclesiastica a suo Judice privatus, Jurisdictioni sæculari Imperatoris subjectus sit, aliter eos facere non posse, nec debere, nisi quod Imperatorem implorent pro administratione justitiæ et executione Constitutionum Imperii.

« Cum igitur ab hac sententia sese nunquam dimoveri velle, nec posse Catholici aliquoties contestati fuissent, alii hæc omnia suis Principibus sese relaturos esse dixerunt, et Catholicos, quo per dies 14. resolutiones eorum expectare velint, rogaverunt, quod eis negari non potuit; interim omnia quiescunt. Datæ ultima Aprilis anno 1584.

Haud parvi momenti sunt, quæ Cancellarius Archiepiscopi Trevirensis de rebus in eo, cui interfuit, conventu actis eidem Vercellensi Præsuli significavit; ubi etiam circa Calendarii receptionem, quid adhuc apud cives Augustanos ambigeretur, exposuit. [*]

[*] Germania Vol. 68. fol. 217.

Illustrissime et Reverendissime Domine, Domine Colendissime.

« Sollicitus eram valde, ne prolixiores meæ literæ ultima Aprilis scriptæ naufragium passæ essent, sed jam omni metu me Illustrissimæ et Reverendissimæ Dominationis Vtræ literæ pridie Idus Maji scriptæ liberaverunt; interim vero nihil, quod scriptu dignum existimavi, contigit, quieverunt per mensem actiones nostræ; in proximo vero conventu ab aliis nihil aliud allatum, nisi quod priores querelæ et expostulationes contra Sedem Apostolicam verbis tantum mutatis repetitæ fuere. Truchsessii flagitia nobiscum sese execrari simulant, et eum auctoritate Cæsaris et Ordinum omnino repellendum promittere videbantur, si Summi Pontificis auctoritate abrogata, hujusmodi in futurum Episcopatuum causæ Cæsari, et Ordinibus Imperii decidendæ concrederentur. Sed graviter denuo, et erectis animis a nostris omnibus ipsis fuit responsum, et argumenta eorum subversa a priori sententia, etiamsi quæcumque nobis essent sustinenda pericula nos accedere, ne ad capilli latitudinem nec posse, nec velle intrepide declaratum fuit, et sic iterum diversæ sententiæ, cum et ipsi suis prioribus opinionibus inhærerent, Commissariis Cæsaris relatæ fuere. Ad Cæsaream tandem Majestatem res iterum remittitur, et a S. Majestatis Commissariis ab omnibus impetratum est, quod usque ad 27. diem mensis Junii iterum huc convenire, et Suæ Majestatis animi motum expectare velimus. Est autem Sua Majestas, uti magnitudo rei postulat, de omnibus diligenter jam monita, ut nihil nobis ex ea parte, mea opinione, metuendum sit.

« Indignam certe rem esse existimarem, tantam commoditatem non vigilantia et solertia nostra quæsitam, sed mirabili Dei benignitate ex cœlis dimissam, jam primum in dubium vocare velle, nil adversariorum arbitrio subjicere, cum ipsimet videant Dominum Deum Vicarii sui sententiam potenti manu exequi.

« De Calendario nihil actum est, altera causa, cujus Illustrissima et Reverendissima Vestra Dominatio mentionem facit, deducta quidem, sed a nostris intacta, propter graves causas mansit, et ad Cæsarem remissa est.

« Cives Augustani, qui novam Religionem sequuntur, contra Senatum Civitatis Augustæ mandatum Spiræ in Camera Imperiali impetraverunt, quo Senatui præcipiebatur, ne novo Calendario cives turbarent; sed ad exceptiones et defensiones a Senatu propositas dictum mandatum 23. hujus solemni Judicii Cameræ decreto cassatum, et iterum sublatum est, civibus impetrantibus in expensis condemnatis, quod aliquibus valde displicet.

« Bona spes nobis nuper facta est, quod Archiepiscopus Ernestus brevi duo adhuc sui Archiepiscopatus Coloniensis residua oppida, Berg et Ordingen, in potestatem suam sit recepturus.

« Ego donec constitutus terminus veniat, huc Monachium me contuli, ut hac opportunitate non mediocria quædam negocia cum Illmo et pientissimo Principe tractare possim. His denuo me Illustrissimæ et Reverendissimæ Dominationi Vestræ submisse commendo. Datæ Monaci 6. Maji 1584.

Neque vero minoris facienda sunt, quæ Bavarorum Dux eidem Nuntio retulit de Protestantium in eo conventu contentione, ut tanta Romani Pontificis auctoritas labefactaretur; deque incredibili Catholicorum vi atque animo in eorum argumentis refellendis. Innuit et de Navarræ Regis molitionibus. [*]

[*] Germania Vol. 88. fol. 191.

Reverendissime in Christo Pater ac Domine Amice Honorande.

« Accepimus ex litteris magni cujusdam viri Rotemburgo ad nos scriptis, Saxones, Brandeburgicos et Wirtembergenses Legatos, posteaquam ad Principes suos de iis, quæ acta fuerant, scripsissent, dum responsa expectabant, nihil non tentasse, quod ad evertendam privationis sententiam facere ullo modo videretur, non incommoda solum, quæ ex tanta Summi Pontificis in Imperio authoritate sequerentur, sed quæ antiquis Imperatoribus jamdudum obvenerint, damna recensentes, mirificeque exaggerantes; sed responsum illis fuisse scribitur tam alacriter, historiamque historia, argumentum argumento tam docte elisum, ut nihil illi prorsus quod opponerent, habuerint ulterios.

« Duodecima hujus dicebantur responsa expectata advenisse, quæ tamen quod præ se ferre Legati illi videbantur, a Catholicorum sententia diversa futura essent; ea vero tum intelligi non potuisse, quod Moguntini nondum rediissent, qui tamen in dies expectabantur.

« Trevirenses animos suos jam obfirmarunt, neque Coloniensi authores unquam futuri sunt, ut quicquam statuat, aut tractationi ulli locum præbeat, donec a sæcularibus Electoribus æque atque a duobus Ecclesiasticis in collegium et confraternitatem Electorum assumatur. Id enim ni fiat, ipsos secessuros cum protestationibus, quæ ad rem facere videbuntur.

« Quæ ex aula Imperatoris literæ veniunt, pacem multis argumentis persuadere atque inculcare velle dicuntur; sed responsum illis tam a Geilio, quam aliis est solide atque apposite.

« Dicitur Saxo cum Brandeburgico et Julio Brunswicensi conventum habiturus, cujus adhuc causa ignoratur; conjiciunt autem Legati Saxonici, de Navarræi Legati petitionibus tractationem futuram.

« Casimirus manibus laborat et pedibus, ut in Collegium Electoris adscisci possit; sed constitutum nondum quicquam est.

« Atque hæc quidem sunt quæ de Rotemburgicis scribi in præsens possunt; quæ in dies significabuntur, Reverendissimæ Paternitati Vræ in dies quoque communicabimus, quam salvam incolumemque corpore et animo Deus Optimus Maximus conservet. Datum in Civitate nostra Monachio 23 Maji anno 1584.

V. — Quibus ex causis factum, ut Principes Protestantes in propugnanda Truchsessii causa in dies remissiores fierent; inclinare animi ad rem ex sententia Catholicorum componendam tum demum viderentur. Ex Electoribus Protestantibus moderatiorem se præbuit Saxoniæ Dux, qui a Rottemburgensi conventu Moguntiam cum se contulisset, ejus urbis Archiepiscopo itemque S. R. I. Electore suadente, cum Archiepiscopo Trevirensi convenit de Ernesto Coloniensi Archiepiscopo in Collegium Electorale recipiendo. Uterque porro sperabant, ipsum quoque Joannem Casimirum Brandeburgensem, eumdemque Electorem, in eam sententiam per Ducem Saxoniæ adduci posse. Ita ipse Trevirensis ad Nuntium Apostolicum: cui etiam de Aquisgranensium causa, deque Bulla in Cœna Domini apud suos promulgata refert. [*]

[*] Germania Vol. 62. fol. 330.

Reverendissime et Illustrissime Domine et Amice Colendissime.

« Valetudinis causa jam antea ad Spadanos fontes acidulos in territorio Leodiensi nos conferre cupientes, occasionem vero cum Illustrissimo Duce Saxoniæ Principe Electore et confratre nostro, dum Moguntiæ commoraretur, de rebus seriis et gravissimis agendi, oblatam minime negligere voluimus: quibus negotiis satis fœliciter, per benignitatem Dei expeditis, nos huc contulimus, et aquarum harum toto fere orbe celebrium salubritatem, quantum adhuc judicare possumus, non inanem commendationem experimur: ubi nobis binæ Reverendissimæ Vestræ Dominationis literæ, ambæ Pragæ vi. Calendas et Nonis Quintilis conscriptæ, simul traditæ fuere, in quibus certe Reverendissima Vestra Dominatio nostram tenuitatem ita extollit, uti ea a nimio in nos concepto amore impelli videtur, hoc nobis sufficere merito debet, quod pro exiguo nobis commisso talento, Domino Deo, et Ecclesiæ suæ, tantum quantum in nostra est potestate, lucrum libenter facere vellemus. Ea fide qua Reverendissimæ Vestræ Dominationi obstrictos nos esse profitemur, eandem certiorem reddere voluimus, Illmum Electorem Saxoniæ, Moguntiæ, Archiepiscopi Moguntini, et nostris persuasionibus tandem in Illustrissimum et Revmum Ernestum Electorem Coloniensem in unionem, confraternitatem et Collegium Electorum assumendum consensisse, et nobis nomine Collegii eum recipiendi factam esse potestatem, cujus adventum in omnes horas hic præstolamur, quod nostri erit officii hoc nomine expedituri: nec ab eo ipso Electorem Brandenburgicum alienum fore, modumque inventum esse, quo et ipse Dux Joannes Casimirus in posterum Ecclesiæ Dei, et ordinibus Ecclesiasticis minus sit futurus gravis, confidimus.

« Causa Aquensis, ut non minimi momenti, sicuti recte et prudenter Reverendissima Vestra Dominatio judicat, nobis semper quam maxime fuit cordi, eaque ad finem bonum promovenda nullis parcens laboribus, neque refugiemus odia, et quæ apud confratrem nostrum Archiepiscopum Moguntinum monenda erunt, omne præstabimus officium, quamvis Imperatorem suæ mentis declarationem, ex causis rationabilibus aliquantulum dilaturum suspicamur, quod ex re Catholicorum Aquensium omnino fore arbitramur.

« Bullam in die Cœnæ Dominicæ promulgatam antea, diœcesanis nostris solemniter sæpius exhibitam, uti tenemur, voluntati S. D. N. nos libenter accommodantes, simul et solemnitates festivitatis B. Annæ Matris Virginis, quæ ab antiquo in territorio nostro habitæ fuere celebres, quam primum in nostram remeaverimus ditionem, denuo publicari, et ejus Reverendissimam Vestram Dominationem certiorem reddere volumus.

« Postremo loco gratias habemus Revmæ Vestræ Dominationi de dispensatione pro Consiliario nostro Conrado Reck Licentiato, in causa matrimoniali procurata. Cui omnem operam et officia semper paratissima offerimus et pollicemur. Datæ in Villa Spa, in territorio Episcopatus Leodiensis septima Augusti 1584.

Reverendissimæ Vestræ Dominationis

Paratissimus amicus

Joannes Archiepiscopus Trevirensis.

VI. — Saxonicus et Brandeburgensis Sep-

temviri, litteris ad Cæsarem datis, promptam sane voluntatem Coloniensi controversiæ componendæ simulabant. Eo tantum se retineri, quominus in præsens ejus desiderio satisfaciant: quod arctissimo fœderis vinculo jamdiu cum Truchsessio conjuncti, quam rationem ineant, ignorant, ut sine ulla sui nominis nota ab illo fœdere discedant. Petunt igitur a Cæsare, ut rem ipse tractandam suscipiat. Ita obtentu fœderis moras pulchre nectebant. (*)

(*) Germania. Vol. 87. fol. 311.

Exemplum literarum Ducis Saxoniæ et Marchionis Brandeburgensis ad Imperatorem.

Sacratissime Imperator.

« Accepto Sacræ Cæsareæ Majestatis Vestræ mandato, literis ad me Electorem Saxonem proxime dato, ego quod in responso meo humiliter spoponderam, ad Electorem Brandeburgensem me in persona contuli, et cum Dilectione sua de successionis negotio et reintegratione Collegii Electoralis egi confidenter diligenterque. Ego itaque Elector Brandeburgensis mei muneris debitique officii esse fateor, atque agnosco, omnia atque singula, quæ ad quietem tranquillitatemque patriæ, communemque animorum consensionem, atque unitatem conflandam spectare quoquo modo poterunt, conatibus omnibus promovere. Quemadmodum Cæsareæ Majestati Vfæ, Deo Optimo Maximo bene favente, in supradicto successionis negotio aperte satis testatum redditurus sum.

« Ad Collegium Electorale quod attinet, ego certe in me nihil unquam desiderari sum passurus, quod ad illud restituendum Electorumque numerum supplendum faceret; sed hoc me adhuc impedit, quod ego, et collegæ mei cum Truchsessio Electore superioribus annis fœdus inivimus, literis sigillisque nostris firmatum, (quæ litteræ illæsæ adhuc integræque extant) tam multis gravibusque clausulis munitum, ut vix appareat, quo pacto ego me illis nexibus ab Electore Truchsessio liberare ita queam, ut illud meæ famæ atque existimationi fraudi, atque detrimento non sit. Atque idcirco ego quod ad me quidem attinet, nihil magis optassem, quam amicabilem compositionem Rotemburgi continuari, ad finem desideratum perduci potuisse. Imo vero neque adhuc quidem modum magis idoneum eo ipso perspicio, quo ego mihi opportune prospicere, atque honorem meum salvum atque integrum conservare possim, et quoniam Sacra Cæsarea Majestas Vestra in postrema sua, quem Legatis electoralibus Rotemburgi congregatis exhiberi jussit, resolutione compositionem illam continuandam esse censuit, adhuc quidem Cæsaream Majestatem V. enixe rogamus, ut eam denuo per nos institui, atque si qui forte nostrum ei interesse nolit, per aliquos saltem ex Collegio quamprimum transigendam curet. Sin autem Cæsarea Majestas V. ab his esset alienior, haberetque alia consilia atque media, quibus fœdus cum Electore Truchsessio istum infringi opportune annihilarique possit, neque inde incommodi aut infamiæ quicquam oriatur, ego certe Elector Brandeburgensis talem me præstabo, ut obedientiæ debitæ pacisque publicæ studium elucere inde satis superque, idque Cæsarea Majestas Vestra reipsa deprehendere possit. Rogamus autem quanta maxima possumus animorum submissione, ne Cæsarea Majestas Vestra hanc rem sinistre accipiat, sed benignitate atque clementia solita nos non secus atque hactenus prosequatur. Atque hæc quidem Sacræ Cæsareæ Majestati Vestræ necessario significanda duximus, cui ceu fideles Electores obsequia studiaque omnia deferimus. Datum Cotbus 15. Octobris anno 1584.

Elector Saxonicus Archiepiscopum Moguntinum extemplo edocet, quæ ipse una cum Electore Brandeburgensi in negotio Electoratus Coloniensis Cæsari proposuerit. (*)

(*) Germania Vol. 87 fol. 315.

Illustrissime etc.

« Intellexerit procul dubio Dilectio Vestra ex literis nostris 16. Septembris ad eam datis, tam ea, quæ Sacra Cæsarea Majestas nos cum Electore Brandeburgensi in successionis negotio agere voluerit atque jusserit, quam etiam quibus rebus impediti tractationem illam (de qua Dilectioni Vestræ constat) expedire absolvereque eo usque non potuerimus. Certiorem itaque Dilectionem Vestram facimus, nos decimo tertio Octobris ad Brandeburgensem Electorem profectos personaliter, cumque Dilectione ipsius non successionis causam, sed ea etiam, quæ ad collegii Electoralis redintegrationem spectat, quanta potuimus fide atque diligentia tractasse. Quid autem effecerimus et quousque rem produxerimus, Dilectionem Vestram exemplum earum literarum, quas conjunctim ad Cæsaream Majestatem scripsimus, hic alligatum docebit. Cum autem expectemus modo, quid Cæsarea Majestas hac de re judicatura, nobisque mandatura sit, quod nos exequi modis omnibus definiteque par erit, literas acceptationis in collegium et confraternitatem, quas ad nos Dilectio Vestra misit, una cum cautione Bavarica tantisper apud nos servabimus, Dilectioni Vestræ eventum universum, et quo tandem loco res futura sit, nulla mora significaturi, quam una nobiscum bona spe fore, exitum experiri cupimus. Ad Vestram vero personam quod attinet, nos quod Dilectioni Vfæ promisimus, eamque integram declarationem semel factam nihilominus integre servabimus atque adimplebimus, cui studia nostra deferimus. Datum Dresdæ 3. Novembris anno 1584.

Augustus Elector et Dux Saxoniæ etc.

VII. — Truchsessiani enimvero nondum

spem omnem exuerant armis navandi aliquid: quod Bavarorum Ducis litteræ testantur. Quibus litteris plane exponit, quantum sibi suisque ab eorum crudelitate atque odio sit metuendum; tum etiam quam sibi necesse sit in tam difficili tempore uti Pontificis liberalitate. Cujus rei gratia ab se Oratorem Romam missum esse, qui rerum expeditioni interesset, ex veritate inde, non ex opinione relaturus. (*)

(*) Germania Vol. 29. fol. 125.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio XIII. Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Benignissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Domine mihi semper Clementissime.

« Antequam Sanctitas Vr̃a audiat, quæ meo nomine exponet Consiliarius et Secretarius meus Ludovicus Haberstock, quem ad ejusdem pedes Sanctissimos mitto, duo Sanctitati Vestræ, quæ persuasissima et certissima esse velim, prædicenda statui. Primum, in tota ipsius narratione nihil nos excogitasse, aut confinxisse, sed mandasse, ut omnia vere et simpliciter, prout narratum ab iis qui interfuerunt, exponat: secundum est, quod si ullam viderem rationem, ad sustinendam illius belli molem absque auxilio et opera Sanctitatis Vestræ, omnia potius experirer, quam ut Sanctitati Vestræ molestiam pararem, et omnia quæcunque in mea essent potestate, prius effunderem, opes, pecuniam, amicos, ipsam et propriam et fratrum et filiorum vitam, quos quantis odiis et periculis opposuerim, Sanctitas Vestra non facile credet. Hæc tamen omnia non sufficiunt, nec jam agitur tantum de Colonia sola, sed de nostra omnium salute; ardent enim Hæretici crudeli contra nos odio, nec quicquam cupiunt magis, quam Bavarico sanguine cruentari, idque quasi minantur quotidie. Supplico igitur perquam humiliter Sanctitati Vestræ, ne nos omnes in tantis afflictionibus constitutos deserat, cum sibi firmissime persuadere possit, non habituram se aut successores suos Salvatoris nostri Vicarios, magis obedientes et devotos filios quam me, fratres ac proles, quos omnes ad pedes Sanctitatis Vestræ prostratos eidem sic commendo, ut si cum ipsorum salute judicet et Catholicæ religionis instaurationem et commune bonum esse conjunctum, sublevet, sin minus avertat etiam oculos a calamitatibus nostris, quarum haud minima pars inde derivat, quod credamur Sanctæ Sedi Apostolicæ nimis addicti, prout revera sumus et perpetuo erimus. Tota igitur animi propensione humili Suæ Sanctitatis sanctissimos pedes meo et fratris, filiorumque atque adeo totius familiæ nostræ nomine exosculor, et Deum Optimum Maximum summo animi ardore precor, ut Sanctitatem Vr̃am Ecclesiæ suæ, Germaniæ nostræ, (de qua præclarissime est merita) totique orbi Christiano servet per multos annos incolumem. Datæ Lanshutæ 14. Augusti Anno 84.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus et obm̃us filius

Guilhelmus D.

Verum cum adhuc in hostium manibus essent aliquot munitissima oppida, bellumque acrius immineret, Dux Bavariæ, exhaustis pene viribus, in summa rerum omnium desperatione adhibuit Cardinalis Comensis auctoritatem, rogans quam vehementer, ut Coloniensem causam apud Pontificem summopere tueatur, nisi si velit tot laborum impensarumque moles in irritum evadat. (*)

(*) Germania Vol. 29. fol. 128.

Reverendissimo in Christo Patri atque Illm̃o Domino Ptolomæo Gallio Novocomensi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsbytero Cardinali, Domino et Amico Nostro Honorandissimo.

Reverendissime in Christo Pater atque Illm̃e Domine, Amice honorandissime.

« Post reditum charissimi fratris nostri Ducis Ferdinandi a bello Coloniensi sollicitati sæpe fuimus, et ipsius sermonibus et fratris nostri charissimi Archiepiscopi Coloniensis litteris, ut nova consilia et auxilia a Sanctissimo Domino Nostro peteremus. Nos vero quamvis summas intelligeremus necessitates et miserias, quibus nostri ibidem laborant, continuavimus per nos ipsos suppeditare quæcunque potuimus, expectantes quotidie illinc meliora nova. Postremo missus est etiam ad nos Trivius Canonicus Bonnensis, qui non pericula, non necessitates, non angustias narrat, sed vastitatem, calamitatem, desperationem. Quæ jam miraculo sunt recuperata, potius quam viribus, non viribus nunc, sed miraculo retinentur oppida, quæ pro adversariis stant, muniunt se indies magis nova messe, armis et ignavia nostra. Gheldrenses Regis rebelles arma contra nos aperte sumpserunt, captis etiam binis prope Novesium fortaliciis ad Ecclesiam Coloniensem pertinentibus: si ferant impune, audebunt plura. Apud nos neque consilii, neque auxilii copia ulla est. Idcirco mittimus in Urbem fidelem nobis dilectum Ludovicum Haberstocbium, Consiliarium et Secretarium nostrum, ut rerum statum vere, sincere et aperte ponat ob oculos. Nos nihil magis inviti fecimus unquam in tot Coloniensis belli curis durissimis, quam auxilia istinc et aliunde flagitare, promptiores multo fuimus in nobis ipsis exhauriendis, et quidem optaremus adhuc (quod absque Ecclesiæ et Religionis damno esset) res ibidem ita successisse, ut nos qui alios imploramus, fuissemus ab aliis implorandi, constaret magis nostra in Catholicam Religionem, ac in Ecclesiam Dei immutabilis voluntas, quam nunc dicunt aliqui ex propriorum commodorum stimulis excitari, nosque minori flagraremus invidia, minori odio, ac minori inopia, curasque

quae nos conficiunt, non suscepissemus soli. Reliqua postquam ab eodem Haberstochio audierit, ab ipsoque iotellexerit, fiduciam nostram ac spem omnem in Dilectionis Vestrae auctoritate, prudentia ac pietate esse positam, confidimus illam non intermissuram, quin ea procuret auxilia, quae cito data, salvare Rempublicam possunt, dilata vero aut negata, in apertum conjicere discrimen; satis enim cognoscet, si Bercha et Ordinga diutius in hostium potestate remaneot, verendum esse, ne paulo post renovetur bellum majoribus conatibus quam antea, et tunc praedicimus diserte, nihil fore amplius ex Bavaria expectandum; evulsae enim radicitus quasi plantae, non tam cito germinabunt. Quod si Sanctissimus Dominus Noster nunc subito seria aliqua et magna auxilia decernat, liberabimor, Deo adjuvante, omni metu. In eo rogamus Dilectionem Vestram, ut suam adhibeat auctoritatem et gratiam, merebit absque dubio plurimum in coelis, nosque omnes ac Germania tota erit illi perpetuo beneficio devincta. Datum in Civitate nostra Monachio XIV. Augusti anno LXXXIV.

Guilielmus Dei gratia Comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariae Dux.

Guilielmus D. mpp.

Iterum ad eundem Cardinalem scribit, commendans Minutium de Minutiis, cujus in Ernesti electione tam praeclara opera extiterat, quemque non ita pridem ad Hispaniarum Regem subsidium petitum miserat, ut quoniam apud se retinere eum vellet, in commodum quidem Apostolicae Sedis, ab Pontifice sibi facultatem impetret, ex Ecclesiasticis vectigalibus meritissimo viro congruos praebendi sumptus. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 156.

Reverendissimo in Christo Patri ac Illustrissimo Domino Ptolomaeo Gallio Novocomensi, Sanctae Romanae Ecclesiae Praesbytero Cardinali, Dño et Amico nostro Honorandissimo.

Reverendissime in Christo Pater atque Illme Domine, Amice honorandissime.

« Redeuntem ex Hispaniis Consiliarium nostrum primarium, nobis sincere dilectum et fidelem, Minutium de Minutiis, negotiis ibidem (prout tempora ferebant) satis ex sententia confectis, magna profecto significatione prudentiae et dexteritatis, qua se ita Hispanis insinuavit, ut non minus illis fuerit gratus, quam solet esse Germanis, sollicitavimus, ut apud nos maneret, sperantes imprimis magnum nos ex ipsius praesentia accepturos commodum, in Coloniensibus praecipue negotiis dirigendis, io quibus nemo magis versatus est, quippe jam a prima electione infausta coepit illorum hominum ingenia tractare, et deinde quasi divinans quid futurum esset, continuis amicorum literis voluit de singulis rebus magnis et parvis certior fieri, tum etiam quia animadvertimus hac ratione posse illum magis firmiter in servitiis Sanctae Sedis Apostolicae contineri, a qua videbatur nunc abstrahi, sic postulantibus, ut dicebat, necessario privatis rationibus suis, quod sane nobis ob nostrum io Rempublicam et Germaniam studium fuisset valde molestum, cum tam paucos cognoscamus non solum exteros, sed ne indigenas rerum Germanicarum magis peritos, et propter ejusmodi hominum inopiam videamus in rebus arduis aliquando peccari. Hisce de causis voluimus illum apud nos omnino detinere, nostraque cura fuit, ne id nisi cum commodo ipsius et dignitate fieret, ut quo honestius viveret, et majorem acquireret deinceps auctoritatem. Cum vero et res nostrae alioquin sint hoc tempore satis extenuatae, et exemplum graviorum in exteris expensarum subditis posset esse offendiculo, speravimus nos a Sanctissimo Domino Nostro in re honesta fore sublevandos, si scilicet quam primum fieri possit, ipsi Minutio de redditibus Ecclesiasticis prospiceret, tum ratione praeteritorum laborum, quos in negotio Coloniensi maximos toleraverit et sane utilissimos, tum vero propter illa, quae ab ipsius experientia et ingenio io tanta hujus provinciae perturbatione expectari quotidie possunt. Nos enim illum hic ad quascunque Sm̃i Domini Nostri et Sedis Apostolicae occasiones servabimus promptum, ad quas etiam eo futurus est magis aptus, quod Germanicae linguae nostrae perdiscendae illico sese dabit. Rationes quae videntur magis idoneae ad illum ornandum, exponet, qui hasce affert Consiliarius atque Secretarius noster, nobis sincere dilectus et fidelis Lodovicus Haberstok, nec fuit postrema causa haec, cur illum in praesentia io Urbem mitteremus. Negotium autem totum auctoritati et benevolentiae Dilectionis Vestrae commendabitur, cui etiam non ignoramus Minutium valde familiarem et charum esse, nec dubitamus, quin Sanctissimi Domini Nostri benignum in nos animum experturi simus in re parva, quem cognoverimus io majoribus, cum praecipue totum hoc, quod petimus, speremus etiam in Sedis Apostolicae commodum redundare posse, quod tamen etiam ob nostros solos usus, si peteretur, speraremus haud fore denegandum. Reliqua narrabit coram idem Haberstokius, cui eamdem fidem io hoc et in aliis adhiberi cupimus, ac si nosmetipsi essemus praesentes. Interim Dilectioni Vestrae prosperam valetudinem, et omnia precamur foelicia. Datum Monachii die 14. Augusti anno etc. 1584.

Guilielmus Dei gratia Comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariae Dux etc.

Reverendissime et Illustrissime Domine, Si Rm̃a et Illm̃a Dilectio Vr̃a unquam mihi gratificari cupivit, rogo per quam amice, ut in hac mihi satisfacere noo gravetur; nam ero illi pro tali beneficio totus obligatus et semper ad ma-

jora servitia præstanda paratus: credat simul meo ministro, et fidem illi adhibeat, quicquid meo nomine ultra exponet.

GUILHELMUS D. mpp.

Haberstok.

VIII. — In tam præsenti Ecclesiæ ac Reipublicæ in Germania discrimine Duci Bavariæ haudquaquam Gregorius defuit: ei centena scutatorum millia dono misit. De qua Pontificis liberalitate ita ille gratissimis animi sensibus. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 130.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Dño Gregorio XIII. Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Benignissimo.

Beatissime Pater, post devota Sanctissimorum pedum oscula.

« Pro novis auxiliis fratri Ernesto Coloniensi Archiepiscopo in subsidium perdurantis illius belli missis, de quibus lætum nobis nuncium Joannes Baruitius nuper attulit, est quod Sanctitati Vræ quam humiliter ac submisse gratias agam, eoque magis quod ab eodem Baruitio satis intellexerim, quanta Sanctitati Vestræ hoc tempore diversis ex partibus onera incumbant, quanta item ad ea sustentanda pecuniarum vis requiratur et absumatur in dies. Inde enim manifeste colligo, postquam nihilominus in hanc partem Sanctitas Vestra liberaliter ac benigne paternam manum porrigere pergit, quantam Germaniæ suæ, quantam illius belli, quantam denique dilectissimi fratris curam gerat, pro qua perpetua Sanctitatis Vræ benignitate, quæ præter Religionis tutelam, non parum etiam momenti ad existimationem nostræ familiæ conservandam adfert, utinam illustriorem aliquam grati animi significationem edere, vel saltem in Sanctitatis Vestræ propinquos possim, qui me meamque familiam perpetuo memorem gratamque experientur. Ut enim inviti et non sine quadam quasi verecundia in tantis Ecclesiæ necessitatibus ad Sanctitatem Vestram confugimus, sic magna cum solicitudine auxilium, quotiescumque mittitur, acceptamus. Ut vero majorem fructum apportet, majorem plerumque pecuniarum summam de nostro addimus, neque jam nostras partes negligemus. Cetera dirigere, et ad felicem diuque optatum finem perducere, præpotens Deus dignetur, quem ardentissimis animi votis precor, ut Sanctitatem Vestram orbi Christiano, cujus gubernacula tam sapienter ac feliciter moderatur, quam diutissime per humanæ naturæ leges fieri possit, incolumem conservet. Datum in Civitate nostra Monachio pridie Calendas Sept. anno Salvatoris nostri MDLXXXIV.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimus filius
GUILHELMUS D.

Nec minori se beneficio affectum esse Cardinali Comensi scripsit, a quo pro virili parte Coloniensem causam susceptam Baruitius retulerat. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 131.

Illmo ac Rmo Dño Cardinali Comensi, Dño et Amico Honorandissimo.

Illme ac Rme Domine Domine et amice honorandissime.

« Jamdudum nimis frequenter et aperte non tantum ministrorum nostrorum sermones ac litteræ, sed et res ipsa loquitur, quanto affectu ac studio Dilectio Vestra Illustrissima res Colonienses audiat, curet, quamque opportuno patrocinio eas apud Sanctissimum Dominum Nostrum promoveat, pro qua cura ac solicitudine rependet immortalem mercedem immortalis Deus, cujus inde honor et Religio in primis dependet. Pro benevolentia vero perpetua, qua Dilectio Vestra Illma familiæ Bavaricæ amplitudinem dignitatemque non tantum conservatam, sed etiam auctam cupit, cum me tum familiam illam meam totam ut Dilectio Vestra Illma omni tempore devinctissimam habeat, est æquum, quod et meo et familiæ meæ nomine religiose iterum atque iterum spondeo. Ad postrema autem auxilia in usum belli Coloniensis missa quod attinet, quæ Dilectionis Vestræ Illmæ solius opera et favore impetrata Joannes Baruitius narrat, summa cum voluptate audivi eximium illum et effusum Dilectionis Vestræ Illustrissimæ in nos animum, quem idem Baruitius novis in dies exemplis ac testificationibus prædicare non cessat. Cum vero magnifica illa Dilectionis Vræ Illmæ verba ac promissa, quæ vere heroicum pectus sonant, exequitur; omnia scilicet, quæ hactenus a Dilectione Vestra Illma sint præstita, arrhæ tantum loco fore in posterum, (non possum negare) vincit admirationem meam tanta tamque liberalis propensissimæ voluntatis declaratio, cui quomodo vices rependere aliquando possimus, cogitare non desinemus, neque ego neque frater meus, qui status ac dignitatis suæ præsidium unicum apud Sedem Apostolicam in Dilectione Vra Illma repositum habet, quam Deus Optimus Maximus Ecclesiæ suæ in multos annos incolumem florentemque conservet. Datum in Civitate nostra Monachio pridie Calendas Septembris anno MDLXXXIV.

Guilelmus Dei gratia Comes Palatinus
Rheni, utriusque Bavariæ Dux.
GUILHELMUS D.

IX. — Gregorius ubi comperit quam optimo esset loco Coloniense negotium, omnem cogitationem curamque in id convertens, Alexandrum Farnesium admonuit, ut armis Archiepiscopo Coloniensi occurreret, ad reliquias illius jam prope profligati belli extinguendas. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 51. fol. 103.

Dilecto Filio Nobili Viro Parmæ et Placentiæ Principi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostoli-

cam benedictionem. Postquam summa Dei benignitate res venerabilis fratris Archiepiscopi Coloniensis tutissimo, atque optimo loco sunt; iis etiam consentientibus, de quorum voluntate dubitabatur, hortamur, et rogamus Nobilitatem Tuam, ut velis Archiepiscopo subsidio esse, ad modicas, atque infirmas belli reliquias conficiendas. Pertinet hoc magnopere ad Dei gloriam, Catholicæque Religionis dignitatem, cujus summa in primis ratio habenda est, tum ad Philippi Catholici Regis laudem. Et quamquam certo scimus, illum pro sua excellenti pietate Coloniensis Ecclesiæ res, non minus, quam suas ipsius Nobilitati Tuæ commendasse; tamen voluimus etiam hanc nostram commendationem adjungere. Confidimus enim, eam magnum apud Nobilitatem Tuam pondus habituram esse; teque in hoc negocio eum futurum, qui semper fuisti, neque ullum Nobis gratificandi, Apostolicæque Sedis dignitati, Deique gloriæ inserviendi locum relicturum. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Septembr. MDLXXXIII. Pont. Nostri anno tertiodecimo.

X. — Ea tempestate Gregorius secum reputans quantum conduceret, si ordinarium Nuntium Apostolicum Coloniam mitteret, qui mala per apostatam illata repararet, quique in posterum et novis periculis præcavendis, et commodis Ecclesiæ Coloniensis, et aliarum etiam Germaniæ Ecclesiarum procurandis auctoritate Apostolica præsto esset, id ipsum sine mora faciendum censuit, et primum ordinarium Nuntium Apostolicum omnibus hujus muneris facultatibus munitum Episcopum Vercellensem renuntiavit; cujus rei plenissimam faciunt fidem literæ Gregorii ad Ducem Bavariæ, et ad Senatum Coloniensem datæ. Quare hæc documenta, etiamsi cætera deessent, ad originem Nuntiaturæ Apostolicæ Coloniensis ostendendam gravissima ab omnibus judicari deberent. Hæc ad Bavariæ Ducem. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 84. fol. 417.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Bavariæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Mittimus Coloniam nostrum, et Apostolicæ sedis Nuncium ordinarium venerabilem fratrem Episcopum Vercellensem, virum præstanti fide, prudentia, pietate præditum, inque omnibus Sedis Apostolicæ negotiis, proxime vero hoc ipso Nuncii munere apud charissimum filium nostrum Rodulphum Romanorum Imperatorem Electum omni cum laude versatum; ejus studium maxime extabit in iis, quæ in ea regione ad Dei gloriam, atque ad animarum salutem pertinebunt: hanc enim ipsam ob causam eum mittimus, quo etiam certius habemus, tuum consilium atque operam, ubi res postulabit, ei non defuturum, teque eum commendatissimum habiturum, ejusque verbis omnem fidem tributurum. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die XX. Octobris MDLXXXIV. Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Hæc ad Senatum Coloniensem. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 88. fol. 418.

Dilectis Filiis Senatui Coloniensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Studium Dei gloriæ atque animarum salutis, quæ duæ res imprimis nobis cordi esse debent, facit, ut mittamus isthuc nostrum, et Sedis Apostolicæ Nuncium ordinarium Venerabilem fratrem Episcopum Vercellensem, cujus pietatem et zelum cum in aliis multis nostris, et Sedis Apostolicæ negotiis, tum proxime in hoc ipso Nuncii munere apud charissimum filium nostrum Rudolphum Romanorum Imperatorem electum experti sumus. Non dubitamus, vos pro vestra pietate eum, ut personæ ac negocii gravitas postulat, commendatum habituros, omnibusque in rebus fidem tributuros, atque ubi opus fuerit, studio atque opera præsto futuros. Erit id dignum vestra præstanti pietate et gloria. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die XX. Octobris MDLXXXIV. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

XI. — Atque hic sponte nobis occurrit, ut quas partes in luctuosa Truchsessianorum tragœdia Henricus Rex Navarræ gesserit, disseramus. Neminem latet jam a mense Augusto anni superioris ab eo Rege Jacobum Segurium, nobilem ex Aquitania virum, aulæ suæ sanctiorisque Consilii præsidem, Calvinianæ hæresi apprime addictum, ad Principes Protestantes in Anglia, Dania, Svecia, Belgio ac Germania legatum fuisse missum, cum mandatis, ut ageret de conflando magno quodam omnium sectarum fœdere, quod velut aggerem comminiscebatur ad se contra Pontificis Romani auctoritatem muniendos. Tum illud eidem agendum erat, ut inter eos concordia iniretur circa religionis articulos, ac præcipuum de Cœna Domini, de quibus alii aliud longe sentiebant. Cujus rei gratia convocare fas erat universalem omnium, diversa ab Romana Ecclesia sentientium, synodum, ad quam communi consensu omnes et singulæ fidei controversiæ judicandæ deferrentur. Qua in re plane ridiculum se præbuit Henricus, quum in litteris Regibus Daniæ, Sveciæ, Duci Saxoniæ, Casimiro Comiti Palatino scriptis [*] ostendit, nihil magis in votis habuisse, quam si ipse per se istam legationem obiret; dolebatque quod gravissimis Galliarum rebus distentus id efficere non potuisset.

[*] Apud Berger de Xivrey: Recueil des lettres missives de Henri IV. Tom. 1. p. 530. 523. 510. 552. 610. 630. 622. 633.

Ast quæ unquam concordia inter tot capita, inter tot hæresum monstra ac sectas, quarum aliæ cum aliis consertis manibus decertarent, aliæ alias capitalibus odiis prosequerentur, componi inirique potuisset? Mirum sane, quod Rex Navarræ hujusmodi nimium imprudens consi-

lium admittere vel ad tempus in animum potuerit. Reliquum igitur, ut pro certo habeamus, tam sagacem virum ad eam legationem inductum fuisse ab ipso Segurio. Is namque cum aliquot ante annos apud Belgas degisset, usus consuetudine famosi illius Jacobi Brocardi Veneti, falsi ineptique harioli, qui ob vesana deliria patria expulsus, primum in Angliam, deinceps in Belgium secessit, Calvinistarum vel adeo Atheistarum sectæ se dediderat. [*] Brocardus iste plura scripta de ridiculis vaticinationibus referta in vulgus ediderat: in quibus ceu mos est quorundam etiam nostri ævi fanaticorum hæreticorum, qui vulgo enthusiastæ audiunt, testimonia Sacræ Scripturæ ad impia illa futiliaque somnia firmanda proferebantur. Limphaticus ille homuncio eo mentis furore captus est, ut vaticinari non dubitaverit, futurum tempus, nec procul abfore, quando Pontifex Romanus a quodam Calvinistarum Principe de sede sua deturbaretur, qui christianæ concordiæ evaderet auctor, quemque propterea posteritas omnis rerum instauratorem reparatoremque cum veneratione esset salutatura. Segurius mira confidentia et jactantia hæc in Regem Navarræ, herum suum, cadere aptissime interpretabatur: eique inserviens suasit, ut illam sibi legationem obeundam committeret. Rex siquidem regnandi cupidissimus, facile hæc ad aures admittebat, ut sibi viam sterneret ad illud, quod jamdiu animo versabat, universale Christianorum imperium; adeo ut per eos dies vulgo fama exierit, Regem Navarræ in eo laborare, ut, monarchiis omnibus sublatis, universalem ex cunctis Europæ populis conflatam Rempublicam constitueret, eique se caput daret.

[*] Videsis de Brocardo illo Daniel Gerdesii Introductio in hist. Evang. sæc. XVI. per Europ. renovati, Groningæ 1744. Tom. I. p. 180. C. Mazuchellium Scrittori Ital. T. 2. P. IV. p. 2121. et G. Tiraboschium: Storia della lett. Ital. T. VII. P. I. p. 319.

Segurius quidem a Protestantibus Principibus in Anglia primum, tum in Batavia, deinde in Dania atque in Svetia, denique in Germania benigne comiterque fuit habitus: postquam vero mandata explicavit, ludibrio fuit. Nihil enim minus vellent Lutherani, quam se cum Calvinianis conjungere, a quibus tantopere abhorrebant: neque rursus viri illi Principes tranquillitatem otiumque suarum provinciarum, novis factionibus inductis, commoveri perturbarique paterentur. In Germania uni Truchsessiani cum Casimiro Comite Palatino, Calvinianorum antesignano, Navarro studebant, spem foventes, ab Rege illo Truchsessii causam adjutum iri. Quod sane ipsius Regis ad Casimirum litteræ haud obscure videntur innuere [*]. Quam parum grata, quam plena suspicionis reliquis per Germaniam ex Augustana Confessione Principibus hæc Navarrensis legatio cesserit, ex eo plane conjicitur, quod ipse Saxoniæ Dux missas ad se Regis litteras extemplo Cæsari reddendas tradiderit, qui rursus eas ad Ducem Bavariæ dedit, ut perferret [*]. Ab his denuo proferendis abstinemus, quum eædem a recentiori Epistolarum Henrici IV. collectore jam evulgatæ fuerint; dabimus mox alteras, ad idem negotium apprime facientes, ab eodemque collectore sane ignoratas.

[*] Apud Berger de Xivrey l. c. T. I. p. 540, et 618.

[*] Ibidem p. 533.

XII. — Religionis studiosissimus Bavariæ Dux sui muneris esse duxit, quas litteras Rex Navarræ ad Ducem Saxoniæ dederat, per Cardinalem Madrutium, dum is Romæ Germaniæ res curaret, e vestigio Summo Pontifici exhibendas. [*]

[*] Germania Vol. 62. fol. 209.

Ex litteris Illmi Bavariæ Ducis.

« Communicavit nobis Cæsarea Majestas exemplum literarum quarumdam, quas ad omnes Germaniæ Principes Catholicæ Religionis hostes Henricus Navarrorum Rex anno superiore scripsit, atque ad illas perferendas expressum hominem destinavit. Misit autem exemplum earum literarum ad Imperatorem Saxoniæ Elector, scripsitque satis morose in eam fere sententiam, ut videatur a legationis hujus mente, et communicando ad se ipsos in errore tuendos tam cum Gallis, quam reliquis Germaniæ Principibus ab Ecclesia alienis consilio, conventuque inter ipsos instituendo non prorsus abhorrere. Quam autem sit hæc res plena periculis, nemo non videt: ideirco Reverendissimam Paternitatem Vestram de ea certiorem nobis faciendam, illique exemplum earum literarum, quod hisce annexum est, transmittendum modis omnibus existimavimus, ut tam Summus Pontifex, quam reliqui ad rerum gubernacula sedentes ejus ex Rma Paternitate Vestra certiores fieri, indeque hominum illorum in Ecclesiæ perniciem vigilantissimorum indefessum laborem colligere, et ad zelum pro Domo Dei majorem incitari vel hac ratione queant, atque ad perniciosos hosce conatus reprimendos communi nobiscum studio occurrant, in primis vero nos fratresque nostros in acie pro Ecclesiæ tranquillitate decertantes, solidioribus aliquanto magisque idoneis, atque adeo necessariis, juvandos sibi proponant. Hæc autem ut apposite ad persuadendum explicentur, Reverendissimæ Paternitatis Vræ prudentiæ relinquimus, in qua præsidii non minimum collatum habemus.

XIII. — Quo vero certius teneas, quibus artibus ad incepta persequenda Rex Navarræ usus sit, quo animi habitu, qua mentis sententia fuerit: legas quæ legato suo cum Marchione Brandeburgensi, S. R. Imp. Septemviro, tractanda commiserat: quæ sane versuti hominis ingenium mirifice aperiunt. Iste scilicet in eis impio quodam livore in Ecclesiam Catholicam, in Romanum Pontificem, necnon in Patres Societatis Jesu debacchatur, adeo ut nemo erraverit, qui hasce litteras non a Rege ipso, sed a concionatore quoquam Calviniano ejus nomine confectas esse judicaverit. Cumque mandata, quæ Segurius apud Anglorum Regi-

nam, Daniæ ac Sveciæ Reges apud Ordines Reipublicæ Batavæ ac S. Romani Imperii Principes peragenda habuit, a famosissimo illo viro Duplessio Mornæo, infensissimo Ecclesiæ Catholicæ hoste atque Hugonottorum in Gallis facile Principe, ita ut eorum Papa vulgo nuncuparetur, conscripta sint [*], dum Regi Navarræ a secretis esset, a vero haud recedemus, si confidenter asseramus, eundem Mornæum auctorem etiam eorundem mandatorum ad Marchionem Brandeburgensem extitisse. Atque en hujusmodi mandata. [*]

[*] Edita sunt gallico idiomate conscripta, in opere: Memoires de la Ligue. Amsterdam (Paris) 1758 in 4. Tom I. p. 523 530.
[*] Processus Henrici IV. f. 442.

« Mandata a nobis Heinrico Dei gratia Rege Navarræ, Principe Bearniæ, Dño Jacobo Segurio Pardaliano Domui nostræ Præfecto, et interioris consilii nostri primo Consiliario tradita, ex quorum formula cum Illustrissimo Principe ac Domino Dño Joanne Georgio Marchione Brandeburgensi, Sacri Romani Imperii Archicamerario et Electore Nostro nomine tractet.

« Eundem Illm̃um Electorem nostris verbis officiosissime salutabit, benevolentiam erga ipsum, nostrum eximium amorem et observantiam testabitur, desideriumque illud exponet, quo sub ioitium superioris anni tenebamur, peragrandæ Germaniæ, et cum Illustrissimo Principe illo amicitiæ firmandæ, quem de Christiana Republica optime meritum esse novimus. Cui profectioni cum exorientes subinde turbarum suspiciones adversarentur, et justas commorandi causas innecterent, se a nobis ablegatum fuisse significabit Segurius noster, ut quæ superius dicta sunt, indicaret, atque labentem et propemodum afflictum Ecclesiæ Christianæ statum ipsius oculis subjiceret; præsertim vero de quærendis dissensionum nostrarum remediis, et constituendo Ecclesiarum unanimi consensu, consilia communicaret. Exponet igitur imprimis quantopere necessaria sit inter Principes, et reliquos ordines eidem Religionis cultui deditos concordia, et quantum ex intestinis nostris de doctrina dissidiis periculi contrahatur Ecclesiis; unde et ipsis in medio fere cursu mora iojecta, et infirmis ad veritatem properantibus impingendi occasio præbita sit. Hujus mali fontem, atque adeo auctores a nobis non inquiri, quod sine nostro dolore et eorum pudore fieri nequeat: cum satis superque constet, (perspecta morbi natura) probos omnes viros vulneri remedium expetere, quod et reperire utilius sit, et vero facilius, quam de procellarum istarum auctoribus convenire: cuilibet Christianæ fidei rudimentis imbuto notum esse, nostrum in præcipuis doctrinæ capitibus consensum, præsertim in gratuita peccatorum remissione per Christi sanguinem et æterni Dei filii, et unius generis humani mediatoris io ipsum omnibus credentibus parta: unde fit, ut iisdem rationum et argumentorum telis Antichristi Romani præstigias et errores oppugnemus, in ipsoque adeo cœnæ negotio, de quo præcipua disceptatio est, de sacramenti substantia conveniamus, cum nemo sit, qui se verum Corpus Christi in Eucharistia assumere diffiteatur. Cum itaque nulla supersit controversia, nisi in ipso percipiendi modo, nullum plane modum adhibeamus, omnem contra excedamus. Pontificios longe majus prudentiæ (ne dicam charitatis) documentum edidisse, qui ante bellum ipsis indictum, a Summo illo sanctæ memoriæ Ludero capitalibus inter se ob eundem articulum odiis flagrabant, adeo ut scholastici interpretes in duodecim ferme discrepantes, aut contrarias distraherentur sententias, tanta videlicet animorum contentione et pertinacia, ut nemo de concepta opinione decedere vellet, quemadmodum in Lombardi, Thomæ, Scoti, Durandi, Pici, Bielli, Bonaventuræ, et aliorum monumentis videre est. Qui, cum se mutuis ictibus antea jugularent, artibus tandem, et Pontificum auctoritate majori cum otio nobis exitium moliri cupientium, compressa sunt ejusmodi dissidia, quod ut nobis vel hostium exemplo in controversia longe minus acerba fieret, tanto præsertim imminente ex dissensionibus illis incendio, nondum exorari potuimus. Ad hujus mnrbi curationem Ecclesiam illam priscam nobis facem prætulisse, cum in similibus controversiis, ut secessionibus et schismatis occasionem præcideret, nihil prius haberet, neque antiquius Synodorum indictione, quæ scilicet infinitis prope vulneribus remedium attulerunt. Majorum igitur more ab Illustrissimo Electore Brandeborgico postulare nos, et per omnia sacra obtestari, ut apud se pro sua prudentia et propensissimo in Dei gloriam studio expendat, an Ecclesiis et Christianæ Reipublicæ expediat, ad dijudicandas controversias nostras universalem istarum omnium totius Europæ Ecclesiarum Synodum haberi, ea scilicet lege, ut ad Conventum illum de controversis inter nos capitibus referatur, ut possit accurata acceptatione (expensis omnium sententiis) dissensio dirimi. Quod si hujus Coneilii iodietionem a re Christiana (uti existimavimus) esse putat, flagrare nos etiam, et omni contentione petere, ut Illustrissimus Elector cum aliis Imperii Principibus, præsertim vero cum Illustriss. Electore Saxoniæ hac de re diligenter agat, et ad eos de toto negotio accurate scribat. Quantum autem hujus morbi medicinæ moram attulerint procellæ illæ, quibus jactantur Ecclesiæ multis Europæ locis, partim bello petitæ, partim crucem expertæ! unde fit, ut laborantibus illis tetrum hoc vulnus eorum importuna contentione, et ambitiosis disputationibus subinde recrudescat, quorum muneris erat ulcus ipsum adhibitis acopis mitigare. Eo denique acerbitatis provecta sunt partium studia, ut se præjudicatis sententiis mutuo

damnaverint, et ab Ecclesiæ communione (suo quidem judicio) exturbarint, quod sæviendi ejus generis videtur, ut præsentiori remedio egeat, neque sit ipsius in futuram Synodum differenda curatio, discriminis istius depellendi gratia, quod et verbum Domini ludibrio, et ipsius Ecclesiam direptioni exposuit. Illm̃um Electorem Brandeburgicum rogabit idem Dominus Segurius, ut tautisper dum paratur generalis illa Synodus, curationem istam cum Illustrissimo Augusto Saxoniæ Duce sibi pervertendam suscipiat, quæ duplici ratione commodissime absolvi possit; altera quidem, si omnium utriusque professionis Ecclesiarum controversiæ ad Synodum dijudicandæ referantur, neque cuiquam privatim in aliorum fraudem, et præjudicium quicquam interea statuere liceat; altera vero, si quis acerbis illis contentionibus, quibus hactenus et verbis inter se rixati sunt Theologi, et scriptis, silentio tandem finis imponatur, et ejusmodi disputationibus explosis Christiana charitas, et animorum fraterna conjunctio revocetur. Quod quidem Serenissimus Rex Navarræ ab Ecclesiis Gallicis (a quibus hac de re rogatus est) tam suo, quam ipsarum nomine bona fide præstitum iri spondet. Qnod autem ad Synodum ipsam attinet, hoc etiam addet Dominus Segurius, nulla ratione infelicissimum illud de cœna Domini dissidium melius et facilius (nostro quidem judicio) sanari posse, quam si vetusto et jam ab Apostolicis temporibus repetito more Synodus habeatur. Quod quidem Illm̃i Electoris Brandeburgici opera et auctoritate impetrari potest. Orare nos iterum, nt tam pio salutari operi manum admoveat, et oblatam de Ecclesia bene merendi occasionem arripiat, neve hoc decus pietati suæ debitum sibi de manibus eripi patiatur; non esse nos ea pervicacia, aut in tuendis nostris opinionibus tenacitate, etiamsi consilium ineatur, meliora monentibus fidem abrogare velimus, imo paratos esse omnium animos ad concordiam ineundam, et ea dogmata suscipienda, quæ verbo Dei consentanea futura suut. Quod eos alii Zvinglianos, alii Calvinistas, Sacramentarios plerique vocant, perperam id quidem fieri, et nullo nostro merito, cum in Christi solius verba juraverimus, nullius sententiæ addicti, nisi quatenus veteris et novi fœderis doctrinæ congruit. Quod si ab ullius mortalis nomine adoptanda nobis esset appellatio, potiore utique jure Lutheranos vocatum iri, cujus sane nominis invidia et odio cum laborarent Galli, infiniti prope per sexaginta annos cæsi, exusti, equuleis admoti, et omni genere crudelitatis extorti præclarum Christianæ doctrinæ, quam a Luthero primum acceperunt, testamentum ediderunt, et sanguine suo per Dei gratiam obsignarunt, ut vere a nobis asseri potest, plures propemodum Martyres, quos Lutheranos tunc temporis vocabant, Galliam edidisse, quam reliquos omnes totius Europæ regiones; Lutherum ab Ecclesiis Gallicis ut ipsarum in Christo parentem agnosci, quod illius ministerio veritas primum e latebris eruta sit. Cujus vero doctrinam et eruditionem a nostris adeo amari, et suscipi, ut unum illum repetita ab Apostolorum tempore memoria fuisse existimant, qui scriptis suis et laboribus plurimum Ecclesiæ contulerit. Qui nostro sæculo florent, et Helveticam sive Gallicam confessionem tuentur, acerbius quidam et odiosius infelicissimam illam de cœna Domini disputationem attigisse. Sed et alios plerosque hac etiam culpa non carere, verum non decere nos propter unius et alterius acerbitatem perpetuis inter nos dissentionibus flagrare, et Ecclesias integras privatorum odio prægravari. Plerisque in Germania, præsertim e vulgo, ita de Gallicarum Ecclesiarum doctrina persuasum esse, quod erronea sit, et qualibet hæresi, vel etiam Pontificia deterior: qua in re nobis injuriam insignem fieri putamus, et aliis plerisque nationibus exteris: unde fit, ut palam quales sumus testari cupimus, et si erremus, ex verbo Dei doceri. Controversiam de cœna Domini non adeo difficilem, nt Synodo dirimi nequeat, duobus potissimum argumentis colligi: prius est, quod cum tria sint, quæ in hoc negotio spectentur, symbolum scilicet, res exhibita, et fructus, quem inde percipimus, in tribus illis inter nos omnino conveniat. Fatemur enim omnes panem et vinum esse symbola, corpus et sanguinem rem exhibitam; fructum vero istum cum Paulo statuimus, ut fractio panis et vini sit corporis et sanguinis Christi communio. Quod autem ad perceptionis modum, (in quo hæremus) supernaturalem eum esse, et spiritualem, omnes etiam fatentur; sed dum arcanum illum et ineffabilem modum nimis anxie nonnulli quærunt, plagas illas disputationum et controversiarum infelices nobis pertexerunt. Hac vero de re minus sollicitos esse debere, vel ipsius Lutheri testimonium admonet, qui in epistola ad Helveticas Civitates se de modo laborare negat, dum de præsentia constet. Alterum argumentum est, quod nunquam istius dissensionis concordia serio quæsita est, quin Dominus Christiano illo conatui benedixerit, et ad optatum exitum suo Sancto Spiritu perduxerit, ut ex colloquio Lutheri et Zvinglii anno 1528. et triennali illo Marburgensi apparet, quorum utroque inter primarios Theologos, Ecclesiasque Germanicas concordia sancita est, et de cœnæ negotio consensus in formulam redactus, utriusque partis subscriptione comprobatus est. Nam quod ab illa parte, et Ecclesiarum concordia utrinque postea discessum fuerit, importuna quorumdam acerbitate, mœrente (ut fertur) ipso Luthero, et bonis omnibus, factum

est, quod ne denuo contingat, si conciliatio inter nos instituatur, Principum auctoritate et Magistratuum officio præstari potest: cum sit eorum innumeris ejusmodi contentionibus litem ex lite serentibus obviam ire; unde fit, ut plurimum discordiæ faces oriuntur, ædificationis ad Ecclesiam nihil. Cum igitur dissidii istius conciliatio res sit, ut nobis quidem videtur, et per se facilis, et omnium judicio Ecclesiæ Christianæ pernecessaria, hujus vero conficiendæ et spes et ratio, cum in aliis Germaniæ Proceribus, tum in Illustrissimo Electore Brandeburgico vel in primis posita sit: hortabatur illum Segurius noster, ut auctoritatem a Deo sibi concreditam ad componendas exitiales illas dissensiones conferat. Quoniam autem frustra domi pacem quærimus, nisi extremos illos communis adversarii Pontificis Romani conatus, et apertas in perniciem nostram insidias depellamus; idcirco artes illas, et nefarias Antichristi coitiones Illustrissimo Electori optime notas, significabit, quibus veritatis lucem filius ille tenebrarum extinguere nititur. Monebit igitur in primis, quotquot per Hispaniam et Italiam in suspicionem emendatæ Religionis veniunt, eos omnes cruci subditos Antichristi Romani tyrannidem, et Inquisitionis atrocitatem et sævitiam experiri.

« In Gallia Concilii Tridentini promulgationem et Inquisitionis constitutionem a Legato Pontificis adversus Senatus intercessionem, et Ecclesiæ Gallicanæ libertates urgeri; Jesuitarum artibus Anglorum animos ad defectionem sæpenumero impulsos, ni faces illæ sapientissimo Reginæ consilio extinctæ fuissent, clandestini illi cœtus, et nefariæ conjurationes in ipsius caput, et Regni perniciem erupturæ viderentur. Quod ad Scotos attinet, ea nuper in Aula Pontificiorum artibus, et calliditate rerum mutatio contigit, optimis quibusque et tranquillitatis publicæ studiosissimis per discordias Procerum, et Regis adolescentiam in exilium actis, ut nisi mature prospectum fuisset, Ecclesia ipsa in discrimen ventura fuerit, et bellum inter Angliam et Scotiam exarsurum.

« Belgarum res profligatæ, et ab omni externorum auxilio imperatissimæ, prementibus Hispanorum copiis, et in dies crescentibus impares brevi collapsuræ videntur, certæ scilicet florentissimarum Ecclesiarum Pontificiæ crudelitati subigendarum excidio.

« In Helvetia porro Pontificis illius Romani largitionibus et versutia, et turbulentissimis Jesuitarum concionibus incendia belli civilis propemodum hoc biennio excitata sunt, ut scilicet Bernates emendatæ Religionis cultores Sabandiæ Ducis in eos ex composito irrupturi armis obruerentur.

« Svecorum autem Ecclesiæ, restitutis in Svetia ritibus Pontificiis, et Jesuitis intima Aulæ penetralia pervadentibus, in assiduo metu et dubitatione versantur, ne scilicet abalienato stellionum illorum fraudibus Regis animo aliquid tandem in se gravius statuatur.

« Moscovitarum Religio, quantum a ritibus Romanis discrepet, omnibus perspectum est, ac Pontifex Romanus, dum se pacis arbitrum inter illos et Polonum gerit, hoc sibi ex illarum nationum odio compendium quærere voluit, ut Moscovitam suæ tyrannidi et cultui subjiceret, quod ab eo tandem impetratum ferunt.

« Quod ad Germaniam ipsam spectat, in qua potentissimorum Principum cura et pietate tutissima Ecclesiis præbita sunt hospitia, nihil non Pontifex molitus est, ut tranquillitatem illam et halcyonia conturbaret, quod sane apertius est, quam ut longiori explicatione indigeat.

« In tractatu vero Coloniensi eas nuper adversus Illustrissimum Electorem tragœdias excitavit, quam catastrophen, nisi in caput suum depellatur, in totius Germaniæ perniciem exituram sperat. Ex iis satis constat, nullam totius orbis regionem, cui verbum divinum illuceat, intentatam relinqui, omnesque illius monstri vires, et conatus ad extinguendam Evangelii lucem conferri, quod ut facilius fiat, Principum eorum, qui superstitionem et idolatriam fovent, conventum ordinarium sive Senatum per ipsorum Legatos Romæ nuper conflavit, in quo præside ipso Pontifice de firmanda et propaganda tyrannide Romana, delendisque per orbem Christianum Ecclesiis seria et quotidiana disceptatione agitur. Quæ omnia cum a nobis diuturna cogitatione versarentur, Illustrissimum Electorem Brandeburgicum nobis compellendum putavimus, ac per eundem Dominum Segurium exhortandum, ut (quod Reipublicæ Christianæ et totius Ecclesiæ amplificationi cedat) conjunctionem aliquam animorum et consiliorum inter Potentissimam Angliæ Reginam, et Serenissimum Regem Daniæ, ac Illustrissimos Germaniæ Principes institui pro viribus curet, et si res ita ferat, societatem auxiliorum non ad inferendum quidem Pontifici Romano bellum, sed ad propulsandam collatis operis et communicatis consiliis injuriam, ne si separatim, ut hactenus, adversus tot inimicorum conjunctas Pontificum auctoritate consultationes, et conatus congrediamur, et sejunctis atque separatis consiliis rem administremus, adversariorum illa mole alii post alios obruamur, ac dum singuli pugnamus, vincamur tandem universi. Huic porro societati nos ipsi, nostrosque lubenter adjuncturi sumus, ac fortunas omnes, vitamque adeo ipsam (si opus sit) in publicam utilitatem ad propagandam Dei gloriam profusuri.

« Porro cum singulari quodam, et immortali Dei beneficio, duo jam Archiepiscopi Colo-

nienses ab illa Antichristi Romani tyrannide defecerint, et vindicatam a superstitionibus religionem amplexi sint, quare nihil ad amplificandam Evangelii lucem, vel proferendos Ecclesiarum fines, et ad Imperii statum in bonorum et jure piorum favorem componendum propter eximiam Electoratus dignitatem utilius operari potuit, temporis autem calamitate et afflictis Ecclesiæ rebus effectum est, ut Illustrissimus Hermannus dignitate sua, et fortunis exutus in optima causa succubuerit. Illustrissimum Electorem Brandeburgicum hortabitur, ut de defendendo Illustrissimo Principe Domino Truchsessio, Electorali dignitate insigni, et Religionis vinculo sibi conjuncto, propter Dei nomen ab hostibus impedito, apud reliquos Germaniæ Principes et ordines agat, ne ei hanc notam felicissimo suo sæculo inuri patiatur, ut S. Romani Imperii Electorem Pontifici Romano e dignitate sua exturbare, et miseris modis vexare liceat, alium vero ad dictum pro suo arbitratu substituere. Omnium vero animos ab eventu Coloniensis belli suspensos, cui si secundus et piorum voto contigerit exitus, optima bonorum omnium animi expectatione erigentur. Sin vero egregius ille Princeps destitutus, et Augustissima Septemviratus dignitas Pontificis Romani ludibrio, et libidini exposita fuerit, sane bonorum omnium animi concident, et adversariorum crescet audacia. Cæteros vero tum Electores, tum inferiorum ordinum Principes, quibus nondum illuxit veritas Evangelica, a simili instituto infelicissimum exemplum absterrebit, neque fortassis unquam tam opportuna dabitur occasio constituendæ ex eorum votis et rationibus Reipublicæ, quorum interest emendatam Religionem quam tutissimo loco esse, ac Pontificis artes et auctoritatem ab Imperii finibus procul arceri. Quoniam autem novimus quanti sit ponderis et momenti negotium illud Coloniense, quamvis ab istius belli finibus, et crepitu longo itineris intervallo dissiti simus, et aliquo diuturno belli civilis Gallici labore et expensis pene exhausti, quamvis denique pacis publicæ beneficio, in otio et tranquillitate cum dignitate vitam degere possimus, tamen eidem Domino Segurio gemmarum, pecuniarum et suppellectilis aureæ vim aliquam non aspernandam credidimus, quam scilicet in Germaniam adportet, et aliquo tuto loco deponat, ut ex usu Ecclesiarum, præsertim Coloniensium, ac prout occasio postulabit, insumatur; si modo Illustrissimi Principes Germaniæ in fœderis illius consortium et consiliorum societatem convenire velint, ac eorum unusquisque pro facultatibus suis ad causam communem symbolum suum conferat. Quod si ab illis præstetur, non modo pecuniam illam et suppellectilem, sed reliquas omnes facultates et fortunas nostras, atque adeo vitam ipsam in salutem Ecclesiarum parati sumus impendere. Quod Illustrissimo Principi Electori Brandeburgico Dominus Segurius significabit, et ut earum rerum omnium, quæ hoc scripto continentur, rationes matura deliberatione iniri possint, ab ipsius Celsitudine postulabit, ut Conventum aliquem in Germania haberi de communi Illustrissimorum Principum consensu curet, et diem ab ipsis præscribi, quo Serenissimæ Angliæ Reginæ, et Serenissimi Regis Daniæ Legati una cum Illustrissimorum Germaniæ Principum Legatis adesse possint, cui etiam Conventui per Legatos nostros minime defuturi sumus. Porro hoc etiam Illustrissimo Electori nostro nomine significari cupimus, non frustra, neque temere a nobis ineunte superiore anno susceptum fuisse Germaniæ perlustrandæ institutum, ut concordiæ et conjunctionis alicujus rationes quæreremus, cum in utramque illarum Ecclesiarum salutem et incolumitatem (quæ nobis suprema lex esse debet) verti agnoscant, absque illis vero servari nos posse adversus Antichristi molitiones, nemo sanæ mentis putet.

« Utriusque vero negotii perficiendi spem omnem in Illustrissimis Electoribus Brandeburgico et Saxonico constitutam esse, ad quos velut cynosuram nautæ, ita omnes tum Imperii Principes, tum exteri oculos referunt, et sine quibus nihil harum rerum confici posse censent.

« Rogare nos igitur, et per Dei nomen obsecrari, perque ipsius et nostrum omnium salutem cum Ecclesiæ prosperitate conjunctam, ut universam Ecclesiam Christianam in summo discrimine fidem Illmo Principi obtestantem amplecti velit, et e mediis dissensionum fluctibus eruere; sic vero apud se cogitet, latissimum quidem esse virtutis ipsius et pietatis campum, uberiorem vero Religionis et pietatis exercendæ materiam, atque segetem nullam esse quam in hoc negotio. Quod si Illmi Electoris auctoritate promoveatur, non dubitare nos, quin omnium bonorum certatim studia, et vota hoc præclarissimo facto promeriturus sit, et Dei benedictionem certissimam et amplissimam experturus. Datum Neraci xv. die Julii anno 84. signatum Henricus, et infra Alliarius: majori sigillo munitum.

«Illmo Principi ac Dno Dno Joanni Georgio Marchioni Brandeburgensi, Sacri Romani Imperii Electori, manu mea tradidi

Jacobus Segurius Pardalianus
Regis Navarræ Legatus.

XIV. — Vidimus quam male se dederint legationis ejus initia; progressus pares videbimus. Cæsar enim periculosis Regis Navarræ consiliis plane cognitis, Segurium, qui libere totam Germaniam peragrabat, comprehendi atque in custodia haberi jussit. Quod is permoleste ferens, ut se a suspicione, in quam incurrerat, libera-

ret, has ad Cæsarem misit litteras: in quibus admodum confidenter affirmavit, sibi, ut contra Romanum Pontificem ageret, mandatum esse. [*]

[*] Germania Vol. 85. fol. 265.

Invictissime ac Potentissime Cæsar.

« A Serenissimo Rege Navarreno ad varios Principes orbis Christiani missus, potissimum vero ad Cæsaream Vestram Majestatem, decreveram primo quoque tempore contendere, tum ut legationis munere perfungerer, tum etiam ut optimam Serenissimi Regis Navarreni voluntatem, et studium erga Majestatem Vestram Cæsaream declararem, ipsiusque officia et obsequia deferrem; verum cum hoc statuissem, Cæsaream Vestram Majestatem calumniis quorumdam legationi meæ iniquiorem factam esse intellexi, et ab eadem tum ad Illños Ducem Bavariæ, tum ad Comitem Solmensem, tum etiam ad alios scriptas esse literas, quibus ut interciperer, et in custodiam conjicerer, edicebat. Addiderunt amici, insidias etiam multis in locis mihi paratas esse, quod tamen Serenissimi Regis Navarreni adversariis, quorum ille multorum odio propter Ecclesiæ susceptam defensionem laborat, non Clementissimæ Vestræ Majestati adscribo, imo ne literas quidem illas a Majestate Vestra ipsius sponte exaratas puto, sed furtim ablatas vel imposturis et calumniis extortas. Accusationis, ut audio, tria potissimum fuere capita: primum est, quod sine fide publica Imperii Germanici peregrinus homo limites ingrediar; alterum, quod insalutata Majestate Vestra cum Germanicis Principibus agam; tertium, quod novis rebus in Imperio studeam. Quas accusationes, ut facile dilui possunt, ita parum ponderis apud Cæsaream Vestram Majestatem habere velim. Nam quod ad primam attinet, legatorum personas ipso Jure gentium sine fidei publicæ cautione, quæ civilis juris est, sacras esse, et ab omni injuria immunes, norunt ii, Invictissime Imperator, qui fæciales leges norunt; quarum, uti cæterarum, cum Cæsarea Vestra Majestas sit conservatrix et acerrima vindex, miror quid illis in mentem venerit, qui ipsius patientia et clementissimis auribus ad prætexendam istam calumniam abusi sunt. Præterea cum nullis Imperii legibus caveri putem, ne cui peregrino, hoc quidem pacis tempore, sine fidei publicæ diplomate in Germania versari liceat, quis mirabitur eo me jure usum præsertim legatum, quod privato cuilibet competit? Quod ad secundum calumniæ caput attinet, fateor Clementissime Cæsar, a Serenissimo Rege Navarreno injunctum mihi fuisse, ut Illños Electores Saxonicum et Brandeburgicum accederem, antequam ad Cæsaream Majestatem Vram irem; prospiciebat enim prudentissimus Rex futurum, quod accidit, ut legatio ista in varias adversariorum reprehensiones incurreret. Itaque administrandæ illius primordium ab Illñis Electoribus duci cupiebat, quorum testimonio de totius negotii sinceritate Cæsareæ Majestati, si opus esset, idonee caveretur. Sed cum Berlino Dresdam peterem, mihi primum ex literis amicorum suspicio non levis facta est, malevolorum quorumdam calumniis legationem meam obtrectari, meque apud Cæsaream Vestram Majestatem in odium vocari; technas vero istas in Gallia ipsa ab iis coofictas, quibus Regnum illud florentissimum tot jam annos diripere ludus fuit. Cum igitur initio Dresda ad Cæsaream Vestram Majestatem ire ex Serenissimi Regis Navarreni jussu decrevissem, consilium non sine summa animi molestia mutare, et profectionem istam in aliud tempus protrahere coactus sum, tum quia justa fuit in itinere ipso ab hominibus male feriatis metuendi causa, tum etiam quia futurum sperabam, ut interea, dum alibi meam legationem administrarem, falsas ipsas criminationes tempus ipsum dilueret. Neque tamen de mutato itineris instituto, et accusationibus istis, aut cum Illño Electore Saxonico quicquam egi, aut ad Majestatem Vestram scribere volui, ne id temere scriberem, de quo mihi nondum plane liqueret. Superest ultimum accusationis genus, quo novas res in Germania moliri dicor; quod quam a veritate sit alienum, testes esse poterunt Illñi Electores et Principes Germaniæ, quibuscum hactenus egi, testes civitates, et si exterorum testimonia requiruntur, quænam illustriora et locupletiora edi possunt, quam Serenissimæ Reginæ Angliæ, et potentissimi Daniæ Regis, quibuscum ex eadem mandati formula mihi res fuit? Fateor quidem de Illño Electore Truchsessio actum, sed eatenus tantum, ne desereretur, et ne qua illi injuria Pontificis Romani tyrannide et libidine fieret, quæ oratio quam honesta sit, Cæsareæ Vestræ Majestatis judicio et exemplo comprobatur, cum ne ab illa desertus fuerit quidem Illñus Elector, sed Imperiali edicto cautum, ut utrinque ab armis discederetur, unde secuta sunt comitia Rotemburgica. Nam quod ad Illustrissimum Cardinalem Bavaricum attinet, tantum abest, ut ad eum spectaverit Serenissimus Rex Navarrenus, aut in eum ista legatione quicquam odii, aut invidiæ, vel etiam periculi conflare voluerit, ut quo tempore ab illius Serenitate ablegatus sum, Illñum Cardinalem Coloniensis negocii partem esse, ne fama quidem acceperit, ut ex die meæ missionis constat: fuit et in legatione mea exhortatio ad Illños Principes, ut sibi caverent a Romani Pontificis insidiis, et si quid ille moliretur, communibus consiliis et auxiliis rem ogerent; denique ut pro Germaniæ salute, et Imperii dignitate adversus illius fraudes vigilarent. Sed quid hoc ad turbas in Germania movendas, quarum falso insimulor? aut quid aptius ad pacem et concordiam

in Imperio retinendam? videt Cæsarea Vestra Majestas, Invictissime Cæsar, quam falsa sint, quæ de me dicuntur, quæ si nominis mei et personæ finibus circumscriberentur, neque Serenissimus Rex Navarrenus iisdem calumniis premeretur, fortasse prætermitti potuerunt, sed quoniam Serenissimi Regis agitur existimatio, tacitus præterire non debui. Hoc verum de me dicam, neminem esse tota Gallia nobilem, qui me suapte natura a rerum novarum studio alienior extet, neminem qui ad pacis illius et concordiæ rationes, qua singulari Dei beneficio in Gallia fruimur, vel industriæ, vel laboris plus, quam ipse feci, contulerit: qua quidem in re cum fructum tuli, et quidem uberrimum, ut studio pacis Christianissimo Regi commendatus fuerim, et amplissimo ipsius testimonio exornatus; utinam autem fieret, ut quemadmodum in pace nostra constituenda conatus meus optimus felicissime successit, ita etiam aliquid ad concordiam in Germania retinendam adferre possem. Nunc quoniam, ut ex initio dixi, criminatorum arte factum esse intellexi, ut Cæsarea Vra Majestas intercipi me jusserit, cujus mandati geminum exemplum ab octiduo primum accepi, a Vestra Majestate veniam peto, Invictissime Cæsar, si quod ipse facturus eram, alia ratione hoc quidem tempore facere cogor, ut scilicet legationis meæ causas scriptis explicem, et Serenissimi Regis Navarreni literas et mandata ad Cæsaream Vestram Majestatem mittam, quibus ab ea diligenter perspectis futurum spero, ut nobis in Germania tuto per ipsius clementiam, quod superest temporis, versari liceat; neque scilicet ulla vis felicissimo seculo vestro et Imperio jurigentium fiat, et Majestas Vra Cæsarea Serenissimo Regi Navarreno benigne et commode respondeat. Quod quidem responsum donec ab hoc ministro meo referatur, interea dum expecto, Deum Optimom Maximum orabo, ut Cæsaream Majestatem Vram, Invictissime Cæsar, ad nominis sui gloriam, et orbis Christiani tranquillitatem perpetuo incolumem servet. Verdæ vi. Aprilis 1584.

Cæsareæ Vestræ Majestati

Addictissimus et obsequentissimus
JACOBUS SEGURIUS PARDALIANUS
REGIS NAVARRÆ LEGATUS.

XV. — Quamvis Segurius, re infecta, in Gallias rediisset; Rex tamen Navarræ haudquaquam rei conficiendæ spem abjecit; adeo obfirmaverat in ea cupiditate animum! Eundem igitur clandestina legatione iterum in Germaniam ad Cæsarem, atque ad Principes Protestantes misit ad ea efficienda, ex quibus sub specie pacis et concordiæ latissimo incendio tota Europa esset conflagratura. (*)

(*) Germania Vol. 63, fol. 258.

Invictissime ac Potentissime Cæsar, Frater et Consanguinee Observandissime.

« Promulgato in Gallia pacis edicto, incredibili quodam desiderio tenebamur, plerosque Reges et Principes Christianos invisendi, qui de Republica Christiana quam optime meriti essent: sed propter eximiam Cæsareæ Majestatis Vestræ virtutem, et hæroicas animi dotes ipsius compellandæ præcipuum studium erat. Hoc igitur ut assequerer, decreveramus anno superiori, itinere longinquo et difficili nos committere, cum ecce suborientes in constituenda pace Gallica difficultates novæ, nos propemodum ad viam illam accinctos detinuerunt, et invitos adhuc remorantur. Ex eo factum, ut Dominum Jacobum Segurium interiori nostro consilio præfectum, cum ad alios Principes plerosque, tum præsertim ad Cæsaream Vestram Majestatem ablegaverimus, tum ut nostrum in ea studium, benevolentiam et animi propensionem verbis indicaret, quam omni genere officiorum atque obsequiorum declarare malimus; tum etiam ut de gravissimis negotiis, et ad Reipublicæ Christianæ salutem et concordiam pertinentibus, ex mandati sui formula cum Cæsarea Vestra Majestate nostro nomine ageret. Quod quoniam illum fideliter et sincere facturum confidimus, et a Majestate Vestra pro solita ipsius clementia, et rei gravitate benigne auditum iri, epistolæ modum non excedemus: sed Deum Optimum Maximum precabimur, ut Cæsaream Vestram Majestatem ad Germaniæ, totiusque orbis Christiani salutem et incolumitatem diutissime sospitem servet. Neraci xv. Julii MDLXXXIII.

HENRICUS.

Alliarius.

Ex his ad Cæsarem litteris, quantam simulationem, quas artes Princeps ille Vasco ad serendas discordias adhibuerit, facile intelliges, dummodo si quæ Segurio, ut cum Marchione Brandeburgensi ageret, mandavit, cum his, quæ apud Cæsarem eidem conficienda concrederat, comparaveris. In quibus illud profecto, si paullo quis sanioris ac maturioris sit ingenii, fastidire vehementer in eo viro oportet, qui in se id admittebat, quod aliis crimini dabat. Is namque ut ad audax inceptum universalis Reipublicæ constituendæ perveniret, tum primum in Romanum Pontificem ea moliebatur, quæ eundem apud omnes Principes odio afficerent; tum putidas calumnias, impiaque maledicta in eum congerebat. Deinde in recenti Galliarum pace, quam, ut præ se ferre videbatur, gratissimo animo Regi Christianissimo, propinquo suo, referebat acceptam, ipse qui se studiosum pacis jactabat, eos animorum motus excitaturus erat, ex quibus civilium armorum furore vehementius quam antea exardescerent. Quid enim aliud agebat Rex ille, cum tantopere omnium sectarum conjunctionem per se vellet conflatam, nisi ut conjunctas vires in Romanum Pontificem, adeoque

contra quiquid Catholici nominis paratas haberet? Quod hercule omnes omnium gentium homines armasset, Europamque universam plurimo civili sanguine respersisset. (*)

(*) Germania Vol. 68. fol. 239.

« Mandata, ex quorum formula cum Invictissimo et Potentissimo Principe, ac Dño Dño Rudolpho Dei gratia Romanorum Imperatore, semper Augusto, Rege Hungariæ, Bohemiæ, etc. Archiduce Austriæ, nostro nomine acturus est D. Jacobus Segurius Pardalianus, a nobis Henrico Dei gratia Rege Navarræ, Principe Bearniæ etc. ad Cæsaream Majestatem ablegatus.

« Dominus Segurius Pardalianus Invictissimo et Potentissimo Imperatori nostris verbis referet, constituta demum in Regno Gallico pace, qua Dei Optimi Maximi beneficio, et singulari Christianissimi Regis clementia fruimur, nihil prius habuisse nos, neque antiquius, quam ut diuturnis bellorum periculis atque laboribus defuncti Cæsaris ipsius Majestatem, et reliquos Catholicæ Romanæ, nostræque Orthodoxæ Religionis inviseremus, qui pacis, et concordiæ inter Christianos sanciendæ cupidiores essent; partim ut initam inter nos amicitiam et benevolentiam firmioribus vinculis colligaremus, partim etiam ut de rebus ad Rempublicam Christianam pertinentibus cum iis ageremus.

« Verum cum in firmanda et stabilienda pace Gallica innumeræ quotidie difficultates suborirentur, quibus depellendis, aliquid erat in nobis præsidii, ab ea charitate, qua patriam amplectimur, properantibus nobis injecta est remora, et hic diutius hærendi occasio allata, ut et laboranti patriæ pro viribus opitularemur, Regnoque et ditionibus prospiceremus, et pro jure illius gradus, quo propius quam cæteri omnes Principes familiam Regiam attingimus, in Gallia ipsa, juxta Christianissimi Regis sententiam et edicta, conservandæ pacis rationes iniremus.

« Ex eo factum est, ut cum urgente necessitate Germanicæ profectionis institutum mutaverimus, quod proximum fuit, Dominum Segurium, interiori nostro consilio Præfectum, ad Invictissimum Imperatorem, Serenissimam Angliæ Reginam, Serenissimum Daniæ Regem, Illustrissimosque nonnullos Sacri Romani Imperii Electores, et alios Principes ablegaverimus, præsertim vero ad Cæsaream Majestatem, apud quam benevolentiæ nostræ, et propensissimæ ad omnia officia et obsequia præstanda voluntatis, et studii luculentissimum in his literis testimonium extare voluimus.

« Quod cum indicaverit Segurius noster, et Invictissimum Imperatorem, et qua par est observantia et reverentia, nostro nomine officiosissime salutaverit, tum Cæsaris ipsius Majestati duo potissimum significabit. Prius est, quam gravissimis et periculosissimis bellis conflictata fuerit, et concussa viginti duos ferme jam annos propter religionis dissidium major totius orbis Christiani pars: quod etsi omnibus notius est, quam ut explicari debeat, Cæsareæ vero Majestatis Vestræ ea sit prudentia, et Reipublicæ Christianæ cura, ut et rei gravitatem expendat, et quid inde futurum sit periculi, ipsa per se prospiciat; tamen hanc qualemcumque commonefactionem, vel potius mœroris nostri ex diuturnis illis ærumnis significationem, citra fucum et ambitionem propositam, Cæsareæ Majestati (cujus summa prædicatur humanitas) non ingratam, neque injucundam fore confidimus.

« Nam ut alia prætermittamus infinita scelera, qua miseranda illa tot bellorum repetita series invexit, ut oppidorum direptiones et Christiani sanguinis profusionem, cum incredibili legum et divinarum et humanarum contemptu, quis non videt, simul potentissimo et impotentissimo Turcarum Tyranno ad internecionem nominis Christiani dissidiis intestinis viam aperiri? Hujus vero mali fontem atque originem non aliam esse statuimus, quam Pontificis Romani ambitionem, et simoniaca consilia, qui ut labantem auctoritatem suam quavis ratione retineat, Principum Christianorum animos, pacis alioquin studiosos, adversus eos accendit, qui religionem nostram profitentur, et conscientias ipsorum ad jugum ab illis excussum violenta ratione adigere studet.

« Cum enim in pace et Ecclesiarum nostrarum tranquillitate, plurimum esse videat ad salutem, et amplificationem ipsarum præsidii, bellorum incendia in illos spargit, florentissimorumque Regnorum et statuum eversiones floccipendit, modo sanguinarium illum animum ultione expleat, et eadem ruina tum in Germania, tum in Gallia protestantes Ecclesias involvat. »

« Quanta porro fuerit semper Pontificum Romanorum ambitio, et inexhausta dominandi cupiditas, quam incredibili adversus Imperatores Romanos flagraverint odio, testantur diuturna illa bella, tot sæculis tum in Italia, tum in Germania gesta, quorum exitus is fuit, ut Imperatores anathematum larvis sæpius exterriti, a Pontificibus tandem, obtentu Religionis, imperitæ plebis animos conturbantibus, Italia pulsi sint, et potentia illa Pontificia longe lateque propagata.

« Nam in Gallia ipsa et Anglia quid tentaverint Pontifices, quibus dolis usi sunt, ut utrunque illud Regnum sibi feudatarium redderent, testantur historiæ, non sine luculenta commemoratione virtutis eorum Regum, qui crescentem illam Pontificum tyrannidem represserunt. Cum itaque hoc sæculo erudito patefactæ sint eorum præstigiæ, et superstitionis ille fucus, quem ambitioni suæ prætexebant, ut jam obfirmatis multorum animis, non tam de Imperio, quam de salute sua dimicent Pontifices, nihil mirum est, si tragædias multas toto passim in

orbe Christiano excitent, et optimorum Principum animos ad arma adversus subditos suos veræ Religionis amantes capienda impellant. Neque enim florentissimos status in extremum discrimen adducere verentur, ne quid ei potentiæ decedat, quam malis artibus quæsitam, malis artibus servare student. Atque ex hoc quidem ambitionis fonte consilia illa promanarunt, quibus et Gallia et Belgia ipsa ante multos jam annos misere diripitur; Germaniæ vero classicum canitur, et in ipsius finibus Coloniense bellum excitatur.

« Quæ cum ita sint, Invictissimam Cæsaream Majestatem, cui pro summa illa dignitate Christianæ pacis et concordiæ cura incumbat præcipua, omni prece et contentione rogatam cupimus, ut cum Serenissimis Regibus et Illustrissimis Orbis Christiani Principibus, de pace amplectenda et retinenda diligenter agat, eosque serio adhortetur, ut violentis Pontificum Romanorum consiliis aures occludant, subditis suis Orthodoxam Religionem profitentibus pacem et tranquillitatem, cum invocandi Dei, ex ipsius mandatis, libertate conjunctam præstent; neve existiment, animam nobilissimam hominis partem, et auræ divinæ igniculum, præsertim Evangelica luce illustratum, ullis bellorum ærumnis premi, ullo fidicularum aut equuleorum genere cogi posse ad ea dogmata suscipienda, quæ vel a ratione, vel a divinis scriptis aliena judicet, præsertim cum neque preciis ullis, neque violentia aut cruciatus acerbitate veritas eruatur, sed amica, et benevola collatione, et ejusmodi colloquiis et synodis, quales prisca Ecclesia plerasque novit, nostra vero ætas hactenus desiderat. Hoc autem si fecerit Cæsarea Majestas, et Principum Christianorum animos ad pacis rationes et studia traduxerit, tum et de Republica Christiana optime meritus fuerit, et immortale decus posteris relicturus. Pientissimi vero parentis Maximiliani æternæ memoriæ Imperatoris exemplum imitabitur, qui cum subditis suis Augustanam confessionem amplectentibus religionis libertatem concessisset, Christianissimo Regi ex Polonia redeunti auctor fuit, ut pacem in Regno Gallico conservaret, cumque graviter et sapienter admonuit, ne Gallos subditos suos Religioni nostræ deditos summo totius Regni periculo opprimere tentaret.

« Hoc priori legationis capite cum perfunctus fuerit Segurius noster, tum quod posterius est, præcipuam ablegationis suæ causam ad Illustrissimos Augustanæ Confessionis Electores, et Principes Invictissimo Imperatori significabit; cujus ea ratio est, ut quoniam in uno fidei articulo inter ejusdem Confessionis et Helveticæ sive Gallicæ Theologos judiciorum est quædam varietas, aut dissimilitudo, et concordiæ Christianæ interest, ne quid inde gravius oriatur, verborum illam verius, quam rerum discrepantiam tolli. Idcirco ab Illustrissimis iis Principibus postulandum esse duximus, ut controversias istas placida et modesta disceptatione dirimendas curarent. Quod negocii genus Cæsareæ Majestati neque novum, neque insolens visum iri speramus, præsertim si pro sua prudentia duo potissimum consideret: alterum quidem, aliquoties eam in rem, in Germania ipsa Magistratus auctoritate, inter primarios Religionis nostræ Theologos habitos fuisse conventus; alterum vero, quod optimus et sapientissimus Imperator Maximilianus, Cæsareæ Majestatis nunquam satis laudatus Pater, unicam illam dissimilitudinis inter Ecclesias Germanicas notam elui sæpenumero optaverit, ac cum Illustrissimis Electoribus egerit, præsertim in Comitiis anno 1566. ut unica extaret inter Augustanæ Religionis homines professionis formula, quod ad pacem Imperii conservandam prudentissimus Princeps pertinere judicabat.

« Cum igitur ista legatione nihil omnino contineatur, quod non ad Imperii ornamentum spectet, et tuendam Germaniæ totiusque Reipublicæ Christianæ pacem: neque inutilem illam fore speramus, neque Cæsareæ Majestati ingratam, cum ea sit optimi et Invictissimi Imperatoris prudentia et pietas, ut Christianorum concordia nihil prius, neque optatius habeat.

« Superest, ut eidem Invictissimo Cæsari nostra iterum studia deferamus, ab eoque postulemus, ut illa de nobis sibi polliceatur observantiæ et amicitiæ officia, quæ pectore candido, et Principe sincero Cæsareæque Majestati addictissimo proficisci debent; quod quoniam reipsa potius quam verbis testificari cupimus, nunquam aperiendæ optimæ voluntatis occasioni defuturi sumus. Datum Neraci xv. Julii MDLXXXIV.

HENRICUS.

Alliarius.

XVI. — Quod si in Navarrensis legationis singula capita penitus inspicere quis velit, reconditamque sententiam exinde efferre, illud certe deprehendet, Navarræ Regem ea de causa legationem decrevisse, ut sub specie concordiæ ineundæ Principum Germaniæ Protestantium animos sibi conciliaret, quorum præsidio et Galliæ regnum absque ullo impedimento assequeretur, et ad universale imperium, quod appetebat, viam sibi sterneret. Tempora enimvero ejus consiliis quam maxime erant opportuna: Alenconius namque, qui ex Belgio in Gallias redierat, desperata valetudine ægrotus jacebat: Henricus vero Galliarum Rex suorum odio, maxime qui e Guisiana gente erant, non minus laborabat. Quo in rerum statu id certe evenit, ut Navarrus callidissimus idemque in omnem occasionem insignis facinoris intentus, non inanem spem foveret summa rerum potiendi. Hæc

eum animo agitasse, satis superque prodit occultissimum fœdus, quod Cæsare inscio, cum nonnullis Germaniæ Principibus die 25. Decembris Magdeburgi pepigerat cui [*]; fœderi et ipsa Anglorum Regina, et Regni Scotici Princeps et Patronus, nec non Dux Arausionensis per Legatos suos accesserunt. In eo hæc sunt præcipua, de quibus convenerant: Regem Navarræ, qui recentiori pacificationis edicto fidem non constitisse merito quereretur, copiis esse juvandum, ut ad illud edictum religiose observandum Galliarum Regem adigeret: tum Summum Pontificem regionibus, quas in Italia ditione sua teneret, spoliandum esse, easque Sacro Romano Imperio adjiciendas.

[*] Ramisca document. N. 90.

Ex quibus nemo non videt, Navarrum hæc spectasse, ut Romani Pontificis cum civili sacra quoque potestas labefactaretur; atque id propterea iniquissimo illo fœdere inseruisse, ut tanquam esca quadam illi Protestantes Germaniæ Principes ad eum defensandum, muniendumque suis opibus pertraherentur.

Verum Germanorum prudentiam subdolæ Navarri artes haud fefellerunt: omnes qui Augustanam Confessionem tenebant, non modo ab illa cunctarum Confessionum conjunctione, quam is proposuerat, abhorrebant, sed prorsus execrabantur. Famosus ille Martinus Chemnitius, vir inter Lutheranos symmistas summæ auctoritatis, cum a Marchione Brandeburgensi rogatus est de Navarræ Regis consilio quid sentiret, respondit, nihil cum Vascone illo Principe sibi vellet negotii esse. Quid autem reliqui fere omnes ejus Confessionis sectatores de ea re senserint, liquet ex libello, qui hoc anno exeunte in Germania typis fuit evulgatus sub titulo: Incendium Calvinisticum Regis Navarri Legatione, apud quosdam Imperii status nuper admodum, ad certam Religionis ac Reipublicæ conturbationem procuratum. In gratiam bonorum piorumque editum. Anno MDLXXXIII.

Libellus iste sane inter libros rariores habendus: quippe Calvinistæ in Galliis æque atque in Germania omnia quotquot ad manus habere exemplaria potuerunt, perdiderunt. Ejus auctor, orationis genus non minus elegans, quam auctum et copiosum secutus, acerrima ironia Navarræ Regem exagitans cum mordet, ludibrioque hominum objicit, tum illum cujuslibet religionis hostem traducit, qui nihil aliud, nisi ultimam et Germaniæ et Confessionis Augustanæ perniciem sibi proponat, et futilia impiaque Calvini dogmata, puriori (ut ait) ac sanctiori Lutheri doctrina explosa, Germanis velit obtrudere. Gratum erit præfationem legere, quam auctor veluti cohortationem Germanis universis adhibitam, operi suo præmisit. In ea vir iste celebris inter Lutheranos theologos libentissimo quidem animo ætatis suæ mores ex parte depingit, et capitale penitus insitum odium Lutheranos inter et Calvinistas ad vivum aperit, et Truchsessium apostatam vehementissime increpat, quod abjecta fide Catholica ad Calvini sectam defecerit; Navarri dein artes et simulationem plenissime detegit. En auctoris verba. [*]

[*] Processus Henrici IV. f. 458

Lectori Salutem.

« Visus est haud ita pridem in Germania inauspicati ominis Nuncius, qui se, nescio quem magnificum Regis Navarræ Legatum, quibusdam Augustanæ confessionis statibus venditavit. De cujus legatione, prætensisque mandatis an dicendum prius sit, seu deplorandum potius miseræ Germaniæ fatum, non injuria quis dubitet. Etenim si post ingentes calamitates, quas Germania ex sua in exterorum causas fatuitate quadam diu jam accepit, sustinuitque, etiam hæc ipsi nota supererat, ut cum ea de suscipiendo Calvinismo ageretur, magnas equidem gratias debere se videt ei, qui tanti sui decoris laborem ac studium in se recepit. At vero quantus est ille, et quam præpotens Monarcha? Navarrici nimirum tituli Bearniæ Dominus, Rex sine regno, in minima enim parte regni, quam ipse occupat, si quis ultra quater mille ædes numerare queat, Argo fuerit oculatior. Egregiam sane spem ex patrono tantarum opum, in cujus gratiam secedendum sit ad eam religionem, quam omnes etiam aliæ, quotquot ab Ecclesiæ Romanæ fide discesserunt, sectæ religionumqoe opiniones damnant, odiunt, proscribunt. Est enim Calvinismus eorum hominum commentum, quibus sceleratiores mundus vix unquam tulit, vel iis testibus, quos ipsi habent ex suæ gentis ordinibus amplissimos ac honestissimos. Patriam sane nobilissimam pudet eorum monstrorum, atque ut errores cum nominum memoria delere tandem queat, nihil non tentavit hucusque. Id vero ne fœlicius aliquando contingat, etiam quod in Germania reliquum est religionis et tranquillitatis, ad Sacramentariam illam ruinam sollicitatur. Quo vero nomine, qua fronte? Ecce Calviniani ad te veniunt, Germania, publicæ tuæ pacis firmamenta procuraturi, penes quos nulla unquam pax constare potuit, qui statim ubi semel admittuntur, pacis ac tranquillitatis præsidia omnia tollunt e medio. Non credis hoc, misera? Aspice quæ hinc inde per orbem Christianum posita sunt Calviniano Evangelio monumenta, plusquam Turcicam immanitatem posteris testatura. Intuere Angliam, Scotiam, integra regna, Belgium, magnam Galliæ partem. Est ne in his, ubi Calvini verbum auditur, aliqua pacis securitatisque publicæ vel imago, vel spes etiam? Scilicet ea religio, cui Regum mortibus via paranda fuit, (quod manifeste gloriatur, qui recentium motuum Gallicorum historiam scripsit) Principibus Germanis pacem et tranquillitatem adferet. Et si externa

minus te movent, a Civitatum tuarum gubernatoribus quære, quanti sit laboris Rempublicam tueri, si vel pauculi irrepant Calviniani, qui brevi momento totam Civium massam suo fermento inficiant. Considera tecum ex unius Imperialis Cameræ Judicii facie, quam sit mutatum ab illo, postquam inter Protestantes Calviniani quoque recipiuntur passim: parum ibi veteris familiaritatis et candoris: insectationum odiorumque publicorum plurimum. Ubi tamen tum ex mittentium, quam recipientium conscientiis ab initio non incommode consuli poterat tanto malo, cujus jam vix apparet remedium; adeo pauculi quidam, cum sordidæ plebeculæ studio nocere potuerunt, nec mirum. Est enim hæc inquieta, implacabilis, truculenta, sanguinaria secta, nihil præter minas ac cædes spirans: cui qui addicti sunt exosam habent pacem, ad quamvis turbandarum rerum occasionem, etiam iniquissimam ac turpissimam parati. Exempla neminem latent. Ecquis enim in tanta Germanicorum Principum, ad tuendum publicæ pacis decus, concordia, vel Imperialibus mandatis, legibus atque decretis sese opponere, vel militem ad externorum Regum injuriam educere, seu ad ipsam dulcissimam patriam vastandam colligere fuisset ausus, nisi quos sanguinarium illud Evangelium a recti tramite jam amuverat? Sensit ejus fortitudinis (si qua tamen non potius est temeritas) exemplum Gallia, expertum est Belgium, et Colonia nuper ingemuit: adeo nihil tam iniquum est, aut tam improbum, ad quod Calviniana placita non arma ministrent, furoremque concitent. Quæ vero supererat religio alia, ad quam sese reciperent apostatæ impii, cum jam integras Ecclesias evertere, Imperiumque Germanicum prisca sua dignitate et amplitudine spoliare deliberassent, præter Calvinisticam, sub qua quodlibet licere etiam sibi quisque putat? Et hæc ipsa non religio, sed religionis potius deformatæ impietas, quæ sacras civilesque leges conculcat, quæ regna evertit, quæ homines dementat, Germaniæ pacem constituet, et ex pugnantibus inter se religionum diversarum opinionibus unam aliquam concordemque sententiam statuet. Cogita quæso, Lector, de Calvinismi natura et progressu diligentius. Est ea, si qua tamen est ea Religio, sentina omnium sordium, quæ inquinare deformareque possunt regnum filii Dei in his terris: idque si nondum satis tibi constat ex scelesta congerie Genevensi, ubi omnium nationum facinorosi, nefarii, latrones, homicidæ, sicarii, venefici, fascinatores, incendiarii, monetarii, et reliquus furum manipulus asylum sibi constituunt, utpote quos nulla alia terra, nec inter Christianos, neque apud Turcas sustinet: ecce novum tibi exemplum in Gebhardo Truchsio, qui cum improbitate ac libidinibus sese per omnem vitam conspurcasset, et magicis artibus dementasset, manusque impias humano quoque sanguine fœdasset plurics, ad summum postremo scelerum et improbitatis omnis fastigium conscensurus, in Calvinistarum tutelam confugit. Et quid vero ad Germaniam cum sua colluvie Calvinus? quem ea neque in civilem illam, quæ ob religionis controversæ negotia sancita est per Imperium, pacem admittere unquam voluit. Nemo certe mentis capax curandum, sanandumque sese committet ei, quem ipse incurabilem, deploratum insanumque judicaverit. At per Germaniam nemo facile feret, suam quamcumque tandem amplectatur Religionem, Calvinistica non esse tutiorem honestioremque; adeo generosa est sinceri sanguinis probitas, ut per innatam quoque honestatem tam impia et absurda dogmata aversetur. Unde quod ab initio dictum fuit, non parum equidem debet suo isti Curatori magno, qui tanto flagrat ejus conservandæ tuendæque desiderio, ut vel ipse profectionem tam laboriosam suscipere cogitarit. Magnum profecto et ex veterum Regum imitatione acceptum, ut Rex Navarræ, posthabitis tanti regni difficultatibus, iter illud et laboriosum et longum meditaretur pro Germania consolanda, quæ sub iis auspiciis nullam deinceps unquam lætitiam capere posset. Erat forte hoc ex voto, ut pro visitando Domini sepulchro, quod abominabile est Navarrico Evangelio, Germaniæ pararet exequias. Ita enim consolari beareque solent suos Calviniani. Sed retraxit illius zelum immensi populi, sextam illam et minimam quidem Navarrici regni partem habitantis cura. Quam quidem ut non negligeret, ad se maxime pertinere videbat, cum præter ipsum non sit alius in isto Navarræ angulo Episcopus, qui sua illa sacra tueatur. Sed verius illud est, quod in literis mandatisque suis minime dissimulat, Gallicæ pacis necessitatem et majestatem suam illam excursionem dissuasisse. Periculum enim erat, ne si foris contra Pontificem potentissimosque Reges, quod animo versabat, commovisset ex sententia, ipse deinde amplissimo unius oppidi regno penitus excluderetur. Igitur per Legatum rem agit, cui versipellem variumque agere: dolum ex dolo fingere: omnis Christiani orbis partes exentere, quo Principibus et magistratibus tranquillitatis amantibus, odium conflaret: ad turbandam publicam Germaniæ quietem per fraudes ac mendacia dissensiones spargere: quæ ipsissima sunt Calviniani Evangelii opera, inque solis feralis istius turbæ locis conspiciuntur (cædes nimirum, direptiones, iniqua injustaque omnia); aliis, sub quibus vigent florentque tamen omnia, impudenter affingere, novum forsitan haud fuerit, certe minoris dedecoris censeatur: atque hujus Oratoris artes dolosque si quis unico fasciculo comprehensos volet, id is agit in summa, ut

dum Lutheri Calvinique placita coeant, omnibus interim liberum sit quod volent et credere et agere. Dum enim iis de rebus inter dissentientes magistros placide aliquando conveniatur, non annus et anni, sed sæcula ibunt. Atque hanc in religione ἀναρχίαν quærit boni Regis bonus Legatus, qui Dominum mallet forsan δημάγωγον quam Regem habere.

« Hi sunt honores, hæc ornamenta, quibus pro sua charitate affectam cupit Germaniam Rex beneficus. Et quare cum ista sua largitate non ad Hispanos vicinissimos properat? cur non extenditur ingens illa ejus pietas ad Italiæ partes multo viciniores, quam est Germaniæ ultimus ad Galliæ fines tractus? Non audebat Hispanis superioribus, Italisque prudentibus obtrudere putridas istas merces, quas forsan Germani aliqui, quibus religio ex potestate, auctoritateque sua propria statque caditque, non penitus abjecturi sperabantur. Ex his procul dubio videbantor idonei, quorum commota potentia patriam Galliam novis cladibus involveret: a superiori illa multorum facilitate conjecturam accipiens, qua se nulla vel justiore vel honestiore causa tot periculis objecissent. Quæ etiam dum fiunt, sapientissimus Rex id quoque laborat, ut et Italos et Hispanos simul fallat opinione cujusdam resipiscentiæ, Catholicæque fidei ardore, quo eam inter suos restaurare velle videri cupit. Scient autem ibi quam fidem habere debeant. Ad Germaniam porro si ex illo magno amore actum sit satis, ubi superiorum temporum ærumnæ edocere nequeant, faciat ea in nomine Domini, periculum adhuc semel ad istius Patroni verba, quem patria, quem Roma Euripo mutabiliorem censent. Hoc incertum esse non debet, Germanica virtute et integritate dignum minime haberi a viris cordatis, quod a Calvinianis in suam istam sanguinariam rebellem, et impiam societatem palam accenseatur ambiaturque. Si porro simile quippiam adhuc deest credulæ Germaniæ, quod instrui velit, non defuerit fortassis, post exturbatum e vivis Auriacum, consilio et auctoritate Bassa Budensis, ut ne tranquillitas sit et pax Imperio: ac si quid religionis ac fidei non sublatum fuerit a Calvino, quod Mahometo illud tandem cedat.

« Quid si vero Navarrus non tam ex sua, quam tantopere prædicat, charitate ad Germanos egerit, quam ex ea spe, quæ ipsi de Imperio Germanico injecta fuerat? nec enim ignoratur, quid Carolus, Gebhardi frater, novus quoque Calvini sectator, dum Bonnæ ante tempus triumpharet, consiliorum et machinationum cuderit: de Imperatore præsertim sede sua Imperiali deturbando, evehendoque in eam alio, si ipse conscendere non posset. Quo nomine dubio procul ex Navarrico thesauro, auri, argenti, gemmarumque tantum in Germaniam afferri Rex jusserat, qui tamen, si exponatur in nundinis Francfordiensibus, forte non aurifabri Augustani officinam, sed pauperis propolæ mercimonium videretur repræsentare. Si autem de eo verum est, pauci ante credebant in Gallia tantum in hoc angulo Crœsum regnare.

« Jam quid Galli nostri ad hanc Navarricam sollicitudinem cogitaturi sint, facile quis divinarit, si ad ea respiciat, quæ de propinquissima illa, præ cæterorum omnium Principum, cum Regio sanguine conjunctione atque necessitate, passim prædicantur a Navarro. Certe sunt hæc semina illius ambitionis, quæ cum concepta jam regni cupiditate excrescant, si forte occasio aliquando fiat Genevense idolum in loco sancto ponendi, et super omne quod Deus est extollendi. Huc enim pertinent, quæ hisce rationibus tam longe petuntur, socialia primum facta per religionis concordiam, si possibile sit, auxilia.

« Para igitur te, Gallia, ut hunc aliquando Regem agnoscas, quem Germania de Imperio stultissime cogitantem explodit. Et tum si tam iratos habeas Deos, aliud quoque insignis consolationis genus ex Navarro Rege tibi restabit, ut nimirum penes Reginam, adeo feracem, non facile desint Regni hæredes, etsi maritus prolem non semper agnoscat, tu tamen regiorum liberorum opinione ac gratia nihilominus clara, periculosam illam orbitatem evadas.

« Vale, Lector, et fruere his ad tuam salutem, quæ pie sincereque communicantur, nam ut de hisce plurimi et intelligerent et providerent, ad communem omnium salutem pertinere visum est; quam qui curare tuerique adnituntur, ab eorum studiis longe absunt, qui assumptis effictæ charitatis partibus, veram charitatem et pacem impugnant, vulpinam concordiam per caudarum connexionem molientes.

XVII. — Legas etiam, quæ idem scriptor edisserit de Calvinistarum in Galliis moribus, deque ipsorum pessimis artibus in sua secta promovenda: de famosissimo Gaspare Colignio, cujus miserrimum casum Deo, ab illo pœnas flagitiorum repetenti, tribuit: de Principe Arausionensi, cujus mens nunquam constabat, cujusque ingenii levitatem in fidei negotiis apprime describit: de Truchsessio, cujus libidinem atque impietatem detestatur: de Navarræ denique Regis simulatione ac fallaciis. Non minus quidem succenset Anglis, qui passi sunt Reginam Ecclesiæ caput constitui: suos etiam Lutheranos improbat, quod velint ex unico in Apostolicam Sedem odio rejicere emendationem Calendarii a Gregorio Romano Pontifice institutam. Sed præ ceteris id memoratu sane dignum, quod auctor Lutheranus, dum a Calvinistarum fœdere et a Navarræ Regis consilio suos deterret, ea profert, quæ causam etiam Lutheranorum evertunt. Siquidem ait, concordiam stare non posse, nisi

cum Ecclesia Romana, dum plurimi populi fidei Romanæ Ecclesiæ adhærent, sicque ipsa quacumque diffunditur. Postea de Centuriatorum Magdeburgensium opere disserens ingenue confitetur, a complurimis Lutheranis id valde improbari; propterea quod argumenta tanta copia tantaque arte in eodem congesta magis Catholicæ veritati faveant, quam ipsorum erroribus opitulentur. Ea omnia plane ostendunt, nullo unquam rationum pondere causam Protestantium, aut quarumvis aliarum sectarum posse defendi: ac prorsus inanes esse illorum omnium conatus, qui tumido sui ipsorum ingenio inflati Ecclesiæ Catholicæ veritatem oppugnari, vel quodammodo confringi ac minui posse rentur. En itaque auctoris nostri sententias. [*]

[*] Processus Henrici IV f. 468.

« Neque (ut verum Regiæ vestræ Dignitati fateamur) purioris sententiæ sectatores Calvinianæ doctrinæ fidunt. Dubitant enim plerique nostrorum Principum, si ista Calviniani adversus Reges tentaverint, fore, ut ipsi quoque vel e solio ab iisdem Calvinianis dejiciantur, vel omnis cultus sic auferatur, ut populi ruant in omnem perfidiam, ac denique omnes ministrorum Genevensium mancipia fiant. Id quod in Scotia, ubi ne vestigium quidem templorum jam extat, et in Galliæ tractibus factum dicunt, postquam in iis Calviniana rabies (ut loquuntur) grassata est. Ac etsi nos omnem operam præstamus, quæ pios ac fideles Evangelii defensores decet, sic tamen multa objiciunt, quæ ipsis sese oculis cernere, ac per homines sibi fidos, qui ista acute inspiciunt, ad sese ex Galliis et Belgio mitti declarant, ut jam nobis quoque diffidere plerosque illorum Principum non obscuris argumentis videamus. Et Saxoniæ Duci Illmo recens adhuc illud vulnus obversatur ante oculos, quod Genevenses cum concordiæ studiosos sese ostentarent, Lipsiam primo, deinde in seminaria sua, quæ vocantur illustria, et ipsam quoque in aulam suam Calvinianæ doctrinæ Magistros occulte intruserint, quibus postea ejectis, dum nova remedia longius submovendis iisdem adhiberi voluisset, liquido cognoverit, eos, a quibus ista manaverint, nec Christiana simplicitate, neque studio benevolentiæ ullo erga Germaniam ferri..... Sane si ex iis, quæ recentia sunt, ducere velimus evidentissima Divinæ providentiæ argumenta, quis tam bardus sit, aut truncus, quin tres titiones ad Europam bellis inflammandam, nostræque Germaniæ labem maximam aspergendam fuisse dixerit, Admiralium, Auriacum, Gebhardum Truchsium? Montes enim primus Admiralius ille aureos pollicebatur, templa argento gemmisque plena, patentes campos et frumentarios, Civitates locupletissimas, veterem Germaniæ cum Gallis amicitiam, quæ iterum communia faceret. Habere se in manibus Principum corda, scire se quid diceret, unum Galliæ et Germaniæ Imperium futurum. Interea ad fidem Galliæ Regi frangendam, ad pessima quæque, ad lanienam nostros e patriis sedibus movebat. Verum enim vero ubinam Galliæ Regnum est, quod ad Germaniam accesserit? Viduæ certe ipsæ nostræ tot millium virorum, quos Gallicus gladius in universa Gallia voravit, ferali illi animæ adhuc maledicunt, quæ denique tot fere cruciatuum genera in suo corpore a Divina Justitia perpessa est, quot in omni sexu ipsa in patria sua cædium genera horrenda patraverat. Qua de re legite, quæso, ipsius Regis Galliæ ad Principes Germanos epistolam datam, quam opportune mecum adfero, testem nimirum sceleris proditionisque in Regem, in patriam perpetuo futuram.

« Auriacus autem an non nobis gravia intulit damna, et Germanico nomini ingentem apud posteros notam aspersit? Cujus artes cum considero, quo diutius durarunt, aut durant, eo perniciosiores et suis et nostris fuisse, atque esse video, ut mihi jam Belgium videatur esse spaciosus quidam campus, non tantum ubi certetur, quam ubi per plures annos Deus de rebellibus illis pergat supplicium sumere. Quod autem Regi Hispaniæ deprimendo usui sibi fore plerique credebant, id illius potentiæ magis declarandæ, et augendæ prodesse cernimus. Quam vero spem sæpe nobis fecerit, quam sæpe equitatum et peditatum e nostris visceribus extorserit, quid inde deinceps contigerit, vos scitis, et omnes horum omnium memoriam, qui tam stupidi fuerimus, perhorrescimus. Nam dum modo ordinibus nostris, modo Anglis, modo Gallis Belgium pollicetur, quasnam nefarius ille non excitavit tragoedias? Interea vero, dum sibi rem tantum esse cum Hispanis simulat, vidistis, postquam Hispaniæ Rex nimis credulus eos revocari jussit, quanta cum fide Belgium aut restituerit, aut quod erat in manibus illius Regis ei reliquerit? Et tali ab monstro nos adhuc circumduci, gentemque nostram educi ad macellum, et ad proditiones sinemus? Quem quidem hominem nunquam movit aut jusjurandum Principi suo præstitum, sed sæpissime violatum, aut ulla Religio, cum in varias sese converterit, dum cum Puritanis Angliæ Puritanum se facit, cum Lutheranis Luthero adhæret, cum Anabaptistis libentissime versatur, cum Calviniania mortis icit fœdus. Sed neque commovit eum mors at cædes Belgarum, aut interitus tot exercituum, aut denique ipsa mors illata suis fratribus, dum alter incendio absumptus, alii duo interfecti sunt. Ecquid igitur ex isto expectes, aut expectent Galli illi, quorum opera et legatione (absconsa ut dicitur sua manu) utitur ad nos decipiendos? Paucos ante menses Gallorum Antverpiam fœdari, et tantum non ubique fluentem sanguine lætis oculis vidit, et nunc ad eas-

dem artes redire ausus fuit, ut Aleneonium Gallorumque florem ad novas iterum cædes illiceret. Quasi vero Auriaci mancipia essemus, cui æternam servitutem devovissemus? aut quasi ille ingentia scilicet Regnorum præsidia simul ut diem obierit, Germaniæ sit relicturus, quibus (si qua necessitas ingruat) imperium innitatur? homo videlicet versipellis, sua gente sæpissime delusa et omni argento emuncta, quod quidem specie copiarum conscribendarum in Zelandiam tam sæpe abstulit. Gallos Anglosque non ita pridem excivit, ut Oceanum proprio cruore tingerent, victoriasque illustriores Hispaniæ Regi de Lusitanis ac Tertiariis insulis invitus efficeret, dum Antonio Portugallensi fingit Regnum male conceptum parere, Indiasque modo Gallis modo Anglis polliceri, cui ipsi vix jam ullus sit futurus in Belgio locus, in quo tuto commoretur. Ne dicam præsagire mihi animum id ipsum, quod Gallico Admiralio accidit, isti quoque belluæ eventurum, quod ipsissimis illius vestigiis insistens, in eosdem denique laqueos justissimo Dei judicio se induet. At vero non fuere hæc satis. Magnum bolum cum existimasset sibi esse propositum, quo Germaniam nostram ad cladem a se avertendam inescaret, scimus, quot technis et strophis Gebhardum Truchsium dementarit, hominem alioquin ad Imperii dedecus natum, dæmonumque præstigiis et magiis plus deditum, quam Deo credentem. Id quod ministri ab Illustrissimo Palatino Rheni ad eum missi, ut quam Religionem profiteretur, resciret, diserte ei retulerunt. Et hæc sane nostris maculis labes deerat, quam Auriacus Electorum ordini aspergeret, quorum dum quatuor, adjuncto Coloniensi, ad novum aliquando Imperatorem eligendum nos habituros sperabamus, jam duos fere tantum habemus, demortuo ipso Rheni Palatino, ac filiolos satis pueros relinquente. Et præclaro igitur Auriaci illius astui scitis attribui, ut Truchsius quoque spem vorasset, ut Romanorum Rex designaretur: atque ut Illustrissimus Dux Casimirus ipsi Cæsareæ Majestati minitatus, se non sibi temperaturum, quicquid sibi prohibitum fuisset, exercitum illico conscripserit, quem cum ad sitiendum Hispanorum et aliorum externorum sanguinem, uti canes ad feras lacerandas, se assuefacere jactasset, ferox ille tantus paulo post dimisit, fugæ suæ honestatem aliquam sibi arripiens, ut nepotis pueri tutelam invaderet. Qui vero nobis facere fucum conatus est, se confessionem Augustanam sequi, ut subsidium aliquod sibi compararet, jam Calvinianos ministros ubique insinuat, ostendens, quid coquebat in animo, quamque citu avolant præcipitata consilia, quosve Imperium habeat idoneos ductores exercituum, si quibus recte quidpiam sit mandandum. At vero quid ex Mulhusii tentato conventu effectum sit, vidimus; quod quidem statim evanuit, cum primum Illustrissimus Palatinus Elector oculos clausit. Num autem Illustrissimi Ducis Julii Brunsvicensis sive aliorum minæ, num item verbo plus quam facto promissæ Truchsio copiæ, num hujus ipsius Truchsii conversa quæcumque ex templis rapuerat argenta ad copias educendas, infaustumque cum Agnete incestum ornandum, num arcibus et Bonnæ præsidia imposita cum Carolo fratre Romanum Pontificem prohibuerint, quin Truchsium sacris interdictum, tanquam perjurum et impium magistratu quoque privaverit, num denique Ernestum Bavarum dimoverit a cœpto, et num Truchsium in Geldria et Holandia profugum, dissipatis igni, gladio, aqua, copiis, cæso Henrico Brunsvicensi, arcibus amissis, Westphalia deserta, Carolo ejus fratre capto, altero autem fratre ab ursis tantum non discerpto, Auriacus scilicet nunc foveat, aut si rursus illum incitet ad nova tentanda, utinam ne novas quoque clades Germanis inferat, et quo magis Imperii vires atterat, tanto et Bavari, et Clivensis, et aliorum Pontificiæ fidei Principum, una cum Hispaniæ Rege, cum Romano Pontifice, cum Cæsare, ne item dicam cum Galliæ Rege animos conjungat, qui novas Calvinianorum, quos habet in Gallia, norit insidias, imbecillitatem autem virium sic despiciat, ut tamen omnia illorum sensa, et facta diligenter observet? Quamobrem hoc ego maxime sentio, ut si consultum Imperio velimus, quæ Galliæ Regis sunt, Regi Galliæ, quæ Hispani sunt, Hispano relinquamus. Ne vero a nobis Calviniani causam Religionis dictitent prodi, ordinum nostrorum jusjurandum Cæsari præstitum afferamus, quod a novis rebus tentandis dicamus, prohibitos nos esse postremis ejus Majestatis litteris ad Illustrissimum Ducem Saxoniæ Electorem scriptis, quibus significavit Calvinianos, qui tam fœde Regnum illud, et patriam ipsam suam oppresserunt, Germaniæ non parcituros, satis vero debere jam eos esse nobis cognitos, nobis (inquam) quibus interim nihil a Religione sit metuendum, quam ejus Cæsarea Majestas Imperio suscepto suam et nostram se conservaturum juraverit, et adeo sartam tectam, uti nunc scripsit, haud dubium est, quin sit conservaturus . . . . . . Nam quod Rex Navarræ sua nobis epistola scribit, se a puero in ea, qua vivit, Religione fuisse educatum, quam quidem putat præcipuis in fidei capitibus cum Augustana confessione convenire, ac propterea fieri posse, ut et majorem ejus Serenitati fidem habeamus, et concordes aliquando cum Sacramentariis simus, fallitur, et fallit bonus Princeps. Ecquis enim ignoret, illum cum post detectam ejus ac Principis Condæi cum Admiralio conspirationem, et consequutam a Rege gratiam, ipsius Re-

gis Galliæ sororem ante aliquot annos esset uxorem ducturus, Pontificiam fidem professum esse, atque Lutheranorum Calvinianorumque dogmatum ejurationem per aulicum ad hunc ipsum Romanum Pontificem misisse eum epistola, cujus exemplum, ne cuiquam ea de re dubium esse possit, hic habetis? Unde facile conjici queat, etsi postea rediit ad eos, qui illum Calvinismo imbuerunt, fore, ut si quid eo in Regno sibi secundius speraret, Calvinianos illico et ipsos esset deserturus, avitamque suorum Religionem amplexurus. Id quod statim ubi de morte Alenconii accepisset, tanquam spe Gallici regni certius jam concepta, instituere molirique visus est multis, qui dicunt, et Regis et Pontificis favorem palam ab eo aucupari, Jhesuitas eum prensare, totumque esse in eo, ut si possit, etiam Deo fucum faciat....... Ac de Calendario (ut quod sentio, libere dicam, postquam huc sum digressus) quam insanum nostrorum consilium fuerit, ut saltem tanquam a Cæsare profectum (si Pontificis nomen et jugum horremus) non admitteretur, cum ipsi nostri Astronomi, et ipse adeo Chemnitius, passim justissimis rationibus et necessario correctum fuisse antument, tempus ipsum docebit. Hæc enim una res jam a toto orbe Christiano nos secernit, et interim quorum quotidie numerus imminuitur, nos item hac quasi nota superbissimi et pertinacissimi adversus id, quod verum esse scimus, reputamur. Sed hæc mittamus. Illud ego denique constanter audeo dicere, si quid unquam de concordia ineunda tractandum sit, cum Pontificiis id esse satius ut fiat. Nam et plurimi eorum populi sunt, atque in dies summa unitate religio illorum in universum mundum propagatur. Quod si cui videatur, (sicuti est apud nos in proverbio) currum ulterius, quam ut honeste retrahi queat, a nobis esse protrusum, cogitet obsecro, quonam denique paulo post evademus, si ita ut cœpimus in nostris concordiis pergamus. Nam si antiquitati standum est, certum est Pontificiis majora vetustatis testimonia stare, quam Calvinianis. Id quod nostri ipsi ex omnibus sæculis centuriatores Magdeburgenses ita ostenderunt, ut plurimos etiam nostrorum ejus consarcinationis pœniteat. Quo fit, ut scitis, ut jam iidem centuriatores sæpe conquesti sint, præcidi sibi tanti operis progressum. Gravissima enim objecit nobis non ita multos ante annos Joannes Vigandus, unus e quatuor ipsis centuriatoribus, typographorum præla in universa Saxonia sub pœna excommunicationis ad opus illud sibi negari. Scilicet vidimus, quanto magis Pontificios incusamus, atque ex antiquitate eruimus, unde oculos illis configamus, nostros nobis effodere . . . At neque ab Anglica Regina quidquam est expectandum, quam scitis quantopere nostros emunxerit, quantum vectigalia et portus Imperii averterit, quantam Hanseaticis Civitatibus injuriam intulerit; præter autem Calvinianos, et variarum opinionum alios, Puritanos quoque exortos eo in Regno videat, qui jam Calvinianos et nostros pessime oderunt; ne quid dicam de legibus iis, quas de Religione mulier tulit, quas si nos repudiemus, vix unquam illa accedet ad nostros, quæ fœmineo et a sæculis inaudito fastu se Papissam et Caput Ecclesiæ fecit, quæque cum Turca commercio inito satis habet, ut dies expleat suos, ac præclaram denique sobolem scilicet relinquat, quæ amica nostra queat esse Imperii, et possit etiam nostras ruinas fulcire.

XVIII. —.Jam vero ut finem tandem imponamus iis, quæ pluribus de Truchsessio nobis disserenda fuerunt, reliqua paucis expediemus. Itaque infelix ille et male feriatus homo fractus animo, neminem tenens, bonos aversatus haud secus quam improbos, cum illa sua carissima Agnete, cumque thesauris per cædes et rapinas undique corrasis, Delphos in Batavia ad Ducem Arausionensem confugit. Ibi cum mensem et amplius privatum in modum haud sine omnium ludibrio commoratus esset, Argentinam concessit, ut Decanatum, qui sibi reliquus esset, adiret. Ibi porro privatam obscuramque vitam usque ad annum MDCI. egisse, perhibetur. Per quod sane longum temporis intervallum, ut erat dominationis cupidus, quamvis semper quid moveret, ut ad pristinam se dignitatem restitueret, nihil tamen unquam effecit, rerumque omnium inops extinctus est. Ernestus autem, receptis sine gravi certamine locis suæ ditionis, invitis vel certe minus volentibus reliquis S.R.I. Electoribus, qui Augustanam Confessionem profitebantur, Princeps Elector solemni ritu per Archiepiscopum Trevirensem inauguratus fuit: quievitque tandem Germania ab motibus et seditionibus per Truchsessii libidinem excitatis.

Plura de hac flagitiosa turpique Truchsessii tragœdia referunt Arnoldus Meshovius in sua continuatione Belli Coloniensis ab Isseltio conscripti, Coloniæ anno 1620. typis edita; Jo. Dav. Kœhlerus in sua dissertatione de actis et factis Gebhardi Truchsessii, Archiepiscopi et Electoris Coloniensis, Altdorffii 1723; atque omnium accuratior Matthæus a Pappenhemio in Chronicis Truchsessiorum germanice conscriptis, Campidoni 1785. 2. Vol. in fol.

XIX. — Truchsessii adventus Argentinæ novas diuturnasque turbas excitavit, quæ per XXX. et amplius annos hanc Diœcesim innumeris prope damnis affecerunt. Hujus Ecclesiæ Canonici simul ac Truchsessium exauctoratum cognoverunt, in ejus locum, qui etiamnunc primam Capituli dignitatem (Decanatum vocabant) retinuerat, Fridericum Lauenburgensem ex Ducibus Saxoniæ, Canonicum Argentinensem atque

Coloniensis Diœcesis Chorepiscopum, strenuum rei Catholicæ propugnatorem, suffecerunt. Ast in perniciem Argentinensis Diœcesis factum est, ut illuc una cum Truchsessio se reciperent etiam Georgius Comes a Sein et Witgenstein, Hermannus Adolphus Solmensis, nec non Joannes ex Baronibus Vincburgensibus, quippe qui Colonienses atque Argentinenses Canonici præcipui harum turbarum auctores, qui quum Colonienses æque atque Argentinenses Canonici præcipui illarum turbarum auctores essent, et quum hæresim etiam publice profiterentur, Summi Pontificis jussu per Episcopum Vercellensem exclusi omnino fuerant. Quamobrem et Argentinensis Episcopus eos ex Collegii jure expulerat. Hi tamen fulti gratia et Magistratus Argentinensis et civium, quorum plerique Augustanam Confessionem colebant, una cum duce Truchsessio omnes in id nervos intenderunt, ut eam, quam in Argentinensi Ecclesia obtinuerant, dignitatem invitis Pontifice et Episcopo retinerent. Causa ad Cæsarem delata: nefariorum hominum injusta postulata ab eo rejecta: Catholicis Canonicis suum jus assertum. Itaque litteris prudentia plenis eosdem Canonicos Cæsar monet, ut vetera Ecclesiæ jura ad Canonicorum electionem pertinentia reservent, concordiæ inter se alendæ sint studiosi, perturbatoribus novarumque rerum cupidis sese opponant. Comitem etiam Hanoviensem Alsatiæ Præfectum adhortatur, ut Truchsessium ejusque asseclas contineat. Hominibus demum Argentinensibus præcipit, ne rebus hujus Collegii sese immisceant, Truchsessianosque ulla in re adjuvent. (*)

(*) Germania Vol. 92. fol. 185.

Ad N. Administratorem Decanatus, et Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Argentinensis.

Rudolphus etc.

« Honesti, dilecti, devoti. Vobis procul dubio cognitum est, in quam extremas miserias Archiepiscopatus Coloniensis, per inconsideratam defectionem quondam ejusdem Episcopi, et quorundam tumultuantium Capitularium instigationem, collocatus sit, et certe maxima cum molestia egenorum subditorum, multorum viciniorum paeisque amantium statuum adhuc hæreat.

« Jam vero intelligimus credibiliter, eosdem homines turbis in dicto Archiepiscopatu excitatis contentos non esse, sed summa diligentia eo tendere, omnemque opportunitatem et causam quærere, ut eundem bellicum tumultum, et successum suæ paris odio flagrantis intentionis, in aliis etiam locis, præcipue vero in Diœcesi Argentinensi excitare, et ibidem ignem similiter accendere possint.

« Et quoniam ex Cæsareo officio, quod gerimus, nobis incumbit, ad similes practicas attendere, et ubique providere, ut pax et concordia in Imperio conservetur, nec ullus contra jus et Imperii Constitutiones molestetur: committere in hoc non potuimus, quominus vos commonefaceremus eorum, quæ a nobis postulata sunt, cum mandato, ut vestri et Ecclesiarum vestrarum diligentem curam habeatis. Et si quisquam ex iis inquietis vobis se miscere, et per vim irrumpere, vel alias dissentiones inter vos excitare, vel etiam quicquam contra laudatos Ecclesiæ Canones, statuta, traditiones agere introducereve tentaverit, ei nequaquam locum date, sed auxilio et adjumento freti vestrorum ordinariorum Superiorum, uti etiam nostrorum et Imperii fidelium Consulum et Senatorum Civitatis Argentinensis, (quos etiam separatim ad id hortamur) qui ad id vigore fœderum inter vos initorum tenentur, tempestive vobis a periculo provideatur. Id ad proprium vestrum tendit commodum, et ea clemens nostra voluntas est et opinio; quibus clementia propensi sumus. Datum Pragæ 18. Aprilis Anno 1584.

Ad Philippum Seniorem Comitem de Hanau.

Rudolphus etc.

« Generose, dilecte, nobis fidelis. Credibiliter nobis intimatur, qua ratione quondam Episcopus Coloniensis cum aliquot inquietis Capitularibus, damnis, dissentionibus et Nationum destructionibus, quas in Archiepiscopatu Coloniensi excitarunt, non contenti sint, sed ulterius cogitent, et occasiones quærunt, quibus similes in Diœcesi Argentinensi (ubi similiter ante aliquod tempus beneficiis decorati fuerunt) dissentiones excitent, ubi etiam hujusmodi ipsorum intentum, ex aliquibus eorum tam in scriptis, quam verbotenus exaratis comminationibus pateat. Cum itaque facile considerari possit, ipsos (uti hucusque in Diœcesi Coloniensi, et apud innoxios vicinos status et subditos actum est) nihil, quod executionem sui intenti spectat, intermissuros, et id præcipue acturos, qua ratione (si eorum voluntati non satisfiat) Diœcesis redditus, et bona sub te et aliis Dominis constituta, sibi ascribant, et ea arestis et aliis illicitis modis detineant, vel ad se trahant: te vero non lateat, quid hoc casu æquitas, et nostræ atque Sacri Imperii Constitutiones ordinationesque, et imprimis constituta Religionis concordia jubeat, et quod hujusmodi Ecclesiasticorum bonorum detentio penitus prohibita sit; in hoc clementer existimamus, et hisce tibi præcipimus et mandamus, ut casu quo quid hujusmodi a te petatur, vel in locis tuæ jurisdictionis attentetur, non solum consensum non præbeas, sed etiam ad prædictas periculosas conditiones diligenter attendas, et quantum in te erit, omnes discordias et dissentiones (cum æque hic atque in Diœcesi Coloniensi actum est, absque vicinorum statuum damno et destructione in effectum deduci non possint) vitari et semoveri adjuves. Id per se justitia postulat, et non solum ad clementis nostræ voluntatis satisfactionem,

sed etiam ad tuum proprium commodum tendit, cui elementia propensi sumus. Datom Pragæ 18. Aprilis 1584.

Ad Civitatem Argentinensem.
Rudulphus etc.

« Honesti, dilecti, nobis fideles. In quam notabiles discordias, et irrecuperabilem destructionem antiqoitus celebris Archiepiscopatus Coloniensis brevi temporis spacio per ejusdem quondam existentem Episcopum, et aliquos inquictos ipsi adhærentes Capitulares redactus sit, et dubio procul adhuc maximo cum damno vicinorum statuum subditorumque hæreat, vobis cognitum est haud dubie. Similiter etiam notum vobis est, quam sedulo et paterne prætactum negocium curandum, et ut Diœcesis in pristinum statum, conditionem et ordinem reduci possit, perficiendum susceperimus, et pro executione ejus finis, et conservatione pacis et concordiæ in Sacro Imperio, nullis laboribus, curis et sumptibus pepercerimus, et imposterum parcamus.

« Nunc vero cognoscimus, non absque singulari dolore Cæsareæ mentis nostræ, hujusmodi nostros labores, admonitiones et mandata apud authores harum turbarum et dissentionum non solum nil proficere, vel eos destructione et turbatione Archiepiscopatus Coloniensis contentos non esse, sed etiam quod (uti nobis a fide dignis insinuatum est) id agant, et omnes occasiones et causas quærant, ut ibidem inchoatas turbas ad alia similiter loca, et præsertim ad Diœcesim Argentinensem (ubi fortassis antehac beneficiati fuere) trahant, et ibidem similes dissentiones excitare possint, uti prompte tam scriptis quam verbis patefecerunt, et audacter comminati sunt.

« Cum itaque facile ipsi considerare possitis, si hujusmodi eorum pacis odio flagranti intentioni locus detur, neque ei tempestive obviam eatur, quæ tam vobis, quam Diœcesi et Capitulo pericula damnaque oriri inde possunt: nos ex Cæsareo officio, quod gerimus, et ex quo nobis incumbit, ut quantum in nobis est, turbis et dissentionibus obviam eamus, prætermittere non potuimus, quominus clementer vobis cautelam præstaremus hac nostra admonitione et compellatione, ut non solum secundum Imperii Recessus, et a multo jam tempore inter nos et Diœcesim Argentinensem constituta et laudabiliter servata fœdera, quorum vigore jura et privilegia Ecclesiasticorum tueri et defendere tenemini, verum etiam vicinitatis ergo, et pro proprii periculi evitatione diligenter ad practicas jam dictas animadvertatis, et si quispiam contra prætactam Diœcesim et Capitulum per vim aliquid attentare, vel eo loci contra jus et Imperii Constitutiones, vel etiam ipsorum ordinationes et statuta irrumpere conetur, id nequaquam patiamini, sed quantum in vobis est, cum **ipsis prævenire studeatis. Id ad vestrum tendit commodnm, fitque in eo nostra voluntas et opi**nio. Datum Pragæ 18. Aprilis 1584.

XX. — At nequissimi quique homines Augustanæ Confessionis studiosos sese jactantes, favente Argentinensi Senatu, Civitatis præsidio operam navante, non modo Cæsaris mandata nihili fecerunt, sed et utriusque Alsatiæ per Episcopum Argentinensem celebratum conventum, ut illius mandatis pareretur, conculcarunt. Qua effrænata licentia, qua nefanda impietate, in curiæ Capitularis ædes, in thesauros, in bona, in Archivium Truchsessiani illi commilitones, foribus effractis, impetum fecerint, alienas domos per vim invaserint, horrea, in quibus frumenta, quæ ad Canonicos spectabant, expilaverint, cunctaque, quæ in captis urbibus intemperantiæ, audaciæ, injustitiæ facinora patrari mos est, ediderint, litteræ hæ, quas Canonici Argentinenses ab Pontifice opis implorandæ causa Romam miserunt, ordinatim ac perspicue narrant. [*] [*] Germania Vol. 62 fol. 316

Sanctissimo in Christo Patri et Domino Nostro, Domino Gregorio ejus Nominis Decimotertio, Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino Nostro Clementissimo.

Beatissime Pater, Clementissime Domine.

« Quum nihil magis in votis sit, quam ut Ecclesiæ status, cui studia nostra consecravimus, juxta sanctorum Canonum instituta Catholicæ fidei propagatione in tranquillitate conservetur, et ad Omnipotentis Dei gloriam pio cultus incremento dilatetur: id autem nisi retenta in Ecclesiastico regimine disciplina inobedientes coerceantur, e diverso, maxime ingruente turbationum tempestate in debita ordinis sui administratione boni protegantur, recte obtineri non queat: nos, qui Romanam Ecclesiam omnium caput esse agnoscimus ac profitemur, quid subito mali præter opinionem in hac Diœcesi Argentinensi emersit, et in quam periculoso Capitularis noster conventus loco, ceu medio luporum constitutus sit, Sanctitatem Vestram, ad quam, rerum necessitate sic postulante, tanquam unicum asylum confugimus, diutius celare non possumus.

« Spes erat, Beatissime Pater, Coloniensem istam hæreticæ pravitatis seditionem, a Gebhardo Truchsessio olim Archiepiscopo Coloniensi et Capituli nostri Decano, jam vero exauctorato et profugo excitatam, prorsus tandem finem habituram, et in qua tot hominum millia periere, aliis quoque in terrorem abominandum exemplum fore.

« Sed his non contentis, ante festum S. Georgii, a quo tempore usque ad divi Jacobi majoris Apostoli consueta Capitularis residentia hic compleri solet, Georgius Comes a Sein et Witgenstein, et Johannes Baro a Winnenborg, qui pariter cum prædicto Truchsessio et aliis qui-

busdam consortibus, jam pridem Coloniæ a Sanctitatis Vestræ Legato Episcopo Vercellensi per publicas censuras excommunicati, et omnibus ubicunque sitis dignitatibus et beneficiis judicialiter privati sunt, apud nos antea Canonici in hanc Civitatem animo residendi venerunt; quemadmodum Sanctitati Vestræ, qualem pacis turbationem isti homines Coloniensis factionis adhuc minas spirantes, etiam in his partibus moliantur, a Rmo Domino nostro Ordinario Episcopo Argentinensi ante id tempus, circiter Januarii Idus, denunciatum esse putamus.

« Et licet ipsos mox ab initio adventus, siquidem ad Capitulum se admitti desiderent, statutorum ac juramentorum memores, absolutionem ordinaria via impetrent, amice præmonuimus: illi tamen Augustanæ Confessioni se addictos esse jactitantes, hoc facere omnino recusarunt, et hactenus omni conatu, non solum verbis et in scriptis calumniosis protestationibus, sed etiam ipso facto intrusionem quærentes, nullo Capitularis juratæ obedientiæ, nec Romanæ Hierarchiæ, quam diris proscindunt execrationibus, habito venerationis respectu, se nobis acerrime opposuerunt; ac in tantam ambo inde progressi audaciam, ex fraterna nostra Curia, ubi proventuum ac totius administrationis œconomia est, ultra quadraginta modios avenæ, seu (ut hic Argentinensium mensuram vocant) quartalia per suos ad id operis conductos avexerunt.

« Accidit vero, quando in Gebhardi Truchsessii locum alium Decanum, nimirum Illustrissimum Principem Fridericum Ducem Saxoniæ, ac apud nos Canonicum, et quidem tunc temporis præsentem, communibus suffragiis elegimus, quod post ipsius discessum istis duobus tertius Excommunicatorum Hermannus Adolphus Comes a Solms mense Augusto supervenerit, quibus etiam Ernestus Comes a Manssfeldt (is enim per sententiam licet excommunicatus non sit, tamen quod hanc causam attinet, a Capitulo spontanea protestatione extraneus esse voluit) se pariter conjunxit. Hi omnes octavo Calendas Septembris, quando die Sabbati regulariter Capituli conventus habetur, januam Capitularis domus, adhibito fabro ferrario, aperuerunt, ac eandem pluribus appensis seris, ut nemini præterquam ipsis pateret ingressus, rursus occluserunt: inde quoque ad granarium recta se proripientes, ibi altera vice ultra septuaginta modios avenæ abstulerunt. Et quia hoc in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis ferendum non erat, idcirco residentes Capitulares adversariorum seras tolli, et aliam reponi mandarunt. Isti circiter septimam vespertinam horam redeuntes, januam, ut amplius recludi non potuerit, summa vi effregerunt.

« Post hæc tanti facinoris ausu non contenti, die Martis quinto Calend. Septembris mane circiter horam septimam, fraternam et adjunctam Decanatus Curiam, ubique ad portas constitutis custodibus, manu armata occuparunt, et ibi a Procuratoribus negociorum suæ residentiæ congruam portionem sibi debitam asserentes, exegerunt. Quibus cum Procuratores a Capitulo illam dari ipsis sub juramento præstito inhibitum esse responderent, isti, portis omnino clausis, et per excubias diligentius custoditis, permanentem ibi habitationem, ac simul cuncta pro libito agere instituerunt; et in primis Cathedralis templi chorum, qui fraternæ Curiæ adjacet, eodem die invadentes, Sacrarium, ubi alioquin pretiosum unicornu et cæteri Ecclesiæ thesauri una cum ornamentis conservabantur, tribus per fabrum ferrarium effractis januis, quarum una ferrea fuit, incessabiliter penetrando violarunt, quo perlustrato, at nihil horum (scil. quia paulo ante in tutiorem locum translata erant) invento, ira vehementi sunt commoti. Cæterum, nos talem antehac in libera Civitate inauditam violentiam ad Magistratum sæcularem deferentes, ab ipso nil plane impetrare potuimus; quinimo adhuc viginti militum præsidio sub Capituli stipendio fraternæ Curiæ imposito, eoque sæpedicti Comites excommunicati tutiores redditi, frumenta viliori quam communi pretio cœperunt vendere; et hactenus circiter octo millia modiorum seu quartalium mensuræ Argentinensis pecuniam in proprios usus convertentes, ingenti Capituli damno vendiderunt, et insuper aliquot in suas ædes evexerunt. Similiter de vino, quantum ipsis placet, cum suis quotidie absumunt, uti cœpto adhuc insistentes, venditioni et bonorum Ecclesiæ hujus dilapidationi finem non faciunt. Et quia omnia in fraterna nostra Curia sub sua potestate habent, ac nemo illis resistat, nec quisquam ex nobis resistere licite ausit, quando tandem istiusmodi deperditæ administrationis finem facturi sint, plane incertum. Non illos Reverendissimi nostri Antistitis Episcopi Argentinensis, qui suas partes fideliter interponit, et quod Ordinarii officium requirit, nihil intermittit, auctoritas movet; nec hujus Alsaticæ provinciæ nobilium Vasallorum strenuæ admonitiones, ut pro suo jure pacem colant, et hanc regionem quietam sinant, apud illos quicquam valent; nec denique Cæsareæ Majestatis frequentia et seria mandata, quæ ex Aula Imperatoria ad sæcularem Magistratum literis sæpenumero transmissa sunt, istos a martiali proposito deterrent. Quemadmodum etiam Senatus hujus Civitatis Argentinensis, quem sine intermissione, quoties nova ex adverso machinati sunt, ut is Reipublicæ ne quid detrimenti sentiat, deligenter consulat, nec præter hactenus usitatam vivendi tranquillitatem et communia patriæ jura in Civitate Imperiali ac libera vim fieri patiatur, serio interpellavimus, prorsus connivet, et isto-

rum obstinatorum factioni propter similem Augustanæ fidei confessionem apprime favens, nihil horum curat; quinimo Cæsareæ Majestatis Rescripta (quo ut pro Magistratus sæcularis officio in sua Civitate vim prohibeat, ac istos rerum Ecclesiasticarum invasores fraterna Curia expellat, haud ita pridem singulari mandato eidem injunctum est) nimirum Religionis causam prætendens hactenus parere omnino recusat. Paucis abhinc septimanis isti complices Cancellariam quoque nostram, quæ in fraterna Curia est, et ubi secreta literarum in Archivio reponuntur, etiamsi ex januis una ferrea fuerit, cum aliis quibusdam conclavibus vi perruperunt. Et ne illorum violenta dominandi libido titulo careret, quin potius ab ipsis acta cum quodam Capitularis auctoritatis prætextu in publicum prodirent, isti supradicti quatuor Comites et Barones sub nominibus suis communi sigillo ad id singulariter sculpto utuntur. Hac insuper impune permissa licentia freti, Hermannus Adolphus Comes a Solms, arrepta secum satellitum caterva, extra fraternam nostram Curiam progredi ausus, generosi Domini Johannis Theobaldi ab Alto Saxo et Vorsteck etc. Baronis et Canonici nostri Curiam, eo quidem absente, invasit, et duobus, quos invenerat, ibi famulis ejectis, eandem occupavit, prætendens illam permutationis jure a prædicto Trochsessio quondam hic Decano sibi cessam deberi. Sed quid multis? isti, quibus omnia licent, nihil intentatum relinquunt; et sane timendum, ne confœderatione inita auxiliares sibi gerant: et hoc malum, si in tempore eidem non occurratur, extra Civitatem quoque in agrum Diœcesanum proserpat: quemadmodum Ernestus Comes a Mansfeldt ex pago non procul hinc distanti aliquot plaustra vini, ad Reverendum et Illustrissimum Principem et Dominum Fridericum Ducem Saxoniæ etc. noviter electum Decanum pertinentis, contra Capituli ordinationes, Civium quarundam Argentinensium opera haud ita pridem abduci curavit.

« Et quia res undique plena periculi est, Reverendissimus Episcopus noster præteritis aliquot septimanis, Superioris ac Inferioris Alsatiæ Status in vicinum oppidum Selestadium convocavit, ubi conventu celebrato, etsi ne quis publicam perturbet pacem, et Imperatoris, cui obedientia debeatur, ulterius expectetur præceptum, Provinciali Decreto cautum sit: tamen isti, Argentinensis Civitatis præsidio permittente, in fraterna nostra Curia maximo rerum abusu pro sua licentia pergunt.

« Quapropter, quum seditiosus iste in Religione motus, non solum laudabilia nostra statuta, et hactenus erga omnes pacatam vivendi consuetudinem disturbet, tollat, ac huic Diœcesi perniciem minetur gravissimam, verum etiam totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ, si hostiles Excommunicatorum et Depositorum conatus successerint, subversionem portendat, atque adeo ipsius Romanæ et Apostolicæ Sedis, a cujus judiciali auctoritate Colonienses censuræ originem trahunt, celsitudinem impugnent, ac quantum in ipsis est, se adversarios ejus palam ostentent, Sanctitatem Vestram humiliter rogamus ac enixe obtestamur, ut pro sua in Catholicos clementia Ecclesiæ nostræ consulere, ac nobis taliter afflictis, maxime considerato, quod id potissimum pro Ecclesiæ Romanæ jure conservando accidat, qua ratione huic malo in tempore obviandum sit, quantocius protectionis auxilium impartiri dignetur. Id autem rectissime fieri posse putamus, si Sanctitas Vestra in his propinquis terræ partibus Tridentino Episcopo, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali ac Germanicæ nationis Protectori, nec non Archiepiscopo Moguntino Metropolitano, Superioribus ac Dñis D. nostris semper observandissimis, qui cum libera potestate vices ejus gerant, et in omnem eventum nobis præsto sint, tanquam Legatis conjunctim et divisim causam demandet: subinde igitur, quia periculum in mora sit, pro benigno simul ac expedito responso, quid juxta ipsius beneplacitum nobis sperandum sit, denuo supplicamus.

« Hoc siquidem, vel si aliud consultius visum fuerit, a Sanctitate Vestra, cui nos nostraque committimus, in causa, quæ Christianæ Ecclesiæ immunitatem ac communem patriæ salutem concernit, pro nostra fiducia impetraverimus, quemadmodum Romanam Sedem, qua nihil nobis antiquius, nihil sanctius, humiliter suspicimus ac veneramur: ita debita cum obedientia in perpetuum erga eandem gratos, ac quo poterimus obsequio fideles nos offerimus ac pollicemur. Valeat S. V. ad Nestoreos usque annos, et nos sub protectione sua commendatos habeat. Datæ Argentinæ 23 Decembris Anno etc. 84.

Sanctitatis Vestræ

Humilissimi ac Obedientissimi
Christophorus Ladislaus Comes a Nellenburg, Dominus in Tengen, Præpositus, Vicedecanus et Capitulum Majoris Ecclesiæ Argentinensis.

XXI. — Neque omitti debet, feroces illos et pugnaces Truchsessianos, rapinis et cædibus assuetos, ipsi Ernesto Archiepiscopo Coloniensi insidias instruxisse. Quam ob causam Episcopus Vercellensis, qui Monachio Coloniam erat profecturus, suasu Ducis Bavariæ, ut sibi caveret, longius iter aggressus fuit. En literæ Ducis Bavariæ hac de re ad Cardinalem Comensem. [*]

(*) Germania Vol. 29 fol. 135.

Rmo in Christo Patri ac Illmo Dño D. Ptolomeo Gallio Tituli S. Agathæ Cardinali Novocomensi, Amico Nostro Honorando.

Rme in Christo Pater, ac Illme Dñe,
Dñe Amice Carissime.

« Rmum Episcopum Vercellensem Sanctis-

simi Domini Nostri et Apostolicæ Sedis Nuntium, Praga Coloniam proficiscentem, excepimus Monachii magna eum nostra voluptate; virum enim piissimum, prudentissimum et optimum de Catholica religione, de Apostolica Sede, ac de familia nostra Bavarica præclare meritum, jamdiu amamus valde, et plurimi facimus; idcirco secum contulimus etiam summa cum fiducia multa, quæ ad publicum bonum pertinere videbantur. Is cum consilium a nobis peteret de ratione itineris prosequendi, monitus a nobis est, ut sibi diligenter caveret: Comites enim ab ipso sacerdotiis privati, nunc primum vulnerum dolorem sentire incipiunt, cum fructibus careant, ideoque novum quotidie virus evomunt, novasque machinas ad vindictam instruunt: iidem enim fratrem nostrum carissimum Coloniensem Archiepiscopum Leodio Bonnam revertentem, conati sunt ex insidiis occidere aut capere; sed Deus Optimus Maximus eorum impios conatus irritos fecit, prout illos etiam Comitis Ludovici Witgenstein, qui Arcem quandam prope Bonnam sitam subito impetu aggressus est, sed repulsus fortiter desideravit nonnullos ex suis, qui interfecti sunt, et duodecim vivi in nostrorum potestatem venerunt, reliqui fuga sibi consuluerunt. Hæc cum exponeremus, obtulimus tamen, quicquid præsidii et securitatis posset a nobis provenire, ut incolumis proficisceretur et salvus; sed re vera neque in iis audebamus multum confidere, cum illi quibus ipse Episcopus Vercellensis infestissimus est, non uno loco consistant, sed huc illuc debacchantes excurrant: is propter has et alias causas deliberavit longiore potius itinere per Italiam pergere, quam seipsum suamque dignitatem, ac Sedis Apostolicæ auctoritatem certis periculis scelestissimorumque hominum ludibriis, nulla præsertim instante necessitate, exponere; quod consilium nos non potuimus non magnopere probare, Vestræque Dilectioni hoc exponere voluimus, ne pro pietate prudentiaque sua, ac in eundem Rmum Vercellensem amore et benevolentia, illum pateretur falso in aliquam invidiam aut injustam suspitionem perduci, quasi serius Sanctissimi Dñi Nri mandata perficeret; nos enim in nostra conscientia affirmamus, non aliter absque manifesto vitæ discrimine potuisse fieri.

« Postremo Dilectioni Vestræ novi anni initium felix, omniaque deinceps bona precamur a bonorum largitore Deo. Datum in Civitate nostra Monachii 28. Decembris 1584.

Guillelmus Dei gratia Comes Palatinus
Rheni, utriusque Bavariæ Dux etc.
Guilielmus D.

Haberstok.

XXII. — Aquisgrani etiam Truchsessii sectatores invaluerant, ita ut timendum fuerit, ne Catholici ab omnibus fere publicis muneribus et magistratibus arcerentur. Quare hi Nuntium Apostolicum per Decanum Aquensem edocent, qua ratione cum Cæsare agi oporteat, ad tantam cladem ab se ipsis deprecandam. [*] [*] Germania Vol. 62. fol. 124.

Exemplum literarum Decani Aquensis ad Episcopum Vercellensem.

Rme atque Illme Domine.

« Quod ab initio Cæsareæ Commissionis fere metuimus, id jam ex eventu periculosissimo certius cognovimus, filios hujus sæculi plus sua impudenti audacia proficere, quam Catholicos optimo jure; atque verum esse, quod ante nostra sæcula experti, deploraverunt viri sancti, hæreticos magis proficere Catholicorum negligentia, quam suis viribus. Ne tamen et nobis in justo Dei judicio de interitu Religionis imputetur negligentia, omni sollicitudine malis imminentibus occurrere conamur; fortasse brevi futurum est, (quod tamen adhuc est incertum) ut ego, quantumvis indispositus, rursus Imperatoriam Majestatem interpellaturus, eo veniam ex Commissione Illmi Principis Juliæ; ne tamen in mora esset periculum, Vestræ Celsitudini præcipua quædam capita recessus Commissariorum subdelegatorum indicare consultum putavi, ex quibus facile intelligitur, quam parum, vel nihil pro Catholica Religione sit actum; det Deus, ut non in ejus cedant interitum. Præfantur in initio dicti recessus (quod integrum Illmæ Celsitudini Vestræ misissem, nisi et valde prolixus in verbis Germanorum more esset, et Germanice datus) suam Commissionem esse, ut dissidium inter cives exortum componerent, vel si id fieri non possit, ad Sacram Majestatem, a qua parte hoc dependeret, referrent, quasi Imperator non scivisset ex præcedentibus Commissionibus et variis relationibus, difficultatem ortam ex variarum hæresum pertinaci irruptione: contra quod sicut parum aut nihil tentatum est, ita ejus nulla in recessu fit mentio; immo præsupponentes quasi hæreticorum pertinaciam, novum cudunt, putantes hoc fore necessarium, quo Catholici exules priori libertati restituantur; quamvis et hoc tantum absit, ut vix illam, vel saltem non majorem libertatem habeant cives optimi nominis ac famæ, hic nati ac educati, quam habent Judæi, Anabaptistæ ac quivis alii sectarii. Mandarunt illis, ut in omnibus se irrepræhensibiles exhibeant, etiam ipsis adversariis, quod quomodo tuta conscientia fieri poterit, non intelligo, cum mali eo ipso a Catholicis solent offendi, quod eos non imitentur. Post recessum hunc nemo audebit hæretico Magistratui contradicere, etsi urgeantur. Catholici nova electione Magistratus juramento se illis conjungere debebunt, nisi seditiosi accusari velint, quod et in ipso tractatu non semel audire, ac patienter ferre debuerunt. Sectariorum impia conventicula impedita non sunt, sed

dum hoc ageretur a Catholicis Commissariis, adversariis Saxonibus fortius contra urgentibus, res ad novam decisionem Imperatoriæ Majestatis relata est, ne forte contra Germaniæ libertatem quid fieret: et quod reliquis omnibus periculosissimum est, tanquam ambiguum suspenditur ad novam decisionem Sacræ Majestatis, utrum in Magistratu Lutherani Augustanæ Confessionis cum Catholicis assumi indifferenter debeant. Quamvis autem de Augustana Confessione primaria quæstio non sit, non enim eo ventum est, ut repurgatus sit Magistratus a Calvinistis, qui tamen numeru et authoritate potiores sunt reliquis omnibus; hunc tamen astutæ pietatis prætextum propter alias Imperii Civitates conantur occultare. Præterea ordinatum est in recessu, Magistratum præsentem non solum in regimine permansurum usque ad novam electionem, sed et facultas datur procedeodi ad aliam electionem, quæ circa finem, vel post medium mensis Maji fieri solet, idque stylo antiquo, quia nondum acceperunt Gregorianum emendatum Calendarium, nisi interea a Cæsarea Majestate impediatur: a quo, quia totius negocii cardo dependet, hinc necessarium judicatur ab omnibus viris bonis, ut quoquo modo fieri potest, hoc apud Suam Majestatem agatur, ut quamprimum singulari mandato præcipiatur, ne ad novam electionem Magistratus ante plenam Suæ Majestatis decisionem procedant, eamque, si fiat, irritam fore; quod eo facilius fiet, quia etiam adversarii stipulatione manuum, juramenti loco, publice coram tota Communitate in ipsa publicatione recessus ipsis Commissariis Cæsareis promiserunt, se in omnibus parituros Suæ Majestatis decisioni, Suæque Majestatis resolutionem expectaturos; poterit igitur in hac re primo eorum voluntas probari. Plura propter occupationes non scribo. Deus servet Celsitudinem Vestram nobis diu incolumem. Datum Aquisgrani XVI. Aprilis Anno etc. 84.

Itaque Gregorius eorum causam Cæsari enixe commendavit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 6. fol. 377.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rudolpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Etsi præclare intelligimus, pietatem tuam in rebus Catholicæ Religionis tuendis nullum nostræ cohortationi locum relinquere; tamen rei ipsius gravitas, et summa hæreticorum perversitas atque audacia facit, ut eas Majestati Tuæ etiam atque etiam commendemus. Scis Aquisgrani Catholicos vi atque armis e Senatu ejectos esse, quotidieque indignissime vexari atque opprimi: spes una Catholicorum causæ, nobilissimæque Urbi multis maximisque olim Romanorum Pontificum Imperatorumque decretis ornatæ, in tua præstanti virtute et pietate relicta est. Nihil autem non in ea modo Urbe, sed in cæteris etiam, quas Catholici incolunt, potest ad exemplum perniciosius accidere, quam si committatur, ut hæreticorum audacia Principum patientia ac dissimulatione ali videatur. Hortamur igitur, et rogamus Majestatem Tuam quantum possumus, ut huic malo, tum ipsi per se maximo, tum aliorum præterea multorum gravissimorumque causæ et semini mederi velis, neque Catholicos tua dignitate et loco diutius carere, atque ab impiis vexari atque opprimi sinas. Hoc boni omnes exoptant, flagitat Christus, pollicetur pietas tua. Cætera ex venerabili fratre Episcopo Vercellense Nuncio nostro cognosces. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Junii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

XXIII. — Clivensis Princeps, idemque Ecclesiæ Monasteriensis Administrator, hoc anno sat gravibus et domus suæ et ditionis Clivensis inductus rationibus, nuptiarum consilium jam antea initum re ipsa perfecit. Fridrrici igitur Marchionis Badensis filiam in diem XX. Januarii anni insequentis uxorem ducturum se despondit. Quod cum Gregorius a Duce Bavariæ accepisset, sapienter existimans quam gravis momenti res ageretur, Archiepiscopo Coloniensi eam curandam mandavit. Duci autem Bavariæ, quamvis nihil non gratificari se ei debere Gregorius intelligeret, ut offensionem tamen bonorum et dicteria inimicorum vellet effugere, prudentissime quædam, quæ ab ipso peterentur, facturum se, quædam nisi certa cum conditione tribui ab se posse scribit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. XII ep. 127 f. 355.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Bavariæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Negocium Principis Clivæ de uxore ei adjungenda, cura item Ecclesiæ Monasteriensis de idoneo ei pastore tribuendo, utrumque per se gravissimum est, et accuratam multiplicemque considerationem requirit. Hæc igitur causa effecit, ut tuis literis super his rebus non ante responderemus. Nunc autem ut ipse faciendum existimabas, scribimus ad Archiepiscopum Coloniensem fratrem tuum, ut se ad Ducem Principemque conferat, cumque iis agat nostris verbis, ut cogitent de muliere aliqua Catholica, et loco illo ac matrimonio digna. Scribimus etiam ipsi tum ad patrem, tum ad filium, ut super hoc negocio verbis Archiepiscopi, qui se mandato nostro illuc confert, omnem fidem tribuant. Tuum etiam nunc munus erit, hoc officium prosequi consiliis et hortationibus tuis, ut celerem atque optatum exitum habeat. Si res, ut speramus, brevi transigetur, et Princeps Ecclesiæ Administrationem, ut oportet, statim

deponet, diligentissime considerandum erit de Ecclesiæ illius incolumitate, deque optimo Pastore ei tribuendo. Quod scribis de Archiepiscopo fratre tuo, cupimus Nos quidem, quoad possumus, Nobilitati Tuæ gratificari, sed magnopere cavendum est Nobis scandalum et exempli pravitas, atque offensio non hæreticorum modo, sed quod maxime interest, Catholicorum in tam multis Episcopatibus, quorum unus non mortalium modo, sed Angelorum etiam humeris deberet videri gravissimus, uni eidemque personæ tribuendis. Tamen si ita eveniet, ut Capitulum Ecclesiæ Monasteriensis Archiepiscopum fratrem tuum postulet, et ille utrunque Episcopatum tum Frisingensem, tum Hildesemensem deponat, haud recusabimus confirmare. Frisingensis autem Ecclesiæ Administrationem uni liberorum tuorum, ut ipse cupis, concedemus, sed nixi in primis spe eximiæ pietatis, prudentiæ et zeli Nobilitatis Tuæ. Speramus enim fore, ut quod Administrator ipse per ætatem præstare non poterit, tua præstanti fide et diligentia providcatur, ejusque Ecclesiæ necessitatibus subveniatur, ibique cultus divini splendor conservetur, ac si quid hactenus jacturæ factum est, restituatur; nihil denique, quod ad ejus Ecclesiæ dignitatem attinet, desideretur. Significabis igitur fratri, si postulabitur, isque ea postulatione uti voluerit, utramque sibi Ecclesiam omnino dimittendam esse; neque enim aliter possemus salva ratione existimationis et conscientiæ nostræ postulationem confirmare. De recuperatione Bonnæ, de qua ex aliis tuis literis cognovimus, tantam voluptatem cepimus, quantam debuit Nobis afferre studium Dei gloriæ, et Catholicæ religionis amplitudinis; speramus etiam, quæ restant, lætissimos eventus habitura esse, idque a summa Dei benignitate toto pectore precamur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Martii MDLXXXIIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

His litteris Coloniensem Archiepiscopum imprimis monet, ut cum Principibus Clivensibus patre et filio agat, tum de Catholica uxore comparanda, tum de Monasteriensi administratione deponenda. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII ep. 128. f. 337.

Venerabili Fratri Ernesto Archiepiscopo Coloniensi, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Nostra dilecti filii Gulielmi Cliviæ Ducis rerum cura, et paterna erga eum charitas fecit, ut quoniam unicum habet filium, eoque maxime nititur clarissima illius familiæ conservatio ac tota successionis spes, facile existimaremus, illum cogitare de muliere aliqua pari, quoad fieri poterit, nobilitate, sed in primis Catholica ei in matrimonium adjungenda: neque tamen hac de re quidquam hactenus accepimus, quo etiam magis mirati sumus. Cupimus igitur, ut quoniam tanta inter vos intercedit conjunctio et necessitudo, tamque vicinus es, quamprimum poteris, te ad eum conferas, cumque ipso et filio agas, eosque horteris, ut id consilii capiant, quod rebus suis maxime convenire existimaverint, sed ita ut de Catholica in primis muliere cogitent; hoc enim remoto Catholicæ religionis fundamento, ruunt omnia hominum consilia et conatus. Ut autem cum utroque commodius agere possis, quæque ad rem maxime pertinere judicaveris, suggerere, damus Fraternitati Tuæ ad eos litteras, ut tuis verbis fidem tribuant super iis negociis, de quibus cum illis ages nostris verbis; earum etiam litterarum exempla ad te mittimus. Si de matrimonio, ut credimus, assentientur, necesse erit etiam cum iis agi de Ecclesiæ Monasteriensis administratione deponenda, de ejus rei tempore et ratione, de idoneo successore, de illius Ecclesiæ dignitate et incolumitate. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Martii MDLXXXIIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Hæc ad ipsum Clivensem Ducem. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII ep. 129 f. 337.

Dilecto Filio Nobili Viro Gulielmo Duci Cliviæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Nostra perpetua in te tuosque charitas, et studium vestræ amplitudinis, clarissimæque familiæ conservationis et propagationis jamdiu fecerunt, ut putaremus cum Tua Nobilitate agi oportere nonnullis de rebus, ad has ipsas causas magnopere pertinentibus; sed hactenus distulimus, quia videbatur tempus parum idoneum esse propter eos motus, qui in istis regionibus hactenus fuerunt. Nunc autem iis Bonnæ recuperatione magna ex parte sedatis, et fœlicissimi exitus magna spe concepta, non putavimus amplius differendum esse. Scripsimus igitur ad venerabilem fratrem Ernestum Archiepiscopum Coloniensem, ut quamprimum poterit, se ad Tuam Nobilitatem conferat, tibique consilium nostrum exponat. Non dubitamus, te eum libenter auditurum, ejusque verbis omnem fidem tributurum. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Martii MDLXXXIIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Hæc ad Monasteriensem Administratorem, ejus filium. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XI ep. 130. f. 338.

Dilecto Filio Nobili Viro Principi Cliviæ, Monasteriensis Ecclesiæ Administratori.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Amavimus semper unice optimum patrem tuum, Nobilitatemque Tuam: hæc igitur charitas fecit, ut ad vos mittamus venerabilem fratrem Ernestum Archiepiscopum Coloniensem, nostri vobis consilii exponendi

causa super iis rebus, quas ad vestræ domus vestræque ditionis amplitudinem magnopere pertinere existimamus. Gratissimum Nobis facies, si eum attente andies, ejusque verbis fidem tribues, nostrumque amantissimum consilium amplecteris. Id vero pollicetur spectata pietas et bonitas tua. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoria die XVIII. Martii MDLXXXIIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

XXIV. — Dux Bavariæ Gregorium de iis secundum vota conclusis, quæ Ernesto Archiepiscopo eum Duce Clivensi erant tractanda, edocet: lætoque animo ejusdem egregiam sibi gratificandi voluntatem accipere scribit. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol 122.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Dño Gregorio XIII. Sanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Benignissimo.

Beatissime in Christo Pater, Domine Benignissime.

« Perpetuam devotissimi filii obedientiam, pedumque beatissimorum oscula humillima. Adest Deus mirabiliter rebus iis, quibus Sanctitas Vestra præest: negocium illud de matrimonio Juliacensi cum primum majori auxilio et authoritate Sanctitatis Vestræ geri cœptum est, bonum habuit et desideratum exitum. Eo enim perduxit Archiepiscopus Colonensis, frater meus, Ducem illum patrem, ad quem cum ire jusserat Sanctitas Vestra, ut jam plane consenserit ad dandam uxorem filio Marchionissam Badensem, atque sic Principi Catholico jungetur Catholicissima: in quo multum præsidii positum erit afflictis illis partibus, totique Germaniæ. Quod cum potissimum Sanctitatis Vestræ benignitate nobis contigerit, magnas ei gratias debere nos fateor: quæ hanc servatam sibi gloriam augebit, si, ubi gratia ejus ac studio opus erit ulterius, libenter adjuverit.

« Sane vero cogitandum est, quemadmodum nuperrime prudenter monuit Sanctitas Vestra, de idoneo pastore Ecclesiæ Monasteriensi præficiendo: Deus, cujus res hic agitur, gratiam suam Capitularibus infundat, ut, qualem decet, eligendum sibi existiment. Ego Sanctitatis Vestræ benevolentiam erga me meamque domum, post infinita alia, in eo quoque agnosco, quod scripsit, se fratrem meum Coloniensem, si illum Divina bonitas eo per electionem vocet, benigne confirmaturum, et concessurum deinceps uni filiorum meorum administrationem Episcopatus Frisingensis. Expectandum igitur erit, quid nova electio afferat: quæ si, Deo sic disponente, nobis favebit, non ego in Episcopatu Frisingensi, quæ mea, sed quæ ipsius Dei et illius Ecclesiæ sunt, quæram. Me et omnia hæc Sanctitati Vestræ singulari illa, qua erga eam sum, devotione et humilitate commendo et trado. **Datum in Civitate mea Monachio VI. Julii anno MDLXXXIV.**

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
GUILIELMUS D.

Alteris tamen litteris Pontificem rogavit, efficeret, ut ne res, quæ ad Episcopatum Monasteriensem deponendam pertineret, non ipsius quidem Administratoris, sed aliorum culpa diutius differretur. [*]

[*] Germania Vol 29. fol. 123.

Bñe Pater, Dñe D. mihi semper benignissime.

« Humidem obedientissimi filii oblationem, pedumque beatissimorum oscula devota. Non potest Sanctitas Vestra non recordari de matrimonio inter Principem Juliacensem et Marchionissam Badensem, cum id ipsius authoritate per fratrem meum Electorem Coloniensem, ac Imperatoris Regisque Hispaniarum Mandatarios non ita pridem conclusum sit. Eæ nuptiæ die 20. Januarii proxime futuri celebrabuntur. Intra quod tempus etsi minime diffidam, depositurum esse Principem illum pro sua ingenti probitate et devotione Monasteriensem Episcopatum, si id ipsius arbitrio relinquatur: est tamen ea sæculi hujus iniquitas, ut metuendum summopere sit, futuros, qui Duci patri persuadere conentur, ut res illa diutius, quam par est, differatur. Quod ut ne attentetur quidem, mature prospiciendum est: cum si semel cogitatio illa in animos hominum irrepat, aut in machinationem aliquam erumpat, medicina maximo Ecclesiæ malo serius, quam rei magnitudo postulaverit, parata videatur. De officio suo monendum igitur erit Capitulum, ut sacrorum Canonum Conciliorumque memor ad aliam Episcopi Catholici electionem quamprimum descendat. Hoc facere nemo potest, cui id magis incumbat, cujusque pluris intersit, non avelli ab ægro fidei Apostolicæ corpore præcipua membra, quam Sanctitas Vestra. Itaque non orabo ipsam pluribus, ut hoc quam citissime fieri jubeat; indicasse sufficit pastori optimo et vigilantissimo justum de dissipandis ovibus metum. Valeat et floreat Sanctitas Vestra, cui me hancque Monasteriensem causam quam humillime commendo. Datum in Civitate mea Pfaffenhovio 15. Novembris anno etc. 84.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimus filius
GUILIELMUS D.

XXV. — Hoc tandem anno Westerholtius, rebus ex sententia Romæ compositis, a perbenigno quidem Gregorio in Germaniam est remissus, cum singulari ad Bavariæ et Cliviæ Duces, quos ille graviter offenderat, commendatione. En litteras ad horum alterum. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. Ann. XIII. ep 60. fol. 406

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Cliviæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostoli-

eam benedictionem. Speramus Vesterholtium toto hoc tempore, quo eum detinuimus, multo modestiorem demissioremque factum esse, planeque immutatum. Nihil igitur causæ esse intelligebamus, cur cum diutius retineremus, prohiberemusque, quominus in patriam rediret. Fecimus tamen, ut Monasteriensis Ecclesiæ beneficiis officiisque ab eo depositis, omnem ei in Ecclesia illa turbandi materiam præcideremus. De Præpositura Alberstadiensi facere non potuimus, quominus Cardinalis Austriæ, qui eam Vesterholtio cesserat, factum probaremus; multum enim Cardinalis intererat, neque alia ratio ejus recuperandæ ostendi videbatur: erat enim ab aliis per summam injuriam occupata. Voluimus etiam hominis animum, quoad quidem possemus, exploratum habere: pollicitus est se ad Bavariæ Ducem aditurum, eique satisfacturum, seque ei totum daturum, oraturumque eum, ut velit se in gratiam recipere; idque etiam aut coram, aut certe per literas cum Tua Nobilitate facturum. Fidem ei tribuimus; jam enim experientia didicit, quemadmodum se gerere debeat, quantique facienda sibi sit eorum Principum gratia, quos vel colere debeat, vel pertimescere. Gratissimum Nobis faciet Nobilitas Tua, si omni superiorum temporum memoria deposita, illum, pro eo ac merebitur, humanitate et gratia tua amplecti volueris. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die XII. Octobris MDLXXXIIII. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

Bavarorum Dux post mensem Cardinali Comensi scribit, per se quidem non stetisse, quominus Westerholtium in gratiam reciperet; sed ipsum se prohiboisse; quapropter valde suspicari, ne forte sit ad ingenium rediturus, moturusque aliquid in Monasteriensi negotio. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 138.

Reverendissimo in Christo Patri atque Illmo Domino Ptolomeo Gallio Novocomensi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsbytero Cardinali, Dño et Amico meo Honorandissimo.

Reverendissime in Christo Pater, Illme Domine et Amice honorandissime.

« Quæ de Westerholtio ad nos scripsit Reverendissima et Illma Dominatio Vestra, ea non ignoramus ex solita sua bonitate et optimo in nos animo profecta esse. Etsi igitur nos nostramque domum graviter homo ille læsit; tamen cum ita suadere Illmam Dominationem Vestram, vellequc Smum Dñum Nostrum animadvertissemus, parati eramus omnem ei injuriam remittere, sicque eum complecti, uti facturos nos in se receperat Illma et Rma Dominatio Vestra. Sed desiderium, quo incensum illum fuisse scripsit eadem Illma Dominatio Vestra, nobiscum in gratiam redeundi adeo extinctum in eo fuit, cum huc advenisset, ut cum etiam satis benigne allieeretur, nobis se minime exhibuerit. Cum enim Monachium venisset, nosque inde decem milliaribus Italicis in castro quodam abessemus, curavimus ei nuntiandum, si alloqui nos vellet, excurreret, nobis non futurum ingratum. Ad quod ille: litteras se ab Illma Dominatione Vra tulisse; aliud quod apud nos agat, nil habere; maturare debere institutum iter. Et sic nescimus quo perrexit. Quid jam secuturum sit, de eo etsi timemus, inquietum ingenium ad veteres machinationes rediturum; tamen eventus id docebit. Illud eum certum sit, Henricum Julium postulatum Episcopum Halberstatensem conari, fratrem Philippum Sigismundum prætensum Præpositum ibidem in Episcopatum Monasteriensem intrudere, non se hic negliget Westerholtius instrumentum aptum (nisi vero, de quo dubitamus, saniorem ei Deus mentem dederit) ad res novas fabricandas: sperabit enim, si suo aliquo studio Episcopatum ille nanciscatur, se Præposituram illam Haberstatensem obtenturum: Reverendissimæ et Illustrissimæ Dominationis Vestræ et in primis Sanctissimi Domini nostri fuerit, rebus, priusquam ruant, mature succurrere. Nos Deum oramus, ut omnia ad sui nominis gloriam, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ commodum et incrementum instituantur. Bene valeat Reverendissima et Illustrissima Dominatio Vestra, ac nos nostrosque, ut facit, amet. Datum in Civitate nostra Pfaffenhovio 15. Novembris anno 84.

Guilielmus Dei gratia Comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ Dux.

GUILIELMUS D. mpp.

V. Sperius.

XXVI. — Westerholtius Paderbornam cum pervenisset, cognovit rem de Præpositura Halberstadiensi a Pontifice sibi collocata, esse impeditam maxime. Nam removendus a Præpositura erat intrusus Philippus frater Henrici Julii Postulati Halberstadiensis; Canonici autem potius obsistere, quam favere Westerholtio parati erant, quum magna ex parte addicti essent Augustanæ Confessioni. Etenim totum Capitulum omnem reverentiam erga Ecclesiasticas sanctiones, et Romanum Pontificem abjecerat in pactionibus initis, in quibus probaverat Henricum sponsalia contrahere posse cum filia Ducis Saxoniæ, et post initum matrimonium adhuc per sex annos Diœcesis administrationem retinere. Westerholtius itaque non solum difficultates, quæ juri suo opponebantur, sed etiam Postulati Halberstadiensis et Capituli facinora Cardinali Comensi exponit. [*]

[*] Germania Vol. 30. fol. 184.

Illmo et Rmo Ptolomeo Gallo Novocomensi S. R. Ecclesiæ Cardinali Tituli Sanctæ Agathæ, Domino meo Clementissimo.

Illme et Rme Domine.

« Post devotissima obsequia mea nolui Illmæ

Dominationi Vestræ celare, quod iter meum prospere peregerim, et ad Diœcesim Paderbornensem pervenerim, ex qua statim ad Henricum Julium Postulatum Halberstadensem, necnon Capitulum ibidem literas meas direxi, et provisionem Apostolicam super Præpositura Halberstadensi intimari curavi. Ipsi autem valde tardi sunt in respondendo; ob id quod Capitulum Halberstadense cum Henrico Julio prætenso Postulato nonnullis pactionibus effecerit, ut obedientiam Sedis Apostolicæ jam porro plane negligerent; et licet Postulatus sponsalia contraxerit de præsenti cum filia Ducis Saxoniæ, complementum tamen matrimonii propter minorem ætatem sponsæ adhuc ad aliquot annos dilatum est.

« Ne interea Capitulum Halberstadense ad electionem novi Præsulis procederet, certis pactionibus inter Ducem Julium Brunsvicensem, patrem Postulati, et Capitulum Halberstadense initis, obviatum et præventum est, nempe quod non obstante matrimonio Henricus Julius Postulatus et sponsus in administratione istius Diœceseos ad sex annos proxime subsequuturos permaneret. Illis autem elapsis Philippum Julium, fratrem moderni Postulati, Canonicum ibidem et intrusum in Præpositura mihi a Sanctissimo Domino Nostro collata, de novo ad illum Episcopatum ex gremio Capituli eligerent. In Episcopatu Mindensi idem Dux Julius tentavit: sed res nondum est peracta, ob id quod Canonici Capitulares inter se dissident, et major pars renuit ejusmodi pacta acceptare.

« Cum propter præfata pericula recta via ad Diœcesim Halberstadensem proficisci non poteram, in Civitate Episcopali Paderbornensi hybernare constitui, quæ licet ultra 60. milliaria Italica a civitate Monasteriensi non distet; spero, quod attentis prænarratis circumstantiis, Illñia Dominatio Vestra illud non inique feret; nam nullum alium habeo locum, ubi inter Catholicos residere possum; si auxiliante Deo, Ducem Brunsvicensem, patrem Postulati Halberstadensis, bonis mediis inducere potero, ut sinat possessionem dictæ Præpositurae mihi consignari, circa principium Februarii eo migraturus sum. Literas quas Illustrissima Dominatio Vestra mihi consignaverat transportandas ad Illustrem et Serenissimum Ducem Wilhelmum Bavariæ etc. ea fide, qua debui, in civitate Monacensi Comiti Svartzenburgensi, absente Principe, consignavi, qui illas statim ad Ducem Wilhelmum transmisit, et accepto responso, humanissime jussu Principis me excepit. Hæc nolui Illustrissimæ Dominationi Vestræ celare, supplicans quam humillime, me in numerum suorum clientulorum referre dignetur: si ego vicissim in his partibus aliquid pro Sede Apostolica præstare potero, habebit me semper paratum et obsequentissimum. Datum 15. Novembris anno 84.

Illñæ et Rñæ Dominationis Vestræ

Obsequentissimus

Conradus de Westerholt.

XXVII. — Promere sane juvat illas pactiones, in quibus apparet, satis Henrico fuisse ad extorquendum Capituli assensum ut promitteret, se matrimonio incundo neque aliquod onus Capitulo impositurum, neque incommodi quidquam allaturum. Ea erat illius Capituli depravatio, ut facile omnia pessundaret, si nihil de suis juribus, vel potius de suis commodis esset imminutum. (*) (*) Colonia Vol. I. fol. 132.

Novæ pactiones initæ inter Henricum Julium Brunsvicensem et Capitulum Halberstadiense.

« Ut omnes aliæ conditiones, de quibus in hoc scripto non fit mentio, factæ tempore Postulationis, et subsequutæ assecurationis Capituli, nec non in conventibus post obtentum primum et secundum indultum Cæsareum, maneant in suo robore.

« Cum autem Capitulum non habeat in animo, opponere se Christiano proposito ipsius Postulati de contrahendo matrimonio; immo potius benedictionem Dei omnemque prosperitatem accedere precetur: proinde se vicissim promittere, quod velit ipsos Capitulares et ceteras Ecclesias Collegiatas, Monasteria, fundationes, et universum Clerum, tum etiam alios Prælatos, Barones, Comites et Nobiles, nec non Municipia et subditos quoscumque totius Episcopatus ac provinciæ, in sua religione antiqua videlicet et Augustana Confessione relinquere, et tenore pacis Religionis permittere cultum Dei, et cæremonias Ecclesiarum uniuscujusque sine permutatione: nihilque innovare sine præscientia et speciali consensu Capituli et provinciæ; sed potius omnia in suo statu, in quo erant tempore Episcopi Sigismundi, et in quo adhuc comperiuntur, sinere.

« Item quod non velit aut debeat petere sustentationem familiæ uxoriæ ex Capituli impendiis, vel subditorum exactionibus: sed contentabitur sumere ex castris et domibus Episcopatus, quantum tolerare possunt.

« Quod si contingat, ipsum mori relicta uxore et liberis, tum nihil juris iis competere debeat in Episcopatum; sed ad Capitulum libera electio vel postulatio recidat. E converso in hunc casum Capitulum promisit, quod contemplatione speratæ bonæ administrationis ipsius Postulati, velit habere rationem Domus Brunsvicensis et Lineæ Volfenbutel.

« Ibidem promisit Capitulum casu resignationis, ita tamen ut fiat libere, pure et simpliciter ad manus Capituli.

« Quod neque ipse, neque uxor quidquam auferent ex castris et domibus Episcopatus, præ-

ter invecta et illata a se, atque ut in eum finem conficiantur inventaria.

« Quod nullas donationes vel legata in uxorem conferet super bonis Episcopatus, sed tantum ex bonis patrimonialibus.

« Quod ad administrationem attinet, promittit se nihil unquam in ulla causa præjudiciali vel gravi deliberaturum, vel conclusurum absque ipsorum Capitularium scitu et consilio; eademque causa nullos ministros suscepturum, qui probari possint Capitulo esse contrarii; neque etiam majoribus officiis se quemquam præfecturum absque ejus Capituli consensu.

« Quod præsentes ministros suorum et Episcopatus secretorum jam conscios, neque cum bona, neque cum mala gratia dimittet: verum in contradictorio coram Commissariis Capituli oppositiones et defensiones eorum audiet, ac quod æquum erit, desuper decernet.

« Quod non præficiet officiis exteros, modo haberi possint subditi: ab iisque juramenta et obligationes consuetas exiget, ac operam dabit, ne operis insolitis subditos onerent: atque in hujusmodi susceptione officialium se usurum communicatione Capituli.

« Quod subditos penes jus et æquum defendet, ne internis vel externis oneribus graventur.

« Cum subditi emere volent frumentum, numerata pecunia, præferentur aliis.

« Quod apud Cæsaream Majestatem omnem diligentiam possibilem adhibebit pro obtinendo novo Indulto.

« Quod erga Capitulum pro hoc favore gratissimum et promptissimum se exhibebit.

« Quod si aliis locis aulam vel residentiam instituat, tum administratio et regimen erit penes solum Capitulum, cui Commissarii sui regiminis se conformare debeant.

« Quod si Capitulo vel Episcopatui propter permissionem hujus matrimonii ab aliquo sive inferioris sive superioris status ullum gravamen inferretur, obligat se pro seipso et pro stirpe Domus Brunsvicensis, quod propriis sumptibus in judicio, sive alias defensionem suscipiet, atque damna avertet.

« Super prædictis confectum fuit instrumentum ab ipso Postulato subscriptum, ejusdemque sigillo, nec non majore sigillo Ecclesiæ Halberstadiensis munitum, jubente Ludovico Bintz Decano, et Joanne a Marenholtz Seniore. Datum 30. Maji 84.

XXVIII. — Atque hic admirere Ducis Episcopi Lutherani miram securitatem et confidentiam, qua per liberos ab uxore tollendos sibi præcipuam quamdam Omnipotentis Dei benedictionem pollicetur: in eoque tantum momenti inesse ostentat, ut Catholicos Episcopos uxoribus ac filiis orbos pœnitere simul et pudere oporteat, se ultro ab tanta felicitate gratiaque cœlesti arcere. Habeas igitur, quod non mediocriter rideas, ejus edictum, quo Canonicorum Collegio suam fidem pro iis pactionibus servandis obligavit: in quo illud etiam datur prudentiæ specimen, ut tam bonus, tam suorum amans Episcopus perinde habeat cultum Deo præstitum ex fide Catholica, atque ex fide Augustana. Quo vero accuratam sollicitudinem suam testatiorem faceret, idem edictum his ipsis verbis ditionis Halberstadiensis ordinibus circummisit. [*] [*] Germania Vol. 82. fol. 251.

« Nos Henricus Julius Dei gratia Postulatus Episcopus Halberstadiensis, Administrator Diœcesis Mindensis, Dux Brunswicensis et Lunenburgensis etc. Hisce notum facimus et confitemur.

« Cum ex singulari Dei omnipotentis providentia gravibus de causis, consilioque dilectissimi parentis nostri et matris, tum aliorum etiam consanguineorum, Electorum, Principum matrimonium contrahere decreverimus, neque tamen ob id Capitulationem nostram cum Capitulo factam, nisi cum ipso de novo tractemus, vel aliis mediis conveniamus, infringere velimus; itaque ut huic malo præveniatur, dicimus testamurque vigore dignitatis et præstantiæ nostræ efficaciter, quod omnes et singulos articulos, qui in hac nostra nova Capitulatione non comprehenduntur recensenturve, quique tempore Postulationis in Capitulatione, assecuratione, primoque Cæsareo indulto ob id promulgato, conglutinati, et altero Cæsareo indulto et instituto Recessu conclusi provisique, ab avo et parente nostro Dominis Clementissimis promissi, sigillati et constituti sunt, in hac autem nova nostra Capitulatione non minuuntur, vel alia ratione definiuntur aut commutantur, firmiter inviolateque observare velimus. Neque huic nostro instituto præstita a nobis tempore introductionis et investituræ juramenta, uti nec Capitulo ratione pactorum adversabuntur, sed in omnibus punctis et articulis irrevocabiliter observabuntur. Quamobrem etiam hæc omnia Diœcesis Capitulique nostri liberæ Electioni, statutis, consuetudinibus, privilegiis, libertatibus, juribus et jurisdictioni præjudicare minus debent. Porro, cum Capitulares nostri Christianum nostrum institutum nequaquam impedire studuerint, vel eidem sese opponere cogitaverint, sed Divinam potius benedictionem, fortunam, salutem, omneque bonum optaverint, nos ipsis e contra polliciti sumus et securitatem dedimus, uti vigore hujus Recessus pollicemur et securitatem damus, ipsos Dominos Capitulares aliasque Collegiatas Ecclesias, monasteria et conventus totumque Clerum, uti etiam Prælatos, Comites, Barones, Nobiles, Civitates et subditos totius Diœcesis et provinciæ in antiqua Religione, et Augustana Confessione respective

relinquendos, Religionis quoque exercitia, Ecclesiarum cæremonias secundom Religionis concordiam absque cognitione et particulari consensu Capitularium Ordinumque non mutandas, sed hoc casu omnia Ordinum judicio et voluntati committenda, quemadmodum tempore Sigismundi Archiepiscopi consuetudo fuit, et adhuc est. Neque vero etiam debemus volumusque ob muliebris cubiculi sustentationem Diœcesim, subditosque ejus gravare, sed ex Castris ipsius Diœcesis sumemus omnes, quos habere poterimus, proventus, iisque contenti erimus. Quod si etiam ex voluntate Divina, quod ad longum tempus sua differat Omnipotentia, in conjugali statu ex hoc sæculo tollamur, nostra Ducissa vidua secundum benedictionem Divinam hæredes relinquat, illis nulla penitus Jurisdictio in hac Diœcesi Halberstadiensi competet; sed prætacta Diœcesis ad Capituli liberam Electionem vel Postulationem recidet. Præterea Capitulum id declaravit et obtulit, se Domus familiæque Brunswicensis rationem habiturum, si fortasse resignandi sit animus. Ea vero resignatio libere, pure et simpliciter ad manus Capituli fiet: quo casu, ut supra dictum est, prætactum Capitulum nostrum se Domus Brunswicensis præ omnibus rationem habiturum obtulit. Arces autem vel Castra hujus Diœcesis a nobis, nostra conjuge, hæredibusque nequaquam spoliabuntur: verum nil præter id, quod ad conjugem nostram detulimus, ab eaque accepimus, eo casu asportabimus; quemadmodum de hoc justa firmaque inventaria licet.

« Dilectæ autem conjugi nostræ, mortis nostræ tempore, quod in longum Divina bonitas clementer protrahat, nullam habitationem ad vitam pensionemve in Diœcesis nostræ domibus aut officiis assignabimus: sed illam apud dilectum Dominum parentem nostrum in hæreditariis bonis nostris permanere curabimus, atque ita nostra Diœcesis Halberstadiensis, neque usufructu ad vitam, neque proprietate molestabitur.

Quoniam itaque tanquam novus Princeps regimen ipsimet suscipimus, nos obligamus hisce, quod in nulla præjudiciali causa, cujus notabile aut ingens interesse Diœcesis habebit, absque cognitione et consilio Capituli nostri suscipere aliquid, multo minus definire velimus; neque ad eorum usum debemus, volumusque ministros ullos, qui Capitulo probabiliter adversi sint, suscipere vel pro nostris ministris habere: uti etiam ad majora officia nullos absque nostri Capituli Halberstadiensis cognitione assumere cogitamus.

« Modernos ministros, qui hucusque nostra Diœcesisque nostræ Halberstadiensis secreta cognoverunt, atque imposterum scire debent, uti Diœcesis Capitaneum Henricum a Lube, Conradum a Schweichfeldt juniorem aulæ Præfectum, Petrum Bottichern Cancellarium, Matthiam Bottichern Burchgravium, Quirinum Danshoff Secretarium, Joannem Bornholt Juris Doctorem, qui in locum Beile venit et constitutus est, absque singulari consilio et cognitione Halberstadiensis nostri Capituli mutabimus vel dimittemus; sed ob defectus in ipsis repertos, præsentibus Capitularibus ad id ordinatis, eorum defensiones fient, eisque justitia administrabitur. In officiis quoque nostris nullum extraneum, nisi in Diœcesi natos, vel quibus Diœcesis conditio cognita sit, habebimus, qui similiter Capitulo non adversentur, sed ei secundum antiquam consuetudinem juramentis pactionibusque conjuncti sint, pro officialibus vel famulis recipiemus: sed id semper prævia Capituli cognitione fiet, ne subditi novitatibus officiisque quomodocunque nominatis molestentur vel graventur, atque in officiis servitiisque nostris debitam diligentiam tanto melius præstare possint.

« Curabimus etiam, ut subditis nostris justitia æquitasque debite administretur: neque ad temporalem interitum ob extraneas vecturas deveniant.

« Si subditi frumentum, uti officialibus nostris venditur, memorata pecunia emere velint, ipsis tradetur.

« Apud Sacram Cæsaream Majestatem omnem diligentiam adhibebimus, ut novum indultum impetremus. Capitulo autem nostro ob hanc nobis exhibitam benevolentiam gratos adeo nos exhibebimus, ut speramus promptum nostrum animum patefaciendum.

« Quod si contigerit ob multitudinem aulæ nostræ et conjugalis, ex hac Diœcesi ad alia loca residentiæ gratia nos conferre, administratio regimenque nostro nomine solius Capituli erit, ad cujus voluntatem Consiliarii nostri se dirigent.

Quod si Capitulo totique Diœcesi ratione hujus nostri matrimonii a quovis cujuscunque status ulla molestia, adversitas vel injuria inferatur, nos nomine laudatæ Domus nostræ Brunswicensis obligamus Dominis Capitularibus, totique Diœcesi, nostris impensis in jure vel alias satisfacturos, omne damnum laturos, fideliter omni dolo ac fraude sepositis. Pro cujus certitudine firma et inviolabili observatione nostrum Principale majus sigillum hisce scienter appendi jussimus, propriaque manu subscripsimus.

« Et nos Ludovicus a Breitzke Decanus, Joannes a Marenholtz Senior, totumque Capitulum Episcopalis Ecclesiæ Halberstadiensis, similiter pro majori fide supradictorum punctorum et articulorum nostræ Ecclesiæ majus sigillum hisce appendi, re prius diligenter considerata, mandavimus et ordinavimus. Actum datumque in nostra Civitate Halberstadiensi, die Dominica

circa Vesperam post Vocem Jucunditatis 30. Maji anno 1584.

XXIX. — Intrusus ille id ipsum alteris etiam litteris ordinibus incolisque Principatus Halberstadiensis, qui omnes fere jam ab longo tempore Lutheri dogmata sectabantur, communicavit, fidemque dedit se rem omnem, quæ mutatam hanc rerum conditionem spectaret, cum Cæsare tractaturum et compositurum. [*]

[*] Vide Ludig Specileg. Eccles. T. II. p. 62.

XXX. — Eadem fere in summam redacta videre licet in iis, quæ Administratoris Monasteriensis negotiorum curator magno cum dolore de tristissimo eventu refert. [*]

[*] Germania Vol. 59. fol. 101.

« Summarium ejus obligationis et Capitulationis, quæ concepta quidem in personam intrusi Episcopi Halberstadensis, sed inter ipsum et ejusdem Ecclesiæ Capitulum, cum dictus intrusus matrimonium esset contracturus, sub utriusque partis propriis sigillis et subscriptione firmata et erecta fuit.

« Henricus Julius Postulatus in Episcopum Halberstadensem, Administrator Ecclesiæ Mindensis, Dux Brunsvicensis et Luneburgensis etc. (hunc enim titulum dictus Intrusus sibi adscribit).

« Imprimis commemorat, se nolle quicquam committere, quod sit Ecclesiæ Halberstadensis statutis, privilegiis et consuetudinibus ac juribus contrarium. Quare cum in animo habeat, juxta consilium suorum parentum et amicorum, Electorum, aliorumque Principum, matrimonium contrahere, in quo prior capitulatio sibi obstare videatur, ideo ad hunc novum consensum et capitulationem deventum fuisse, quæ in sequentibus capitulis contineatur.

« Renovat igitur omnia et singula capitula dictæ prioris capitulationis, tempore suæ postulationis ac duorum indultorum imperialium desuper obtentorum, aliisque vicibus factæ et respective iteratæ, dummodo in præsentibus non sint revocata et retractata.

« Constitutiones Imperii super pace Religionis editas observabit; atque utrisque, tam qui sunt Catholicæ, quam qui Augustanæ religionis, ejusdem exercitium liberum permittet et relinquet; solitas in Ecclesiis ceremonias aliosque ritus nullatenus immutando, vel circa eos quicquam statuendo, nisi cum consensu dicti Capituli ac statuum diocesis.

« Onera matrimonii et muliebris aulæ, sive gynæcei, non imponet diocesi Halberstadensi vel ejusdem subditis, novis ad hoc et extraordinariis collectis seu exactionibus excogitatis; sed contestabitur ordinariis redditibus et emolumentis ejusdem diocesis.

« Post suam mortem, nec ipsius vidua, nec liberi, si quos fortasse relinquet, quicquam juris ad eandem diocesim Halberstadensem prætendent vel usurpabunt; quæ in omnem casum recidet ad antiquam et ordinariam dispositionem sive postulationis, sive electionis a Capitulo Cathedralis Ecclesiæ fiendæ.

« Promittit tamen idem Capitulum, quod in eventum, quo contingat, Postulatum recte sese gerere, post ipsius obitum vel resignationem, Ducalis Brunsvicensis familiæ de linea sive descendentia Wulffenbuttel existentis præ cæteris rationem et respectum habebit.

« Nec Postulatus uxori suæ, in casum mortis, ullum usumfructum vel donarium aut viduitatis jura assignabit, et constituet in ullis castris vel arcibus atque oppidis, aut aliis diocesis Halberstadensis bonis aut prædiis; sed quoad hujusmodi jura providebit eidem uxori suæ in bonis patrimonialibus et hæreditariis.

« Pari modo uxor sua, post casum mortis ut supra, nihil penitus de dicta diocesi asportabit, quod ad eandem pertineat, suo tantum proprio contenta. Quod quo commodius fiat, legalia inventaria erigentur.

« In negociis Ecclesiæ vel diocesis præjudicalibus nihil ordinabit vel disponet, absque ejusdem Ecclesiæ scitu et voluntate, sine quo nec majora et insigniora officia distribuet, aut officiales deputabit, vel mutabit, prælatis ubique in assignandis officiis originariis sive indigenis.

« Curabit, ne subditi diocesis in oneribus et muneribus ultra solitum graventur.

« Apud Imperatorem possibilem diligentiam adhibebit, ut super Episcopatu et diocesi Halberstadensi novum indultum expediat.

« Erga Ecclesiam et ejusdem Capitulum propter benevolentiam, in præsenti matrimonii casu atque assensu eidem favorabiliter præstito declaratam et exhibitam, gratissimum se modis omnibus præbebit.

« Si contingat ipsum, propter aulæ et gynæcei seu muliebris pompæ frequentiam et multitudinem, alio residentiam suam transferre, in eo casu administratio diocesis erit penes Capitulum.

« Si contingat Ecclesiam vel diocesim, ob assensum circa hujusmodi matrimonium præstitum vel ejusdem permissionem, a quaquam vel altioris vel inferioris status persona in judicio, vel extra quovis modo gravari, molestari vel inquietari; in eo casu promittit, se eandem Ecclesiam ac diocesim suis propriis expensis defendere ac tueri, et indemnes conservare velle.

« In quorum omnium fidem ac robur Postulatus suum majus sigillum præsentibus appendi fecit, manuque propria se subscripsit.

« Similiter ad majorem confirmationem supradictorum omnium, et singulorum capitulorum, Ludovicus a Bretzke Decanus, et Joannes a Marenholtz Senior totumque Capitulum

Episcopalis Ecclesiæ Halberstadensis, ipsius Ecclesiæ majus sigillum, eisdem præsentibus, maturo et deliberato animo, scientesque et volentes appendi jusserunt ac mandarunt. Actum et datum in ipsius Postulati Civitate Halberstadensi sabbato post Vocem Jucunditatis 30. Maji 1584.

XXXI. — Quum vero novus iste Ecclesiæ Catholicæ bonorum raptor haud iis se contineret, quæ fuerat prædatus, studuit Episcopatus Monasteriensem atque Mindensem proprium facere. Ut res tanta sine vi et contentionibus transigeretur, blandissimis quidem litteris suadere Monasteriensibus aggressus est, ut dulcissimum fratrem suum Sigismundum, xv. annorum adolescentem, Canonicum Coloniensem, eundemque hæresibus apprime imbutum, proinde egregium pastorem futurum, Episcopum sibi dari postularent. [*]

[*] Germania Vol. 62. fol. 266.

« Julius Dei gratia Episcopus Halberstadensis, Administrator Diocœsis Mindensis, Dux Brunsvicensis et Luneburgensis etc.

« Præmissa clementi voluntate nostra, Reverende spectabilisque nobis devote. A Reverendo spectabili, nobisque dilecto, et devoto Henrico Claufero a Zerssen, Dño Collega et confratre vestro sufficienter cognovimus, quid vobiscum in maximi momenti negocio fideliter contulerit, et quamvis nil æque lubenter vidissemus, quam ut sperato casu eveniente, negocia in nostram personam dirigi possent: tamen quoniam ex ponderabilibus causis, concilioque præcipue Dominorum, et amicorum nostrorum statum nostrum commutare debuimus, facile cogitare possumus in posterum Dominis Capitularibus molestum fore, ut nobiscum ulterius agant; scimus etiam nos minime decere, ut bonos honestosque homines in aliquo compellamus.

« Quoniam vero erga vos, vestramque Diocæsim singulariter affecti sumus, cuperemusque vos laudatæ celebrisque Domus nostræ Brunsvicensis re factisque participes fieri, hisce vobis Reverendum generosumque Dominum Philippum Sigismundum Præpositum Halberstadensem, Canonicumque Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis, Ducemque Brunsvicensem et Luneburgensem, fratrem nostrum dilectissimum, serio commendare voluimus, clementerque mouere, ut S. C. rationem habeatis et promoveatis; neque enim dubitamus ejus Clementiam bene educatam esse, ut vos, et quilibet cum ea pacifice degere possit. Nos quoque ipsius Celsitudinem ejusdemque futuram Diocæsim adjuturi, neque deserturi, sed ejus uti propriarum nationum et populorum curam gesturi, omniaque nostra pro ejus incolumitate posituri sumus; et quicquid una cum prætacto dilectissimo fratre nostro vobis, aliisque honestis viris hoc opus promoturis, clementiæ, honoris, bonorum, et promotionis declarare poterimus, eo casu in nobis desiderari non patiemur; absque eo enim vobis singulari gratia, clementiaque propensi sumus. Datæ in Wolffenbuttell 5. Junii anno 1584.

XXXII. — Henricus Julius Brunsvicensis quintus erat ex Principibus, qui per Germaniam Ecclesiæ Catholicæ res in manus suas per vim et nefas abduxerint; seseque in Episcopatu non viros Ecclesiæ, sed laicos Principes adhibuerint. Omnium primus, qui sacrilegum hoc facinus sit ausus (siquidem impium illum Albertum Borussiæ Ducem, et Crucesignatorum ex ordine Theutonico B. Mariæ Virg. Supremum Magistrum exceptum velimus), fuit Magnus Dux Megalopolensis, qui fidei Catholicæ sacramento abjecto, adolescens quinque et decem annos natus, postulatus in Sverinensem Episcopum fuerat, et dein Elisabetham Friderici I. Danorum Regis filiam anno MDXLIII. uxorem duxit. Hunc anno MDL. excepit Ulricus fratris filius, qui nondum tertium et vigesimum annum egressus, inaudito fere exemplo, et maxima omnium offensione cum antecessoris vidua matrimonium iniit. In eadem turpissimi exempli vestigia incurrerunt Joachimus Fridericus Marchio Brandeburgensis, ex S. R. I. Septemviris, qui XX. ætatis annum agens, Archiepiscopatum Magdeburgensem an. MDLXVI. sibi ipsi arripuit; et eodem ipso anno Baro a Blumenthal, postulatus Episcopus Ratzeburgensis; et ad postremum Sigismundus ille, Henrici Julii Brunsvicensis frater, qui an. MDLXXXVIII. Episcopatum Verdensem, et postea an. MDXCI. alterum Episcopatum Osnasbrugensem cum omnibus utriusque bonis invasit. Adeo fœde et flagitiose, ne dicam impie et nefarie, Episcopatus quæstui habiti!

Laici isti Principes opibus florentes, parentum suorum auxilio freti, in iis provinciis, ubi Protestantes numero æque ac potentia magis pollebant, Ecclesiarum Cathedralium Canonicos, mox etiam Præsides Abbatiarum, quæ Imperiales nuncupabantur, in queisque ad instar reliquorum S. R. I. Principum civilem potestatem obtinebant, terrore vel minis adhibitis ad turpes hujusmodi pactiones adegerunt, ut sibi vel suæ genti tum Episcopatuum, tum Abbatiarum civilis potestatis jura in perpetuum, sin minus ad quoddam tempus cederent. Ita fieri necesse fuit, ut paullatim in illis regionibus vix Catholicæ religionis vestigia aliqua superessent. Huic tantæ cladi ut, quantum per infelicissima tempora liceret, obviam iretur, Gropperus litteris ad amicum quemdam datis, auctor fuit, ut summo studio ageretur cum Cæsare, ne iis hominibus ad Episcopatum, cæterasque Ecclesiasticas dignitates per ejusmodi pactiones postulatis, auctoritate sua Reipublicæ jura Episcopatui conjuncta confirmaret. Quibus autem confirmaverit, infirmare vellet: faciendum etiam,

ut Metropolitani et Archiepiscopi nefariis Canonicorum Cathedralium Ecclesiarum conatibus pro viribus obsisterent; denique ut Summus Pontifex Constitutionem Nicolai PP. III. in usum revocaret. En Gropperi litterarum fragmentum. [*]

[*] Colonia Vol. 1 fol. 133.

Ex litteris Godefridi Gropperi Præpositi Susatensis, Arenspergæ in Westfalia 21. Julii 1584.

« Ii qui jure postulationis ad Cathedralium Ecclesiarum regimen assumpti sunt, uti Julii Ducis Brunsvicensis filius, nunc Episcopatus ductis uxoribus retinere, ac desuper Cæsareæ Majestatis decretum expedire conantur, ut quod contra jura et canones, œcumenicaque concilia ac juramenti denique præstiti religionem, irrequisito et invito Metropolitano et S. Sede Apostolica contempta, perperam agere sese intelligunt, id ad iniquas et falsas suggestiones velatas prætextu alicujus publicæ utilitatis, Cæs. Majestatis accedente consensu, obtineant, et tandem jus successionis sibi usurpent. Sic Bremensis Bremæ, Osnabrugæ et Padeborni, Cæsareæ Majestatis consensu, Administrator est. Magdeburgum jampridem defecit; instatque maximum periculum de aliis. Vidi Brunsvicensis Ducis sigillo munitas et manu propria subscriptas litteras, quibus petit, ut convolante ad matrimonium Jo. Wilhelmo Monasteriensis Ecclesiæ Postulato, Sigismundus ipsius frater eligatur. Canonicum habent istius negotii directorem: ita paulatim student Catholicis suffragia eripere, et tandem in contemptum Sedis Apostolicæ clavium pro libitu omnia agere, statuere et concludere.

« In præsentia hæc antidota adhiberi possent. Primo scribatur Cæsareæ Majestati, ne hujusmodi indulta administrationum concedat, quin potius concessa quam primum revocet. Scribat deinde Pontifex Maximus Metropolitanis Moguntino et Coloniensi, ne ipsi consensum ea in re suum præbeant, quin potius effectum dent, ut Canonici Capitulares iniquæ et injustæ postulationi, accedente Metropolitanorum consensu, se opponant. Halberstadiensis Episcopatus Moguntinum, Mindensis Coloniensem Archiepiscopos respicit. Illi procul dubio sua auctoritate plurimum possunt; de voluntate non dubito. Necesse est igitur moneri Pontificem, ut quam primum Cæs. Majestati et Archiepiscopis scribat; maxime cum non solum ratione obedientiæ et fidei in Sanctam Sedem Apostolicam, verum et in Concordata Nationis Germanicæ tempore Nicolai V. inita, quæ vim pactorum habent, graviter peccant. Si Summus Pontifex induci posset, ut supradictis Capitulis sub gravi comminatione serio injungeret, ne ad illicita Principum postulata temerario ausu provolarent, multum prodesset.

XXXIII. — Gregorius cum vidit, quantum Ecclesiæ interesset, turpes illas pactiones ab electione vel postulatione Pastorum longe removere, statuit Constitutionem Nicolai III. aliquantum auctam esse renovandam. [*]

[*] Germania Vol. 80 fol. 296.

Innovatio constitutionis Nicolai Papæ III. et aliarum sanctionum de jurejurando contra eos, qui jurant, et jurare faciunt illicita, impossibilia, damnosa, et libertati Ecclesiasticæ, ac decretis Concilii Tridentini adversantia.

« Gregorius Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

« Inter Apostolicas et alias Canonicas sanctiones, quæ de jusjurandi religione variis temporibus prodierunt, felicis recordationis Nicolaus Papa tertius, intelligens in nonnullis Ecclesiis de earum consuetudine observari, ut cum earum Prælati ad Ecclesias ipsas primo accedunt, vel eum de recipiendis ibidem novis Canonicis agitur, nec Prælatos admitti, nec Canonicos aliter recipi in dictis Ecclesiis, nisi jurato ab eis, statuta et consuetudines ipsarum Ecclesiarum scripta, et non scripta inviolabiliter observare; inter laicos etiam multarum Civitatum, Castrorum et Terrarum eum consuetudinis morbum in assumendis Potestatibus, Rectoribus vel Officialibus suis irrepsisse, ut ipsi Potestates, Rectores et Officiales ad hujusmodi potestarias, rectorias et officia nullo modo admittantur, nisi prius se statuta ipsorum locorum clausa jura veriut servaturos; et quia in statutis consuetudinibusque supradictis interdum aliqua reperiebantur illicita, seu impossibilia, vel obviantia Ecclesiasticæ libertati, idcirco ne sub tali generalitate jurandi sic jurantibus peccandi occasio præberetur, cum juramentum non fuerit institutum, ut vinculum esset iniquitatis: prædictus Nicolaus Papa animarum periculis obsistere cupiens, frugifera et salubri constitutione præcepit quibuscunque scientibus, contineri in prædictis consuetudinibus et statutis illicita, impossibilia, vel libertati Ecclesiasticæ obviantia, hujusmodi juramenta ab eis nullo modo præstari, et juramenta ea intentione facienda, vel facta, ut etiam illicita, vel impossibilia, seu libertati Ecclesiasticæ obviantia observentur: cum etiam sub tali intentione præstari non possent absque divinæ Majestatis offensa, decrevit in hujusmodi illicitis, imposibilibus, seu libertati Ecclesiasticæ obviantibus non servanda, quin potius pro animarum salute, si sub forma prædicta vel simili aliquos ignorantes prædicta illicita, seu impossibilia, vel libertati Ecclesiasticæ obviantia jurare contigeret, ad observanda duntaxat licita, possibilia, et libertati Ecclesiasticæ non obviantia juramentorum intentio referri deberet, declarans juramenta sub hujusmodi generalitate qualitercunque, et sub quacunque verborum forma præstita, vel præstanda ad licita, possibilia, ac Ecclesiasticæ libertati non obviantia

duntaxat extendi, ipsosque jurantes ad alia per præstationem juramenti hujusmodi non teneri. Veruntamen multi infirmi, cupidique sensus sese in hujusmodi juramenta cum animarum suarum periculo præcipitant. Nos quoniam hæc sanctorum quoque Patrum institutis, et salubri rerum Ecclesiasticarum directioni adversantur, et tanquam de radice ambitionis procedentia omne bonum in Ecclesiis rebusque publicis pervertunt, ea novæ provisionis subsidio prohibere volentes, præsentium auctoritate innovamus prædictam constitutionem Nicolai Papæ, itidemque alias omnes canonicas sanctiones de abusu et reprobatione hujusmodi juramentorum promulgatas, volumusque eas ubique ab omnibus etiam quoad præterita inviolabiliter observari; ac etiam præcipimus et interdicimus Prælatis, Canonicis et aliis supradictis, nec non Ecclesiarum Capitulis et Monasteriorum, cæterisque Conventibus, Civitatum quoque, Castrorum et Terrarum Communitatibus, et personis quacumque dignitate præditis, ne ulla omnino juramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel libertati Ecclesiasticæ aut decretis Concilii Tridentini obviantia, sive ante, sive post electiones, confirmationes, provisiones, receptiones, admissiones, aut alios actus, ubicumque ac quocunque tempore, etiam prætextu cujusvis consuetudinis quantocumque tempore observatæ, quæ potius corruptela est censenda, sive in genere, sive in specie præstare, reddere, vel exigere, neve super præstitis, redditis, vel exactis hucusque quemquam in judicio vel extra inquietare audeant quoquo modo, vel turbare; illos enim qui juramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel Ecclesiasticæ libertati aut decretis dicti Concilii obviantia, exigere contenderint, Episcopos videlicet, et alios quoscunque Pontificali dignitate præditos suspendimus a divinis, Capitula vero et Conventus, eorumque Ecclesias et loca omnia interdicto Ecclesiastico supponimus, ac singulares personas excommunicationis sententia innodamus, inhabilesque facimus ad obtenta, et alia obtinenda eo ipso, nobisque, et Romano Pontifici pro tempore existenti, relaxationem suspensionis et interdicti, nec non absolutionem ab excommunicationis sententia hujusmodi perpetuo reservamus: decernentes eos, qui talia juramenta scienter præstiterint, usu et commodo rei et gratiæ, cujus causa juraverint, eo ipso privatos esse, alios vero ignorantes ad præstitorum juramentorum hujusmodi observationem minime teneri, nec non irritum et inane quicquid secus per quoscunque scienter, vel ignoranter attentatum est hactenus, et deinceps contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, seu quod Prælatis, Capitulis, Conventibus et personis prædictis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, **vel in posterum indulgeri contingat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint** per literas Apostolicas, non facientes plenam et expressam, et ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, cæterisque contrariis quibuscunque. Et quoniam difficile nimis esset, præsentes ad omnia loca, quibus illis opus erit, perferri, volumus ut earum exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo Prælati, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, nonis Septembris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

M. Card. S. Stephani.

Cæs. Glorierius.

A. de Alexiis.

XXXIV. — Non sine gravi quidem causa Gregorius Paderbornenses Canonicos, Pastore aliquantum jam temporis orbatos, de eorum munere admonet, ne sibi imponi aliquem ab hæreticis patiantur: simul quemdam auctoritate præditum virum perstringit. (*)

Dilectis Filiis Capitulo Ecclesiæ Paderbornensis.

(*) Reg. Gregorii XIII Ann. XIII ep. 123 fol. 136

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Quo magis ab officio et cura pastoris destituti estis, eo magis extare atque enitere debet fides vestra in Catholica Religione, et syncero Dei cultu pie sancteque retinendo ac tuendo. Dolemus incredibiliter, in locum parochorum Catholicorum substitui hæreticos, idque mandante vel permittente eo, quem si ulla teneret Christi gloriæ suique muneris cura, oporteret lupos arcere, non accersire, neque tanta cum animarum strage grassari sinere. Et nos quidem tam gravem jacturam vita libentissime redimeremus: sed quoniam aliud non possumus, non cessamus, quod possumus, orare summum potentissimumque pastorem Jesum Christum Dominum Nostrum, ut veterum criminum recentiumque oblitus, pro sua immensa charitate tueatur gregem suum, neque illum tam crudeliter abripi ac dilacerari patiatur. Vos idem facite; hoc etiam amplius, quoniam præsentes estis, quoscunque potestis Catholicos hortando, monendo, terrendo in fide atque officio continete; Ecclesiasticis sacramentis munite, fraude Satanæ abductos, quantum potestis, reducite ac recuperate: vestrum in Ecclesia munus Deo serviendi, ejusque laudes suis horis celebrandi, sanctissimique Corporis et Sanguinis Dñi Nostri Jesu Christi in missæ sacrificio offerendi nunquam intermittite; omnibus denique in rebus vitæ innocentia ac sanctitate, quæ multum ad persua-

dendum valet, vos ipsos agendorum vitandorumque exemplum cæteris præbete, sicque hostium malevolorumque omnium ora obstruite. Duplicem his factis mercedem referetis et vestræ et aliorum pietatis, quos Ecclesiæ Catholicæ vel conservabitis, vel restituetis. Quod si... obstiterit, quominus apud cæteros proficiatis, ipsi certe nihilo minora optimæ voluntatis conatusque vestri, quam rei ipsius præmia reportabitis. Neque vero hæc eo scribimus, quo non certum habeamus, vos hæc maxime curare atque agere, sed non possumus deesse nostro muneri, paternæque erga vos charitati in vobis cohortandis consolandisque, quos scimus gravissime ex his malis affici. Brevissimum est fugacissimæ hujus vitæ curriculum; in ipso autem exitu colligent servi jussu patrisfamilias triticum, condentque in horreum sempiternæ beatitudinis; zizania autem alligabunt in fasciculos ad comburendum; tum vero aperient miseri oculos in pœna, quos clausos tenuerunt in culpa. Vos si quid esse existimabitis, in quo possimus Apostolica auctoritate atque opera vobis vestræque Ecclesiæ inservire, certiores Nos facite. Deus spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus Sancti. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die XXI. Decembris MDLXXXIV. Pont. Nostri anno tertiodecimo.

XXXV. — Henricum Ducem Brunsvicensem, patria extorrem, quod fidem Catholicam amplexus fuerat, Gregorius solatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 46. fol. 398.

Dilecto Filio Nobili Viro Henrico Duci Brunsvicensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Ex tuis literis Nobis gratissimis cognovimus de tua optima voluntate, de qua ad Philippum Regem Catholicum scripsimus ea charitate, quam tuæ pietati et virtuti deberi agnoscimus. Cupimus, ut nostram commendationem is exitus consequatur, quem ipse maxime vis. Ut autem perspecta Nobis est insignis pietas, et constantia tua in Catholica Religione retinenda, syncereque colenda, sic semper erit Tuæ Nobilitati parata auctoritas, atque opera nostra omnibus in rebus, quæ tibi utilitati atque ornamento esse poterunt. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die VII. Septembris MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

Eundem cum singulari ejus virtutum commemoratione Hispaniarum Regi vehementer commendat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 45. fol. 397.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Perspectam esse Majestati Tuæ arbitramur dilecti filii Henrici Ducis Brunsvicensis perpetuam in Catholicæ Religionis cultu constantiam, et tandem non inter bonos modo recte vivendi, sed etiam inter malos atque ab hujus religionis veritate aversos, familiares præsertim intimosque, syncerum pietatis cultum retinendi. Is olim inservivit gloriosæ memoriæ Carolo patri tuo, postea etiam Majestati Tuæ summa cum fide, quibus nominibus judicamus illum omnibus ab hac Sancta Sede officiis dignum esse. Postquam igitur sua ditione et locis relictis, Germania excessit, seque cum conjuge, suisque omnibus in Italiam recepit, cupit Tuæ adhuc Majestati inservire. Rogamus ut velis ejus tum superioris temporis merita, tum præsentem voluntatem et fidem prosequi tua gratia et benignitate, atque ut facultas feret, ipsiusque conditio postulabit, ejus opera uti. Erit id Nobis gratissimum. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die VII. Septembris MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

Henricus vero paulo post mœrore confectus, rerumque omnium inopia laborans, die VII. Novembris e vivis cessit: quare Gregorius ejusdem conjugem his verbis solatus est. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 124. fol. 436.

Dilectæ in Christo Filiæ Nobili Mulieri Dorotheæ Ducissæ Brunsvicensi Viduæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecta in Christo filia, Nobilis mulier, salutem et Apostolicam benedictionem. Diligebamus paterna charitate Ducem virum tuum, quo gravior etiam est Nobis ejus amissio. Sed non debemus nostras rationes Dei providentiæ anteponere; ipse enim est pater noster, semperque Nobis optime consulit, tametsi ejus consilii ratio sæpe Nos latet. Hac cogitatione et spe debet Nobilitas Tua dolorem lenire, præclareque tecum et cum illo actum esse existimare, Divinæque bonitati omnibus in rebus gratias agere. Id vero facere te pro tua prudentia facile arbitramur. Deus benedictus consoletur Nobilitatem Tuam, tueaturque semper sua gratia. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die XII. Decembris MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

XXXVI. — Gregorius de usu calicis laicis sacrum epulum sumentibus adeo non indulgendum putavit, ut gravissimis etiam verbis castigaverit Episcopum Gurcensem, qui in ea re nimis se remissum et fere incuriosum gerebat; quum hic ratione fortasse privilegii inniteretur, quod Episcopis nonnullis Pius IV. indulserat, quodque vero ad eorum successores haudquaquam erat protrahendum. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 113. fol. 420.

Venerabili Fratri Episcopo Gurcensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Exposuit Nobis venerabilis fra-

ter Episcopus Germanicensis suffraganeus tuus, non sine magnis difficultatibus, magnisque periculis posse laicos homines tuæ diœcesis in Sacrosancta Eucharistia sumenda calicis usu prohiberi, quod quidem Nos superioribus annis fieri jusseramus: præclare autem intelligere se, quod permissio fœlicis memoriæ Pii Quarti ad eorum tantum Episcoporum personas spectaret, qui tunc viverent, nullam esse hoc tempore ejus permissionis auctoritatem, neque ea se uti posse: orare autem, ut aut ipsi quoque idem concedere velimus, aut certe conniverc ac dissimulare; sperare enim posse paulatim ac sine ulla querela aut vi eum usum tolli. Neutrum facere volumus; re enim ipsa experti sumus his totis viginti annis, non solum nihil eo usu profectum, sed contra in Catholicæ Religionis rebus magnam jacturam factam esse. Inducendus igitur animus, statuendumque tibi omnino est nostris literis ac mandatis obtemperare: si neglexeris aut distuleris, denunciamus tibi Divinum judicium, significamusque, certissimo in periculo ac damnatione versari te, dum tam gravi in re, tantaque animarum Satanæ fraude deceptarum jactura dissimulas, tergiversarisque, et recusas Apostolicis mandatis quamprimum obtemperare, salutemque animarum tibi commissarum omnibus humanis rationibus anteferre. Neque est, quod hæreticorum machinas aut conatus verearis: neque enim (siquidem negocium forti, ut debes, animo aggressus fueris) deerit virtuti tuæ præpotentis Dei manus atque præsidium. Significabis hanc nostram sententiam et decretum cæteris istorum locorum Episcopis, quorum res in hoc negocio eodem, quo tuo, loco sunt; nolumus enim ullam cuiquam ignorantiæ excusationem reliquam esse. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Novembris MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno XII.

XXXVII. — Carolus Archidux Austriæ rei Catholicæ et litterariæ progressui, et splendori in suo Styriæ Principatu inserviendi studio incensus, ne earum provinciarum juvenes alio se conferre necesse haberent, præsertim cum animæ cujusque suæ periculo, Collegium Græcense Societatis Jesu, jam pridem a se conditum, honoribus ac privilegiis, quæ studiorum Universitatibus essent propria, adauxit. Itaque Gregorium oravit, ut suum consilium, quod Catholicæ religioni iis in locis magnopere conduceret, Pontificia aucturitate confirmare, eique Collegio omnia ea jura, quibus cæteræ per Europam litterarum Universitates ex Pontificum liberalitate potiuntur, impertiri vellet. En supplices ejus litteras cum singulari Patrum e Societate Jesu doctrinæ et pietatis commendatione, quorum in gratiam etiam petiit, ut sibi liceret alios insuper his mille florenos ex monasterii S. Georgii reditibus deducendos, eidem Collegio in singulos annos addicere. [*]

[*] Germania Vol. 20. fol. 100.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Gregorio XIII. Sanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Colendissimo.

Beatissime Pater, Domine Domine Colendissime.

« Post obsequiorum meorum humilem commendationem, filialis meæ erga Sanctitatem Vestram et hanc Sedem Apostolicam observantiæ perpetuum incrementum. Cum in omni vitæ genere offitii rectique conservatrix disciplina necessaria sit, quo hominum animi, si qua a recta via devient, in officio contineantur, tum maxime iis, qui regiminis alicujus gubernacula susceperunt, summopere elaborandum est, ut multitudinem in se alioqui confusam et inconditam, certis quibusdam legum præceptis coercentes, ad concordiam, communem pacem tranquillitatemque servandam, authoritate sua compellant, et quod potissimum est, ad veram pietatem religionemque, qua Deus syncerissime colatur, amplectendam sedulo inducant, cujus præsidio, ut corpus nervis, ita populus in officio retineri, et ad omne id, quod rectum et honestum est, facilius adduci solet: ea vero deficiente, et hominum animos in diversas sententias rapi, et veritatis lumen obscurari, adeoque totius bene instituti regiminis interitum imminere necesse est, cum fieri non possit, ut qui amat errorem, non idem oderit veritatem, quæ omnia mecum ipse altius perpendens, statim initio regiminis mearum Provinciarum, quas variis hæresum erroribus majorem in modum divexatas agnovi, de salutari et opportuno huic malo afferendo remedio diligenter cogitare cœpi, et tandem nec fructuosius, nec utibus quicquam me agere posse, reipsa deprehendi, quam ut ex Venerandæ Societatis Jesu sociis Collegium aliquod in mea Civitate Græcensi, Styriæ metropoli, quam primum erigerem: cum quod virorum fide dignorum relatu intelligerem, hujus ordinis viros sua insigni pietate, religione, scientia, doctrina, moribus et experientia, quibus egregie pollent, in animorum salute ubique gentium strenue procuranda, indefessam suam operam assidue locare, nihilque illis antiquius esse, quam ut Deus ab omnibus recte cognuscatur: religio orthodoxa avita et catholica, ubi viget, conservetur, ubi vero collapsa est, omnino restituatur: tum etiam in literarum studiis scientiisque tradendis, et tam lectionibus quam disputationibus in excolendis animis ita se occupare, ut non solum quod præcipuum ipsorum studium est, divini verbi prædicatione et doctrinæ Christianæ traditione speratos in vinea Domini fructus portare contendant, verum etiam diversarum nationum juvenes, qui vel magistro-

rum pænuria literis operam dare desisterent, vel certe alibi corruptos mores, variosque in fide errores edliscerent, hac commoditate quasi hamo allectos, quandam recte vivendi normam edoceant, qui bonis literis instructi moribusque honestis imbuti, aliis deinceps emolumento esse possint.

« Quæ omnia ut illi pro gratia sibi divinitus collata, ab eo tempore, quo hic fuerunt, fideliter diligenterque præstiterunt, ita singulari quodam animi fervore ego adductus sum, ut quod ab initio proposueram, fieri autem varias ob causas hactenus non potuit, nunc executioni demandarem: nimirum, ut dicti Ordinis Societatis Jesu Collegium hic a me erectum, et a V. Sanctitate confirmatum, in publicum Gymnasium et universale Studium, planeque Universitatem ad instar aliarum Universitatum Italiæ, Hispaniæ, Galliæ et Germaniæ erectarum, a me institueretur et erigeretur, ejusque sic erecti approbationem confirmationemque a V. S. pro majori Societatis consolatione obnixe peterem, quam adeo meam hanc paternam erga meos subditos sollicitudinem V. Sanctitatem (cui alioquin Provinciarum mearum statum et salutem maximopere cordi esse scio) non improbaturam plane mihi persuadeo, ut etiam sequentes ob causas sit vehementer commendatura. Etenim, cum alios Principes etiam longe inferiores videam, subditorum suorum cum saluti, tum commodis prospicientes, eum in finem publica Studia erigere, ut suorum subditorum filios domi continere, et doctis viris abundare possint, mihi quoque, qui plures easque multo ampliores diversarum nationum et linguarum Provincias habeo, idem majori cum ratione licere Vestra Sanctitas ipsa judicabit, qui et doctis viris ita careo, ut non nisi magnis sumptibus, si habere velim, eos mihi comparare debeam; addo, quod subditorum meorum filii, vel causa studiorum vel cujusvis gradus consequendi gratia alio proficiscentes, ob minimam oblatam occasionem, quibuscunque officiis alibi susceptis, patriam suam deserunt, et quasi non animadvertentes viris doctis non sine magno damno spoliant, quæ omnia, experientia ipsa testante, verissima sunt. Quod si qui autem alibi studuerunt, aut aliquem in artibus sunt gradum consecuti, quo in Provincias meas redeunt, plerumque virulentissimum hæresis malum, quod foris hauserunt, domi aliis blandis quibus possint verbis infundunt. Quo fit, ut quod magno labore domi vel conservatum, vel curatum, aut sanatum fuit, hoc isti aliunde redeuntes, brevissimo tempore, minimo cum labore destruant, inficiant, interminentque.

« Quibus omnibus, hac una ratione abunde me posse occurrere considerans, ea qua debeo, observantia a Vestra Sanctitate obnixe peto et contendo, ut jam antedictum a me in Civitate mea Græcensi Societatis Jesu Collegium erectum, et a Vestra Sanctitate confirmatum, et nunc in universale Studium et plane Universitatem similiter a me institutum et erectum, licet alias hæc alma Societas, quoad instituendas Universitates, amplissima habet a Sancta Sede Apostolica privilegia, tamen ex speciali gratia et ad nostram petitionem ea omnia et singula privilegia, quoad publice quascunque facultates et scientias ipsorum instituto non contrarias docendas, et quosvis gradus in quibusvis facultatibus conferendos, quibus aliæ Universitates Italiæ, Hispaniæ, Galliæ et Germaniæ, rite institutæ, approbatæ et confirmatæ, uti et potiri solent, non tantum ad eorum instar, sed æque principaliter, ac si una ex superdictis rite institutis, approbatis et confirmatis esset conferre, sua quoque authoritate comprobare, insuper ut ultra jam illis assignatam et a Vestra Sanctitate confirmatam sustentationem, ex iisdem redditibus Monasterii Mulstatensis Ordinis S. Georgii, adhuc alios bis mille florenos Rhenenses eis pro majore commoditate, certo debitoque tempore in perpetuum quotannis solvendos, assignare liceat, benigne dispensare dignetur.

« Cum igitur singulari sua gratia apostolicaque benedictione me meosque subditos semper prosecuta sit, Sanctitatem Vestram vehementer rogo, ut hoc meum pium erga subditos meos, universamque Religionem Catholicam studium, suo patrocinio, ad omnia supradicta plenarium suum consensum adhibere non dedignetur. Ego vicissim, ut filium Ecclesiæ decet, ea animi propensione, qua erga Sedem Sanctam Apostolicam esse debeo, in omnibus, quæ vel ad Dei laudem, Catholicæ ac Orthodoxæ fidei propugnationem, Vestræque Sanctitatis commodum spectare cognovero, semper ero paratissimus, quam Divina pietas, Sanctæ illi Sedi et universo gregi Christiano diu sospitem ac florentem conservare dignetur. Datæ in Civitate mea Græcensi vigesima die Decembris anno MDLXXXIII.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ
Obsequentissimus filius
Carolus Dei gratia Archidux Austriæ,
Dux Burgundiæ etc. Comes Tyrolis.
Carolus.

XXXVIII. — Est porro cur jucundissimo animi sensu afficiaris, cum legas, Archiducibus illis Austriæ persuasum fuisse, ut suis cujusque subditis dominari nequaquam possent, nisi si ipsi Catholicam religionem tuerentur, litterarum studia foverent, viros ingenio ac virtute præstantes omni honorum ac munerum genere ornarent. Ad has artes Ecclesia Catholica Reges virosque Principes nunquam non instituit. Quas cum

Carolus Archidux velut a majoribus sibi traditas accepisset, in iisdemque sibi esse insistendum omnino statuisset, Græcense Collegium, anno MDLXXIII. fundatum, amplissimis hoc anno juribus cumulavit. En modo ejus diploma Pontifici missum, in quo videas sapientissimum Principem, ad hanc suam Universitatem exornandam, ita liberaliter Patres Societatis Jesu habuisse, ut nullum prope genus excogitari queat vel gratiæ, vel muneris, vel privilegii, quod in eos non plane contulerit. (*)

(*) Germania Vol. 28. fol. 186.

Carolus Archidux Austriæ etc.

« Cum ea sit Principum et eorum qui ad Provinciarum gubernacula sedent, maxima præcipuaque cura et sollicitudo, ut multitudinem communi sibi quodam fœdere subjectam, ad mutuam pacem et concordiam servandam, debitamque obedientiam præstandam inducere, e contra vero contrarias in communi vita sententias et dissimilitudines studiorum et voluntatum avertere contendant, illud autem nec absque Dei singulari præsidio auxilioque fieri, nec absque legum præceptis ac prudentum consiliis recte habere posse intelligant, ideoque cum alii omnes, tum vero maxime optimi majores nostri Austriæ Archiduces magno et assiduo studio, summa cum laude, in hoc unum omnem semper curam diligentiamque adhibuerint, ut qui cœlum atque terras intuetur et regit Deus, caste, integre et sancte coleretur, eique merita gratia justis honoribus et memori mente ab omnibus persolveretur: religio avita, orthodoxa et Catholica pura, integra et incorrupta ubique retineretur, viri docti optimarum artium studiis eruditi aliunde evocati, scholis, Gymnasiis et Universitatibus, quas publicæ utilitatis causa instituissent, ad imbuendum bonis opinionibus, honestisque disciplinis et moribus animos præficerentur, verissime sibi persuadentes, hanc unam eamque solam efficacem ad continendum animos hominum rationem esse, si Dei metu eis injecto, ipsum, ut debent, venerarentur, deinde a viris præclara eruditione atque doctrina ornatis excitati, debita cum observantia et honore dignitate antecedentes revererentur, leges vero pro communi commodo latas, pie sancteque colerent.

« Nos igitur majores nostros, in primis autem pientissimi parentis nostri fœlicis recordationis Domini Ferdinandi, Imperatoris hujus nominis primi, insigne exemplum imitari cupientes, proque muneris nobis divinitus collati ratione ab ingressu regiminis nostrarum Provinciarum, nihil antiquius habentes, quam ut fideles subditi nostri, quorum animos horum injuria temporum, et improborum flagitiosorumque hominum iniquis studiis e pietatis sede deturbatos, non tam bonis moribus imbutos, quam variis opinionum hæresumque erroribus jam tum misere deformatos, non sine magno animi dolore conspiciebamus, in pristinum pietatis locum, religionisque Catholicæ splendorem, primo quoque tempore summa cum diligentia restituerentur; et sane dum matura quadam cum deliberatione hac de re multorum consilia, quæ nobis offerebantur, in cogitationem vocaremus, dispiceremusque quonam pacto huic tam gravi morbo opportunum aliquod et commodum remedium tempestive afferretur, interim virorum fide dignorum relatu magno animi nostri cum gaudio cognovimus venerandæ Societatis Jesu socios, quorum ob insignem eorum pietatem, religionem, doctrinam, inque Deum et animarum salutem zelum, tum fama maxime per Germaniam percrebrescebat, ad hanc rem bene, Deo propitio, conficiendam fore aptissimos; quare confestim datis ad S. Pontificem, illiusque Ordinis Præpositum Generalem literis, aliquot dicti Ordinis socios in hanc messem tam copiosam atque luxuriantem petivimus et impetravimus, qui magnis ob bella tunc vigentia periculis longisque itineribus ingenti studio et flagranti salutis animarum desiderio advenientes, illi quidem operas suas inceperunt, cum divini verbi prædicatione, doctrinæque Christianæ traditione, tum literarum studiis, honestisque disciplinis tradendis, magno cum fructu locare, nos vero de Gymnasio, publicaque Universitate eis erigenda sedulo cogitare: quod etsi varias ob causas difficultatesque suum effectum tunc temporis consequi minime potuit, interim tamen eis Collegii fundationem, sub duodecima die Novembris anni salutis humanæ millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, sub Archiducali nostro sigillo, propriæque manus subscriptione ordinavimus, fecimus, instituimus et ereximus, eamque continuo perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari mandavimus; dantes eis in eum effectum commodam habitationem, templum et necessariam sustentationem. Quoniam vero nunc difficultatibus omnibus, quibus tunc a pio nostro proposito retardati fuimus, superatis, omni posthabita mora, jam antedictum publicum Studium, Gymnasium et Universitatem pro commemoratis Venerandæ Societatis Jesu sociis, in nostra Civitate Græcensi Styriæ Metropoli, eum in finem instituere et erigere intendimus, ut quod alii Principes suorum subditorum saluti commodisque prospicientes sibi licere existimant, illud nos quoque qui plures, easque ampliores diversarum nationum et linguarum Provincias possidemus, multo majori cum ratione et jure posse, omnes intelligant; deinde ut viris literatis ac studiis doctrinisque prædictis abundantes, et subditorum nostrorum in re literaria utilitati paterna nostra sollicitudine providentes, facilius publico bono, ubi et quando opus est commodare, in primis autem

et præ omnibus avitam et Catholicam religionem, a majoribus nostris acceptam, sartam tectam, inviolatamque, ubi viget, conservare; ubi vero collapsa est, hac maxime via restaurare possimus; in primis igitur recognoscentes, et tenore præsentium notum facientes universis et pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, Ducibus Styriæ etc. ex certa scientia nostra animoque bene deliberato et maturo consilio adhibito, supradictam nostram fundationem, sub dato vero 12. die Novembris anni 1573. eis a nobis institutam, factam, erectam et a S. Pontifice in omnibus punctis et clausulis confirmatum, nunc hisce novæ erectionis litteris innovantes, de novo facimus, ordinamus, instituimus, approbamus, et cum omnibus et singulis in eis contentis capitibus, clausulis et punctis eis inserimus, et ac si de verbo ad verbum huc inserta esset, hoc nostro præsenti diplomate confirmamus, nec non illi perpetuum et inviolabilis firmitatis robur denuo adjicimus, omnesque et singulos defectus, tam juris quam facti, si qui forsan quocunque modo intervenissent, in ea supplemus. Deinde sæpedictum hoc nostrum Collegium a nobis antea, ut dictum est, erectum et fundatum, simili modo ex certa scientia, animo bene deliberato, maturoque consilio ac Archiducali nostra potestate et authoritate, in generale publicum Studium, Gymnasium et plane Universitatem, secundum privilegia ipsi Societati a S. Pontificibus et Imperatoria Majestate insuper concessa, instituentes, erigentes, ordinantes et fundantes, prout ipsum hisce præsentibus nostris literis, nunc in plenum generale publicum Studium, Gymnasium et Universitatem eo modo, quo dicta veneranda Societas secundum suas constitutiones admittere, habere et retinere solet, instituimus, erigimus, ordinamus et fundamus, hocque nomine deinceps perpetuis futuris temporibus ab omnibus appellari, et iisdem omnino privilegiis et immunitatibus, quibus aliæ quæcunque Universitates a SS. Pontificibus et Imperatoribus confirmatæ, uti et potiri solent, gaudere volumus, ita ut omnes et singuli studiosi et scholares, qui apud eos in præfato Archiducali nostro Gymnasio, vel quocunque alio publico Studio vel approbata Universitate lectiones audierint, vel sub dicti Gymnasii, aut etiam ejus obedientia, directione aut disciplina studuerint, et digni habilesque, rigoroso examine prævio, reperti fuerint, juxta privilegia Universitatum eis per præsentes a nobis et aliis cum S. Pontificibus tum Imperatoribus desuper concessa, ad quoscunque Baccalaureatus, Licentiaturæ, Magisterii et Doctoratus, in artibus et S. Theologia gradus ab eis promoveri gratis et pro more Societatis possint ac debeant, iique tandem sic promoti, omnibus et singulis privilegiis, prærogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, antelationibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus alii in Universitatibus studiorum generalium Germaniæ, Italiæ, Hispaniæ seu Galliæ, juxta illarum ordinationes, usus, ritus, consuetudines et mores, pro tempore promoti de jure vel consuetudine, aut alias quomodolibet, non solum ad earum instar, sed pariformiter et æque principaliter absque ulla differentia, in omnibus et per omnia, perinde ac si gradus in Universitatibus, nec non Collegiis hujusmodi accepissent, uti, potiri ac gaudere possint, valeant ac debeant; dantes sæpedicto Collegio et publico Gymnasio in eum effectum, pro majori ipsorum commoditate ultra annuam illam a nobis eis in illis fundationis literis duorum millium ducentorum florenorum Rhenensium assignatam sustentationem, itidem interveniente authoritate, consensu et ratihabitione Sacrosanctæ Sedis Apostolicæ, adhuc bis mille florenos Rhenenses, atque ita in universum quatuor millia ducentos florenos Rhenenses ad quotidianam sustentationem, perpetuamque dicti Gymnasii plenam fundationem ex Monasterii nostri Mullstatt bonis quotannis, et singulis annis seorsum, in perpetuum solvendos, ita nimirum ut ex dictis quatuor millibus ducentis florenis Rhenensibus annui redditus quarta pars, hoc est, mille quinquaginta floreni Rhenenses singulis angariis seu quartalibus anni, incipiendo a quartali mensis... anni 158... certo et perpetuo solvantur, non obstante quacunque mutatione, quæ circa prædicta bona vel redditus quibuscunque temporibus vel causis accidere posset; volentes et decernentes ejusmodi mutationem, quocunque modo aut titulo illa fieret, et quatenus huic nostræ fundationi et ordinationi præjudicaret, surreptitiam, irritam et inanem, aut plane nullius roboris aut valoris esse debere. Ideo statuimus, ordinamus et mandamus, ut nostri nostrorumque successores officiarii vel subditi, aut alii quicunque jam administrant, aut quocunque tempore aut modo (sine tamen hujus nostræ fundationis præjudicio) bona vel loca dicta Mulstatensia administraverint vel habuerint, si eam pecuniæ summam non eis absque Collegii ipsius damno et molestia hic Grætii, in ipsorum Collegio, in bona et currente moneta, communi prætio taxata, constitutis a nobis terminis, solverint ac numeraverint, sciant se propter nostram, nostrorumque successorum indignationem, quam incurrent, prædicta bona amissuros, vel officiis suis privandos, ac aliis insuper pœnis pro nostro nostrorumque successorum arbitrio irrogandis, subjiciendos esse. Insuper, ut sæpedicti socii Archiducalem nostram benignitatem eo abundantius sentiant et experiantur, adjicimus atque donamus eis nostrum hortum ipsorum Collegio conjunctum, ab ingressu nostro subterraneo horti nostræ aulæ versus templum

Sancti Egidii, una ex parte armamentarium nostrum et Neibeswalderi, altera vero ex parte D. Wolfgangi a Stubenberg, Offo a Teuffenbach Archidiaconi Styriæ et N. Schrænkl domus contingentem, et usque ad viculum ex opposito sese extendentem cum omnibus juribus et immunitatibus, ut eo pro sua commoditate et utilitate pleno jure, quo nos majoresque nostri habuerunt et possederunt, in perpetuum uti, potiri et gaudere possint ac debeant. Item ordinamus, mandamus et volumus, ut a nostris officialibus pro tempore existentibus ex salinis nostris in Ausee, pro quotidiana ipsorum necessitate singulis annis in festo S. Georgii in ipsorum Collegium hic Grætii, quadraginta curriculi (Fueder vulgo appellant) salis sine ipsius Collegii incommodo et damnu perpetuo porrigantur. Et quoniam in tanto operariorum numero sæpe penuriam pati coguntur piscium, pro sublevanda in hac quoque parte ipsorum necessitate, et quo levius hoc incommodum ferant, volumus, ordinamus et mandamus, ut eam partem Muræ fluvii Græcensis, quæ incipit a superiori parte ponticuli viæ publicæ supra hortum nostrum Damularum montis arcis nostræ ad Græcium adjacentem, una ex parte usque ad pontem Muræ dictam deorsum, ex altera vero parte fluvii ab arbore nucis o regione jam dicti ponticuli posita usque ad angulum domus Kranzmayr olim, nunc Laiback dictam sese extendentem, ipsi cum omnibus suis emolumentis, commodis et juribus habere et possidere, eaque quiete uti, frui ac potiri, pro Collegii sui necessitate absque ullius molestia vel interpellatione in perpetuum possint, nostro Huebmaistero pro tempore existenti serio mandantes, ne vel in minimo patiatur eos in hoc a quoquam ullo modo impediri, molestari aut vexari. Præterea et illud statuentes, ut dictum Collegium, omnesque in eo habitantes, et quæcunque personæ ad ipsum pertinentes, in quibuscunque controversiis aut etiam reliquis omnibus litibus, accusationibus, defensionibus aut quibuscunque actionibus, tam civilibus quam criminalibus, apud nullum forum aut tribunal cujuscunque Magistratus sæcularis, quocunque tandem nomine id appellari possit, molestari, conveniri, accusari et in jus vocari possint, aut ipsi comparere aut respondere teneantur. Sed si tale quippiam unquam quacunque de causa occurrat, et ipsi sibi consultum fore vel expedire judicaverint, ex speciali nostra gratia ad nos liberum refugium eis habere liceat, volentes et decernentes, ut omnibus et singulis concessionibus, gratiis, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, indultis et privilegiis, secundum Canones, et Societatis ipsorum institutum, tam a S. Pontificibus, quam Imperatoribus et etiam a nobis præteritis temporibus factis et concessis, aut ab eisdem nobisque deinceps in futurum concedendis et faciendis, pro libertate sua Christiana, absque ullo impedimento, uti, potiri et gaudere possint et debeant, quæ omnia nos quo ad nostras Provincias omni meliori via, modo ac forma, qua possumus aut debemus, admittentes eatenus approbamus et confirmamus, quatenus ipsi melius in Domino cognoverint, saluti animarum fidelium subditorum nostrorum in nostris hæreditariis Provinciis expedire. Illud pariter sancientes, ut ab omni onere hospitum suscipiendorum cujuscunque status aut dignitatis illi fuerint, item munitionum, annonæ vel cujusvis alterius rei impositione, quocunque nomine aut titulo aut occasione illa appellari, aut unquam accidere posset, sint omnino immunes: hac enim in re pro majori ipsorum quiete eos plane liberos reddimus ac esse volumus. Imo sæpedictum nostrum Collegium in specialem nostram Archiducalem gratiam et protectionem recipientes, volumus omnino, ut ipsum cum toto suo districtu ea immunitate et libertate, qua nostra aula, ubi nostram Archiducalem residentiam habemus, gaudere debeat, ita ut hanc libertatem violantes, in easdem plane pœnas incidant, in quas incidissent, si tale quippiam in aula nostra commisissent; denique statuimus ac ordinamus, ut ipsum Collegium omnesque in eo habitantes, et quæcunque personæ et subditi ad dictum Collegium pertinentes, una cum rebus mobilibus, annuisque censibus omnibus, liberi et ab omni exactione terrena immunes sint, (quandoquidem et ipsi Christo bene propitio, ratione sui instituti, pro hoc nostro Principatu non minus alacriter quam fructuose laborant) quo commodius et securius Deo servire officiumque suum peragere queant, non obstantibus in prædictis omnibus aliquibus legibus, constitutionibus, ordinationibus, pragmaticis, decretis, statutis vel consuetudinibus, et aliis quibuscunque in contrarium quocunque tempore facientibus. Quibus omnibus et singulis, in quantum præsenti nostræ fundationi constitutionique obstant, seu obstare in futurum possent, ex plenitudine nostræ potestatis derogamus, et derogatum esse volumus, per præsentes supplentes omnes quoscunque defectus tam juris quam facti, si qui in præmissis omnibus et singulis intervenissent, seu dici vel allegari possent, quovis modo de consuetudine vel de jure. Et propterea requirimus Serenissimos et Clarissimos hæredes nostros et successores, eis gratiose et paterne committentes, ut hanc nostram præsentem fundationem fideliter et diligenter manu teneant et observent, atque adeo curent, ut ipsa fundatio suum effectum et exequutionem semper habeat et consequatur, quin imo uti opus fuerit, augeant amplificentque. Nulli ergo omnino hominum Collegiorum, Communita-

tum et locorum liceat hanc nostræ fundationis, erectionis, privilegiorom, concessionum, decreti, voluntatis et exemptionis paginam violare, seu ei quovis ausu temerario cootraire in juditio vel extra.

« In quorum fidem et testimonium tria ejusdem tenoris diplomata fieri et expediri fecimus, unum nos ipsi servamus, reliqua duo Collegio dictæ Societatis Jesu dedimus et consignavimus, sigilli nostri appensione et manus nostræ propriæ subscriptione communita. Datæ in Civitate nostra Græz etc.

XXXIX. — Rudolphus Cæsar vehementer egit apud Pontificem, ne Monasterium quoddam S. Petri in Istria, quod ad Monachos Ordinis S. Pauli Eremitæ spectabat, et in ditione patrui sui Caroli Styriæ Ducis erat, ab Episcopo Parentino, illis possessione remotis, Seminario suo attribueretur. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 31. ep. 38.

Bestissimo in Christo Patri Domino Gregorio XIII. Divina Providentia, Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Dño Reverendissimo.

Beatissime in Christo Pater, Domine Rñe.

« Post officiosissimam commendationem filialis observantiæ continuum incrementum. Exposuit nobis humiliter Honorabilis ac Religiosus, devotus nobis dilectus Stephanus Ternavinus, Ordinis Divi Pauli Prior Generalis, tam suo proprio quam confratrum suorum ac totius Ordinis illius nomine, Episcopum Parentinum in eo jam esse, ut Monasterium quoddam S. Petri in Istria, sub Serenissimi Caroli Archiducis Austriæ, patrui ac Principis nostri charissimi, ditione situm, a memorato Ordine avellat, Seminario cuidam, a se haud pridem instituto, applicandum. Ac proinde dimisse supplicavit, ut cum res ea in non leve Ordinis illius detrimentum et ignominiam vergat, nostris apud Sanctitatem Vestram partibus interpositis, benignum ejusdem patrocinium suscipere dignaremur. Quibus quidem precibus tanto minus deesse voluimus, quod non solum æquitate niti, sed et res hæc ejus qualitatis esse videatur, ut ad inclitam nostram Domum Austriæ æque pertineat; Sanctitatem itaque Vestram enixe ac filiali studio rogamus, ut quæ sua alias est æquanimitas, ac spectata nobis paterne satisfaciendi promptitudo, causam hanc sibi commendatam habere atque benigne providere velit, ne dictum Monasterium præter rem, ac sine aliqua legitima vel idonea causa a suo illo Ordine alienetur, quin potius Religiosis istis, ad quos spectat, in pristino statu quiete possidendum fruendumque relinquatur. Qua de re cum Sanctitatis Vestræ Nuntius, apud nos residens, eandem nostro quoque nomine interpellaturus sit, confidimus Sanctitatem Vestram nos tanto facilius promptiusque voti nostri compotes facturam esse. In eo vero Saoctitas Vestra rem piam, seque dignam, ac nobis cumprimis gratam, filialis nostræ observantiæ studiis quavis occasione reponendam, præstitura est: quam de cætero prosperrima valetudine, ac fœlicissimis rerum successibus frui ex animo optamus. Datum in Arce nostra Regia Pragæ, die quarta mensis Julii anno Domini 1584. Regnorum nostrorum Romani nono, Hungarici 12. et Bohemici itidem nono.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius

Rudolphus.

XL. — Idem Pontificem etiam atque etiam rogavit, ut in commodum eorum qui fines Ducatus Styriæ incolerent, certam frumenti vim ex Ecclesiæ ditione educi asportarique sineret. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 33. fol. 30.

Beatissimo in Christo Patri, Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Dño Reverendissimo.

« Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime. Post officiosissimam commendationem filialis observantiæ continuum incrementum. Dedimus superioribus annis ad Sanctitatem Vestram literas, quibus eandem obnixe rogavimus, ut habita illorum ratione, quæ S. V. tum temporis in mentem vocata fuerunt, Serenissimo Carolo Archiduci Austriæ etc. Patruo et Principi nostro carissimo, vel iis, quæ a Dominatione Sua mandatum habituri essent, in usum ac tanto commodiorem tuitionem Regni nostri Croatiæ limitum, sive confiniorum eam facultatem concedere vellet, ut singulis annis octies mille salmas frumenti ex agro Piceno, aliisque locis circumvicinis extrahere possent: cui nostræ petitioni, ut quæ ad publicum bonum et securitatem pertinet, licet Sanctitatem Vestram minus difficulter locum daturam esse nobis polliciti sumus, intelligimus tamen nullum hactenus secutum esse effectum. Quo fit, ut cum etiamnum confinia ista summa premantur necessitate, præsertim vero extrema laborent annonæ penuria, ut omittere haud possimus, quin Sanctitatem Vestram hac de re denuo interpellemus; eandem iterum filiali studio etiam atque etiam rogantes, ut nostro desiderio haud deesse, quinimo se hac in parte tam benignam atque facilem exhibere velit, uti de solita sua tum Reipublicæ Christianæ, cujus negotium non postremo loco agitur, juvandæ, tum nobis paterna satisfaciendi voluntate plane confidimus. In quo Sanctitas Vřa rem inprimis piam suaque laude dignissimam factura est, quam filialis nostræ observantiæ officiis quavis occasione demereri sedulo adnitemur, Sanctitatem Vestram, quod reliquum est, quam diutissime incolumem superesse, ac omni felicitate frui ex animo optantes. Datum in Arce nostra Regia Pragæ, die quarta mensis Maji, anno Domini

millesimo quingentesimo octuagesimo quarto. Regnorum nostrorum Romani nono, Hungarici duodecimo, et Bohemici itidem nono.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius
RUDOLPHUS.

XLI. — Impiger ille quidem, infirma licet valetudine esset, Episcopus Catharinus cum Diœcesim Aquilejensem jussu et auctoritate Patriarchæ perlustrasset, et vineam Domini vepribus ac sentibus fœde silvescere comperisset, ad Cleri mores expurgandos ac cæterorum superstitiones tollendas, Synodum Diœcesanam Utini indixit. Quæ Synodus autem initium habuit die XXVI. Novembris: sacris operatus est Cæsar de Nores, Episcopus Parentinus, qui Visitatoris Apostolici munere in Aquilejensi Diœcesi fungebatur, et Synodi sessionibus et actis intererat. Quingenti illuc ex Clero, quos inter multi Ecclesiastica dignitate insignes, convenerant: eadem prima die singuli omnes ex Tridentini Concilii formula orthodoxam fidem sunt professi. Hæc Synodus finem habuit die quarta Decembris. [1] En litteras quibus ea indicta fuit. [2]

[1] De Rubeis Ord. Prædicator. Monumenta Eccles. Aquilej. p. 1093. Argent. 1740. fol.
[2] Germania Vol. 21 fol. 139.

« Paulus Byzantius J. U. Doctor Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Catharinus, et in Patriarchali Diœcesi Aquilejensi Illñi et Rñi DD. Joannis Grimani, Divina providentia Patriarchæ Aquilejensis Suffraganeus et Vicarius Generalis.

« Universis et singulis DD. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Plebanis, Canonicis, Vicariis et aliis quibuscumque, quocumque nomine et titulo nuncupentur, et quacumque præfulgeant dignitate, per universam Diœcesim Aquilejensem salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod inter omnes pastoralis curæ solicitudines, quibus Deo amantissimus ac religiosissimus Dominus Joannes Grimanus Patriarcha, et Princeps Aquilejensis antedictus incessanter uritur ac premitur, illa cum potissimum vehementius urit ac angit, ut vepribus ac tribulis, aliisque radicibus noxiis manu diabolica plantatis, penitus eradicatis, grex Aquilejensis suæ custodiæ commissus in fidei puritate ac sinceritate, quam Sancta Romana Universalis colit Ecclesia, persisteret, fructusque uberes in domo Dei, qui diu permaneant, seminaret: cumque totam rem prudenter perscrutaretur, videretque, id facile consequi non posse, nisi prius nefarios perversorum conatus reprimeret, atque a Clero Aquilejensi omnem rubiginem, quam ex malorum Clericorum depravatis moribus, vitaque corrupta, nec non Prælatorum negligentia perniciose contraxit, penitus detergeret: hinc est, quod more amantissimi patris salutem filiorum zelantis et conquirentis, ut hoc opus tam pium et salutare ac perfectum perduceret, Synodum Diœcesanam retroactis temporibus Aquilejæ indixit, quo religiosorum cœtus virorum, ipso jubente, convenit. Verum enimvero (proh dolor) venit etiam malus homo et seminavit zizaniam, carnales contentiones insurrexerunt, et factum est, ut ita dicamus, quoddam schisma inter fratres, quæ quidem calamitas, ut vigiliis ac quietibus sedari posset, aliquod tempus expostulabat, non sine maximis dispendiis, quæ ex annona ac domorum penuria, aerisque intemperie, cæterisque incommodis dicta Synodus sustinebat, ob quam causam eo res perducta est, quod dictus fratrum conventus, incompositis rebus, non sine maximo proborum virorum dolore inde discessit, adeoque hoc opus tam salutare ac Diœcesi Aquilejensi maxime necessarium hucusque protractum est: quam ob rem idem Dominus Patriarcha et Princeps, cupiens ovibus sibi commissis congruentem exhibere medellam, nobis sæpe ac sæpius modis omnibus injunxit, ac strictissime præcepit, ut in Civitate Utinensi ad hoc opus explendum, omnium Civitatum ac terrarum in Diœcesi Aquilejensi existentium aptissima ac commodissima, Diœcesanam Synodum ad diem S. Catherinæ, quæ erit 25. mensis Novembris proxime venturi, indiceremus. Nos igitur licet quotidianis, imo jam factis familiaribus indispositionibus vexati, atque aliis urgentibus negociis involuti, libentissime hunc laborem nostris humeris satis imparem suscepimus, tum ut mandatis Patriarchalibus (prout tenemur) debitam reverentiam et obedientiam exhibeamus, tum etiam ut cunctos Clericos nostris vigiliis ac lucubrationibus commendatos, Spiritus Sancti gratia assistente, ad maturam frugem præparemus, quo facilius vinea Domini, in qua cultores ac speculatores existunt, extirpatis spinis peccatorum, atque enormibus abusibus ac superstitionibus, quibus obsita esse videtur, imbrem gratiæ recipiat, ipsique sic præparati, non erubescant se esse Sacerdotes atque in sortem Domini vocatos, ut et nos etiam de provectione eorum ad tantam dignitatem in die tremendi Judicii, coram tribunali districti judicis, non erubescamus. Quapropter vobis omnibus ac singulis prædictis in virtute sanctæ obedientiæ, et sub pœnis et censuris, in similibus casibus contra contumaces ferri solitis, præcipimus et mandamus, quatenus ad dictam diem suprapræscriptam pro celebranda præfata Diœcesana Synodo, ad Civitatem Utinensem accedatis et conveniatis, præmium æternum siquidem recepturi, si dictum opus tam pium et salutare vestra præsentia decorabitis, ac rite et recte in Domino expleveritis.

Datum Meni die 2. Octobris MDLXXXIII.

JOANNES GOTTANA ORD. CANCELL. PATRIARCHÆ AQUILEJENSIS.

XLII. — Episcopus Vindobonensis suspi-

ciens atque admiratus Gregorii in universa Ecclesia excolenda præclaram sapientiam, gratulabundus eidem per P. Joannem Nicolaum e Soc. Jesu, Collegii Vindobonensis Rectorem, refert, quas lætissimas fidei Catholicæ fruges, operam navantibus Austriæ Archiducibus, in primisque Ernesto, colligendi spe teneatur. [*]

[*] Germania Vol. 39. fol. 172.

Sanctissimo Domino Nostro, Domino Gregorio Divina Providentia Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Clementissimo.

Sanctissime Pater, post beatissimorum pedum homilima oscula.

« Cum ob ingentia beneficia et auxilia, quæ Summus immortalis ac cælestis Pontifex, Dominus noster Jesus Christus, per Sanctitatem Vestram, tanquam Supremum ejus in terris Vicarium, his nostris extremis et exulceratissimis sæculis Ecclesiæ suæ confert militanti, Sanctitas Vestra merito ab universis piis Christifidelibus veneretur et ametur; adeo quod Sanctitas Vestra inter alios Sanctissimos Patres ac Pontifices Maximos, singulare aliquod immortalitatis et æternæ gloriæ nomen jamjam obtineat: gratulor sane et ego ipse mihi, consolationesque in meis laboribos ingentes capio, sub tali Pontifice Maximo, Sanctitatis Vestræ nimirum sacratissimo regimine, me in sancta Domini vinea aliquantulum laborare.

« Qua ergo fidelitate et subjectione omnes Christo devotæ oviculæ Sanctitati Vestræ et subjectæ sunt ac parere debent, qua etiam Sanctitatis Vestræ sanctissimis pedibus ego me semper subjeci, ejusque paternæ in Domino et sacratissimæ voluntati dedicavi, eadem nunc, Beatissime Pater, Sanctitati Vestræ per has meas humilimas literas et harum literarum latorem, tanquam vivam epistolam, R. Dominum Patrem Joannem Nicolaum, Societatis Jesu Collegii Viennensis Rectorem, tanquam fratrem meum charissimum subjicio, dedo, totumque trado, atque in sancta hac communione Apostolica, sub paterna protectione et Apostolico regimine Sanctitatis Vestræ, omnes labores meos fœliciter et utiliter consummari desidero; Ecclesiam quoque Viennensem Austriacam, a Sanctitate Vestra mihi indigno quidem concreditam, Sanctitati Vestræ in omni humilitate commendo, eamque sicut Sanctitas Vestra hactenus paterne amavit semper, et in posterum eam sic tanquam commendatissimam suam filiam fovere et conservare dignetur, humilime rogo.

« Hactenus sane laus sit supremo Numini, Ecclesiæ nostræ Austriacæ, ac maxime Viennensi, præsertim cum gratioso auxilio, fidelique brachio Sacræ Cæsareæ Majestatis et Serenissimorum ac vere pientissimorum Archiducum Austriæ, singulariter Archiducis Ernesti, cum in hæreticorum destruendis synagogis et exercitiis, tum in Catholicæ religionis sinceritate restituenda, plurima sunt collata bona, laborantque nostri Serenissimi Principes et juvant strenue ac fideliter, ut antiqua pietas sanctæque Romanæ Ecclesiæ fides pristinas recuperet vires. Deus Opt. Max. Sanctitati Vestræ annos addat plurimos et fœlicissimos, totique Ecclesiæ Catholicæ lætissimos. Viennæ in festo Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis Deiparæ anno Nostri Domini MDLXXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Humilimus et obedientiss. Sacellanus
JOANNES CASPARUS EPISCOPUS VIENNENSIS.

XLIII. — Solertissimus Præpositus Cathedralis Ecclesiæ Vratislaviensis Pontificem, per Cardinalem Comensem, commonefaciendum suæ religionis esse duxit de beneficiis Ecclesiasticis, quæ callidissima fraude Principes et Status Silesiæ indigenis tantum collata esse vellent; quod etiam a Cæsare omnibus precibus petierant. [*]

[*] Germania Vol. 39. fol. 181.

Illustrissimo Domino ac Præsuli Amplissimo S. R. E. Cardinali Comensi etc. Domino suo Religiosissime semper Colendo.

Illustrissime Dñe, Præsul Amplissime, preces et studia mea paratissima Illustrissimæ Celsitudini Vestræ defero.

« Etsi in conspectum Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ prodire, aut literas ad eam dare ob ejus Amplitudinem et negotiorum molem merito vereri deberem: vicit tamen verecundiam constantissima mea erga Sedem Apostolicam fides, perpetua observantia, et beneficiorum in Collegio Germanico acceptorum grata recordatio, ut pauca quædam illi insinuare non dubitarem.

« Ante biennium admodum diligenter laborarunt Principes et Status Silesiæ, ut beneficia Ecclesiastica in hac Diœcesi tantum Silesitis conferantur, atque Sacram Cæsaream Majestatem submisse rogarunt, ut quæ de collatione Suæ Majestatis sunt, solum indigenis conferat. Non intermisi tunc temporis Reverendissimum Dominum Episcopum Vercellensem, Nuntium Apostolicum apud Cæsaream Majestatem, de hac re commonefacere, et quorsum hæc consilia spectarent, significare, qui officium Nuncio Apostolico dignum apud Cæsarem præstitit, atque effecit, ut Sua Majestas Statibus hujus Provinciæ tale daret responsum, quod in præjudicium Ecclesiæ et religionis non esset. Jam vero in proximo conventu Principum et Statuum, cui Capituli nomine interfui, ulterius progressi sunt, et Cæsarem rogarunt, ut etiam apud Sanctissimum Dominum Nostrum efficere velit, quo Sua Sanctitas omnia beneficia in hac patria tantum Silesitis conferat.

« Quandoquidem autem hoc in detrimentum Catholicæ religionis, in diminutionem libertatis Ecclesiasticæ, et in præjudicium Suæ Sanctitatis

vergit, Illustrissimæ Celsitudini Vestræ hoc significandum esse duxi, ut si forte Cæsar ad Sanctissimum Dominum Nostrum hac de re scriberet, (quod tamen illum facturum vix puto) Sua Sanctitas non tam facile assensum præbeat. Quorsum enim hæc consilia Principum et Statuum hujus Provinciæ, qui omnes, Reverendissimo Domino Episcopo excepto, dudum a Catholica religione desciverunt, spectent, Illustrissima Celsitudo Vestra pro singulari sua prudentia facile intelligit. Etenim experientia hactenus docuit, adversarios Catholicæ religionis, dum vi et aperto Marte Catholicos ab protectione Cæsaris et Regum extirpare non possunt, cuniculos quærere, ut paulatim fidei christianæ propugnatores arceant, et illis viam præcludant. Et quia Catholici paucissimi in Silesia sunt, contingere posset, ut illis extinctis, beneficia in manus adversariorum, vel certe eorum, quibus religio parum curæ est, devenirent, et reliquiæ Catholicæ religionis penitus perirent. Hæc ad Illustrissimam Dominationem Vestram perscribere, eamque humilime rogare volui, ne in Silesia innotescat, me Romam hæc scripsisse. Deus Opt. Max. Illustrissimam Celsitudinem Vestram ad nominis sui gloriam et Ecclesiæ utilitatem diu servet incolumem, cui me humilime iterum atque iterum commendo. Wratislaviæ xii. Novembris MDLXXXIII.

Illmæ Celsitudinis Vestræ

Devotissimus et obedientissimus
Sacellanus
ANDREAS JERINUS PRÆPOSITUS
WRATISLAVIENSIS.

XLIV. — Episcopus Spirensis se apud Pontificem, gravissimis adductis causis, excusat, quod in vastissima sua Diœcesi, ubi permulti Protestantes degebant, quæ pro novi Calendarii promulgatione fieri ab se debuissent, nondum re ipsa exequi potuerit.

C. Germania Vol. 55, fol. 187

Sanctissimo in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio XIII. Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Dño meo Clementissimo.

Sanctissime in Christo Pater ac Domine Domine Clementissime, post humilimam mei Ecclesiæque meæ commendationem ad Sanctitatis Vestræ pedum oscula beatorum. Etsi superiori tempore Calendarium Romanum summa diligentia et industria correctum, non primum literæ et mandatum S. Væ in notitiam meam pervenirent, et officii mei ratione ductus, et obedientia, quam S. Væ et Sedi Apostolicæ debeo, impulsus, in Ecclesiam meam introducere, atque in eo reliquorum Catholicorum Principum exemplum imitari prorsus constitueram: quemadmodum etiamnum omni cogitatione et cura in id indesinenter incumbo, ut quod a me religiose susceptum est, tandem etiam in publicum proponi curem: tot tamen et tantæ difficultates et impedimenta statim occurrerunt, quibus adhuc afficior, ut ejusdem publicationem equidem contra voluntatem meam hactenus differre sim coactus. Non solum enim tumultus, qui in aliquot Germaniæ locis ex introductione novi Calendarii orti sunt, verum etiam gravissimæ dissensiones, lites et incredibiles confusiones, quas vicini hæretici, cum quibus undique sum circumseptus, et nonnullas Præfecturas pro indiviso possideo, sine ulla dubitatione concitare studebunt, a proposito me absterruerunt. At quantumvis certo sciam, me in ejusmodi difficultates maximo cum detrimento et extremo universi mei Cleri periculo delapsurum esse, neglectis tamen et remotis iis omnibus, unicum duntaxat supremum Sacri Imperii tribunal mihi obstat. In eo namque cum de recepta diuturna consuetudine, tum vigore ordinationis Cameræ, dies festi juxta Ecclesiæ meæ Cathedralis normam et ritus, in agendis et referendis causis hucusque observati sunt, et in hodiernum diem unanimi consensu servantur. Si igitur re ipsa efficerem, ut dictum Calendarium Romanum hic publicaretur, sane assessores Catholicæ religioni addicti novum illud, reliqui vero qui Augustanam Confessionem profitentur, vetus Calendarium in audiendis et decidendis litibus, ceu ex utraque parte se manifeste declarant, secuturi essent. Ex qua diversitate et discordia nihil aliud quam acerbissima totius hujus almi Judicii, quod Divi quondam Imperatores Carolus Quintus et Ferdinandus laudatissimæ memoriæ, maximo studio, opera et labore erectum posteritati conservandum reliquerunt, dissipatio nasceretur et distractio teterrima, leges et jura labefacterentur, imo ipsa Justitia, summus Imperii Romani splendor et gloria, necessario convelleretur. Quod quanto avidius et libentius fortassis multi, et quidem potentiores exoptant: tanto graviores afflictiones et persecutiones imbellioribus tunc essent pertimescendæ; imprimis autem Catholicis asperius malum afferri non posset. Quandoquidem cum vel ipsi, vel ipsorum subditi ab adversariis in juribus et bonorum possessionibus turbantur, aliisque quam plurimis modis divexantur, ad Judicium Camerale tanquam asylum et sacram anchoram confugiunt. Quo auxilio si destituerentur, nec se, nec sibi subjectos tueri amplius valerent; quin imo in hac temporis atrocitate et perturbatione rerum opprimendi status Ecclesiasticos, qui Catholicam religionem mordicus aversantur, pro nutu suo majorem captare haud possent occasionem. Quæ cum ita revera sint, et hac in parte non Ecclesiæ meæ saltem, sed præcipue totius Romani Imperii salus et publica tranquillitas periclitetur, summa necessitate coactus facere non potui, quin ejusmodi incommoditates Sanctitati

Vſæ humiliime exponerem. Idcirco Sanctitatem Vestram obnixe etiam atque etiam oro ac obtestor, ut prætactas difficultates et procellas, quæ inde impendent, pro sua singulari prudentia circumspicere et considerare, me ob hactenus omissam publicationem ex allegatis veris causis clementer excusatum habere, et providere dignetur, qua ratione et via impedimentum istud tandem præcaveri et tolli queat. Quod si factum fuerit, sicut de paterna Sanctitatis Vestræ benignitate et solicitudine nihil ambigo, animadvertet, me ne unum diem in publicando sæpedictum Calendarium procrastinaturum esse. Sanctitati enim Vestræ Sedique Apostolicæ, quæ me omni officiorum genere sibi devinctum habet, in omnibus obtemperare semper sum paratissimus. Deus Optimus Maximus Sanctitatem Vestram diu servet salvam et incolumem. Datæ Spiræ in palatio meo XXIII. Decembris anno Domini MDLXXXIII.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Devotus et humilis Capellanus
EBERHARDUS EPISCOPUS SPIRENSIS ET
PRÆPOSITUS WEISSENBURGENSIS, IMPERIALIS
CAMERÆ JUDEX m. p.

XLV. — Dum implicatissima Abbatis Fuldensis causa adversariorum opera nondum apud Curiæ Imperialis tribunal exitum haberet, neque habitura esse videretur: Gregorius Præsulis Herbipolensis pertinacia vehementissime commotus, pene indignabundus Cæsarem, ne quæ Pontificis in ea causa sint partes, sibi vindicet, gravissime admonet; suumque de Abbate in possessionem restituendo decretum, ad bonorum omnium offensiones cavendas, ad jus canonicum retinendum, executioni quamprimum mandari curet, hortatur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. XII ep. 96. f. 334.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rudolpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis, quas pene innumeras ad Tuam Majestatem dedimus super dilecti filii Abbatis Fuldensis ejectione, diuturnoque et indigno exilio, perspectum habes, quantopere ejus restitutio Nobis cordi sit, quamque intimis sensibus angamur, veterem illam et nobilem Abbatiam huic Sanctæ Sedi immediate subjectam gravissime affligi, exemplum pessimum confirmari, bonorum omnium securitatem una cum ipsarum legum auctoritate everti. Qui dolor eo etiam gravius Nos excruciat, quod justissimis decretis hujus violentæ oppressionis initio tam a Nobis, quam a Majestatis Tuæ parente Maximiliano super Abbatis restitutione factis non solum, ut par erat, obtemperatum non sit, sed duriores indies ei conditiones proponantur. Jubent leges et canones omnes spoliatum ante omnia restitui; res manifesta est; flagitavimus ad id auctoritatem atque operam tuam, Ecclesiæ nimirum, Ecclesiasticarumque rerum advocati et defensoris, et volunt ejus adversarii litem institui, inque causa Ecclesiastica partes eas, quæ nostræ sunt, cognitoris nimirum et judicis a Tua Majestate suscipi. Non possumus, neque debemus nostri muneris oblivisci, Sanctorum Patrum decreta non in summo honore habere, juris justitiæque tutelam deserere non possumus. Prohibuimus Abbati auctoritate, quam a Deo possidemus, ne judicium instituat; speramus illum obtemperaturum. Quod vero ad Episcopum Herbipolensem attinet, nemo est tam juris ac rerum imperitus, qui non intelligat, non potuisse Abbatem Abbatiam Fuldensem, Nobis et Sedi Apostolicæ immediate subjectam, Nobis insciis, dimittere, neque posse Abbatiam ullam ab Episcopo sine dispensatione Apostolica suscipi; ne si sponte quidem ei cedatur. Cum vero, quod sine stomacho audiri non potest, conqueratur, se, qui nullum unquam neque jus, neque possessionem habere potuit, spoliatum esse, cum perinde quasi nihil commisisset, sic ludificari pergat, cum nostro decreto de Abbate restituendo obsistat, cum nihil aliud laboret, nisi ut causa optima quam diutissime protrahatur, cum neque conscientiæ stimulis deterreatur, neque bonorum offensionem et scandalum vereatur, cum nostras cohortationes et monita pro nihilo ducat: non possumus hæc diutius perpeti, nostroque muneri deesse, qua etiam de re ad eum scripsimus. Certum habemus, Majestatem Tuam pro eximia pietate et perpetua erga Nos, et Sanctam hanc Sedem observantia haud impedimento futuram, quo minus nostro jure et potestate utamur in causa optima et justissima; immo vero Episcopum cohortaturam, ut nostris mandatis obtemperet. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die IV. Februarii MDLXXXIV. Pontificatus Nſi anno duodecimo.

Herbipolensem Præsulem minacibus deterret verbis, ne eam causam diutius extrahat, atque instituto apud Curiam Imperialem judicio se abstineat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. XII ep. 98. f. 335.

Venerabili Fratri Episcopo Herbipolensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Neminem tam juris ac rerum imperitum esse arbitramur, qui non intelligat, non potuisse dilectum filium Balthasarem Abbatiam Fuldensem, Nobis et Sedi Apostolicæ immediate subjectam, dimittere, neque tibi licuisse sponte etiam ab eo cessam, Nobis insciis, accipere, neque eam sine Apostolica dispensatione una cum Episcopatu retinere: omnia igitur contra quam oportuit, facta sunt. His de rebus sæpius ad Tuam Fraternitatem scripsi-

mus, teque pro nostra paterna charitate monuimus, ut sineres Abbatem possidere, nec quidquam illi molestiæ afferres; neque tamen hactenus obtemperasti magna cum bonorum omnium offensione, gravi cum scandalo, pessimo cum exemplo, perniciosissimo cum sacrorum Canonum Apostolicæque auctoritatis contemptu. Ne igitur post perpetuam sex annorum indulgentiam diuturnioris patientiæ rationem reddere cogamur, neve Fraternitas Tua longiore contumacia thesaurizet sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, mandamus tibi in virtute sanctæ obedientiæ, et sub nostra ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli indignatione, ut postquam has nostras literas acceperis, intra viginti dies, omni cunctatione et excusatione remota, decreto de judicio instituendo actisque ante Abbatis restitutionem conficiendis interposito omnino renunties, idque fecisse te Nobis significes, neque deinceps opera aut consilio per te vel alium obsistas, quominus Abbas restituatur, libereque possideat; hoc facto Nobis justitiæque satisfactum esse arbitrabimur. Hæc si tranquillo, et ut par est, Christiano animo atque ab omnibus perturbationibus libero cogitabis, intelliges, Nos officio nostro et muneri deesse neque posse, neque debere in tanta præsertim rerum temporumque iniquitate. Ut autem affirmare possumus, nostram erga te voluntatem et charitatem perfectam esse, et vere paternam; sic pie sapienterque facies, si providebis, ne diuturniore mandatorum nostrorum contemptu, secus quam volumus et cupimus, facere compellamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Februarii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Fuldensem præterea Abbatem, ut in eo perstet, ne judicium apud laicos de sua restitutione instituat, neve suscipiat, admonendum etiam atque etiam pro suo jure existimavit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. XII ep. 99 f. 326

Dilecto Filio Abbati Fuldensi.

GREGORIUS PP. XIII.

Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Semper judicavimus in tua restitutione protrahenda nostram et hujus Sanctæ Sedis auctoritatem tentari, sacrorum Canonum decreta contemni, id laborari, ut Ecclesiastica disciplina evertatur, ut nulla denique bonis et piis juris securitatis et quietis spes relinquatur. Meminisse potes, Nos literis datis XXVII. Februarii anno millesimo quingentesimo octuagesimo prohibuisse, ne ulla plane conditione judicium institueres aut suspiceres. Et quamquam de tua optima voluntate Nobisque, ut debes, obtemperandi studio nihil dubitamus: tamen quia cogitamus, quam acres stimulos habeat diuturni exilii molestia, hominum improbitas, vim intentantium importunitas, pericula ad persuadendum ostentantium; volumus his literis mandare in virtute sanctæ obedientiæ, ne te ulla ratione adduci sinas, ut judicium de restitutione aut instituas, aut suscipias, neque patiaris hoc pacto sacrorum Canonum decreta violari, nostramque et hujus S. Sedis auctoritatem minui. Noli igitur animo dejici, sed ut virum fortem et Dei timore præditum decet, temporum hominumque injuriam constanti animo sustine. Nos enim ut tibi obtemperanti non deerimus, sic contra facienti Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum indignationem denunciamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quinta Februarii MDLXXXIII. Pontificatus Nri anno duodecimo.

XLVI. — Quamvis Fuldæ omnia ab hæreticis miscerentur, tamen Collegio Societatis Jesu præter omnium opinionem res admodum prospere succedebant. Plurimi enim ex nobilibus viris, præsertim ex inferiori Saxonia, qui vel ipsum Sedis Apostolicæ nomen antea fastidiebant, liberos suos in illud Collegium, ut ab erroribus deducerentur Catholicaque doctrina erudirentur, adeo frequenter mittebant, ut confecto numero, reliqui excluderentur. Nobiles illi viri cum cætera valde probarent, tum illud non minus, quod in mensis longis præter morem Germanicum alumnis singulis separatim cibi apponerentur; quæ res utut levioris momenti prætermittenda non fuit. Hæc Pontifici referebat Petrus Loppersius e Societate Jesu, Collegii Rector: qui simul exponebat, quam necesse esset, ut etiam pauperibus adolescentibus illud Collegium pateret; ne tam sæpe ex plebe juvenes inopia adducti ad hæreticorum scholas convolarent, qui ad eos alliciendos artes omnes mirifice factitarent. [*]

[*] Germania Vol. 35 fol. 47.

Sanctissimo Dño Nostro Gregorio XIII.

Post sacrorum pedum devotissima et humillima oscula.

« Beatissime Pater. Institutum a Vestra Sanctitate hic Fuldæ 40. Nobilium adolescentum Seminarium, et gratitudo animi mei has exigunt, quamvis verecundia vetet, me novi, et Sanctitatem Vestram Christianitatis negotiis prægravari scio. Recepti sunt adolescentes 40. nobilis et equestris stemmatis omnes. Quatuor ex iis adhuc absunt, expectantur in horas. Insigni Sanctitatis Vestræ benignitate moti quidam, e locis etiam hæreticis huc commigrant, in Seminario suis expensis vivunt, donec locus aliquis vacet. In majore numero sunt illi, qui cum arma tantum tractare didicerint, nec soleant literis discendis suis quid impendere; solicitant tamen locum in Sanctitatis V. Seminario, per Catholicorum Nobilium ac etiam Principum intercessionem. At expleto numero, non potest horum desiderio fieri satis, bene sperare jubentur.

« Adolescentes jam admissi plerique sunt

Hessi aut Inferiores Saxones, in erroribus educati et ab hæreticis scholis abstracti, quorum aliqui supra ætatem initio pertinaces, nunc damnant, quod didicerant.

« Clari nobilesque viri, qui ante nec nomen Sedis Apostolicæ sine stomacho audire poterant, nunc et ipsi visunt, et nos ad se invitant, laudant in Seminario Sanctitatis Vestræ literaria exercitia, vestium honestatem, ordinem mensarum, in primis pulchrum existimant, quod in mensis longis munde ornatis, præter morem Germanicum, Alumnis singulis separatim cibi ministrentur.

« Denique, Beatissime Pater, res tota, locus, tempus, hominum expectatio, ac ipsa initia jubent nos uberem messem sperare; confidimus in Dei bonitate, et Sanctitatis Vestræ plus quam paterna clementia; tempore opus est et moderatione in his ingeniis tractandis.

« Hæc de Nobilibus. Pro pauperibus aliquid addere jubet necessitas: prohibet verecundia, quæ et vinceret, nisi timerem in Deum et Sanctitatem Vestram peccare, si negligam rationem præclari animarum lucri, Optimo Pontifici et incomparabili Germaniæ parenti explicare. Hæretici Principes in suis scholis, præter alumnos, tenui victu vel omnino, vel magna ex parte pauperes alunt: fit hinc, ut illi non facile ad Catholicorum scholas eliciantur, excitat spes literarii profectus, fama et experientia commendata; sed repellit desperatum sustentationis subsidium, adeoque ex hac caussa a Catholicis aliqui ad hæreticos transeunt. Hoc incommodum hic, quam alibi magis experimur, quibus in oculis est, hæreticorum liberalitas.

« Dolemus perire animas et bona ingenia, idque eo magis, quod centum coronatis decem per annum juvari utcunque possent in non dubiam spem magni fructus; quamvis enim quo plures juvarentur, eo esset melius, valeret tamen unus veritate instructus contra plures errores deceptos.

« Verum, Beatissime Pater, quamvis timide et verecunde necessitatem hanc indico, petere tamen nihil audeo, Sanctitatis Vtæ clementissimæ ac vere paternæ misericordiæ commendo.

« Dominus Jesus Sanctitatem Vestram ad totius Ecclesiæ salutem et Germaniæ nostræ afflictæ consolationem in annos multos conservare, ac demum æterna beatitudine donare dignetur, quod rogare, ut par est, nunquam desinemus. Fuldæ 15. Decembris anno etc.

Ad sanctorum pedum oscula
Sanctitatis Vestræ
Humillimus et devotissimus
PETRUS LOPPERSIUS
COLLEGII SOCIETATIS JESU RECTOR.

Loppersius idem negotium Cardinali Comensi commendat: narratque de quodam juvene annorum viginti, qui Collegium cum ingrederetur, confidenti obstinaverat animo, ab Lutheri secta nunquam se abstractum iri, mox eum ita mutavisse consilium, ut plures e Patribus Societatis Jesu in sua Saxonia esse valde exoptaret. Addit denique magnam operæ pretium fecisse in pluribus alumnis ab hæresi deducendis; idque tum vero fieri facilius, cum minus compellantur. (*)

Illustrissimo et Reverendissimo Domino et Patrono Clementissimo, Domino Cardinali Comensi.

Illme Domine, Patrone Clementissime.

« Gratias Deo Domino nostro ago, qui Illustrissimæ Celsitudini Vestræ donum id liberale dedit, ut in occupationibus et laboribus pro animarum salute susceptis gaudeat; humiliter igitur, sed cum fiducia scribo.

« Putavi humillimam meam observantiam et intimam gratitudinem decere, Sanctissimo Domino Nostro significare successum Seminarii hujus: recte id, an secus a me factum, cupio Illustrissimam Celsitudinem Vestram pro suo in me clementissimo affectu statuere, ut aut tradantur, aut retineantur literæ, pro ejusdem voluntate.

« Extrema æstate et autumno diversi morbi has partes infestarunt, Seminarium nostrum gravissime afflictum; non semel in periculo fuimus, ne cogeremur juventutem omnem dimittere. Completus est tamen alumnorum numerus; placuit Domino demonstrare, quanti hæc Sanctissimi Domini Nostri liberalitas ab his populis æstimetur.

« Quatuor, qui necdum sunt præsentes, justas absentiæ causas dederunt: unus morte patris, duo cognatorum infirmitatibus impediti; quarto, qui vicinus est, ipsi suasimus, adventum differret, donec a nobis oportunum significaretur: nunc malis mitigatis in horas eos expectamus.

« Numero jam completo, frequentes sunt, qui locum postulant; respondeo, quod res est, et cum spe bona dimitto.

« Hæretici aliquot Comites in Wederavia, vicina nobis provincia, audientes omnium benedictionem in Summum Pontificem ob hoc Seminarium, zelo æmulationis commoti dicti sunt, scholam instituturi, ubi Comitum filii Calvini secta imbuendi instituerentur; constans is rumor fuit, sed nunc in fumos videtur abiisse.

« Adolescens annorum quasi viginti, literis utcunque instructus, in hæresi pertinacissimus, huc venit nesciens, quod ad scholas nostræ Societatis mitteretur, initio clam discedere voluit; mansit tamen verecundia motus, et quod satis se confirmatum diceret, ne seduceretur, modestum se alias et obsequentem, sed in hæresi pertinacissimum præbebat, et domo discedens ju-

(*) Germania Vol. 10. fol. 48.

ramento quibusdam se obstrinxerat, quocunque tandem veniret, Lutheri placita nunquam deserturum; nunc ad Confessionem generalem se parat, de suis juvandis admodum solicitus, optat nostræ Societatis Patres aliquos esse in Saxonia, ibi homines sola ignorantia laborare, quod Concionatores rudibus id unum ingerant, Papistas sic convictos, ut defendere religionem suam nec possint, nec audeant.

« Facile quinquaginta hoc anno ex nostris discipulis, et in his plerique Sanctissimi Domini Nostri alumni nobiles, in veritate Catholica sunt instructi: experimur, quod quo minus compelluntur et obstringuntur, eo fere facilius juventur.

« Si Illma Celsitudo Vestra clementissima sua commendatione et patrocinio efficacissimo dignum judicet, ut de pauperum aliquo subsidio, sicut verecunde inopi Sanctissimo Domino Nostro, suggerat, Deo opus gratissimum et his regionibus utilissimum præstabit, mercedem hic et in beata æternitate recepturа.

« Cincti sumus hæreticis populis, ab omni parte sunt scholæ ipsorum et subsidia pauperum: Lipsia, Jena, Wittenberga, Helmstadium, Coburgum etc. contra nos ex pauperibus nutritis acies struunt, iisdem artibus pugnare cupimus.

« Sed verbis apud Illustrissimam Celsitudinem Vestram opus non est, quam charitate Dei inflammatam scio: confido, quod effectum dabit, modo judicet, salva verecundia mea peti posse, aut debere.

« Dominus Jesus Illustrissimam Celsitudinem Vestram ad communem utilitatem, et nostram consolationem incolumem et florentem diu servet, et felicem beatamque faciat. Fuldæ 15. Decembris 1584.

Illmæ Celsitudinis Vestræ

Humillimus et subjectissimus

Petrus Lopperslis

Collegii Societatis Jesu Rector.

XLVII. — In Bohemia tum qui erant ex Confessione Augustana, tum qui sequebantur diversas sectas ab veteri Hussitarum doctrina multifariam discrepantes, quæ infeliciter anno MDLXXV. aggressi fuerant [*], hoc anno iterum moliti, omnia in id studia contulerunt, ut ad sibi Hussitas conciliandos, eis persuaderent, eadem, quæ ipsi profiterentur, se etiam profiteri doctrinæ capita. Ita enim putabant fore, ut sibi suam religionem libere exercendi facultas daretur. At Cæsar his artibus sibi nihil unquam imponi passus, eorum conatibus acriter obstitit: atque ad Piccardorum conventicula, quæ audacissime cogebantur, disjicienda, promulgavit hoc auctum ab se decretum, quod Vladislaus Rex anno MDVIII. contra Piccardos aliosque hæreticos ediderat. [*]

[*] Cf nost. Annal. Eccles. T. II pag. 7-21 § XXV et Mantis documenti N. 2. pag. 152-161

[*] Germania Vol. 60. fol. 299

Edictum contra Piccardos et alios Hæreticos Pragæ evulgatum.

« Nos Rudolphus II. Dei gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, et Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ etc. Rex etc. Archidux Austriæ, Marchio Moraviæ, Lucemburgensis et Silesiæ Dux, et Lusatiæ Marchio etc. Generosis, Strenuis, Magnificis, ac prudentibus Baronibus, Equitibus, Nobilibus et Civitatibus, aliisque omnibus inhabitatoribus, ac subditis nostris ex omnibus statibus Regni nostri Bohemici, fidelibus, dilectis, gratiam nostram Cæsaream, et omne bonum significamus. Fideles, dilecti, scitote quod certæ relationes ad nos pervenitunt, qualiter citra certas et severas præcedentes prohibitiones, multæ personæ altioris et inferioris status in Regno nostro Bohemiæ in fundis suis, et Civitatibus nostris Regiis synagogas et conventus admiserint; ita ut in magno numero, non solum hominum plebejorum ac rusticorum, verum etiam status Baronum, Equitum, ac Civium utriusque sexus vecturis conventibusque conveniant, atque ibi suas conciones et alios Religionis actus habeant: idque non tantum in oppidis et villis, verum etiam in arcibus et castris fieri permittant. Quod de illis personis, quæ in fundis suis idipsum fieri permittunt, et etiam de iis, qui ibidem contra hujusmodi certa et severa mandata conveniunt, nullatenus (quod tantam inobedientiam præstarent) sperare dignabamur. Et quoniam tales conventus, et conciones sunt contra præscriptum Regis Wladislai gloriosæ memoriæ, tabulis Regni confirmatum, item contra statuta Provincialia et Cæsareum nostrum juramentum (quod statibus facere dignati sumus), et contra multa mandata et seria præcepta antea emanata: idcirco nolentes amplius res hujusmodi pati, omnibus statibus Regni nostri Bohemiæ, et ejus incolis iterum serio mandamus, ut ab ejusmodi obliquis congressibus, concionibus ac Religionis actibus, non tantum in fundis propriis, sed in Civitatibus nostris Regiis, sive occultis sive apertis abstineant. Si quis autem ultra hoc nostrum certum mandatum taliter se non gesserit, illudque, ut supra scribitur, transgressus fuerit, atque easdem synagogas, seu conventus, in suis fundis, ubicumque occulte vel palam fieri permiserit: erga unumquemque talem secundum præcedentia decreta et sanctiones scire dignabimur, qualiter nos erga illum gerere debeamus. Proinde scientes hanc certam determinatam et seriam voluntatem, atque etiam clementem commonefactionem nostram, omnes et singuli eo ipso se dirigere, et a futuris difficultatibus (quas nemini favere dignaremur) sibi cavere poterunt. Datum in Arce nostra Pragensi die Veneris post festum Divi Jacobi Apostoli anno 1584.

Rudolphus.

XLVIII.—Nuntius Apostolicus ad Cæsarem in ejus pia voluntate confirmandum, sub ejus oculos documenta sapientiæ et prudentiæ plena posuerat, quibus antecessorum ac majorum suorum Vladislai, Ferdinandi avi et Maximiliani parentis Bohemiæ Regum vestigiis inhærens, ea vellet omni jure decernere, quæ valerent et hæreticorum, quibus undique Bohemia redundabat, conatus retundere, et fidem Catholicam promovere; ex quo illud etiam sequeretur, ut pacato tranquilloque regno esset fruiturus. Hæc Cæsarem admonuit, communicato antea consilio cum Archiepiscopo Pragensi, cum præclarissimis viris Rosembergio Prorege, Poppelio Supremo regni Camerario, Martinicio ac Lobcovicio Cæsaris in regimine Administris. En modo Nuntii ad Cæsarem litteras, referentes et aliquid circa Hussitas atque Utraquistas, quibus peculiare genus communionis de ritu erat, ab Sanctissimæ Eucharistiæ participatione longe discrepans; quæ omnia e re nata cognovisse nonnihil fortasse interfuerit. [*]

[*] Germania Vol. 82. fol. 205.

Sacra Cæsarea et Regia Majestas.

« Quamvis Illmi hujus Regni Proceres, qui Catholici sunt et Regni tabularum peritissimi, liquido cognoscant, crescente hæresum zizania prospiciendum esse in tempore, ne simul suffocetur et triticum, unde divino primum honori, deinde etiam Cæsareæ Regiæque Vestræ Majestatis dignitati aliquid gravius accidat, eosque putem pro sua pietate opportuna consilia eidem Sacræ Majestati Vestræ aperire: quia tamen mei præcipue muneris esse intelligo, ea quæ ad Religionem Catholicam attinent, sedulo proponere; præterea, quæ Illmo Dño a Rosis tradidi, quæ his erunt adjuncta, visum est expedire, ut hæc pauca etiam adjicerem, reverenterque Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestati Vestræ offerrem.

« Quid adversus Picardos statuerit, consentientibus omnibus Ordinibus Regni, Vladislaus Rex anno 1508. etsi Majestatem Vestram ignorare non arbitror, eidem tamen exemplum tradere volui, quo facilius illud de novo inspicere considerareque possit.

« Quid gloriosæ memoriæ Ferdinandus, Majestatis Vestræ avus, mandaverit, anno hujus sæculi quadragesimo nono, Serenissimo Ferdinando Archiduci, nempe ut hæretici omnes præter Hussitas conjicerentur in carcerem, et gliscens istud malum decideretur, eandem Majestatem Vestram optime novisse non ambigo. Eo enim tempore octoginta circiter Lutherani Ministri uno die ex hoc Regno expulsi sunt.

« Quid publico edicto caverit invictissimæ memoriæ Maximilianus, ejusdem Cæsareæ ac Regiæ Majestatis parens, anno 1570. adversus eos, qui in Regiis civitatibus volebant sibi jus introducendi Lutheranismi et Picardismi usurpare, satis liquet.

« Quæ cum ita sint, nec adversus jusjurandum aut antecessorum suorum institutum Vestra Cæsarea Regiaque Majestas quidquam sit innovatura, si iisdem vestigiis insistens Picardos, Calvinistas, Lutheranosque omnes ex Regno eliminari statim jubeat, non est cur aliquis de hujusmodi mandato conqueri juste possit, aut tardior esse ad illud exequendum, si eandem Majestatem Vestram (ut certe debent) agnoscunt non minus, quam alios, qui illam præcesserunt, pro legitimo Bohemiæ Rege.

« Et quidem cum iis edictis et decretis expresse non semel cautum sit, ut si qui conventus, aut ulla Religionis exercitia a Picardis et aliis id genus haberentur, præter alias pœnas, prorsus loca illa clauderentur, neque amplius sint pervia, donec de iisdem sacerdotibus provideri possit, qui antiquam Religionem solebant administrare: hoc certe imprimis ad ejusmodi edictorum decretorumque præscriptum curandum, reque ipsa præstandum esset.

« Quoniam autem Picardi et Lutherani, ut fucum facerent Vestræ Cæsareæ Majestati in ipsa Regia Brundusii civitate, ubi ipsa absolutum jus habet, Synagogam Picardorum sub nomine Hussitarum aperuerunt, quæ tempore Ferdinandi fuit clausa, ideo valde opportunum esset, ut eorum concionatores de fide sua accurate ac seorsum interrogarentur: neque vero permitteretur, Capitaneum vel aliquem alium ejusmodi ministros fovere; intelliget dubio procul Sacra Majestas Vestra plus quam vera esse hæc quæ dicimus.

« Præterea cum Proceres et reliqui omnes jure Regni atque privilegiis suis cadant, quotiescumque contra tabulas Regias faciunt, hocque unum in iis sit præcipuum, si contra id quod decretum est de Religione aliquid attentaverint; videt Sacra Cæsarea Regiaque Majestas Vestra, quam facile ac legitime, qui sunt ejusmodi, ab ipsismet condemnari possint.

« Quod si contra Proceres durius aliquid intentare nolit hoc tempore, (quibus tamen insinuandum est, non passuram diutius Majestatem Vestram tot illorum in Religionis negocio abusus, quamobrem ii serio cogitent, servandas sibi tandem esse constitutiones Regni) nihil profecto est, quod illam remoretur, quin absque ulla cunctatione suo jure et potestate in Regiis omnibus civitatibus libere utatur, uti fere suot, status usu minime gaudentes, Brundusium, Pardovicinm, Clumez, Ptzerow, Lissa, et si quæ alia sunt ejusmodi, in quibus cum nihil prorsus habeant juris Regni Proceres, Vestra Cæsarea Majestas liberrime potest statuere, quæcumque ad Dei gloriam et animarum salutem spectare videbuntur.

« In his porro illud est facillimum, ut singulis civitatibus præficiantur Ludimagistri Catho-

lici, aliis extrusis, quando usuvenisse compertum est, ut cum nihil bujus curæ hactenus a Vestræ Majestatis ministris susceptum sit, ubique fuerint intrusi Picardi aliique pessimi hæretici, qui hac ratione destruxerunt inclitum hoc Vestræ Majestatis Regnum, cujus certe gubernacula cum illa ex Divina voluntate teneat, illius sine dubio ipsi Deo reddere rationem debet, in hac præsertim Religionis causa.

« Ac dubium non est, quin si Majestas Vestra Cæsarea in iis, quæ per se potest, diligentiam pro Dei honore, ac pro sui dignitate adhiberi curaverit brevi futurum sit, ut Deus cœpto operi assistat, idque variis rationibus pro Divina sua sapientia, quæ vincit omnem nostram scientiam, promoveat.

« Illud autem non postremo loco censendum est maximum, neque ulla ratione ferendum incommodum, quod simplex de fece homo Wittembergam seu Lipsiam mittere quoslibet audeat, quo hæreticis illis confusionibus potius involvantur, quam sacris ordinibus initientur: reversos autem pro libito per hoc Regnum distribuat.

« At vero hic audire videor Hussitas conquerentes, quod aliunde habere non possint sacerdotes, postquam Rm̃us Archiepiscopus non vult ex ipsis aliquos ad sacros ordines promovere. Sed ille quidem recte illos non admittit; immo si aliter faceret, non leve crimen admitteret; neque enim id Summus Pontifex pateretur, quando communicare in Sacramentis cum hæreticis jure Divino vetitum est.

« Cæterum si, ut aliqui eorum frequenter jactarunt, Hussitæ non sunt, sed tantum communicantes sub utraque specie, eaque concessione communicandi sub utraque jam a Sede Apostolica permissa, contenti sunt, nihil obstat, quominus nobiscum plane conveniant; alioquin sperare non debent, se unquam sacerdotes rite sacris initiatos habituros.

« Nam de infantum communione plerique eorum sacerdotum sincere aliquibus fide dignis viris fassi sunt, se infantibus non præbere consecratam hostiam, vel Christi sanguinem, propter maxima scandala, quæ incidisse animadverterunt frequentius; sed ut populo satisfaciant, se communionem illam fingere atque ostentare, cum tamen purum vinum et placentam præbeant.

« Quid vero causæ est, cur Hussitæ isti, vel sub utraque communicantes, non omnino pareant Rm̃o Domino Archiepiscopo, cum anno salutis 1549. ipsis Regni Statibus supplicantibus a Ferdinando Imperatore decretum fuerit, (idque extat in Regni tabulis) ut Archiepiscopus restitueretur, eique subesset ac pareret uterque Clerus, videlicet Catholicus et sub utraque ministrantium? Pareant igitur isti Rm̃o Archiepiscopo ex decreto Regio, sintque utraque specie, uti permissa est, contenti: ita enim facile, Deo aspirante, conveniemus, et labenti Regno succurretur, ejectis omnibus aliarum hæresum monstris.

« Ne vero pluribus Sacram Cæsaream Regiamque Majestatem Vestram detineam, tria illa præcipua ac plane necessaria remedia, quæ jam scripto Illustribus Proceribus exhibito comprehendi, quasi summatim repeto, atque iterum eidem Sacræ Majestati Vestræ propono, nempe ut duæ Parochiales Ecclesiæ quamprimum Pragæ instituantur, alumnorum numerus augeatur, et Ecclesiarum Parochialium, Monasteriorumque, et Ecclesiasticarum personarum visitatio omnino fiat: quæ sane omnia uti debita cum reverentia proposita esse volui, et profiteor, ita Cæsareæ Regiæque Majestatis Vestræ prudentiæ et pietati demisse humiliterque subjicio, obnixe illam rogans atque obtestans in Domino, ut serio ac sine mora huic periculoso morbo manum admoveat, maximam certe a Deo mercedem relatura, atque immortalem sibi apud homines memoriam comparatura; tum vero etiam Regnum hoc suum pristino splendori et optatissimæ tranquillitati restitutura, cui ampliorem in dies et gloriæ et Imperii propagationem, omnemque veræ felicitatis cumulum a Deo bonorum omnium largitore semper precor.

XLIX. — Habeas etiam quæ prudentissime ab Nuntio Apostolico cum Archiepiscopo Pragensi, cæterisque principibus in regno Bohemiæ viris ad Ecclesiæ illius commodum proposita atque statuta fuere. [*]

[*] Germania Vol. 62 fol 307.

« Quæ die IX. Decembris 1584. proponente Reverendissimo Domino Episcopo Vercellensi Nuntioque Apostolico, tractata conclusaque sunt in domo Illustrissimi Domini Wilhelmi Rosimbergii, Bohemiæ Proregis, præsentibus Reverendissimo Domino Archiepiscopo Pragensi, Illust. et Generosis Dominis, eodem Domino Rosimbergio, Domino Georgio Poppelio, supremo Regni Camerario, et Domino Georgio de Martinicz Schmeczanchi, nec non Domino Udalrico Felice Lobcowiczio, hæc fere sunt.

« Primo, ut tres Parochiales Ecclesiæ Pragæ quamprimum instituantur, una videlicet in parva Civitate, in Ecclesia Sanctæ Mariæ Hierosolimitani Ordinis; altera in antiqua Civitate, in Ecclesia Sancti Jacobi Franciscanorum; tertia in nova Civitate, in Ecclesia Beatæ Virginis in arena Carmelitani Ordinis.

« Singulis autem 200. taleri in singulos annos persolvendi assignentur, super censu annuo 600. tal. ex oppido Peldizimo exigendi, qui quidem census iis Parochialibus sine mora in perpetuum assignari potest. Atque ii quidem 600. taleri detrahendi sunt ex summa illa 1000. duc. auri, quos jamdudum Imperator benigne concessit,

tam ad prædictarum Parochiarum institutionem, quam ad domus studiosorum pauperum sustentationem atque incrementum.

« Reliqui porro 900. tal. qui pauperum collegio attributi perpetuo jam sunt, et ipsi absque longiori mora, certo aliquo ex loco exigendi, assignari debent, (ne ulla ratione sit cum Camera negocium, a qua vix, aut ne vix quidem certa aliqua fieri unquam potest in tempore exactio) ex quibus sane nongentis taleris adjunctis aliis octingentis, quos Summus Pontifex eidem domui collegiove in singulos annos, vita ipsius Sanctitatis durante, numerandos dilargitus est, aliisque etiam, quos pii bonique Catholici Domini conferent, tantus studiosorum numerus in illo sustentari queat, ut inde non modo sacerdotes, quorum incredibilis est in Bohemia penuria, sed etiam Notarii, Scribæ, scholarumque Magistri et Capitanei haberi possint Catholici, qui per universam Bohemiam dispersi, Catholicam Religionem sensim promoveant.

« Deinde vero consultius fore existimatum est, novam Pragensem Universitatem fundare, in qua juventus, ad omnem alioquin carnis libertatem proclivis, in disciplina cum pietate Christiana conjuncta erudiri possit, quam illam, quæ nunc ab Hussitis possidetur, destruere, seu in Catholicorum potestatem redigere: quod sane fieri non posset absque maxima Catholicorum offensione, ac querelis perpetuis, neque adeo magno Catholicorum emolumento, quando illa vix 800. tal. in censu annuo habere creditur.

« Locus igitur pro Universitate hac nova aptior nullus visus est, quam Patrum Societatis Collegium, in quo, ubi perfectum fuerit, absque dubio commoda auditoria, et numero et amplitudine, pro Legum et Medicinæ Professoribus, eorumque auditoribus non deerunt.

« Pro Artibus et Theologia satisfacient Patres, qui nunc legunt, duobus, qui Theologiam profiteantur, adjunctis.

«Quatuor præterea conducere oportebit, qui Leges et Sacros Canones profiteantur: videlicet unum, qui Justiniani Instituta; alterum, qui ordinarium mane; tertium, qui ordinarium vespere; quartum, qui Jus Canonicum legat interpretetnrve.

« Quatuor item Medicinæ Doctores, videlicet qui practicam, et qui theoricam, tertium qui Chirurgicam seu anathomiam, et quartum, qui simplicium herbarum vires et virtutes doceat.

« Etsi autem aliqui alii Doctores desiderari possent ad pleniorem Universitatem constituendam, satis hi tamen in præsentiarum atque ad aliquod usque tempus esse poterunt, donec aliqui Domini Catholici, videntes quantum inde fructus extare possit Religioni Catholicæ, dono dent, aut testamento aliquid amplius legent huic tam piæ tamque fructuosæ Universitati, quo augeatur indies magis, et stabiliatur perpetuo ad solidiorem Catholicæ Religionis instaurationem.

« Horum octo Doctorum salariis constituendis satis fore putatum est 400. tal. annuos singulis erogandos, duobus autem Theologis ex Patribus 200. Itaque in universum 3600. taleros annuos parari oportere pro hujusce Universitatis fundatione et sustentatione.

« Ut autem semper uniformis in omnibus Universitatis studiosis pietas ac Religioni Catholicæ congrua disciplina servetur, neve aliquando Hæretici Professores eligantur, aut Hæretici unquam promoveantur, id expedire judicatum est, ut tam Juris Civilis Canonicive, quam Medicinæ Professores, qui ex Societate esse non possunt, potestatem legendi non ab alio, quam a Rmo Domino Archiepiscopo Pragensi, præmissa juxta Pii IV. Summi Pontificis constitutionem fidei professione, accipiant; Rectori vero ipsi, quoad literarias exercitationes bonumque Academiæ ordinem, subsint, quos ipse, si suo munere non bene fungerentur, possit monere, et mulctare etiam, ne ob laxam vivendi agendive licentiam pietas, aut Catholica Religio (cujus gratia maxime hæc Universitas instituitur) detrimentum patiatur.

« Non incommode porro hanc 3600. tal. summam, si non integram, saltem potiorem exigi posse omnes censuerunt ab ipsis Regni Bohemiæ Regularibus, qui sine dubio 2000. et amplius fortasse in singulos annos tam pii operis causa libenter erogarent, si alioquin perpetuo ab omnibus aliis vel contribuendi, vel satisdandi, vel pro Rege apud alios spondendi oneribus liberarentur.

« Quod sane si fieret præter Universitatis ipsius fundationem, quæ incredibili Catholicorum et Religionis honori et utilitati perpetuo cederet, id etiam commodi non exigui subsequeretur, ut Rex ipse sibi successoribusque suis antiquam illam, parum æquam, Ecclesiasticos contra sacros Canones aggravandi occasionem pie sancteque præcideret, et ipsi Regulares non tam a Regis ipsius, quam a Cameræ officiariorum non adeo bene erga Ecclesiasticos affectorum molestiis, et exactionibus eriperentur.

« His tribus negociis, videlicet trium Parochialium Ecclesiarum, Domus pauperum, et Universitatis, bene confectis, unde Catholica sane Religio mirum in modum juvari, et paucorum annorum spacio propagari poterit, nunc omnino necessarium esse conclusum est, ut edictum postremo a Sacra Cæsarea Regiaque Majestate contra Picardos editum, aliquam executionem habere curetur obnixius, cum passim in hac Pragensi Civitate, in ipsius Regis oculis Picardorum conventicula quotidie habeantur in maximum ipsius Regis, Catholicorumque omnium contemptum. Id si fiat, erit certe aliqua tam

Regis quam Catholicorum authoritas; alioquin sine ulla dubitatione ita insolescent Hæretici, ut nihili deinde facturi sint et Regem et omnes Catholicos, imo eos ludibrio habituri magis ac magis indies.

« Ad hæc instante eodem Reverendissimo Domino Nuntio, actum est conclusumque, ut Glogoviense negocium proxime apud Sac. Cæs. Majestatem ardentius promoveatur, quo Ecclesia Parochialis cum domo et schola, ab Hæreticis ante quadriennium per vim occupatæ, omnino illius Civitatis Catholicis restituantur.

« Nec non Znoimensis concionator hæreticus, qui ante triennium decreto literisque Imperatoris tertio abire jussus est, jam tandem reipsa ablegetur juxta Cæsarea mandata toties, sed frustra hactenus, repetita.

« Neque vero illud parvi momenti esse affirmatum est, ut, postquam hactenus Bohemia tota libris hæreticorum referta, vix essent ulli, qui legerentur Bohemico idiomate exarati Catholici libri, ad emendandam præteritam negligentiam, jam navet operam diligentius, ut aliquot libri Catholici in Bohemicam linguam quamprimum convertantur, typisque excusi per universum Regnum pervulgentur, ac præsertim quanto citius fieri possit, Catechismus uterque Patris Canisii, parvulus scilicet et major. Quoniam autem impressoria hic multo chariori pretio, quam alibi exercetur, iden aliquam pecuniariam summam ejus rei causa promptam, paratamque esse oportere affirmarunt omnes, spoponderuntque.

« Illud vero etiam non parvi momenti esse consideratum est, ut visitatio omnium Parochialium Ecclesiarum Regni primo quoque tempore fiat, in qua præter ea, quæ in visitationibus inquiri solent, poterantque fusius a Rmo Domino tum Nuntio Apostolico, tum Rmo Domino Archiepiscopo Pragensi Visitatoribus ipsis præscribi, de his præcipue capitibus investigaretur, videlicet:

« An in fide Catholica stabiles sint, aliquave ratione eo nomine suspecti;

« An utranque speciem ritu Catholico ministrent;

« An rite ordinati sint, ac præsertim an ante legitimam ætatem;

« An confessiones generatim audiant;

« An ipsi frequenter confiteantur, videlicet in singulas saltem hebdomadas;

« An Regulares sint ac legitime a suis Superioribus dimissi;

« An formam Sacramentorum, ac præsertim Pœnitentiæ noverint;

« An Breviarium habeant, anque debitum horarum Canonicarum officium quotidie persolvant;

« An concubinarii sint;

« An ebriosi, ventrique plus æquo dediti;

« An Catechismum Catholicum doceant diebus festis;

« An concionentur, librosque Catholicos habeant, unde conciones promant.

« Fiatque item Regularium omnium visitatio, eorum quidem, qui Rmo D. Archiepiscopo subsunt ordinario, aliorum autem qui Sedi Apostolicæ immediate subjecti sunt, Apostolica authoritate: in quibus de his quoque præcipue diligentius inquiratur, atque provideatur, ut præter alia, quæ juxta Ordinum suorum constitutiones observanda sunt, hæc etiam præcipue capita servari curetur, videlicet:

« Ut omnia mulierum, etiam non suspectarum contubernia et consuetudines tollantur e monasteriis;

« Ipsique Prælati et monachi omnes castam vitam, atque ab omni etiam libidinis suspicione alienam agant,

« Paupertatem quam voverunt plane servent, omni proprietate abjecta,

« Et parochos monasteriis subjectos omnino Catholicos habeant.

« Quoniam autem ex Regni constitutionibus, qui sub utraque specie communionem ministrant parochi, non ita passim expelli queunt, videndum omnino esset in locis omnibus et Civitatibus tam Regi ipsi, quam Ecclesiasticis subjectis, ut non nisi Catholico ritu, hoc est, ad formam olim a Pio IV. sanctæ memoriæ præscriptam ministraretur. Tum vero etiam ubique alibi, vel apud Barones quoscunque, adhibenda esset diligens inquisitio, ad Picardos, Calvinistasque, Adamitas, Anabaptistas, aliosque id generis pestilentissimos hæreticos ex Bohemia omnino eliminandos, qui quidem Regnum hoc, nisi hac fece quamprimum expurgetur, ad certam perniciem extremamque ruinam sensim perducent.

« Hanc visitationem fieri curandum esset non in Bohemia modo, verum etiam in Silesia atque Moravia, ubi certo in Clero tam regulari quam sæculari multa sunt scandala, quæ præsenti correctione non parum indigent.

« Postremo illud maximi momenti esse, suggerente eodem Nuntio, cognitum est, ad Catholicam Religionem in Silesiaca provincia, ne plane ruat, utcunque retinendam, et in posterum augendam, ut omnino Collegium Patrum Societatis Jesu Wratislaviæ aut Nissæ, vel utrobique etiam erigatur, sed dextere agendum cum Rmo illo Episcopo, qui antea etsi Nuncio et coram et literis frequenter ostendit, velle se omnino habere Collegium Nissæ, aut Glogoviæ, postquam Wratislaviæ non poterat, tandem visus est nihil minus quam Collegium cogitare, nescio qua præsertim, quam præ se tulit erga Patres, qui Wratislaviæ fuerunt, offensione.

L. — Clarissima profecto Comitum Lobco-

viciorum familia apud suos optime semper de Ecclesia Catholica est merita. Illustres ejus generis viri auctores fuere, ut Pragæ pro egenis adolescentibus, quique ex Catholicis, quique ex hæreticis orti essent parentibus, collegium conderetur, in quo sub Patrum Soc. Jesu disciplina gratuito et litteris et bonis moribus imbuerentur, ad summum Catholicæ religionis in eo regno præsidium. Cujus rei causa ipsi, ædibus coemptis, attributisque et vectigalibus, jam in illud collegium non exiguam juvenum manum coegerant. Cumque exinde ampliora cuperent beneficia etiam in finitimas provincias redundare, atque ideirco, ut alumnorum oppido plures essent, efficere: ab Pontifice majorem in modum petierunt, ut illi collegio Bohemorum Romæ xenotrophii census adjudicaret, longe cum majori rei catholicæ bono. [*]

[*] Armar. XII.caps.5. N. 13.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Maximo, ac Jesu Christi in terris Vicario post pedum oscula sanctorum.

« Dum tuam, Pater Beatissime, in tuenda et restituenda ubique Catholica Religione vigilantiam, atque hujus Religionis in hoc Boemiæ Regno patria nostra afflictam conditionem perpendimus, duplici stimulo urgeri videmur, ut quo possumus non tantum animo et studio, verum etiam viribus atque opibus, demum quacunque ratione ad hanc tantam rem propere concurramus. Et quidem consilia persæpe cepimus, interque nos contulimus, quemadmodum morbus, qui inveteravit, curari, et malum, quod serpere non desinit, a cursu suo revocari possit; sed diu multumque deliberantibus nulla occurrit vel propinquior vel expeditior via, quam pauperes aliquot adolescentes, sive Catholicis sive hæreticis parentibus ortos, uno in loco simul alere, qui literis exculti et Orthodoxa fide imbuti, quodcumque vitæ genus sequentes, tamen hac educatione sua Religioni Catholicæ reddant, quantum hæreses detraxerunt. Cujus viæ a nobis, tum ab aliis familiæ nostræ, aliqua fundamenta jacta sunt, ædes collegio Patrum Societatis Jesu vicinæ coemptæ, decreti redditus, coacta juventutis non modica pars, quæ ad nostram spem expectationemque Patrum cura et educatur, et ita proficit, ut nobis polliceamur ad sepeliendas hæreses, et avitam fidem excitandam, ex hoc uno pauperum collegio præsidium maximum comparari posse, si pabulo aucto, numerus adolescentum augeretur. Quare, Pater Sanctissime, mente et voce conspirantes, Sanctitatem Tuam ut Christi in terris Vicarium, Pastoremque vigilantissimum demisse et reverenter ad subsidium tam pio operi ferendum compellamus. Quod sane pro paterna sua in Christi gregem cura (cujus in hoc Regno bonæ adhuc, quas Deus salvas velit, reliquiæ supersunt) facile præstabit et feret, si hospitalis Boemici (quod Carolus Quartus Romæ a se erectum, peregrinis Boemis destinavit) redditus pluribus in hac domo pauperibus adolescentibus alendis attribuerit. Cum enim paucorum sit iste fervor, ut voti vel Religionis causa sacram Urbem petant, certe tenui fortuna pene nullus est, qui tam remotum locum pietate adductus adeat; quo fit, ut vel pauci vel etiam nemo jam ibi Boemus hospitalis illius beneficio utatur. Cujus redditus, si ad hanc rem traducti et translati fuerint, non uni civi modo, sed toti patriæ, adeoque Universæ Ecclesiæ Dei plurimum commodabitur. Hoc igitur illud munus est, Pater Beatissime, quod vocibus votisque maximis filii tui, nos omnes omni demissione flagitamus; cujus fructus non in hujus nostræ Boemiæ tantum fines se effundet, sed in finitimas Provincias, Lusatiam, Misniam, Saxoniam redundabit. Nos vero Sanctitas Tua ita gratos experietur, ut hanc tuam novam munificentiam memoria sempiterna et culturos et celebraturos nos spondeamus. Ad Sanctitatis Tuæ pedes abjecti osculum humillime expedimus. Datum Pragæ anno MDLXXXIII. 5. Nonas Martii.

Sanctitatis Tuæ

Humiles et devoti filii
LADISLAUS SENIOR A LOBCOVICZ SUPREMUS REGNI BOEMIÆ CURIÆ MAGISTER,
GEORGIUS DE LOBCOVICZ SUPREMI REGNI BOEMIÆ JUDEX NOMINE TOTIUS FAMILIÆ.

Quorum preces sua commendatione ad Pontificem est Cæsar prosequutus. [*]

[*] Armar. XII.caps.5. N. 11.

Sanctissimo in Christo Patri ac Domino Gregorio Decimotertio, Divina Providentia Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Reverendissimo.

« Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime. Post officiosissimam commendationem filialis observantiæ, continuum incrementum Sanctitati Vestræ imprimis optamus. Cum fidelis nobis dilecta Lobkoviciorum familia nuper consilium suum ac desiderium nobis aperiret, quemadmodum majorum suorum in nostro hoc regno tot sectis impedita fides semel eripi posset, simul etiam humiliter supplicavit, ut quas hac de re ad Sanctitatem Vestram litteras mittit, nostra clementi intercessione gratiosiores et efficaciores redderemus; placuit nobis pietas ista et in avitam Religionem incensus ardor, ut tam difficili et loco et tempore, in tanta bene gerendæ rei occasione hoc studium etiam confirmandum, et quoquo modo juvandum putemus. Quare huic dilectorum nobis Lobkoviciorum pietati et conatibus ut nostra vota jungamus, rogamus Sanctitatem Vestram, ut Bohemici hospitalis cujusdam Romæ a nostris antecessoribus fundati redditus domui, quam eadem

Catholicæ fidei semper tenax Lobkoviciana familia, in hac Bohemiæ Metropoli nostra Praga, egentibus scholasticis cum dote quadam perpetuo decrevit, applicare dignetur. Erit hoc beneficium non tantum nobis gratum, sed etiam apud posteros ratum, tum Ecclesiæ sanctæ Dei, adeoque huic Regno nostro commodum et salutare, ut propositæ utilitatis, et optabilis eventus spectatorem et testem ipsam Sanctitatem Vestram fore aliquando speremus. Datia in Regali nostra Praga die vigesima septima Februarii, anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo quarto. Regnorum nostrorum Romani nono, Hungariæ duodecimo et Bohemiæ nono.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius

RUDOLPHUS.

Osvaldus de Schœnfeldt.

LI. — Cæsar ea Ordinum Bohemiæ consensione ei collegio annuum mille ducatorum censum addixerat: verum cum negligentia atque incuria Consiliariorum regni nondum numerarentur, Rosembergius Nuntium Apostolicum vehementer oravit, qua valebat apud Cæsarem gratia, impetraret, ut qui deberent, eam pecuniam quamprimum numerandam curarent. [*]

[*] Germania Vol. 82. fol 239

Rñe et Illñe Dñe, Dñe Observandissime.

« Quod mille illos ducatos in quasdam Parochiales Ecclesias Pragæ, pauperesque nonnullos alendos, dispensandos, et per Majestatem Cæsaream in Camera Regni Boemici elementissima assensione designatos attinet, eo loci negotium sub discessum meum Crumnovia relictum fuit, ut Generosus Dominus Cameræ Præses una cum cæteris Consiliariis id exploraret, unde commodissime præfata summa annuatim exbursaretur, atque eas rationes Sacratissimo Imperatori a Sua Majestate confirmandas proponeret. Quod siquidem hactenus factum non est, consultum fore omnino judico, ut Rña Illustrissimaque Dominatio Vra Cæsaream Majestatem ejus oretenus admoneat, velit Majestas illius præfato Præsidi et Consiliariis rem accelerandam iterato demandare. Et quamquam non dubitem, Sectarios non adeo rei hujus promovendæ curam sibi cordi esse sinere, nihil attamen nobis Catholicis formidandum est, ne non rem ex voto et fœliciter transigamus. Scribo attamen negocii ejus gratia Generoso Domino Præsidi, quem cum mei, tum Dñi Camerarii Regni, Dñi fratris sui charissimi causa, prout quoque spopondit, facturum omnia diligenter esse spero: quod si tamen res differatur, id ne Reverendissima et Illña Dominatio Vestra gravate ferat, tanto fœlicius sub nostrum ad ferias D. Michaelis (Deo auspice) Pragam adventum rem conficiemus. Me meosque per Reverendissimam et Illustrissimam Dominationem Vestram Beatissimo Pontifici commendari gaudeo, Rñæ Illustrissimæque D. V. quas animus meus capit, maximas ago habeoque gratias: paratus Vicariæ gratitudinis significatione tantam benevolentiam olim, et obsequiis mutuis de Reverendissima Illustrissimaque D. V. (quam optime valere exopto) promereri. Datæ ex Civitate et Arce nostra Crumnoviensi IX. Augusti anno MDLXXXIV.

Rñæ et Illñæ Dominationis Vestræ

Observandissimus

WILHELMUS URSINUS DE ROSENBERG.

LII. — Gregorius eorum virorum in rem catholicam intenta studia summa cum charitate prosecutus est. Hæc scripsit ad Georgium Poppelium. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII Ann. XIII ep. 35. fol. 305.

Dilecto Filio Nobili Viro Gregorio Poppelo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Celebratur gravissimorum virorum literis et sermonibus pietas tua: proxime vero ad Nos scripsit venerabilis frater Episcopus Vercellensis Nuncius noster, enituisse zelum tuum in conventu Bohemico, nec quidquam amplius a viro optimo, Catholicæque Religionis studiosissimo desiderari potuisse. Egimus continuo gratias Deo, tibique omnia ab eo bona precati sumus. Nos vero pietatis, virtutisque tuæ memoriam omni semper cum charitate retinebimus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die XI. Augusti anno MDLXXXIV. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

LIII. — Quum Pontifici relatum esset, Hungariæ Episcopos in suo munere aliquanto remissiores versari, eosdem excitat monetque, ut sedulam dantes operam, suo quisque gregi consulant. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII Ann. XIII ep. 41 fol 305.

Venerabili Fratri Georgio Drascovitio Archiepiscopo Colocensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Redit istuc dilectus filius Franciscus Ditalevius, quem Fraternitas Tua, cæterique Hungariæ Episcopi ad Nos miserant. Ex ipso facile intelliges, quam gratum Nobis fuerit vestrum officium Nobis, Sanctæque et Apostolicæ huic Sedi præstitum, cognosces etiam de nostra paterna tui, cæterorumque fratrum, Ecclesiarumque istarum solicitudine, summoque desiderio vobis omnibus satisfaciendi cum cæteris in rebus, tum vero in iis, quæ ad Catholicæ Religionis amplitudinem, animarumque salutem pertinere possunt. Quamquam autem persuasum habemus, Fraternitatem Tuam Episcoposque alios nulla in re pastorali officio et muneri deesse, idque etiam viri confirmant, tamen facere non possumus, quin hortemur eos, quorum Diœceses aliqua ex parte in Turcæ ditione sunt, ut frequenter eo mittant Sacerdotes, cæ-

terosque idoneos viros, quorum opera tum docendo, tum Ecclesiasticis Sacramentis administrandis Christianarum reliquiarum, quæ illis in locis sunt, saluti provideatur: præsertim cum id Turca minime prohibeat. Hortamur igitur omnes (damus enim ad cæteros quoque literas eodem exemplo), ut hanc curam suscipiant Deo gratissimam, diligentissimorumque pastorum laude et charitate dignissimam. Deus benedictus amplectatur Fraternitatem Tuam, tueaturque sua gratia, dirigatque cogitationes atque actiones tuas omnes ad sui nominis gloriam, commissique tibi gregis salutem. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die prima Septembris MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

LIV. — Ut Gregorius in ea juris et prudentiæ suscepta ratione sibi constaret, nullum hæreticis ad ipsorum res peragendas locum dare, commonet Helvetios, ne illis veniam dent scholas et collegia condendi; neve oblatæ occasioni desint Catholici in iis sibi vindicandis locis, qui adhuc hæresi immunes essent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An XII. ep. 148. f. 363.

Dilectis Filiis Septem Pagis Helvetiorum Catholicorum, Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Insignis laus et gloria a majoribus vestris vobis tradita, vestraque pietate et virtute cumulata in Catholica Religione, Ecclesiasticaque libertate tuenda facit, ut persuasum habeamus, in præsenti negocio vestrum studium cum nostra voluntate et desiderio certaturum. Accepimus conari Catholicæ Ecclesiæ hostes Sondrii hæreticorum scholas et Collegia constituere, jamque hac de causa eos legatos misisse. Obsistite, rogamus tanto studio, quantum vestra virtus pollicetur, quantumque Christi causa exposcit; nihil audebunt, vobis invitis, moliri; vos vero ad eam laudem, quam in valle Mesolina retulistis, hanc quoque maximam adjicietis. Tota denique valle Tellina, Clavenna, cæterisque locis, quibus potestis, Catholicæ Religionis Catholicorumque hominum causam suscipite, nullamque opportunitatem prætermittite tam gravi, tamque necessaria in re Dei gloriæ inserviendi, amplissimaque ab ejus summa bonitate præmia promerendi. Neque vero hæc eo scribimus et rogamus, quo non magnam spem in vestra virtute habeamus, sed facit nostrum summum desiderium, ut ea hortemur et rogemus, quæ vos vestra sponte libentissime facturos esse existimamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima octava Aprilis MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Tum vero Romanus Pontifex Christianæ rei tuendæ exarsit studio, quum accepit conventum habitum iri ab Rhætis, in quo de hæreticorum Seminariis in Valle Tellina instituendis foret deliberatu. Vide quanta cum severitate atque ex Pontificia auctoritate, quod nonnisi de aliquo summæ injustitiæ admisso facere solebat, ea de re iisdem mandaverit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 117 fol. 432.

Dilectis Filiis Septem Pagis Helvetiorum Catholicorum, Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Sæpius ad vos scripsimus, hortatique sumus, rogavimusque, ut Catholicos Vallis Tellinæ, cæterosque Rhetis subjectos velletis commendatos habere, iisque in Catholicæ Religionis rebus, in quibus gravissime vexantur, adjumento esse. Id vos pro vestra singulari pietate et zelo tanto studio, missis etiam ad Curiæ conventum legatis, præstitistis, ut nihil præterea desiderari possit. Nunc autem sic accepimus, parari ab illa natione alium conventum, eumque brevi futurum, interque cæteras impietates actum iri de Seminariis hæreticorum, quod quidem horrendum est, ea in Valle constituendis. Rogamus vos, quantum possumus, per Christi gloriam, perque animarum, pro quibus ille toto corpore sanguinem profudit, salutem, ut superioris temporis officia iterare velitis, vestraque auctoritate gentem illam ab hoc consilio deterrere, atque ostendere, neque Petrum, neque bonos laturos esse eos, qui se hactenus Catholicos conservarunt, quique in hac religione tranquillo semper animo versati fuerunt, talibus Seminariis perturbari atque everti, cum Catholici hæreticis Rhetis subjectis nulla in re molesti sint. Erit hoc vestra gloria, et perpetua Ecclesiasticæ libertatis defensorum laude dignissimum, Deo acceptissimum, Nobis certe tam gratum, ut supra esse nihil possit. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Novembris MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

LV. — Eo furoris hæretici Sondrii acti sunt, ut turbis in viros Ecclesiæ excitatis, nonnullos in carcerem dederint. Hæc nullo pacto ferens Gregorius, Catholicos Helvetiæ Primarios ita excitavit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 2. fol. 375.

Dilectis Filiis Septem Pagis Helvetiorum Catholicorum, Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Quæ superioribus diebus Sondrii acta sint, tenere vos facile arbitramur; de Archipresbytero, aliisque Catholicis in quodam tumultu ab hæreticis comprehensis, atque in carcerem conjectis. Res, ut videtis, indigna est, exemploque ipso, si dissimulatur, Catholicis in posterum exitiosa. Hortamur, ut vestram in his

malis præstantem auctoritatem interponatis, curetisque, ut Archipresbyter, cæterique Catholici, si forte adhuc in custodia sunt, mittantur, provideatisque, ne quid tale in posterum committatur, neve Catholicorum pars opprimatur; sed contra omnium injurias vestro, ut par est, patrocinio tuta sit. Hoc ut vestra eximia pietate et virtute dignum est, sic erit Nobis gratissimum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Maji MDLXXXIIII. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

LVI. — Iisdem commendavit etiam Comitissæ Chiallantii causam, cui, licet abierit in rem judicatam, Bernenses acquiescere nolebant. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 40. fol. 391.

Dilectis Filiis Quinque Pagis Helveticorum Catholicorum, Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Eo libentius commendamus vobis ea quæ recta atque honesta esse intelligimus, quo certius habemus, talia vobis sua sponte esse commendatissima. Multum autem interesse existimamus, intelligere vos, præsens negocium magnopere Nobis cordi esse; perspectum enim habemus vestrum perpetuum studium Nobis gratificandi. Dilecta in Christo filia Comitissa Chiallantii, uxor dilecti filii Joannis Friderici apud Nos Oratoris Rodulphi Romanorum Imperatoris Electi, jamdiu caret jurisdictione Vallangini in Bernensium finibus spoliata a Domina Longævillæ. Cognovit de causa ipsa, jamque biennium est, secundum Comitissam Chiallantii judicavit dilectus filius Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux. Quo facto oportuit Bernenses causæ æquitati, reique judicatæ auctoritati inservire, promisso denique suo satisfacere. Sic enim, ut accepimus, polliciti erant, se eum primum secundum Comitissam Chialantii judicatum esset, curaturos restitutionem fieri. Illi vero nihil hactenus egerunt, sed re toto hoc tempore extracta, responderunt tandem placere sibi, in generali conventu, quod Badæ agendum est, agi; non recusat Comitissa judicium Pagorum Lucernæ, Uraniæ, Svitiæ, Subsilvaniæ, Tugii et Abbatiscellæ, fertque interea æquo animo jacturam possessionis, quam ei statim restitui oportuit. Res nunc igitur tota in vestra potestate est, Nos vero de perpetuo vestro juris et justitiæ cultu, et studio nihil dubitamus, de celeritate in negocio conficiendo, hoc vero quantum possumus, rogamus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Augusti MDLXXXIIII. Pontificatus Nri anno tertiodecimo.

LVII. — Helvetiis Lugani comitia propediem habituris Cardinalem Carolum Borromæum eo venientem commendat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 15. fol. 381.

Dilectis Filiis Rhetis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Cum oporteat dilectum filium nostrum Carolum Cardinalem Sanctæ Praxetis interesse proximo Conventui, aut si venire non poterit, eo mittere; gratissimum Nobis facietis, si aut ipsi Cardinali aut ei, quem miserit, super iis, quæ exponet, omnem fidem tribuetis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Junii MDLXXXIV. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

Helvetii gratissimo quidem animo commonitorias Pontificis litteras acceperunt, prolixiusque responderunt, sedulo se omnia quæcunque pro Catholica Religione facturos. [*]

[*] Helvetia Vol. I. fol. 124

Sanctissimo Dño Nro Dño Gregorio XIII. SS. Rom. ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici ac Principi, Dño Nro longe Omnium Clementissimo ac Colendissimo.

Beatissime Pater.

« Post sanctissimorum oscula pedum obsequia nostra quævis paratissima, filialemque obedientiam summa qua possumus humilitate ac devotione Sanctitati Vestræ offerimus. Beatissime Pater, incredibile dictu est, quanta consolatione et confirtatione nos affecerint proximæ Sanctitatis Vestræ illæ litteræ, (quas etiam ea qua decuit reverentia suscepimus) quibus ipsa repetitoria admonitione nos pro defensione atque conservatione Religionis, et hominum Catholicorum causa apud confœderatos nostros Rhætos requirebat; nihil enim antiquius et ex votis habemus, quam in similibus omnem pro Christi Servatoris nostri gloria, proque fide et Ecclesia Catholica, quam poterimus, operam, studium atque diligentiam, nec non (necessitate ita exigente) vitam ipsam, res et fortunas impendere, omnemque fortunam experiri; placeat igitur Sanctitati Vestræ credere, atque ea, quæ litteris suis a nobis expostulavit, sibi polliceri. Sicuti etenim indignum esset nomini nostro, ita et plane alienum a nobis esse volumus, Sanctitatis Vestræ et tot bonorum expectationi non satisfacere, majorumque nostrorum vestigiis non inhærere, aut eorum factis non correspondere: persuasum autem habemus Sanctitatem Vestram apud eos, quibus ex opposita regione hoc negotium commune, et quorum maxime interest, haud minus laborare, ne a bene suscepto proposito Catholicæ Ecclesiæ hostium libidini minime cedere velle declinent. Gratias interim Sanctitati Vestræ quas possumus devotas et maximas referendo, quod continue et tam ferventer paterna sua benignitate atque amore nos amplectatur, nomenque nostrum illi cordi sit, eam humiliter rogamus, ut eundem animum in posterum uti hactenus semper experiendum præbeat; nos vero eursbimus, ut talibus digni judicemur, Deumque Opt. Max.

pro Sanctitatis Vestræ (in cujus clientelam nos uti ejus et hujus S. Sedis obedientes filii, nos ipsos devovemus et commendamus) diutina ac ab omnibus piis desiderata prospera valetudine rogabimus. Datæ nostroque omnium nomine amantissimorum et antiquorum confœderatorum nostrorum Lucernensium Civitatis sigillo secreto communitæ, III. Calend. Januarii An. MDLXXXV.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimi ac devotissimi filii
SCULTETI, AMMANI ET SENATUS SEPTEM CANTONUM HELVETIORUM CATHOLICORUM, VID. LUCERNÆ, URANIÆ, SVITIÆ, SUBSYLVANIÆ, TUGII, FRIBURGI ET SOLODORI.

Verum enimvero res catholica gravem tulit jacturam, quum sanctissimus vir ille Carolus Borromæus e vita cessit. Hic tamen decumbens providerat de Ambrosio Fornerio, quo a secretis utebatur, spectatissimo (ut par erat) viro ad eos Helvetios mittendo, qui suam vicem obtineret. Itaque hi apud Cardinalem Comensem de illo ad se destinato homine valde lætantur. (*)

(*) Helvetia Vol. I. fol. 123.

Reverendissime in Christo Pater, Illustrissimeque Princeps ac Domine Gratiosissime.

Illmæ et Rmæ Dominationi Vestræ officia nostra offerimus quæque promptissima.

« Sanctissimi Domini Nostri literas nuper ad nos de negotiis apud Rhætos concurrentibus datas, Ambrosius ille Fornerius Helvetius, Illustrissimi quondam Domini D. Cardinalis Borromei piæ memoriæ familiaris, fideliter et ad tempus opportunum, utpote quo conventus nostri Thermipoli tum celebrabatur, ad nos consignavit, ad quas etiam ipsi Pontifici, sicuti par est et quantum res ipsa exigit, respondimus. Noluimus autem Illmam et Rmam Dominationem Vestram ignorare, dictum Ambrosium nobis commendatissimum et dignum esse, ut ab omnibus bonis et præsertim Catholicæ Ecclesiæ Præpositis ametur et amplectatur, tum propter ipsius probitatem singularemque zelum in juvandis et promovendis iis, quæ ad Ecclesiam et fidem Catholicam spectant, tum etiam raram diligentiam atque industriam, quam in talibus jam ab aliquibus annis, et præsertim anno præterito ob Rhæticos istos tumultus ab ipso Illustrissimo Domino Cardinale missus, penes nos et alios hinc inde graviter et fideliter, etiam in secretioribus admissus, præstitit. Condignum itaque ac æquitati convenire judicantes Illmæ et Rmæ D. V. talia insinuare, præfatum Ambrosium illi multum commendamus. Et in cæteris huic Sanctæ Sedi nec non Illmæ et Rmæ D. V. omnem operam nostram, animosque paratissimos reverenter et devote offerimus et pollicemur, summum interim cœli et terræ factorem rogantes, ut Illmam et Rmam D. V. in Ecclesiæ suæ splendorem atque emolumentum quam diutissime conservet. Datæ nostroque omnium nomine sub amantissimorum et antiquorum confœderatorum nostrorum Lucernensium Civitatis sigillo secreto communitæ, 4. Cal. Januarii 1585.

Illmæ ac Rmæ D. V.

Obsequentissimi
SCULTETI, AMMANI ET SENATUS SEPTEM CANTONUM HELVETIORUM CATHOLICORUM, VIDELICET LUCERNÆ, URANIÆ, SVITIÆ, SUBSILVANIÆ, TUGII, FRIBURGI ET SOLODORI.

LVIII. — Oratores septem Catholicorum pagorum Lugani ad comitia convenientes, Pontificem per Archipresbyterum S. Laurentii, qui fuerat Collegii Germanici alumnus, adiverunt, precibus humilibus petentes, ut parochis pagi Luganensis, qui ardua et aspera montium juga incolebant, permitteret bina sacra alia alibi diebus festis facere. Ita iis ad illorum Christianorum commodum Episcopum Comensem ante indulsisse: quod vero eam facultatem Episcopus Vercellensis Nuntius Apostolicus iisdem interdixerit, magno Religionis apud rudes illos homines detrimento vertere. Deinde orant obsecrantque, ut non illis modo facultas ea fieret, sed parochis etiam aliis ejusdem Diœceseos fines Helveticos incolentibus. (*)

(*) Helvetia Vol. I. fol. 121.

Sanctissimo D. Gregorio XIII. Pontifici Maximo, Domino Nostro Reverendissimo.

Beatissime Pater ac Dñe noster Rmẽ.

« Solebat Rmus Dominus Episcopus Comensis in sua Diœcesi nonnullis Parochis ac Cappellanis, in diversis Ecclesiis in summitatibus montium constitutis, viis præcipitosis, difficillimis intermediantibus, propter incolarum egestatem et paupertatem Cappellanum proprium minime sustinere valentium, qui Deo sacrificium pro populo diebus festivis offerat, duobus in locis duo sacra celebrandi facultatem elargiri; idque hactenus pauperum necessitati, sacerdotum penuriæ, locorum incommoditati condonatum fuit: verum nuper Rmi D. D. Episcopi Vercellensis Nuncii et visitatoris Apostolici decreto generali hujusmodi concessionibus Ordinarii derogatum fuit, sicque Missæ hujusmodi duplices e medio sublatæ, devotis subditis nostris magnum salutis tum vitæ, (multi enim senes, ægroti, mulieres ac pueri ea loca incolunt,) tum etiam devotionis decrementum afferre videntur. Quamobrem tribus abhinc circiter annis, instantibus devotis nostræ Jurisdictionis Luganensis subditis, ad Sanctitatem Vram duos ejusmodi Jurisdictionis concives nostris cum commendatitiis literis delegavimus, qui etiam gratiose a Sanctitate Vestra admissi gratiam desideratam pro Jurisdictione Lugani obtinuerunt. Cæterum sperabamus, facultatem tandem Rmo Episcopo Comensi in ea parte concessam, ad omnes partes Episcopatus Comensis nostræ Jurisdictionis temporalis extendi; et is Rmus Ordinarius asserit, eam auctoritatem illi concessam esse solum in supradicta

Jurisdictione Lugani nostra. Quod advertentes devoti fideles nostri subditi Jurisdictionis Locarnensis, Vallis Madiæ, Lusernoni, Gambaregnii, Bellizonæ et Mendrisii, ad nos tanquam eorum naturales patronos fidei Catholicæ ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ defensores ac propugnatores confugere, quatenus nostro ac eorum nomine ad Sanctitatem Vestram aliquem fide dignum delegaremus, qui coram Sanctitati Vestræ miseriam ac necessitatem eorundem locorum exponeret, qui etiam in gratia hujusmodi obtinenda apud Sanctitatem Vestram valeret. Nos vero eorum justæ petitioni annuentes, maturo super re tam gravi habito consilio, certaque de præmissis habita notitia, latorem præsentium, Reverendum SS. Theologiæ Doctorem D. Alexandrum a Lacu, Ecclesiæ Divi Laurentii Lugani Archipresbyterum, Sanctitatis Vestræ in Collegio Germanico Urbis olim alumnum, virum probum, fidelem, eruditum, bonæ vocis ac famæ, de Ecclesia Catholica benemeritum, ad Sanctitatem Vestram delegare ac mittere statuimus, qui hoc idem iter propter alia quædam negocia sua intendebat; rogantes Sanctitatem Vestram, quatenus eidem indubiam fidem ac nobismetipsis super præmissis, necnon super aliis quibusdam rebus statum ac beneficia ejus concernentibus, adhibere dignetur; promittentes Sanctitati Vestræ quicquid eidem Reverendo Archipresbytero gratiæ ac favoris contulerit, id Illmis Dominis nostris ac unicuique nostrum tanquam elargitum collatumque suscipiemus. Cæterum Sanctitati Vestræ salutem in Domino precamur. Datæ Lugani sub sigillo et subscriptione fidelis Sebastiani a Berlingen Secretarii jurati, die 19. Octobris 1584.

Beatitudinis Vestræ ad pedes

Humillimi ac devotissimi servi
NUNCII ET ORATORES SEPTEM CANTONORUM CATHOLICORUM HELVETICÆ REIPUBLICÆ, LUCERNÆ, URANIÆ, SVYTII, SILVANIÆ, TUGII, FRIBURGI AC SOLETTÆ, LUGANI CONGREGATI.

Sebastianus Berlingerus Uriensis.

LIX. — Jam vero Polonia nos vocat, quæ longe graviorem disserendi materiam huc anno datura est, tum de Ecclesiastica jurisdictione, cujus causa non minus a Clericis inter se, quam cum laicis certatum est; tum de solutione decimarum, quibus vel ab Catholicæ in Polonia religionis initiis plerique Ecclesiæ census constabant. Non parvæ imprimis controversiæ exortæ sunt inter Episcopos et Cœnobiarchas de electione Prælaturum, qui iis cœnobiis præficerentur. Ex constitutionibus synodalibus a Sede Apostolica confirmatis Episcopus, vel si minus ei commodum esset, aliquis alius ejus nomine Cœnobiarchis eligendis interesse debebat, quo tumultuosis, iniquis, vel minus honestis electionibus omnis occasio præcluderetur, quod sæpenumero cum Ecclesiæ dignitatis jactura intercidebat. Id incommodi hoc anno injectum est Vægrovicensi et Olivensi Abbatiis, quibus, auctoritate Episcoporum contempta, scelestissimi homines impositi fuerunt. Præsules igitur ad Cardinalem Bolognettum confugerunt, ut Monachorum vel audacia vel impudentia pro potestate coerceretur. Ita Archiepiscopus Gnesnensis. [*]

[*] Polonia Vol. 21. fol. 26.

Illmo ac Rmo Domino meo Domino Alberto Bologneto S. R. E. Cardinali, S. Sedis Apostolicæ in Polonia Legato.

Illme ac Rme Domine.

« Antiquissima consuetudine apud nos receptum est, et constitutionibus Ecclesiasticis Provinciæ hujus per Sanctam Sedem Apostolicam confirmatis sancitum, ut occurrente alicujus Monasterii vacatione, locorum Ordinarii, in quorum Diœcesibus Monasteria illa sita sunt, pro die futuri Abbatis aut Præpositi electioni indicta vel ipsi per se eidem intersint, vel suas vices aliquibus demandent. Nunc vero in Archidiœcesi mea, vacante Abbatia Vægrovecensi, Abbas Olivensis privata authoritate, non admissis iis, quibus id negocii dederam, ut meo nomine interessent, conventu in suam sententiam adducto, et bonis Abbatiæ distractis, renunciavit Abbatem quemdam Zaiaczkowski, hominem nec religiosum, neque sacris initiatum, imo propter judicia sanguinis, quæ in arce Posnaniensi aliquot annis Vicecapitaneum agens exercuit, nec ordinum sacrorum capacem: eo nimirum consilio, ut Nuncium quidem Regiæ Majestatis (quæ ad ejusmodi dignitates conventibus aliquem benemeritum commendare solet) anteverteret, auctoritatem vero meam Ordinariam prorsus eluderet. Ego itaque ut jus meum et Ecclesiæ meæ tuear, (nam ejus Monasterii pro Collegio convertendi antecessor meus a Domino olim Rege Sigismundo Augusto obtinuit facultatem, quemadmodum ex adjuncto Privilegii exemplo Illma Dominatio Vestra intelliget) Vægrovecium proficiscor. Illmam autem Dominationem Vestram etiam atque etiam rogo, ut operam et auctoritatem suam apud Regiam Majestatem interponat, ut hoc meum jus et Ecclesiæ sartum tectum esse velit, neque approbandæ ejusmodi electionis consilium suscipiat. Quod quidem Illmam Dominationem Vestram facturam quoniam plane confido, pluribus in ea roganda verbis non utar. Deum tantum Opt. precor, ut Illmam Dominationem Vestram diutissime servet incolumem.

« Jam dudum Abbas Olivensis turbat ista Monasteria, turbabitque, nisi obviam illius audaciæ eamus. Quare rogo Dominationem Vram Illustrissimam, ut contra illum procedendi vigore Legationis suæ auctoritatem det in Diœcesi mea

Reverendis Dominis Joanni Ginasdowski Abbati Mogilnensi, nominato Episcopo Theodosiensi et Suffraganeo meo, Sebastiano Brzozowski Decano, et Jacobo Vozonieczki Canonico Gnesnensi, Præposito Infulato Gieranoviensi; hac adjecta in commissione clausula, ut si exemptionibus aliquibus se tueri voluerit, tanquam contra Sedi Apostolicæ inobedientem et rebellem procedatur. Si una hæc nobis non successerit, alteram commissionem eadem de re in personam Rñi Dñi Episcopi Wladislaviensis tamquam illius Ordinarii mihi mittat, rogo.

Illñæ ac Rñæ Dominationis Vestræ

Deditissimus et addictissimus

STANISLAUS CARNCOVIUS ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS.

Multo sunt acerbiora, quæ de Monachis conqueritur Episcopus Vladislaviensis. [*]

[*] Polonia Vol. 21. fol. 161.

Illño ac Rño Domino Dño Alberto Bolognetto S. R. E. Cardinali, Episcopatus Vassanensis Administratori perpetuo, ad Regnum Poloniæ Sñi Domini Nostri Nuntio, Domino Suo Observandissimo.

Illñe ac Rñe Domine.

« Illñam Dominationem Vestram intellexisse arbitror, in constitutionibus nostris provincialibus a moderno Pontifice confirmatis sancitum esse, ut Abbatum electionibus Ordinarii intersint; quo nimirum Monachorum simplicitas adjuta, non ita facile per astutorum hominum practicas, quibus hoc sæculum plus satis abundat, circumveniatur. Verum ipsi Monachi in suam et religionis perniciem jam conspirasse videntur: ut nempe rejectis Rege legitimo Monasteriorum Protectore et patrono ac Ordinariis, advocatis sæcularibus, etiam hæreticis, electiones suas temere ac tumultuarie instituant et peragant; inter alia recentissima hujus rei exempla in Monasterio Olivensi Diœcesis meæ hoc idem jam accidit, mortuo enim Abbate, et die electionis sine ordine constituto, eademque celebrata commissarium meum juxta constitutionem Provincialem, cujus exemplar ad Illñam Dominationem Vestram mitto, eo ablegatum admittere noluerunt, parumque abfuit, ne a satellibus eo convocatis ejusdem famulus (ut interim reliquas insolentias taceam) enecaretur. Indignum sane videtur, simplicium Monachorum imperitia Monasteria ac disciplinam Monasticam pessum ire, eorumdemque temeritate jura Regum et Episcoporum de facto violari. Proinde vis vi, ac factum facto repellenda ac reprimenda potius quibusdam videntur, quam ut hac Monachorum licentia in Monasteriorum et Regularis disciplinæ interitum Regis ac Ordinariorum jura lædantur; verum commodius rem hanc geri posse existimarem, si bonis istis Monachis inter cætera exemptionis quoque asylum, quo se etiam in non recte factis tutos sperare videntur, præcluderetur; id quod facile fieret, si Illña Dominatio Vestra authoritate Apostolica ad factam electionem revidendam, recognoscendam, et pro causæ meritis judicandam per commissionem simul mihi adfuerit. Atque his Illñam Dominationem Vestram recte valere cupio. Datum in Racziasz 26. Aprilis 1584.

Illñæ ac Rñæ Dominationis Vestræ

Observantissimus

HIERONIMUS ROZRAZEWSKI EPISCOPUS WLADISLAVIENSIS ET POMESANIÆ.

LX.—Leopoliensis Archiepiscopus Pontifici per litteras, ac per Nuncium se excusat, quod ad Apostolorum limina, ut maxime cupiat, accedere non possit: impediri enim se primum ab turpi quodam fœdere in Cleri damnum inito; tum ab regni Procerum dissentientibus inter se voluntatibus; deinde ab metu renovandi cum Turcis bellum; denique etiam quod Archiepiscopatus sui rationem litibus et controversiis obnoxiam acceperit. Addit porro se Synodum provincialem suorum Episcoporum admonitu indicturum. [*]

[*] Germania Vol. 89 fol. 170

Sanctissimo Domino Nostro.

Sanctissime et Beatissime Pater.

« Postquam me Sanctitas Vestra ante annum, et jam prope alterum, Archiepiscopum Leopoliensem renunciare dignata est, inter cætera officii mei debita peregrinationem, ad visenda limina Sanctorum Apostolorum in Urbe intra biennium, mihi etiam injunxit. Etiamsi autem nulla obligatio accessisset, incredibile hoc studium, ac nescio an non unicum fuit desiderium meum, ut limina Sanctorum Apostolorum viserem, pedesque beatos Sanctitatis Vestræ exoscularer. Verum cum et annus tempusque præscriptum instet, et multa sint impedimenta, quominus et Sanctitatis Vestræ mandato et desiderio meo satisfacere possim, pro fide mea ac officii mei debito faciendum mihi putavi, ut eorum impedimentorum Sanctitatem Vestram certiorem redderem. Ea sunt tempora et is status Reipublicæ nostræ, atque in ea Religionis Catholicæ ac Ecclesiarum, ut hoc tempore a regno et patria nostra abesse vix videatur, mihi integrum esse: in primis propter confœderationem illam tam fœdam, quæ invito et reclamante Clero, cum sit tanquam quidam Astaroth erecta, dum illi a nobis in omnibus actibus publicis et privatis, uti expedit, constanter contradicitur, ex illa dira omnia consilia et tela venenata in Ecclesiasticum ordinem erumpere solent, quibus et plerique viri politici Catholici adblandiri, et non obscure favere solent; eo magis perniciosi, quo magis domestici: deinde propter dissensiones procerum Regni, quæ temporum malignitate, ac communi quodam Regni peccato exoriuntur; quæ nisi eorum diligentia et studio, qui primas in Republica obtinent, ad modera-

tionem aliquam revocentur, valde verendum est, ne gravior aliqua perturbatio in Republica sequatur; statu autem Reipublicæ statione sua dimoto ac convulso, neque Ecclesiæ statum tueri ac conservare facile possemus. Cæterum; statim ingressus Archiepiscopatum hunc synodum meæ Archidiœceseos celebravi; hoc anno provincialis indicenda erit, cujus rei sum a meis Episcopis nunc in convocatione Regni Lublini facta admonitus. Præterea, Archiepiscopatum fere totum litibus et limitibus controversis plenum reperi, dum oves verbo et sacramentis pascimus, neque iis exterioribus deesse pro fide nostra debemus. In multis forma judiciorum et Tribunalium Regni mutata est, advigilandum est profecto, ne absentibus nobis, Clerus, qui eam pridem jurisdictionem amisit, et de jure communi, in quo de injuriis suis agat, periclitetur. Postremo, pax cum Turca nobis jam anceps est, jamque hoc anno violari cœpit, cujus arma et impetus cum nobis in Russiæ terris ante omnes immineant, in tantis periculis a pastore oves deseri vix honestum est. Non allego proventuum meorum tenuitatem: Dominus qui ad munus hoc vocavit, ille pascit, ille et Romam in conspectu Sanctitatis Vestræ venientem sustentare poterit. Humillime igitur Sanctitati Vestræ supplico, ut me a jurejurando in eam peregrinationem, alioquin mihi cupitam et desideratam, præstito, facere id omnibus votis, ubi primum licuerit, desiderantem, clementissime absolvere, meque sua clementia et gratia paterna complecti dignetur. Quod autem nuncius hic noster fusius exponet, in eo ut illi fidem habeat Sanctitas Vestra, obnixe precor. Humillime osculor beatos pedes Sanctitatis Vīæ, ipsamque diutissime Sanctæ Ecclesiæ Dei Catholicæ superesse maxime opto. Leopoli 4. Septembris 1584.

Sanctitatis Vestræ

Servus et Capellanus humillimus
JOANNES DEMETRIUS SOLIKOWSKI
ARCHIEPISCOPUS LEOPOLIENSIS.

Idem Archiepiscopus maxima in expectatione erat, quid ab Romana Sede ad sua postulata responderetur. Eam ob rem Cardinali Comensi negotia Cleri sui commendavit: in quibus et illud erat de pluralitate beneficiorum permittenda. Quam quidem ab Archiepiscopo facultatem cum in synodo Archidiœcesana, ubi Concilii Tridentini decreta recepta sunt, nonnulli e suo Clero expetiissent, respondit, non esse id suæ potestatis; acquieturum tamen eorum petitioni, intercedente S. Sedis auctoritate. Petiit denique ab eo, ut oratorem, quem mitteret ad Pontificem, sua gratia complecteretur. [*]

[*] Germania Vol. 80. fol. 100.

Illustrissimo et Reverendissimo in Christo Patri, Domino meo Colendissimo, Domino Cardinali Comensi.

Illm̃e ac Rm̃e in Christo Pater et Domine, Domine et Patrone Colendissime.

« Fecit mihi spem Illm̃us Dominus Cardinalis Bolognetus, fore, ut brevi a Sanctissimo Dño Nostro clementissimam ad mea postulata resolutionem accipiam, et id quidem ex Illm̃æ et Rm̃æ Dominationis Vestræ literis se accepisse, quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit eam provinciam tenenti, quæ extremo margine suo, Constantinopolim usque, aut nullos jam, aut schismaticos tantum Christianos habet. Non priusquam exoptatissimam mihi resolutionem accepero, aliud nihil scribo Illm̃æ et Rm̃æ Paternitati Vestræ, tantum negotia cleri mei hujus provinciæ Russiæ commendo, quæ quidem frater hic noster Canonicus Leopoliensis Illm̃æ et Rm̃æ Paternitati exponet. Agitur de pluralitate beneficiorum curatorum et non curatorum dispensanda. Confugerant hic quidem ad me in synodo Archidiœcesana, in qua hoc anno celebrata SS. Tridentini Concilii decreta susceperunt, ut ne nimis rigide cum illis occasione ejus pluralitatis agerem. Ostendi me nihil posse authoritate privata; sed si mihi S. Sedis Apostolicæ dispensationes exhiberent, me postulationibus eorum acquieturum esse. Dederunt hoc jam negocii huic confratri suo Domino Bartolomeo Wargoczki. Hunc ego Illm̃æ et Rm̃æ Dominationi Vestræ commendo, una cum negotiis cleri mei. Longe hic res est alia, quam in aliis partibus hujus regni, securiore loco consistentibus: Russia enim vicina cum sit Tartaris et Scythis, Valachis et Moldavis, ac Turcis ipsis, crebris incursionibus obnoxia; domi semper militem alit. Quæ res facit, ut sacerdotes magno cum labore acquiramus, et difficulter retineamus: in quos si ad amussim animadvertamus, sine dubio pauciores habituri sumus. Clementia igitur Suæ Sanctitatis et Celsitudinis Vestræ patrocinio opus est, cui me meosque omnes quam diligentissime commendo, et Deum Opt. Max. pro fœlici et diuturna valetudine et successibus Illm̃æ et Rm̃æ D. V. precor. Leopoli 3. Septembris 1584.

Illm̃æ ac Rm̃æ Celsitudinis Vestræ

Deditissimus servitor et cliens
JOANNES DEMETRIUS SOLIKOWSKI
ARCHIEPISCOPUS LEOPOLIENSIS.

LXI. — Omnium animos, accensis partium studiis, valde sollicitos habebant proxima regni Comitia, in Octobrem Varsoviæ indicta. In his enim illa controversia erat in ultimam ventura dimicationem, quæ ad jurisdictionem Ecclesiasticam ejusque limites spectabat; quæque jam superioribus annis multis querimoniis ultro citroque jactatis Episcopos inter et laicos Proceres agitata fuerat. En præcipua capita, quibus Episcoporum in causis cognoscendis jura continerentur, a Primoribus in Comitiis proposita. [*]

[*] Polonia Vol. 21. fol. 132.

Articuli modum explicantes, quo cum Dñis Spiritualibus in eadem juris forma consentire volumus.

1. Homines seculares, ii præsertim, qui ad Romanam Ecclesiam non pertinent, ad judicium spirituale non vocentur, idque tam in causis possessionum, quam in aliis spiritualium judicio subjacentibus. Ruthenos enim et alios itidem Domini spirituales judicare non possunt.

2. Terrestres et Castrenses magistratus Decreta a Dominis spiritualibus contra sæculares lata, sub pœna in statuto expressa executioni mandare debebunt, si tamen illi contra homines jurisdictioni Romanæ Ecclesiæ subjectos sententiam dixerint, idque in iis tantum rebus, quas præsens statutum concedit.

3. Securitati Nuntiorum, qui in spiritualium judiciorum negotiis mittentur, provisum eo modo volumus, quo et Nuntiis Regiæ Majestatis est cautio.

4. Concedimus ut Domini Episcopi, vel per se ipsos, vel per alios, quibus id muneris dederint, contra spirituales de rebus terrestribus juxta jus terrestre procedant, si qui fortasse ipsorum cuipiam sæcularium graves aut iniqui fuerint.

5. Citationes et aliæ actiones omnes a Dominis spiritualibus characteribus Ruthenicis scriptæ extradantur, porrigantur a ministris terrestribus.

6. Appellatio a Dominis Episcopis ad Tribunal fiat eo modo et ordine, qui in Polonia servatur.

7. Si Domini spirituales contra aliquem eorum, qui se Romanæ fidei sectatores esse profitentur, Decretum in causis spiritualibus protulerunt, Seniores is et Majores suos appellare poterit: quod si aliquæ controversiæ de rebus sæcularibus oriantur, omnes hic finiri ac decidi debent.

8. Declarandæ insuper coram Terrestri et Castrensi magistratu cujuslibet injuriæ liberam omni statui concedimus potestatem.

9. Cum inter spirituales et sæculares aliqua ratione limitum emerserit disceptatio, sumantur ex utraque parte Commissarii, mittantur a Regia Majestate utrinque sub æquali numero.

10. Si inter spirituales et sæculares bonorum aut fundorum occasione lis exorta fuerit, jus et causam suam juramento confirmáre debent, prout etiam sæculares faciunt.

His quæ sequuntur Rex manu quidem sua adscripsit. [*]

[*] Polonia Vol. 21. fol. 134.

1. In causis ad judicium spirituale pertinentibus, præcipue circa matrimonium, Dñi spirituales non debent judicare illos, qui non consentiunt cum Ecclesia Catholica Romana, excepto si unus ex conjugatis esset religionis Catholicæ, quia Romani juxta veterem usum judicare debent Catholicos.

2. Officium Castrense et Terrestre in causis judicatis a Dominis Ecclesiasticis tenebitur facere executionem in causis, et personis subjectis judicio Ecclesiastico sub pœnis ut in statuto.

3. Non reprebendimus de securitate præstanda nuntiis sive ministerialibus.

4. Probamus, quod Episcopus debet judicare Ecclesiasticum, qui fecerit injuriam sæculari, tamen in causis fundi judicare debet jure terrestri.

5. Dentur citationes Ruthenicæ.

6. Appellatio ab Episcopis ad Tribunal deferatur modo indicato, videlicet quia propter paucitatem idoneorum hominum, et inopiam Ecclesiasticorum non possunt illi mitti ad diversa Tribunalia, bonum esset, quod hic Vilnæ tribus vel quatuor Ecclesiasticis adderentur totidem sæculares, ad quos deferretur appellatio ab Episcopo: si in votis non erunt concordes, ad Regem devolvatur appellatio.

7. Videtur parum esse necessarium, quia in primo et secundo satis est declaratum.

8. Probatur de protestationibus ubique acceptandis.

9. Controversiam limitum vel antiquo more vel ea ratione, quæ in bonis Regiis hoc tempore servatur, definire debent.

10. De juramento ex parte bonorum spiritualium servetur antiquus mos.

LXII. — Rex præterea e re esse duxit ab Episcopis efflagitare, ut in componendis Cleri cum Republica rationibus, quantum fieri per Canones posset, de jure suo remitterent, ne quid in utriusque discrimen offenderent. [*]

[*] Polonia Vol. 21. fol. 119.

« Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ etc. Princeps Transilvaniæ.

« Illñs ac Rñde in Christo Pater, sincere nobis dilecte. Quemadmodum coram oretenus admonuimus Paternitatem Vestram, ut facilem sese præbeat, ad ineundam aliquam compositionem inter Clerum et Rempublicam, quatenus id fieri poterit, citra status spiritualium præjuditium, ita et hisce litteris nostris illam repetita vice eo nomine admonere voluimus. Verendum alioqui esse videmus, nisi Clerus ad aliquam compositionem cum Ordinibus cæteris accesserit, ne res hæc Clerum quidem primum in minus necessarias difficultates conjiciat, et demum in Republica magnum aliquod malum et periculum pariat. Hæc igitur res Paternitatis Vfæ curæ cordique sit, quemadmodum esse debet. Bene feliciterque valeat. Datum Grodnæ die decimanona Januarii, anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, Regni nostri octavo.

LXIII. — Cardinalis Bolognettus ex Polonia

Romam prope rediturus, ab Episcopis edoctus, quantum in illis Comitiis Ecclesiæ discrimen verteretur, iter in aliud tempus distulit. Quum Rex interea mense Augusto regni Proceres Lublinum advocasset, ut cum iis de rebus in proximis generalibus Comitiis deliberandis consilia communicaret: Cardinalis Bolognettus vehementissime Episcopos commonuit, ut quam possent frequentissimi huic conventui interessent: si qui autem quominus illuc accederent, impedimento aliquo tenerentur, saltem ipsi referrent, quid eorum esset consilii ad Ecclesiam in tam difficili tempore tuendam. Disceptanda enim erat illa satis implicita et diuturna de solutione decimarum controversia, in qua non solum ob hæreticorum, sed etiam ob Catholicorum quorundam cupiditatem nonnihil erat metuendum. Quare eidem Cardinali visum est, Episcopos sua etiam prudentia esse muniendos, commonendosque, ne intemperanti ex Nobilitate hominum arrogantiæ cederent; atque Lublinum Ecclesiæ causam acturi se conferrent. In tantis vero motibus res versabatur, tam hominum iracundia exardescebat, ut Archiepiscopus Gnesnensis, qui primum locum in Poloniæ Clero obtinebat, consultius sibi fore ab eo conventu abesse, Bolognetto scripserit. [*]

[*] Polonia Vol. 21. fol. 338

Illustrissimo ac Reverendissimo Domino meo Observandissimo, Dño Alberto Bolognetto Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Legato Apostolico.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

« Reverendus Dominus Jacobus Voroniecki, designatus Episcopus Kyoviensis, reddidit mihi litteras Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationis Vtæ, plenas amoris et singularis propensionis erga me. Quo nomine maximas Illñæ ac Reverendissimæ Dominationi ago et habeo gratias. Absentiæ meæ a Conventu Lublinensi multæ sunt causæ, et eæ gravissimæ, quas Gaulovius referet Illñæ ac Reverendissimæ Dominationi Vtæ. Expedit Regiæ Majestati et Regno, ut ne me hoc tempore hisce motibus immisceam, et me reservem tempori magis necessario, donec furor populi mitescat. Mittendus est sanguis invidiæ. Porro nihil magis hoc tempore optavi, quam videre Illustrissimam ac Reverendissimam Dominationem Vtam, cum qua multa mihi erant communicanda. Sed quid faciam? Usurpabo illa Sancti Laurentii verba: Pater, cur me deseris? Ego enim Illustrissimam ac Reverendissimam Dominationem Vestram, uti filius patrem, semper colui, observavi et veneratus sum, non solum mea, sed Ecclesiæ Dei causa, cujus propugnatorem acerrimum semper expertus sum. Deum igitur Optimum precor et precabor, ut illi hoc iter prosperum faciat, ut bene sana et incolumis ad suos redeat, et nostri memor sit. Ego certe perpetuam memoriam Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationis Vtæ apud me conservabo, nec mihi eam eripi patiar donec vixero. Cujus amori iterum atque iterum me diligentissime commendo. Datum Lovicii die 12 Augusti 1584.

Illñæ ac Rñæ Dominationis Vtæ.

Devotissimus frater et servitor
STANISLAUS CARNCOVIUS
ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS MANU SUA.

LXIV. — Cardinalis jam antea Episcopos commonefecerat, ut in sua quisque Diœcesi ad opem Divinam implorandam publicas supplicationes indicerent: nunc vero quo nihil ne humanæ quidem opis prætermitteretur, caverent, ut qui a populo in singolis provinciarum Conventibus electi, rerum publicarum ad ea Comitia curatores mitterentur, ii essent, qui æque dicendi copia ac pietate, et in Ecclesiam Catholicam studio præstarent. Iisdem præterea mandavit, ut per encyclicas litteras commissas sibi plebes de gravissimo hoc negotio edocerent. En litteras Præsulis Cracoviensis, ex quibus cognosces tristissimam rerum Ecclesiasticarum in Polonia conditionem. [*]

[*] Polonia Vol. 21 fol. 185

Illño et Rño in Christo Patri et Dño Dño Alberto Bologneti S. R. E. Cardinali et Episcopo Massæ, et S. D. N. ad Regem Serenissimum Poloniæ de Latere Legato etc. Domino et Amico Obserño.

Illñe et Rñe Domine. Dñe Obserñe.

« Accepi litteras Illñæ et Rñæ Dominationis Vtæ, quibus requirit meam sententiam de compositione inter Clerum et Equestrem ordinem Regni Poloniæ, et qua ratione aggrediendum sit hoc negotium in proximo Regni Conventu: qua in re agnosco, quemadmodum in cæteris rebus, quæ spectant ad Ecclesiam Dei, et ad propagandum divini Numinis cultum, singularem ejus sollicitudinem et vigilantiam, et quanquam ego in hac rerum perturbatione non satis perspicio, quæ via nobis potissimum sit ingredienda, neque sum is, ex cujus consilio ad singularem Illñæ Dominationis Vtæ prudentiam, et in rebus gerendis dexteritatem aliquid accedere possit, tamen ut voluntati ejus paream, scribam quod sentio.

« Jam inde ab initio, cum primum compositionis mentio facta esset in Senatu, vehementer dubitabam, ne ea res ex industria tractaretur ab inimicis Ecclesiæ ad opprimendas Cleri reliquias: videbam enim hoc unum illos vehementer spectasse, ut res in longius tempus extraheretur, quo possint factiones suas magis atque magis confirmare: itaque quantum in me fuit, vehementer obstiti, ne id fieret, quod etiam cæteri Rñi Episcopi sedulo fecerunt; sed quominus id obtineri potuerit, in causa fuerunt importuni conatus et vociferationes adversariorum: quamquam autem Regia Majestas pro sua clementia et singulari pietate in Ecclesiam Dei vehementer propensa erat causæ nostræ, tamen propter importunam

instantiam adversariorum, et quod tunc bellum Moschoviticum instaret, ad quod gerendum Majestas Regia vehementer properabat, nihil aliud tunc obtineri potuit, nisi quod res tota in proximum Conventum Regni delata fuit: id quod etiam postea in cæteris Conventibus factum fuit; quod enim exemplo fit, jure quodam fieri clamitabant. Nunc quid Illma Dominatio Vra censet, ut in minoribus Conventibus, qui generalem Conventum antecedent, aliqua nobis præsidia comparemus ad reprimendos temerarios conatus adversariorum, faciam ego quidem id sedulo, quemadmodum et ego et cæteri Rmi Episcopi in omnibus particularibus Conventibus facere solent, et publice et privatim cum iis, quos nostræ causæ favere intelligimus; sed in hoc negotio compositionis sciat Illma Dominatio Vra, non minus a Catholicis, imo fortasse magis quam ab hæreticis nos oppugnari, neque id novum est in Regno Poloniæ; nam antea multis retroactis annis, cum adhuc hæreseos odiosissimum esset nomen in Polonia, fuerunt multæ controversiæ inter Clerum et Nobilitatem de decimis, et præterea compositiones de ea re factæ, quæ tamen propter quorundam inexplicabilem habendi cupiditatem numquam sunt ea fide observatæ, ut Clero satisfieret. Meum tamen hoc tempore studium in Ecclesiam Dei, et in generali et in particularibus Conventibus, nulla ex parte deerit; quamquam imminere nunc nescio quid videtur, quod non modo rebus nostris, verum etiam omnibus publicis negotiis aliquam perturbationem portendere videtur; sed hæc Deus viderit, nos officio nostro non deerimus. Commendo me et obsequia mea Illmæ Dominationi Vræ, quam bene ac prospere valere, omniaque illi ex animo cedere precor ex animo. Datum Bodzantini XVIII. Octobris MDLXXXIII.

Illmæ Dominationis Vræ

Servitor addictissimus

PETRUS MISKOWSKI EPISCOPUS CRACOVIENSIS.

LXV. — Atque hinc non erit abs re afferre, quæ Stephanus Rex Nuncio suo præscripsit pro illo Conventu, quo omnes Provinciæ Status erant conventuri. Ex iis enim cognosces, per quos homines, quibus de causis, qua via pacatæ regni res miscerentur: simulque Regis lenitatem, prudentiam, perpetuam æque cum sibi subjectis, atque cum exteris nationibus retinendi juris voluntatem; cupidissimum denique animum Reipublicæ Ordines pace inter se conjungendi. [*]

[*] Polonia Vol. 34. fol. 487.

Instructio ad Conventum Districtus Cirscensis.

« Nuncius noster, veniens in eum locum, in quo omnes Status in hoc supradicto Conventu congregati fuerint, delata illis Regia nostra gratia, in hæc verba loquetur.

« Quemadmodum hoc toto sui regiminis tempore nihil Regia Majestas omittere, aut etiam negligere voluit, quod ad incolumitatem, pacem et ordinem ipsius nostræ Reipublicæ pertineret, quodque ipsam securam, celebrem atque exteris nationibus acceptam efficeret; ita nunc etiam illa eadem procurare non cessat. Cupit sane statum ipsius et omnium vestrum quam felicissimum, cupit diuturnum et libertate florentem videre; ad idque semper curas suas omnes atque consilia refert, quod veluti scopum quemdam contentionum atque laborum suorum sibi proposuit: cujus quidem gratia non modo varios labores atque molestias, (cum ita necessitas postularet) vitæque etiam ipsius pericula libenter subivit, sed Comitia etiam, cum tempus tulisset, sæpe una vobiscum indixit, in quibus ea omnia, quæ ad confirmandam roborandamque Rempublicam valerent, statui atque decerni curavit; id quod etiam nunc facit, cum non solum generalia Comitia, sed Conventus etiam juxta consuetudinem atque leges nostras in districtibus singulis celebrandus indixit, nec indixit solum, sed ut verus parens atque amator Reipublicæ omni in id studio atque opera incumbit, ut hæc ipsa indictio felicem sortiatur exitum, vobisque omnibus fructus quam maximus afferat. Porro autem priusquam hoc ipsum aggrederetur, suos ad se Senatores convenire fecit, ut de iis omnibus cum illis tractaret, quæ ex usu Reipublicæ fore viderentur, quæque non sine commodo ipsius futuris hisce Comitiis ad omnes Regni nostri Status deferenda essent. Et quoniam Reipublicæ negotia duplicis sunt generis, ut quorum alia domi, foris alia versentur, de utroque genere, habito prius cum Dominis Senatoribus hac de re consilio, ea quæ expedire judicat, vobis tractanda proponit. Quod igitur ad externa pertinet, certe si ea quæ nobis cum Turcis atque Tartaris intercedunt, quæque sunt omnium periculosissima, attendere velimus, erit cur Deo gratias immortales agamus, qui in iis, quæ modo accidebant, tempestatibus desertam pene Rempublicam pro sua benignitate tueri, ac veluti labantem sustinere voluerit, cujus quidem, ut scitis, post absoluta præterita Comitia status iste erat. Mechmet Precopensium Imperator scripserat ad Regiam Majestatem, petens, sibi aliquam recompensationem eorum munerum a Regia Majestate fieri, quæ Nunciis ipsius, cum ex Moscovia redirent, Cosaci in Samara per vim ademerant; significans insuper, nisi ante certum quod ipse præscribebat tempus sibi satisfieret, se statim cum suo, quem jam paratum habebat, exercitu, sine mora in ditiones Regiæ Majestatis irrupturum. Hoc idem Imperator Turcarum, ejusque præcipuus eo tempore Senator Ivan Bassa fecit, qui et ipsi minaces litteras ad Regiam Majestatem miserunt. Porro Regia Majestas, ut Rempublicam ab imminenti illo periculo liberaret, licet maxima rerum omnium laboraret penuria, ad eos tamen milites, qui publico stipendio me-

rebant, ut hostiles impetus quomodo reprimeret, copias privato studio contraxit, hisque Magnificum Dominum Capitaneum Regni Generalem præfecit. Unde et alii tanta hac Regiæ Majestatis vigilantia atque solicitudine, qua securitati Reipublicæ providebat, permoti, ipsi quoque ultro, uti veros Reipublicæ filios decebat, pro virili quisque sua, strenuam operam ipsi obtulerunt, atque in primis Illustris Dux Palatinus Kyoviensis: sicque per Dei gratiam nihil hinc conatibus suis hostis noster effecit, sed re prorsus infecta a flumine Dniepr redire est coactus. Ac vix hinc quidem sopita hæc tempestas erat, cum ecce subito, multo periculosior, veluti per eadem vestigia procella occurrit. Homines enim licentiosi atque insolentes, præter Regiæ Majestatis voluntatem pacem publicam, quæ cum exteris nationibus percusso fœdere stabilita fuit, turbare cœperunt; nihilque edicta, mandata atque litteræ Regiæ Majestatis, nihil Cubiculariorum atque Aulicorum missiones, nihil universalia de reprimenda istorum audacia, ad Capitaneum loci illius incolasque etiam transmissa, unquam effecerunt, eoque est insolentiæ ab illis progressum, ut illatis terræ Valachorum damnis, factaque in ditiones Turcicas irruptione, non modo Zahorlik arcem a Turcis paulo ante extructam vastaverint, sed Teynam quoque a multo jam tempore subjectam Imperatori Turcico civitatem, in qua et judex sedem fixam habebat, ab ipsis penitus fundamentis everterint, homines ad internetionem usque deleverint, prædamque cum captivis abegerint. Quod quidem factum quam iniquo animo hostis noster tulerit, intelligere vosmetipsi potestis, certe stomachandi justam causam habuit, quantumque propterea nobis fuerit offensus, sua illa rabie ostendit, quando et æqui et suæ dignitatis oblitus, in Generosum nobilem Dominum Podlodovium Regiæ Majestatis familiarem, quique hinc a Regia Majestate negotiorum quorumdam in ditionibus ipsius curandorum gratia, eo ablegatus fuerat, manus violentas injici, eumque misere trucidari jussit. Quid vero tunc temporis Regia Majestas sibi faciendum censuit? illud videlicet quod Regem optimum decebat. Quamvis enim vitam eum sanguine profundere, propter tuendam Reipublicæ dignitatem, nunquam non esset paratus, quia tamen maximas hostis hujus vires, nostras vero e contra esse exiles videbat, curavit quam potuit diligentissime, ut exortam illam tempestatem quacumque ratione sopiret, utque tam de licentiosis illis hominibus, quam de captivis ab iisdem abductis agere quamprimum atque inquirere posset, quin et suum Nuncium ad Portam Turcicam hac in causa misit. Ecce vero Tyrannus hic, quamvis maxime irritatus esset, nihil tamen hucusque tentavit, vel certe iram suam celando ad tempus quievit, talemque hæc causa Regiæ inprimis Majestatis studio, virique etiam illius dexteritate, qui in hoc negotio insignem Reipublicæ operam navavit, sortita est exitum, qui et salute et dignitate Reipublicæ maxime conveniens esset. Postulabant Turcæ omnem sibi armaturam reddi, illosque insolentes homines juxta delictum puniri: innuebant tamen adhuc se aliquid reservare. Nam et in litteris ab ipso Imperatore ad Regiam Majestatem datis, additum hoc fuerat, quod ob eam amicitiam, quæ cum Regibus Poloniæ a multo jam tempore sibi intercedit, nihil hac vice moliri ac tentare vellet. Cæterum, si quid ejus generis, factum a nostris aliquando fuerit, non jam amplius esse mittendos Legatos, seque eo fœdere, quo nunc est obstrictus, liberatum ac solutum iri. Si qua igitur fraus vel simulatio his subest, non usquequaque tutos nos esse, sed semper vigilare oportet, idque est in primis agendum, ut in futuris Comitiis pœnas sibi debitas isti insolentes luant. Facta fuit semel ad terrendos hujusmodi homines ea de re constitutio, et quamvis ex illis nemo adhuc punitus, vel certe vix aliquis citatus fuisset, erant tamen nonnulli, qui eam non diutius, quam ad proxime post ejus institutionem secuta Comitia vim et robur obtinere vellent. Quod cum fieri homines turbulenti vident, majorem hoc pacto quidvis faciendi et audendi licentiam sibi dari credunt, jamque post hoc factum duabus vicibus recidiva fuit. Nam et cum Hospodaro nescio quo, versus Valachiam iter direxerant, quod ne facerent, Magnificus Dominus Capitaneus Braczlaviensis graviter eos admonuit, et in Turcicas postea ditiones per vim irruperunt, prædamque maximam, quam inde abegerant, nummorum aureorum duodecim millibus in nundinis quibusdam vendiderunt. Capti quidem sunt ex istis nonnulli et aliquot etiam puniti, omnes tamen infimæ conditionis et plebei erant: num vero hæc omnia soli isti perpetrent, datur ex iis intelligi, quæ antequam punirentur, palam referebant. Res ista proinde inspicienda penitus erit, omnique ratione curandum, ne ob impunitam hujusmodi licentiam, citra necessitatem omnem, sineque ullo publico consilio, et ob privatos duntaxat nonnullorum quæstus, rem cum eo hoste nostra Respublica habeat, cujus vim et impetum multæ aliæ nationes, quantumvis potentia, opibus et milite valeant, sustinere non possunt. Porro res Scythicæ in eo sunt statu: ab illo Mechmet Greio, cujus jam antea mentionem fecimus, offensus fuerat Imperator Turcarum, eo quod bellum, uti ipse jusserat, inferre Kieldebassis nollet. Quin et Regia Majestas sane in magna suspicione apud ipsum fuit, quasi cum isto Mechmet Greio clam aliquid cuderet; hæc tamen dissimulans, alteram sui exercitus partem cum quodam ex Bassis versus Caffam misit, alteram vero supra Da-

nubinm consistere jnssit: jamque Regia Majestas plane pro comperto habet, Mechmet Greium occisum esse, eique successisse fratrem ipsins nomine Aslanum Greium, qui in suis litteris, quas ad Kyoviensem Palatinnm dedit, nihil se boni in novo hoc dominio, sed omnia consumpta reperisse scribit, ac propterea valde est timendum, ne fame et rerum inopia, qua nunc maxime laborat adactus, domi sese cum suis continere nolit, idque eo magis, quo Scytharum animos in omnem penitus occasionem vastandæ ditionis Regiæ intentiores experimur, etiamsi rebus omnibus vel maxime affluant. Sane Regiæ Majestati dederat eam mentem Deus, ut jam id curare ac moliri vellet, quo nostra Respublica ab incursionibus hisce Tartaricis multo securior fore videretnr, quodque ad mucrones illorum a cervicibus atque jugulis nostrorum arcendos sane plurimum momenti haberet. Utinam vero omnes ejus mentis essemus, ut occasiones Reipublicæ salutares nunquam negligendas arbitraremur. Porro autem quam pauci nunc milites pro nostra defensione in finibus maneant, multi ex vobis, ut opinor, sciunt, cum ne pro his quidem snis temporibus haberi stipendia possint: licet enim quarta eorum proventuum pars, qui ad mensam Regiæ Majestatis pertinent, ad hunc ipsum conversa sit usum; hæc tamen non sufficit, ac si quando affertur pecunia, nna pars anni persolvitur, duæ aut tres reliquæ non solutæ manent. Qua de causa accidit, nt pressus egestate miles, quia debitum stipendium habere tam cito non potest, fratres suos molestat, subditosque ipsorum, dum victum quærere sine pecunia cogitur, gravibus injuriis premat. Curandum est igitur, nt hi nostri milites, integra semper stipendia habeant, vel certe ut postquam his solutum fuerit, tantus illorum teneatur numerus, quantum hæc quarta dictorum proventuum pars explere stipendio possit: quod num ad securitatem Reipublicæ pertineat, quisquam sapiens facile videbit. Quod vero ad Moscoviticas res attinet, significat vobis Regia Majestas decennale illud fœdus, quod duobus ab hinc annis cum Magno Moscoviæ Duce, nuper jam defuncto, et a se, cum in vivis esset, ope divina depresso pepigerat, post fata ipsius irritum ac sine vi esse. Quemadmodum enim ipse fœdus hoc nonnisi cum persona Regiæ Majestatis inire volebat, ita et Nuncii Regis nonnisi ad personam ipsius hoc idem debere extendi, nomine Regiæ Majestatis dicebant, ac propterea quid hic faciendum sit, advertatis oportet. Tempos et occasiones, ut videtis, opportunæ non desunt, nt et omnia pericula, si quæ adhuc ab illis partibus vestræ nationi imminent, procul amovere, et vires etiam majores cum auctioribus belli subsidiis, quibus ad propulsandos potentiorum hostium impetus armemini, vobis comparare possitis: estque diligenter cavendum, ne hanc ipsam occasionem alius quispiam vobis præripiat. Ille enim qui jam in locum patris defuncti successit, non omnino rationis est compos, ipsique etiam Senatores ac Nobiles inter se ut plurimum dissident, eoque jam discordiarum fuit ab illis processum, ut vix non in apertum tumultum res ista evaserit; ac mutui tamen sanguinis sane non minima facta est ab illis effusio. Non vult quidem Regia Majestas in ea re vobis persuadenda diu immorari; sed cum hoc ab ipsa præstiti juramenti religio fidesque exposcat, ut amissa recuperare, et fines Regni dilatare, si possit, non cesset; et ne forte aliqui ingratitudine nonnullorum fractam ipsam ac offensam esse, Grodnamque ob otium, ubi delitesceret, sibi delegisse putarent, sane operam et studium suum, in quantum ea usus atque rationes Reipublicæ exposcerent, sponte sua offert, neque saluti aut bellicis laboribus vult parcere, ne hanc tam commodam rei bene gerendæ occasionem neglexisse dicatur, nihilque ejusmodi subire recusat, quod ad commoda Reipublicæ et fructum spectaret. Haud equidem ignorare potestis, quænam Reipoblicæ ope imprimis Divina, et sapientissimis Regiæ Majestatis consiliis emolumenta obtigerint, quorum gratia licet vos etiam aliquot jam vicibus tributa dedistis, ea tamen Regia Majestas non in usum privatum convertit, sed ex suo potius haud parum adjunxit; id quod suo loco et tempore omnibus manifestum fiet. Totum igitur hoc negotium vestro omnium judicio atque voluntati Sua Majestas relinquit, neque partem ipsius alterutram urget, sed quomodo se res habeat, vobis dumtaxat exponit.

« Sed et Livonia quoque jam per Dei gratiam Regni fines auxit, essetque a vobis diligenter curandum, nt ibi omnia ordinate fierent, utque periculum, si quod adhuc subesset, inde tolleretur: id quod Regia Majestas in præteritis etiam Comitiis omnibus Statibus tractandum proposuit; sed quia infelicitate quadam acciderat, ut sententiis inter se variarent, jam ad illa priora pericula cumulus novorum accessit, idque a Dacorum Rege, quæ tamen omnia Regia Majestas, quantumcumque potest, amovere non cessat, vosque etiam diligenter monet, nt et vicinorum qui ibi morantur, et rerum præterea aliarum omnium curam habeatis. Sunt et alia nonnulla, quæ ad pacem cum finitimis populis firmandam, pactaque cum exteris ineunda pertinent, quæ cum tempus tulerit, in Comitiis proponentur.

« Porro expositis iis, quæ ex usu Reipoblicæ foris esse possunt, etiam illorum quæ hinc domi accidunt, quæque ad ordinem et negotia domestica attinent, rationem habet, nt quæ non minus quam illa externa, ad incolumitatem Reipublicæ diu conservandam valere intelligat. Reces-

sionum illarum, quæ in præteritis Comitiis acciderunt, rerumque etiam ipsarum, quæ in iis propositæ erant, Regia Majestas bene adhuc meminit, quarum etsi nonnullas, quas vestri Nuntii aliquando petebant, in futuris hisce Comitiis proponere voluisset: quia tamen hanc propositionem ipsius varie sugillarunt nonnulli, nihil jam hujusmodi proponere statuit. Siquid tamen ex omnibus illis, vobis et posteris vestris, totique etiam Reipublicæ fore fructuosum censueritis, ab eo se Regia Majestas minime alienam ostendet, imo et aliis idem persuadebit. Sed et Statuum compositionem diu expetitam, atque a Comitiis ad Comitia semper hucusque rejectam, non vult prætermittere, vosque etiam diligenter monet, ut ad eam animos serio applicetis. Multum siquidem Reipublicæ interesse putat, si istæ Statuum inter se dissentiones quamprimum tollantur. Verum pro suo candore illud etiam Regia Majestas dissimulare non potest, quod post absoluta præterita Comitia, orta quædam fuerit inter vos diffidentia, quasi vero Regia Majestas celebrandi Tribunalis moram penitus convellere, judiciaque omnia ad se solam pertrahere vellet. Quod quidem Regia Majestas nunquam in animo habuit, imo hæc ipsa Tribunalitia judicia sibi et vobis esse percommoda semper judicavit, tuncque etiam (ut scitis) ad hæc eadem communibus omnium suffragiis probanda, sua ad omnes Status exhortatione auctorem se præbuit. Ne ergo in posterum tale aliquid vobis persuadere, aut oculis vestris tam crassas tenebras offundi sinatis, sitisque potius hac in parte certi, quod Majestas sua neque in hisce judiciis quicquam innovari, neque ullos, propter judicia, Nobiles cum tot ipsorum incommodis aulam sequi velit: quin ita se vobis hac in re declarat, quod eas causas in aula judicari nolit, quæ ad bona Nobilium et fortunas attinent, putatque omnino causas hujus generis non ad aulam amplius, sed partim ad Terrestria Tribunalitiaque judicia, partim ad Comitia deferri debere. Quid nunc in nostra Polonia vix unquam antea apud nos auditum acciderit, jam nonnullis Senatoribus, quibus poterat, Regia Majestas exposuit, et in futuris Comitiis manifeste ostendet, in quo sane non tam vitæ suæ, quam quoque hæc causa attingit, rationem habendam, quam bono Reipublicæ existimationique hujus nobilissimæ nationis, quæ in servanda suis Principibus fide semper plurimum excelluit, esse providendum ducit. Scit vero Regia Majestas nullam se omnino causam dedisse, cur hoc tanto odio quidam in ipsam exarserint. Vos ergo Regia Majestas hortatur et monet, ut ad ea in Comitiis futuris statuenda, quæ Reipublicæ bonoque communi utilia fuerint, Nuncios ex medio vestrum deligatis, viros prudentes et probos, quique præter Reipublicæ commoda nihil sibi propositum habeant, nulla interim habita privatorum ratione, atque iis plenam potestatem detis tractandi de omnibus tam cum Majestate Regia, quam cum Dominis Senatoribus aliisque Nuntiis: monendo eos interim, ut illa omnia pacate et tranquille peragant, quæ ad utilitatem Reipublicæ, firmitatemque ipsius pertinere viderit. Certe vestra interest, ut Comitia una cum judiciis ad quam felicissimum semper perducantur finem: qui enim status totius Reipublicæ fuerit, hunc et vos cum posteris vestris rerum privatarum sperare debetis. Elaborate igitur, et calcatis affectibus commoda Reipublicæ ita procurate, Nunciosque vestros ut procurent monete, ut tam prospera, quam adversa omnia communia vobis cum Republica esse ostendatis, et ne aliqua rerum perturbatio eveniat, unde et hostes vestri gaudere, et exteræ nationes merito cachinnari possint. Certe de Regia Majestate id omnino persuasum habere debetis, quod plane paterno affectu vobiscum procedat, quodque id unice curet, ut Rempublicam hanc stabili et perpetua libertate florentem, omnibusque ornamentis post se excultam relinquat. Cujus rei gratia, id quod jam sæpe reipsa ostendit, ne propriæ quidem salutis habendam sibi rationem censet.

LXVI. — Non parvam sane lucem his rebus afferunt Præsulis Vladislaviensis litteræ: ex quibus manifestum fit, quid et quatenus in perpetua illa contra viros principes suscepta Ecclesiasticæ libertatis propugnatione Episcopi conniti potuerint, atque effecturos speraverint. [*] [*] Polonia Vol. 21. fol. 182

Illustrissimo et Reverendissimo Domino Domino Alberto Bolognetto S. R. E. Cardinali, Episcopatus Massanensis Administratori perpetuo, ad Regnum Poloniæ S. D. Nostri Legato, Domino Suo Observandissimo.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

« Scripta, quibus sententiam meam de Monasteriorum nostrorum statu, decimarumque recuperando jure obiter exposui, Dominationi Vestræ Illustrissimæ esse reddita, ab eademque perlibenter lecta, ex litteris ad me 29. Septembris datis intellexi. Quæ etsi non omnia ea attingant, quæ perplexioris negotii gravitas postularet, aliorum tamen accedente sententia, ex omnibus quid rebus nostris conducat, facile Dominationem V̄ram Illm̄am pro sua prudentia dijudicaturam esse mihi polliceor; quam quod tanta importantissimi istius præsentis negotii solicitudo capiat, equidem fidei vigilantiæque Dominationis Vestræ Illustrissimæ erga ingens Ecclesiarum Legationi suæ concreditarum agmen, non modo evidens argumentum est, verum etiam ad nos omnes, qui istios in hoc Regno solicitudinis partem sustinemus, concitandos provocandosque præsentissimum remedium.

« Ego hanc Dominationis Vestræ Illustrissi-

mæ cardine Ecclesiæ Catholicæ dignissimam solicitudinem exosculor atque amplector, ex eaque in quantum imbecillitatis meæ patiuntur defectus, exemplum, si non eo quo optarem successu, saltem qua par est veneratione atque charitate excipio, Lublinensisque Dominationis Vestræ Illmæ admonitionis memor, quicquid hoc tempore actorum et controversiarum inter ordinem Ecclesiasticum atque sæcularem, superiorum Comitiorum turbis atque factionibus exagitatarum, ad majorem informationem conquirere potui, non prætermisi. Idque vel conatu hoc meo assecutus sum, ut sicut hanc in libertatem Ecclesiasticam exortam tempestatem minime novam esse deprehendam, ita a majoribus nostris in ejus defensione ita desudatum, ut rationum consiliorumque non parum nobis ab iis suppeditatum fuisset, si ad popularem hunc frangendum impetum magis ratio atque æquitas, quam insaciabilis quædam Ecclesiasticorum invadendorum cupiditas prævaluisset. Quæ equidem tanta in nostra ista Nobilitate est, ut cum in privatis colloquiis de his conferre occurrat, pro ratione absolutissimam quandam voluntatem referre plerumque oporteat. Ad quam reprimendam petulantiam, cum in Episcoporum conjunctione plurimum situm esse videam, ad rem pertinere existimavi, si aliquem congressum cum Revmo Cracoviensi haberem, atque de his, quæ post nostrum Lublinensem congressum didicissem, cum sua Dominatione Rma conferrem, quidque in atroci hac contra Ordinem nostrum conspiratione facta opus sit, ex ipso intelligerem; a quo simul petii, ut sicut ætate, prudentia, rerumque usu nos recentiores Episcopos longe superat, ita in tanto rei Ecclesiasticæ naufragio, conatibus nostris alacriori aliqua opera atque consilio ducatum præbeat. Qui etiamsi per decrepitam ætatem multarum rerum sibi facultatem ademptam esse assereret, adeo tamen hanc rem sibi cordi fore, ut ne illius quidem se velle habere rationem affirmaret, seque vel semivivum in istis Comitiis libenter compariturum. Deliberationesque inter nos esse utiles ac pernecessarias dicebat, quarum tamen successus ab ipso capite maxime dependeret, seque subvereri, ne Comitiorum istorum turbulentior aliqua facies tractandi de rebus nostris omnem nobis viam præcludat. Tamen in particularibus Comitiis officio suo se non esse defuturum recepit, atque me ut idem facerem monuit. Quo nomine etiam se ad Illustrissimam Dominationem Vestram dedisse litteras asserebat. Quo vero Dominatio Vestra Illustrissima ex vigilantia atque zelo suo majorem fructum referat, cuperem ante meum ad particularem Conventum discessum Illustrissimo Dño Archiepiscopo, vel hoc nomine solo aliquam congrediendi occasionem præbere, eadem quæ cum Reverendissimo Cracoviensi cum ipso acturus, et tanquam capitis nostri, his de rebus ipsius judicium ac sententiam perscrutaturus. Quod si Illustrissima Dominatio Vra quoque aliquid suggerere velit, quod cum ipso me conferre oporteat, libenter exequar.

« Ad particularem Conventum Diœcesis meæ, cui a pluribus annis Antecessores mei interesse desierant, etiam cum maximo meo incommodo cum ob ipsius loci distantiam, tum itineris difficultatem, me vel Dominatione Vestra Illma concitante, libenter conferam, rationibusque meis Divinæ benignitati commendatis conabor tanto alacrius omnia præstare, quanto pastoralis amoris in oviculas contestandi majorem libertatem sancta charitas mihi suppeditatura sit.

« Quantum referat aliquos Senatores, qui authoritate præ cæteris valeant, huic causæ nostræ conciliari, nemo est qui non videat; sed præcipuum præstandi istius cum aliquo fructu officii modum, sive temporum sive morum perversitate, majori fortassis Episcoporum parti præreptum esse, vel prudentiores facile cernunt, ut quid de istis adminiculis spei habeam, vix adhuc Dominationi Vestræ Illustrissimæ aliquid perscribere possem; absoluto tamen Palatinatuum Diœcesis meæ particulari Conventu, facile intelligam; interim prænensandorum aliquorum conatus sicut jam non prætermisi, ita ne in posterum quidem negligam. Monasterii Olivensis turbæ in eam indies tempestatem erumpunt, ut non tam de aliquo liberæ Electionis jure retinendo agatur, quam ut Regis authoritate explosa, Episcoporumque Jurisdictione convulsa, dispensationi, ne direptioni sæcularium dicam, Monasteriorum facultates exponantur. Ego agam quod mei officii est: interim pro commissione mihi missa Dominationi Vestræ Illustrissimæ habeo gratias. Post istas exaratas litteras redditæ sunt mihi aliæ Dominationis Vestræ Illustrissimæ sexta hujus mensis datæ, quibus insinuare videtur, ad depellendum hoc ingruens toti Clero periculum plurimum referre, si statuto Judiciorum tempore Petricoviæ ipsemet me præsens sisterem. Qua in re etsi voluntati Dominationis Vestræ Illustrissimæ morem gerere velim, cum tamen ad particularem Diœcesis meæ conventum pro 13. Novembris (sub quod tempus Tribunalis Judicia incident) me proficisci oporteat, qua ratione id præstare possim, non equidem video. Quod superest, me ac officia mea diligenter Dominationi Vestræ Illmæ commendo, eamque bene ac feliciter valere ex animo opto. Datum Wolboriæ 23. Octobris 1584.

Observantissimus
Hieronimus Rozrazewski Episcopus
Wladislaviensis et Pomeraniæ.

Quod si cupias velut præsens experiri, quan-

tum quidem in acerbissimis hominum discordiis valeat ad sententiarum, ac voluntatum commutationem efficiendam Catholici cujusque Episcopi constantia et vis, cum doctrinæ copia, cum lenitate et summa pastorali charitate conjuncta, legas hasce litteras ab eodem Præsule datas ad Cardinalem Bolognettum de latere Legatum: ita noveris, quæ profecto animi moderatio ab ordine Ecclesiastico in jure suo tuendo servata fuerit. (*)

(*) Polonie Vol. 21. fol. 301.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

« Quemadmodum proximis meis litteris Dominationi Vestræ Illustrissimæ significaveram, de mea cum Illustrissimo et Reverendissimo Domino Archiepiscopo congrediendi voluntate, ita ne nunc quidem, cum ad particularem Conventum Radziejoviensem proficiscerer, istius officii præstandi mihi defuit animus, sed non usque adeo hanc meam sententiam Dominatione V^ra Illustrissima amplectente, (fortassis ut suspitionis notam apud eos, qui minus libenter hunc nostrum congressum visuri essent, effugeret) per meum Cancellarium Dominationem Suam Illustrissimam interpellavi, curavique illi omnia explicari, de quibus mihi coram tractandum fuisset, retulique multarum rerum notitiam, quæ vel pro hoc particulari nostro Radziejoviensi Conventu mihi nonnihil lucis attulerunt. Ad quem etsi, fere dissuadentibus nonnullis, profectionem institueram, quod scilicet sicut in antecessores meos multæ insolentiæ per hæreticos Diœcesis meæ Palatinatuum antea perpetratæ fuerunt, ita etiam aliquid contra dignitatem meam illic commissum iri mihi ominaretur; ænei tamen muri, conscientiæ integræ præsidio fultus, me potius indignitatis alicujus referendæ periculo exponere malui, quam ob intermissum offitium meum in culpam aliquam incurrere. Nec bono animo meo Divina defuit benignitas; justo enim, more patriæ antiquo, comitatu Civitatem hanc ingressus, atque primum in campo a Capitaneo, et nonnullis aliis Nobilibus exceptus, deinde ipsa die Conventus a Palatinis, Castellanis, nobilitateque præcipua, hæreticis et Catholicis in hospitio meo salutatus, precationibusque de secundiori hujus conventus successu cumulatus, ab omnibus tandem ad Ecclesiam sum deductus. In qua, discedentibus quidem hæreticis, sed præsentibus Catholicis, more jam a multis annis intermisso, solemnis missa de Spiritu Sancto celebrata est. Qua peracta, per Oratoremque Regium legatione exposita, sententias dicere cœpimus. Atque cum pro officio meo prolixioribus rationibus legationis de compositione caput exagerassem, ac Nobilitatem tanquam gregem meum, et cujus sanguinem ex manibus meis Divinum Tribunal in die Judicii sit requisiturum, obtestatus essem, tandem ad communem Nobilitatis Ordinisque nostri salutem hoc compositionis negotium pertinere edocui, diligenterque inculcavi, nos non alienigenas neque externos esse, sed sicut eodem sanguine, iisdem stemmatibus atque progenitoribus ortos, ita in nostris Archiepiscopatibus, Episcopatibus, Abbatiis et cæteris Ecclesiasticis dignitatibus non alios, quam qui ex illorum lumbis prodituri essent, nobis successuros esse. Adeoque ordinem Equestrem cum Ecclesiastico esse connexum et conjunctum, ut fortunis libertatibusque nostris labefactatis, eorum quoque libertates, quæ ab aliis Regibus et Ducibus, quam nobis ipsis concessæ essent, concisuras esse. Atque ita esse deploratam Diœcesis meæ faciem, ut propter hanc violentam redituum Ecclesiasticorum occupationem, multas Ecclesias quotidie desolari, Divinum cultum interire, juventutis educationem intermitti, populumque Dei, pabulo verbi divini, et sacramentorum administratione defraudari, ac multa animarum millia evidentissimum salutis periculum subire, in paganismumque præcipitem ruere sit necesse. Plurimum etiam de dignitate Palatinatuum Diœcesis istius hac rerum iniquitate decedere docui, cum veteris præeminentiæ istorum Palatinatuum, in solius Episcopi dignitate (reliquis præsertim dignitatibus non nihil remittentibus) constans quoddam nunc argumentum remaneat, ac in hanc diem post Cracoviensem Episcopum immediate Episcopus Vladislaviensis locum retineant, Sedisque Regiæ, quæ his in partibus aliquamdiu hæsit, solus dignitatem repræsentet. Interesse igitur, si suam atque suorum Palatinatuum præeminentiam salvam esse velint, ne Diœcesis istius dignitates Ecclesiasticæ, vel imprimis ipse Episcopatus, a cujus obedientia fere tertia Ecclesiarum pars jam discessisset, ad majorem desolationem deveniat, pristinaque dignitate amissa, etiam Religio, verique Dei cognitio in evidentius aliquod discrimen veniat. His igitur et similibus explicatis, paternum affectum meum in rationibus aliquibus investigandis, quibus et atrocius hoc vulnus, Ordini Ecclesiastico illatum curari, et illorum etiam rationibus, in quantum libertas Ecclesiastica ferret, aliqua ex parte consuli possit, promptum ac paratum illis detuli. Non continuit se hic Niemojevius, quin me fortassis alacriori affectu hanc ipsam compositionis materiam, quam alias prosequentem notaret, vociferansque dixit, ut primum lites, quas aliquibus Nobilibus ratione invasionis bonorum Episcopatus mei intentassem, tanquam magis proprias componerem, postea ad illam, quæ ad universum Regnum pertineret, progrederer. Respondi vero, talem pastoris erga oviculas elucere debere animum, qui amore charitateque easdem antecedat; quem sicut in omnibus actionibus meis, ex quo

super ipsos speculatorem me divina providentia constituisset, tanquam Christianæ religionis præcipuam tesseram gestare consueveram, ita nec in istis quidem amice componendis litibus, me huic meo officio defuturum esse. Utque non tam verbis, atque orationis strepitu, (prout ipse notarat) quam re ipsa idipsum omnes experirentur, injurias, quæcunque Episcopatus mei bonis a Nobilitate illatæ fuerint, vel ab ipsomet Niemojevio, tanquam viro nobili et maturi judicii, decidendas me libenter permissurum insinuavi, cum Episcopum non litibus agere, sed amore erga gregem concreditum, benevolentiam sibi conciliare conveniat. Quæ mea verba ita ab omnibus excepta fuerunt, ut vel ipse Niemojevius abunde sibi hoc meo responso satisfactum esse exclamaret, atque postea coram Nobilitate, cum jam a Senatoribus discessisset, et pro more solito peculiarem inter se, in corona sua, deliberationem de negotiis publicis instituisset, animum meum extulerit, aliumque me jam coram experiri, quam antea quorundam relationibus intellexisset, diceret. Utque pro hoc paterno erga ipsos amore in præsentia omnium Ordinum mihi agerent gratias, peculiari oratione omnes admonuit, absolutaque deliberatione, ac Nobilitate iterum ad Senatum reversa, verbis plurimis etiam per hominem hæreticum mihi pro hoc benevolo animo habitæ sunt gratiæ; ita ut conversione facta, cum nonnulli existimarent, eosdem me exagitaturos, suisque invectionibus processuros esse, me omni honore atque observantis animi officiis, sicut pastorem suum prosequuti fuerint. Nec defuerunt inter præcipuos eosque hæreticos Nobilitatis, qui mihi persuadere conati sunt, ut compositionis controversiam Episcopi per Diœceses in se reciperent. Facilius enim nos conventuros, atque ita artificium aulæ, quo Ordinem Ecclesiasticum dum demulcent, prophanum vero (ob res suas) nescio qua spe lactant, elusum iri: sed ego hoc illorum erga Ordinem Ecclesiasticum studio collaudato, tacitus considerabam, dulciter canere fistulam, dum volucrem decipit anceps. Licet nec ista, quæ suo loco et tempore in deliberationem ponantur, indigna fortassis sunt. Comparuit etiam in hoc nostro Conventu intrusi Olivensis frater, Dominus Palatinides Pomeraniæ, atque fratris sui causa Nobilibus in rem suam exposita, ut apud Majestatem Regiam pro eodem intercederent, petiit: sed quod non deessent inter illos, qui statum causæ novissent, jurique publico atque aut authoritati Episcopi, hac insolenti ac violenta Monasterii occupatione plurimum decedere scirent, hortati sunt illum, ut de concepto spiritu aliquid remitteret, atque ita ad Episcopum rejecti, per eundemque ad Majestatem Regiam confugere jussi sunt. Quin ut authoritatem et jurisdictionem Episcoporum istius Regni in Monasteria stabilirent, unanimi et concordi omnium consensu publice per omnes a me petitum est, ut Abbates ad educandam Nobilitatis juventutem, prout ex jure municipali Regni tenentur, per me compellerentur. Ego jam processum juris institui, primumque terminum, a quo propter exemptiones suas in Urbem appellarunt, jam absolvi, nunc in examinatione testium versamur, qua peracta, contra ipsos contumaces ulterius procedam. Allegant vero etiam a Legati de latere jurisdictione se esse exemptos, atque ita imperiti fraterculi, præter habitum, nihil quod Ordinem suum sapiat præseferentes, sicut nec Regem nec Episcopum, ita nec Legatum de latere ferre possunt. Quæ illorum petulantia, quanto omnibus in universa Diœcesi mea, maxime vero Civitatis Gedanensis hæreticis, ante cujus portas hoc exercetur spectaculum, scandalo sit, vix exprimi potest. His me amori ac benevolentiæ Dominationis Vestræ Illustrissimæ commendo, ipsique mea officia etiam atque etiam offero. Datum Racziazii 20. Novembris 1584.

Illm̃æ et Rm̃æ Dominationis Vr̃æ
Observantissimus
Hieronimus Rozrazewski Episcopus
Wladislaviensis ac Pomeraniæ.

LXVII. — Eu modo ejus egregium consilium de controversia decimarum componenda, ut Ordo uterque tandem sibi invicem reconciliarentur. [*] [*] Poloniæ Vol. 21. fol. 471.

Jucundæ compositionis quædam obiter annotatæ rationes.

« Etsi compositionis inter statum Ecclesiasticum et sæcularem istius Regni jampridem agitata controversia difficilis, atque perplexa a prudentioribus judicetur, cum propter jurisdictionem Ecclesiasticam Nobilitati intollerabilem, atque a prioribus adhuc sæculis exosam, ut voce communi non tam Ecclesiasticam, quam Tyrannicam quandam potestatem eam appellare soliti sint; tum quod violentioris decimarum et cæterorum reddituum Ecclesiasticorum occupationis utilitate atque commodo capti et irretiti, iniquissimum ac libertati istius Regni maxime repugnans censeant; ex eorum sudoribus laboribusque in eos omnium frugum partem decimam derivari debere, qui nihil in illis conquirendis aut laboris aut diligentiæ conferrent: considerantes tamen nonnullis licentiam in dies crescere, Ecclesias passim profanari, Divinoque cultu extincto, longe latissimeque patentis Provinciæ populum, non solum in detestandam hæreseon voraginem turmatim delabi; verum etiam Christianæ pietatis indies magis ac magis labescente disciplina, Dominicum gregem, Divini Numinis religione contempta, ad pristinam paganismi impietatem præcipitem ruere; ne ob temporalium inordinatum aliquod stu-

dium æternæ patriæ animarum saluti aditum præcludere, atque incumbenti vocatione minus satisfacere videamur, etiamsi quam periculosa, ne perniciosa dicam, hæc libertatibus Ecclesiasticis compositio futura sit, nemo est qui non videat; perspecta tamen Nobilitatis duritie et quadam summa difficultate, nec non rei melius conficiendæ spe exigua, non quam cupiunt, sed quam possunt, arripiendam sibi in hoc præsenti naufragio tabulam; atque per compositionis istius quæ sequitur, viam, deploratis et in extremo discrimine positis rebus Ecclesiasticis subveniendum esse existimant.

« Primum in hac compositione vel hoc maxime spectandum est, ut ab antiquis et municipalibus istius Regni juribus quam minime discedatur, compositioque, si aliqua iniri debet, ea quam maxime consentanea legibus et constitutionibus istius Regni fiat; nullis namque firmioribus præsidiis præsens rerum Ecclesiasticarum discrimen caveri, tuerive in posterum potest. Si enim ea quæ tanta religione, zelo atque constantia statuta, et longo rerum usu approbata sunt, a nostri temporis hominibus infringuntur, facilius certe recens sancita, et non tam sinceritate atque in Deum pietate edita, quam ab invitis et oppressis expressa, violari in dubiumque vocari possunt.

« Quia vero Nobilitati ea vox communis est, ut retentis decimarum præteritorum annorum condonatis, videantur in posterum solutionem decimarum nolle detrahere, exoptandam et amplectendam hanc esse conditionem quisque facile intelligit; præsertim si legibus et pœnis gravioribus, ne aliquid tale in futurum a Nobilitate committatur provisum et prospectum fuerit.

« Quæ ratio si non successerit, differentia personarum, a quibus decimæ solvuntur, facienda est. Quæ enim ex bonis Regiis pro Capitaneorum arbitrio vix medio persoluto pretio, pecuniis in hunc usque diem redimuntur. Efficiendum apud Majestatem Regiam, ut manipulares ab iis, quibus debentur, colligi possint. Quas vero ex bonis suis Ecclesiasticus ordo mutuo sibi pendit, ut sine ulla difficultate manipulares extradantur, diligenter providendum. Nobilitas vero quæ etiam retentorum condonatione assecuta, manipularis decimæ solutioni vix sese submissura creditur; si Parochis in ipsorum villis residentibus, manipularem decimam concedere, reliquis vero Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis sive Monasteriis, certa frumenti pensione redimere hoc jus voluerit, non plane est rejiciendum.

« Pecuniam pro decimis accipere vix expedit. Quod tantam quæ cum decimarum valori, tum sustentationi Sacerdotum respondeat, vix Nobilitas concessura sit. In hanc enim diem non pluris quam duodecim grossis medio, ad summum uno floreno, a Nobilitate propter omnem æquitatem ex singulis mansis Jus hoc decimarum æstimatum est. Cum tamen constet Sacerdotes ex eo sustentationem nulla ratione esse habituros, propterea crescentis in singulis mansis frumenti aliqua æquior taxa iniri debet. Quæ quoniam propter varietatem agrorum vix per universum Regnum eadem constitui potest, maxima cautio hac in parte adhibenda est.

« Non desunt etiam qui decimarum aliqua portione Regiæ Majestati in singulos annos condonata, solutionem hanc apud Nobilitatem opportune atque importune urgendam atque exprimendam omnino censeant. Quod hac occasione Jus decimarum stabiliri, et ad bonorum mensæ Regiæ instar fisci prærogativis muniri possit. »

Quanta vis inesset in hac decimarum causa vel ad cultum Dei obtinendum, vel ad cæteras etiam quæstiones inter Clericos atque laicos principes uno ictu præcidendas, ex iis, quæ jam superius posuimus, patet. Præstat heic ea oculis subjicere, quæ ostendant etiam, quo quantoque jure Ordo Ecclesiasticus res suas persequeretur; quanta contra injuria Equester Ordo susceptas tam diuturnas, tamque obstinatas inimicitias cum eo gereret. Ad quæ cognoscenda magni refert hæc legisse. [*]

[*] Polonia Vol. 21. fol. 331.

« In primis scribendum Serenissimo Domino pernecessarium existimo, Decimas esse in hac provincia præcipuam partem redituum Ecclesiasticorum, in quarum usu ab ipso fere exordio religionis Catholicæ in Polonia Clerus et Ecclesiæ semper fuerunt, etsi ab aliquibus rapiebantur vel detinebantur non persolutæ; ejusmodi causas judicabant Domini Episcopi quisque in sua Diœcesi, et contumaces atque inobedientes censura Ecclesiastica et excommunicatione feriebant; quasi tolerabat ultra annum legalem, ad brachium Regale, hoc est ad Capitaneos seu Gubernatores locorum cum toto processu coram Episcopo facto Clerus confugiebat; qui quidem Capitanei vel Gubernatores exequebantur jura et statuta contra ejusmodi censuras, sustinentes usque ad exsolutionem decimarum.

« Idem faciebant, si pro excessibus contra aliquos ab Episcopis instituebantur processus. Atque hæc fuerat semper jurisdictio Dominorum Episcoporum in hac provincia, privilegiis, legibus et consuetudine firmata: qua quidem non multo ante tempore, regnante Sigismundo Augusto Rege, enervata atque suspensa, artibus adversariorum Ecclesiæ Catholicæ fructus et reditus beneficiorum Ecclesiasticorum adeo diminuti, ut necessario desertentur Ecclesiæ. Clerus non est unde alatur et provideatur, quodque maximum est, salus animarum et cultus Divinus negligitur, scandala autem publica, et plurima scelera et vicia in populo indies

magis ac magis crescunt et perpetrantur, propter impunitatem, quæ inde sequitur, cum processum juridicum ab Episcopo factum contra debitores et sceleratos, more antiquo, Capitanei non exequuntur, duabus Constitutionibus Comitialibus impediti, quarum hæc prima est anno Domini 1562. Petricoviæ.

« Questi sunt apud nos Nuncii terrarum de Capitaneis nostris, quod quendam abusum introducunt in exequutione facienda contra Nobiles Regni, supra id, quod in Statuto seu privilegio Vladislai Regis Jagelonis in Jedlna fol. 50. scriptum, petentes, ut id quod est contra ejusmodi statutum, a nobis tollatur, cum ipsi nolint aliquas disputationes cum Statu Spirituali exercere, sed saltim proprias libertates velint tueri et defendere. Nos itaque juramento et officio nostro satisfacientes, quo utrique Statui sumus obstricti, de consensu Senatorum sæcularium et ad postulationem Nunciorum terrestrium, mandamus omnibus Capitaneis, ut aliter non faciant exequutionem, quam in ejusmodi statuto est præscriptum, et si quid contrarium fecerint, ut sit irritum et inane.

« In privilegio autem Jagelonis in Jedlna dato, exequutione nihil aliud est, quam hæc aliquot verba.

« Capitanei non aliud exequantur, quam illud quod procederet a Judice competenti. Cum autem et legibus quibusdam et consuetudine semper antea observatum fuerat, quod decimarum, vitiorum, symoniæ, hæresis, etc. Domini Episcopi fuerant judices competentes, et processus ab eis factos exequebantur, et tenebantur exequi locorum Capitanei, quod supra scriptum est; hac constitutione et sequenti in dubium vocata et suspensa est ejusmodi exequutio: atque ita jurisdictio Dominorum Episcoporum injustissime et cum maximo detrimento Ecclesiarum, et bonorum morum hucusque suppressa.

« Altera constitutio fuit, anno Domini 1565. Petricoviæ facta prædicti Regis tempore.

« Questi sunt apud nos Nuncii terrarum, quod contra constitutionem Petricoviæ factam citati sunt quidam Capitanei a Statu Spirituali, quod illorum processus nolunt exequi. Nos itaque constitutionem præfatam in robore conservantes, eidemque satisfacientes, ejusmodi citationes emanatas et nunc et in perpetuum rejicimus et annihilamus.

« His duabus constitutionibus, jurisdictio tota fere Dominorum Episcoporum corruit, omnisque plane decor ordinis Ecclesiastici sublatus est, mutatusque est color optimus. Nam ea in suo vigore permanente, et reditus Ecclesiarum salvi erant et integri, et disciplina Ecclesiastica tam in Clero, quam in populo vigebat et conservabatur.

« Ab ea itaque Jurisdictione recuperanda initium totius negocii decimarum esse sumendum ego censeo, perquirendæ leges antiquæ et privilegia ad eam rem necessaria, usus et consuetudo exemplis probanda. Non dubito enim omnia recuperari posse hac una recuperata. Quam quidem ad rem pernecessaria nobis est authoritas Sanctissimi Domini Nostri, quæ obnixe est exoranda, ut eam interponat in primis apud Regiam Majestatem et deinceps apud Regni Ordines, quod non abs re factum existimaverim, si dederit id negotii Illustrissimo et Reverendissimo Legato seu Nuncio suo, ut nomine Suæ Sanctitatis apud Ordines publice agat causam Cleri et Ecclesiarum hujus provinciæ, enumeratis periculis, quæ ex oppressione Cleri et Ecclesiarum devastatione sequi necesse est, adjiciens paternas adhortationes, et petens super propositis responsum ab Regia Majestate et Ordinibus Regni.

« Ita enim spero futurum, quod facilius ad ea, quæ audirent ex mente Sanctissimi, permoverentur, tum propter authoritatem Suæ Sanctitatis, tum propter paternas admonitiones, in his præsertim quæ salutis sunt animarum et cultus Divini.

« Ac cum Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Legatus vel Nuncius responsum a Majestate Regia et Ordinibus peteret ac urgeret, dubium non esset, quin æquum rationi, legibusque consentaneum et Suæ Sanctitatis authoritate dignum acciperet, atque ea re de negocio hoc bene sperari posset: quod unius jam timendum esset, ne amplius differatur, et ex Comitiis in Comitia rejiciatur, et quod antea factum est, ne quem unquam finem habeat; jam propterea hacque ratione transigeretur, et ad exitum optatum, ut sperandum in Dei auxilio et rei æquitate est, perduceretur.

« Nos quoque quantum in nobis erit, non deerimus pro munere et officio nostro, omnemque movebimus lapidem, ut possimus succurrere non labentibus modo, sed fere lapsis rebus Ecclesiarum, totiusque Cleri hujus provinciæ, quod quidem facere nunquam destitimus, tametsi sint, qui nos accusent, quasi frigide et negligenter hoc negocium agamus: sed testis est Deus, quod non nos, sed illi sunt in culpa, qui propter certas suas causas, rem Ecclesiasticam omnemque nostram injuriam in aliud atque alind tempus semper pertrahunt et rejiciunt. Pro quibus oramus Dñum Deum, ut aliquando vere et serio, ad ea quæ religionis et cultus Divini sunt, animum adjiciant.

« Decretum Majestatis Regiæ, quo antiquatur et tollitur Compositionis suspensio, ita firmari usuique esse maxime posset, si in acta publica, et ut vocant, perpetuos libros terrestres referatur et inscribatur: verum ab eo ante proxima Regni Comitia abstinendum atque supersedendum consultum videtur.

« Compositio si de præteritis fiat, eam adhuc pertentare non improbarem, sed si aliquid novi fructus pro decimis introducere vellent per compositionem, non sum in ea sententia: satius putarem, ut Decretum Regiæ Majestatis impetratum de termino Compositionis translapso urgeatur, et petatur a Regia Majestate, ut administret nobis justitiam, et forum ubi agamus pro nostris reditibus, nobis restituat, jurisdictione restituta.

« In conventibus particularibus curabimus omnino, ut Nunciis terrarum hoc detur in mandatis, quod possit esse salutare Clero et Ecclesiis ad res suas recuperandas, et ad cultum Divinum propagandum, et ne amplius compositionis nomine suspensio fructuum et redituum Ecclesiasticorum cum maximo detrimento Cleri et Ecclesiarum permittatur.

« Quod autem summum præcipuumque æstimamus ac curamus, exorandus est Sanctissimus Dominus Noster, ut consilio et auxilio suo vere pastorali et paterno res nostras curet et tueatur, quem ut Deus Optimus Maximus nobis et Ecclesiæ suæ diutissime conservet incolumem, sedulo oramus.

LXVIII. — Archiepiscopus Leopoliensis, vir profecto apostolicus, at non minus rerum publicarum usu, quam virtutum ac litterarum splendore tota fere Europa insignis, qui cæteris Poloniæ Episcopis id temporis facile antecellebat, nihil magis studuit, quam ad pacis consilia Clericos omnes adducere. Is enimvero, non quia parvi momenti esse sibi videretur quæstio de solutione decimarum, sed quia fortasse ea in re nonnullos ex Clero vehementius laborare videbat, quam oporteret, in ea erat sententia, ut Clerici, ne Procerum animi exacerbarentur, in temporalibus Ecclesiæ juribus vindicandis lenissima quadam ratione uterentur; in id vero omnia sua studia conferrent, ut moribus suis recte informandis laicis hominibus pietatis et virtutum omnium exemplo essent; hoc longe præstare, cætera gratiam divinam esse facturam; hac una re potius, quam jurgiis et litibus hæreticorum conspirationes, quæ ad summum timorem proponebantur, disjici labefactarique posse. In eam sententiam certissima in Deum confidentia, atque securi animi libertate optimus ille vir, qui apud suos vitæ sanctimonia Caroli Borromæi fere imaginem reddebat, quique ad vineam suam latissimam excolendam impigros Patres Societatis Jesu primus accersiverat, Cardinali Bolognetto hæc eximia sane cum sapientia perscripsit. (*)

(*) Polonia Vol 21. fol. 534.

Illustrissimo ac Reverendissimo in Christo Patri et Domino, Domino Alberto Cardinali Bolognetto, Sanctæ Sedis Apostolicæ in Polonia Legato etc. Domino et Patrono Colendissimo.

Illme et Rme in Christo Pater et Domine Colendissime.

« Accepi ante dies aliquot litteras Illmæ Celsitudinis Vestræ, quibus exemplum antiquioris cujusdam epistolæ adhuc in Septembre mense ad me missæ fuit inclusum. Ad ea, quæ Illma Celsitudo Vra ad me scribit, dum responsum paro, ecce Rmus Dominus Episcopus Cracoviensis Bozencino illam ipsam epistolam ad me mittit. Nunc igitur Illmæ Celsitudini Vræ respondeo. In primis de facultatibus mihi a Sancta Sede Apostolica opera et auctoritate Illmæ Celsitudinis Vestræ procuratis et missis, quam maximas gratias ago. Eas cum Patres Societatis vidissent, plurimum læti, multa fore nobis expeditiora augurantur: jamque iis in Dei nomine ad ejus gloriam utimur. Facit profecto Illma Celsitudo Vestra, ut me illi plurimum debere profitear: neque solum pro ejus salute et valetudine, qua illam adversiore laborare magno meo dolore intellexi, orando Deo, verum etiam omnibus obsequiis meis, modo in eis fortuna mihi favere velit, omnem gratitudinem meam declarare sum paratus. Non eram oblitus sermonum Illmæ Celsitudinis Vræ, quos Lublini de rebus Ecclesiæ et Reipublicæ mecum pro sua humanitate communicavit, sed me in hanc usque horam ob innumerabiles tam publicas quam privatas curas explicare, et ad scribendum Illustrissimæ Celsitudini Vestræ, quin et ad valetudinis afflictæ vires utcunque recreandas accingere non potui. Inciderant hic inter aliquot Proceres gravissimæ controversiæ, inter Palatinum Podoliæ et alios, item inter Ducem nostrum Constantinum et alios, in quibus sopiendis non parum temporis nobis effluxit, non tamen sine fructu, Deo sit gratia. Et controversiæ eorum consopitæ, ac earum materia sublata, et amicitiæ redintegratæ sunt: utinam ita succedat inter alias regni familias, quarum causa nunc æstuat Respublica. Præclare agit Illma Celsitudo Vestra, quod de rebus Ecclesiasticis in provincia nostra tam paternam curam et sollicitudinem gerat: sed magis ex sua humanitate, quam rei ipsius usu id facit, quod a nobis sententiam perquirat, cum ipsa et consilio abunde polleat, et satis per se jam videat, quid consilii non tam a nobis accipiendum, quam nobis dandum sit. Conclamatum esse de decimis ac de omnibus Cleri negotiis, a multis se admoneri scribit Illma Celsitudo Vra, nisi mature in conventibus particularibus provideamus. Recte. Ego vero etsi minus prudentior cæteris sic affirmo, Ecclesiæ ac Cleri nostri res nihilo nunc deteriore loco esse, atque fuerunt hoc decennio; dicerem non parum loco meliore esse. Hoc enim, Rege Serenissimo apud nos imperante, Tribunal duobus regni locis, Petricoviæ et Lublini, ita erectum ac institutum est, ut ibi inter

judices non solum interesset, sed etiam præesset Clerus de omnibus personarum sæcularium cum spiritualibus causis cognoscens. Forum igitur agendi modo habet Clerus, quem antea non habebat. Cur autem Serenissimus Rex in paritate sententiarum non decidit? De decimis negocium tanti momenti est, ut ejus solius causa Comitia regni habenda sint: non autem regni aliis negociis et præsertim hisce turbationibus intermiscendum, sed vel adversariis jam ipsis confitentibus, Clero decimas jure deberi, multis in locis et a Catholicis et ab hæreticis ipsis dantur. Darentur ab omnibus, si Clerus esset justus in omnibus. Sed videamus et introspiciamus nos Episcopos primum, deinde Capitula, hinc Parochias, postremo Monasteria, an apud nos Sanctum Tridentinum Concilium aliquid operæ pretii fecerit. Risus hæc omnia sunt apud multos, apud alios multa in mundialitatem et Politicam prudentiam abeunt. Dicam prodigium: hæretici quodam loco parochum Catholicum absentem Tridentini Concilii Decreto ad parochiam inhabitandam compulerunt. O quanta messis est ubique, et quam operarii pauci! O quanta jam occasio datur hæreticis, per has eorum sectas minutim disscetas, et blasphemias nuper exortas, Sacerdotes Catholicos, et tamquam iter amissum quærendi! O si nos per hanc occasionem meliores esse, libros, non regesta proventuum tractare, animas lucrari, non possessiones, abjicere scorta, et sequi quod Canones, quod Sanctum Concilium Tridentinum præcepit, velimus, et regnum Dei ex animo quæramus, non arbitror fore necessarium de decimis aut proventibus Ecclesiæ delitigare. Sed fere tales sumus, plerique omnes, ut et vita ipsa indigni simus, et supplicium quam decimam magis meriti. Juste igitur negantur et negabuntur, donec fecerimus officium nostrum. Neque mirum est, si et in viridi ligno idem fiat, quod in sicco: præponderat in nobis mundus, qui ex animo Deum sequantur, paucissimi sunt. Profecto sæculares ipsi multi nos et pietate et honestate vitæ superare videntur. Tamdiu igitur ego nec de meis, nec de aliorum proventibus litigandi animum habeo, quamdiu me ipsum non emendabo, nec officium meum facere discam. Idem meus et de jurisdictione Ecclesiastica sensus est. Memini puer, in Polonia integram Cleri jurisdictionem; quid illa tum quærebat? decimas. Adulteros, fornicatores, usurarios et cætera scandala petebat, urgebat, condemnabat? nihilominus memini clamores hominum, dum campanæ contra interdictos ob non solutas decimas tunderentur. Jurisdictio igitur in causa Dei muta, in proventibus loquax, corruens ex alto, fractis cervicibus jacet. Quomodo jam is quatriduanus Lazarus suscitandus est? Christo propitio opus est, Magdalenæ et Marthæ lachrimis et obsequio. Necessitas ipsa jam vel ab adversariis extorquere incipit, ut jurisdictionem restitutam velle videantur. Tot errores in causis matrimoniorum incidere solent, ut in eis neque progressum neque regressum reperire possint. Forum igitur spirituale revereri, ac illud desiderare incipiunt. Et fieret magis illud in dies, si in iis, in quibus esse debeat, fuerit fides. Confœderationem quod attinet, o quam magnum mare hoc est, ut quis ex ejus fluctibus ad portum enaviget! Confœderatio ex iis principiis in Polonia crevit, primum ex timore similium bellorum, de quibus in Gallia, Germania Superiore et Inferiore, Vestphalia, Scotia, Anglia, et in aliis provintiis audivit; secundo ex privatis odiis Pontificum nostrorum cum potentibus hæreticis; tertio cum ab adversariis desperatum esset de hæretico Rege unquam in Polonia creando, præsertim in interregnis hisce proximis; saltem hoc egerunt, ut cum finem nullum suarum sectarum viderent, turpitudinem tamen et vanitatem suam aliquo pallio obtegere, et se non tam a nostris armis, quam a risu et turpi explosione utcumque vindicare vellent, manus Regias ligarunt, ut sibi credere et vivere liceret, uti liberet. Quid eam confœderationem confirmavit? Episcopus unus primarius, qui eam subscripsit. Cujus exemplum et Catholici non pauci secuti, Ascaroth fœdissimum, reclamantibus aliis, erexerunt. Nondum ego tum de statu spirituali cogitabam, tamen cum et Catholicus et in aula Regum essem, ejus confœderationis contrariis provinciarum confœderationibus labefactandæ et refutandæ una cum fidelibus sociis, aliquibus Senatoribus Ecclesiasticis et sæcularibus, auctores fuimus, et formam conscripseramus, et Varsaviæ ac tota Masovia illam ad acta officiorum porrexeramus magno applausu Nobilitatis. Quam secutus Dñus Archiepiscopus Gnesnensis prior et præsens, ita et Sochaczovii et in aliis locis actis inseri voluerunt, ut Henrico Regi in Poloniam adducto data fuerit occasio, eam non recipiendi, neque in eam jurandi: recordantur multi, quæ et quanta tela in caput meum tum adhuc in sæculo, a toto conventu Nunciorum terrestrium in Coronatione Henrici conjecta eam ob rem fuerint. Serenissimo Regi Stephano, cum nostro Clero adesset, obtrusa, in schismate regni suscepta est. Sed qualis hæc est confœderatio? Confœderatio omnium est, esseque debet, hæc autem partis unius est adversus alteram. Itaque jam a Clero est in synodo totius Regni provinciæ condemnata: quotiesque opus est, et publice et privatim, scriptis et viva voce, licet a Rege sit suscepta, refutatur. Quid? quod et adversarios Ecclesiæ ob inconvenientia multa ex ea sequuta, jam non obscuro pudere ejus incipit, quam si cernerent a nobis importune ac sine data legitima occasione oppugnari, vel ob

hoc, ut nobis adhne ægre faciant, mordicus ab illis defenderetur. Invito igitur Rege, sine quo nihil possumus, multis adhue impedientibus, frustra aperto Marte oppugnatur. Expectandum itaque aliquantisper est, et res ita agendæ, in causa potius confœderationis sananda et tollenda, id est hæreticis placide convertendis, aut eorum filiis, ut coofœderatio sensim et crebro, tamquam illa Sectoriani equi cauda depiletur, et tandem faventibus et melioribus et pluribus, faventibus ventis, vela pandantor. Sed ounc conjuoctis ac unitis omnium Episcoporum viribus ot animis opus est, serio rem agant, non alii alios respeetent; Synodos suas frequenter celebrent, Ecclesias sibi commissas visitent, fontes suos tum prudentiæ tnm poteutiæ et opum suarum ad alius derivari permittant. Id velint quod possunt, cum alii interdum perficere ea studeant, quæ vix possunt; non alii totum pondus rerum sustineant, alii ne digito quidem eas attingant: taotum abest, ut impediant, abunde autem impediunt, cum nou adjuvant. Bos non trahens jugum trahentem retrahit. Commune jugum est causa communis. Agitur de cultu et hooore Dei, agitur de Ecclesiæ statn, agitur de extirpandis erroribus, agitnr de reducendis in ovilia Christi gregibus. Imminet dies rationis, dies retributionis et exacturæ, jodex in foribus adest, lictores præcurrunt, varia et quidem tristissima mala, quid? noo ea sentimus, non horrescimus. Dormiat qui vult in aurem utramque, mihi et somnum et eibum cripit impendentium malorum timor, non decimarum jactura, sed somnus nostrorum. Utinam evigilemus, et mntua acclamatione et opo perniciem et occasum Reipublicæ nostræ, ob violatam religionem summi Dei, proximum amoliamur et avertamus, minime placando et officii nostri partibus ex animo et fideliter implendis. Non viri politici hæc sont quæ scribo, sed veracis et justitiam sitientis; dabit veniam Illm̃us Domious mens, si extra oleas. Finem facio, atque ntinam et doloris mei finis sit. Wladica ille cum suo Duce Palatino Kioviæ non stetit promissis: Regem secuti ad Cancellarium remissi fuerint: jam nunc citationes contra me ad Regni Comitia expediunt, ferociores facti nescio qua cujus elementia. Hoc illud erat, quod Lublini dixerato, me quiescente, illos non esse quietnros: supersedi ego a Wladica citando, non cessant illi, valeant. Domious autem nobiscum erit. Pluribus interea non agam; quamvis et hæc admodum multa, præsertim si non placent. Interea me ac obsequia mea deditissima Illm̃æ et Rm̃æ Dñi Vræ perquam diligenter commendo, eique salutem diuturnam ac fœlicitatem perpetuam opto. Leopoli 20. Novom. 1584.

Illm̃æ et Rm̃æ Paternitatis Vestræ

Benevolentissimus servitor

Jo. Demetrius Solikowski Archiep. Leopoliensis.

LXIX. — Episcopus Culmensis valde de re catholica sollicitus eidem Cardinali nunciat, se quamvis nondum satis firma valetudine esset, Mariemburgum tamen, ubi conventus haberetur, nullam proficiscendi moram facturum. [*]

[*] Polonia Vol. 21. fol. 504.

Illm̃o et Rm̃o Principi et Domino, Dño Alberto Bologneto, Dei gratia S. R. Ecclesiæ Cardinali et Episcopo Massanensi, Domino Clementissimo.

Illm̃e et Rm̃e Princeps et Domine, Domine Clementissime.

» Binas Illm̃æ et Rm̃æ Celsitndinis Vræ litteras, ejusdem fere argumenti, hisce paucis diebus accepi, quarum ambabus fasciculi litterarum adjuncti erant, Rm̃o Dño Episcopo Varmiensi inscripti, quos ego etiam eodem temporis puncto per tabellarium meum ad eum misi. Lætor autem, cujus etiam rei Rm̃us Dominus Episcopus Cujaviensis spem mihi afferebat, quod Sanctissimus Dominus Noster per hosce hybernos menses in hoc Regno voluit Illm̃am et Reverendissimam Celsitudinem Vestram subsistere: siquidem hac ratiooe itinerom hybernorum asperitatem atque difficultatem vitare Illm̃a et Rm̃a Celsitudo Vra potest, et Religionis ipsius atque adeo totius Reipublicæ statum præsentia sua magnopere sublevare. Illa vero Illm̃æ et Rm̃æ Celsitudinis Vestræ singularis erga me humanitas atque benevolentia, qua me præsentem complecti velle ipsa ostendit, ita me incredibili quadam voluptate affecit, ut quod Illustrissimam et Reverendissimam Celsitudinem Vestram adhuc videre, coramque ei offitia mea atque obsequia deferre non possim, omnem moram gravem mihi et molestam esse existimem. Deum autem Opt. Max. precor, ut Illm̃am et Rm̃am Celsitndinem Vram salvam et incolumem aspicere mihi, atque ex ejus fœlici et prospero rerum successu lætari perpetuo liceat. Supplicationes precesque publicas, hortatu et jussu Illustrissimæ et Reverendissimæ Celsitudinis Vræ, pro offitio meo per universam meam diœcesim eas promulgavi, quæ huic maxime tempori ad placandum divinum Numen, implorandamque ejus opem accommodatæ et necessariæ esse videbantur. In Conventu autem nostro, ad quem hodie Mariemburgum non bene firma valetudine proficiscor, sedula a me dabitur opera, ut ejusmodi a nobis Nuntii deligantur, qui et Catholici sint, et nostræ causæ cumprimis faveant, eaque mandata afferant, quæ, ut Illm̃a et Rm̃a Celsitudo Vra scribit, negotiis nostris minime adversentur. Sæculares quidem nostrates, eosque primarios, benevolos causæque nostræ amicos habemus, et ut eorum, qui in vicinia nostra sunt, quique nos aliquo vel amicitiæ vel necessitudinis jure attingunt, animus atque studia adjungamus, vehementer et magna diligentia laboramus, ac non solum jam Catholicos, verum etiam

adversæ religionis non paucos homines ita nobis devinximus, ut eos in nostra plane potestate habeamus. Negotium Domini Gluchowski ita a me comperendinatum est, ut id omnino sit Illñæ et Rñæ Celsitudinis Vestræ voluntati atque arbitrio reservatum. Ego interim me et humillima obsequia mea Illñæ et Rñæ Celsitudini Vestræ summa cum demissione commendo, Deumque Opt. Max. precor, ut eam salvam incolumemque, ac rebus amplissimis florentem quam diutissime conservet. Datæ Lubavia die XVII. Decembris anno Domini 1584.

Illñæ et Rñæ Celsitudinis Vestræ

Humill. servus et perpetuus exorator
Petrus Costhca Episcopus Culmensis.

LXX. — Ecclesiastica jurisdictio in Magno Lithuaniæ Ducatu non minus periclitabatur: sed vel maximo animi ardore illarum Ecclesiarum Episcopi in persequendo jure suo, præsertim in causis mixtis, cum laicorum vi atque artibus constantissime decertabant [*]. Qua in re a Poloniæ Clero aliquantum discedebant, propalam asserentes, se absque auctoritate Romani Pontificis nihil, quod per Canones constitutum esset, de judiciorum forma posse immutare. Verum eo discriminis adducta res erat, ut quid agendum esset, non satis constaret. Itaque Cardinalis Radzivilius Episcopus Vilnensis, consulto antea per litteras Cardinali Bolognetto [*], hæcce etiam Summo Pontifici consideranda proposuit, exorans, ut sua auctoritate illius Ecclesiæ damnis obviam iretur, ne ea plane intercideret. Quæ legat oportet, qui Ecclesiæ in Lithuania conditionem pernoscere velit. [*]

[*] Mantissa document. N. 91.

[*] Ibidem.

[*] Polonia Vol. 21. fol. 388.

Beatissime Pater.

« Actum est in hoc Magno Ducatu Lithuaniæ de constituendis formandisque statutis municipalibus, quia usque ad hoc tempus nullæ certæ leges et firmæ in hac patria habitæ sunt, maxime circa jurisdictionem.

« Initio cum homines in hoc Ducatu meliores et simpliciores essent; omnis juris dicundi potestas penes quatuor viros erat, qui Pares appellabantur.

« Nobilitas Lithuana aliquando pertæsa talis administrationis, cum animadvertisset in Polonia Nobiles majorem habere auctoritatem, agere cœpit cum Rege, ut aliqua melior et ipsis magis communis forma judiciorum constitueretur. Quamobrem Rex suasit Senatoribus, qui Pares appellabantur, ut jurisdictioni suæ renuntiarent. Id factum est anno 1564. in Conventu generali Bielscensi. Cui quidem renuntiationi Valerianus Episcopus Vilnensis prædefunctus consentire noluit, quantum attinebat ad jurisdictionem Ecclesiasticam; quinimo ea de re solemniter est protestatus. Ab illo tempore inceptæ sunt condi leges seu constitutiones municipales, incertaque mansit in hoc Magno Ducatu jurisdicundi ratio, et inter statum Ecclesiasticum et sæcularem non defuerunt controversiæ, quia nobis a sæcularibus non est administrata justitia; quinimo fuimus multis bonis Ecclesiasticis spoliati.

« Proximis annis volentes Domini sæculares aliquam, ut ipsi dicunt, inire concordiam, constitutiones Lithuaniæ antea conditas ediderunt, et illarum confirmationem procurarunt. Quoniam autem miscuerunt in illis aliquos articulos, qui non parum adversari videbantur statui Ecclesiastico et illius jurisdictioni, nos contra ipsas constitutiones tam in Conventu particulari Wolkowiscensi anno 1582. mense Septembri, quam in Comitiis generalibus Warsaviensibus eodem anno, mense Novembri, sumus protestati, neque unquam adhibere consensum nostrum voluimus. Cum autem viderent illi confirmationem a nobis impediri, urgere cœperunt, ut ea de re amice tractaremus, nobisque Rex Serenissimus vehementer suasit, ut aliqua ratione cum iis componeremus. Ea de causa proxime celebratus est conventus Vilnensis, in quo nos in primis ipsis denunciavimus, nos nihil unquam concessuros, quod vel minimum imminueret jurisdictionis Ecclesiæ, quidquid etiam consultaretur, id totum subjici debere Sanctitatis Vræ Domini Nostri Clementissimi arbitrio et censuræ, quandoquidem nos de talibus rebus jurisdictionem Ecclesiasticam tangentibus statuendi facultatem nullam haberemus. His præmissis ventum est ad consultationem. Quamquam Dñi sæculares illud maxime exagerabant, quod in Polonia sine tot difficultatibus, præsentibus etiam Nuntiis Apostolicis, res essent constitutæ, et inter Ecclesiasticos et sæculares concordia stabilita, neque petitum esse arbitrium seu beneplacitum Sanctitatis Vestræ; quod ipsi pro æmulatione, quam cum Polonis perpetuam habent, in fraudem vel contemptum hujus patriæ factum esse existimant, Illño Domino meo Domino Cardinali Bolognetto et Polonis forte suggerentibus atque instigantibus.

« Denique post magnas altercationes multum ipsi de rebus propositis permoti constantia nostra decesserunt, sicuti ex scriptis et sermonibus ultro citroque habitis deprehendi potest; denique nobis mentem suam ita declararunt, ut facile potuerimus cognoscere, cupere illos et majorem in modum conari, ut sicuti nos ex parte illorum, si quid controversiæ nobis cum sæcularibus accidat, habemus in Ducatu Lithuaniæ ultimas instantias, quam ob rem necesse nobis non sit pro justitiæ administratione vel in Poloniam, vel in alias longinquas terras pergere; ita vicissim ipsi habeant in hoc eodem Ducatu Lithuaniæ judices ex parte nostra, qui controversas nobiscum causas cognoscant et definiant. Velint igitur constitui Tribunal, quod Vilnæ semper maneret, in quo singulis annis statis

temporibus, etiam causæ Ecclesiasticorum cognoscerentur in ultima instantia, sicuti cognoscuntur et definiuntur omnes sæcularium controversiæ, quod quidem Tribunal velint constare tribus vel quatuor hominibus Ecclesiasticis, qui commissarii etiam Sanctitatis Vræ appellarentur, et totidem adjunctis sæcularibus ex eorum numero, qui cæteras omnes causas cognoscunt.

« Eas autem tantum causas huic tribunali subjicere volunt, in quibus de fundo agatur, seu de civilibus injuriis, inter utrumque statum et inter subditos suos ac nostros. Cæteras causas in suo statu antiquo relinquunt, puta illas omnes et cujuscunque generis, quæ inter duos clericos versentur, omnes Ecclesiastici fori, omnes criminales, in quibus etiam sæculares adversus clericum agunt. In iis autem civilibus inter sæcularem et clericum, seu clerici subditos vertentibus, cum servari ordinem volunt: ut prima et secunda instantia penes Dominos et superiores Ecclesiasticos sit, ultima appellatio ad Tribunal devolvatur, et in casu discordiæ ad Regem, quod in Polonia Clerus obtinere non potuit; etenim causæ illæ, quæ a Tribunali definiri non possunt, ad Comitia rejiciuntur. De Episcopis permittunt, si de controversiis hujusmodi de fundo citandi erunt ab aliquo sæculari, ut coram Rege, si Tribunal refugiunt, citari possint, sicuti alii Senatores et in dignitatibus constituti citari solent. Rationes, quas allegant, illæ præcipuæ sunt.

1. Ut par sit ratio Ecclesiasticorum et Sæcularium in finiendis litibus in patria: videntur enim illud exhorrescere, quod vel ad Nuntium Apostolicum vel ad Romanam curiam in causis controversis, maxime civilibus et levioribus, per appellationem ab Ecclesiasticis trahantur.

2. Quia superioribus temporibus ita factitatum est, ut in ejusmodi controversiis civilibus non solum aliæ personæ Ecclesiæ, sed etiam ipse Episcopus Vilnensis coram sæculari judicio tam inferiori seu terrestri, ut vocant, quam Regio citati fuerint, comparuerint, litem sint contestati, lataque decreta susceperint, quod multis actis et documentis probant.

3. Quia Rex causas inter Ecclesiasticos et Sæculares de limitibus fundi et possessionum controversas solet judicare, uti in antiquis privilegiis ipsius fundationis et dotationis Ecclesiasticæ sibi eam facultatem reservavit. Ut jam non valde resistere aut repugnare debeamus, quod ejusdem causæ et aliæ minores de civilibus injuriis seu damnis non in prima aut secunda, sed in ultima instantia a Tribunali constituendo cognoscantur.

4. Quia Rex, ut in hac Republica nostra communem firmaret inter omnes Status concordiam, de suo jure decessit: jurisdictionem enim, quam ipse habuit in Polonia et in Lithuania, Tribunali concessit, nos quoque illius exemplum secutos debere aliquid Reipublicæ et communi paci ac concordiæ condonare.

5. Quia universus Clerus Poloniæ constans tot Episcopis, Abbatibus, Præpositis, aliisque Prælatis potentibus et opulentis, existente in Regno et in ipsis Warschaviensibus Comitiis Nuntio Apostolico, Tribunali consensit; et multo quidem gravioribus conditionibus, quia non ultima tantum instantia, sed prima est penes Tribunal, ut quivis homo Ecclesiasticus etiam in Episcopali dignitate constitutus, teneatur coram Tribunali comparere.

« Suadent itaque nobis talibus rationibus, ut consensum nostrum præbeamus, cum præsertim ea judiciorum ratio non sit futura perpetua, sed ad beneplacitum nostrum. Volunt enim nobis cavere, ut liceat quandocumque ab ea concordia discedere, et ad pristinum jus reverti, si quando acciderit, ut læsos nos esse et conditionem nostram pejorem esse factam sentiamus. Id si nolimus, expressam sententiæ nostræ declarationem expetunt. Dicunt enim se nos nostraque ex statuto exclusuros, et tacite inferunt, expositos nos fore omnibus injuriis sine ulla spe, quod nobis justitia administretur. Nos tempus ad respondendum illorum postulatis petiimus, ægreque obtinuimus usque ad conventum Walkowiscensem, qui solet sex hebdomadas ante generalia Regni Comitia celebrari. Nunc totum hoc negotium subjicimus sapientissimo Sanctitatis Vestræ judicio, et paternæ illius charitati et clementiæ, supplicamusque, ut statuat ea in re, quod videatur in Domino expedire. Nos certe mordicus retinuimus usque ad hoc tempus jura nostra et libertates, pro quibus tuendis et conservandis multa passi sumus incommoda, multaque sustinuimus pericula. Animadvertimus tamen, nobis jura vel auctoritatem Ecclesiasticam tuentibus adimi interim modo ab hoc, modo ab illo hæretico non pauca bona Ecclesiastica, ut jam plus quam 300. beneficia ab Ecclesia distracta ac avulsa per hæreticos in hac diœcesi numerentur. Dum autem cum sæcularibus dissentimus, illisque nihil concedimus de jure, multum de bonis amittimus, neque rationem tenemus illa recuperandi, quia judicem non habemus, in quem illi nobiscum consentiant. Certum est, quod in Polonia jurisdictio Ecclesiastica longe pejori in statu versatur, illudque nobis non solum ab adversariis nostris, sed ab ipsa Regia Majestate objicitur, suadeturque, ut aliqua concordia cum sæcularibus inita, magna pericula atque incommoda imminentia avertamus, nedum speciem aliquam dignitatis et libertatis volumus retinere, intestinas dissentiones in magnum malum aliquanto erupturas alamus. Rex noster Serenissimus mecum sæpius ea de re gravissimis verbis est collocutus, dixitque inter cætera, se

jam odoratum esse Dños sæculares suspicari, quod Illmus Dominus Cardinalis Bolognettus discordiam inter nos foveat, et vereri se, ne aliquando moliantur, ut in Regnum Nuntius Sanctitatis Vestræ non admittatur, quandoquidem alias interregni tempore alia ejusmodi gravissima in detrimentum Catholicæ religionis et dignitatis Ecclesiæ statuerunt. Dixit etiam alia, quæ nil attinet commemorare. Tantum dicam, ipsius Majestatem erga concordiam esse valde affectam, uti Sanctitas Vestra ex binarum ejusdem ad me litterarum exemplo, quod erit hisce adjunctum, facile poterit cognoscere, ut verendum sit, ne si in sententis persistamus, nobis aliquando non desit, et aliquid adversariis concedat, quod nobis perpetuo noceat.

« Verum faciamus nihil hujusmodi accidere; noluimus enim de summa Catholicissimi Principis pietate dubitare. Tamen in Comitiis generalibus Rex ipse non potest, quantum vult, quinimo in aliorum sententiam aliquando invitus trahitur. Cum primum expresse declaraverimus, nos cum Dñis sæcularibus nolle consentire, urgebunt nihilominus illi, ut nobis omnino prætermissis, statuta in Comitiis confirmentur; quia dicent non æquum esse, quia nos non consentimus, quod ipsi sine certis legibus vivant; et quoscunque articulos nobiscum controversos ex statuto expungent. Si non obtinuerint, (quod vix sperandum est) resque ita in suspenso manserint, varia et incerta erit ratio judiciorum, et non cessabunt illi more suo; et multo etiam pejus affecti, Clerum cumulare injuriis, eritque inter nos perpetuus dissentionum et rixarum fomes, si obtinuerint confirmationem (quod valde verendum est); etenim ne quid de Rege loquar, qui tamen mihi expresse dixit illos, si ea ratione confirmationem petierint, obtenturos, major certe in Comitiis generalibus est numerus hominum partim hæreticorum, qui Clero non favent, partim sæcularium, qui sua etiam potius quam nostra curant, ut ab illis exiguum, aut nullum subsidium sperare possimus. De Ecclesiasticis Regni Poloniæ nescimus, quid nobis polliceri debeamus, cum ipsi jam de suo jure cesserint, forte plus de nostris, quam de propriis rebus non erunt solliciti. Nostri paucissimi sunt diuturnis injuriis ita afflicti, ut tot tamque potentium adversariorum impetum sustinere non possint. Si igitur illi, nobis invitis, statutorum confirmationem obtinuerint, licebit illis impune rapere bona Ecclesiastica, et contra Clerum universum atque illius subditos sævire, quia si nos justitiæ administrationem ab illis petemus, dicent, nos legibus hujus patriæ non esse comprehensos, nescireque se qua ratione nobiscum agi debeat, et quasi merito nos a Tribunali suo repellent.

« Quæcunque accidant, non dubito me, quantum attinet ad bona et subditos Episcopatus, ullam passurum injuriam; mihi enim Dei beneficio non desunt cognati et amici, neque vires decrunt ad omnes injustos conatus propulsandos. Verum si quis aliquando mihi succedat, qui talia non habeat subsidia, non video, qua ratione possit ille se et sua tueri. Præterea Clerus hujus provinciæ hominum et proventuum paucitate satis infirmus, certe non poterit adversariorum potentiæ resistere, jamque prævidet, si quæ judiciorum ratio non constituatur, brevi se et sua pessum iri. Quamobrem suggerit Sanctitati Vestræ, ut dignetur subjicere sibi ante oculos statum hujus provinciæ, ubi jam non jure, sed vi et potentia agitur, et perpendere non tam quid deceat, quam quid hoc tempore expediat.

« Putant omnes, etsi per nostram in Tribunal consentionem imminueretur aliqua ex parte jurisdictio Ecclesiastica, illam etiam ex altera parte firmari. Etenim cum multa extent documenta, ex quibus apparet, Ecclesiasticos, etiam Episcopos, in ejusmodi causis civilibus de fundo judicio sæculari in prima istantia se submisisse, jus nostrum satis labefactatum videtur. Habemus quidem aliquod privilegium Wladislai Regis, cujus exemplum ad Sanctitatem V. mittimus, in quo Ecclesiastici secluduntur a sæculari potestate; sed tamen in eo sunt verba satis generalia, et innuunt potius liberam jurisdictionem Ecclesiasticam in subditos suos, quam declarant formam judiciorum, si sæcularis cum Clerico controvertat. Ita videtur illud privilegium acceptum fuisse ab Ecclesiasticis, et a Regibus declaratum, uti res judicatæ demonstrant. Nunc igitur per statutorum reformationem in causis civilibus Ecclesiasticis in prima instantia coram Episcopo, et eorum subditi coram Dominis competens forum obtinerent, quod ut superius dictum est, Clerus Poloniæ non obtinuit; appellationes tantum ab Episcopo ad Tribunal devolverunt, et Episcopus ipse non jam coram inferiori judicio vel Tribunali, sicuti antea factum est, sed coram Rege teneretur comparare. Ita Clerus Lithuaniæ non modo superior esset in jurisdictione Clero Poloniæ, sed etiam obtineret possessionem juris, quod nunquam habuit, vel illam, quam desuetudine amisit, recuperaret. Quod autem novum videbitur, si Canonum ratio habeatur, ut aliqui sæculares adsint Ecclesiasticis in cognoscendis causis sæcularium cum clericis, per appellationem ad Tribunal devolutis, id in hac patria fit tolerabilius, cum superioribus annis Judices sæculares etiam in prima instantis causas Ecclesiasticorum cognoverint; præterea etiam quia jam ratio et ordo Canonicus in hoc Regno violatus est, non tantum in eo, quod aliquæ causæ et illæ quidem Ecclesiasticæ, ut antea dictum est, ad Regis judicium pertinent; id quod corrigi nullo unquam modo

poterit, sed in illo etiam, quod si appellationes ab Episcopo Vilnensi ad Archiepiscopum Gnesnensem devolverentur, vel si ipse Episcopus in causis propriis coram eodem Archiepiscopo citaretur; primum mirum esset, et quasi monstruosum, quod Archiepiscopus præfatus, qui de sua jurisdictione decessit, et ipse cum cæteris Ecclesiasticis Regni Poloniæ Tribunali subjectus est, in nos tantum Lithuanos jurisdictionem suam intenderet; deinde Archiepiscopi sententia super causis nostris lata, qualiscunque esset, sub censuram Tribunalis Poloniæ caderet, secundum formam et rationem judiciorum in illa patria institutam, et ab universo Clero receptam. Itaque dum Tribunal Lithuaniæ vitaremus, in Tribunal Poloniæ quasi de Scilla in Charibdim incideremus. Quod inconveniens et absurdum, si concordiæ nobis a Dominis sæcularibus propositæ non consentiremus, nos ultro eligeremus. Si tamen acciderit, ut aliquis sæcularis ad nos pro justitiæ administratione confugiat: illi enim vix habent, quod a nobis repetant; nos plurima habemus, quæ ab illis repetamus; et si quid habebunt, maluerint profecto omnem, quam habent cum clerico, controversiam de facto et per vim derimere, sibique et rebus suis ipsi consulere, quam aliorum opem non necessariam implorare. Possemus etiam provocare Dominos sæculares, ut eo nos adigerent. Jam enim minitati sunt, si nos pergamus esse, ut ipsi loquuntur, pertinaciores, velle cum Regno Poloniæ etiam in legibus et ratione judiciorum se conjungere, ut nos iisdem conditionibus astringant, quibus Clerus Poloniæ adstrictus est: quo nihil erit in Comitiis Generalibus plausibilius, nihilque ad perficiendum facilius. Cum igitur longe pejor sit illa conditio, quam ea, quæ nobis proponitur, neque possimus undiquaque ex angustiis emergere; dignetur Sanctitas Vestra perpendere, quod vel inviti hanc debemus accipere, vel incurrere in ea pericula et incommoda, quæ superius commemoravi, et quæ omnium maxime Rex noster Serenissimus nobis prædixit, suasitque, ne propter unam levem instantiam (ut ipsius verbis utar) de universo statu nostro periclitemur. Quod si forte dicatur, non futura semper eadem tempora, et per Dei misericordiam dissipatas atque extinctas fore aliquando hæreses, quæ in hanc patriam sunt invectæ, et Ecclesiam Dei suam pristinam dignitatem recuperaturam, neque debere nos imminutioni dignitatis nostræ consentire: primum respondemus, levissimum esse quod amitteremus, maxime si cum eo comparetur, quod Clerus Poloniæ jam amisit, et id quidem tale, quod retinere nulla ratione possumus; deinde si quando dabitur illud tempus, quo hæreses extirpentur, non esse dubitandum, quin eodem tempore et etiam hæc tribunalia dissolvantur. Tunc enim reddetur Sanctæ Sedi Apostolicæ debita obedientia, et in integrum restituetur jurisdictio Ecclesiastica, quæ propter aversionem et rebellionem est imminuta. Interim vero multo conducibilius videtur, aliquas accipiendo conditiones, quibus quandocunque nobis placuerit, nos liberare possimus, quiete vivere, bonaque nostra non solum tueri, sed etiam recuperare, quam in sententia manendo et nihil condonando de statu nostro periclitari. Quod certe fieret, sicuti Sanctitas Vestra ex superius narratis facile poterit cognoscere. Ea tamen omnia sapientissimo Sanctitatis Vestræ judicio subjicimus, et illius jussa expectamus; satis enim prospectum nobis et Ecclesiæ Lithuanicæ existimamus, si debitam Sanctitati Vestræ in omnibus obedientiam præstemus, cui a Deo Optimo Maximo diuturnam salutem votis omnibus precamur.

GEORGIUS CARDINALIS RADZIVILIUS.

LXXI. — Rex autem (ut ex plurimis Cardinalis Bolognetti ad Cardinalem Comensem datis litteris luculenter patet [*]) nihil vel curæ vel solertiæ sibi reliqui faciebat, quominus Ecclesiæ res in tanta laicorum hominum invidia optimo futuræ essent loco. Verens igitur, ne cum eorum plerique, qui ad Comitia destinati, palam exulceratum in Clerum animum gererent, Ecclesiæ insigne aliquod detrimentum illaturi essent, magna de industria Comitia illa extrahebat. Scilicet sperabat, fore, ut eorum animi permulcerentur, cunctandoque pacatiores fierent. At vero secus accidit: namque inclinatis ad omnem suspicionem animis, ira potius alta, quam sedata est: ex qua impotentiori rabie in Clerum ita ferebantur, ut Ecclesiæ causa majori in periculo versaretur, quam unquam antea. Ita se rem habuisse, ipse Bolognettus scriptum nobis reliquit in iis monitis, quæ successori suo dedit, quo paratior ad ea negotia proximis in Comitiis tractanda accederet. In quo quidem viro nescio quid magis mireris, an ad omnia naturalis ingenii dexteritatem, an rerum gerendarum usum, an denique acerrimum judicium in æstimandis gravissimis incommodis, quibus per calamitosissima ea tempora tum Ecclesia, tum Respublica apud Polonos afficiebatur. Ex quo nemo non videt, quanti intersit, ut ea, quæ vir hic de illa rerum conditione tradidit, documenta sedulo perpendantur. [*]

[*] Monitosa document N. 92.

[*] Ibidem N. 93.

Regis consilium de Comitiis dedita opera extrahendis imprimis Archiepiscopo Gnesnensi placebat, prout videre est in hoc scripto, quod ejus nomine Tarnovius Regni Referendarius ediderat, Regique obtulerat. [*]

[*] Polonia Vol 21. fol. 586.

« Vehementer est Reverendissimus Dñus Archiepiscopus de Republica solicitus, metuens, ne quid hoc tempore detrimenti capiat; cui ut quantocius occurratur, aliquot remedia Sacræ

Regiæ Majestati proponit, ex quibus id eligeret ejus Majestas, quod maxime accommodatum judicaret, tam ad sanandos hominum animos, quam ad imminentia pericula a Republica avertenda.

« Instantia quidem isthæc Comitia dubium non est, quin turbulentissima sint futura: quamvis enim, exceptis quatuor Palatinatibus, in reliquis omnibus Nuncii pacati et moderati homines sint electi; in quatuor tamen istis, Posnaniensi, Cracoviensi, Calissiensi, Sandomiriensi, utpote primariis, non modo loco, sed etiam viris omnis Comitiorum istorum tranquillitas, vel perturbatio imprimis sita esse videtur. Videt autem Reverendissimus Dominus Archiepiscopus, electos illic esse in Nuncios homines acres, et Magnifici Domini Cancellarii hostes infensissimos. Videt quoque tantum esse furorem populi, ut nihil jam agi consilio, sed temeritate videatur. Possent commemorari ex annalibus nostris tragici multi exitus, quos populi furor peperisset: sed sciens et volens præterit Reverendissimus Dominus Archiepiscopus.

« Existimat igitur, cedendum esse furori ad tempus, ea nimirum ratione, ut vel Comitia differantur ex causis quamplurimis, inter quas hæc esse posset: adventus Moschi Legatorum, qui si intellexerint frigescere animos hominum ad inferendum bellum, non modo fortasse de nullo horum, quæ postulabantur, decedendum, sed ne quidem etiam pacem poscendam putabunt; vel ut Magnificus Dominus Cancellarius Comitiis non intersit, cum absentiæ suæ honestissimam et maxime necessariam habeat causam, periculum, quod a Turcicis Tartaricisque Regno confiniis imminet. Confluere in Valachiam Turcicos exercitus: novum Tartarorum Imperatorem tam egestate adactum, quam rerum novarum cupidum, id moliri, ut in oras illas Russiæ Podoliæque cum suis exercitibus prædatum involet. Ejus rei non obscurum indicium esse, quod Legatum Sacræ Regiæ Majestatis hucusque detineat.

« Ad hæc pericula avertenda accederent illorum hominum, de quibus agitur, preces, ut Regia Majestas, mortuo campestri exercituum Capitaneo, Magnificum Dominum Cancellarium generalem Capitaneum ad exercitus ablegaret.

« Magnificus Dominus Palatinus Posnaniensis id quoque non inutile existimat, si illius Majestas citationibus de crimine læsæ Majestatis edendis ad pleniorem usque Senatorum numerum supersederet. Dubium enim non est, quin si editæ ante fuerint, majores turbæ ardentiorque populi furor excitetur.

« Quodcumque ex his remediis Regia Majestas amplecti voluerit, salva omnia fore in Republica existimat Rm̃us Dominus.

« Magis Reverendissimo Domino placeret, ut generalis exercituum Capitaneus Reipublicæ causa in confiniis Russiæ Podoliæque adsit; postea vero, si ita illi videretur, sub finem Comitiorum ab exercitu Varsoviam veniret. Neque enim, si adesset integris Comitiis, munere suo tranquillo, secure, et sine sua et Regiæ Majestatis insigni invidia fungi posset; cumque omnes, quasi signum positum ad sagittam, peterent; atque ita publicam totius Regni tranquillitatem turbari, et in extremum discrimen propter privatam, ut multi sentiunt, unius causam adduci, frustra postea quereremur.

« Sapientis hominis est, declinare invidiam, et in navigando obsequi tempestati: cum enim mutata velificatione (quod olim didicimus) portum assequi possis, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem cœperis, potius quam eo commutato quo velis tandem pervenire.

LXXII. — Ostrogienses Duces in fide Catholica excolenda studiosiores in dies fiebant. Lege Constantini junioris litteras, devotissimi ejus animi sensa ad Pontificem referentes. [*] [*] Polonia Vol. 21. fol. 318.

Sanctissime Pater.

« Factum est ordinatione Divina, ut cujus bonitas summa, atque incomprehensibile judicium, nuper me a Græco Schismate ad verum cultum et Ecclesiam Sacrosanctam aggregaverit: ejus quoque annuens clementia, mihi hanc Benedictionem Apostolicam per manus Sanctitatis Vestræ concedendo, me confirmavit. Quæ res tantum solatii et emolumenti mihi secum attulit, ut etiam quem paulo antea propria confessio in Ecclesia Dei filium adoptivum fecerat, is nunc jam hac manuum Apostolicarum per litteras Sanctitatis Vestræ super me impositione, naturalis et legitimus esse videar: et cui haud pridem in hanc harenam descendenti, et propriis viribus adnitenti, omnia aspera et impervia, difficultatum et periculorum plana esse apparebant, nunc tantum hoc incitamento addito, omnia plana atque possibilia in eo, qui me gratia et Spiritu suo ita confortat, esse videntur. Quod ut soli Deo acceptum fero: ita quoque eundem præcor, ut ille hanc singularem Sanctitatis Vestræ in me animi propensionem, ex qua illa tanta bona ex thesauris divinarum opum et gratiæ deprompta mihi impertita est, cœlestibus præmiis remunerare velit: ipse vero omni studio, labore et fidelissima obedientia in hoc contendam, ut tam benigno Patre dignus filius haberi possim, cujus nunc sanctissimos pedes Apostolicos osculor, meque illius gratiæ diligentissime his litteris commendo, idem brevi præsens (ita annuente Divina clementia) coram facturus. Datum Tarnopoli die ultima Maji MDLXXXIII.

Beatissimæ Paternitatis Vſæ

Studiosissimus et obseqm̃us filius

et humillimus servitor

Constantinus Junior Dux de Ostrog mpp.

Hæc autem Constantinus major ad Pontificem, quod suam causam ejus gratia apud Cæsarem voluerit commendatam. [*]

[*] Polonia Vol 21. fol. 317.

« Beatissimo ac Sanctissimo Patri Dño Domino Gregorio Tertiodecimo Pontifici Maximo, Pastori Universalis Ecclesiæ.

Beatissime Pater Dñe, Dñe Clementissime.

« Binæ redditæ sunt mihi a Beatissima Paternitate Tua litteræ, quibus ita ut par est, quam maxima cum humilitate susceptis, contra meritum meum, Beatissimæ Paternitatis Tuæ ex illis erga me vere paternum amorem et gratiam deprehendi; non solum enim quod pro summo Dei Omnipotentis honore et studio in Rempublicam Christianam Beatissima Paternitas Tua satagit, verum etiam me Mnemosiis suis paternis, quæ mihi Beatissimæ Paternitatis Tuæ nomine Rñdus Pater Antonius Possevinus dedit, largitur; præterea quod in negotiis meis apud Sacratissimam Cæsaream Majestatem operam navare non dedignata est, prout Pater Antonius a Bña Paternitate Tua copiosius hisce de rebus omnibus mihi narravit. Pro qua tam magna mihi ignoto præstita humanitate et gratia, non solum Beatissimæ Paternitati Tuæ gratias, quas maximas possum, ago, verum etiam Deum Omnipotentem exoraturus sum, ut Beatissimam Paternitatem Tuam diu incolumem et felicem ad majorem sui Sanctissimi nominis claritatem, tum Reipublicæ Christianæ emolumentum servet. De me vero Beatissima Paternitas Tua hoc certo sciat, in quibuscumque potero et mihi licuerit, semper Bñam Paternitatem Tuam divinissime observans, morem illi gesturus, prout Rñdus Pater Possevinos ex me audiens Beatissimæ Paternitati Tuæ latius declarabit. Cum his submisse officia mea Beatissimæ Paternitati Tuæ diligenter commendo. Datum Lublinæ die 25. Augusti Anno Dñi 1584.

Bñæ Paternitatis Tuæ devotæ subjectionis
Filius et servitor
CONSTANTINUS DUX OSTROSLÆ PALATINUS
KYOVLÆ, MARSSALCUS TERRÆ
VOLINENSIS GENERALIS
mpp.

LXXIII. — Mirum quidem est, quam impigre in re Catholica apud Ruthenos curanda, in confirmandisque Ostrogiæ Ducibus Patres Ignatiani versarentur. Lætissima sunt, quæ de eorum domo Benedictus Herbestus Nuntio Apostolico referebat: inter quæ id posteris in exemplum tradendum est, quod de Catholica quadam nobili fœmina omnia, quæ filiorum sunt, officia erga Ruthenicam severamque matrem præstante narrat. [*]

[*] Polonia Vol. 21 fol. 10.

Illustrissimo et Revmo in Christo Præsuli, et Cardinali Domino Alberto Bologneto, Dei gratia Episcopo Massanensi, etc. Sedisque Apostolicæ in Polonia Nuncio.

Reverendissime in Christo Præsul, Domine et Patrone noster Observandissime.

Gratia et Pax Christi, etc.

1. Literas Reverendissimæ Dominationis Vestræ, quæ Vilnæ 12. Decembris scriptæ sunt, heri usque accepi. Quidquid autem boni usquam a nobis geratur, pro eo soli Deo sit gloria; eo quod gratiæ ejus est, quidquid boni est; nos vero inutiles servi ejus. Rursus eram hic cum Magnifica Domina Vapovia, propter eandem ipsam Ruthenorum continuandam conversionem, dum mihi redditæ sunt a Reverendissima Dominatione Vestra literæ: ideoque eadem ipsa magnæ pietatis Domina Vapovia, cum ex salutatione plane paterna, tum maxime ex Benedictione Apostolica, quam ei Reverendissima Dominatio Vestra suis in literis adscripsit, exhilarata est in Domino plurimum. Non calcari, sed fraeno sic ipsa opus habet, ut nos id maxime curare oporteat, quo in devotionibus suis modum possit tenere: valetudinaria namque quum sit, magna habenda est ratio valetudinis personæ ejus, quæ gloriam Dei et vult et potest multum promovere.

2. Ac difficulter quidem gens ista Ruthenica ad Ecclesiam redire consuevit: jam tamen, per gratiam Dñi et Apostolicam Benedictionem, 27. animas lucrati sumus Christo: inter quas insigniores sunt, Sacerdotis Ruthenici senis septuagenarii, et villæ hic cujusdam Advocati, (sic enim nostrates vocant) qui pro Nobili apud homines habetur. Cujus uxoris etiam conversio tanto mirabilior est hominibus, quod sit Sacerdotis Ruthenorum filia. Quadragesima proxima indicabit, quidnam sperandum sit de horum hic Ruthenorum (quam multi et multa impediunt) conversione: principia tamen hæc, quæ spem nostram vicerunt, bona spe ut simus jubent.

3. Quod autem attinet ad Sacerdotes seu Popones Russicos, et rerum Divinarum ignaros, et vitæ male communiter, qui propterea facile ad vomitum redeunt: et nos cum Reverendissima Dominatione Vestra sentimus idem, ut ad Catholicos Ecclesiæ Romanæ Ritus abducantur potius, quam in suis permaneant, eo quod nostris assueti, ad sua non facile cum suis etiam liberis revertentur. Si tamen Sacerdotes Ruthenorum ex animo converti viderentur, paterenturque se instrui, et Episcopis Catholicis obedire vellent, parati abstineri etiam in perpetuum a suo Sacerdotio, (hoc enim veræ esset humilitatis, cui Deus dat gratiam); tunc possemus, utrum quid eis committendum sit, deliberare: sed ut nunc res sunt, a Ritibus ipsorum pergemus eos ad nostrates abducere. Atque hæc quidem satis sint ad ea, de quibus Reverendissima Dominatio Vra meam volebat scire sententiam:

quam quidem ego tunc scripsi, dum jamjam eundum mihi erat ad Ruthenicos hic rusticos.

4. Apud Illustrem Ducem Ostrogensem Dominum Constantinum juniorem, per gratiam Domini, factum etiam est id, cujus causa ad ipsum missus eram: ut et in fide Catholicæ Ecclesiæ confirmaretur, (hæreticorum etiam variorum, a quibus oppugnabatur, erroribus confutatis) etiam pietatis syncerum studium cum Fide Romana ut conjungeret: fructusque is, in uxore ejus maxime, est multum illustris. Cum hac namque ego apud Ruthenam matrem ejus (quæ vidua est Palatina Smolescensis) festa Natalis Domini proxima exegeram; eo quod Illustris Dux ipse suorum quorumdam negotiorum causa Vilnam (quod Reverendissima Dominatio Vestra vidit) fuerat profectus. Ex factis Confessionibus, ex colloquiis spiritualibus, ex quotidianis etiam concionibus, maxime vero ex Sacrosancta Eucharistia in Adventu et Natali Domini ter ex meis manibus sumpta, sic Ducissa ipsa in pietate cum toto suo gynecæo atque familia proficiebat, ut Nobiles duæ Virgines votum emiserint Castitatis, bono cum judicio, magnaque cum ædificatione; accedente ad eas et conjugata quadam, quæ Ducissæ Cognata est, quæ in flore ætatis viduitatem suam (si ita Deus vellet) Deo etiam magna ex charitate consecravit; Ducissa vero ipsa, quam mater ad Ruthenismum suum revocare omnibus modis tentabat, ita constanter se et viriliter in omni tentatione præbuit, ut perfectionis etiam, nedum pietatis, multum studiosa esse appareret. Levius hoc fuit, nullis sacris Ruthenicis, nullique orationi cum matre interesse; gravius autem longe, Communionem Ruthenicam matri more gentis non precari salutarem. Ad quod virile ejus factum, dum mater excandesceret, ipsa modestissime et cum debita charitate repetebat (est namque boni judicii) ea: unum Deum atque Christum esse, sic etiam Ecclesiam unam debere nos reipsa confiteri; paratumque se esse debitum honorem habere matri, et pedes ei (si pateretur) lavando, ubi nulla Divinæ Majestatis offensio intercesserit. Non desperandum autem est et de conversione illius matris, quæ in illis partibus patrona est insignis Ruthenorum; sed longiore opus erat, ad plures ad Ecclesiam reducendus, tempore; mihi vero, feriis illis nati Christi perfectis, redeundum erat in Collegium, et ad intermissum hic laborem. Cujus causa quoniam ecce jam eundum mihi erat ad Ruthenicos hic pagos; propterea Reverendissimam Dominationem Vestram nomine ipsius Magnificæ Dominæ Vapoviæ (quod ipsa humillime et amantissime facit) resalutando, agendoque gratias pro singulari in nos et multum paterna benevolentia ac studio, cupimus eam in Domino bene semper valere, in dies ad majorem ejus gloriam etc. Amen. Dynovi 4. Februarii anno Domini 1584.

Reverendissimæ Dominationis Vestræ, Dñi et Benefactoris, atque Patroni nostri observandissimi

Servus in Christo
Benedictus Herbestus.

LXXIV. — In Lithuania Nicolao Radzivilio Duci Olicæ, Cardinalis Episcopi Vilnensis fratri, res Catholicæ non minori erant curæ. Pius hic vir, post sacram ad Palestinæ loca peregrinationem in Italiam reversus, cum morbo correptus nec S. Lauretanam domum, nec Sanctos Apostolos invisere Romæ, ut in votis habebat, potuisset, has ad Pontificem litteras misit. [*] [*] Lit. Principum Vol. 8. fol. 160.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII.

Sanctissime Domine.

« Cum jam a multis annis nihil magis in votis, quam ut sanctissimis pedibus Sanctitatis Vestræ humiliter osculatis, eidem servitutem meam offerrem, tum vero maxime id nunc et cupiebam et sperabam; sed cum discedens Hydrunto, ubi cum triremibus Venetis mense præterito appuli, recta ad visitandam Ecclesiam Beatissimæ Virginis Lauretum ex voto pergerem, ita in itinere et adversa valetudine, et quibusdam accidentibus impeditus sum, ut etiam vix Ferrariam mihi pervenire licuit, tandem ingruente morbo coactus sum Venetias me conferre: interim jam binæ literæ mihi ex patria allatæ, quibus ob res quasdam maximi momenti, licet privatas, et frater et aliqui propinqui me sollicitant, ut quam primum redeam; sed cum valetudine deteriori in dies afficior, prorsus de discessu nihil statuere possum: si tamen auxiliante Domino sanitatem aliquo modo recuperare licuerit, recta, ut video, in patriam mihi festinandum erit, nisi de rebus quibusdam meis actum esse velim. Proinde cum dubitem me nunc in Urbem excurrere posse, quod oretenus decreveram, nunc hisce meis id facere cogor. Humillime itaque et obnixe gratias ago Sanctitati Vestræ pro collatis immensis beneficiis in Illmum fratrem meum Cardinalem Vilnensem, cum quo dedicando nos in servitutem Sanctitatis Vestræ Deum Optimum Maximum orabimus, ut Sanctitatem Vestram florentem, et in prospera valetudine diu conservare dignetur. Ego vero id mihi ex animo opto, ut Sanctitatem Vestram Dominum meum clementissimum aliquando, ut tamen spero, mihi videre liceat. Commendo servitutem meam humillimam Sanctitati Vræ.

Datum Venetiis die xxi. Aprilis MDLXXXIIII.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus servus
Nicolaus Christophorus
Radzivil Olicæ Dux.

LXXV. — Idem simul atque in patriam se restituit, animum adjecit Collegio Societatis Jesu

in civitate sua Niesviciensi erigendo, quo Nobilium virorum hæreticorum filii reciperentur. Eodemque tempore, ut domesticæ etiam rei rationem haberet, uxorem duxit Ducis Vesnievicensis filiam, ex parentibus Schismaticis ortam: cæterum ejus ingenii indoles ac pietas certam spem faciebant, eam brevi Catholicam fidem amplexuram. Qua de re italico sermone litteras Cardinali Comensi scripsit [*]: has vero ad Pontificem dedit. [*]

[*] Mantissa document. N. 81.
[*] Polonia Vol. 21. fol. 868.

Sanctissimo Domino Nostro, Domino Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Beatissime Pater.

« Post pedum oscula beatorum. Cum summa Omnipotentis Dei clementia, absoluta Hierosolymitana peregrinatione, in patriam me reduxerit, nihil mihi fuit antiquius, quam ut cadenti Catholicæ religioni in hac provincia pro juribus meis succurrerem, ad quod agendum nullum aptius visum est remedium, quam ut Societatis Jesu Collegium in hac mea Niesvisiensi Civitate erigerem, quo Nobilium hæreticorum filii, quorum in hac provincia ingens est numerus, undequaque confluerent, et in cæteris oppidis meis, in quibus nullum fere restabat sanctæ religionis vestigium, Ecclesias parochiales fundarem, eisque de optimis operariis providerem. Quibus bene et fœliciter peractis, cum animum ad domesticas res componendas appulissem, meque haud idoneum ob valetudinem tot et maritimis, et terrestribus itineribus pessundatam ad Rempublicam capessendam cognoscerem, Illustrissimorumque Principum fratrum meorum (cum longissime a me absint) opera et consilio nullis prorsus curis levari possem, diu multumque dubitavi, quid potissimum mecum esset agendum, et ut deperditam valetudinem amplius non perderem, et ut status mei rationes pessum non irent: illud consultius tandem visum est, ut me in matrimonii affinitatem cum aliquibus ex propinquioribus Principibus jungerem, quibus mea omnia ob urgentissimas causas nota essent. Quod nuper, Deo bene favente, factum est. Duxi enim in uxorem Illmi Ducis in Vesnieviecz demortui Palatini Voliniensis filiam, quæ cum ex utroque parente hæretico nata sit, nihilominus ob pientissimam naturam suam spero, fore, ut de ejus conversione alteris meis literis certiorem reddam Sanctitatem Vram, cui omnia hæc significare et volui et debui, et ut sua sancta benedictione obtenta, Deus Optimus Maximus hoc matrimonium mihi fortunare dignetur, et ut humillima obsequia mea in ejus mentem revocarem. Cui denuo etiam atque etiam me meaque omnia summa cum submissione commendo. Niesvisii die 4. Decembris 1584.

Sanctitatis Vræ

Humillimus servus

NICOLAUS CHRISTOPHORUS DUX OLICÆ.

LXXVI. — Cardinalis Episcopus Vilnensis, non modo favente, sed suadente etiam Rege, omni labore ac sedulitate in rem Catholicam per vastissimas provincias Livoniam, Estoniam et Curlandiam incubuit. Cujus opera et curas Fulignius, qui a secretis erat, binis litteris Cardinali Bolognetto fusiore calamo peragit, quarum alteras Torgenevius typis edidit, [*] alteras vero ad calcem hujus tomi adjicemus. [*]

[*] Monum. Russiæ T. I. p. 396-399.
[*] Mantissa document. N. 85.

Quum Episcopus Vendensis, qui ad hanc novam Sedem in Livonia anno superiore inauguratus fuerat, morte præreptus esset, Stephanus Rex spectatissimum ex necessariis suis virum, Nidocium Archidiaconum Vilnensem, in ejus locum nominavit. Petit igitur a Pontifice, ut pateretur eumdem beneficia, quibus fruebatur, in Episcopatu retinere, simulque diplomata ad novi Episcopatus institutionem Apostolica auctoritate ratam habendam edi mandaret. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 38. ep. 13.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Gregorio Divina Providentia Papæ XIII. Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater, Domine Dñe Clementissime.

« Post oscula pedum beatorum, mei regnique ac dominiorum meorum diligentem commendationem. Cum Reverendus in Christo Pater D. Alexander Miolinski, priusquam Episcopatum Vendensem adire potuisset, ex hac vita voluntate divina migrasset, successorem illi Venerabilem Andream Patricium Nidocium, Præpositum Varsoviensem, Archidiaconum Vilnensem, Juris Utriusque Doctorem et Secretarium meum nominavi: eum quidem virum, quem ad illustrandam pietatis veritatisque luce pravitatis erroribus oppressam provinciam, eximiis dotibus instructum esse judicavi: ea sunt morum integritas, excellens in Deum pietas, eaque doctrina, qua et ipse illustre sibi nomen paravit, et Ecclesiam Catholicam Sanctamque religionem ab adversariis pie atque constanter defendit. Quoniam autem munus hoc Episcopale non ambiendo concupivit, sed delatum a me ne Ecclesiæ deesset, detrectare noluit, quanto magis hanc in illo moderationem animi comprobo, magisque Livoniæ talem pastorem foveo, tanto majore diligentia et studio a Sanctitate Vestra peto, primum ut nominationem ipsius meam auctoritate sua primo quoque tempore comprobet, et confirmet; demum ut fundati istius Episcopatus Vendensis diplomata edi mandet; ad extremum et Sacerdotia, quæ ante habuit, nominatum a me cum Episcopatu retinere patiatur. Quam rem idcirco a Sanctitate Vestra obnixe peto, quod cum Episcopalium in Livonia bonorum conditionem esse exploratum habeo, ut licet perampla sint, vixdum tamen quidquam in illis cultum ferenti-

busque fructibus aptum et idoneum sit; magni autem Episcopo ad divini cultus rationes in ea provincia recte constituendas sumptus sunt necessarii. Confido Sanctitatem Vestram, id quod peto, novitati illius Episcopatus ipsique adeo Catholicæ religionis propagationi, ad quam ea Sanctitatis Vestræ indulgentia permultum momenti accesserit, clementer daturam. Sanctitatis Vestræ clementiæ me regnumque meum etiam atque etiam commendo. Datum Grodnæ die XIII. Octobris Anno Dñi MDLXXXIV.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius

Stephanus Rex Poloniæ m. pp.

Episcopus Præmisliensis Nuntium Apostolicum rogat, nominato Vendensi Episcopo, quamvis nondum ab Pontifice institutus esset, auctor sit, ut se quamprimum ad suam Sedem conferat; non quidem ut Episcopum gerat, sed illos Sacerdotes alloquio et præsentia sua retineat. Innuit insuper ad Poloniæ Regem fama delatum esse, Scotiæ Regem Catholicam fidem esse amplexurum. [*]

[*] Polonia Vol. 21 fol. 477.

Illmo et Rmo Patri Domino Alberto Bolognetto S. R. E. Cardinali, Administratori perpetuo Episcopatus Massanensis, et S. D. N. in Regno Nostro Nuntio sincere Nobis Dilecto.

Illustrissime et Reverendissime Domine, Domine Observandissime.

« Quid de renunciato Vilnensi Palatino Illustrissima Celsitudo Vrā fieri cuperet, simul ac de litteris illius intellexi, statim ad Regiam Majestatem detuli. Ostendit Sua Majestas, sua cum Illustrissimæ Celsitudinis Vræ vota esse conjuncta, optavisse nimirum se, ut ea dignitas Catholico cessisset; sed eum iniquitas temporum Catholicum illi idoneum invidisset, optare porro, ut is ad quem delata est, non pertinacissimus hæreticus ad mentem redeat, neque desperare id, conciliante Domino, futurum. Mihi quidem totis istis undecim diebus, quibus venationibus vacabat, et venationum et omnium graviorum munerum vacationem Sua Majestas dederat, sed in ea quietis jucunditate hoc mihi accidit molestiæ, quod de Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ morbo nuncium accepi. Nihil quidem hoc tempore variis morbis frequentius: verumtamen ego a Domino Optimo Maximo id varie precabor, ut pristinas vires Illustrissimæ Celsitudini Vestræ restituere dignetur, neque patiatur, ut ista febris, quæ illas debilitavit et afflixit, invalescat. Narrationes illas Scoticas Regiæ Majestati perlegi. Perlatum autem de maritimis Civitatibus est ad Suam Majestatem, Regem illum prorsus Catholicam religionem amplexum esse, et Hæreticis esse infestissimum: et perlatum id est ab ipsis nostris religionis adversariis, ut prorsus existimet Sua Majestas, istis quæ gesta,(esse, hac abs Illustrissima Celsitudine Vestra missa narratione perscribitur) hæc fuisse consequentia: faxit Deus, ut hæc religionis veræ in illa Provincia facta sint incrementa. Hoc unum habeo præterea, quod Illustrissimæ Celsitudini Vestræ perscribam: Dominus Nominatus Vendensis quemdam Serenissimæ Reginæ Aulicum huc ad Regiam Majestatem expedivit, petivit, ut in Nominationis ipsius prioribus litteris quædam immutarentur et adderentur. Quod ut fieret, assensa est Regia Majestas, sed hoc ab illo omnino requirit, ut non expectatis confirmationis ex Urbe litteris, in Livoniam se conferat, non quidem ut Episcopatum adeat, in eoque contra Canonum præscripta faciat: sed ut ad Illustrissimum Dominum Cardinalem Radzivilum Rigæ consistat, atque et auctoritate illius, et præsentia sua Sacerdotes illos Livonicos, venturi Episcopi spe diu multumque a Regia Majestate lætatos, in provincia contineat. Eo enim sunt animo, ut propter varias difficultates, tantamque Episcopi moram inde demigrare velint. In quo per magnum acciderit incommodum; neque enim parva opera Sacerdotes, qui Latavicam et Estonicam calleant linguam, reperiuntur: dat itaque Provinciæ illius utilitati et saluti Illustrissima Celsitudo Vestra operam auctoritatemque suam, atque Dominum Nominatum ad hoc iter Livonicum suscipiendum incitet. In quo quanto majore celeritate usus erit, tanto melius Ecclesiarum illarum sibi commissarum rationibus providebit. Tametsi enim absque Confirmationis litteris sacris inire munus Pastorale non possit, commodissimum tamen erit, ut eas ibi in propinqua expectet, et acceptis mora negotioque nullo administrationem illius Episcopatus suscipiat. Quod superest, me studiaque et officia Illustrissimæ Celsitudini Vestræ commendo, atque confirmata valetudine prospera in posterum commodaque utatur precor. Datum Grodnæ die 14. Octobris Anno Domini 1584.

Illustrissimæ Paternitatis Vestræ

Addictissimus

Adalbertus Baranowski

Nominatus Episcopus Præmisliensis.

LXXVII. — Atque hic haud est oblivioni tradendum, quid Angli, qui Elbingæ ad lacum Venediæ in maris Baltici oris mercaturam exercebant, cum Rege atque Ordinibus Poloniæ de libera navigatione egerint. Quas ea de re Elbingensibus conditiones exhibuerint, quasdam et ad liberum pertinentes religionis usum spectabant, ad calcem hujus voluminis habes [*]. Verum Elbingenses, quum omnes fere Augustanam Confessionem sequerentur, horum Calvini sectatorum petitiones omnino respuerunt, adeo quidem ut eisdem neque liberum navigationis, neque usurpandæ eorum religionis jus tribuerint. En quasdam Anglorum conditiones, et quæ ad eas Gedanenses responderunt. [*]

[*] Mantissa document. N. 96

[*] Polonia Vol. 21. fol. 466.

Ex articulis quos Angli Elbingenses petiverunt a Sacra Regia Majestate.

IIII.

« Item conclusum, concordatum et conventum est, quod dictæ Societati mercatorum ad pietatem erga Deum unanimiter exercendam in domo dicta, quæ perpetuo ipsorum Residentiæ est designata, liberum et concessum sit sese ad Divinas preces peragendas convocare, easque ibi preces suas more et ritu, quo in Anglia fieri solet, sine ullo impedimento exercere. Quod autem ad Anglos mortuos sepeliendos attinet, unusquisque Anglus Elbingæ mortuus secundum existimationem et dignitatem suam inter Cives Elbingenses, ritu et more inter ipsos recepto, vel intra ipsas Basilicas, vel in Cemiteriis templorum Elbingensium sepeliatur.

VII.

« Item conclusum, concordatum et conventum, quod dicto Præfecto seu deputato et assistentibus potestas sit condendi ordinationes et statuta, secundum quæ suos Anglos ad honestam vitæ disciplinam cogere, et in officio suo continere possint.

XVI.

« Item conclusum, concordatum et conventum, quod Præfectus seu deputatus et assistentes Societatis dictæ suos immorigeros et præfatos Anglos in omnibus causis, quæ supra ad eorum jurisditionem spectare dictæ sunt, in carcere Civitatis publico Civibus Elbingensibus incarcerandis destinato (Magistratu Civitatis dictæ prius requisito) incarcerare possint, quoties et quando ipsis videatur, idque sine ulla causæ relatione ad Magistratum, si modo dictus Præfectus seu deputatus et assistentes Magistratui dicto de actionis, detentionis sive incarcerationis injustæ indemnitate caveant et prospiciant.

XXXII.

« Item conclusum, concordatum et conventum est, quod omnes et singuli nativi Angli, qui in Regnum Angliæ perfidi et a fide sua desciscentes reperti fuerint, non solum beneficio horum privilegiorum excludantur et careant, sed etiam Jure omni Civitatis Elbingensis (si in Civium numerum recepti sint) ipso facto (postquam rebelles hic ex Anglia denunciantur) decidant et priventur.

« Internuntiorum Gedanensium ad singula capita postulatorum Anglicanorum informatio Dominis Commissariis Elbingæ exhibita.

IIII.

« Nihil ad nos pertinet, quia non de Religionis exercitio, sed de commerciis agitur.

VII.

« Hic articulus ferme præ cæteris Anglorum studium detegit, et quam perniciosa hæc ipsorum monopolis et universo Regno et terris Prussiæ futura sint, satis demonstrat. Statuta enim et leges ex suo commodo pro consideratione temporum exteris figere se refigere nunquam in hoc Regno auditum, multo minus licitum fuit. Considerabunt quidem Angli tempora, at non ex aliorum, sed sua utilitate et statuta talia condent, quæ ipsis permultum servient, omnibus vero Regni incolis incommodabunt plurimum; testantur hoc leges, quæ jam conditæ sunt et usu servantur.

XVI.

« Spectat hic articulus ad imperium, quod Angli desiderant, stabiliendum: sine causæ enim cognitione et relatione aliquem ex alterius arbitrio incarcerare servitutis aliquid habet, et occasionem præbebit, ut magis magisque legibus suis iniquis commercia constringant, et quosvis ad eas servandas alligant.

XXXII.

« Magni et periculosi exempli res est, quod hi collegati absolutam sibi potestatem usurpare volunt, quos volunt rebelles et perfidos judicandi. Ac siquis fortassis etiam Gedanum venerit, aut ibi domicilium habuerit, eundem huic numero adscribent, uti jam de facto fieri videmus.

LXXVIII. — Rex, intentus in ea cura, quam præcipuam susceperat de religione apud Transilvanos in decus pristinum restituenda, Andream fratris filium, pridie Nonas Junias a Pontifice in sacrum PP. Purpuratorum Senatum cooptatum, Roma evocavit, ut in Transilvaniam mitteret, sedique Episcopali Egneddi mox erigendæ designaret, prout Nuntius Apostolicus Cardinali Comensi significavit [*]. Hic Andreæ ab Urbe discessus Gregorio nonnihil molestus, qui tanti eum faciebat, ut Regi hæc scriberet. [*]

[*] Mantissa document. N. 97.

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 21. fol. 386.

Charissimo in Christo Filio Nostro Stephano Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem etc. Non sumus passi dilectum filium Andream Batorum, quem Majestas Tua revocabat, hinc discendere sine eo honore, quem spectatissimæ primum ejus virtuti, inque omni laude præstanti, tum familiæ amplitudini deberi intelligebamus. Fecimus igitur illum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem. Omnia Nobis pollicetur ejus prudentia, pietas, zelus, quo etiam certius habemus in proximis Comitiis ejus operam, atque auctoritatem in tali præsertim dignitatis grado Catholicæ Religionis rebus maximo usui futuram, quod etiam Majestatem Tuam maxime velle certissimum habemus. Libentissime Cardinalem retinuissemus, voluissemusque præclaras ejus virtutes, quæ multæ sunt, apud hanc Sedem crescere, sed noluimus tibi eum revocanti resistere; sic enim speramus, magnos etiam illum apud Majestatem Tuam progressus facturum esse, fore etiam, ut illum, quod tuo commodo

fiat, brevi ad Nos remittas, id enim magnopere cupimus. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die XXV. Julii MDLXXXIV. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

LXXIX. — Quam grato sane animo Andreas Cardinalis Batborius in Collegam Comensem fuerit, ejus ad eundem litteræ satis testantur. [*]

[*] Polonia Vol. 21. fol. 401.

Illustrissimo et Rmo Dño meo Observandissimo, Dño Cardinali Comensi.

Illustrissime et Reverendissime Domine.

« Facit singularis Illustrissimæ Dominationis Vestræ erga me benevolentia, ut licet longo ab illa locorum intervallu dissitus, illius tamen oblivisci nunquam possim. Quamobrem has ad Illustrissimam Dominationem Vestram scribendas judicavi, quibus observantiam meam et promptam inserviendi voluntatem illi testatam reddere possem. Perveni jam tandem Cracoviam post longos itineris labores, Deo sit gratia, salvus et incolumis. Nunc Mechoviæ in Præpositura mea maneo, officio meo quam maxime possum invigilans. Expecto Regiæ Majestatis mandata, num et quando me ad se venire jubeat. Distat enim hinc longius. Ubi potestas mihi data fuerit Majestatem illius alloquendi, nunquam apud illam prædicare intermittam ea humanitatis officia, quæ tam liberaliter in me contulit Illustrissima Dominatio Vestra, diemque illum cum primis hilarem ducam, quo mihi oblata fuerit occasio Illustrissimæ Dominationi Vestræ inserviendi: quam ut et cito et frequenter mihi porrigere velit, majorem in modum ab Illustrissima Dominatione Vestra peto. Quod reliquum est, opto Dominationem Vestram Illustrissimam diu bene feliciterque valere. Datum Mechoviæ 3. Novembris 1584.

Illmæ et Rmæ Dominationis Vestræ
Servitor humillimus
ANDREAS CARDINALIS BATHORIUS.

Illud porro in adolescente regii splendoris, atque in tam inclyta Ecclesiæ dignitate constituti mirandum est, quod non solum in Theologiam perdiscendam sedulo incumberet sed regulari disciplinæ in Monasterio Michoviensi Ord. S. Benedicti instaurandæ vacaret. Hæc testata habes ab Stanislao Rescio, quo is a secretis utebatur. [*]

[*] Polonia Vol. 21. fol. 401.

Ex litteris Reverendi Domini Rescii.

« Illustrissimus Dominus Cardinalis valet optime; munere Præpositi cum laude et fructu fungitur; nulla re magis delectari videtur, quam ut omnia in Ecclesia Dei fiant ordinate; omnia summa ab illius pietate et speramus et expectamus: lectiones Theologicas quotidie audit; Theologus noster Canonicus Mediolanensis, quem ab Illustrissimo Domino Cardinale Boromeo extorsimus, vir omni exceptione major, materiam de gratia aggressus est, quam cum laude prosequitur. Apostatæ aliquot a religione redierunt, Novitii acceptati sunt; ita monasterii hujus rationes paulatim reviviscunt; Nobilitas vicina concurrit, ut optimi Cardinalis maturitatem, et mores gravitatis plenissimos admiretur, et eum, qui in cultu Divino adhibetur, splendorem intueatur; sit nomen Domini benedictum. Equidem fatebor quod res est. Superavit Illustrissimus Dominus Cardinalis expectationem meam cum in cultu pietatis, tum in cæteris omnibus vitæ studiis et consiliis. Servet eum Deus quam diutissime incolumem. Tanto majorem remediorum vim ab illius opera expectare poterimus, quanto ampliorem exercendæ virtutis materiam consequetur.

LXXX. — Sanctissimus Catharinæ Svecorum Reginæ obitus, sexta et decima Septembris die superioris anni, magnum sane rei Catholicæ in eo regno damnum attulit. Morti proxima liberos suos Sigismundum et Annam pientissimis verbis exhortata est, ut in qua fuerunt fide educati, constarent. Profecto vulgaris minime laudis sunt, quæ de Sigismundi pietate atque in Ecclesiam Catholicam obsequentissimo animo Patres Societatis Jesu, qui Reginæ a sacris confessionibus erant, in Poloniam reversi Cardinali Bolognetto retulerunt. Ipsa quidem decem millia nummum iisdem Ignatianis Patribus testamento legaverat, ut Collegium in Svecorum usum fundarent [*]. Cujus ex morte maximum dolorem cepit Polonorum Regina; cum tamen leniebat piissimæ sororis virtutum memoria. Legas ejus litteras ad Nuntium Apostolicum de hoc luctuoso casu. [*]

[*] Monitum document. 8. 98.

[*] Polonia Vol. 21. fol. 57

Reverendissimo in Christo Patri Domino Alberto Bolognetto Dei Gratia Episcopo Massanensi, et ad Serenum Regem Regnumque Poloniæ Apostolico Nuntio etc. Amico Charissimo.

« Anna Dei gratia Regina Poloniæ, Magna Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ etc. Domina.

« Rme in Christo Pater, Domine amice Charissime. In maximo nostro dolore, quem nobis mors charissimæ et unicæ sororis nostræ Serenissimæ Svecorum Reginæ adtulit, non parum profecto alleviamenti accepimus ex litteris Paternitatis Vræ, quibus quoniam nos Paternitatem Vestram invisere, et in eo mœrore consolari non prætermisit, vehementer id nobis gratum extitit. Cæterum etsi vix dici potest, quantopere id cordi nostro doluerit, quod charissimam et unice dilectam sororem amiserimus: illius tamen christianissimus decessus non minimam doloris partem nobis ademit. Nec sane immerito, cum tanta siquidem mentis contritione, tum ardentissimis ad Deum precibus fideique Catholicæ confessione ultimum clausit diem, ut fieri non possit, quin ejus sanctissimus obitus ipsam quoque post mortem sanctam efficiat. Huc etiam accedit, quod nos non parum consolatur, sobo-

les nimirum charissima, de qua nobis omnia quæque optima pollicemur. Cui etiam dubitandum non est, quin Deus Opt. Max. benedicat, cum propter egregia et insignia majorum prædecessorumque suorum merita, tum ob singularem et inauditam matris charissimæ ergo liberos pietatem. Quæ jam jamque moriens, liberis ad se vocatis, post multa et sanctissima dogmata, tum ad veram Catholicam fidem assiduas cohortationes illis benedixit, eorumque parentem Serenissimum Svecorum Regem studiose objurgavit, ut non aliam quam Catholicam ad extrema usque fata profiteantur fidem. Non minor etiam in exhortandis illis et ad verum Dei cultum provocandis nostra extitit cura. Quo nomine cum Svecorum Rege diligentissime per litteras egimus, ne liberos suos a vera et avita relligione quopiam divelli patiatur, sed in ea, in qua a matre sua charissima enutriti, edocti et eruditi sunt, et quam illis moriens quasi pro testamento reliquit, eos sinat permanere, nec Patres Jesuitas, quos illic adhuc esse scimus, usquam ab eis discedere. Quos etiam admonuimus, ne se illinc moveant, sed pro debito officio suo illorum omnem curam habeant, eos a communione hæreticorum hominum, quantum fieri potest, præcaveant, atque ita in fide Catholica instruant, ne quid ad verum et sincerum Dei cultum et relligionem pietatemque, tum vitæ ac morum elegantiam illis deesse videatur. Reliqua Deo Opt. Max. commisimus, a quo Paternitati Vestræ omnia fœlicissima ex animo precamur. Datum Cracoviæ die XVI. Januarii anno Domini MDLXXXIV.

Anna Regina Poloniæ etc.

LXXXI. — Gregorius Joannis Regis animum uxoris morte afflictum erigit: quod autem filium vera pietate imbui, defunctæque catholico ritu parentari jusserit, vehementer probat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 11. fol. 379.

Charissimo in Christo Filio Nostro Joanni Sveciæ Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem etc. Si quid in præsentis vitæ exitu adversi contigisset Reginæ conjugi tuæ, doleremus illius vicem; digna enim erat, cui bona omnia optare deberemus. Nunc autem præclare cum illa actum est. Aspiravit contenditque semper ad eam, ad quam se a Deo factam esse intelligebat, beatitudinem, incessitque ea via, quæ unica est, certissimaque atque a bonis omnibus semper trita, fidei nimirum synceritatis, et vitæ ac morum sanctitatis: pervenit tandem. Quod igitur illius causa doleamus, nihil est; quod lætemur, permultum. Nollemus, te gravius affici, quam par est; neque enim fieri potest, ut charissimorum nostrorum discessu omnino non doleamus, sed ubi naturæ locus datus est, finem mœrendi afferre debet ratio, et eorum, qui pie sancteque vixerunt, felicitatis cogitatio. Ferendum non esset, si quis in magna tempestate, præsentique periculo doleret, eos, quos diligere se diceret, ante profectos, jam in portum pervenisse, cuperetque eos secum habere sui laboris ac periculorum socios; quin æquum esset, illorum bono lætari, eumdemque cursum tenentem ad eos contendere. Magnam autem Nobis voluptatem attulit pietas tua in Divinis officiis, sacrosanctoque Altaris sacrificio pro conjugis anima adhibendo, inque filio ad veram pietatem, cælestiumque bonorum fructum optimorum præceptorum studiis instituendo atque educando. Speramus fore, ut Dei benignitas talibus initiis usura sit, ad maximam Majestatis Tuæ, posterorumque tuorum, universique Regni tui felicitatem. Id vero immensam ejus bonitatem toto pectore precamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die trigesima Junii MDLXXXIV. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

Sigismundum quoque Principem iisdem charitatis et benevolentiæ singularis officiis prosequitur, confirmatque in Catholica fide retinenda: ex qua in ejus parentem etiam fructum manaturum confidit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 13. fol. 380.

Dilecto Filio Nobili Viro Sigismundo Principi Sveciæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Gravem tibi fuisse obitum Reginæ matris optimæ, facile suadet naturalis amor et pietas tua. Sed ut dolorem admittit natura, sic modum præscribit ratio: dolendi vero finem affert sempiternæ felicitatis, bonorum omnium pietati et sanctimoniæ, quibus laudibus excelluit mater tua, a Deo repositæ cogitatio. Qui ergo charissimos suos, quos Deus ex hujus vitæ periculis ac miseriis evocavit, diligunt, qui cum iis esse cupiunt, debent non illorum absentiam, quos in summa felicitate versari, Deoque frui sperant, dolere; sed conari, ut pari pietate ac virtute eodem perveniant. Hoc velle et conari Nobilitatem Tuam, pietas tua in Catholica Religione, ad quam a matre ipsa institutus eras, retinenda et colenda Nos dubitare non sinit. Speramus, patrem, quo etiam volente perseveras, tam præclaræ voluntatis, quæ etiam Dei munus est, uberiores ab eodem Deo in dies fructus relaturum. Tu vero, fili, istam Dei gratiam custodi quam diligentissime, nec te unquam ab ista voluntate dimoveri sine, et cura, ut virtutibus Christiano et Catholico Rege dignis animum compleas, summaque Dei in te beneficia agnosce, eique perpetuo gratias age, quod te et hic Regem esse voluerit, et in illa altera sempiterna ac beatissima vita suum tibi Regnum deferat. Mittimus Nobilitati Tuæ crucem et dona quædam spiritualia, speramus ea tibi grata fore: erunt certe argumenta nostræ paternæ erga te charitatis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris

xxx. die Junii millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

LXXXII. — Joanne Magno Moscoviæ Duce, quocum Pontifici plurima humanitatis officia intercesserant, vita functo, Gregorius ejusdem filio Theodoro ominatus meliora, suorum officiorum memoriam adhibuit: ipsum denique Patris Possevini opera uti valde admonuit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 31. fol. 391.

« Theodoro Domino Russiæ, Magno Duci Moscoviæ, Novæguardiæ, Smolentiæ, Vlodimiriæ, Domino Cassani, Astracani, multarumque aliarum Provinciarum Principi Magno et desideratissimo, salutem et omnis gratiæ fructum.

GREGORIVS PP. XIII.

« Diligebamus Joannem parentem tuum; fecimus igitur ab eo rogati per Severigenum Nuntium ad Nos missum, quod postulabat, ut significaremus charissimis filiis nostris Rodulpho Romanorum Imperatori Electo, Stephano Regi Poloniæ, cæterisque Christianæ Reipublicæ Principibus ejus voluntatem, quam profitebatur optimam esse tum erga ipsum Regem Poloniæ, tum erga universam Christianam Rempublicam, cujus amplitudinem tam per literas, quam per Nuncium magnopere sibi cordi esse asseverabat. Misit deinde alios Nuncios, cum quibus remisimus dilectum filium Antonium Possevinum, virum spectata fide, integritate et prudentia præditum, cui etiam mandavimus, ut omnibus in rebus quæcumque facultas daretur, Joannis ipsius rebus, Christianæque Reipublicæ dignitati inserviret, utque in Polonia esset, cum cæterarum rerum, tum vero pacis causa, de qua tunc magnopere agebatur. Pervenerunt deinde ad Nos literæ de ipsius parentis tui obitu: noluissemus eum, cui omnem felicitatem optabamus, tam cito ex hac vita discedere. Nunc autem speramus, Tuæ Amplitudini gratam esse hanc nostræ ergam illum voluntatis officiorumque commemorationem, et erga te universamque ditionem tuam charitatis significationem. Mandavimus Antonio, ut cum primum se ex iis negotiis, in quibus apud Rodulphum Romanorum Imperatorem Electum mandato nostro versatur, expedisset, in Poloniam iret, indeque curaret, has nostras ad te literas perferri, et quantum posset, ita se gereret, ut intelligeres, nihil Nos magis cupere, quam ut Dei, nostra, Sanctæque et Apostolicæ hujus Sedis opera quam maxima Amplitudini Tuæ beneficia conferret. Quia vero omnia his literis complecti atque explicare non possumus, erit Nobis gratissimum, si Antonii sive præsentis verbis, sive absentis (forte enim ad te venire non poterit) literis, aut nunciis omnem fidem tribues. Interea orabimus, ut tibi Imperioque tuo omnia læta et prospera eveniant. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die xxx. Julii MDLXXXIV. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

Eadem præstitit cum spectatissimis viris, qui Moscoviæ regiminis gubernacula tractabant. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 35. fol. 392.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Gubernatoribus Ducatus Moscorum.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri, salutem et omnis gratiæ fructum. Perspectam esse vobis arbitramur nostram charitatem erga superiorem Magnum Moscoviæ Ducem Joannem. Convenit, ut eadem charitate amplectamur Theodorum ejus filium et successorem, cumque eo vos etiam ipsos tam multarum provinciarum, tamque potentium populorum gubernationis adjutores: quorum fidelitas et prudentia multis dilecti filii Antonii Possevini, cujus testimonium plurimi facimus, literis Nobis commendata est. Voluimus igitur has ad vos literas dare, easque testes esse nostræ erga vos charitatis: quas etiam speramus hoc nomine vobis gratas fore. Quia vero necesse erit multa vobis significari ad præsentem rerum statum, atque ad Christianæ Reipublicæ amplitudinem magnopere pertinentia, neque ipsi omnia perscribere possumus, gratissimum Nobis erit, si Antonii verbis, siquidem ad vos venire poterit, sin minus literis, aut nunciis omnem fidem tribuetis. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die undecima Augusti MDLXXXIV. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

De cætero Theodori imperium vel ab initio gravibus, crebrisque civilibus procellis exagitatum fuit. Quod fieri oportuit in eo Duce, de quo dubitares, an corporis valetudine minus, quam animi imbecillitate valeret [*]. Risum non continueris, si legas, quæ de primo suo cum ipso Duce colloquio Poloniæ Regis Orator refert. [*]

[*] Mantissa document. N. 99. Vide et Turgenevii Monum. Russ. Tom. II. p. 1-6.
[*] Polonia Vol. 21. fol. 323.

Magnifico Domino Eustachio Wolowich Castellano Vilnensi, Cancellario M. Ducatus Lithuaniæ.

« Post reditum fratris mei a Rege 27. Junii, qui pedetentim ductus est per Moscoviam, vix obtinui a Moscis, ut admitterer ad Ducem 2. die Julii; qui excepit me habitu Imperiali, coronatus, sceptrum et pomum in manu tenens; sedes ejus erat ita alte posita, ut vix stans manus ejus attingere potuerim capite. Dux ipse est parvæ staturæ et complexionis, similis Domini Judicis Brestensis, solum quod parum sit minor, subtilior, et facie magis alba, sermone demisso et turpi; rationis dicerem parum, sed ut a multis audivi, et ipse adverti, prorsus nihil habet. Continuo sedens ridebat, aspiciens pomum et suscipiens sceptrum. Fui secundo sexta Julii apud eundem, statim negotium tractandi mecum commisit Demetrio Petri Geleski, qui fuit Varsaviæ Nuntius, et duobus Secretariis Andreæ et

Basilio; qui diligenter inquirebant, an haberem potestatem pacem constituendi? quibus, adhibita longa tergiversatione, respondi tandem, me non habere; sed si vellet Magnus Dux cum Rege pacem habere, mittat Nuncios suos ad Regem, cum certa instructione de Smolecensi et Sievicrensi ditione, Plescovia, Novogardia et aliis arcibus. Re intellecta valde tristem vultum præ se ferebant: didici postea constitutos esse jam certos Nuntios, sed qui sint nescio. Statuerant etiam mecum amplius tractare Dominica 8. Julii, et me die Mercurii aut ad summum Jovis dimittere; sed dissentiones et tumultus apud eos continui reditum celerem mihi intercluserunt, et hodie intellexi, inter illos fuisse magnas perturbationes, adeo ut parum abfuerit a magna sanguinis effusione, nec Dux est is, qui possit vel impedire, vel coercere. Tartarorum Czemereissarum duæ hordæ obedire Duci nolunt. Tartaros etiam ad S. Eliæ festum metuunt pro certo. Rex Sveciæ exercitum colligere dicitur, maxime tamen Regem nostrum metuunt. Ignes etiam crebri in civitate exoriuntur, et noxii a latronibus qui hic multi sunt. Datum Moscuæ die 10. Julii anno 1584.

Dominationis Vestræ Gratiosi Dñi
Servitor humillimus
Leo Sapieha Legatus Regis Poloniæ ad Moscum.

LXXXIII. — Res Galliæ hoc anno deteriores haberi cœptæ. Gregorius quidem totus erat in eo, ut Alenconium Ducem cum Rege fratre reconciliaret. Has partes in primis solertissimo Episcopo Rossensi, Reginæ Scotorum ad Galliarum Regem Oratori, dederat, qui quamvis ab Duce humanissime exceptus, rogavit tamen Cardinalem Comensem, ut id negotii ab se ad Apostolicum Nuntium, qui magnæ apud illum esset auctoritatis, transferretur. [*]

[*] Gallia Vol. 17. fol. 328.

Illñe et Rñe Domine.

« Redditæ mihi fuerunt Illustrissimæ Dominationis Tuæ literæ secundo Januarii datæ, una cum Brevi commendatitio Sanctissimi Domini Nostri, unde Sanctitatis Suæ pedes cum omni humilitate deosculor, et gratias quas possum maximas Amplitudini Tuæ refero. Re omni deinceps cum Reverendissimo Domino Nuncio communicata, ejusque fretus consilio, ad Ducem Andegavensem profectus, Breve Sanctissimi Domini Nostri eidem exhibui; quod magna (uti decuit) reverentia suscepit, gratum sibi fore, quicquid a Sanctitate Sua ad eum mittitur, declarans: multoque sermone mecum egit per aliquot dies de religione Catholica restauranda, zeloque ac pietate sua conatus omnes in eum finem dirigere se velle protestatus; tandem de meo privato negotio, novis pollicitationibus de primo beneficio vacante me auctum et onustum dimisit. Nunc vero Rothomagum, spiritualia pro mei muneris functione curaturus, rediens, hujus rei procurationi vacare non potero. Hoc unum itaque ab Illustrissima Dominatione Tua obnixe peto, ut Sanctitatis Suæ nomine Rño Domino Nuncio hic agenti, (qui magnæ est authoritatis apud eundem Dominum Ducem, ut idem mihi Dux affirmavit) ut negotium meum Turonense eidem sæpius commendare, et promovere non gravetur; inde aliquem nobis posse fructum cum tempore provenire, confido. Deus Optimus Maximus Illustrissimam Dominationem Tuam conservet ac tueatur. Parisiis 7. Februarii 1584.

Illñæ ac Rñæ Dominationis Tuæ
Addictissimus servus
Joannes Episcopus Rossensis Scotus.

Pontifex, ut Rossensis petierat, firmandæ magis conjunctionis partes inter Regios fratres Nuntio suo mandavit: gratulatusque est cum Galliarum Rege. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII. ep. 121. f. 353.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. De reditu dilecti filii Ducis Andegavensis, deque vestra inter vos conjunctione, et apertissima charitatis utrinque significatione tantam cepimus voluptatem, quantam debuit Nobis afferre desiderium vestræ tranquillitatis et amplitudinis. Scripsimus ad venerabilem fratrem Episcopum Bergomensem, Nuncium nostrum, ut cum Tua Majestate gratularetur, nostris verbis, exponeretque ea, quæ ad hoc negocium pertinere judicamus. Omnia ex ipso facile cognosces. Cupimus, ut ejus verbis omnino fidem tribuas. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Martii MDLXXXIV. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Alenconio quoque suum ex ejus cum fratre reconciliatione gaudium significavit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII. ep. 123. f. 354.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Andegavensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Non cedit charitati matris tuæ nostrum tuæ amplitudinis desiderium. Hoc igitur nomine gaudemus, et gratulamur Nobilitati Tuæ de reditu, deque tua et Christianissimi Regis fratris consensione, vestræque apertissima inter vos charitatis conjunctione. Hoc enim ad tuam amplitudinem, Regnique istius tranquillitatem magnopere pertinere judicamus. Scripsimus ad venerabilem fratrem Episcopum Bergomensem Nuncium nostrum, ut cum Tua Nobilitate coram nostris verbis gratularetur, exponeretque ea, quæ ex ipso cognosces. Non dubitamus, te ejus verbis omnem fidem tributurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub An-

nulo Piscatoris die XII. Martii MDLXXXIV. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

LXXXIV. — Alenconius tandem adversis superiorum temporum casibus perculsus animo, assiduisque laboribus fractus corpore, vel ut alii asseruere, intemperantia et voluptatibus, quibus largius usus fuisset, confectus, die decima Junii in ditionis suæ oppido Castro Theodorici vita excessit, haud sine sinceræ in Deum pietatis atque erga fratrem amoris indiciis, ut supremæ ejus tabulæ fidem faciunt [*]. Cujus de obitu Gregorius Regem matremque ejus amantissime consolatus est. Hæc ad Regem. [*]

[*] Mantissa document. N. 100.

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII ep. 13. fol. 381.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Certo scimus, Majestatem Tuam præclare intelligere, sicque constitutum habere, humana omnia æquo animo ferenda esse, nec quidquam sine Dei providentia evenire; a summa vero illius bonitate et charitate nihil mali iis, qui eum diligunt, accidere posse, tametsi quia causæ nos latent, et quia natura nos ipsos nostrosque diligimus sæpe in nostris jacturis, inque charissimorum nostrorum amissione dolemus. Hæc igitur cogitantem Majestatem Tuam facile arbitramur lenivisse jam eum dolorem, quem ex fratris charissimi Ducis Alansoni interitu cepisti. Quod si quid adhuc restat, in quo nostro consilio et cohortatione egeas, hortamur et rogamus, ne te a mœrore confici sinas, neque tuas privatas rationes Divinæ voluntati anteponendas putes, quin te totum Dei bonitati tradas, omnibusque in rebus, etiam iis, quæ videntur adversæ, ejus bonitatem agnoscas, semperque ei gratias agas, verserisque in sanctorum librorum lectione, et Patrum vitæ ac factorum cogitatione: habebis hic maxima adjumenta ad eam, quam in te esse cupimus, animi æquitatem et tranquillitatem, quam ut tibi largiatur Deus, teque Catholicæ Ecclesiæ quam diutissime incolumem conservet, ejus bonitatem precamur. Cætera ex venerabili fratre Episcopo Bergomensi Nuncio nostro cognosces. Datum Romæ apud S. Marcum die II. Julii MDLXXXIV. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

LXXXV.—Etsi usque ad obitum Ducis Alenconii non omnis perturbationum metus depulsus esset, tamen Galliarum Regnum a gravibus calamitatibus, quibus obnoxium fuerat anteactis temporibus, quodammodo erectum videbatur. Nam Rex in Comitiis Blesensibus amore pacis animos populorum sedaverat, Hugonottorum Principes compresserat, atque ita effeceral, ut ipsa fœderatorum societas veluti obsoleta et dissoluta haberetur. Sed post obitum Ducis Alenconii, cum Rex post decimum connubii annum nullam spem prolis suscipiendæ haberet, Rex vero Navarræ hæreticorum caput potior præ cæteris haberetur, qui in Regni jura succederet, iterum Catholicorum animi vehementer commoti fuerunt, et iterum fœderati, Guisiis ducibus, summo animi ardore in fœderis societate et amplificanda et roboranda omnem laborem posuerunt, ne Galliarum Regnum ad Principem Calvinianæ hæresi addictum, cum magna rei Catholicæ jactura, deveniret. Omnes Catholicos viros inflammabat Henricus Guisius studio religionis defendendæ contra iniquas Hugonottorum, et ipsius Regis Navarræ molitiones; idque perspicuum fit tum ex iis, quæ continentur in conditionibus fœderis, tum ex literis Gregorii XIII. et Sixti V. Verum Henricus Guisius cum præsertim post obitum Alenconii videret, ex fœdere magnam se esse potentiam assecutum, aliquam spem fovere cœpit de ipsa regia potestate usurpanda.

Huic fœderi præstantissimi quique ex omnibus civitatibus Regni, et ex omni ordine se addixerunt, in quibus plurimi erant spectatissimi viri, qui Catholicam sincero animo religionem colebant, quique Hugonottis acerrime adversabantur, ne religioni suæ detrimentum afferretur. Omnes fœderati ad arma parati pro re conficienda unum Ducem Henricum Guisium requirebant. Guisius vero intelligens melius rebus fœderatorum consultum esse, spectato etiam Gallicæ gentis ingenio, si inter Regiæ familiæ Principes unus deligeretur, qui principatum fœderatorum susciperet, Cardinalem Borbonium proposuit, qui omnibus aptissimus visus est, ut rei universæ præficeretur. Is enim dum pro suo ingenio omnia fœderis negotia Ducum Guisiorum arbitrio permisisset, poterat magnam auctoritatem fœderi ipsi conciliare, atque efficere, ut omnes sibi persuaderent, tantummodo ad comprimendos impetus Hugonottorum fœdus illud initum esse. Præterea illud accedebat ad causam fœderatorum juvandam, quod cum Cardinalis Borbonius inter Regiæ familiæ Principes provectior ætate esset, et Regis Navarræ patruus, Galliarum Rege sine mascula prole obeunte, potuisset consiliis Regis Navarræ obsistere, Regni jura ad se pertrahere, atque ita periculum, quod rei Catholicæ imminebat, avertere. Itaque Cardinalis memoratas ob causas facilem se præbuit fœderatorum, et Ducis Guisii postulationibus. Guisius ad magis firmandum hoc ipsum fœdus, vertente hoc anno Hispaniarum Regem accersivit, eidem Regni Galliarum tutelam et defensionem commendans.

LXXXVI. — Henricus Galliarum Rex, qui ab initio, licet non obstitisset, ægre tulerat illud fœdus iniri, hoc tempore magis invisam habere cœpit fœderis renovationem ob suspiciones, quas summa calliditate Calvinistarum fautores in ejus animo injecerant. In hoc rerum statu Henricus

duo præsertim egit, quibus gravem offensionis causam Catholicis præbuit, eorumque animos magis ab se abalienavit. Primum scilicet quod Genevensis civitatis patrocinium susceperit. Cum enim renovare fœdus cum Helveticis pagis vellet, jamdiu a majoribus suis initum, id recusaverant firmare Protestantes pagi, nisi Genevensium tutelam sponderet: ipse autem perturbatas Salutiarum ditionis res perpendens, dubiamque ac suspectam Sabaudi Ducis amicitiam, cum Catholico Rege jam sanguinis conjunctione adstricti, cujus filiam Catharinam in uxorem duxerat; simulque liberum aditum necesse habitum confirmare cupiens, ad adducendos in suum Regnum ex Helvetia stipendiarios milites, illius urbis se defensorem profiteri debebat, ex cujus agro commodum ad finitimas Galliæ regiones iter est: assentitus autem non sine hæsitatione invitoque animo est, cum et natura et consuetudine Hugonottorum societatem refugeret. Deinde quod tanto studio ad Regis Navarræ amicitiam sibi conciliandam niteretur, ut homini nemini esset dubium, quin in eo non parum præsidii sibi collocatum esse pereuperet, quo Guisiorum nimiæ opes atque auctoritas imminui frangique possent. Quod quidem ei ab illorum asseclis maximo datum est crimini, quippe omnibus nota essent, quæ Navarræ Rex cum Protestantibus Germaniæ Principibus et in Catholicæ fidei detrimentum, et in totius Regni perniciem nuperrime molitus erat: præterea neminem omnium tum latebat, cum in Gallia ad Montem Albanum generalem omnium Calvinianæ sectæ prædicatorum conventum convocasse, in quo de Calvini doctrina firmanda, collatis consiliis, ageretur. Quæ res etsi ejusmodi essent, ut celari non possent: tamen adeo tecto erat ingenio, tanta calliditate se adhibebat, ut de intimis suis sensibus dubia offundere cuivis posset. Quamobrem non modo Catholicis, sed suæ partis etiam hominibus imponebat, sicumque faciebat, ut alii sibi ipsi valde fiderent, alii vero diffiderent maxime: id quod Momorantii litteræ manifeste demonstrant. [*] Quum vero interdum tam effuso animo Catholicos homines complecteretur, eorumque commoda sua putaret commoda: nihil mirandum, quod Catholici viri, qui suo Regi ex nimia publica Guisiorum potestate maxime vererentur, iisdemque in suspicionem affectandi Regni ea gente veniente, eamque ob causam in dies magis exosa, Regem Navarræ ad suas partes adducere studuerint; quod et facile fieri posse confiderint. Horum primus fuit Episcopus Lombarensis, qui ei haud obscure insinuavit, longe tutius rebus ejus consultum iri, si ad fidem Catholicam ex animo rediret. [*] Atque in id ipse Galliarum Rex incubuit, Ducem Epernonium Navarræ Regem convenire, alloquio persuadere tentari jussit, ut ad avitam fidem se converteret, simulque ad aulam adeundam animum induceret; quod cum e re ejus foret, quem Alenconio mortuo, ad succedendum in regnum haberent proximum, tum Galliarum tranquillitati magnopere necesse esset: ita etiam fore, ut facile Guisiorum ambitio superbæque opes dilaberentur. Quæ eorum in se studia sedulo Navarrensis colebat, industriaque adjuvabat: dejectus ea spe, rem confici armis posse, expertusque vana esse, quæ sibi ab Germanica legatione olim pollicebatur, visus est eorum consilia propenso animo admittere. Is igitur, qui ad omnes casus se componere solitus erat, vultusque inducere, quos res posceret, se Regi obsequentissimum, amicissimumque Catholicis venditabat. Quum vero intelligeret, si res in vulgus manaret, fore, ut impotentes efferatique Hugonottorum animi in se concitarentur, eorumque præsidio destitueretur: in hæresi obfirmatum ut cum maxime sese simulabat, sic optabatque hanc esse de se hominum opinionem: quod ipsius litteræ tum ad Regem [*], tum ad Episcopum Lombariensem satis ostendunt [*]). Ex qua agendi ratione, honesto quidem viro haud quaquam probanda, illud in comperto habemus, Navarræ Regem quolibet pacto rebus suis velificare in animo habuisse. Explorabat igitur, ut gnavus nauta, quam in partem flaret ventus; ita animo comparatus, ut si ex illis fluctibus Hugonotti salvi portum essent occupaturi, ab iis ipse staret: si contra, illis demersis, Catholici ab eo naufragio incolumes evasuri essent, ipse eorum partes et ultro sequeretur. Hanc unam reliquam sibi viam cognoverat, qua tandem ea, quam tamdiu concupierat, summa rerum poti-retur.

[*] Mantissa document. N. 101.

[*] Ibidem N. 102

[*] Berger de Xivrey Lettres de Henri IV T. I pag. 565 670 683. seq.

[*] Mantissa document. N. 103.

LXXXVII. — Interea Galliarum Rex non solum a partibus sequendis Calvinistarum aberat, sed etiam facere non prætermittebat, quæ indicia esse possent pietatis atque observantiæ erga Apostolicam Sedem. Iterum ergo supplex postulavit a Pontifice, ut Sodalitium pœnitentium, ab se in nemore Vicennensi prope Parisios erectum, constitutione Apostolica confirmaret, indulgentiarumque sacro beneficio augeret. [*] Lælium Ursinum tandem [*] atque Episcopum Mettensem [*] sacra purpura ornatos vellet: quod et Regina mater petebat. Nicolaum Aveutinum eidem Rex cum Alenconio Duce amplissimis verbis commendarant, ut infula Luxoviensi ornaretur [*]. Carolus quoque Lotharingiæ Dux Pontificem etiam atque etiam orat, ut Busmardum, ad cathedram Verdunensem a se designatum, Apostolica auctoritate instituat [*]. Hæc negotia ut mature conficerentur, Gassottus Orator ad Pontificem missus est cum litteris Cardinali Comensi reddendis. [*]

[*] Ibidem N. 104

[*] Ibidem N. 105

[*] Ibidem N. 106

[*] Ibidem N. 107.

[*] Ibidem N. 108

[*] Ibidem N. 109

LXXXVIII. — Mimatenses Canonici, suo pastore ad cathedram Bituricensem translato,

de Adamo Hurtelonio designato Episcopo lætantur, quem singulari commendatione apud Pontificem prosequuntur, quippe unum virum, qui tueri eos posset, ita ut ad eum omnium animi essent conversi. Incredibilia enim iis perpetienda ab Hugonottis erant: qui etiam illorum ditissimum templum Cathedrale spoliarant, et quasi funditus diruerant. Exorant igitur omnibus precibus, ut annatas, quæ Cameræ Apostolicæ deberentur, ad hoc Cathedrale templum instaurandum conferri indulgeat. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 32. fol. 109.

Beatissime Pater, post humillima beatissimorum pedum oscula.

« Quam gravis et acerba fuerit clades Ecclesiæ Mimatensis, Beatissime Pater, non modo nos hic sensimus, sed etiam ii vicem nostram doluerunt, ad quos tantæ calamitatis fama pervenit. Dum enim incaute noctem supplices ageremus, et specie pacis deceptus populus medio templo inermis Natalitia Dñi Nostri Jesu Christi celebraret, Merlius quidam prædonum dux ex insidiis urbem invasit, cædem edidit qualem nemo ante nos viderat, templum extructum magnifice et splendidissime exornatum postquam spoliasset, funditus evertit, cives in servitutem rapuit, et nonnisi grandi pecunia unquam liberos dimisit: qui vero ex collegis nostris obviam illi facti sunt, eos omnes interemit, ut pauci admodum ex multis simus superstites; iique ex desolata patria mœrore confecti et rerum omnium penuria laborantes. Vivimus tamen, et cives Mimatenses, quos bellorum strepitus a Christo ad Sathanam et hæresim paululum deduxerat, ereximus, Christoque et Ecclesiæ suæ Sanctæ reddidimus. Primum enim id nobis curandum fuit, postquam a nobis nocentissimi prædones discesserunt, ut sparsas ex tanto naufragio civium nostrorum animulas colligeremus. Quod tametsi hac tempestate difficile fuit, eo studiosius aggressi sumus, quo majorem nos Beatitudinis Vfæ gratiam inituros speravimus. Atque utinam ita facile nobis esset nostrum illud templum restituere, quod olim extructum fuerat ab Urbano V., cujus loco, honori et pietati Beatitudo Vestra successit. Verum hoc a nobis desiderari nullo modo potest, quibus præter panem et aquam, quod habeamus, nihil reliquum est. Quare Biñe Pater, cum in Ordine nostro intellectum esset, hujus Episcopatus Mimatensis dignitatem, nobis postulantibus et flagitantibus, concessam esse a Reverendissimo in Christo Patre Domino Reginaldo de Beaune fratri nostro et Collegæ, Dño Adamo de Hertelou Abbati Restaurensi, gratias imprimis Deo referre cœpimus, deinde simul meditari, quam præclare nobiscum ageretur in hac resignatione, si Beatitudinis Vfæ pietas superiorum Pontificum æmula nobis adesse non recusaret. Nam de resignatario hujus Episcopatus coram Beatitudine Vestra hoc dixerimus, neminem fore, cui melius et sanctius id oneris imponatur, cum ob singularem erga Deum religionem, tum summam animi integritatem, qua in medio nostrum perpetuo claruit. Diligentiam autem testari maxime possumus tantam in eo fuisse, ut his temporibus necessariam ediderit operam in nobis custodiendis, et reducendis per verbum Dei civibus nostris in Ovile Christi. Jam vero si qua unquam in illo fuit diligentia, ea nobis est profutura adversus hostes Ecclesiæ Catholicæ, quorum metu vix urbis nostræ pomœrium egredi licet. Quod si nobiscum ille semper fuisset versatus, urbem diripi, templum vastari, reliquias exuri, leges et jura violari nostra in civitate non contigisset: at cum gravioribus Ecclesiæ negotiis alio vocatus eo tempore fuerit, id nobis et patriæ accidit. Nedum qua ratione mederi possimus afflictis rebus nostris, novimus: ita omnia diruta, fracta et conquassata sunt, ut nonnisi liberalitate Beatitudinis Vestræ restitui posse ullo modo sperandum sit. Oramus igitur humiliter Beatitudinem Vestram, Sanctissime Pater, innata sibi nos excipiat humanitate, lapsis filiis opem ferat, jacentes extollat: quando sese jam satis commoda offert occasio in resignatione hujus Episcopatus, si concesserit Beatitudo Vestra huic nostræ Ecclesiæ jura et pensiones, hoc est denarios annatæ Sanctissimæ Sedi Apostolicæ debitos; tum enim Beatitudo Vestra rem piam, sanctam et religiosam præstiterit, opus longe omnium præstantissimum fecerit, si modo in restitutionem Ecclesiæ nostræ impendantur. Quam sit hæc nostra petitio non aspernenda, Beatitudini Vfæ exponere non est nostrum, Sñe Pater. At cogitet Beatitudo Vfa, ejus sibi animum, pietatem et bonitatem induisse, qui olim templum nostrum condiderit, Urbani V. sit institutio, Beatitudinis Vfæ sit restitutio. Nos autem utrumque parentem habebimus, ac veluti Urbanum in precibus quotidianis habemus propter hoc in nos illatum beneficium, sic Gregorium XIII. perpetuis laudibus afficiemus, ejusque memoria nullo unquam tempore a choro et penetralibus nostris evanescet. Viva diu Biñe Pater, et Ecclesiam tuam fœliciter tuere, faxitque Deus Optimus Maximus, cujus hic vices subire tuum est, Ecclesiam Sanctam augeri et incrementum in dies assumere. Mimatæ 10. Kalend. Julii 1584.

Sanctitatis Vestræ

Humillimi oratores devotissimi
filii et servi

Canonici et Capitulum Mimatense.

LXXXIX. — In iis referendis, quæ in Galliæ historia majoris momenti esse videntur, illud prætermitti non debet, quod ad laudem Ecclesiæ Gallicanæ maxime spectat, Episcopos studiosissimos fuisse in urgenda auctoritate Concilii Tri-

dentini, et promptissimam voluntatem exhibuisse in exequendis Apostolicæ Sedis mandatis. Cujus rei argumentum suppeditant hæ Silvanectensis Præsulis litteræ. (*)

(*) Gallia Vol 17. fol. 487.

S. P. N. Gregorio XIII. Pont. Max. Perpetuam Fœlicitatem.

Beatissime Pater.

« Tardius fateor quam par est, ad humillimas ut oportuit, gratiarum actiones accedo. Verum mihi religiosius fuit tria Vestræ Sanctitatis mandata implere, quam promotionis nostræ ad Episcopatum Sylvanectensem gratum animum testari. Primum igitur Reverendis et Observandis Patribus consecrandum me præbui, statim atque in manus meas vestrum pervenit Apostolicum mandatum: tum demum populo mihi per Sanctitatem Vestram commisso bene precatus, nec brevi temporis spatio, officio sum functus meo: postmodum Decanatu, quod tertium caput erat, Calvomontano simpliciter ac libere cessi. Nunc ergo liberius ad pedes Sanctitatis Vestræ liceat provolvi, cui post Deum ad Regis commendationem acceptum fero beneficium longe majus, quam sperare daretur. Faxit Deus, ut vestræ et regiæ satis faciam expectationi: ac si hactenus apud Sanctitatem Vestram bene audierim, ut mihi plures persuasum esse voluit Sanctissimæ Sedis fidelissimus idemque observandissimus Nuntius, faciam Deo duce, ut obeundis Episcopi partibus facilior et securior in posterum ad oscula pedum Apostolicorum pateat accessus. Cujus officii præstandi quanto ardeam desiderio, testis est locupletissimus Rex noster Christianissimus, a quo toties sum repulsam passus, quoties ut id mihi per suam Majestatem liceret, obnixe et supplex sum precatus. Neque tamen animum despondeo, sed cum gratiam Principis avidus expecto, D. O. M. numen imploro, quatenus Sanctitatem Vestram diutissime servet incolumem, ejusque rectissima consilia Christianæ Reipublicæ pro animi votis secundet.

Sanctitatis Vestræ

Minimus sed obsequentissimus atque devinctissimus servulus et orator

Gulielmus Rose Episcopus Sylvanectensis immeritus.

XC. — Nec abs re hic est referre, Nivernensium Episcopum in quadam de nonnullis ritibus cum suo Capitulo contentione supplicem fuisse Pontifici, ut suo judicio quæstionem dirimeret, et superbos animos Decani et Capituli, qui suo Episcopo objectantes, Concilii Tridentini auctoritatem non admitterent, deprimeret. (*)

(*) Gallia Vol. 17. fol. 318

SS. Domino Nostro Papæ.

Supplicat Arnaldus Nivernensis Episcopus Sanctitati Vestræ, ut dignetur ferre judicium ac dissolvere lites motas, aut movendas inter Decanum et Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Nivernensis, et eundem supplicantem. Dedignantur enim Decanus et Canonici observationes regularum pontificalium in Romano pontificali contentarum, etiam in his cæremoniis aut ritibus, de quibus nihil prorsus continetur in ordinario vel ceremoniali libro dictæ Ecclesiæ Nivernensis: ut exempli gratia, qui proximiores sunt Episcopo supplicanti in sedibus chori dictæ Ecclesiæ, recitare cum eodem supplicante pastore suo Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Credo, dum sacro interest Episcopus, et cætera latius in pontificali Romano expressa: ut etiam dedignantur interesse lotioni pedum pauperum, sive mandato sive juxta regulam in eodem pontificali contentam. Quoties vero illis Decano et Capitulo objicitur Tridentinæ Synodi authoritas, declarant aperte se non recipere ejusdem Synodi authoritatem, provocantque suum pastorem coram judicibus sæcularibus, etiam ad rerum supradictarum discussionem, jure et Canonibus ac constitutionibus Sedis Apostolicæ quibuscumque adversis. Id si dignabitur Vestra Beatitudo judicio Sedis Apostolicæ dissolvere, abunde pensabit Dominus noster Jesus Christus, pastorum princeps et pater, qui Vestram Beatitudinem dignetur Ecclesiæ suæ maximo commodo diu salvam et incolumem servare.

Arnaldus Nivernensis Episcopus.

XCI. — Plurimis profecto Galliarum Antistitibus ea cura incessit, ut ecclesiasticam disciplinam instaurare, ad eamque Cleri mores informare aggrederentur, Conciliis provincialibus ad eam rem convocatis. Quod præ cæteris præstitit Archiepiscopus Bituricensis, Reginaldus nimirum Belneusis, vie et doctrina, et rerum usu, et dicendis copia illustris, idemque Aquitaniæ Primas. Verum ex undecim Episcopis, qui illius sedis juri parere debuissent, nonnisi quatuor Synodo interfuerunt. Illos absentes sequuti sunt Burdegalensis, Auxitanus, Tholosanus et Narbonensis Archiepiscopi, qui olim Bituricensi sedi suberant, excusatione allata, quod ab ejus jurisdictione exempti essent. Quod incommodum ortum est ex ea antiqua de Aquitaniæ Primatu inter Bituricensem et Burdegalensem contentione: ita etiam cæteri Episcopi illis Archiepiscopis subjecti, in manibus habere sibi visi sunt honestam causam, qua utriusque Præsulis, qui de Primatu certabant, jurisdictionem eluderent. Rhutenorum autem Præsulem gravissima et Ecclesiæ et Reipublicæ negotia tenuerunt, quominus Synodo, ut debuerat, interesset. Quamobrem Gregorius Archiepiscopum Bituricensem monet, ut ejus excusationem satis ponderis habentem admittat. (*)

(*) Reg Gregorii XIII Ann XIII ep 10 fol 278.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Bituricensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Certiores facti sumus, venerabilem fratrem Episcopum Rutenensem gravibus

de causis retineri, neque sine magna rerum Episcopatus sui jactura inde discedere posse; itineris etiam periculis, quominus ad Synodum a te indictam convenire possit, impediri. Sines igitur illum in suo Episcopatu remanere. Sic enim iis de causis, quæ Nobis propositæ sunt, expediri judicamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Junii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

XCII. — Archiepiscopum Remensem de Synodo provinciali congregata et feliciter absoluta Gregorius laudat: ejusdemque decreta emendata et confirmata ad eum remittit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 27. fol. 368.

Dilecto Filio Nostro Aloysio S. R. E. Presbytero Cardinali Guisiæ Nuncupato.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Mandavimus decreta Synodi Provincialis Archiepiscopatus tui, quæ ad Nos misisti, per venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales, super dubiis in materia Concilii Tridentini occurrentibus deputatos, diligenter cognosci, atque ubi opus esset, emendari. Remittimus nunc tibi eum librum emendatum. Facies, ut quæ pie prudenterque decreta atque emendata sunt, quam diligentissime serventur: hæc enim reliqua pars est curæ tuæ, sine qua omnis hactenus labor frustra esset susceptus. Speramus, id te pari studio et diligentia curaturum esse. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die trigesima Julii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

XCIII. — Idem egit cum Archiepiscopo Turonensi: habuitque præterea rationem eorum, quæ Ecclesiæ ejus Canonici de decretis quibusdam, quia suis privilegiis adversarentur cum Cardinali Comensi conquesti erant. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 35. fol. 404.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Turonensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Remittimus Fraternitati Tuæ decreta Synodi Provincialis Archiepiscopatus tui, mandato nostro a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, rebus ad Oecumenici Concilii Tridentini Decreta pertinentibus a Nobis præfectis, examinata, atque ubi oportuit, emendata. Curabis, ut quæ pie prudenterque decreta atque emendata sunt, quam diligentissime serventur: hæc enim reliqua pars est operæ tuæ, sine qua omnis hactenus labor frustra esset susceptus. Non dobitamus, id te omni studio curaturum esse. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die VIII. Octobris MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

En litteras expostulatorias Canonicorum Turonensium, quibus Alenconius Dux (*) suæ commendationis pondus apud Pontificem adjecerat. (*)

(*) Mantissa document. N. 110

(*) Gallia Vol. 17. fol. 321.

Illustrissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Comensi.

« Literas dedimus ad Sanctissimum Papam Gregorium, quibus significavimus, a Reverendissimo Symone Archiepiscopo Turonensi habitam nuper Andegavi Synodum provincialem, cujus sunt capita quædam contraria privilegiis nostris ab Adeodato, Adriano, Gregorio, aliisque prædecessoribus ejus nobis concessa. Et quia intelleximus optare eundem Reverendiss. Symonem, ut Synodus illa, cui præfuit, probetur Sedi Apostolicæ, antequam id fiat, te cupimus nostrarum partium, id est beati Martini patroni nostri, defensorem ac protectorem esse: confirmari enim non potest, quin grave nobis præjudicium fiat. Quod cum dixeris Beatissimo Patri, æmulo prædecessorum suorum, speramus ipsum judices nominaturum, qui auditis nobis intercedere paratissimis, de toto negocio sententiam ferant. Et si tantum laboris pro antiquo et nobili Collegio Canonicorum beati Martini olim Turonensis Episcopi suscipere volueris, uti non dubitamus facturum rogatu et precibus Reverendi Domini Nuntii Apostolici, maximo nos et successores nostros beneficio affeceris. Bene vale, Illustrissime Cardinalis S. R. E. Turoni ad Ligerim flumen Cal. Februarii Anno Domini MDLXXXIII.

Illustrissimæ Dominationis Vestræ

Devotissimi Oratores

DECANUS, THESAURARIUS, CANONICI ET CAPITULUM ECCLESIÆ BEATISSIMI MARTINI TURONENSIS.

Mandato præfatorum Dominorum

Faillaufaiche.

XCIV. — Nec silentio prætereundus Conventus Præsulum Galliæ, Parisiis habitus, ad negotia Ecclesiarum temporalia componenda: hic primum congregatus die 29. Maji, et die 16. Augusti absolutus fuit. Clerus Regi concessit subsidium centum millium scutatorum. (*)

(*) Procès-verbaux du Clergé de France. T. I. pag. 249-272.

XCV. — Res Avenionenses atque Venusinæ hoc item anno pacatæ habebantur, exceptis Hugonottorum ex Arausione et Delphinatu in ea loca subinde factis incursionibus, ut Cardinalis Arminiacus refert. (*) Itaque Venusini Consules Pontificem exorant, ne Bosqueto militum Præfecto, nuper vita functo, successorem det, sed id muneris Cardinali Arminiaco mandet: præterea petunt, ut sese a quibusdam vectigalibus, quæ belli tempora invexerant, immunes velit. (*) Consules Avenionenses grates quam maximas Gregorio agunt, quod tam liberaliter de pensionibus indulserit. (*)

(*) Mantissa document. N. 111.

(*) Ibidem N. 111.

(*) Ibidem N. 112.

Ad hæc Avenionenses supplices efflagitant Gregorium, ut non solum vetustissimam consuetudinem jam ante a Summis Pontificibus probatam, ex qua Avenionensibus et Venusinis Clericis facultas fiebat de fructibus ex reditibus Ecclesiæ, atque de bonis inde adeptis testandi, ra-

tam ipse iterum habeat; sed etiam ut hoc privilegium valeat in iis bonis, quæ illi Clerici ex eadem ratione extra eas regiones sive in Gallia, sive in Italia, sive ubicunque possideant; quod et egenis et templis earum Civitatum in magnum commodum cessurum sit. En Consulum Avenionensium supplicem libellum. [*]

[*] Avignone Vol. 13. fol. 170.

Sanctissimo Domino Nostro.

Beatissime Pater.

« Erat in more patrio positum, cujus initu memoria hominum non extat, Clericos, Episcopis exceptis, fructus ex redditibus ecclesiasticis exceptos adeo suos facere, ut de illis et bonis ex dictis fructibus adeptis et libere testari illis liceret, et ab intestato decedenti a proximioribus succederetur. Eaque consuetudo Summorum Pontificum applausu, horum nempe legitimorum officialium scientia interveniente, inconcusse tenuerat. De qua tamen cum controversia mota esset ab Illmo Legato Cardinali Farnesio, ea tandem transactione inter dictum Legatum et Clerum inita sopita est, ut illis quidem testandi facultas esset, ab intestato vero morientibus non succederetur. Quæ quidem transactio a Julio Tertio et Pio Quinto Pontificibus pientissimis, non modo quoad bona in Comitato et Civitate Vra Avenionensi sita, probata fuit et confirmata, sed et ut dicta facultate fruerentur quoad bona ubicumque terrarum locata, benigne indultum fuit. Atque iis quidem fretus D. Perrinetus a Rovillasco, Præpositus Ecclesiæ Metropolitanæ Avenionensi, et cui notum esset vigere hanc per Galliam universam, Hispaniam, aliasque nationes plerasque consuetudinem, tacito saltem Summorum Pontificum consensu approbatam, atque adeo Civitati Avenionensi hoc privilegium speciatim tributum de obtinenda testandi licentia, (quam verisimile est, Sanctitatem Tuam, qua est beneficentia, benevole impartituram fuisse) ne cogitavit quidem, decessitque facto testamento, licentia alias non impetrata. Quo nomine heredi ab eo instituto ratione bonorum quorumdam in Italia Subalpina sitorum molestia immerito exhibetur, cum dicto Dño Præposito Principis imprimis generali licentia ac privilegio, tum consuetudine inveteratissima legitimeque inducta munito nihil imputandum videatur. Et certe si quid novetur, cum magnum vulnus accipient tenuiores Clerici, qui genium suum defraudantes plerumque comparcunt, quod in suos pauperes conferant; locupletiorum vero ardor in ornamenta ædium sacrarum bonam partem dictorum fructuum impendendi, (quod hic munifice præstitit) relanguescet fortasse, remissiorque evadet. Quocirca communi Reipublicæ bono commota Tuæ Sanctitati fidissima ac devotissima Avenionensis Civitas prosternit sese, ac demississime enixissimeque tibi supplicat, morem hunc patrium, post hominum memoriam usurpatum atque invalescentem, ne nunc primum indicta causa convelli patiare; mandesque iis qui negotium dicto heredi faciunt, uti dictorum bonorum possessionem sine ulla mora illi quam liberam relinquant, ut omnes intelligant, Avenionenses Clericos non minus Tuæ Sanctitati charos et acceptos esse ac Romæ commorantes, quibus liberam testandi facultatem sive in pauperes sive in divites a Pio Quarto tributam fama et auditione accepimus. Quod Tuam Sanctitatem, qua nos perpetuo charitate vere paterna est complexa, libentissime facturam plane confidimus, certoque speramus. Deus Optimus Maximus quam diutissime te nobis servet incolumem. E Civitate tua Avenionensi die vi. Aprilis 1584.

E. S. V.

Humillimi subditi
CONSULES CIVITATIS AVENIONENSIS.
Henry Peereche.

XCVI. — Piissimus Præsul Guilielmus Geyskolmus Hibernus, qui ex Episcopatu Dubliuensi fidei causa exul, Vasionensis Episcopus factus erat, de Episcopatu præter omnium optatum cessit, Carthusianorum institutum Gratianopoli est amplexus: cui deinceps et in Galliis et Romæ magna cum prudentia præfuit. [*] Vasionenses igitur Pastori desideratissimo successorem ab Pontifice expetiverunt presbyterum Joannem Nicolaum, virum spectatissimum, et de rebus tam civilibus quam religiosis in Avenionensi et Venusina civitate optime meritum. Verumtamen Gregorius Episcopatum Guilielmi nepoti mandavit, cujus viri plura erga fidem Catholicam in Scotia promerita extiterunt; quique ab suo Rege ad negotia ecclesiastica curanda Romam erat missus [*]. Subjicimus hic supplicem Vasionensium pro Joanne Nicolao libellum. [*]

[*] Mantissa document N 111

[*] Ibidem N 115.
[*] Avignone Vol 13 fol 278.

Memoriale pro Domino Joanne Nicolao.

« Joannes Nicolaus presbyter juris utriusque Doctor, a familia nobili oriundus Vapincensis Diœcesis in Delfinato Regia provintia, qui a parentibus bonis moribus et litteris instructus, in anno vigesimo secundo suæ ætatis, quod fuit in anno Dominicæ Nativitatis 1531. jam ad ordines sacros promotus, Avenionem se contulit, ut juri Cæsareo et Pontificio studeret. Ubi et Tholosæ quinquennio consumpto in lectionibus, tam in Collegiis quam in Auditorio publico sui periculum fecit, nonnullaque dubia juris patronatus in opusculum redacta digessit.

« Inde ex duobus Cappellaniis Canonicatum in Ecclesia Avenionensi assequutus est in anno 1549., in quo solum absque fructibus pro singolis horis recipiuntur quotidianæ distributiones.

« In anno vero 1551. juris utriusque Doctor effectus, ab Illmo et Rmo Cardinali Farnesio tunc Legato in Commissarium causarum admissus, specialisque Hæreticorum a Rmo Jacobo Ma-

ria Salla tunc Prolegato Commissarius factus est, et inde ab eodem Illm̃o et Rm̃o Cardinali Farnesio, et Buzoto Avenionensi Archiepiscopo Vicarius creatus opera præfati Rm̃i Prolegati Variensis tunc Episcopi.

« Deinde per Rm̃um Dñum Lucensem Episcopum Prolegatum Auditor generalis causarum spiritualium Legationis, generalisque Commissarius Hæreticorum factus, in civilibus autem causis magnificus et probitate perspicuus Augustinus Floraventus generalis Auditor factus fuit, quo tempore Hæreticorum rabies cœpit ingravescere, et per Gallias inflammari, et præsertim apud Malaucenam per quendam Montbrun, qui primus eum locum est clam ingressus, et occupavit: æstuante ita rabie hæreticorum Sanctitati Domini Nostri fortiam misit ad has partes, cum præfecto militiæ Fabritio a Cerbellonibus et Firmano Episcopo Prolegato, quod divino favore evenit; periissent enim ante faciem rabidorum luporum tres provinciæ circum adjacentes Civitati et Comitatui Avenionensi, videlicet lingua Occitana, provincia Provinciæ et Delfinatus.

« Deinde furia belluarum Gallias vexante supervenit mutatio Legati, et sic frustratus spe retributionis laborum. Interea tamquam a Deo missus supervenit Illm̃us et Rm̃us Dñus Cardinalis ab Armeniaco Collega in Legatione Avenionensi, qui sua providentia authoritate Sanctissimi Domini Nostri ordinem justitiæ reformavit et Rotam erexit, Civitatemque et Comitatum divino quodam regimine sua prudentia a prædationibus et violentiis protexit: et ab eodem vocatus fuit ad eadem officia ab eo non petita, et eum absentem in erectione Rotæ ei cœtui annumeravit, Hæreticorumque cognitioni præesse mandavit. Inde præfatus Cardinalis in Archiepiscopatum Avenionensem evectus, ejus Vicarium in eodem Archiepiscopatu Avenionensi esse jussit.

« Et in his officiis bis syndicatum passus, a falsis fratribus calumniam passus est, ab hisque omnibus absolutus.

« In temporibus autem pestis, et præsertim in cruentissima nuperrime effluxa a Civitate non exiit; quinimo uno anno durante Civitate pene deserta aut lue, aut civium fuga cum paucis intimide permansit. Vicosque ubi opus erat, peragravit, officiumque divinum in majori Ecclesia cum quinque intrepide retinuit; optabat tamen sibi exeundi a Civitate ab Illm̃o et Rm̃o Domino Cardinali facultatem dari, quam tamen licet per multiplicatas litteras supplex postularet, non potuit obtinere, sed jussionibus hortabatur permanere.

« Unde jam ad decrepitam evectus, gaudens tamen et fruens sensuum integritate et prospera valetudine, consideransque ea munia subiisse, mundasque manus in eorum exercitio se servasse, non beneque sibi pro subveniendis necessitatibus provisum esse, vidensque, quod tam longa tempora mercedem tantorum laborum et periculorum expectaverit, licetque fidele servitium et continuum sit, honesta petitione de consilio Illm̃i et Rm̃i Domini Cardinalis Armeniaci ad fontem recurrit, et preces porrexit, quæ si inanes fuerint, non tamen omnino fructu expertes erunt; nam ex his humilem oratorem in Vinea Domini laborasse intelliget Sanctitas Sua.

« Posset tamen fieri, ut si ita Sanctitati Suæ placeret, mandaret Illm̃o ac Rm̃o Cardinali de Armeniaco Collegato, provideri eidem Johanni Nicolao de prima Dignitate aut Prioratu vacaturis in Legatione.

« Aut si placet Sanctitati Suæ, decrepitam viri aliquo titulo decoret, vacatio Episcopatus Vasionensis est in procinctu.

XCVII. — In finitimo Arausionensi Principatu conditio Catholicorum multo deterior evasura videbatur. Hugonotti enim omnem spem suam in conventu Montis Albani positam habebant: in illo sibi persuadebant ea consilia initum iri, quibus fides Catholica penitus esset labefactanda; nihilque in posterum sibi cum Catholicis futurum. Quæ cum Cardinalis Arminiacus longe ante prospexisset, faciendum sibi putavit, ut per Thomam Taurinensem ex Ordine Minorum S. Francisci Cappucinorum de excidio, quod Ecclesiæ Arausionensi ex illorum machinationibus immineret, doceret Pontificem; cum eoque omnibus precibus ageret, ut ab ea Ecclesia omnem injuriam profligaret, neque in tantum discrimen eam dari pateretur [*]. Eadem refert Pontifici Episcopus ipse Arausionensis: seque præsto esse scribit, si ei videatur, Romam contendere, coramque, quod ab se vehementissime Catholici postulant, de tristissima eorum conditione disserere. [*]

[*] Mantiss. document. N. 116.

[*] Avignone Vol. 13. fol. 332.

Beatissime Pater.

« Accepi ab Illm̃o Cardinali D'Armeniaco et Rm̃o Cavallionensi Episcopo, Suam Sanctitatem circa negotium Auraicense latius instrui velle, quam fuerit ex his, quæ jam ad Suam Sanctitatem miseram, cui rei perficiendæ totis viribus incumbo: si tamen Suæ Sanctitati videretur, ut Romam proficiscerer, ut facilius omnia ad eam rem pertinentia enarrarem, et dubia, quæ inde exorirentur, dissolverem, quippe qui huic negotio tractando versatissimus sim, cum toto decennio et biennio lapidem hunc volvam, lubentissime illuc me conferam, tam zelo, quo Divinum et Sanctæ Sedis Apostolicæ obsequium prosequor, quam vehementi desiderio, quo flagro, miseram hanc Auraicensem Civitatem in gyrum Sanctæ Matris Ecclesiæ restituendi motus; idque eo lubentius præstabo, etsi ætas, in qua sum, repugnare videatur, ut quanto citius huic bono ope-

ri honorem Dei et Sanctæ Sedis Apostolicæ, et utilitatem populi Christiani respicienti finis imponatur. Non ausus tamen sum id præstara sine Suæ Sanctitatis et licentia et mandato, quantumvis quotidie a Catholicis dictæ Civitatis premar, ut eo me conferam, nempe qui nullam aliam nisi post Deum in Sua Sanctitate spem habeant. Erit igitur Suæ Sanctitatis videre, quid hac re me facere oporteat, ego quam lubentissime et citissime ejus mandatis obsequar: qood dum expecto, Suæ Sanctitatis pedes humillime deosculor, et Deum Optimum Maximum pro felici diuturnoque ejus statu deprecabor.

Datum Caderossiæ die tertia Julii Anno 1584.

Sanctitatis Suæ

Humillimus et ad omnia obsequentius

J. de Tulia Episcopus Auraycensis.

XCVIII. — Verum in illo Conventu spes illorum Hugonottorum, qui magis ad crudelitatem erant animo comparati, concidit. Nam opera præsertim Regis Navarræ mitiores sententiæ prævaluerunt, et consilia sæviendi in Catholicos, et in Galliarum Regem rejecta fuerunt [*]. Idem Rex Navarræ auctor fuit, ut Castillioneus Arausionis Præfectus eos ipsos moderationis sensus sequeretur [*]. Post luctuosum Guilielmi Arausionensis casum, Mauritius, cui ex patris supremis tabulis Arausionensis Principatus administratio data fuit, Card. Arminiaco scripsit, nihil se omissurum, quo publicæ quieti caveretur [*]: quod et ii, qui in suprema Arausionensi Curia (quam Parlamentum dicebant) erant, omnimode promiserunt [*]. Deinde Rex Navarræ, litteris publice missis, eidem Cardinali significat, se patroni titulum atque jura Principatus Arausionensis, et illius Mauritii Nassoviensis Comitis, Guilielmi patris in Batavia successoris, suscepisse. [*]

[*] Mantissa document. N. 117.
[*] Ibidem N. 118.
[*] Ibidem N. 119.
[*] Ibidem N. 120.
[*] Ibidem N. 121.

XCIX. — Archiepiscopo Toletano Gregorius provincialis Synodi nuperrime ab eo celebratæ decreta, Romæ emendata et confirmata, remittit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 46. fol. 398.

Dilecto Filio Nostro Gaspari Cardinali Toletano Nuncupato.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Mandavimus decreta synodi Provincialis Archiepiscopatus tui Toletani per venerabiles fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, rebus ad Concilii Tridentini decreta pertinentibus præfectas, diligenter examinari. Retulerunt, magnam esse in ista synodo habitam rationem Dei gloriæ, atque animarum salutis. Incredibiliter lætati sumus, non quo non antea certum haberemus, summo semper studio te in utramque causam incubuisse; sed quia sic fere fit, ut quarum virtutum de aliis opinione et commendatione lætamur, earum ipsarum quasi sub oculos subjectione atque aspectu vehementius afficiamur. Remittimus igitur decreta ipsa nonnullis in locis necessario emendata, hortamur, ut cures pari studio, quæ pie prudenterque provisa, decreta, emendata sunt, quam diligentissime servari. Hæc enim tibi reliqua laboris, eaque maxima pars est, sine qua omnis hactenus opera frustra esset suscepta. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die VII. Septembris MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

C. — Idem Hispaniarum Regi valde commendat negotium de Ecclesiasticis spoliis, quippe cum Ecclesiastica jurisdictione conjunctum. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 21. fol. 385.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Tametsi non multum de commodis rerum temporalium laboramus, tamen quia spoliorum causa magnopere est cum Ecclesiastica jurisdictione conjuncta, non possumus hac in parte officio nostro deesse. Tam multa in hoc genere peccantur, tamque in dies deteriora committuntur, ut nisi provideatur, grave aliquod scandalum pertimescendum sit. Omnia ex venerabili fratre Episcopo Laudensi Nuncio nostro cognosces, cui mandavimus, ut nostrum Majestati Tuæ consilium desideriumque exponeret. Cupimus, ut eum libenter audias, ejusque verbis fidem tribuas. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die decima quarta Julii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

CI. — Gregorius in munus Roberti Fontanæ, datarii apud Cardinalem Lusitaniæ Legatum, non ita pridem mortui, Alphonsum Vicecomitem sufficit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII. ep. 150 f. 367.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Amisso Roberto Fontana, fecimus Legationis Portugalliæ datarium, et Regentem dilectum filium Alphonsum Vicecomitem, utriusque Signaturæ nostræ Referendarium, virum præstanti doctrina, integritate, pietate præditum; quibus nominibus non minus illum Majestati Tuæ, quam Nobis gratum fore existimamus. Cupimus, ut eum libenter videas, audiasque, ejusque verbis fidem tribuas. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die decima quarta Maji MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

CII. — Archiepiscopus Eborensis Pontificem, per litteras ad Cardinalem Comensem datas, certiorem facit, se propediem synodum provincialem convocaturum. [*]

[*] Lusitania Vol. 6. fol. 285.

Illm̃o atque Rm̃o Domino meo Observandissimo Cardinali Comensi.

Illm̃e et Rm̃e Domine.

« Amplitudinis Tuæ Illm̃æ et Rm̃æ literas accepi, et unice amplexatus sum, qua soleo, animi hilaritate, eoque libentius quod denuo certior effectus de Sm̃i Dñi Nr̃i et Amplitudinis Tuæ Illm̃æ et Rm̃æ valetudine, paternam benedictionem consecutus fuerim, illam meo nomine deprecante Amplitudine Tua Illm̃a et Rm̃a, quo beneficio cumulatus absque dubio futurum credo, ut in negotiis ad injuncti mihi muneris rationem pertinentibus omnia prospere et feliciter succedant: in quibus ad præsens præcipuum est Concilium provinciale, ad quod Deo dante celebrandum accingimur: quod tamen prius, ut moris est, Domino meo Regi utpote Magno militiarum Magistro significare necessarium duxi, quod ut bene et animarum saluti convenienter exequi possimus, meo et meorum comprovincialium Episcoporum nomine, iterum atque iterum Sanctissimi Domini Nostri beatam humiliter postulo benedictionem, fretus, quod huic desiderio et officio nostro præsto aderit pro sua singulari humanitate Illm̃æ et Rm̃æ Amplitudinis Tuæ solitus favor, cujus etiam præsidio me a minima etiam calumnia, si qua inciderit immerito, vindicandum palam non dubito, in negocio præsertim, de quo Dñum Nr̃um per epistolam certiorem fieri, cujus etiam verissimam instructionem ipsi explicandam Amplitudini Tuæ Illm̃æ ac Rm̃æ mittendam curavi, cui post multos et felicissimos annos veram felicitatem exopto. Datæ Eboræ x. Cal. Maji anno Domini MDLXXXIII.

Illm̃e et Rm̃e Domine,

Illm̃æ ac Rm̃æ Amplitudinis Tuæ manus deosculatur ipsi addictissimus

Theotonius Archiepiscopus Eborensis.

CIII. — Res Belgicæ in maxima erant perturbatione ob luctuosum Guilielmi Arausionensis Ducis casum, qui a nefario proditore explosa ex breviori tormento glande percussus Delphis, in Bataviæ oppido, v. Idus Julias ipso ictu occubuit. Cui Mauritius filius minor annis XVII. natu, sub Philippi Comitis ab Hohenlohe tutela successit. Præsules Coloniensis ac Trevirensis ad hosce tumultus sedandos, easque provincias paci restituendas omnes curas contulerunt. En quæ iis de rebus Archiepiscopus Coloniensis Episcopo Vercellensi scripsit, significans, quo in discrimine Halberstadiensis et Mindensis Ecclesiæ versarentur. [*]

[*] Germania Vol 62. fol. 470.

Illm̃e et Rm̃e Domine.

« Jamdudum periculosum Halberstadiensis et Mindensis Ecclesiarum statum mecum reputans, hac etiam de causa sæpius optavi remedium, quo frequentes nimium in Germania conatus, et usurpationes insolentes contra sacros Canones et constitutiones Imperii cohibeantur; proinde prudentissime fecit Illm̃a et Rm̃a Dominatio Vestra, quod in eum, quem superioribus suis literis mihi significavit, modum ipsum Cæsarem de Ecclesiis illis compellavit, ad cujus nimirum potestatem et auctoritatem hujusmodi negotia utiliter referuntur. Cum igitur Sacræ Majestatis Suæ mandatum accepero, nihil mihi prius, neque gratius erit, quam ut ei studiosissime satisfaciam. Interim vero non omittam Electores Moguntinum et Trevirensem Collegas meos exhortationis, et consilii vestri participes facere, quo communicatio nostra magis ipsis sit cordi, cum mandatum Cæsaris adferetur. De Republica Civitatis Coloniensis Illm̃a Dominatio Vestra novit, quantum mihi in ea permittatur, pro eo tamen, ut possum, Religionem et omne bonum ibi promovere non desino. Cæterum ut non leviter totum Imperium, ita gravissime profecto ipsam Civitatem cum omni provincia Coloniensi afficit perturbatus Belgicæ status, ut adhuc in hoc bello assidue experior, qui si componi posset, plurimum inde haud dubie boni per universum Imperium redundaret: cujus rei, nec non gravissimorum, quæ vicinæ provinciæ ob bellum Belgicum tanto jam tempore patiuntur, incommodorum recordatio fecit, ut cum nuper una cum Electore Trevirensi Leodii essem, ipse Elector et ego communes literas dederimus ad unitos Belgicæ Ordines in Hollandia congregatos, quibus eos ad pacem cum Rege Catholico Principe suo hortati sumus, illius conciliandæ intercessores et adjutores nos offerentes. Operæ pretium itaque existimavi, hac occasione illarum literarum exemplar cum ipsorum Ordinum responso, ac duorum doctissimorum virorum mihi perscripti de hac pacificatione judicium et consilium ad Illm̃am Dominationem Vestram mittere, ut et ipsa negotium examinans et expendens deliberet, utrum expediat Cæsaream Majestatem de eo promovendo a se quoque admoneri. Mea quidem est sententia, quod pacata bonis rationibus Belgica, non tantum hujus belli reliquiæ ultro concident, verum etiam Reipublicæ Coloniensis et Ecclesiarum, a quibus initium feci, ac totius denique Imperii status facilius sanabitur; sed hæc Illm̃a Dominatio Vestra singulari sua prudentia, et pietate multo melius arbitrabitur, cui me toto animo commendans et officiosissime offerens, omnia ipsi, a Deo Optimo Maximo salutaria et prospera precari non intermitto. Bonnæ tertia Novembris MDLXXXIII.

Illm̃æ et Rm̃æ Dominationis Vestræ

Addictissimus ad serviendum

Ernestus Electus Coloniensis.

CIV. — Atque hic prodendus memoriæ posterorum est Guilielmus Damasi Lindanus Ruremundensis Episcopus, qui tot tantisque Ecclesiæ cladibus commotus, coram cum Pontifice collo-

enturus, Romam se conferre statuit. Sed in itinere valetudine infirma distentus, aliquot dies Friburgi constitit, ibique cum Jodoco Lorichio, viro inter Theologos ejus ætatis claro, crebros de Ecclesiæ iis in locis conditione habuit sermones. Hæc de eodem viro Lorichius Episcopo Vercellensi scripsit. [*]

[*] Germania Vol. 62. fol. 115.

Illustrissime, Reverendissime Domine.

« Hoc die hic transivit Reverendissimus in Christo Præsul ac Dominus, Dominus Wilhelmus Damasi Lindanus Episcopus Ruremondensis; cujus in Ecclesiam Dei merita Illustrissimæ Celsitudini Vestræ satis superque sunt cognita. Quæsivit me domi meæ, at quia extra muros, pro velanda vidua ea, de qua alias scripsi, processeram, vocatus paulo ante abitum, suam Reverendissimam Celsitudinem conveni. Inter pauca ergo quæ conferre potuimus, primum facta est mentio Concilii Germanici, de quo alias plura: probavitque sententiam nostram, scilicet agendum tantum esse cum seductis Principibus, a quibus reliquus populus totus pendeat. Modum vero hujus præscribere, hoc opus, hic labor est. Post significavit, se Romam proficisci, non ob Belgicas Ecclesias solum, sed et potissimum quidem ob Ecclesiam Universalem, nominatimque monuit, ut Illmæ Celsitudini Vræ id significarem, hoc addito, se cupere Romæ hyemare. Ex quo colligo velle suam Celsitudinem ab Illma Celsitudine Vra ita commendari, ut Sanctissimus Dñus Noster ipsum habeat modis omnibus commendatum, ejusque consilia pro Ecclesia Universali juvanda promoveat. Apparet vir esse totus deditus meditationibus, pro reliquiis Ecclesiæ nostræ Germanicæ conservandis, simulque etiam pro his, qui erant, reducendis. Paucis multa diximus, quia loquendi tempus multa non erat. Reliqua Deo commendamus, et his, quos voluit Ecclesiæ suæ præpositos, non esse solum, sed et agere. Consulit etiam, et recte quidem, de Provincialibus conciliis a Metropolitanis celebrandis, ut tandem Diœcesani ad residentiam moneantur compellanturque.

« De vi iniquissima, quam exercuerunt excommunicati isti Canonici Colonienses contra Capitulum Canonicorum Argentinensium, opinor scriptum esse ad Cæsaream Majestatem; proinde mea scriptione nihil est opus. Timendum nobis est ab excursionibus prædonum, nisi propediem omnes machinationes sopiantur; sed quia oportet omnia paulatim interire, forte his in partibus hæc erunt interitus initia. Deus Optimus Maximus Illustrissimam Celsitudinem Vestram una nobiscum pro Ecclesiæ suæ utilitate diutissime servet incolumem. Friburgi XVI. Calendas Octobris MDLXXXIV.

Illmæ Celsitudinis Vestræ

Obsequentissimus filius
JODOCUS LORICHIUS.

Huic Vercellensis respondit, a se quidem eum Episcoporum optimum commendatum iri libentissime. At ejusdem de conciliis provincialibus per Germaniam impræsentiarum cogendis sententiam propter impedimenta, quæ occurrebant, ad aliud tempus differri oportere. [*]

[*] Germania Vol. 62. fol. 111.

« Reverende Magnifice et Doctissime amice plurimum dilecte. Quas ad me Cal. hujus mensis Reverentia tua dedit, eæ mihi nundius tertius redditæ sunt, quibus paucis, uti sum hodie occupatissimus, respondeo. De Concilio Germanico, de quo cum Reverendissimo Domino Lindano Ruremondensi Episcopo se contulisse scribit, mihi vehementer probaretur consilium; si eos haberet Episcopos Germania, de quibus spes aliqua affulgeret, ut hujus provinciæ vulneribus sanandis congrua remedia et pharmaca essent adhibituri; sed cum hoc unum cogito, præter sexcenta alia incommoda, quæ me ab ejusmodi consilio, hoc saltem tempore capiendo, avertunt, in eam plane venire, vel saltem inclinare cogor sententiam, ut sancta hæc cogitatio aliud in tempus rejiciatur.

« Concilia Provincialia cogi optimum esset, omnique periculo careret, sed ubi Archipræsules ad id propensos, aut dicam etiam aptos invenias?

« Reverendissimum porro ipsum Lindanum diligenter Sanctissimo Domino Illustrissimoque Comensi Cardinali commendabo, quemadmodum sane summa illius pietas et doctrina, eximiaque in Ecclesiam Dei merita merentur.

« De turbis Argentinensibus jam acceperamus. Dum autem reliqui Canonici Ecclesiæ suæ, et Catholicæ Religionis sincere causam agant, sine dubio excommunicati cedere opportunis mediis compellentur. Si quid autem novum de iis acceperit Reverentia tua, rogo, ut me certiorem faciat diligentius, valeatque fœliciter, mei semper memor.

CV. — Hic annus in Anglia Catholicis hominibus gravior, et acerbior evenit. Nam Elisabetha, quæ nunquam consilium opprimendi Catholicos intermiserat, sciens plurimos ex Anglia et Scotia Catholicos viros jus Mariæ Stuardæ contra suam usurpationem propugnare, atque in id jam mentem et labores convertisse, ut Mariam a captivitate, qua detinebatur, liberarent, vehementius inflammata opportunitatem sibi oblatam putavit, qua posset aliquam causam omni crudelitatis generi prætendere. Itaque quoscunque illius consilii conscios et participes esse suspicabatur, in eos tanquam in perduelles et patriæ hostes exilio, bonorum publicatione, et exquisitissimis suppliciis animadvertebat. Neque tamen hæc agendi ratio poterat sceleris infamiam ab Elisabetha propulsare. Quis enim ignorabat, non potuisse Catholicos uti perduellionis reos traduci, nisi de jure Elisabethæ

plane constaret? quodnam jus poterat eidem suffragari, quæ omnia jura violando regiam potestatem sibi vendicaverat? Neminem profecto latet jus ubique obtinuisse, quo e regni jure excidebat quiquis in Catholico regno hæresim suscepisset? Elisabetha vero non solum hæresi addicta erat, sed adeo perverso animo erat, ut hæreticorum errores gratia, opibus quacunque diffundere ac tueri curaret, suosque subditos ad impias doctrinas sectandas non modo excitaret, sed etiam iniquissimis editis legibus impelleret. Testes esse possunt etiam præsentes annales, in quibus aliqua monumenta singulis annis exhibentur, quæ perversam Elisabethæ mentem, ejusque crudelitatem clarissime demonstrant. Exploratum est ex nostris annalibus, Hugonottos in Gallia, Geusios in Belgio, Calvinistas in Germania, Dissidentes in Polonia magnum præsidium in Elisabetha iuvenisse, maximisque beneficiis affectos ab ea fuisse, ut hæreticorum placita diffunderent, et Catholicam Ecclesiam insectarentur. Præterea eam etiam ob causam a regni jure Elisabetha erat removenda, quod ex adulterino conjugio nata esset. Quantopere juxta omnium populorum leges natalium vitium Elisabethæ obstaret, urget Natalis Alexander ex inclyta Ordinis Prædicatorum familia [*], et Nicolaus Sanderus lib. II. de Schismate Anglicano inquiens [*]: « Sæpe quidem conata est Maria illam ab omni successionis sorte, vel propter hæresim, vel propter crimen læsæ Majestatis, (multa enim contra sororem et Rempublicam commiserat) vel, quod magis constabat, propter impurissimos natales excludere. Nam ex Clementis VII. sententia juridica prætensum Henrici cum Anna matrimonium, et proles ex illa suscepta expresse definiuntur esse illegitima. Idemque Henricus postea a perturbatione factus liberior, in publicis Regni Comitiis decerni curavit, omnesque sibi subditos a juramento, quod Annæ Bolenæ vel ejus soboli prius præstiterant, absolvi jussit; porro contestatus in Senatu suorum, Annam illam nec fuisse, nec esse potuisse uxorem suam, propter certam causam, quam dixit se Cantuariensi Episcopo secreto insinuasse. Et licet Henricus anno trigesimo quinto Regni sui, impetrata potestate ab Ordinibus nominandi successores suos, voluerit etiam Elisabetham habere in ordine regnandi locum, quod et illorum Comitiorum decreto approbari fecit, (ex quo solo Parlamentario edicto, et nullo nativitatis jure ista est postea adepta imperium, et ita in hunc diem tenet) tamen nec ab Henrico patre, nec a se ipsa ullo Statuum decreto, aut matris cum patre conjunctio, aut natales ipsius fuerunt unquam postea approbati, aut facti legitimi. Quin et Ordines primo anno Reginæ Mariæ lege perpetua approbarunt conjugium Henrici cum Catharina, et prolem ex eo genitam omni divino et humano jure legitimam fuisse declararunt; omnia contraria acta, processus et sententias abrogantes; ut proinde alteræ cum Anna, Catharina adhuc superstite, veræ nuptiæ esse non potuerint, nec ex illis suscepta soboles legitima, nec Anglicani sceptri secundum leges municipales, quæ spurios non admittunt, vel natura, vel ulla prærogativa capax esse: quod tamen Senatusconsultum nec ab ipsa Elisabetha rescissum est hactenus. Quæ licet jus regnandi vendicet, Regnumque sibi deberi ab omnibus, in primis Regni sui Comitiis agnosci voluerit, tamen nusquam jus suum naturæ, sed Parlamento prædicto adscribit: hoc præterea variis postea decretis cavens, ne quisquam sub pœna capitis affirmet, non esse in potestate Principis et Statuum positum, ut quem velint Regem designent. De natalibus autem suis probandis aut reformandis nullus sermo, sed altissimum ubique silentium. »

[*] Hist. Eccles. Secul. XV. et XVI. Artic. XX. §. 1. T. VII. pag. 50. Parisiis 1699. fol.

[*] Pag. 355. edit. Rom. 1586.

His accedebat, quod Elisabetha suo dominandi seu potius sæviendi modo in Catholicos omnes et in Mariam, quæ jus in regno habebat, vehementer omnes Catholicorum animos contra se concitaverat ac veluti lacessiverat, ita ut ii perniciosissimam illam tyrannidem excutere, et Mariam ad regni administrationem eidem debitam evehere conarentur.

CVI. — Iis autem causis vel maxime permotus fuit Sanctus Pius V. ad illam sententiam ferendam, quam Principes et omnes Catholici flagitaverant, neque ad aliud tempus differendam esse existimavit. Quam sententiam etsi contemnere et ludibrio habere visa sit Elisabetha, tamen cujus illa roboris esset, satis declaravit, cum ad Imperatorem confugit, ut eo deprecante, sententia a Pontifice abrogaretur. Opportunum erit hic referre ipsum sancti Pii V. responsum ad Cæsarem. [*]

[*] Apud Jacob Laderchium Annal. Eccles. Tom. XXIV. fol. 229. ad an. 1570 § 17. Romæ 1737.

Charissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

PIUS PP. V.

Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Majestatem Tuam ea, quæ agit, bono animo, prudentique consilio agere non dubitamus; nec aliter de quovis Christiano Catholicoque Principe, nedum de Majestate Tua judicare debemus. Veruntamen quod literis tuis XXVIII. die Septembris datis, quas sero admodum, nec prius quam heri accepimus, Majestas Tua a Nobis postulavit, ut sententiam et excommunicationem adversus Elizabetham prætensam Angliæ Reginam, superiore anno a Nobis promulgatam, revocemus; id ejusmodi est, ut quamquam in ea re Majestati Tuæ, de Nobis, rerumque Christianarum statu sollicitæ, gratias agere debeamus, et agamus; tamen quamdiu prædicta prætensa Regina, ab Eccle-

siæ Catholicæ corpore, atque ab hujus Sanctæ Sedis communione, a qua ipsa se abscidit, separata permanserit; sententiam, et excomunicationem contra ipsam latam revocare nullo modo posse videamur, quam multis bonis, Catholicisque viris a Nobis poscentibus, adversus eam publicavimus. De qua quidem sententia, cur tantopere laboret, satis intelligere non possumus. Nam si sententiam excomunicationemque nostram magni æstimat, cur ad Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium, a quo discessit, non revertitur? Si vero eam nullius momenti esse existimat, cur de ea tantopere laborat? Nam quod ad ejus minas, et in Nos odium pertinet, tantum abest, ut id vel pertimescamus, vel vitare velimus, ut si illud profundendo nostro sanguine explere posset, multo id Nobis gratius acceptiusquo futurum esset, quam Pontificatus ipse, quem ab Omnipotenti Deo, quamvis meritis imparibus, acceptum gerimus. Temporum autem conditio, quæ a Majestate Tua, non minus amanter, quam prudenter consideratur, etsi apud prudentes quosque suam vim habere debet; tamen apud Nos non debet esse tanti ponderis, ut quidquam admittamus, quod Divinæ Majestatis oculos offendere, hujusque Sanctæ Sedis Majestatem imminuere possit. De ipsa autem sententia adversus eamdem prætensam Reginam publicata, præterea non imprimenda, quod hucusque factum est, id revocari infectumque fieri non posse, Majestas Tua intelligit; ne autem posthac imprimatur, id omnino non est in nostra manu. Cæteris rebus, siquid Majestati Tuæ cum Domino gratificare poterimus, nulla unquam, quantum in Nobis erit, paternæ nostræ voluntatis indicia ab ea desiderari patiemur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quinta Januarii Millesimo quingentesimo septuagesimo primo, Pontificatus Nostri anno quinto.

CVII. — Ab eo tempore magis præfracte in suo proposito Elisabetha perstitit, asserta sibi non solum temporali, sed etiam spirituali potestate in universo Angliæ regno. Ita contigit, ut quæ ipsa natalium honestate destituta neque privatorum hominum jure in quavis societate gaudere potuisset, ea regnum administraret, et per summum nefas ipsam potestatem, quæ Petri successoribus divino jure competit, sibi vindicare præsumeret.

CVIII. — Jam vero hic breviter attingamus, quæ totius infelicis eventus rationem atque exitum spectant. Juvenis igitur Scotorum Rex cum in dies magis Catholicis proclivior fieret, administros autem suæ religionis, Presbyterianos inquam et Puritanos, propter quasdam habitas ad populum conciones quotidie fastidiret magis, a Catholicis ex Anglia et Scotia viris illectus, societatem cum iis clam iniit; eorumque consilium Reginam matrem ab durissima ac periculosissima captivitate eximendi cum probavit, tum etiam pro sua parte adjuvit. Is enim pertæsus dominationis, quam in eum Elisabetha exercebat (quippe illum exploratoribus circumseptum tenebat, qui ad se ipsam quid ageret, quidve moliretur, quibuscum colloquia haberet, deferrent) Guisiano Duci, qui Catholicis Britannis fœdere inter se conjunctis cum imperio præerat, se adjunxit; apud quem valde institit, ut se auspice atque adjutore, expeditionem illam maturaret, cujus successus totus in celeritate positus esset. Ita porro is in Catholicos inclinavit animum, ut a matris consilio haud valde abhorrere videretur, sibi matrimonio filiam Ducis Guisiæ conjungendi. Cæterum Rex, ineunte mense Januario, Fentrium et Gravium, quos æque in se ac Reginam matrem optima fide esse existimabat, una cum litteris ad eundem Ducem misit, quocum de totius negotii ratione deliberarent [*]. His dederat mandata, ut ad eam expeditionem suscipiendam, tum ipsum Ducem inflammarent, tum Galliarum et Hispaniarum Reges, tum vero etiam Summum Pontificem ad eandem auctoritate opibusque fovendam magnopere excitarent. Quæ mandata Fentrius et Gravius cupidissimis, ut præ se ferebant, animis reipsa exequuti: ex tempore Glasguensem Præsulem, Scotorum Reginæ apud Regem Christianissimum Oratorem, de tota illa re edocuerunt [*]. Eadem Guisiæ Duci Malviserius ejusdem Regis apud Angliæ Reginam Orator retnlit [*]. Alanus etiam plenus ingentis cujusdam spei, hæc ad Cardinalem Comensem scribit. [*]

[*] Mantissa document. N. 122.

[*] Ibidem N. 123.

[*] Ibidem N. 124.

[*] Anglia Vol. 2. fol. 261.

Illustrissimo Domino ac Reverendissimo in Christo Patri, Dño Cardinali Comensi Optimo.

Illustrissime Domine Mecænas Optime.

« Quod homines et res Anglicanas tam amanter semper et diligenter, cum suo tum Sanctissimi Domini Nostri nomine et authoritate Reverendissimo Domino Nuntio, singularis sane gratiæ, pietatis et prudentiæ Præsuli, commendas, summo in nos amori et antiquissimæ in gentis nostræ salutem propensioni attribuo, cujus me olim completissimum Nationi meæ futurum testem spero. Hac sola commendatione et patrocinio sumus, ut confido, in Gallia utcumque securi, interim dum Dominus Deus meliora et viciniora saluti nobis parat, licet his diebus etiam in hac Christianissimi Regis ditione Fratres nostros Angliæ Orator vexare cœperat. Quo in statu res Anglicanæ sint, vel ex literis Reverendissimi Domini Nuntii, vel ex quodam scripto, quod nos et Pater Robertus suæ Dominationi tradidimus ad Sanctissimum Dñum Nostrum transmittendum, facile Tua Celsitudo intelliget: hoc solum addo, non rem hoc cunctando nobis, sed festinando restitui; si sine mora nunquam melius: si tarde nunquam pejus. Post

æstatem videtur occasio futura salva; quæ recens acciderint non impedient sed juvabunt gerendi rationes, si mature suscipiantur. Cætera a dignissimo Domino Nuntio his locis et temporibus, nostrisque negotiis, nisi fallor, commodissimo Suæ Sanctitati ministro, accipiet. Deus Optimus Maximus Tuam Celsitudinem ad nostram spem ac salutem, et Ecclesiæ bonum quam diutissime incolumem servet. Parisiis 21. Januarii 1584.

« Hoc ipso momento intelligimus mandatum fuisse a Regina Illustrissimo Domino Bernardino Mendozio, ut intra spatium viginti quatuor horarum discederet; sed interim subito mandatum, ne domo exiret, datamque ipsi custodiam.

Vestræ Amplissimæ Dominationis

Dilectissimus filius et servus

G. Alanus.

CIX. — Neque minori erat in spe Setonius, qui a Scotorum Rege Legatus Lutetiam Parisiorum missus, ut enm Rege Galliarum et Guisiæ Duce de re omni consilia communicaret, hæc Pontifici significavit: in quibus æque plura disserit, quare existimandum esset, Scotorum Regem ex animo cum Catholicis esse conjunctum. [*] [*] Anglia Vol. 2. fol. 291.

Sanctissimo Domino Nostro.

Beatissime Pater.

« Quæ meæ semper fuerint tum in religione catholica, tum in Sanctitatis Vestræ authoritate tuenda ac propugnanda partes, mitto, ut alii Sanctitati Vestræ testentur. Ego sane huc a Serenissimo Scotorum Rege ac Domino meo orator missus, ad auxilium Christianissimi Regis opemque adversus imminentes difficultates implorandam, non potui non aliquid etiam ad Sanctitatem Vestram de rerum nostrarum statu scribere. Ut paucis itaqoe omoia complectar, post expulsum e Scotia Ministrorum ope Ducem Lenoxiæ, adeo graviter id a Rege acceptum fuit, ut nihil fere illi deinceps eum eis commone fuerit, eum antea omnia ex eorum sententia administraret. Quu factum est, ut ipsi etiam indignati maximas ei tum per Angliæ Reginam, tum per seditiosos ac perdoelles suos turbas excitarint. Ipse omni alia ope destitutus ad Christianissimi Regis, tum imprimis ad consanguinei sui Ducis Guisii auxilium consiliumque efflagitandum confugit, quæ res Catholicorum spes plurimum sane erexit; neque enim talis huc usque rei bene gerendæ affulsit occasio, vix ipsi nos tantam sperare aut desiderare potuissemus; id modo curandum, ne inanis elabatur. Tantam Rex de Duce Guisio concepit opinionem, ut nihil sit, quod non ad illius arbitriom moderari posse speremus, hoc non modo ipse ad Ducem Guisiæ scripsit, sed mihi etiam in mandatis dedit. Hoc modo optamus, nt Sanctitas Vestra Ducem ipsum ad aliquid pro religione moliendum non modo excitet et impellat, verum etiam ope sua juvet ac promoveat. Deus ipse præter opinionem nostram hanc Sanctitati Vestræ tum propagandæ religionis tum immortalis gloriæ comparandæ occasionem præbuisse videtur. Regis ipsius ætas, imminens necessitas, effrenata ministrorum arrogantia, omnia denique nostris votis favent: illud elaborandum, ne tempus et occasio hæc prætereant: omnia enim quibus potest studiis ad opprimendum per seditiosos Regem Angliæ Regina præparat, quod si obtinuerit, maximam sane Religio jacturam faciet. Reliqua ex ipso Duce Guisio Sanctitas Vestra, ut opinor, fuse intelliget, cui ego etiam literas Regis ad Sanctitatem Vestram transmittendas tradidi, illud modo a Sanctitate Vestra peto, ne quis rumor de iis literis divulgetur, maximo cum Regis incommodo esse posset in hoc rerum statu, postmodum Sanctitatis Vestræ ope speramus fore, ut libere se Beatitudinis Suæ filium profiteatur. Verum in iis jam versatur angustiis. Itaque urgetur adversariorum potentia, ut vix quicquam libere agitare possit, cui incommodo providere Beatitudinis Vfæ partes erunt. Deus eam interea diu Ecclesiæ suæ incolomem conservet. Datum Parisiis 14. Martii 1584.

Beatitudinis Vestræ

Humillimus servus.

Seton.

Glasguensis Præsul tamen non magnam, quinimo nullam de totius rei successu spem alebat; ita ut Cardinali Comensi scriberet, in Pontifice omnem Catholicorum hominum salutem sitam, commendatamque vulgo haberi. [*] [*] Galliæ Vol. 17. fol. 346.

Illm̃o ac Rm̃o Domino semper Observandissimo, Dño Cardinali Comensi.

Illm̃e ac Rm̃e Domine.

« Ne Suam Sanctitatem, aot Illustrissimam Dominationem Vestram longioribus literis compellarem, dedi instructiones satis amplas Rm̃o Domino Nuncio de rerum Scoticarum stato, quæ hactenos nunquam in meliore loco fuerunt; quod ex eo faeile conjicere licet, quod Reipublicæ nostræ Oratorem ad Regem Christianissimum miserit Catholicum, et inter omnes Catholicos hac tempestate constantissimum: cui injunxit, ut nisi communicatis mecum consiliis, nihil cum Rege Christianissimo pertractaret; qui nescio, an per hunc tabellarium ad Illustrissimam Dominatiooem Vfam scribat, cum adhuc res suas nondum satis abunde cum Illustrissimo Guysiano contulerit. Ego vero ne partes meæ desiderarentur, amplius differendum non existimavi, com res et vita Regis sint in statu quam fieri potest diffieillimo, ut eo plane, et brevi nobis speranda sit aut læta salus, aot Regis ao omnium rerum interitus. Magna para salutis nostræ in manu Suæ Sanctitatis sita esse videtur: si auxilio opportuno aderit, omnia salva spera-

mus, sin minus, exigua boni successus spes nobis relicta est; quæ res ut Suæ Sanctitati per Illñam Dominationem Vestram persuadeatur, per viscera Jesu Christi rogamus. Nam timemus, ne spes illa, quæ in aliis ponitur, sit tam cunctabunda, ut parum sit nobis profutura, nisi solito velocius res gerantur. Cætera ex iis, quæ Reverendissimus Dominus Nuncius ex Illustrissimi Guysiani, ac meis instructionibus habuit. Intellexi satis ex literis Illustrissimæ Dominationis ejus animi promptitudinem erga Serenissimos Dominos meos Reginam, et Regem Scotiæ, et ad ea, quæ omnes illorum nomine cupimus, promovenda. Qua de re eos per proximam occasionem faciam certiores. Dominus Jesus tueatur semper Illustrissimam Dominationem Vestram, ac omni gratia cumulatam servet incolumem. Parisiis 19. Martii 1584.

Illñæ Dominationis Vestræ

Obsequentissimus in Christo servus

Jac. Archiepiscopus Glasguensis.

CIX. — Setonius Scotorum Regis litteras Duci Guisiæ Romam ad Summum Pontificem deferendas dedit: quæ quidem gallice conscriptæ, italice redditæ Pontifici exhibitæ sunt (*). Erant enim illæ erga Gregorium et Catholicam Ecclesiam obsequio et observantia plenæ: ex quo sane apprime intelligitur, quam naviter ille Rex adolescens, qui nondum septem et decimum annum exegisset, simulandi ac dissimulandi artes calleret. Itaque illud commemorare pudet, cum insitum in filiorum animis a natura gratissimum amoris erga matres, easdemque calamitosissimas, sensum prorsus exuisse. Etenim simul ac ferissima illa Anglorum Regina per exploratores studia cognovit Catholicorum, quique ex Anglia, quique e Scotia erant, Mariæ Stuardæ ex suis manibus liberandæ, Rex ille miserrimæ matris suæ partes deseruit, callidissimeque temporibus inserviens se totum Elisabethæ voluntati arbitrioque permisit. Perfidus etiam ille Gravius, ut primum rediit in Angliam, quæ Parisiis de Regina Scotorum liberanda compererat, Elisabethæ omnia explicata detulit. Ita factum est, ut Catholicorum pro Maria Stuarda non minus, quam pro Catholica fide conatus et consilia, tanta cum cura deliberata, tantaque spe instituta, irrita plane fuerint. Sed enim non est, cur in dubium vocemus, quin ejus rei culpa maximam partem in Galliarum Regem sit conferenda; qui propter quasdam simultates nedum illi expeditioni defuerit, sed et impedimento fuerit. Cum enim Maria Stuarda spem omnem in Hispaniarum Rege merito posuisset, et de filia Guisiæ Ducis Regi Scotorum, filio suo, in matrimonium conjungenda cogitaret: Galliarum Rex, qui si minus fronte, animo vero non minus in Catholicum Regem quam in Guisiom Ducem odio affectus, adeo abalienato erat ab Catholicis Anglis animo, ut per suum ad aulam Anglicanam Legatum Scotorum Reginæ explicatis verbis significaverit, sese nihil in ejus gratiam facturum. Quod si in illa cum Hispaniarum Rege Guisioque Duce necessitudine vellet perseverare, sibi quidem magis placere, ut Anglia et Scotia in Elisabethæ ditione essent, quam ut filia illius Ducis filio ejus nuberet, qui ab Catholico Rege adjutus regnum Scotiæ retineret, ut deinceps ad Angliæ regnum perveniret. (*)

(*) Mantuan. document. N. 193.

(*) Vide litteras Malvisserii ad Scotor. Reginam. die 22. Maji 1584. scriptas, in « Memoires de Mons. de Castelnau Seigneur de Mauvissiere, » Bruxelles 1731. T. 1 p. 593.

CX. — Verum enimvero infelix illa Scotorum Regina nihil minus suspicabatur, quam quæ adversarii sui in Anglia contra ipsam moliebantur: eratque tota in ea spe, se propediem ab carcere liberatum iri; ad eamque rem magis urgebat Alanum operam dare, ut Principes Catholici militum manum ad se mittere maturarent. Eumdem etiam jubebat, Summo Pontifici gratissimi obsequentissimique animi sui sensa, propter ejusdem in se studium, suo nomine renuntiare. Quosdam præterea Catholicos Anglos Lutetiæ Parisiorum commorantes, quorum præcipuis in se officiis gratiam referre ipsa non posset, eidem mandavit, ut apud Pontificem quam maxime commendatos vellet. (*)

(*) Galba Vol. 17. fol. 417.

« Mi Pater, Recepi literas, quæ in Octobri, Novembri, ac Decembri scriptæ, propter interruptas ex his novis turbis ordinariæ nostræ intelligentiæ vias, tam tarde venerunt, ut maturius respondere non potuerim. Incredibiliter sum consolata ea, quam commemorasti, Suæ Sanctitatis in me incomparabili studio ac propensione, quam in mea, et hujus Insulæ causa tuis aliorumque literis cognovissem; tamen supra modum erat gratum idem, et particularius et certius, et hoc maxime tempore mœstitiæ meæ, a te audivisse, qui eris olim, uti conjicio et summopere desidero, mandati ipsius apud me gratissimus interpres: idcirco cures, quæso, ut meo nomine ac verbis gratiæ humillime agantur Suæ Sanctitati, ac ut porro illi declaretur, me his suis favoribus ita in dies magis magisque devinctam haberi Suæ Sanctitati, ut ipsius et de me ipsa, et de rebus publicis mandatis sim sine exceptione per totam vitam obtemperatura. Atque quod ad te, Pater Alane, attinet, committo et commendo tuæ pietati cum mearum, tum communium hujus Insulæ rerum, quas omnibus meis privatis commodis longe antepono, curam et directionem, quod judicaveris ad gloriam Dei, et bonum utriusque nationis, et maxime hujus Anglicani Regni, ex quo solo, experta loquor, totius Insulæ salus pendet, et provenire debet: hoc ego quantum in me erit, sincerissime semper præstandum curabo. Carentia illius pecuniæ annuæ aliquot menses postulatæ ad hic procurandam liberationem meam e carcere facit, ut hactenus non transegerim cum amicis, qui id efficere pos-

sint: de qua re mentionem peculiarem facio, ut scias, ubi tempus rei gerendæ venerit, opus esse in primis, ut aliqua militum vel Anglorum, vel externorum manus mox ad hæc loca, ubi custodior, ad me liberandam dirigatur; perfacile fiet, quia neque locus est munitus, neque ex isto præsidio est quidquam curandum. Miror tantillam pecuniam personæ meæ propriæ tam necessariam nusquam inter tot minus necessarias expensas haberi potuisse, nisi forsan meæ personæ nullam rationem habendam putant. Si existimes Principem Parmensem ullam habiturum partem pro Rege Catholico in negotio nostro, vellem meo nomine Rodulphum Ligonium in aulam ipsius commendari, ut per illum si quid istinc cognoscere mea interesset, ipsius opera mihi communicetur: potest ei fides in omnibus sicut mihi ipsi adhiberi; sum etenim illius fidem in meis maximis rebus experta sæpe, quod quæso eidem Principi meis verbis testari: simulque eidem Ligonio adjunctas literas mittendas cura. Porro hoc solum restat hoc tempore, ut Thomam Francisci Trogmortoni fratrem, qui Parisiis residet, meo nomine, ubi opportunum tibi videbitur, Suæ Sanctitati suppliciter commendes, cujus tota pene nobilis familia est mei, et communis causæ studio fracta, dissipata: si essent eæ facultates meæ, ut de me tantopere benemeritis ullam compensationem facere possem, ab aliis Principibus non peterem quidquam; sed facere cogor, confidoque ipsos in bonam partem accepturos, si me tuis precibus commendo. Shefild 22. Martii 1584. Saluta Eusebium si apud vos est.

Alteris ad eundem litteris de quodam ejus libello gratulata, monet efficiat apud Catholicos Principes, ut suppetiæ ad illam expeditionem quantocius mittantur, ne si differantur, omnia perditum eant. Qua quidem in re, ut jam alias vidimus, nemo satis laudibus effert in fœmina virilis pectoris robur, ut se suamque præ communi omnium salute pro nihilo duceret. (*)

(*) Gallia Vol. 17. fol. 397.

« Mi Pater, Post nostras ultimas confiteor me a vobis quaternas accepisse, non ut autem et meæ sint rariores, et tuæ reddantur tardius quam uterque vellemus: faciunt tam variæ istæ et difficiles circa personam et res meas mutationes, de quibus tu securius et plenius per alios intelligis. De libro autem tuo contra Justitiam Britannicam, quem simul cum postremis literis 14. Augusti datis accepi, ago ingentes gratias. Sine dubio est opportunissimo tempore et modo scriptus, atque in Scotia, quo eum te misisse intelligo, causam communem insigniter promovebit. Vos in sollicitudine suppetiarum tandin expectatarum sine intermissione pergite; tractatio de libertate mea continuo fit, sed ita omnia aguntur simulate, ut nihil sperem; quidquid autem mutationis circa statum meum accidet, aut in quodcumque vitæ vel rerum mearum periculum devenero, vos in sollicitatione et procuratione suppetiarum tamdiu expectatarum tum sine intermissione pergite, et contendite, quanto potestis studio, ne quidquam in executione omittatur propter aliquem respectum aut curam personæ meæ. Jam enim statui nunquam mihi vitam felicius, quam in hoc tempore et causa finire posse, quod pro mea in hac re ultima resolutione semel tandem tibi dictum velim, ne in posterum mihi tuto scribendi libertas aut commoditas non detur, quidquid cupio per te a me significatum esse his omnibus, quorum interesse judicaveris; præsertim vero velim, ut Sanctissimus Dominus Noster et Rex Catholicus hoc certo sibi persuadeant, rem ex una parte ita nunc in Anglia esse maturam, et altera ita plenam desperationis, ut si ultra proximum ver differatur auxilia, fore, ut omnia perdantur, nec ut quicquam boni in diebus nostris expectemus. Filius meus ægre tulit, quod ex destinatis et promissis sibi in suum proprium usum decem millibus, sex solum receperit; ejus tamen erga communem causam voluntas firma immobilisque manet, et ipsius in me summus vereque filialis existit affectus, cui in omnibus se semper obtemperaturum sane pollicetur; atque hoc tempore misit nobilem quendam et Catholicum juvenem Grajum nomine oratorem, maxime ut me invisat, curamque de omnibus istis rebus communibus agat. Det Deus, ut Angliæ Regina ipsum ad colloquium nostrum admittat: hæc hactenus: in posterum si non licebit, vos causam meam, id est vestram atque communem apud Principes persequemini. Winxefeldii penultimo Octobris 1584.

CXI. — Alanus Nuntio Apostolico Parisiensi, perpensis omnibus rationibus, de illa expeditione cum meliore spe conficienda hæc scripsit. Ambigebatur enim, præstaretne Angliam cum externo milite recta petere, an per Scotiam exercitum in Angliam trajicere. Inter cætera etiam animadversione dignum videtur, quod vel initio litterarum posuit, Catholicos haud satis Scotorum Regi fidere. (*)

(*) Gallia Vol. 17. fol. 388.

« Si exercitus exponatur prius in Scotiam, quam in Angliam, istæ difficultates obventuræ videntur. Metuendum, ne illi, qui alioquin propter Religionis causam conjuncturi se essent Catholico exercitui, si recte in Angliam tenderent, sequerentur hostium partes, cum propter antiqua odia illarum provinciarum et Scotorum magnam hoc tempore ad hæresim propensionem facile, et sponte sua, et hæreticorum Anglorum instigatione adducentur, ut suspicentur nihil hic de Religione, sed de subdendis Anglis Scotiæ imperio agi. Qui scrupulus si semel injiciatur, verendum est, ne non modo hæreticos, sed etiam Catholicos habeant hostes, qui de

exercitu ex Scotia veniente omnia habebunt suspecta.

« Hanc dubitationem augebunt varia hominum judicia de Rege Scotorum, quem suspicabuntur forsan nec militaturum Religioni Catholicæ, quam non agnoscit, vel curat, nec Papæ, quem non agnoscit superiorem, nec fortasse Catholico Regi, quem Catholici Angli tam propter ipsius cognitam fidem et obedientiam Sedi Apostolicæ, quam propter justum titulum regnare cupiunt; sed sibi ipsi imperium retenturum, aut Suæ Sanctitati obedientiam præstiturum: nec fortasse restituturum, quod apud Anglos plurimum valebit, fœdus cum Domu Burgundica observaturum; sed fœdera tantum Francica, sicut Scoti solent, sequuturum: de quo Rex Catholicus etiam bene cogitabit, antequam rem aggrediatur.

« Si autem in Angliam recta trajiciatur, sinu omni dubio Catholici liberabuntur hoc omni metu, et sequentur partes nostras lubenter, quæ etiam acceptabunt et expetent, tunc auxilia Scotica, et ipsius Regis copias non solum non timebunt propter causas prædictas, sed incredibili studio sequentur.

« Si eatur prius in Scotiam, dabitur tempus ac spatium hostibus se ad pugnam præparandi, dabitur commoditas intercludendi Catholicos, qui velint se adjungere exercitui Catholico, dabitur tempus externis confœderatis hæreticorum vel hujus actionis vicinis æmulis, ut ingrediantur Angliam, et juvent hæreticos; dabitur denique commoditas et spatium muniendi urbes aliquot, quæ alias Catholicis facile cederent.

« Si per Scotiam aggrediantur, summa erit annonæ difficultas, idque per plures dies, cum transeundi sint montes desolati, et loca vasta utriusque Regni confinia, faciet bellum prolixum, sive ibi subsistant ad subdendum Regnum Scotiæ, ut deinde Rex tutius et securius Angliam invadat, sive ad munienda tantum loca quædam necessaria futuræ expeditioni morentur, sive etiam quantis queant itineribus procedant, quia aberunt longissime a Londino, et principalibus Regni partibus; unde et gaudebunt plurimum hæretici, quod vis hostilis tam longe absit a visceribus suis, et insidientur hostes tantum calcaneo, ac pedem a longe mordeant.

« Ubi et illud commodum erit hostibus, quod ex ingressu exercitus Catholici in Scotiam præmonebuntur de loco et via, per quam sunt invadendi, quod erit utile ipsis multipliciter; cum si in Angliam recte proficiscuntur, habent multos in variis Regni partibus portus commodos ad militem in terram exponendum; unde id erit hæreticis incommodum, quod non possunt ad aliquem certum locum, aut oram maritimam præsidia justa collocare, sed cogentur vel multa in variis partibus Insulæ munire, atque ita vires suas distrahere, vel plurima loca indefensa relinquere.

« Ipsa navigatio est difficilior ac prolixior, magisque non solum classi Anglicanæ, quæ semper est fortissima, sed etiam casibus obnoxia, quam si in Angliam tantum trajicerent.

« Contra vero cur in Angliam primo non trajiciatur, hoc solum videtur habere magnum momentum.

« Quod ibi futuros putemus, qui non solum in littore, ubi est exponendus miles externus, resistant, sed qui quam possint citissime in terra confligent cum Catholicis, præsertim si illic appellat miles, ubi indigeni sunt magna ex parte hæretici.

« Si autem in partibus Septentrionalibus sive Orientali, sive Occidentali ora Oceani, sive Waliæ aut aliis locis Catholicis appellere contingeret, de resistentia hostium non erit magnum periculum, sed nec ipsis in locis hæreticorum, si manus externorum sit satis numerosa et instructa; nam communis et promiscua plebs, quam opponet in primo hostis ingressu, non est bellicosa, nec quidquam fere ad bellum instructa. In summa spero rem alterutra via confici posse feliciter; cum tamen existimem ob plures difficultates et prolixius atque sumptuosius futurum bellum per viam Scotiæ, salvo semper meliori judicio.

CXII. — Glasguensis Præsul Pontifici exponit, quanto in periculo versetur Scotorum Regis vita, tum propter Elisabethæ artes, tum propter perduelles, qui se in Angliam reciperent. Quamobrem de Nuntio Parisiensi, qui pecuniam quum sepositam haberet, negaverat se illi Regi numerare posse, cum Gregorio conqueritur; oratque, ut eidem Nuntio nova de ea re det mandata. Deinde petit, ut cum Præposito Societatis Jesu agere velit, de presbyteris ex Scotia oriundis ne mittendis, qui plurimæ expectationis vineam excolant. (*) (*) Gallia Vol 17. fol. 453.

Sanctissimo Domino Nostro.
Beatissime Pater.

« Sæpius scripsimus ad Sanctitatem Vestram de Rege, et rebus Scoticis, quæ quamvis Rex de suis perduellionibus victoriam recenter retulerit, in statu tamen sunt satis adhuc periculoso, cum perduelliones salvi in Angliam iterum confugerint, et nova consilia et majores vires concipiant. Nam certum est, nec Reginam Angliæ, nec illos, quæ conceperant contra Regem Scotiæ, deposuisse, sed occasionem captare, ut illum aut per dolum, aut per vim e medio tollant: quod, ne citius quam velimus erumpat, valde est formidandum. Quare ut tutior fieret Regis persona, judicatum fuit valde expedire, ut hinc ad eum mitteretur aliqua pecuniæ summa, quod factum fuit pecunia ad cambium accepta, quia ex nostris non suppetebat. Nec ad-

duci poterat Illmus Dominus Nuntius, ut tria illa millia, quæ ad hos et similes usus in ejus manibus deposita erant, nobis concederet: quæ res nobis et dura et molesta visa est, et præter Sanctitatis Vestræ voluntatem. Quare supplices Sanctitatem Vestram rogatam velimus, ut huic incommodo prospiciat, et curet, ut si talis necessitas urgeret de Regis vita conservanda, Illustrissimus Dominus Nuntius habeat unde velit, et possit rebus tanti momenti ad Dei gloriam et liberalius et abundantius consulere; ac ne alterius Principis tarditas Sanctitatis Vestræ voluntatem, et summæ rei conservationem remoretur, cum pro certo habeat Sanctitas Vra Principem illum tandem nobis non defuturum: nec refert uter incipiat bene facere, ac propterea dignetur Sanctitas Vestra levare Illmum D. Nuntium mandato, quo jubetur, ne quicquam ullo modo ante alterum Principem numeret; imo ei præcipere, ut si communicatis et communibus consiliis judicabitur necessarium, et rem sine periculo moram non posse pati, numeret, ut rei necessitas exiget.

« Scribunt e Scotia messem esse multam, et operarios paucos, et expedire, ut aliqui ad illos mittantur, tam ad Catholicos confirmandos, quam ad eos, qui facile reduci possunt, et jam de reditu ad fidem cogitant, juvandos et instruendos. Quare rogamus Sanctitatem Vram, ut Reverendum Patrem Præpositum Generalem Societatis Jesu jubeat aliquos ejus Ordinis mittere, qui sunt illius nationis homines, ac præsertim Patres Edmundum Hayum, Jacobum Gordonum, Jacobum Tyrium, Guillelmum Creyttonium, et alios quos judicabit idoneos. Jam misimus nos Doctorem Jacobum Chyneum, quem Sanctitas Vestra dignata est pensione ordinaria et sufficiente. Et quum nec sunt in Scotia beneficia pro his qui mittentur, nec velint Catholici, aut eorum parentes eos alere, qui pro majori parte aut habent veteres sacerdotes ad privata sacrificia facienda, aut sunt hæretici: dignetur Sanctitas Vestra idem huic ejus Nuntio committere, quod Rmo Ariminensi Episcopo ejus prædecessori commiserat, ut videlicet singulis annua, quos judicabimus dignos et idoneos ad hanc missionem, detur pensio sufficiens, et ita prospiciet Sanctitas Vestra illis Regnis et messi, ut brevi sperandum sit, per Dei gratiam hoc ad ejus gloriam, et Sanctitatis Vestræ consolationem sequuturum, quod tantis precibus et lachrymis per tot annos contendimus. Dominus Deus Sanctitatem Vestram nobis et Ecclesiæ suæ Sanctæ diu servet incolumem. Parisiis 25. Junii 1584.

Beatissimæ Sanctitatis Vestræ

Humillimus servus

Jac. Archiepiscopus Glasguensis.

CXIII. — Quum Elisabethæ in magnam venissent suspicionem, quæ Jacobus Rex ejusque mater cum Summo Pontifice, cæterisque Catholicis Principibus tractabant; cerneretque præsentissimo sibi fore periculo, expectare, donec ipsa se res aperiret; metueretque ne qua inopina vis capiti suo impenderet: nulli industriæ, nullis sumptibus pepercit, ut singulos ejus conspirationis tramites plane haberet cognitos. Quod ut certius assequeretur, hoc ab ea callide fuit inventum, Regis Scotorum nomine hominem quemdam Lutetiam Parisiorum Legatum mittere: qui postquam Guisium Ducem, Setonium, Glasguensem et Rossensem Præsules æque, ac primores Catholicos Anglos ibidem commorantes convenisset, deque ea expeditione, quam maxime fieri posset, secreto consilia contulisset; ac simulata ab iis quoque legatione, quæ cum iisdem transegisset, ad Romanum Pontificem deferret, eumdemque ad eam expeditionem nomine suo sustinendam summis precibus induceret. En litteras, quæ falso Scotorum Regis nomine obsignatæ, Pontifici reddendæ huic exploratori datæ sunt: qui legationi suæ fidem quo facilius conciliaret, ejusdem Regis consanguineum cum sese venditabat. (*)

(*) Angliæ Vol. 2. fol. 272.

« Jacobus Dei gratia Rex Scotorum Beatissimo Domino, et Patri divina favente clementia Pontifici Maximo salutem in eo, qui est omnium salus certissima.

« Sanctissime Pater. Non possum literis exprimere, quanta lætitia afficiar, quod cognita veritate, ac tenebris expulsis, sanæ menti restitutus sim: cujus rei post Deum Optimum Maximum auctor nobis ex parte fuit vir illustris, et consanguineus noster carissimus Joannes Stuardus; quem etiam ideirco ad Sanctitatem Vram misimus, ut pedes Sanctitatis Vestræ nostro nomine deoscularetur, quemadmodum prædicto consanguineo nostro amplius cum Sanctitate Vestra communicandum mandavimus: cui ut in omnibus, quæ Sanctitati Vestræ nostro nomine dixerit, fides æque atque nobis ipsis sit, etiam atque etiam obsecramus, Deum orantes, ut Sanctitatem Vestram Christianæ reipublicæ diu salvam et incolumem servet. E Regia nostra Edimburgensi x. Martii anno Christi 1584.

Sanctitatis Vestræ obedientissimus filius

Jacobus Rex.

Neque vero Elisabetha huic suo Legato defuit, quin illi, ut mos est, certa conscriptaque legationis mandata de eis tradidit, quæ cum Romano Pontifice agenda essent. (*)

(*) Angliæ Vol. 2. fol. 272.

« Instructio eorum, quæ consanguineus noster carissimus Joannes Stuardus cum Sanctissimo D. N. Gregorio Pontifice Maximo peragenda habet.

1. Pedes Sanctitatis ejus summa, qua poterit, reverentia et humilitate nostro nomine deosculabitur, omneque obsequium et obedien-

tism, quam Christiani Principes solent, Beatitudini ejus nostro nomine afferet: rogabit præterea, ut in numerum filiorum nos recipere Sanctitas ejus dignetur.

2. Consilium a Sanctitate ejus petet, quomodo rem aggredi cum minore periculo et detrimento possimus, quo totum Regnum nostrum absque sanguinis effusione ad verum Dei cultum convertatur, ut postea integris viribus adversus hæreticos progredi secundum propositum nostrum possimus.

3. Enixe rogabit Sanctitatem ejus, ut secreta hæc omnia tenere velit; verendum namque, ne si Anglorum Regina resciscat nos ad Dominationem ejus misisse, illico bellum nobis imparatis, at intestinis discordiis separatis inferat; atque ita nos cum toto regno nostro opprimat.

« Hæc omnia prædictus consanguineus noster secretissime, prout illi confidimus, cum Sanctitate ejus tractabit, ne ulla suspitio ad Angliæ Reginam ejus rei perveniat, ut vel in abitu, vel reditu intercipi possit. Edimburgi x. Martii anno 1584.

Jacobus Rex.

CXIV. — Veterator iste, qui Joannis Stuardi nomen sibi induerat, exeunte mense Martio cum Parisios pervenisset, id primum egit, ut in Patrum Societatis Jesu amicitiam se insinuaret, quo sibi facilius ad illos Catholicos viros aditum aperiret. Cujus quoque rei gratis versutus homo se Catholicæ Ecclesiæ studiosissimum venditabat [*]. Interea Setonius et Dux Guisius illius nebulonis verbis decepti, plura de bono Regis Scotiæ animo ad Pontificem scripserunt, precantes, ut quam celerrime ipse cum Catholicis Principibus Regi Scotiæ in summo discrimine constituto opem ferret [*]. Hoc porro admirandum magis est in sagacissimo illo Archiepiscopo Glasguensi, qui exultantis instar, omnisque in sua potestate habentis, his litteris non dubitavit Pontificem in eam causam vehementius devocare, ab eoque virum postulare aliquem magnæ auctoritatis, qui ejus nomine cum cæteris expeditioni præficeretur. [*]

[*] Montissa document. N 126.

[*] Ibidem N. 127.

[*] Anglia Vol. 2. fol. 279.

Sanctissimo Domino Nostro.

Beatissime Pater.

« Nunquam ausi fuissemus ea de rebus Scoticis tam cito sperare, quæ clementissimus Deus ex sua largitate nunc nobis effudit. Nam talis est Reginæ Scotiæ cum Rege filio animorum consensus, ut velint omnia communi ac pari consilio, nomine, titulo, jure et auctoritate geri ac pertractari. Injunxit quoque Rex Scotiæ Illustri Domino a Seton, quem Oratorem ad Regem Christianissimum misit, ut sine consilio et consensu nostro, qui pro Regina Scotiæ legatione fungimur, nihil ageret. Regis ad Catholicam fidem propensio magna videtur, ut facile cognoscet Sanctitas Vestra ex instructionibus, literis, ac exemplaribus literarum ex Scotis hic missarum, quæ omnia Illmo Domino tradidimus mittenda. Illustrissimi Guysiani desiderium expeditionis exequendæ in dies inflammatur ardentius, Angli Scotique omnes Catholici parati: negotio quoque favent hæretici non pauci utriusque Regni, qui pro soccessione Regioæ ac Regis Scotiæ ad coronam Angliæ pugnant: favent et serio quidem partibus nostris Principes multi. Urget rei benegerendæ maturitas, ac periculum, quod Regi Scotiæ ac toti negotio imminet, si res diutius protrahatur. Miserum et mirum esse videtur, quod mulier imbellis tot potentissimorum Principum piis ac justissimis conatibus tanto tempore obstare cernatur. De zelo et pio studio Sanctitatis Vestræ nullo modo nobis dubitare licet: hoc tantum rogamus, ne Sanctitas Vestra patiator opportunitatem hanc e manibus elabi: quod si opportune aderit Sanctitas Vestra, speramus brevi futorum, ut Regem illum, cujus animum ex illius literis privatis nunc agnoscit bene propensum, per Oratorem expressum propediem videat ad Sanctitatis Vestræ pedes provolutum, ut obedientiam illam et obsequium, quod prædecessores ejus Scotorum Reges reddere soliti fuerint, prosequatur et præstet. Quæ res principium et bonum omen esse poterit, hæreses omnes ex reliquis Christiani orbis partibus opera Sanctitatis Vestræ esse profligandas et extirpandas, ut in diebus ejus videamus et experiamur adimpletum illud, quod in Evangelio habetur: erit unus pastor et unum ovile. Cum expeditio ista nomine Sanctitatis Vestræ fieri debeat, multum proderit ad auctoritatis Sanctitatis Vestræ evidentiam in hoc negotio demonstrandam, et ad omnem umbram aliter quam est judicantium tollendam, si Sanctitas Vestra virum aliquem eminentis nominis et auctoritatis miserit, qui vel Ducem Guysianum comitetur, vel parti alicui exercitus præficiatur. Cæterum precor Divinam clementiam, ut Sanctitatem Vestram in multos et felices annos nobis, et Ecclesiæ suæ Sanctæ sanam conservet et incolumem. Parisiis 16. Aprilis 1584.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus servus

Ja. Archiepiscopus Glasguensis.

Eadem die Cardinali Comensi significavit, quanto in desiderio essent, qui Parisiis degerent, ut ad ipsos Bernardinus Mendoza, qui Regi Christianissimo gratus futurus esset, mitteretur. [*]

[*] Galliæ Vol. 17 fol. 382.

Illmo ac Rmo Dno et Patrono Observandmo Cardinali Comensi.

Illme ac Rme Domine.

« Superiori mense misimus cum literis meis ad Illmam D. Vestram instructiooes de rebus Scoticis satis amplas; mittimus nunc et alios cum literis Serenissimi Regis Scotiæ, et Illmi Ducis Guysiani, ex quibus satis iotelliget Illma D. Ve-

stra, in quo statu res sint nunc positæ. Illm̃us Dñus Bernardinus a Mendoza eodem modo instructus ad Catholicam Majestatem proficiscitur. Cum tam Sanctitatis Suæ quam Regis Catholici animi promptitudinem in hac Dei causa agnoscamus, dubitare non possumus, quin pari studio et celeritate, data hac tam opportuna rei bene gerendæ occasione, quibus opus est mediis sint affuturi. Quare rogamus Illm̃am D. Vr̃am pro ea qua apud Deum præstat pietate, et auctoritate apud Suam Sanctitatem, ut hujus negotii expeditioni faveat. Res enim tanti est momenti pro incremento Divinæ gloriæ, Sedis Apostolicæ ac Religionis Christianæ dignitate restituenda, ut nunquam Illm̃am D. Vestram pœniteat operæ, quam in ea impenderit, ac Principes illos, ad quos hæc causa in primis pertinet, sibi reddat devinctissimos. Nolo longioribus Illustrissimam D. Vr̃am gravissimis negotiis continuo occupatam detinere. Deum Optimum Maximum precor, ut rebus nostris faveat, ac Illm̃am D. Vestram omni gratia et sanctitate cumulatam servet incolumem. Parisiis 16. Aprilis 1584.

« Non abs re foret, si Illm̃us Dñus Bernardinus a Mendoza huc remitteretur. Nam huic Regi Christianissimo gratus esse videtur, tum propter generis nobilitatem, ac dicendi libertatem et ubertatem, tum etiam ob sororis ejus causam, quæ filiarum Regis Catholici, ac hujus Regis neptium curam gerit. Est Illm̃o Guysiano charissimus tum ob rei militaris peritiam, tum quod res Anglicas probe norit, et ad hanc expeditionem bene animatus sit. Expediret meo quidem judicio, si istud significaretur Illm̃o Dño Oratori Hispaniarum, ut hujus rei Regem suum Catholicum certiorem faceret.

Illm̃æ Dominationis Vr̃æ

Obsequentissimus servus

Jac. Archiepiscopus Glasguensis.

CXV. — Verumtamen cautissimus Pontifex adeo ab hujus dolosi hominis artibus non est deceptus, ut eum imo ille multum fefellerit. Itaque ex tempore eum Roma abire jussit, et Nuntium suum apud Regem Christianissimum de eo reddidit certiorem, ut Catholicos illos commonefaceret, ne a tam perfido homine sibi illudi sinerent. Idem egit cum Rege Galliarum, et Guisiæ Duce. Quæ Nuntius Apostolicus jussus est, fecit (*). Setonius deinceps a Cardinali Comensi petiit, ut de totius iniquissimæ fraudis ratione fusius ad se scriberet: affirmavitque se quidem existimare, totum illud inventum ab Anglicano Consilio quæsitum dolum esse, ad Catholicos plane perdendos. (*)

(*) Mantissa document. N 128

(*) Gallia Vol. 17 fol. 438

Illm̃o ac Rm̃o Dño S. R. E. Cardinali Comensi.

Illm̃e ac Rm̃e Domine.

« Cum et ex ipsius Nuncii Apostolici sermone, et ex multorum litteris intellexerim, callidum aliquem hominem fictis Regis mei nomine litteris Sanctitati Suæ voluisse imponere; Illm̃am Dominationem Vestram tum Regis ac Domini mei, tum omnium bonorum nomine rogandam censui, ut facti illius originem, ordinem, rationemque totam quibus fieri potest modis elici curet. Omnino enim mihi persuadeo ab Anglicano Consilio commentum hoc esse profectum, tum in Regis mei, tum in bonorum omnium perniciem. Quare ubi rei veritas eluxerit, fortasse etiam operæ pretium fuerit, ut non modo perditi illius supplicio, sed publica etiam fide universo orbi fraudes istæ publicentur. Res ipsa adeo per se gravis est, et Principibus omnibus perniciosa, ut nullius amplificatione indigeat. Quare ubi ipse Illm̃æ Dominationis Vestræ manus humiliter deosculatus fuero, Deum precabor, ut eam diu Ecclesiæ suæ incolumem servet.

Datum Parisiis 9. Julii 1584.

Illm̃æ Dominationis Vestræ

Humillimus servus

Seton.

CXVI. — Quo deinceps falsus ille Stuardus, Roma ejectus, se contulerit, quidque in Catholicorum perniciem peregerit, ignoramus. Illud tamen constat omnibus, Elisabetham per suos exploratores, in primisque per insignem famigeratum illum proditorem Gravium, quæ Maria ejusque filius Jacobus Rex per Catholicos Anglos cum Galliarum et Hispaniarum Regibus, cum Guisio Duce, cum Summo Pontifice clam egerunt, rescivisse. Quamobrem summa animi ægritudine confecta ita ad explendæ iræ studium exarsit, ut nihil non diu noctuque excogitaverit magis, quam pro suo dolore Catholicos ulcisci, insignique supplicio afficere. Cujus rei facultas hæc inexplebili ejus odio obvenit. Guilielmus quidam Parrius Anglus, qui jam ab anno MDLXXXII. exutis Calvini erroribus, fidem Catholicam amplexus erat, et in quo haud ita facile statueris, utrum tam valeret audacia, quam a sana mente abesset, amicitiam sibi Anglorum Parisiis commorantium conciliaverat; ex quo etiam factum est, ut ab iis omnium consiliorum de avita fide in Anglia restituenda habitus fuerit particeps. Is ita initio anni in Angliam remigravit, certus animi reipsa perficere, quæ ab iis tam ardenter, tam pie expeti per frequentes sermones acceperat. Sed cum vel vota sua fefellerunt, vel suam ipse fraudavit fidem. Nam vix Londinum appulsus, a sagacissimis Elisabethæ exploratoribus cognitus, in vincula conjicitur. Cum ibi per immanes cruciatus prope esset excarnificatus atque enectus, putavit fortasse, utpote qui ingenii esset levioris, se magnam ab Elisabetha initurum gratiam, si Catholicorum consilia patefaceret, imo et per incredibilem perfidiam de suo adjiceret, affirmaretque per amentiam, se Anglorum Reginam occidere in animo habuis-

se, Romanumque Pontificem huic suo proposito valde assensum fuisse. Id tantum valere Parrius putavit, ut capitis absolveretur: neque vero propterea ab Elisabetha gratiam iniit. Etenim licet postea infelix homo, suam dicens apud Judices causam, cunctis audientibus sæpius fassus fuerit [*], se nunquam de Regina interficienda cogitasse; multoque minus Romanum Pontificem tam nefarium crimen approbasse; quæque dixisset, instantis mortis metu sibi extorta fuisse: nihilo tamen secus capitis est damnatus. Cujusmodi calumniis si qui ætate nostra fidem vellet adstruere, is scilicet ridiculum se magis, quam refutandum præbuerit. Inventum ab Elisabethæ administris id fuisse, ex quo causam aliquam ad Catholicam Ecclesiam in Anglia funditus evertendam haberent, nemo fere est, qui dubitet. Quare non est cur huc afferamus, quæ recentiores rerum Anglicarum scriptores, imprimis Lingardus [*] et Mignius [*], ad hæc mendacia refellenda disserunt. Illud tamen ex instituto nostro non est omittendum, ut aliquas notis exaratas litteras, tum Nuntii Apostolici [*], et Glasguensis Præsuli [*], tum Nugentii et Georganii e Societate Jesu [*], tum Guisii Ducis [*] ad Summum Pontificem, vel ad Cardinalem Comensem infra subjiciamus. Quas si quis attente legerit, perspiciet Catholicos nihil de Elisabetha interficienda cogitasse. At vero Anglorum Regina nihil malebat potius, quam ut in vulgus emanaret, ac pro certo haberetur, Catholicos suam vitam petere, in eamque inter se conspirasse. Id enim eo pertinuit, ut Anglos in universalem societatem coire juberet: qui data fide se obligarent eum, qui aliquid contra Reginam tentaverit, ferro ignique esse persequuturos. Hinc Comitia Londinensia paullo post coacta, in Catholicos invecta sunt: antiquas adversus eos latas leges non in usum modo iterum vocarunt, sed novas etiam sævissimas sanxerunt. En præcipua earum legum capita secundum Guilielmum Camdenum, omnium illius crudelissimæ fœminæ contra Catholicos facinorum impudentissimum laudatorem: [*] « Ut intra XL. dies regno (Jesuitæ et Sacerdotes) abscederent. Qui in regnum deinceps advenerint, et manserint, læsæ Majestatis teneantur. Qui eos sciens prudensque receperit, aluerit et foverit, Feloniæ teneatur (ita omnia crimina capitalia infra læsam Majestatem vocant). Qui in Seminariis aluntur, si intra sex menses post denuntiationem factam non redierint, et coram Episcopo vel duobus Justitiariis se Reginæ non submiserint, læsæ Majestatis rei habeantur. Qui autem se submiserint, si intra decennium Aulam Regiam accesserint, vel propius quam X. mille passus, submissio sit irrita. Qui studiosis in Seminariis pecuniam quocunque modo submiserint, pœna Præmunire, id est, perpetuo exilio et omnium bonorum amissione plectantur. Si quis ex regni Paribus, id est, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus Parlamentariis in has leges deliquerit, Parium judicio subjiciatur. Qui ejusmodi Jesuitas et cæteros in regno latere noverint, et intra XII. dies non detexerint, pro Reginæ arbitrio mulctentur, et in carcerem conjiciantur. Si quis suspectus fuerit e Jesuitarum vel Sacerdotum illorum numero esse, et examinationi se non submiserit, pro contemptu carcere concludatur donec submiserit. Qui libros vel quoscunque alios ad Seminaria et Collegia Pontificiæ professionis miserit, C. libris monetæ Anglicæ mulctetur. Qui autem missi, in hæreditate non succedant, nec bonis fruantur, quacunque ratione illis obtingant; ut etiam qui intra annum a Seminariis illis domum non revertantur, nisi Ecclesiæ Anglicanæ se confirmaverint. Si portuum custodes permittant alios præter nautas et negotiatores mare trajicere sine licentia Reginæ, vel sex Consiliariorum, locis amoveantur; navarchi qui evehent, navigii et bonorum amissione, et carcere annum integrum luant. »

[*] Vide Acta Parrium spectantia in Mémoires de la Ligue, T. I p. 30-53. Paris 1758, in 4.

[*] History of England Vol. V pag. 190. Paris 1840. in 8.
[*] Histoire de Marie Stuard, T. II pag. 255-260. Paris 1852 in 8.
[*] Mantissa document. N. 129.
[*] Ibidem N. 130.
[*] Ibidem N. 131.
[*] Ibidem N. 132.

[*] Rerum Anglic. et Hibernic. Annal. regnante Elisabetha p. 397. Lugduni Batavor. 1639. in 8.

CXVII. — Ex quo factum, ut primores Catholici Angli ea legum immanitate exterriti, nisi e carissima patria fugientes vitæ suæ consulere non possent. Quos inter primi sunt commemorandi Pagetus et Arundelius, viri æque generis splendore, ac pietate et obsequio in Sanctam Sedem Apostolicam illustres. Uterque ob fidei Catholicæ cultum, quem vel in ipso vexationum æstu præ se ferebant, omni re familiari spoliati, Lutetiam Parisiorum se receperunt, et Summi Pontificis liberalitati se commendarunt. En Pageti litteras, veterum Christianorum in fide constantiam plane referentes. [*]

[*] Anglia Vol. 2. fol 273.

Sanctissimo Domino Nostro.

Post humillima beatissimorum pedum oscula.

« Ea est (Bme Pater) Sedis Vestræ celsitudo, eaque conditionis meæ exilitas, ut Sanctitati Vestræ his meis litteris obstrepere non auderem, si in dignitatis Vestræ splendore moderationem summam, et in potestatis sublimitate pietatem singularem non animadverterem. Huc etiam accedit, quod cum omnes Ecclesiæ filios laborantes paterno sinu excipere et fovere soleatis, Anglorum tamen exulum tam peculiarem (præ cæteris) curam semper suscepistis, ut non modo illorum merita, sed etiam expectationem omnium viceritis; ita ut inter innumera pietatis vestræ opera nihil sit hac vestra in Anglos munificentia illustrius, nihil clarius. Hinc est (Beatissime Pater), quod ego et frater meus propter fidem Catholicam, nostramque in Apostolicam Sedem observantiam exulantes, rerumque et fortunarum omnium direptionem passi, solita vestra in nostros pietate freti, patrocinium et subsidium vestrum suppliciter poscimus: veniam etiam a vobis humillime petentes, quod

ad osculandos Sanctitatis Vestræ pedes ipsi non accedimus; nam ut Reverendissimus Beatitudinis Vestræ Legatus optime novit, rerum et negotiorum nostrorum ratio non patitur, ut longius ab his regionibus discedamus: quamprimum tamen Sanctitatis Vestræ invisendæ et officii nostri præstandi facultas dabitur, advolabimus. Interim si vel Ecclesiæ Catholicæ vel Sanctitati Vestræ inservire aliquo modo possimus, erimus paratissimi; vitam enim nostram (quæ nunc sola nobis ab hæreticorum immanitate superest) honori nominis vestri et Sedis Apostolicæ consecravimus. Deus Optimus Maximus Sanctitatem Vestram nobis et Ecclesiæ suæ diutissime servet incolumem. Parisiis Lutetiorum Idibus Martii 1584.

Sanctitatis Vestræ obsequentissimus
Filius et servus
F. Pagetus.

De quo viro si quid accuratius scire cupias, lege quæ idem suis litteris adjunxit. [*]

[*] Anglia Vol 8 fol. 292.

« Circiter quatuor jam annos præteritos, quo tempore Rex Catholicus classem magnam versus Lusitaniam cogeret, Senatus Angliæ incertus tum omnino, in quam orbis partem trajectura esset, et propterea de suo statu non mediocriter suspiciosus excubias continuas per universas Regni partes decernit.

« Catholicos deinde viros nobiles complures ex insperato comprehensos carceri mittunt: imprimis autem inter eos, qui Pares Regni vocantur, Illustrissimum Dominum Baronem Pagetum diligenti custodiæ mandant: quod certe prudentiores viri complures factum putabant, ne si quæ in Lusitaniam designabatur, in Angliam forte classis deflecteret, ipse cum suis partes Catholicas sustineret.

« Tractant cum eo, prout cum cæteris viris nobilibus, primo: an de Jesuitis in Angliam introducendis conscius aut ullo modo particeps esset: deinde autem in rebus suæ fidei, ac de petendo interdum hæreticorum sinagogas; cujus nomine et prætextu hominem in fide constantem arcto præsidio servant, eousque et donec de præfatæ classis appulsu in Lusitania certiores facti essent.

« Postea vero ad quorundam amicorum suorum instantiam condonatur illi non omnino de custodia, sed de præsidio, quo prius arcto nimis detinebatur; ea tamen lege, ne ad ullas suas ædes extra Londinum sitas rediret, aut longe a Curia absque venia aliquando recederet. In quo statu permansit tanquam in carcere tribus annis usque ad mensem Novembrem proxime præteritum; quo tempore, recrudescente eorum in Catholicos immanitate, admonebatur per aliquos non vulgares amicos, ut sibi ac libertati suæ prospiceret quanto potuit citius, ne dilatione periculum forte inveniret etiam et vitæ. Ille consilium sequutus Londino se subduxit quamprimum, et ex Anglia in Galliam trajecit.

« Senatus deinde in omnes possessiones suas irruit, census annui viginti millia aureorum pecunias numeratas, pariter ac vasa quædam aurea, quædam aurata et argentea ad plus quam viginti millia æstimata, adimit; ornamenta item domus et quicquid erat aliud in suppellectile, veste aut pecore, ubicumque locorum in diversis ædificiis suis collocatum, occupant æstimationis ultra quadraginta millia aureorum.

« Quibus atrocissimis injuriis factum est, ut quo se ac vitam suam in præsenti tueatur, nihil prorsus relictum habet, et propterea ad Suæ Sanctitatis pietatem ac beneficentiam (Anglorum exulantium unicum fere solamen) confugere cogitur, supplicando quantum potest submisse, huic suo statui afflicto subvenire, et qua se, donec iniquitas domestica prætereat, sustinere queat, provisione sua menstrua pie ac benigne complecti non aspernetur.

Lege etiam litteras Arundelii, liberalissimi antehac in homines Catholicos viri, nunc vero omni ad vitam re necessaria egentis maxime, opemque a Pontifice exposcentis. [*]

[*] Anglia Vol. 8. fol. 278

Sanctissimo Domino Nostro.

« Sanctissime Pater, semper mecum, ut et officio et conscientia devincebar, decrevi id coram V. Sanctitate agere, quod nunc literis absens tento, optimatum multorum consiliis instructus, Sedique Apostolicæ obedientium, post diutinam maturioremque deliberationem potius meam hac in re opem desiderantium, nimirum quo indigentibus Catholicis nostratibus hic pro modulo opitularer, et patriæ hæreticorum insultibus labanti quasi manus porrigerem, quæ quantis jactetur ærumnis, quis nescit? measque proprias necessitates Sanctitati Vestræ aperirem, nempe ad quam Catholici omnes veluti ad certissimum asylum hisce hæreticorum procellosis tempestatibus refugium habent. Quocirca ad pedes Sanctitatis Vestræ supplex posternor, quo eam certiorem faciam, quod veluti constans (ut decuit) Catholicæ fidei defensor, in carcerem conjectus vixerim; neque ullis hac in necessitate peperci sumptibus, quod ex aliis quam ex me accipias malim: multos etiam hinc meæ sententiæ accessuros non dubito; nam hac tandem res depulsa est, ut persequutionibus increbrescentibus, ac iniquorum impietate æstuante in me et eos, qui veram fidem profitentur, in optimates etiam plurimos mihi conjunctos, nobilitatisque stemmate illustres, quorum alii summo cum vitæ periculo carceribus inclusi, pœnam expectant, alii præ timore mulctantur exiliis, inter quos est perillustris ille vir Dominus Paget. In quam ego jam sortem coactus, patria, parentibus, patrimoniisque, aliisque bonis, ad quæ refugium habui, destituor. Quæ supplex

Sanctitati Vestræ perpendenda relinquo, cujus propensam voluntatem in omnes Catholicos cum videam, diffidere non possum, quin etiam in majores angustias detrusus, necessitati meæ opem liberalitas vestra sit latura; vestro enim destitutus auxilio, aliunde nihil habeo ac multo minus aliis nostratibus ob fidem Catholicam profugis mea ope sublevare valeo, in quod omnes meæ curæ ac cogitationes sunt. Sanctitatis Vestræ interim voluntatem, ac responsum in hac parte, cum omni animi demissione expecto, et Deum Optimum Maximum pro summa vestra fœlicitate præcabor. Parisiis 18. Martii anno Domini 1584.

Vestræ Sanctitatis

Humillimus servus
Carolus Arondellus.

CXVIII. — Hæc autem in utriusque commendationem et laudem Alanus Cardinali Comensi scripsit. [*]

[*] Anglia Vol. 2. fol. 277.

Ill̃ho ac R̃ho in Christo Patri ac Domino, Domino Cardinali Comensi, Domino ac Patrono Colendissimo.

Ill̃hc Domine, Patrone benignissime.

« In iis, qui his superioribus mensibus immanem persecutionem Brytannicam declinantes, Dei benignitate in vicinas Gallias incolumes evaserunt, cæteris longe præstat illustris D. Baro Pagettus: vir et dignitatis splendore et patrimonii amplitudine, et gratia ac authoritate tam apud plebem quam nobilitatem Catholicam, adeoque apud Serenissimam Scotorum Reginam plurimum potens, atque de religione orthodoxa, si quis alius in tota Anglia, optime meritus.

« Qui cum cerneret se hæreticis esse exosum, suspicaturque sua in Ecclesiam studia aliquousque ipsis esse patefacta, a tam truculentis hostibus merito sibi metuens, fugaque saluti consulendum ratus, Parisios mox concessit: ubi cum nobilissimo ac prudentissimo Carolo germano suo jam degit, domi proscriptus, amplissimisque fortunis et possessionibus, ac etiam pecunia universa, quam ad vitam in exilio sustentandam præparaverat, prorsus spoliatus.

« Similem subiit eodem tempore miseriarum sortem, fugæ et exilii sui comes, Dominus Carolus Arundelius, genere et virtute præstantissimus ac clarissimus vir. Cujus in ipsius Elizabethæ Aula, ubi gratia apud Principem et Proceres plurimum valebat, multa insignia his annis erga patriam et Ecclesiam officia extiterunt.

« Atque tales sane sunt isti, Illustrissime Domine, qui et imposterum magna possunt, et plane omnia cupiunt Sanctæ Sedi Apostolicæ et causæ Catholicæ obsequia præstare: ut proinde non solum hac tantorum virorum indignissima calamitate commotus, sed publici etiam boni studio ductus, cogor ipsorum supplicibus ad Suam Sanctitatem literis, et aliorum amplissimorum hominum commendationibus, meæ quoque mediocritatis testificationem adjungere.

« Obsecro igitur Tuam Celsitudinem, Cardinalis pientissime, per viscera misericordiæ Dei nostri et per observantiam in te meam, ut cæteris tuis excellentissimis in afflictam gentem, nostrosque homines antiquissimis meritis hoc addas, ut Sanctissimus Dominus Noster per tuam pietatem intelligat meum desiderium erga istos excellentes viros, et benigne ipsorum postulatis annuat. Hoc erit Suæ Beatitudini apud Deum ac homines, uti spero, gloriosum et Catholicis certe omnibus gratissimum. D. Deus te nobis, Patrone optime, diutissime florentem conservet. Rhemis 12. Cal. Aprilis 1584.

Ill̃hæ ac R̃hæ Dominationis Tuæ

Filius et servus
Gulielmus Alanus.

CXIX. — Ab eodem Cardinali, Reginæ Scotorum nomine, opem imploravit pro Trogmortono, cujus frater anno superiore ob fidem Catholicam capitis damnatus fuerat. Monet deinde eum, ut a quodam Anglo sycophanta caveat, quem Elisabetha huc illuc ad Principes sub specie gravissimarum rerum mitteret, ut omnibus vestigiis res indagatas Catholicorum, qui ex Anglia in nonnullorum Principum aulas se receperunt, ad se afferret. [*]

[*] Anglia Vol. 2. fol. 280.

Illustrissimo ac Reverendissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Cardinali Comensi, Domino ac Patrono Colendissimo.

Ill̃he Domine Cardinalis.

« Quantum licet et possum, abstineo ab istis postulationibus pecuniariis, non modo Sanctissimo Domino Ñro molestis et onerosis, sed Vestræ quoque Amplitudini et mihi imprimis ipsi supra modum ingratis. Cæterum cogor hoc tempore Serenissimæ Scotorum Reginæ nomine (secundo enim id mihi serio commendavit), pro Thoma Throgmortono intercedere. Is fratre natu majore post quæstionem et varia tormenta dudum capite damnato, et universa pene familia fracta et proscripta, nunc patria et rebus omnibus interdictus Parisiis vitam degit.

« Sua Serenitas est de ipso et quibusdam aliis magis solicita, quod judicet in hanc eos fortunam sui causa incidisse. Non est ille primariæ nobilitatis, licet familiæ claræ, et fortasse cum ad conditionem et necessitatem suam, tum ad animum Reginæ esset satis, si dignaretur Sua Sanctitas provisionem decem vel duodecim aureorum menstruam ipsi clementer concedere. Dico audacius et simplicius omnia apud vos, qui facile sapientia et authoritate desideria nostra, si quid exorbitent, modificari potestis. Obsecro ergo humillime Tuam Pietatem, ut Sanctissimo Domino Ñro rem proponat, nosque saltem ad S. Majestatis satisfactionem (ne officium non fecisse ipsi videamur) responso dignetur.

« Puto Illm̃am Dominationem Tuam jam ante aliquot menses audivisse aliquid, per Rm̃um Donum Nuntium Parisiis residentem, de quodam Salomone Aldredo nostrate, Suæ Sanctitatis pensionario; cujus variæ antea interceptæ sunt plenæ suspitionis et scandali literæ: atque iste non ita nuper Roma transiit in Insulam et in aulam Reginæ; et illinc nunc huc in Galliam reversus, iterum ad Urbem proficiscitur: ultro citroque, ut affirmat, commeandi libertatem a Regina et Summis Inquisitoribus habens; passimque iis, quibus minime convenit, divulgans se a Sancto Officio missum in Angliam, ut cum Reginæ Consiliariis agat de quodam inter partes instituendo colloquio, et de aliqua in religionis causa moderatione: ipsumque de ea re gratissimum responsum ac literas ad Illustrissimos Dominos ex aula referre. Si vera sint quæ dicit, non possunt Tuam Amplitudinem latere: et cur id fiat, justæ forsitan sunt rationes. Sed quod homini tam suspecto et futili hujusmodi credantur, multis bonis viris, qui ejus ingenium et conditionem norunt, scandalo est. Hæc non potui apud Tuam Sapientiam tacere. De majori negotio silemus, oculos et manus tendentes ad Dñum, donec misereatur nostri. Christus Jesus te nobis servet incolumem, humanissime Patrone. Rhemis 20. Julii 1584.

Illm̃æ ac Rm̃æ Paternitatis Tuæ

Filius et servus

G. Alanus.

CXX. — Glasguensis Præsul Wendonium quemdam, qui antea Archidiaconus Suffolciæ fidei causa plurima perpessus erat, cuique deinde pensio, qua donatus fuerat, indicta causa, est ablata, Cardinali Comensi commendat. [*]

[*] Gallia Vol. 17. fol. 340

Illm̃e ac Rm̃e Domine.

« Quamvis mihi cum Vr̃a Dominatione Illm̃a ac Reverendissima non magna intercesserit notitia, sequutus tamen prædictæ suæ virtutis opinionem, quæ in operibus charitatis lubenter sese exercet, non potui (fraterna profecto commiseratione motus), quin per litteras absens apud V. Dominationem Illustrissimam easdem Christianæ charitatis partes præstarem, quas hic presens apud Reverendissimum Dñum Nuncium Apostolicum nuper præstiti, in negocio restitutionis provisionis cujusdam Angli, Reverendi Dñi Nicolai Wendoni J. U. D., Archidiaconi quondam Suffolciæ. Adimitur illi, inter cæteros, menstrua Suæ Sanctitatis provisio duodecim aureorum, caussa prorsus indicta, etiam post gratiam sibi prius factam, eisdem extra Urbem et in Belgio gaudendi: quod certe viri boni complures non solum Angli, sed exteri, qui hominem florente sua fortuna jampridem cognorunt, condolentes mirantur plurimum: maxime autem quod inter Anglos, qui suis sacris ac concionibus publicis studiosi sacerdotis ac viri docti partes hic diligentius præstet, nemo esse creditur, aut inter provisionatos omnes ullum Ecclesiasticum Anglum, præter Reverendissimum Dominum Assafonsem, qui pro fidei Catholicæ confessione de facto similes, quos ipse, census annuos et dignitatis gradus domi aliquando dereliquerit. Quibus etiam accedunt et alia, quæ provisionis et charitatis complexum requirunt maxime: hominis ætas ingravescens, corporis invaletudo, et qua mirifice affligitur, surditas et auditus sui labor gravissimus. Hæc scribo Vestræ Dominationi Illustrissimæ ex mero charitatis fonte, et in fratres Christiana obligatione: eoque certe lubentius, quod hominem (corporis pariter, ac fortunarum viribus languentem aut potius orbatum) de reditu suo ad Urbem jam cogitantem intellexi, rationes suas coram apud S. Sanctitatem tractaturum: cum præter ejusdem provisionem charitativam, quo se ac vitam suam tueatur, jam relictum prorsus non habet, et in eadem sibi adempta (cæteris omnibus jam plus quam ab uno anno restitutis, quos conditione, ætate et in Ecclesiam merito inferiores nemo non novit) famam, et existimationem suam bonam non mediocriter læsam putat. Si Vestra Dominatio Illustrissima ac Reverendissima, pro sua pietate et authoritate justa, hæc Suæ Sanctitati declarare dignabitur, faciet, meo judicio, opus Deo valde gratum, suoque nomine ac splendore non minus profecto dignum, quam viro calamitoso sopplicanti omnino necessarium. Ego ut hoc præstet, peto enixe et humillime a Vestra Dominatione Illustrissima, quam Deus conservet et omni sua Benedictionis gratia augeat. Parisiis die 17. Martii anno 1584.

Vestræ Dominationis Illm̃æ ac Rm̃æ

Servus in Domino obsequius

Jacobus Archiepiscopus Glasguensis.

CXXI. — Hamiltonius Presbyter Scotus, pensionis sibi debitæ solutio ut difficultatibus, quibus obnoxia sit, expediatur, Cardinalem Comensem orat; quo facilius opuscula quædam, quæ civibus suis magno usui sint futura, edere typis possit. Ex quibus unius capita latine versa sapientissimo ejus consilio perpendenda subjicit. Claudium deniqua Hamiltonium ex ea familia, quæ Regiam Scotorum domum proxima affinitate attingeret, Setonii generum, Catholicæ fidei invictum assertorem, apud eumdem singulari laude prosequitur, et ejus liberalitati magnopere commendat. [*]

[*] Gallia Vol. 17. fol. 542.

Illm̃o pariter ac Rm̃o Domino Suo, Domino Cardinali Comensi, et Suæ Sanctitatis a Secretis.

« Ex præscripto literarum, quas ad me servum suum mittere dignata est Illm̃a Vestra Dominatio, prorogari pensionem meam annuam intellexi; sic tamen, ut quatuor mensium Junii, Julii, Augusti et Septembris solutione eousque

dilata, donec de tempore numerationis factæ constare possit, principium a primo Octobris capiatur. Et ego sane difficultatem hanc suboriri posse, multo ante suspicatus, subscriptas manu magistri domus literas geminas opportune accepi. Earum exemplar unum testimonii loco futurum ad Illustrissimam Vestram Dominationem præmisi, alterum apud me retinui ad fidem veritati faciendam (si qua forte quæstio adhuc moveatur) perquam idoneum. Neque dubito, quin magister ipse domus (si tamen Romam et in conspectum vestrum pervenerit) omnem ea de re dubitationem verbo uno exempturus sit. Tantum apud Illmam V. Dominationem quam possum humillime contendo, ut angustiis reputatis, quibus undique premor, disquisitionem quoad possit fieri, maturet, et quod verum esse noverit, curet ad Sanctitatis Suæ Nuncium, nulla longiore interposita mora perscribi. Certo interim sibi persuadeat, nihil me prætermissurum, in quo vel vestræ expectationi et mandatis satisfacere, vel patriæ utilitati consulere queam. Varia habeo præ manibus opuscula, nostro idiomate conscripta, quæ si typis committantur, magno usui populo nostro hoc præsertim tempore futura creduntur. Capita unius opuscoli latine versa ad Illustrissimam Vtam Dominationem nunc mitto, ut quid factu opus sit, consilium ipsa secum capere possit. Quæ ad præsentem statum Regis et regni nostri, utriusque ad Catholicam religionem sponte sua inclinantis, aut certe hæreticam pravitatem magis ac magis indies fastidientis, pertinent, plura et certiora, quam ego referre possum, dabit alumnus vester Dñus Setonius, patrem suum Legationem Regis nostri nomine apud Christianissimum Galliarum Regem obeuntem, in hanc usque urbem Parisiensem sequutus. Unum modo est ad reliquam rei bene gerendi opportunitatem momentum Dei beneficio oblatum, quod ut ego intactum omittere non debeo, ita sapientiæ vestræ insinuatum, nentiquam negligendum fuerit. Id tale est. Ex ea familia, quæ regium sanguinem proximo gradu attingit, unus adhuc superest, generis nobilitatem ingenio, pietate et avitis moribus referens, Claudius Hamiltonius, hic factiosorum in ipsius vitam conspirantium furori cedere coactus, in Angliam secessit: ubi principio quidem pro ratione loci sui et ordinis, simulata Anglorum liberalitate, exceptus, quatuor plus minus annos transegit; at sub finem importune urgeri se videns, ad ea suscipienda, quæ et religionem in Deum et fidem erga Principem impugnant, quamvis sero, sano tamen consilio habitationis sedem mutare instituit. Imo socer ejus Dominus Setonius, cujus filiam in uxorem duxit, eas præcipue rationes animo perquirit, quibus salvus in Galliam perduci possit: rem magnam et non minus Deo gratam, quam patriæ salutarem se facturum ratus, si virum, in quo post Principem maxima restituendæ religionis spes superest, ex hostium faucibus eripuerit. Cui si auxiliarem manum Illma Vestra Dominatio supposuerit, rem tum Sua Sanctitate dignissimam, tum Regiæ nostræ acceptissimam præstiterit. In eo si quidem et profitendæ religionis Catholicæ constantia, et ejusdem restituendæ ardor et alacritas præ cæteris inest, Deus Opt. Max. successum det, et Vestram Illmam Dominationem promovendæ pietatis causa semper paratam nobis, et Ecclesiæ suæ incolumem diu conservet. Parisiis 15. Martii 1584. Per assiduum vestrum ad Deum oratorem

A. Hamiltonius Theol.

Argumenta Capitum.

Primum Caput: Quibus proprietatibus vera Christi Jesu Ecclesia discernatur, et quod unitas proprie eidem conveniat.

2. Cap. Sanctitatem esse indubiam Ecclesiæ proprietatem, non tantum, ut ea voce puritas vitæ et morum intelligitur, sed ut eadem firmitatem et constantiam, quæ superari non potest, significat.

3. Cap. Universitatem veram esse veræ Ecclesiæ proprietatem, eamdemque visibilem et hominum oculis conspicuam.

4. Cap. Successionem ordinariam individuam esse Ecclesiæ proprietatem.

5. Cap. Proprietatum singularium, et ante alias ordinariæ successionis applicatione claves solvendi et ligandi ad Romanam modo Ecclesiam, et ad nullam aliam dissectam ab ea sectam spectare evidenter probatur.

6. Cap. Eadem demonstratio pari evidentiæ luce in applicata visibili universalitate repetitur.

7. Cap. Veram sanctitatem et a congregatione Scotana remotissimam et in Catholica Ecclesia certissimis argumentis compertam esse.

8. Cap. Adversarios nullum cum Sanctis Doctoribus, quos passim erroris damnavit: sed cum evictis pridem hæreticis quibus succedunt, consensum habere.

9. Cap. Hæreticorum ipsorum inter se pugna et contradictio in gravissimis religionis capitibus quanta.

10. Cap. Levissimæ inconstantiæ, qua hæreticorum nullus diu sibi constat ex Lutheri scriptis, viva ad oculum imago subjicitur.

11. Cap. Catholicæ et Universalis Ecclesiæ facies ab Epiphanio expressa, et Doctorum omnium auctoritate confirmata.

12. Cap. Expositiones aliquot scripturarum ad blasphemiam usque detortarum, quas adversarii pro evangelica doctrina obtrudere non cessant.

13. Cap. Perversa Divini verbi definitio,

quæ ab adversariis iniquissime obtruditur, refutata.

14. Cap. Testimoniis scripturarum et conciliorum præjudiciis eadem assertio manifestissimæ falsitatis evicta.

15. Cap. Geminum esse Dei verbum unum scriptum, alterum traditum ex uniformi omnium Doctorum consensu ostenditur.

16. Cap. Manifestæ contradictiones, quas in hoc ipso doctrinæ capite adversarii admittunt.

17. Cap. Privatam interpretationem scripturarum, vel ut ipsi ajunt, arcanam revelationem adversarios pro ultimo perfugio habere.

18. Cap. Interpretandi potestatem non privatæ doctrinæ, quantumvis argutæ aut in linguis exercitatæ, sed publicæ auctoritatis esse.

19. Cap. Summam et certissimam controversiarum definitionem omnibus antcactis temporibus non a privata, sed publica interpretatione desnmptam.

20. Cap. Uniformem Patrum Sanctorum consensum non minus publicam anctoritatem in definiendis doctrinæ capitibus probare, quam privatam expositionem improbare.

21. Cap. Rationum vi adversarii ad silentium adiguntur.

22. Cap. Quibus verborum et confictarum pollicitationum illecebris ministri initio suæ prædicationis populum inescabant.

23. Cap. Verum ministrorum ingenium a ministris vita et moribus postea expressum describitur.

24. Cap. Pessimarum arborum pessimi fructus in unum collecti cumulum, ex ipsorum ministrorum scriptis etiamnum confessionem evincentibus ad oculum demonstrantur. Finis.

Idem, quod suis votis satisfactum aliqua ex parte fuerit, agit gratias: urget præterea pecuniæ præsentem solutionem typographo numerandæ. [*]

[*] Anglia Vol. 2. fol. 290.

Illmo ac Rmo Domino Cardinali Comensi, Domino Colendissimo.

« Habeo gratiam quam possum maximam, quod Illma Vra Dominatio causam meam examinare et penitus introspicere dignata sit. Eandem referre melius non possum, quam si demandatas mihi scribendi partes studiose et diligenter perimpleam: opuscula aliqnot juvandæ patriæ bonorum judicio valde apposita nunc in manibus sunt typis committenda, si pecunia sumptibus sufficeret. Hanc in meo discessu cum a Sua Sanctitate, tum ab Illma Tua Dominatione promissam, nunc in tam pia causa et urgente necessitate præsto futuram dubitare haud quaquam possum. Res exigua est, ut quæ summam centum aureorum non excedat, quam tamen meæ dispensationi committi minime postulo. Abunde satis et mihi et piis omnibus in hanc causam incumbentibus satisfactum erit, si auditis et subductis sumptunm rationibus, Sanctitatis Suæ Nuncius impressori ex vestro præscripto persolverit, quæ pro papyro et impressoris labore debebnntur; ego quidem laborum exactor sedulus operi præero. Faciat Illma Tua Dominatio, quod expedire sibi visum est ad Christi causam promovendam: et mihi servo suo, si qua in re prodesse possum, nullatenus parcendum ducat. Dñus Optimus Maximus Illustrissimam Tuam Dominationem incolumem diu nobis conservet. Parisiis 14. Septembris 1584. per Illmæ Tuæ Dominationis servum humilem et assiduum apud Deum oratorem

In Domino Jesu

Archibaldum Hamiltonium D. Theol.

CXXII. — Alanus de miserrimo rerum statu, de impedita, in qua plurimnm fidebat, expeditione, de suorum fuga et spoliatione, qui continuo ad se confugebant, valde mœrens, ad Cardinalem Comensem scripsit, ut Collegio Anglorum Remis triennio ante, auspice Summo Pontifice, constituto, quo in uno nnnc miserrimæ suæ patriæ reliqua spes omnis sita esset, quodque magnis angustiis ac necessariarum rerum inopia premeretur, aliquid subsidii ferret. [*]

[*] Anglia Vol. 2. fol. 291.

Illmc et Rmc Domine.

« Ex Celsitudinis Tuæ literis, XXVIII. Augusti scriptis, facillime Smæ Reginæ de Domino Thoma Throgmortono satisfaciam: quæ, ut conjicio, hujusmodi postulata non tam suopte marte quam aliorum motu facit. Nec certe cum non exauditur, de Suæ Sanctitatis in se nationemque nostram studio singulari et affectu plus quam paterno, tam incomparabilem sæpe experta charitatem et beneficentiam apostolicam, debet aut potest dubitare. Eaque est prudentia, ut et infinitas Beatitudinis Suæ expensas animadvertat, et publicæ rei rationes privatorum hominum commoditatibus anteponat.

« Ego tamen feci, quod Sua Majestas jussit, qui alioquin in his rebus ita merito sum tardus, ut meorum sæpe reprehensionem immerito incurram: sed dum in hoc genere meam et aliorum vel deprecor culpam vel factum excuso, ecce cogor, Patrone unice, pro communi patriæ causa, novam querelam instituere; quam liceat mihi, quæso per tuam charitatem, apud pedes Sanctissimi Domini Nostri deponere: quæ res est, dicam breviter et simpliciter coram Deo et Christo ejus.

« His multis et maxime tribus superioribus annis extremam adhibui diligentiam, ut hoc Collegium, quod toto hoc difficillimo tempore circiter ducentis alumnis constitit, utcumque snstentaretur, ut missiones Anglicanæ et cætera ad salutem gentis nostræ varia commertia continuo quam commodissime fierent; ut libri ad communem causam et religionis defensionem pernecessarii ederentur, atque in insulam portaren-

tur, ibique dispergerentur; ut aliorum coexulum meorum etiam per totam Galliam et Flandriam dispersorum, alioquin fame periturorum, necessitatibus et desperationibus utcunque succurrerem; denique ut reliqua officia omnia, quæ Christo, Sedi Apostolicæ, meæque adamatæ patriæ vovi, peragerem.

« Non potui ista et hujusmodi facere sine magnis sumptibus, ad quos ferendos quantum singulis mensibus Sanctissimus Dominus Noster tribuat, quantumque Sua Majestas Catholica suppeditet, scitis: reliquam pecuniam cum incredibili molestia variis collectionibus, mendicationibus, mutuationibusque conflavimus, et nonnihil etiam aliquoties ex patria, cum tempora essent utcunque tollerabilia, acquisivimus.

« In summa, benignissime Domine, omnia fecimus omniaque sustinuimus, quam diu rei illius majoris gerendæ ulla dabatur propinqua spes, nunc et omnibus (ut apparet) rebus fractis et sublatis prioribus adjumentis, atque novis etiam ex hac graviore persecutione, et meorum ad me recenti fuga et spoliatione oneribus additis, non possum ultra procedere, nisi nobis tempestive opitulandi aliqua via excogitetur.

« Non habeo ubi has querelas deponam, nisi apud Sñum Ecclesiæ et patriæ nostræ nobis a Deo datum parentem: si deserat, perimus; si diffluat, Collegium consuetaque officia intermittamus, mirifice exultabunt hostes, lugebunt Catholici, desperabunt boni omnes, et reliqua vita mihi in primis acerba erit. Proinde inveni obsecro, sapientissime et optime Patrone, modum aliquem, unde si fieri possit, sine magno Suæ Beatitudinis gravamine nobis ita succurratur, ut in hoc saltem spirituali opere ipsius auspiciis fœlicissime cœpto, et multis annis ad Christi et Sedis Apostolicæ gloriam, innumerabiliumque animarum salutem sustentato, pergamus.

« Et si libet, quia longe ab Urbe absumus, et statum rerum nostrarum non tam exacte cognitum habeatis, si Sua Sanctitas dignaretur Reverendissimo Dño Nuntio mandare, ut vel Collegium visitet, vel nos ad se vocet, rationesque œconomiæ particulatim examinet, ut quid desideremus, quidve facto opus sit, certo cognoscat, atque ad eandem Sanctitatem Suam referat, non dubitaremus fore, ut, intelligatur justissimum esse desiderium nostrum. Quod totum tamen Domino Deo exilii nostri protectori, et ejus summis sanctissimisque in terra ministris discutiendum relinquimus. D. Jesus te nobis diu florentem et fœlicem, Patrone optime, conservet. Rhemis 27. Septembris 1584.

Illñæ et Rñæ Dominationis Vestræ
filius et servus obsequentissimus
Gulielmus Alanus.

CXXIII. — In Hibernia quoque summa crudelitate in Catholicos sævitum est. Fieri certe non potest, quin lacrymas lectoribus exprimant, quæ Nugentius et Georhagenius e Soc. Jesu de acerbissimis vexationibus, quibus Thuamensis Præsul fuerat exagitatus, Cardinali Comensi retulerant [*]. His commotus Gregorius Ecclesiasticos viros Hibernos, Parisiis propter tempestatum acerbitatem versantes, Cardinali Vindocinensi majorem in modum commendat. [*]

[*] Mantissa document. N. 133.

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 27. fol. 393.

Dilecto Filio Nostro Cardinali de Vandomo Nuncupato.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem etc. Commendamus charitati tuæ in visceribus Jesu Christi Sacerdotis, et Domini ac Dei Nostri Sacerdotes Hibernos, qui Parisiis sunt: humana illos quidem hactenus ope impiorum odio, Dei autem gratia minime destitutos, inque fidei constantia perseverantes; ob quam gravissima omnia perpeti parati sunt. Sed quo firmior constantior que est eorum fides et patientia, eo magis in suis summis necessitatibus amplectendi sunt. Commendamus igitur eos iterum charitati tuæ, hortamurque, ut præclara hac facultate tibi a Deo proposita utaris, optime de Catholicis sacerdotibus merendi, amplissimaque et sempiterna ab eodem ipso Deo præmia promerendi. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die xxix. Augusti mdlxxxiv. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

CXXIV. — Aquensium in Subalpinis Episcopum, cui Gregorius non parum succensebat, quod in aulica Hispanica nimium diu, atque ob civilia negotia tractanda se teneret, Cæsar Pontifici excusat. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 12. fol. 73.

Beatissimo in Christo Patri, Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Reverendissimo.

« Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime. Post officiosissimam commendationem filialis observantiæ continuum incrementum. Edocti sumus a Sanctitate Vestra, parum æquo animo acceptum esse, quod Venerabilis Petrus Faunus Costacciarius, Episcopus Aquensis, Princeps noster et devotus dilectus, commissionem Finariensem superioribus mensibus devotioni suæ, una cum aliis nonnullis ei adjunctis, a nobis demandatam susceperit. Cum vero prædictus Episcopus noster et Sacri Imperii Princeps et Vassallus sit, utique per nos requisitus, pro ea fide et observantia, qua nobis addictus est, suam hoc loci operam, qua et antea non semel, tamquam Romanorum Imperator, usi sumus, merito denegare haud debuit. Quapropter Sanctitatem Vestram in ipsum Episcopum animo minus alieno fore, quin potuit, si quid forte occasione ista concepit indignationis, id omne pro sua æquanimitate ac in nos paterno studio depositurum, ac sæpefatum Episcopum

eadem, qua antea, gratia et benignitate prosecuturam esse plane confidimus, idque ut faciat, obnixe rogamus. Quod uti gratissimo animo acceptari sumus, ita quibusvis filialis observantiæ studiis illud demereri sedulo connitemur, Sanctitatem Vestram, quod reliquum est, in annos plurimos Ecclesiæ incolumem superesse, ac omni felicitate frui exoptantes. Datum in Arce nostra Regia Pragæ die 19. mensis Novembris anno Domini MDLXXXIV. Regnorum nostrorum Romani X. Hungarici XII. et Bohemici itidem X.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius

RUDOLPHUS.

CXXV. — Sed ab austero Pontifice ad eundem amantissimi patris personam induentem transeamus: miremurque a S. Romana Sede mitissima quoque consilia, quantum ad corporis afflictationem spectat, profecta esse: ex quibus Sanctissimi Cardinalis atque intentissimi in sui gregis curam Pastoris, Caroli Borromæi, tum periculose ægrotantis, valitudini consuleretur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An XII. ep. 117. f. 350.

Dilecto Filio Nostro Carolo Tit. Sanctæ Praxetis Presbytero Cardinali Borromeo Nuncupato.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus, te non satis valere, neque tamen quidquam de suscepta vitæ asperitate, atque animi contentione remittere, neque medicos audire velle. Dolemus gravissime nobilis istius Ecclesiæ, tamque multarum animarum tuæ pietati et charitati a Deo commissarum nomine: nec enim possent carere te sine magno suo detrimento, et jactura Ecclesiasticæ disciplinæ. Desideramus magnopere prudentiam tuam, eam scilicet, quam Sancti Patres in victus ac vitæ modo et ratione ponunt. Scis enim Basilium, Athanasium, Bernardum, Lanspergium, innumerosque alios sic statuere, quæ ad mansuetudinem, comitatem, humanitatem, innocentiam, misericordiam, charitatem, humilitatem, cæterasque virtutes pertinent, in iis posse Nos, ac debere Sanctos viros imitari: quæ vero spectant ad corpus macerandum, periculosum esse in iis aliorum sibi vitam ad imitandum proponere: varias enim esse temperationes corporum ac naturæ, quæque alios nihil læderent, aliis lethifera esse. In his igitur suam cujusque naturam, suam cuique regulam esse oportere. Addit Bernardus, summopere cavendam esse in hoc genere fraudem Sathanæ. Illis, inquit, qui ad hanc devotionis gratiam pervenerunt, unum videtur restare periculum, et omnino timendum eis a dæmonio meridiano: ipse enim Sathanas transfigurat se in Angelum lucis. Hoc ergo timendum ei, qui tanta delectatione omnia facit, ne dum sequitur affectionem, corpus destruat per immoderatam exercitationem, ac deinde necesse habeat, non sine magno spiritualis exercitii detrimento, circa debilitati curam corporis occupari. Ergo ne incurrat qui . . . . it, illuminari necesse est lumine discretionis, quæ mater virtutum est, et consummatio perfectionis; hæc nimirum docet, ne quid nimis. Quod si quis præclara hæc monita aut minus consideret, aut ab eo, cui obtemperare debeat, sibi proposita contemnat, fixumque habeat in suscepta vitæ austeritate perseverare, hujus consilium idem Bernardus hoc ipso in genere gravissime accusat. Non vultis, inquit, communi vita contenti esse, non sufficit vobis regulare jejunium, non solemnes vigiliæ, non imposita disciplina, non mensura, quam vobis partimur in vestimentis et alimentis, privata præfertis communibus. Qui vestri curam semel nobis credidistis, quid rursum de vobis vos intromittitis? Nam illam, qua toties Deum conscientiis vestris testibus offendistis, propriam scilicet voluntatem vestram, ecce nunc iterum magistram habetis, non me: illa vos natura docet non parcere, rationi non acquiescere, non obtemperare seniorum consilio, vel exemplo, non obedire nobis; an ignoratis, quia melior est obedientia, quam victima. Ex quo numero præfectorum suorum mandatis obtemperare recusantium, absit, ut te esse existimemus, perspectam enim habemus pietatem tuam, et voluntatem ab omni privata ratione alienissimam, omnibusque in rebus Sedis Apostolicæ mandatis addictissimam, quo etiam libentius ad ea, quæ proposita sunt Sanctorum monita nostrum etiam mandatum adjungimus. Mandamus igitur tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ut medicos adhibeas, et tum in ista valetudine, tum in reliqua vitæ dieta, et victus quotidiani ac vitæ ratione eorum consilium sequaris. Non dubitamus, id te diligentissime facturum esse. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Martii MDLXXXIV. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

CXXVI. — At Pontifici minime curarum suarum constitit fructus: sanctissimus enim ille vir, Purpuræ Romanæ egregium decus, omnium Pastorum exemplum, morbo ingravescente, pridie Nonas Novembris ab terris mature admodum ablatus est, ætatis anno quadragesimo sexto ac mense uno exacto: de cujus pietate, vitæ sanctimonia, et sollicita Ecclesiæ suæ administratione, totiusque universalis zelo, dictum sæpe superius: sepultus in Ecclesia Metropolitana, monumento, quod antea sibi sine ullo fastu constituerat. In cujus singularibus virtutibus Christianis, contemptu nimirum rerum humanarum, desiderio divinarum, assiduis cum Deo colloquiis, charitate admiranda, summa humilitate, continua corporis castigatione, eximia constantia, et aliis

enumerandis, ne prolixius immoremur, fecit et rei difficultas, et opera a multis gravissimis viris in ejus vita descripta præclare collocata: puta ab Augustino Valerio Cardinale Veronensi ei familiarissimo, ac summo ipsius virtutum imitatore, et Carolo a Basilica Petri, Præposito Generali Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli, et Carolo Biscapo Præposito S. Barnabæ Mediolanensis; ac denique copiosiori narratione a Petro Glussiano novem libris: præter Relationem in Consistorio factam coram Paulo V. Pontifice a Dominico Cardinale Pinello super Actis Canonizationis; et super eadem singulorum Cardinalium et Episcoporum tunc in Urbe existentium suffragia; litterasque ejusdem Pauli V., quibus illum ob probatissimas virtutes, et testatissima ejus miracula, anno Domini MDCX. Sanctorum Confessorum numero ritu celebri, totiusque Urbis et Orbis congratulatione adscripsit; quæ omnia publicata fuere diligentia Abrahami Bzovii in suo Pontifice Romano. [*]

[*] Pag. 411-435 edition. Colon. 1619. fol.

En quæ Galesinius, vir clarus, et cum eodem Cardinale diuturna familiaritate conjunctus, Pontifici de tanti Præsulis obitu scripsit. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 33. fol. 28.

Sanctissimo et Beatmo Patri Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Beatissime et Sanctissime Pater.

« Gravem sane jacturam ex obitu Caroli, Cardinalis Sanctæ Praxedis, Ecclesia Mediolanensis accepit. Nam tanto, tamque vigilanti pastore orbata, non solum in multas difficultates incidit: sed nisi singulari Sanctitatis Vestræ ope adjuvetur, in periculum jam venit amittendæ Christianæ illius, eximiæque disciplinæ, quæ ipsius Caroli Archiepiscopi perpetuis laboribus, summisque vigiliis culta, atque in omnem provinciam Mediolanensem disseminata, universæ etiam Ecclesiæ Dei non tantum profuit, sed nimirum deinceps operante Domino, maximopere profutura est in perpetuum. Multa Carolus Cardinalis jam egit in omnes partes utilia: verum multa alia inchoavit, quæ ad Dei gloriam cultumque necessaria, perficiantur oportet; alioqui verendum est, ne cuncta in interitum ruant. Ad gravissimum hoc damnum alia non leviora detrimenta accedere possunt, quæ ex ista Apostolica specula Sanctitas Vestra singulari sua, divinaque sapientia prospicit. Atque hæc ipsa quidem etsi fere omnes timent, nemo tamen est, quin speret fore, ut tot tantisque malis Sanctitas Vestra pro summa sua omnium Ecclesiarum sollicitudine, proque charitate paterna, qua Carolum Cardinalem dilexit, opportune medeatur, cum huic Ecclesiæ alium Archiepiscopum profecerit, qui pietate, religione, sanctitate, vigilantia, studiisque vere pastoralibus non sit ab eo dissimilis. Quod ego quamvis omnium minimus, cum viginti ferme annos ipsi Carolo Cardinali in hac Ecclesia instauranda operam navaverim, et aliquid adjumenti pro mearum virium imbecillitate subministraverim, ob eam rem potissimum supplex etiam atque etiam oro Sanctitatem Vestram, quam Deus Ecclesiæ suæ incolumem conservet quam diutissime. Mediolani tertio Calendas Decembris anno 1584.

Sanctitatis Vestræ

Devotus servus
Petrus Galesinius.

CXXVII. — Tanti viri jactura fieri non potuit, quin permolesta admodum accideret Vercellensi Episcopo, viro illi clarissimo (in nostris annalibus merito celebrato, atque ex hominum oblivione jure vindicato), cui cum Borromæo præcipua intercedebat necessitudo, tum pluribus ex causis, tum præsertim ex ea, quod Vercellensis Ecclesia ejus curæ erat commissa: quemadmodum et de tam gravi casu his dolorem suum Pontifici impertivit. [*]

[*] Germania Vol. 63. fol. 170.

Sanctissimo Domino Nostro Domino Gregorio XIII. Pontifici Optimo Maximo.

Beatissime Pater.

« Quantum detrimenti ex Cardinalis Sanctæ Praxedis obitu, seu potius ad fœliciorem vitam transitu, Ecclesia et provincia tota Mediolanensis passa fuerit, non est, quod Sanctitati Vestræ, cui pietas illius, vigilantia, pastoralisque solicitudo optime perspecta fuit, bis a me literis exponatur; quantum autem, præ omnibus comprovincialibus, Ecclesia mea Vercellensis, quæ ob gravissimas Capituli mei controversias illius curæ atque arbitrio a Beatitudine Vestra nuper commissa erat, jacturam fecerit, ipsa jam sentit, sentietque in dies magis. Ut enim ab illo summa charitate jam visitata, saluberrima propediem decreta, quæ stabilem perpetuamque Canonicis inter se, atque Episcopo cum iis pacem ac tranquillitatem afferrent, ex ipsius ore atque sententia expectabat, ita nunc spe sua frustrata misere jacet, luctus certe atque incredibilis mœroris plena. Ego denique ipse quantum amiserim, qui uno tempore non Domino tantum humanissimo, sed parente etiam ac patrono benignissimo, sed Archiepiscopo vigilantissimo me orbatum esse animadverti, apertius esse arbitror Sanctitati Vestræ, quam ut explicare necessum putem. Cæterum sublatis in cœlum oculis, acerbissimoque hoc doloris sensu divinæ providentiæ subjecto, nonnihil recreatus ad Beatitudinis Vestræ paternam charitatem, singulareque patrocinium mihi confugiendum duxi, illam suppliciter, ac quam possum demisse obsecrans, ut me, Ecclesiamque meam Vercellensem, fluctuantem, tantoque patrono, ac defensore destitutam de meliore nota sibi commendatam esse patiatur: cujus Ecclesiæ meæ juvandæ rationes cum ad Dominum Specianum scribam, superfluum putavi Sanctitatem Vram

plurimis universalis Ecclesiæ curis intentam prolixiore epistola remorari.

« Porro quod ad Rhenanam, Germaniæque inferioris legationem pertinet, spero equidem et rationibus, ac difficultatibus a me jam propositis, et præsentibus Ecclesiæ Vercellensis, quibus ob luctuosum hunc et inopinatum casum laborat, necessitatibus consideratis, Beatitudinem Vestram ab ejusmodi me onere clementer exempturam. Cæterum, si forte aliter statuere visum fuerit, mihique nihilominus imperatam legationem iterato injungere, ut ego illi, quam Spiritu Sancto duci ac regi mihi persuasum est, omnino parere constitui, ita illud saltem mihi concedi ad Sanctitatis Vestræ pedes provolutus, cum lachrimis peto, ut per Italiam in Germaniam inferiorem proficisci mihi liceat. Ita enim, præterquam quod tutius multo illuc me conferam, qui alias omnes vias justissimis ex causis, atque ex communi omnium sententia graviter suspectas habeo, neque longius, quam decem, aut duodecim dierum iter erit, Monachio præsertim per Lothoringiam, quæ una minus periculosa est via, Coloniam profecturo, octo etiam, aut decem ad summum dierum spacio, quibus Vercellis agam, haud difficulter omnes illas Capituli mei controversias componere me posse non despero. Hæc igitur omnia, cum idem Dominus Specianus rogatu meo fusius sit expositurus, illius verbis ut eandem fidem, quam meis literis faceret, tribuere non gravetur, Beatitudinem V. etiam atque etiam rogo, cujus beatissimos pedes quam humillime deosculatus, diuturnam eidem vitam, ac fœlicissimam Ecclesiæ Christi, sibi commissæ, administrationem, ex intimo cordis affectu assidue precor. Pragæ VIII. Cal. Decembris MDLXXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus ac devotissimus servus

J. F. Episcopus Vercellensis.

CXXVIII. — Cum Prorege regni Neapolis Gregorius de Ecclesiastica immunitate, in Diœcesi Gravinensi turpiter violata, interminans conqueritur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep 19. fol. 383.

Dilecto Filio Nobili Viro Proregi Regni Neapolis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Divina et humana jura confunduntur, si delectus rerum et personarum non habeatur, et hoc perniciosius est, cum ea committuntur, per quæ Sacerdotum Dei immunitas et privilegia, Sacrorum Canonum, ac piissimorum Imperatorum, et Regum sanctionibus stabilita violantur. Dolemus id idipsum nuper accidisse in isto Regno contra Episcopum, et Capitulum Gravinense, præsertim regiminis tui tempore, de cujus pietate et prudentia omnia semper Nobis polliciti sumus; nec te eam, quam decuit, rationem habuisse postulatorum nostrorum, de quibus pluries cum Nobilitate Tua per Nuntium nostrum egimus. Tria sunt gravamina, quæ Episcopo et Capitulo Gravinensi illata nuntiantur. Primum Gravinensis Communitatis laicos auctoritate, vel potius temeritate propria, vectigalia vini a Clericis exigere ausos fuisse. Secundum a Nobilitate Tua Episcopum, et Capitulum Gravinense Neapolim magno cum Divini cultus detrimento, Ordinis Ecclesiastici dedecore, et publico omnium scandalo evocatum, ibique retentum. Tertium causæ eorum cognitionem Judicibus laicis fuisse commissam. Quare Nos pro nostri muneris debito, cum nec ferre, nec dissimulare hujusmodi Clericorum oppressiones possimus, hortamur Nobilitatem Tuam, ac serio in Domino monemus, ut Episcopum, et Canonicos præfatos ad locum, officiumque suum permittas. Communitati jubeas, ne Clerum hac de causa ullo modo vexet, et demum si quid contra Clerum super hac, vel alia re prætenditur, de eo non apud laicos, sed coram Judicibus Ecclesiasticis competentibus disceptetur. Hæc si feceris, sicut speramus, lætabimur, sin minus, scire Nobilitatem Tuam volumus, Nos officio ac muneri nostro nequaquam defuturos, ac propterea Nuncio nostro mandavimus, ut has literas manu sua Nobilitati Tuæ tradat, ac de earum traditione Nos certiores reddat, cujus super hoc relationi fidem indubiam habebimus. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die VI. Julii MDLXXXIV. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

CXXIX. — Ne vero existimes Pontificem ætate provecta Ecclesiæ regimine occupatum, rebus dumtaxat spiritualibus vacasse, rerum publicarum civiumque salutis omni cura ab se amolita: lege quæ cum eodem Prorege Neapolis de expellendis ex Aprutino agro latronibus consilia conferebat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep 116 fol. 482.

Dilecto Filio Nobili Viro Proregi Regni Neapolis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Gratissimum Nobis est prudens consilium tuum, publicarum, privatarumque rerum tranquillitatis, atque innocentium salutis causa susceptum, de pessima scilicet latronum, viarumque obsessorum segete ex agro Aprutino extirpanda, nec quidquam melius, ac salutarius fieri posse judicamus. Misimus igitur hominum manus, qui hanc pestem a confiniis arcerent, providimusque ne ullum ei nostris in locis perfugium, aut receptus esse posset. Arbitramur fusius omnia te ex tuo Commissario cognovisse, cui satis fecimus, quoad potuimus; nihil enim cupimus magis, quam ut optimum consilium optimus exitus consequatur. Speramus, siquidem utriusque nostrum ministri eam,

quam debent, curam ac vigilantiam adhibebunt, fore, ut et Nos quotidiana molestia, et privati quotidianis rapinis ac cædibus liberentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Novembris MDLXXXIV. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

CXXX. — Hispaniarum Regi commendat negotia, quæ Jacobus Boncompagnus, Soræ Dux, in Regno Neapolis contracta habebat; quippe qui nuper Arpinatum agrum cum Dominii juribus coemerat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII. ep. 93. f. 322.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Multos sæpe alienos commendavimus Majestati Tuæ, cepimusque inde magnum fructum tuæ humanitatis, judicii nostri illorum boni. Haud igitur mirum videri poterit, si aliquando nostros etiam commendemus. Jacobus Boncompagnus emit superioribus diebus ditionem Arpini, consentiento Prorege, quem habes Neapoli, cupit hoc a Tua quoque Majestate comprobari; ac præterea tum hujus ipsius, tum Soranæ ditionis privilegia aliqua in parte amplificari; omnia plane cognosces ex venerabili fratre Episcopo Laudense Nuncio nostro. Rogamus, ut utraque in re solita benignitate tua uti velis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIV. Januarii MDLXXXIV. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Proregem Neapolis præterea valde rogat, ut de privilegiis augendis illi Duci commodet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 8. fol. 378.

Dilecto Filio Nobili Viro Proregi Regni Neapolis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Placuit Charissimo filio nostro Philippo Regi Catholico de ampliandis privilegiis Soranæ, atque Arpinæ ditionis Jacobi Boncompagni Ducis Soræ: qua de re ci supplicatum fuerat, tuam sententiam cum consultatione Judicum Cameræ Summariæ cognoscere. Commendamus Nobilitati Tuæ tum universa omnia Jacobi negocia, in quibus acciderit, illum tua opera indigere, tum proprie hoc ipsum de privilegiorum ampliatione, rogamusque, ut cures in eo, quoad poterit, illius ac nostro desiderio satisfieri, remque quam celerrime confici. Perspectum habemus perpetuum Nobis gratificandi studium tuum, quod ut semper fuit, sic in hoc negocio erit Nobis gratissimum. Cætera ex Venerabili fratre Silvio Archiepiscopo Rossanensi Nuncio nostro cognosces. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII. Junii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

CXXXI. — Sed nedum gravissimæ Ecclesiæ curæ nihil Gregorium impediebant, quominus civiles res Christianorum hominum procuraret: immo Hebræi etiam, natio per ea tempora vel maxime invisa, ejus gratiam humanitatemque sunt experti. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 41. fol. 397.

Dilecto Filio Magno Magistro Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Charitas legis Christianæ non eos modo amplectitur, qui Christum colunt, sed eos etiam, qui ab ejus cultu alieni atque aversi sunt, jubetque omnes in necessitatibus commendatos haberi. Hortamur igitur, ut eorum Hebræorum misereare, qui abhinc quinquennium ab istius Religionis triremibus capti sunt, quorum partim Religioni, partim privatis serviunt. Pecunia undique conquisita offerunt, quidquid hactenus conficere potuerunt, non parva summa est, amplius solvere non possunt. Causa igitur nulla est, cur postquam semel placuit, ut possent sese precio redimere; neque ad grandem illam pecuniæ summam, quæ tum imperata fuit, pervenire possunt, diutius retineantur. Erit Deo gratum, etiamsi ipsi ejus bonitati ingrati sint, si curaveris, eos omnes, qui ex illa captivitate reliqui sunt, sive Religioni, sive privatis serviant, eo quod offerunt precio liberos dimitti. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die V. Septembris MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

CXXXII. — Hinc proclive est judicare, quam Gregorius constaret in pristina erga Schismaticos caritate, qui spem fecerunt, se ad Ecclesiam Catholicam accessuros. Itaque cum Patriarcha Alexandrinus privatis quidem litteris se in potestate Romani Pontificis esse significasset; Gregorius eumdem excitavit, ut id legatione ad se missa vellet publice testatum facere. Cujus in litteris exemplum habes et dignitatis Romanæ Sedis pro suo jure imperantis, et in suprema potestate Christianæ mansuetudinis, fiduciæque omnia Deo accepta referentis; ita ut nescias, utrum Gregorius magis pro auctoritate jubeat, an demissione animi nobilissimum fratrem, insignemque Ecclesiam ad Romanam cathedram pro communi caritate revocet ac retrahat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII. ep. 119. f. 340.

Venerabili Fratri Joanni Patriarchæ Alexandrino.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus literas Fraternitatis Tuæ desideratissimas: erant enim plenæ sententiarum ex sacris libris deprumptarum, magna cum testificatione tuæ optimæ voluntatis, desideriique ejus charitatis, quam beatus Apostolus appellat vinculum perfectionis. Gaudemus nostram vicissim charitatem Tuæ Fraternitati perspectam esse ex nostris literis. Verum illæ minimæ cujusdam particulæ summi desiderii no-

stri indies esse possunt: optamus enim Fraternitati Tuæ bona multo maxima, multoque ampliora, quam ut possint humanæ mentis vi et cogitatione comprehendi. Quæ prædicas de Romani Pontificis auctoritate, vere pieque a Tua Fraternitate prædicari intelligimus, sed quo majore ac celsiore in gradu collocati sumus, eo magis nostram imbecillitatem agnoscimus, divinamque erga Nos benignitatem admiramur, inque hoc munere gravissimo, ac laboriosissimo cupimus piorum hominum precibus Divinam Nobis opem et gratiam implorari. Neque enim, ut ait Apostolus, sufficientes sumos cogitare aliquid a Nobis, quasi ex Nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Vires infirmæ sunt, desiderium optimum; verum hoc quoque ipsum Divinæ bonitati acceptum ferimus, rogamusque ut qui dedit velle, det etiam pro bona voluntate perficere. Hæc igitur voluntas, desideriumque a Divina procul dubio charitate profectum Nos impulit, ut ad Tuam Fraternitatem scriberemus, rogaremusque ut, Nobiscum fide et charitate junctus esse velles, quod cum velle te dicas, pieque et docte detesteris Christianorum inter se dissidia: agimus gratias Divinæ bonitati, quantum possumus maximas, tuamque istam optimam voluntatem Deo offerimus, rogamosque Fraternitatem T. per eundem ipsum Christum, cui inservimus, ut eam omnibus testatam esse velis. Id vero fiet, si aliquem tuorum cum literis et mandatis ad Nos miseris, qui ea, quæ vere, sapienterque scribis, coram profiteatur tuo nomine. Sic enim in tuis literis erat, Romanum Pontificem (cujus Nos impositam Nobis a Deo personam sustinemus) fidelium Sacerdotum caput esse. Huic ipsi Orthodoxos Reges omnes subesse oportere, huic datas a Christo in Petri persona claves Regni cœlorum. Hunc eundem pastorum fidelium Pastorem esse. Ab hoc scientiæ veritatem peti, atque accipi oportere. Tuum in primis munus esse nostras cohortationes, et ut ipse scribis, mandata omni cum charitate accipere. Nostram et Sanctæ hujus Sedis auctoritatem ad schismata, dissidiaque omnia ex Ecclesia amovenda a Deo constitutam esse. Deum a Tua Fraternitate orari, ut efficiat nostra opera, ut unum perpetuo sit sui populi cor, utque nostra ad vos monita quam frequentissima sint. Gratias agere te Divinæ bonitati, quod accenderit Nos desiderio Christianas nationes perfecta inter se charitate jungendi. Orare, ut Dominus noster efficiat in vobis, ut verum respondeatis, utque unius ejusdemque fidei communionem, quemadmodum oportet, manifestetis. Vos a Romani Pontificis scientia perinde quasi lunam a sole illustrari. Hæc, inquam, omnia, ut alia permulta omittamus, erant in literis Fraternitatis Tuæ omni cum veritate, pietate, doctrina explicata. Cupimus igitur hæc ipsa, quæ ad Nos scripsisti, propria etiam legatione testata esse, ad Dei gloriam, ad perpetuam tuæ eximiæ voluntatis, charitatis, pietatis testimonium, ad evellendam ex animis nonnullorum opinionem quandam existimantium te, Ecclesiamque tuam in aliquo fidei articulo a Romana Ecclesia dissidere; ad nostrum denique, totiusque Ecclesiæ gaudium. Expectamus incredibili cum desiderio tam lætum diem, nec quidquam longius habemus, quam dum eum, quem cum tam illustri charitatis tuæ testificatione legaveris, perinde quasi te ipsum amplectamur. De Calendario, de quo ad Fraternitatem Tuam scripsit venerabilis frater Ignatius Patriarcha Antiochenus, agnoscimos præstantissimam voluntatem et prudentiam tuam. Speramus fore, ut cæterorum quoque Patriarcharum Ecclesiæ hoc ipso Calendario utantur, conveniatque inter omnes de uno eodemque Paschæ die; jam ad Patriarcham Constantinopolitanum scripsimus, pollicitus est, se hoc in suis Ecclesiis diligenter curaturum; sed valebit plurimum ad negocii celeritatem auctoritas tua. Rogamos igitur, ut ad eum, atque ad cæteros Patriarchas literas des, eosque ad hanc Paschæ conjunctionem cohorteris. Cætera ex dilecto filio Joanne Baptista Vecchiettu, qui etiam has literas reddet Fraternitati Tuæ, cognosces. Oramus summam Dei bonitatem, ut omnibus consiliis actionibusque tuis præsto sit sua gratia, dirigatque ea ad sui nominis gloriam, ad populorum tibi commissorum salutem, ad Catholicæ Ecclesiæ suæ lætitiam, largiaturque Fraternitati Tuæ omnium bonorum cumulum. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xviii. Februarii mdlxxxiii. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

CXXXIII. — Patriarcham etiam Constantinopolitanum vehementer sollicitabat ad Calendarium reipsa exequendum. In quo industrius Pontifex quamdam iniit rationem, qua fieret, ut anno sequenti S. Paschatis dies idem esset Orientalibus atque Occidentalibos. Videbat namque ea in re magnum momentum contineri, quo Orientalis Ecclesia cum Romana in cæteria capitibus esset tandem consensura. [*]

Venerabili Fratri Jeremiæ Patriarchæ Constantinopolitano.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Tales fuerunt tuæ literæ, quales plane expectabamus, plenæ scilicet humanitatis, officii, optimæque voluntatis. Fuerunt igitur Nobis una cum muneribus ipsis gratissimæ. Reliquiss Beatorum Chrysostomi et Andreæ, quas misisti, venerati sumus, deosculatique viva illa, quoad in hac peregrinatione fuerunt, instrumenta Spiritus Sancti, nec unquam in ejus operibus defatigata. Miseros hæreticos,

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII ep. 115. f. 348

qui omnem Sanctorum reliquiis venerationem cultumque adimunt, secuti impietatem Eunomii primum, tum Vigilantii a Sanctis Patribus olim confutatam, nunc autem a teterrimis Germaniæ monstris ex tartari tenebris erutam, ab œcumenica denique Tridentina Synodo damnatam, tales nimirum sunt hæreticorum fructus. Et sperabant insani fore, ut te virum ista prudentia et doctrina præditum suis venenis inficerent; utinam refutati resipiscant. De Calendario libentissime a principio cum Tua Fraternitate communicassemus, sed longissimo locorum intervallo sejuncti sumus, vehementerque a venerabilibus fratribus nostris, cæterisque Europæ Principibus urgebamur. Probamus consilium tuum de re fratribus tuis significanda, idque prudenter cogitatum esse intelligimus, iis scilicet de causis, quas scribis: sed certum habemus, totum negocium ex tua auctoritate pendere, quodque ipse faciendum esse existimaveris, id cæteros istarum partium tum Episcopos, tum Principes summo consensu facturos esse. Speramus item te, quod polliceris, neque consilio, neque auctoritate, neque opera defuturum. De biennio rogamus, ut videas, si quid demi possit; jam enim hic quartus est mensis ex eo die, quo literas ad Nos dedisti; ex quo etiam tempore speramus te huic negocio operam dare cœpisse. Cum autem hæ nostræ Fraternitati Tuæ reddentur, facile duo alii menses exacti erunt, si fieri posset, ut anno proximo, qui erit annus a Christi Domini Nostri nativitate millesimus quingentesimus octogesimus quintus, Sanctum Pascha uno eodemque Nobiscum tempore celebraretur, non multum sane ad biennium deesset, neque sequentis postea anni (quod quidem nimis longum videretur) Pascha expectandum esset. Erit etiam hoc negocium multo explicatius Fraternitati Tuæ, quia certum habemus Patriarcham tum Alexandrinum, tum Antiochensem optima paratissimaque voluntate esse, cæteri ex tuo nutu pendebunt. Iterum igitur rogamus, ut videas, si fieri possit, ut in annum proximum Sanctum Pascha tuis in locis celebretur eo ipso die, quo apud Nos celebrabitur. Summopere enim cupimus, hanc ipsam Christianorum omnium in sacrosancta illa memoria uno, eodemque die celebranda consensionem. Joannem Bonafide, quem tantopere Nobis commendas, diligebamus antea suo merito, nunc autem tua charitate erit Nobis commendatissimus. Ex ipso etiam cætera cognosces. Deus benedictus præsto sit semper Fraternitati Tuæ sua gratia, dirigatque consilia atque actiones tuas omnes ad sui nominis gloriam, ad tuam tuorumque omnium salutem. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Martii MDLXXXIV. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

CXXXIV. — Abissinorum quoque Regem litteris amantissimis ad se Romanæ Ecclesiæ adjungendum invitat, majorum ejus exemplis propositis, qui exutis schismatis erroribus, ad Catholicam Ecclesiam accesserunt. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII. ep. III. f. 311.

Charissimo in Christo Filio Nostro Sarcadenghelo Regi Regum Æthiopiæ Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Binas jam literas ad Tuam Majestatem dedimus, in quo putamus inservitum esse nostro officio, et muneri Reges omnes Christiana charitate amplectendi; tuas vero nullas adhuc accepimus. Optassemus conservatum esse a Majestate Tua veterum superiorum Æthiopiæ Regum morem ad Romanos Pontifices scribendi; extant apud Nos literæ Davidis Regis ad Clementem Septimum, magna cum fidei, charitatis, pietatis testificatione scriptæ; extant Claudii ejusdem Davidis filii ad Paulum Tertium, Minæ denique Claudii fratris, parentisque tui ad Pium Quartum. Volumus, si forte superiorum Regum, parentisque erga hanc Sanctam et Apostolicam Sedem pietatem retines, has tertias ad te dare, usi opportunitate dilecti filii Joannis Mariæ, viri fidelis, prudentis, Deique in primis timore præditi. Mittimus etiam ad hoc ipsum negocium una dilectum filium Joannem Baptistam Brittum, ex quo etiam reliqua cognosces. Speramus, Majestatem Tuam ejus verbis omnem fidem tributuram; est enim vir magna fide præditus, in primisque honoratus. Gratulamur Majestati Tuæ insignes victorias, quas Dei benignitate de Mahumetanis, Judæis, Idolatris retulisti; offerimus amantissime auctoritatem nostram, si quid est, quod putes posse a Nobis effici tua, tuorumque causa, neque patiemur in iis, quæ ad Dei gloriam, sanctæque ejus Ecclesiæ amplitudinem pertinebunt, nostram unquam charitatem atque operam desiderari. Hortamur, ut quod venerabilis frater Patriarcha Antiochensis, ejusque populi, aliique Orientales fecerunt, velis firmissimo sanctæ fidei, et charitatis vinculo cum Sancta Catholica et Apostolica Romana Ecclesia junctus esse. Hanc sanctam Catholicæ fidei conjunctionem, toto terrarum orbe propagationem Romani Pontifices omnes votis omnibus expetiverunt; quantumque in ipsis fuit, Principes nominis Christiani ad hanc tantam gloriam vocarunt, quorum quidem desiderio studium nostrum nulla in parte cedit. Hæc igitur causa fecit, ut has etiam literas ad Tuam Majestatem daremus. Expectamus tuas sive per hos ipsos, quos remitti, quam brevissime fieri poterit, cupimus, sive malueris per alios. Oramus summam Dei bonitatem, ut consiliis actionibusque tuis omnibus præsto sit, dirigatque ea omnia ad sui nominis gloriam, Catholicæ Ecclesiæ amplitudinem, tuam ipsius salutem. Datum Romæ apud S. Petrum sub An-

nulo Piscatoris die XVIII. Februarii MDLXXXIV. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Eamdem ob rem a Galliarum Rege poscit, ut Marianum quemdam, qui magna cum Ecclesiæ utilitate apud Abissinos Gallicarum rerum procuratorem agebat, in eo munere velit confirmare. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 88. fol. 393.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Egit jam mandato nostro cum Majestate Tua, rogavitque nostris verbis venerabilis frater Episcopus Bergomensis Nuncius noster, ut velles confirmare Marianum in Consulatu nationis Ægyptiæ. Movit tum Nos desiderium Christi gloriæ, et studium Christianorum earum partium commoditatis et quietis. Eædem nunc causæ Nos movent, ut his literis postulemus, ut velis his ipsis de causis Nobis gratificari. Aget etiam hac de re cum Majestate Tua idem Nuncius noster. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die decimaquarta Julii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

CXXXV. — Armenis etiam Catholicis Gregorius eadem sapientia prospexit: condidit in pauperum juvenum hujus gentis, qui sacris litteris operam navarent, Romæ Collegium, ac satis amplis reditibus instruxit. [*]

[*] Diploma Pontific. in Bullar. Romano T. IV. P. IV Num. 172. p. 78.

CXXXVI. — Existimandum quidem est, magnam aliquam spem a Persarum Rege Pontifici admotam fuisse, ejus sapientiæ se veritatis luce illustrandum traditurum; propterea quod Gregorius Vecchiettum presbyterum ad illum cum his litteris miserit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII ep. 111. f. 317.

Illustri et Potentissimo Persarum Regi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Illustris et potentissime Rex, perspectam viæ veritatis et vitæ omnibus in rebus agnitionem. Pervenit ad Nos fama bellorum a Tua Majestate susceptorum, gestorumque magna cum virtute, consilio, fœlicitate. Ut autem non dubitamus Divina providentia illa omnia evenisse, sic facile speramus, potentiam istam magno aliquo mortalium bono tibi a Deo tributam esse. Hac igitur fama, cogitatione, spe adducti mittimus ad Majestatem Tuam dilectum filium Joannem Baptistam Vecchiettum, hominem in primis fidelem et diligentem, mandavimusque ei, quæ Tuæ Majestati exponi vellemus, quæque et huic tempori magnopere convenire, et ad tuam amplitudinem pertinere intelligeremus: omnia ex ipso cognosces. Cupimus, ut eum libenter audias, ejusque verbis fidem tribuas, reque ipsa nostræ omniumque de excellenti virtute tua animique magnitudine opinioni respondeas, Vecchiettumque commendatum habeas, et quam brevissime fieri poterit, ad Nos remittas itinere quam tutissimo, cumque responso optatissimo. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die ultima Februarii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

CXXXVII. — Hoc demum anno Martyrologii Rumani emendatio, quam Baronius noster magna cum diligentia, ingentique sui nominis gloria, Summo Pontifice expetente et jubente, susceperat, absoluta fuit: atque hoc sane opus, cujus in Vallicellana Bibliotheca autographum signatum B. 13. habemus, per se ipsum tantum nomen auctoris posteris commendare posset. Consules etiam ejusdem Baronii perdoctam de Martyrologio Romano tractationem, Martyrologio ipsi Romano a Benedicto PP. XIV. novis curis edito, aucto et castigato præmissam, Romæ 1748. fol. pag. 1-15. En Gregorii PP. XIII. litteras, quibus Martyrologium a Baronio correctum ab omnibus recipi, usurparique mandat. [*]

Breve super Martyrologio Romano et ejus usu.

[*] Reg. Gregorii XIII. An. XII ep. 93 f. 381

GREGORIVS PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

« Emendato jam Calendario, curavimus, quod antea quoque decreveramus, Romanum Martyrologium nonnullis in locis librariorum, typographorumque negligentia mendosum, per viros eruditos ad fidem historiæ, quæ rerum gestarum, personarum, locorum, temporum veritate continetur, adhibitis etiam codicibus vetustioribus atque emendatioribus corrigi, correctumque et multis in locis auctum, proposita etiam atque explicata Epactarum, Lunæque singulis diebus numerandæ ratione edi, vetustissimoque Ecclesiæ more in choro legendum proponi, ad Dei gloriam, ad Sanctorum ipsorum, quorum memoria celebratur, laudem, ad eorum, qui legunt, quique audiunt, fructum. Habet enim Sanctorum innocentiæ, charitatis, fortitudinis, cæterarumque virtutum commemoratio stimulos quosdam acerrimos, quibus tum maxime incitamur, cum illorum propositis exemplis nostram desidiam agnoscimus, quamque procul ab illorum laude et perfectione absumus, cogitamus. Mandamus igitur omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, cæterisque Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Ordinibus, sive sæcularibus, sive regularibus quibuscunque præfectis, ut in peragendo Divino in choro officio, omni alio Martyrologio amoto, hoc nostro tantum utantur, nulla re addita, mutata, adempta. Si quos alios habuerint Sanctos in suis Ecclesiis, aut locis celebrari solitos, eos in hunc librum ne inferant, sed separatim descriptos habeant, eumque illis locum atque ordinem tribuant, qui re-

gulis hic descriptis traditur. Eadem etiam iis, qui in horis Ecclesiasticis privatim Martyrologio uti voluerint, (quod quidem magnopere cuperemus, ut omnes facere vellent) mandamus, omnibusque aliorum Martyrologiorum omnium publice, privatimque in Ecclesiasticis horis usu interdicimus. Typographis etiam prohibemus, ne in posterum hoc nostrum ulla in re minutum, auctum, mutatum edere audeant. Si quis aliter, quam hoc nostro decreto comprehensum est, fecerit, noverit se in Dei Omnipotentis, beatorumque Apostolorum Petri et Pauli indignationem incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Januarii MDLXXXIII. Pontificatus Nostri anno duodecimo.



I. — Iræ discordiæque inter se civium, Truchsessianarum partium hominibus nunquam non aliquid novi molientibus, nequaquam Coloniæ resederunt. Ex quo cum Archiepiscopus vitæ suæ in singulas timeret horas, visum ei est Monachium ad fratrem suum Bavariæ Ducem secedere, ibique aliquandiu se tenere, dum partium studia deferbuissent. Quod tamen non ita facile Gregorio probabatur: qui eum in Metropolitana sede res Ecclesiæ suæ curantem, componentemque dissidia videre maluisset. Hinc Guilielmus Dux, misso Romam oratore, Pontificem rogavit, ut fratrem Ernestum apud se diutius retinere permitteret. [*]

[*] Litt. Principum Vol. 36 fol. 121.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Dño Gregorio XIII. S. R. ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino mihi Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Dñe mihi Clementissime.

« Ex eo die, quo Rñus Elector Coloniensis, frater meus charissimus, Colonia ad me proxime venit, omnem adhibui conatum, ut illi reditum in eas partes persuaderem, resque omnis ita transigeretur, ne qua inde Sanctitati Vræ crearetur molestia, aut Respublica illa detrimentum ullum caperet. Verum ea mihi Dilectio sua in medium argumenta attulit, quæ mihi illam compassione dignam fecerunt, ut author illi esse noluerim ad seipsam in medias flammas, apertissimumque periculum conjiciendi.

« Tandem vero cum malis illis ejusmodi remedia invenissemus, quæ adhiberi cum fructu et quam minimo Sedis Apostolicæ incommodo posse videntur, petiit a me Dilectio sua, ut ad ea Sanctitati Vræ exponenda Consiliarium meum primarium Minutium de Minutiis, cujus illi in consiliis secretioribus usus est, ad Urbem ablegarem, quod ego, etsi ipsius opera multis maximisque in negotiis utar quotidie, careamque illa ægre admodum, tamen pro causæ hujus gravitate assensi, præsertim cum sint alia quoque nonnulla non minimi ponderis negotia, (inter quæ etiam de Cleri Bavarici moribus reformandis nonnihil agetur,) quæ Sanctitati Vræ proponi hac occasione poterunt; quare Sanctitati Vræ supplico quam humilime, ut Minutium meum non modo clementer audiat, fidemque illi mea mandata explicanti adhibeat, verum etiam ea pietate, qua hactenus res Germanicas, nostras præsertim amplexa est, etiam istas respiciat, et Minutium, quamprimum id res feret, cum responso tam Reipublicæ necessitatibus, quam paterno suo in me meosque amori consentaneo ad me remittat.

« Cætera Minutius uberius; ego vero me meaque omnia Beatitudini Vestræ quam maxime submisse commendo, ipsique humilima obedientissimi filii obsequia, et beatissimorum pedum devotissima oscula defero. Datum in civitate mea Monachio XIII. Martii anno LXXXV.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius

GUILIELMUS.

Haberstock.

II. — Pontifex magna pietatis commendatione Ernestum apud Marchionem Badensem pro-

sequitur: qui voti solvendi causa ad Beatissimam Virginem Lauretanam peregrinationem instituerat: cujus fructus non exiguus illi quidem homini perquam religioso constitit, insigni in suam rem miraculo. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 143. fol. 448.

Venerabili Fratri Ernesto Archiepiscopo Coloniensi, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Novit pietas et prudentia tua, vota suscipi non posse sine magna commendatione multarum nobilissimarumque virtutum, humilitatis, fidei, spei, latriæ, iis vero susceptis, sanctos Patres monere cunctandum non esse, sed ea persolvi quamprimum oportere, sic enim inter cæteros ait beatus Ambrosius: prima voti gratia est celeritas solutionis. Quo certe nomine laudanda est in primis pietas dilecti filii Philippi Marchionis Badensis, qui privatis rebus, rationibusque suis omnibus hanc ipsam religionis causam et studium anteposuit, seque ad Sanctissimam Beatissimæ Virginis Lauretanæ Domum contulit, cujus etiam pietatem, et animi gratitudinem Sanctissima Virgo præsenti, illustrique miraculo comprobavit, de quo Fraternitatem Tuam ex aliis cognovisse arbitramur. Quod igitur Deo hominibusque probantibus a Marchione factum est, nollemus secus accipi, inque eo de præstanti ipsius voluntate ac perpetua in suos charitate, in majores observantia aliter, quam par est, existimari. Nam in alterius sororis nuptiis, eo absente, celebratis, in alterius paulisper dilatis nihil damni factum est; contra in tam necessaria peregrinatione multum, tum ad corporis salutem, tum ad animi pietatem profectum. Hæc a Tua Fraternitate ita accipi, ut verissime a Nobis scribuntur, erit Nobis gratissimum. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Februarii MDLXXXV. Pontificatus Nostri anno XIII.

III. — Hujus viri erga religionem studium in eo perspectum fuit maxime, quod ad infandas e Clero corruptelas tollendas, sedulo egerit cum Argentinensi et Spirensi Episcopis, quorum Diœceses in ditionem suam patebant, ut tam teterrimæ pesti quam primum occurrerent, ne latius a contagio serperet. Sed cum parum moveri, nihilque pensi habere curam ejus viderentur, rem totam ad Pontificem detulit, qui pro suo more bis litteris Argentinensem incusavit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII ep. 151 fol. 453

Venerabili Fratri Episcopo Argentinensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Quantopere delectati sumus eximia pietate et zelo dilecti filii Philippi Marchionis Badensis, tantopere dolemus, nihil illum apud Fraternitatem Tuam rogando atque orando profecisse ea in re, quam nullo etiam commonente, summopere tibi cordi esse oportebat. Expectare Episcopum, ut ab homine laico sui officii commoneatur, grave est; admonitum negligere, intolerandum. Id ubi accidit, magna rerum commutatio fit, siquidem monitor, quoniam præter optimam volnntatem et studium nihil aliud potest præstare, eadem ipsa præmia a Deo refert, quæ Episcopus ipse, si parem voluntatem et zelum adhibuisset, referret; hic vero negligendo, criminum et malorum omnium particeps fit. Scimus, Marchionem sæpius orasse Fraternitatem Tuam, ut suis in locis, quæ in tua sunt Diœcesi, curares, sacerlotes parem suo muneri et dignitati vitam ducere, hoc est omnibus in rebus laudabiliter sancteque versari; imprimis vero ut libidinosam eorum hæresim coerceres, qui putant, licere sibi uxores habere, hocque ipso nomine cum concubinis vivunt. Dolemus, nullum hactenus huic pesti adhibitum remedium esse, eamque in dies ingravescere. Hortamur et mandamus, ut tum huic, tum cæteris vitiis Clericorum totæ Diœcesis, ac præsertim locorum eorum, quæ in ditione Marchionis sunt, provideas, ea cura et vigilantia, quam et munus tuum requirit, et Christi atque ejus gregis causa efflagitat. Non dubitamus te hoc omni studio curaturum, et nostram commonitionem, summamque rei ipsius necessitatem et gravitatem magnum apud te pondus habituram. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VI. Aprilis MDLXXXV. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

IV. — In Regno Bohemiæ magnæ erant bonis viris offensioni utriusque Cleri mores, imprimisque Cœnobitarum, qui longe admodum a primævo instituto discesserant; cum in nonnullis Cœnobiis, quæ antea veluti domicilia pietatis et doctrinæ extiterant, perpauci Monachi et Regulares essent, in quibus, regularis disciplinæ observantia contempta, neque morum honestas, neque divini cultus studium vigebat; in aliis vero omnino desertis laici homines degerent, qui reditus monasteriorum usurpaverant, et ad vitia etiam alenda converterant: quare Cæsar, qui Bohemiæ Regis et nomen et potestatem obtinebat, quique patronatus jure in plerisque cœnobiis vel ob fundationem, vel ob census iisdem assignatos gaudebat, apud Nuntium Apostolicum egit, ut adjectis etiam aliis ex Ecclesiasticorum et Nobilium ordine, in ipsa monasteria, et in Canonicorum collegia inquireret, et ubique decretis, quibus ipse etiam auctoritatis robur adderet, omnem corruptelam evelleret, et Ecclesiasticam disciplinam instauraret. Cæsareum autem edictum ita se habet. [*]

[*] Germania Vol. 91. fol. 76

« Sacratissima Cæsarea Hungariæ, Bohemiæque etc. Regia Majestas, Dñus noster clementissimus rem summopere necessariam esse censet, ut visitatio quædam generalis omnium Abbatiarum, Monasteriorum, atque adeo totius Cleri et Ecclesiastici ordinis in Regno hoc Bo-

hemiæ, quo non solum is conservari, sed multo magis stabiliri, et augeri possit, quamprimum instituatur, et effectui detur.

« Sua Sac. Cæsarea Majestas etc. fide digno testimonio sufficienter edocta est, Ecclesiasticos et Spirituales in dicto Regno Bohemiæ plurimum a veteri Catholica Religione, pietate et timore Divino desciscere: vitam pravam pessimique exempli, contrariam menti primorum fundatorum et Ordinis sui sanctionibus, instituere: denique bona et redditus Monasteriorum, quos pio animo antecessores Suæ Majestatis etc. Serenissimi Reges Bohemiæ, et alii nonnulli, moti zelo Christiano et laudabili ad promovendum cultum Divinum, Monasteriis assignarunt, male profundere, et tantum non dilapidare.

« Deinde constat, atque omnibus probe perspectum, in nonnullis Monasteriis, in quibus olim magnus numerus Religiosorum piorum, doctorumque hominum alebatur et susteutabatur, hoc tempore perpaucos, immo alicubi plane nullum Monachum et Regularem hominem reperiri posse. Oeconomiam vero et annuorum redditnum curam ita esse constitutam, ut passim fructus ejusmodi a prophanis sæcularibus et vilissimis hominibus absumantur, et in pessimos usus convertantur. Qua ex re hoc incommodum inter cætera sequi necessum est, ut in Monasteriis cultus Divinus et exercitium Catholicæ Religionis, omnesque adeo cærimoniæ non amplius secundum intentionem fundationis habeantur et teneantur, neque fabricæ necessariis operis sustententur; rationes vero bonorum Monasteriis adsignatorum insigne detrimentum in dies accipiant.

« Tertio, id etiam notorium est, in sæpe nominatis Monasteriis passim ociosorum hominum magnum numerum delitescere, qui magnam proventuum partem absumant. Qua in re modus servandus, et inutilis illa turba removenda esset, ut tanto melius fratres Religiosi sustentari, et ex Ecclesiasticis bonis vivere possint.

« Denique patet etiam, Capitaneos et illos, quibus redditnum cura concredita et commissa est, parum sincere rem administrare, neque emolumentum et utilitatem Monasteriorum spectare, sed multis illicitis modis proprium lucrum quærere, et ad se quocumque prætextu rapere.

« Quandoquidem vero Sacratissima Cæsarea Majestas, tamquam supremus fundator et collator quamplurium et præcipuorum in Regno hoc Bohemiæ Monasteriorum, suarum partium esse præclare novit, tanto malo in tempore obviam eundum, et officium suum (datura scilicet Deo quandoque rationes) neutiquam negligendum esse: eam ob causam apud se clementissime constituit, ut in omnibus Monasteriis et locis spiritualibus per necessariam reformationem corruptelam illam, et malorum fomites removeant, et in posterum in meliorem ordinem status Religiosorum reduceretur, et cujuscumque regulæ fratres et Religiosi ad præscriptum statutorum recte et sine scandalo viverent, illaque exactius quam antea observarent; Ecclesiæ, Templa, loca que sacra fabricis necessariis sustentarentur; redditus autem, et fructuum emolumentorumque perceptiones in tales usus, ut est a piis fundatoribus constitutum, converterentur; Suæ Cæsareæ Majestatis conscientia hac in parte quam minimum læderetur.

« Idcirco ad conficiendum expediendumve negotium hoc visitationis, Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas etc. Illm̃um et Rm̃um in Christo patrem ac D. D. Germanicum Marchionem de Malaspina, Episcopum Sancti Severi, et ad Suam Cæsaream Majestatem Sanctæ Sedis Apostolicæ Nuntium, et Reverendos Dominum Andream Gerinum Præpositum Ecclesiæ Cathedralis apud S. Joannem Vratislaviæ, et Dominum Wincoslaum Grodestium Canonicum Olmucensem, Canonum Doctorem et Decanum Brunensem, tamquam Commissarios ad illam visitationem et reformationem in Spiritualibus specialiter delegatos deputare; Generosos vero Georgium Borzitam de Martinicz in Smeczna, supremum Regni Bohemiæ judicem Joannem Seniorem de Lobkowicz in Toczniko et Nova Bystrzieze germanicorum pheudorum principali, Regni Capitaneum, et Anselmum de Fels Suæ Majestatis Consiliarium Cameræ aulicæ, ut necessariam inquisitionem in temporalibus de administratione bonorum Monasteriorum instituerent, eis clementissime adjungere voluit: quæ sane visitatio a capite, Archiepiscopo nimirum, et Capitulo Metropolitanæ Pragensis inchoanda, et ita consequenter in cæteris omnibus Monasteriis, et locis spiritualibus ad finem perducenda; diligentissimeque inquirendum erit, quot Canonicorum, Sacellanorum, Vicariorum etc. in Metropolitana, et Collegiatis Ecclesiis reperiantur? quot item fratres et Regulares, qui cultui Divino vacent, in quolibet Monasteriorum alantur? an etiam ii secundum normam et præscriptum statutorum functiones suas instituant, et exerceant? quot etiam famuli, et id genus hominum ibidem sint? cum redditibus vero et œconomia denique subditis quomodo procedatur? universæque rationes ut sint constitutæ? ejusmodi enim visitationes in aliis Provinciis et regionibus observari moris esse: Sacratissima vero Cæsarea Regiaque Majestas etc. de Illm̃o et Rm̃o Dño Nuntio Apostolico, (cujus studium et diligentia in ejusmodi visitationibus, et Cleri reformationibus jam pridem perspecta Suæ Majestati etc. fuit) spem firmam clementissime concipit, ipsum cum delegatis viris hanc visitationem (ubi prius inter se de tempore simul convenerint) quam primum ita aggressurum, ut-

que ad optatum finem perducant, diligentiæ suæ minime parsurum esse.

« Et quomodo totum negotium ab illis expeditum fuerit, ut in scripto Cæsareæ Majestati una cum eorum sententiis, postmodum ad ulteriorem Suæ Majestatis ratificationem id exhibeatur.

« Facturus Illmus et Rmus D. Nuntius Apostolicus Suæ Cæsareæ Majestati etc. rem gratissimam, et acceptatissimam; cæteri vero delegati expressæ clementissimæ Imperatoriæ voluntati satisfacient.

« Decretum per Imperatoriam Majestatem in Consilio, Pragæ ultimo Martii anno MDLXXXV.

V.—In hoc etiam Rudolphi Cæsaris erga religionem studium se prodidit, quod in commendandis apud Sedem Apostolicam viris de religione optime meritis tantum niteretur, ut non modo per litteras, easque pluribus verbis scriptas, sed et Nobilibus ex aula sua viris Romam missis, a Pontifice Episcopales infulas vehementissime iisdem impetraverit. Quod egit præ cæteris in eximio viro Patre Bonaventura ab Aquila ex Ordine S. Francisci: cujus labores in re Catholica promovenda maxime perspecti, quoties in aula Vindobonensi vel latine vel italice de suggesto conciones habuerat: cæterasque ejus laudes his litteris ad Pontificem testatas voluit. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 42 ep. 82.

Beatissimo in Christo Patri, Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Reverendissimo.

« Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime. Post officiosissimam commendationem filialis observantiæ continuum incrementum. Quartus jam agitur annus, ex quo Sanctitatis Vestræ jussu, honorabilis, Religiosus, devotus nobis dilectus Bonaventura de Aquila Ordinis Sancti Francisci de Observantia, ab ejusdem Ordinis Generali, ad Cæsaream nostram Aulam, ut ibidem italice concionandi functionem obiret, destinatus fuit. Quod quidem institutum, cum alias ad Religionis Catholicæ propagationem non minus opportunum quam necessarium, nobis tanto etiam gratius accidit, quo magis mox a primo suo adventu omnibus testatum reddidit, talem huic provinciæ virum electum esse, qui non modo doctrina, (qua se potissimum pollere in concionibus suis, tam latine, quam italice habitis, tum etiam in eorum, qui a Religione Catholica dissentiunt, dogmatibus confutandis manifestum fecit), sed et vitæ, hujusmodi divini Verbi præcone maxime dignæ, exemplo, pietate singulari, omnique devotione munus sibi impositum rectissime executus est, adeoque nos continuo, ac tam ad Imperalia, quam alia Regnorum nostrorum Comitia secutus, haud quicquam eorum prætermisit, quæ ad ædificationem pertinerent. Tantum enim abest, ut ea in parte ulli labori pepercerit, ut quandoque majora etiam, quam ipsius vires ferre viderentur, aggressus, illa non minori sua cum laude, quam multorum admiratione peregerit; ut interim plurima alia, quæ præter hanc assiduam concionandi functionem, ad eundem Religionis Catholicæ juvandæ propagandæque finem, non sine magno fructu præstitit, quæque ab aliis pio jam antea zelo instituta, ipse, ad Divini nominis honorem et gloriam magis augendam, in meliorem formam redegit: tum etiam prætereamus varios labores, ab eodem Bonaventura in visitandis, restaurandis ac reformandis per Regna et provincias nostras Ordinis istius Franciscani Monasteriis (fuit enim et hæc ei cura a præfato suo Generali, ob perspectam ejus pietatem, integritatem, ac insignes alias qualitates demandata) alacri animo, ac nonnunquam haud absque personæ suæ discrimine et periculo susceptos. Quæ omnia etsi talia sunt, ut non dubitemus Sanctitatem Vestram, quæ sua est erga eos, qui de Ecclesia ac Religione Catholica quam optime mereri contendunt, paterna voluntas, eosdemque ad majores Ecclesiasticæ dignitatis gradus evehendi studium, suapte sponte præfati Bonaventuræ insignium meritorum condignam rationem esse habituram. Nihilominus tamen pro nostra in eundem benigni propensissimique animi affectione, omittere haud potuimus, quin Sanctitati Vestræ ipsum his nostris literis magis etiam commendatum redderemus. Quapropter Sanctitatem Vestram obnixe ac filiali studio rogamus, ut tum eorum quæ obiter saltem attigimus, tum nostri quoque intuitu, prædictum Bonaventuram paterna sua gratia benique complecti, ac cum primum in partibus Italiæ vel alio quopiam loco dabitur occasio, ipsi de Episcopatu aliquo providere velit. Nam uti Sanctitas Vestra virum Episcopali Ordine in primis dignum promovebit, eidemque ad majora deinceps, pro bono Religionis Catholicæ subeundo, calcar addet; ita Ecclesiæ, cui Episcopus datus fuerit, optime haud dubie consulet. Quo magis confidimus Sanctitatem Vestram nostro huic desiderio ac expectationi haud esse defuturam, sed tam facilem ac benignam se exhibituram, ut Sanctitatis Vestræ solita nobis paterne gratificandi promptitudo hoc quoque loci perspici, sicque consiliarius et Orator noster Nobilis, fidelis nobis dilectus Joannis Fridericus, Liber Baro in Madrutsch, Comes etc. etc. cui negotium hoc nostro nomine apud Sanctitatem Vestram solicitandum commisimus, optatum primo tempore ad nos referre possit responsum. Quod cum a Sanctitate Vestra gratissimo animo accepturi, tum vero id ipsum quibusvis filialis observantiæ nostræ studiis et officiis promereri adnitemur, Sanctitatem Vestram, quod reliquum est, in annos plurimos incolumem vivere, ac Ecclesiæ fœli-

cissime præesse ex animo optantes. Datum in Arce Nostra Regia Pragæ die 21. mensis Januarii, Anno Domini 1585. Regnorum nostrorum Romani x. Hungarici xiii. et Bohemici itidem x.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequens Filius

Rudolphus.

VI. — Pulcherrimum profecto ac divinum quidquam in Romano Pontifice suspicimus, quando cernimus vel populorum rectores ita ei morigeratos fuisse, vel tantam in ipso auctoritatem inesse persuasum habuisse, ut impiorum hominum conspirationes vel unis ejus litteris disjici confiderent. Quod videas in Gregorio Helvetios admonente, ut impedirent, ne Argentinenses cum universa Helvetiorum gente societatem inirent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 130 fol. 113.

Dilectis Filiis Helvetiis Septem Pagorum Catholicorum, Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Certiores facti sumus, Argentinenses vehementer agere de fœdere cum universa natione Helvetica sanciendo. Non posset hoc accidere sine magno Catholicæ Religionis incommodo ac detrimento, eorum scilicet crimine, qui se ab Ecclesia Catholica removerunt: hoc etsi vos pro vestra prudentia facile intelligere, pro pietate autem minime velle certum habemus, tamen nostro muneri deesse non possumus in rogando, ut huic pestiferæ conspirationi vestram auctoritatem ac virtutem opponatis, eorumque consilia disturbetis, conatusque omnes comprimatis; nihil audebunt, aut poterunt vobis invitis conficere. Vos autem, ut sæpe alias fecistis, magna cum gloria hoc facto Catholicæ Ecclesiæ dignitati, ac tranquillitati inservietis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die secunda Februarii anno MDLXXXV. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

VII. — Sedunensium Præsulem incitat ad emendatum Calendarium in ejus Diœcesi quamprimum usu recipiendum. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann XIII. ep 118. fol. 450

Venerabili Fratri Hiltebrando Episcopo Sedunensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Existimabamus factum jam esse in tuo Episcopatu, quod ab Helvetiis et Sabaudis finitimis tuis factum est de recipiendo Calendario, jussu nostro, summo etiam Catholicorum Principum omnium consensu necessario emendato; teque pari studio et voluntate eo usum esse. Neque enim par erat, Catholicos in sancto Pascha celebrando de die discrepare. Scis enim, temporis rationem hac in re Patribus Nicenæ Synodi summopere cordi fuisse, cumque necesse esset tempus tum definitum restitui, nulla ratio fuit, Romanæ Ecclesiæ judicium atque auctoritatem negligere. Qua vero ratione id in tuo Episcopatu hactenus factum sit, existimare non possumus: neque enim possumus de tua, deque istius Provinciæ Principum pietate et charitate dubitare. Hortamur igitur, ut cures eam, quam edidimus, emendationem quamprimum recipi, præscriptamque dierum rationem diligenter servari. Id vero te libentissime curaturum non dubitamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vi. Aprilis MDLXXXV. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

VIII. — Mense tandem Majo hujus anni Varsoviensia Comitia, anno præterito indicta, facta sunt. In his gravissimæ et Ecclesiæ et Reipublicæ res ad deliberandum fuerunt propositæ, quarum eventum in nostris Sixti PP. V. Annalibus persequemur. Quantum hæc negotia excreverint, quot simultates, quot obtrectationes inter Ecclesiasticos et laicos homines ediderint, litteræ Cardinalis Bolognetti ad Cardinalem Comensem explicant [*]. Sufficiat et hic querimonias inserere, quas Clerus viris Reipublicæ curandæ præfectis die xxii. Februarii Varsoviæ exhibuit. [*]

[*] Mantissa document. N. 134.

[*] Polonia Vol 21. fol. 703

« Quibus injuriis Ecclesiasticus Status contra Jus divinum et contra jura privilegiaque sua gravatus est.

1. Religionis Sanctæ Catholicæ violatio, hæresumque variarum in Regnum invectio.

2. Jurisdictionis Ecclesiasticæ, ejusque spiritualis gladii excomunicationis enervatio.

3. Decimarum a quibusdam retentio et ademptio.

4. Prærogativarum et libertatum diminutio.

5. Ecclesiarum prophanatio, fundationum, censuum, proventuum, thesaurorum Ecclesiasticorum et bonorum aliorum ademptio et spoliatio.

6. Fori pro injuriis realibus et personalibus, tam primæ et secundæ instantiæ, quam executionis suspensio brachii sæcularis: remissarum ex Tribunali Regni et aliis subselliis causarum nulla executio.

« Elucidatio brevis articulorum de injuriis Status Ecclesiastici verbotenus coram Dominis Deputatis facta.

Ad primum.

1. Utrum expediat Reip. fas decorumque sit?

Apostasias fieri,

Schismata et peregrinas Religiones innumeras invehi,

Christum publice negari,

Deum blasphemari,

Hæresibus nullum modum et finem imponi,

Paganismum, Atheismum, Sarracenismum introduci,

Injurias in Deum impunes fieri,

Magistratum qui Dei Maximi et religionis Christianæ causam agat et tueatur, sicut est in Polonia Status Spiritualis, nullum fieri.

Ad secundum.

Utrum expediat Reipublicæ, fas decorumque sit?

Sacrilegia impune tolerari,

Perjuria, incantationes, veneficia, magias, incestus, bigamias, et tirannias, adulteria publica, homicidia absque pœnitentia solemni, usuras impune tolerari,

De divortiis, matrimoniis, legitimitate, excessibus occultis et publicis in Deum et loca sacra nullum jus institui.

Ad tertium

Utrum expediat Reipublicæ, fas decorumque sit?

Sæculares Sacerdotum officium sibi usurpare, et Decimas manipulares et alias contra jura divina et humana a subditis suis extorquere, et in proprios usus convertere: hæreditatem Christi, panem Ecclesiæ Dei, alimoniam et victum pauperum his, quibus jure et consuetudine debetur, subtrahere.

Ad quartum.

Utrum expediat Reipublicæ, fas decorumque sit?

Servos Dei et Sacerdotes Ecclesiæ Sanctæ sine honore esse et contemptui haberi, et pro gratia fidei et religionis una cum libertatibus publicis introductæ et semper impendi solitæ, injuria affici, exactionibus onerari et quodam modo exautorari.

Ad quintum.

Utrum expediat Reipublicæ, fas decorumque sit?

Ex Ecclesiis Deo dicatis stabula fieri, desolationem et abominationem intueri, sepulchra Christianorum violari, sine sacramentis et cultu divino plebem passim vivere et mori pecudum more, thesauros Ecclesiarum et ornamenta distrahi, et in usus prophanos contra leges Regni converti, fundos et census ad laudem Dei adscriptos adimere.

Ad sextum.

Utrum expediat Reipublicæ, fas decorumque sit?

Solos Sacerdotes sine lege, sine justitia, tam reales quam personales injurias pati,

Neces et persecutiones Cleri impune grassari,

Sacerdotes Judæis, Scythis et quibusvis obscurissimis hominibus, judicem tamen justitiam et defensionem habentibus postponi, Deum in servis Ecclesiæ Sanctæ sperni et contemni.

Ut autem intelligas, qui Catholicæ religionis status in Polonia fuerit, quantæque Clero esset curæ; lege quæ idem Clerus agenda proposuit, ut per Poloniam plura Patrum Societatis Jesu Collegia vel instituerentur, vel necessariis vectigalibus instruerentur, in quibus juventus et religione et litteris imbueretur. [*]

[*] Polonia Vol. 21. fol. 717.

Pro Polonia minori.

« Cracoviæ cum non possit fieri Collegium, ne offendatur Universitas illa, quæ bene merita est de fide Catholica, fiat domus professorum, quæ exerceat se tantum in operibus piis, confessiones audiendo, sacram Eucharistiam ministrando, verbum Dei evangelizando, doctrinam Christianam docendo, infirmos carceratosque visitando, hæreticos convertendo, pacem inter dissidentes conciliando, et similia alia multa faciendo. Iis tantum de loco congruo, et suppellectili necessaria erit providendum; eleemosinæ victum et vestitum suppeditabunt. Et numerus fratrum et patrum erit pro modo eleemosinarum et pro civitatis dignitate.

« Lublini vero Cracoviensis Diœcesis in medio hæreticorum constituatur Collegium, cum applicatione alicujus opulentæ Abbatiæ pro dote, et ædificatione ædium ad alendam et erudiendam juventutem: et quo plures poterunt recipi, eo magis utilior erit Collegiorum hujusmodi constitutio.

Pro Polonia majori.

« Posnaniæ augeatur dos Collegii jam instituti, et exædificentur ædes amplæ ad recipiendam juventutem in convictum et disciplinam.

Pro Russia.

« Leopoli constituatur domus professorum cum exercitiis spiritualibus, de quibus supra.

« Jeroslaviæ augeatur dos illius Collegii cum applicatione alicujus Abbatiæ, tam pro ædificiis extruendis, quam pro numero puerorum recipiendo.

Pro Massovia.

« Varsoviæ domus professorum sit, et probationis ad effectum supradictum.

« Pultaviæ autem augeatur dos Collegii jam instituti, pro ædificiis construendis et alenda juventute, cum unione alicujus Abbatiæ.

Pro Prussia.

« Gedani vel in loco circumvicino constituatur Collegium veluti in Monasterio Olivensi, vel Carthusianorum, et applicentur Abbatiæ circumvicinæ, et dependentes ab Olivensi.

« Braunsbergæ augeatur dos illius Collegii cum unione alicujus opulenti Monasterii.

Pro Lithuania.

« Vilnæ augeatur dos Collegii jam erecti cum applicatione alicujus præpinguis Abbatiæ, ut ædes amplissimæ ædificentur ad alendam juventutem.

« Et quamvis Abbatiæ uniendæ forte longe distent a Collegiis, quibus debent uniri, tamen quia fructus facile de loco ad locum possunt

transportari, saltem in pecunia numerata, non debebit hoc impedimento ullo esse.

« Tota autem hac in re magnum silentium servandum est, ne Diabolus superseminet zizania.

IX. — Duci Olicæ Gregorius de suscepta confectaque Hierosolymitana peregrinatione, deque ejus in Patres Societatis Jesu voluntate, maxime vero de studio uxorem ab hæresi abducendi gratulatur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep. 143. fol. 417.

Dilecto Filio Nobili Viro Nicolao Radivilio Olicæ Duci.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis Nobilitatis T. datis quarta Decembris cognovimus summa cum voluptate de peregrinatione Jerosolymitana, de reditu, de incolumitate tua, quodque caput est, de eximia pietate et studio Catholicæ Religionis in Collegio Sacerdotum Sodalitatis Jesu istic constituendo, inque parochialibus Ecclesiis instituendis. Gratulamur Nobilitati T. et præsentem bonorum laudem et sempiternam gloriam, tantæ pietatis tamque præclaris factis a Deo repositam. De matrimonio etiam lætati sumus eam maxime ob causam, quia confirmas te pari studio et pietate operam daturum, ut conjugem ab hæresi ad Catholicam Religionem adducas. Id vero mirabiliter optamus, tibique conjugique tuæ, communibusque liberis, quos vobis multos a Divina bonitate impertiri cupimus, omnem benedictionem, atque omnis gratiæ cumulum, omnemque fœlicitatem a Domino precamur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Februarii MDLXXXV. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

Religiosissimus hic Princeps Pontificis de se expectationem haud fefellit. In primis igitur illi nuntiat se in magna esse spe, uxorem suam propediem in Catholica septa migraturam: deinde de Ecclesia patrimonii sui in Diœcesi Samogitiensi a quodam indigno parocho pessime habita conqueritur; ejusque ex auro argentoque sacra vasa, quæ in tempore elata apud se asservabat, ut sibi sit facultas in aliarum Ecclesiarum usum transferendi, Pontificem rogat: denique ut sibi valetudine affecto potestas fieret vescendi carnibus diebus, quibus ex Ecclesiæ lege ab iis esset abstinendum; suoque Sacerdoti celebrandi in privato cubiculo missam, cujus licentiæ tribuendæ jus Cardinalis Bolognettus esse suæ facultatis negaverat. (*)

(*) Polonia Vol. 21. fol. 706.

Beatiñe Pater, Domine Clementissime.

« Post pedum oscula beatorum. Summa mea in Sanctam Sedem Apostolicam observantia facit, ut crebrius, quam vellem, Sanctitatem Vestram litteris meis interpellem. Sed ea in spe sum, ut non tantum hanc instituti mei rationem Sanctitas Vestra æqui bonique consulat, verum etiam pro sua clementia benigne complectatur. Alteris meis litteris Sanctitatem Vestram admonui de matrimonio contracto a me non ita pridem cum Illña Visniewietii Ducissa, quam et natam esse hæreticam affirmabam, breviquc eam ad nostram Sanctam Religionem Catholicam me reducturum pollicebar. In quod in dies magis ac magis incumbo, resque est adeo in arctum redacta, ut ante paucos menses, ne dicam dies, publicam omnium hæresum, in quibus nata est, abjurationem per Dei misericordiam facturam esse sperem. Non me latet, libenter hæc omnia a Sanctitate Vestra audiri, et ob munus, quod gerit in terris, et ob charitatem et amorem, quo me familiamque meam dignata est semper prosequi. Quo nunc fretus hisce litteris suppliciter oro, et obsecro Sanctitatem Vtam, ut sua indulgentia conscientiæ meæ succurrere non gravetur.

« Ecclesia patrimonii mei in Kroze Samogitiensis Diœcesis multis abhinc annis erat sacris supellectilibus cum aureis, tum argenteis satis superque ornata, in eaque viginti et amplius Sacerdotes, quorum Senior eligebatur a me, cæteri a circumvicinis Nobilibus, erectis altaribus, alebantur. Et dum in hoc Regno fides sancta Catholica incorrupta manebat, ibi etiam candor Ecclesiasticus vigebat: postquam autem (proh dolor) serpere cœpit hæresis, adeo magnos in illis partibus fecit progressus, ut extemplo tota religionis facies fuerit immutata. Huic publico malo illud peculiare additum est, ut hæc Ecclesia in cujusdam Parochi manus venerit, qui Ecclesiastici ordinis indignus ab omnibus reputatur: etenim statim atque Ecclesiæ possessionem adeptus fuit, omnia sursum deorsum commiscere, Ecclesiæ et animarum curam parvipendere, sacra vasa ministerio Ecclesiastico addicta in profanum usum convertere cœpit. Quod cum ad aures meas pervenit, statim ipsum admonui, ut ab incœpto desisteret, Reverendissimumque Ordinarium, ut eum auctoritate sua coerceret, rogavi. Sed cum res in dies in pejus laberetur, et Ecclesia (ut cæteræ in illis partibus) lignea depravati Parochi cura destituta ruinam minaretur, aliique Sacerdotes ob corruptam Nobilium religionem, qui fere omnes a nostra Sancta Catholica Religione desciverunt, dissipati essent, a meque magno locorum intervallo distaret, calices, cruces, et cætera sacra vasa (relictis ibi satis ad usum necessariis) exportari, et fideliter in meo Thesauro custodiri mandavi; quæ omnia usque ad hunc diem intacta permanent. Nunc vero cum Societatis Jesu Collegium in meo Niesvisio fundaverim, parochialemque Ecclesiam in Comitatu meo Myrensi restauraverim; cuperem ista omnia ad harum Ecclesiarum usum transferre. Quod ut mihi a Sanctitate Vestra concedatur, humillime etiam atque etiam peto.

« Credo jam Sanctitatem Vestram et litteris meis, et sermone multorum de afflicta valetudine mea intellexisse. Veni nunc ad generalia Regni Comitia, et vix aliquoties in Senatum ire a valetudine permissum fuit, nuncque multo ante quam vellem, recedere eogor. Hinc fit, ut de medicorum consilio ne pedem quidem domo efferre possim. Egi cum Illustrissimo Cardinali Bolognetto, ut facultatem Missam in cubiculo celebrandi Cappellano meo concederet, quod cum a facultatibus hoc concedendi ei non permitti affirmet, supplico Sanctitati Vestræ, ut mihi afflicto et ægrotanti hæc gratia benigne concedatur, quam mihi concessam esse cupio et in ægritudine mea, et iis in locis ubi Ecclesiarum commoditas non reperitur.

« Esus piscium est mihi omnino a medicis interdictus, ideo humillime peto a Sanctitate Vestra, ut carnibus vescendi diebus a Sancta Ecclesia prohibitis facultatem benigne largiatur. Quæ petitiones meæ ut Sanctitati Vestræ sint cordi, omni animi submissione rogo. Deus Optimus Maximus Sanctitatem Vestram ditissime incolumem ad sanctæ suæ Ecclesiæ exaltationem conservet, cui me meaque omnia humillime commendo. Varsaviæ xv. Febr. MDLXXXV.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus servus
NICOLAUS CHRISTOPHORUS RADZIWIL
OLICÆ DUX.

X. — In Episcopatus munere admittendo, quæ partes sint Ecclesiastici viri, illustre exemplum posteris reliquit egregius Vendensium Præsul. Cui quum in Livonia ea sedes, quæ nuperrime instituta, multisque esset incommodis septa, obtigisset, Pontificem exoravit, ut sibi nonnulla minora sacerdotia cum Episcopatu obtinere, eo auctore, liceret. [*]

[*] Polonia Vol. 21. fol. 711.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Gregorio Divina Providentia Papæ XIII. Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Clementissimo.

« Beatissime Pater, post oscula pedum beatorum. Quo die allatæ sunt ad me Sanctitatis Vestræ litteræ, quibus librum meum de Ecclesia probare se, atque etiam a Deo Optimo et Maximo precari scribit, ut ejusmodi conatibus meis adsit divina sua gratia; eodem plane die allatus mihi est nuncius ex aula Serenissimi Regis mei, Majestatem suam in eo esse, ut rejectis omnibus superioribus excusationibus meis, quibus apud Majestatem ejus per decem integros menses utebar, Episcopum me nihilominus in Livonia Vendensem designaret. Pupugit illico animum, ejusdem illius Dei vocationem hanc esse, cujus gratiam conatibus meis se implorare Sanctitas Vestra tum scribebat. Itaque nihil fere cunctatus diutius, assensi tum regiæ, hoc autem est divinæ, ut interpretabar, voluntati; et me cedere jam, ac manum tollere, Episcopatumque ipsum difficilem acceptare dixi. Nisi quod postea ejusmodi quædam in animum incurrebant meum, ut hucusque necesse habuerim probari spiritus illos, an essent ex Deo. Quo ipso factum est, ut litteræ nominationis meæ hactenus ad Sanctitatem V̄ram missæ non fuerint. Nunc autem quid agam? Ad Sanctitatem V. supplex venio. Confirma hoc, Domine, quod ipse propemodum operatus es in nobis. Tua enim, Bīne Pater, benedictione sancta, uti mihi persuadeo, effectum est, ut et Rex daret, quod dedit, et ego acciperem, quod accepi. Quod si præstat Sanctitas V̄ra, ut facile, ut expedite, ut cito per Sanctitatem Vestram idem illud, quod et Rex dedit, et ego accepi, confirmetur, plane jam Sanctitas Vestra se illius Vicarium esse reipsa demonstrabit, qui idem confirmare solet, quod ipse in nobis operatur. Sed scitne Sanctitas Vestra, nimium esse angustas Episcopatus istius mei rationes? Primum longe abest, deinde hæreticis plenus est, tum vero hostibus undique circumvallatus, belli diuturni incommodis vexatus, ab aratura desertus et incultus, ab omnibus propemodum vasis, libris, hominibus sacris inanis; et breviter, totus novus et noviter erectus, et qui non modo censu suo Episcopum non ditet, sed etiam promptorum et paratorum aliquot millium sumptus desideret ac requirat. Qui sumptus, quoniam sine minoribus sacerdotiis sustineri profecto non possunt, a Sanctitate Vestra supplex peto et quæso, ut mihi minora, quæ hactenus obtineo, sacerdotia una cum Episcopatu retenta esse velit atque jubeat. Ego Deum pro incolumitate Sanctitatis Vestræ et exaltatione Sanctæ Sedis toto animo deprecabor, cujus gratiæ et clementiæ me totum etiam atque etiam commendo. Datum Varsoviæ die duodecima mensis Martii, anno Domini MDLXXXV.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Servus indignus
ANDREAS PATRICIUS NIDECKI
NOMINATUS EPISCOPUS VENDENSIS.

Piissima Poloniæ Regina, quæ aliquandiu doctrina atque opera hujus viri usa erat, commemoratione laudum virtutumque adhibita, ut ejus postulatis suæ etiam auctoritatis pondus adjiceret, has litteras ad Pontificem dedit: in quibus persuadere nititur, quemadmodum ea res cæteris eadem petendi causam neutiquam esset datura. [*]

[*] Polonia Vol. 21. fol. 712.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Gregorio Divina Providentia Papæ XIII. Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Clementissimo.

« Beatissime Pater, post oscula pedum bea-

torum. Datum est maximis primum et diuturnis meritis Reverendi Andreæ Patricii Nidecki Præpositi Varsoviensis, et Archidiaconi Vilnensis, quæ jam inde a temporibus Domini Sigismundi Augusti Regis fratris mei desideratissimi, illustria admodum in Rempublicam extiterunt; deinde vero datum est etiam utilitati et necessitati provinciæ Livoniæ, quæ nuper adeo ex Moschorum Schismaticorum durissimo dominatu erepta, Catholicæ religioni longissimo postliminio est per Serenissimum Regem conjugem meum restituta, ut ad eam Episcopalem Cathedram, quæ in illa provincia recens admodum Vendæ est fixa, Reverendus ipse Andreas Patricius per Regiam Majestatem nominaretur: vir, quem cum ex aliis scriptis ipsius, tum ex libro de Ecclesia, non ita pridem ad Sanctitatem Vestram ab ipso misso, non arbitror esse ignotum Sanctitati Vestræ. Et quoniam is, ab ipso excessu Serenissimi fratris mei Secretarium meum hucusque egit, fidemque et virtutem suam magnopere mihi probavit, commendo illum negotiumque hoc illius Sanctitati Vestræ diligenter, ab eaque etiam atque etiam peto et quæso, ut quam dignitatem invitus plane suscepit, et de qua suscipienda diu admodum deliberavit, eam, volente maxime et annuente Sanctitate Vra, primo quoque tempore consequatur; sed sic ut ei Sacerdotia quoque minora, quæ hactenus obtinuit, beneficio Sanctitatis Vestræ cum Episcopatu reserventur. Pervulgatum est, petere pro omnibus propemodum Episcopatuum Candidatis, retentionem istam Sacerdotiorum. Sed hoc certe pervulgatum non est, petere eam pro eo, qui ad novum et recens fundatum Episcopatum vocatur, qui in provinciam deterrimis hostibus ereptam, bellis etiam continuis afflictam et vastatam, totam denique et intus et foris hæreticis plenissimam, proficiscitur, ubi lucta ei quotidie, partim cum suis hostibus, qui bona Episcopatus amant arrodere, partim cum Regis ipsius et regni hostibus, qui ex vicinia ipsa fremunt, possessione illius provinciæ exturbatus se esse, partim denique cum Dei hostibus, qui novellam hanc ejus vineam demoliri plane et ad nihilum adducere conabuntur, perpetua erit suscipienda. Pro eo certe, retentionem beneficiorum a Sanctitate Vestra flagitare, minime est pervulgatum. Quo minus Sanctitati Vestræ verendum est, ne id, quod hoc tempore concessum ipsi per Sanctitatem Vestram fuerit, trahi deinde in exemplum a cæteris posse videatur. Imo si concessum non fuerit, administratio sane novitii istius Episcopatus aut, suscipi aut suscepta recte geri nequaquam poterit. Commendo negotium hoc totum prudentiæ et pietati Sanctitatis Vestræ, hominem vero ipsum pro viro et bono, et erudito, et ad gerendum illum Episcopatum maxime idoneo, trado in manum Sanctitatis Vestræ. Quicquid ei gratiæ Sanctitas Vestra demonstrare voluerit, id ita plane accipiam, ac si mihi ipsi fuisset a Sanctitate Vestra demonstratum. Commendo me ipsam quoque ex animo Sanctitati Vestræ, quam Ecclesiæ Dei quam diutissime præesse cupio. Datum Varsoviæ, die XIII. mensis Martii anno Domini MDLXXXV.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Filia obseqoentissima

ANNA REGINA POLONIÆ.

XI. — Res Poloniæ in gravissimo erant periculo: metuebantur enim subitæ Turcarum in hoc Regnum incursiones. Itaque et Cosaci, et Tartari, qui Poloniæ fines incolebant, ad illorum impetum sustinendum auxilium a Rege exposcebant; seque, litteris ad magnum Regni Cancellarium datis, in Reipublicæ Poloniæ fidem ac tutelam tradebant. (*)

(*) Polonia Vol 21. fol. 609.

Illustris et Magnifice Dñe, Domine gratiosissime, humilia servitia nostra in gratiam Illustris et Magnificæ Dominationis Vræ commendamus.

Illustris et Magnifice Domine. Operæ precium nos facturos existimavimus, si quæ hoc tempore in dominio Principis Krimscensis agantur, nostris his litteris, Illustri et Magnificæ Dominationi Vræ significaremus. Princeps enim Aslamkiry noviter hic summis rerum a Turca præfectus, is qui pulsus ditione sua atque ab Imperatoris hæredibus, qui cum exercitu ex Nathai advenerant, in Caffensi civitate obsessus aliquando fuit, rursus eo prælio, ope Turcici Imperatoris adjutus, ita profligavit, ut coacti sint statim terra Krimscensi excedere, idque duobus præcipuis Nathaiscensibus Murz, penes quos potestas administrandi exercitus erat, in bello amissis, quorum alter Jesiena Murze, alter Kazi Murze vocabatur, desideratisque aliis quamplurimis Tartaris. Dicunt Polonnicenses captivi, needum inter eos rem compositam et finitam esse, rursumque ipsos in Nathai et terra Czercensi novum parare exercitum, quin et unum jam fratrem ad Kosul Bassam ab ipsis transmissum, qui cum ipso de auxiliaribus copiis mittendis diligenter agat: ipsi vero interim sese, ex hac parte Turcas et Tartaros bellis incursuros, illatamque hanc sibi injuriam strenue vindicaturos promittunt. Hinc ergo colligimus exortam hanc inter ipsos litem, haud ita facile finem habituram esse. Multi Krimscensium strenui et nobiles viri, qui partes istorum tenuerant, profecti sunt cum illis in Nathai, omnes vero alios, qui sibi fuga non consuluerunt, novus iste Princeps amissione tam vitæ quam bonorum mulctat. Frater novi Principis Alapkiry Galga cum exiguo, quem tunc habebat, exercitu fugientes persequi instituit; sed quia milites, cæteris propter has turbationes hinc inde delapsis, pauci cum illo manserunt, cœpto, uti ferunt, cogetur desistere. Hæc quæ nunc scri-

bimus, Illfis et Magnifica Dominatio Vestra pro indubitatis atqua certissimis habeat, ac si quid præterea novi acciderit, illud etiam Illustri et Magnificæ Dominationi Vestræ quam diligentissime significabimus. Et cum his iterum servitia nostra in gratiam Illustris et Magnificæ Dominationis Vfæ commendamus. Datum ex Niz in Bazawluk die 3. Januarii 1585.

Illustris et Magnificæ Dominationis Vfæ
Servitores
JOANNES ORISZOWSKI EX ORISZOW ET
OMNES ZAPOROSCENSES COSACI.

XII. — In Galliis sensim res in multo deteriorem statum deductæ sunt. Nam Hugonotti in omnem occasionem incumbebant ampliora sibi jura arrogandi; id quam haud sine magno et Ecclesiæ Catholicæ et Reipublicæ damno est factum, primus supremæ Tholosanæ Curiæ Præses Cardinali Pelleveo retulit. [*]

[*] Mantissa document. N 138.

XIII. — Quanto obsequio Romani Pontificis auctoritatem, et Patrum S. Rom. Ecclesiæ Cardinalium amplitudinem Universitas Theologorum Parisiensis, vulgo Sorbona dicta, prosequeretur, tum declaratum est, cum doctissimi illi viri, consilio habito, Regem Christianissimum adeundum esse decreverunt, ut cujusdam Mauri Saraceni ex Ordine Franciscano petulantia carceribus comprimeretur. [*]

[*] Gallia Vol 17 fol. 152 et cf. Bulæi hist. Universit. Parisien. T. VI. p. 785.

« Anno Dñi millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, decima nona mensis Februarii, in frequentioribus comitiis apud Sanctum Marcuinum solemniter, ut moris est, hora solita congregata extitit alma Parisiensis Universitas.

« Exposita per Dñum Rectorem causa congregationis de fratre Mauro Saraceno Franciscano, qui cum sit suspectæ fidei et religionis, conatus fuerit typis mandare librum a se compositum contra auctoritatem et amplitudinem Beatissimi Papæ Romani Pontificis, et Dominorum Cardinalium: rogavit idem Dominus Rector totam Academiam, ut ne ejus malum latius serpat, Academia intercederet apud Regem Christianissimum, ut prædictus frater Maurus Saracenus aut perpetuis carceribus manciparetur, aut Romam vinctus mitteretur.

« Maturis deliberationibus per singulas Facultates super dicta supplicatione præhabitis,

« Ipsa Universitas censuit, ut Dominus Rector cum amplissimo comitatu adeat Christianissimum Regem, et eumdem roget nomine Facultatum omnium, et totius Parisiensis Academiæ, ut idem frater Maurus Saracenus perpetuis carceribus detineatur, aut ad Summum Pontificem ligatus remittatur, eumdemque Regem præterea roget, ut sartam tectam Beatissimi Papæ auctoritatem et amplitudinem tueatur.

« Et ita per Dominum Rectorem conclusum extitit.

XIV. — Archiepiscopo Ebredunensi Gregorius Synodi Provincialis, anno superiore absolutæ, decreta emendata remittit, suam voluntatem significans, ne secus ac fuerant correcta, ederentur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII ep 134 fol. 443.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Ebredunensi.
GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Remittimus Fraternitati Tuæ decreta Synodi Provincialis Archiepiscopatus tui, a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus rebus ad Concilii Tridentini decreta pertinentibus præfectis, mandato nostro examinata, atque ubi oportuit, emendata. Curabis, ut quæ pie prudenterque decreta, atque emendata sunt, ita ut sunt emendata, nec aliter edantur, quamque diligentissime serventur: hæc enim reliqua pars est operæ tuæ, sina qua omnis hacteuus frustra esset susceptus labor. Deus benedictus præsit semper consiliis, actionibusque ejus omnibus sua gratia, dirigatque studia et conatus tuos omnes ad sui nominis gloriam, gregisque tuæ fidei ac vigilantiæ commissi salutem. Datum Romæ apud S. Petrum die XXVI. Januarii MDLXXXV. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

XV. — Avenionenses, magno ære alieno contracto, et ingenti frumenti inopia pressi, ex teterrima vel ab anno superiore peste in rerum omnium desperatione ad Pontificem, veluti unum tutissimum perfugium et solatium, confugiunt: cui uti maximum beneficium acceptum referunt, quod eorum civitati, patriæ proditoribus et rebellibus, qui in eam seditionem et discordiam inducebant, carceri addictis, pacem reddiderit; ita in tantis ærumnis et calamitatibus Consulibus, quorum egregia opera utantur, plurimum se debere fatentur. [*]

[*] Avignone Vol 13. fol. 679.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Beatissime Pater.

« Etsi humillissimis subditis vestris Avenionensibus benignitas et suavissimus amor, quo Sanctitas Vestra eadem semper prosecuta fuit, in aperto sit, ex eo tamen luculentius illis adlatum fuit testimonium, quod nedum Civitatem illam a faucibus eorum, qui armis et oppressionibus eandem subvertere conati fuerunt, fortissime liberaverit, sed et fulgenti Justitia vestra perditissimos illos proditores, jam a duobus annis carceribus mancipatos, opere et diligentia egregii Domini Georgii Diedi Commissarii Vestri meritissimi debitis pœnis, in evidentem totius Reipublicæ Avenionensis salutem affeceris. Ex quo tanta fuit apud fidelissimos Sanctitatis Vestræ subditos lætitia et jubilatio, ut nusquam parem ab ullo unquam tempore accepisse fateantur, certissimum illud dignoscentes, judicii illius executionem, non minus huic Civitati profuturam, quam Catilinariam illam, ob quam Tullius Cice-

ro se patrem patriæ sæpissime jactitabat. Silebunt namque posthac facinorosorum hominum in vestram Civitatem conatus, obmutescent felicitatis Avenionensis osores, et nephandorum conjuratorum impetus debilitabuntur. Hic siquidem est divinæ illius justitiæ suavissimus fructus, ut pœna unius sit terror et metus multorum. Felicem igitur, sed et felicissimam Civitatem istam prædicare debemus, quæ tam pium, tamque sanctum et justum Principem, salutis et tranquillitatis suæ avidum nacta fuit. Cum itaque, Beatissime Pater, pietatem tuam in nos propensam dignoscamus, stimulant nos prementes angustiæ nostræ ad Sanctitatem Vestram uti ad portum amœnissimum confugere; tantis enim hodiernis temporibus circumvoluti sumus ærumnis, ut quid agendum aut cogitandum nobis sit, protinus ignoremus. Nam licet furentes tumultus bellici ad ultimum fere periodum Civitatem Vram afflictissimam reduxerunt; cum ad tuendam illam nedum ærarium publicum, sed quoruncumque Civium nostrorum, exhaustæ propemodum sint facultates; accessit tanta granorum penuria, his proxime effluxis annis, ut ad propulsandam imminentem incolarum Civitatis Vestræ famem æs alienum sub gravissimo fœnore contractum fuerit: ita ut ratione belli et famis ad extremam miseramque egestatem redacti simus, quæ deplorandæ necessitates tantum abest ut finem aliquem accipiant; quinimo crescente penuria nostra duplicantur et incommoda, tum in subventionibus militum, tum in hospitalionibus eorumdem, aliisque occurrentibus negotiis, quæ his calamitosis temporibus gravissimis cum expensis accesserunt. Hæc omnia, Beatissime Pater, quam graviter anxiam et ærumnosam Civitatem ista reddiderint, ex eo luculenter apparet, quod eadem illis ex causis ad summam usque ducentorum millium aureorum multis variisque personis aut sub pensionibus annuis, aut sub usuris plusquam centesimis obligata et obnoxia sit. Quibus (quod nos dolore pene conficit et macerat) acerbissima contagionis lues, quæ ab anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto pacifice quieverat, jam a principio mensis Augusti anni præteriti supervenit, quæ cives Vros tanta cum ipsorum strage et jactura pressit, ut enarrari facile non possit: sicut enim morbus ille crudelissimus nullis humanis remediis arceri potest aut reprimi, sed divinis tantum (ad quæ indies confugimus) sedari, etiamsi primi illi medicinæ inventores, propulsatores et curatores adessent; quin semper grassando quoscunque sævissime torqueat, et furore suo nemini parcat. Sic ex eo tanta generantur incommoda, ut labirinthum malorum vere nuncupari possit et debeat: hæc quam egregie in omnium nostrum detrimentum experti sumus, lucidissime docent curæ et vigiliæ indefessæ Reipublicæ nostræ Præfectorum et Consulum, qui publicam utilitatem vitæ propriæ anteponendo nihil intactum reliquerunt, ut furentis morbi medellam, si fieri posset, consequerentur: medicos et chirurgos peritissimos, aliosque multos et diversos operarios tam in Civitate, quam in hospitali extra mœnia constituto, sub gravissimis salariis præficeotes, morbo correptis victum, medicamenta, cæteraque necessaria subministrantes, pauperes et egenos, nedum mendicos in certo loco conclusos, sed fere omnes plebejos intra domos proprias (ad evitandum comersium) commorari coactos alimentantes, aliaque multa et varia ad salutem totius Reipublicæ facientes, quæ non nisi cum gravissimis expensis exequi potuerunt. In quibus prædicti administratores et Consules Sanctitatis V. humillimi servi nedum operam, sed et bona propria in magnum etiam vitæ suæ periculum impenderunt, cum siquidem ob injuriam temporum et morbi acerbitatem cessante comersio Civitatis Vestræ redditus, qui ex gabellis solum colligi consuevit, tabescat omnimodo, obque tam grande jam contractum æs alienum nullus reperiri queat, quæ dicti Civitati summas ne quidem sub fœnore mutuare velit; tanta fuit dictis Consulibus amor et dilectio patriæ, ut spretis quibuscunque incommodis et familiæ propriæ detrimentis, egregiam pecuniæ summam nomine proprio, ad solatium tamen Civitatis Vestræ afflictissimæ mutuum acceperint. Quia vero et bellorum et morbi expensæ in dies augescunt, civiumque facultates, nedum Consulum exhaustæ protinus reperiantur, considerari minime possunt angustiæ, quæ nos undequaque premont, illud præcipue metuentes, ne cessantibus modis et facultatibus, quibus prementibus necessitatibus mederi potest, miseranda hæc Civitas Vra ad extremum deducatur exitium. Inter hæc tamen tam metuenda pericula hoc unum nobis reliquum est solatium, Sanctitatem scilicet V. afflictorum omnium verissimum esse præsidium et refugium, tantamque erga omnes (qui ad eandem confugiunt) pietatem esse atque clementiam, ut nullum non nisi perhumaniter adjutum a conspectu suo recedere patiatur. Quod si tantus et tam egregius amor Sanctitatis Vestræ exteris quibuscumque nedum reluxit, sed et auxilio fuit, illum humillimis subditis Vestris Avenionensibus non defuturum indubitanter confidimus, eaque suavissima spe freti, cunctas ærumnas nostras brevi defuturas credimus. Quamobrem, post pedum vestrorum devotissima oscula, eandem Sanctitatem Vestram unice deprecamur, ut sicut Avenio ipsa sub Imperio Vestro felicissimam se prædicare consuevit, ipsiusque cives in firmitate obedientiæ suæ gloriantur, sic eosdem paterno amore et consueta benignitate vestra amplecti digneminі. Faxit Deus Optimus Maximus, ut Imperium

Sanctitatis Vestræ in perenni felicitate diuturnum conservet. Avenione XII. Februarii MDLXXXV.

Sanctitatis Vestræ

Humillimi et obseqñi subditi et servi
CIVES ET CONSULES AVENIONENSES.
De mandato Dñorum Consulum
Monery.

XVI. — Cum quandoque malevolorum hominum invidia etiam spectatissimi viri in suspicionem gravissimorum criminum adducantur, Gregorius justitiæ vindex sollicite admodum curavit, ut qui ab omni suspicione purgati essent, pristinam dignitatem recuperarent. Plura sunt ejusmodi exempla in Gregorii gestis. His addi potest, quod eruitur ex literis Roberti Archidiaconi, cum Vicesgerentem Avenionensem summa eum fide ac religionis studio gereret, et ea de causa multorum in se odia atque invidiam excitaverat. [*]

[*] Avinione Vol. 12. fol. 618.

Sanctissimo D. N. Papæ.

« Deosculatis sanctissimis pedibus tuis. Secesseram anno præterito, Sñe Pater, in antiquum S. Egidii oppidum, ejusque nominis vetustum Monasterium, ubi Archidiaconus sum, et restituendi ibi divini et Catholici cultus, bellis civilibus jam pridem intermissi, fereque extincti, et curandarum rerum mearum gratia, quando mihi renuntiatum fuit, me quod in illud Galliæ Narbonensis Monasterium contulissem, in nonnullorum suspicionem incidisse, aliquid mihi cum hæreticis illic debere esse rei atque negotii, et (quod molestius mihi fuit) rumores hujusmodi de me perperam sparsos, usque ad aures Sanctitatis Tuæ pervenisse. Quo accepto nuntio repente perculsus consternatusque, vitam mihi acerbissimam esse putavi: sæpe mecum reputans, miserrimam esse hominum conditionem, qui ob res bene et cum pietate gestas, sæpenumero calumniis lacerari soleant. Quod si mihi soli in hac Civitate contigisset, id sane mirum in modum auxisset dolorem meum. Sed quia multis aliis idipsum obtigisse audivi, qui paulo post eorum integritate perspecta, ab omni liberati fuere suspitione; id me non parum ex iis angustiis, in quas eram conjectus, educere visum fuit: cui antea Divini numinis benignitas, et conscientiæ meæ, locupletissimorumque ac gravissimorum virorum testimonia auxilio magno fuerant. Quo fretus, forti animo esse cœpi, eoque magis, quod Illñum ac Rñum Cardinalem Armagnacum, Reverendissimum Cavalionensem Episcopum meas partes ferre intellexi, mihique causam esse dicendam coram Principe, Judice ac Patre omnium justissimo atque sanctissimo. Ad quæ omnia cum ego mentem appuli, animo tanquam renovato firmatoque, optime de me sperandum censui, nec tamen in urbem redire unquam volui, nec tentavi, donec ejus rei licentiam mihi Sanctitas Tua largita fuisset. Qua nunc data mihi veluti postliminio reverso superesse videtur, ut hujus singularis in me beneficii Deo Optimo Maximo Sanctitatique Tuæ gratias agam, habeamque semper in posterum, eique ultimo pollicear me fidem et obedientiam, quam ante decem annos in manibus ejusdem Illustrissimi ac Reverendissimi Cardinalis Armagnaci, dum munus Vicegerentis obirem, jurejurando firmavi, omni tempore vitæ meæ præstiturum, Deumque dies noctesque obsecraturum, ut eandem Sanctitatem Tuam in multos annos salvam et incolumem tueri velit, ac nobis conservare. Datum Avenione in Palatio Vicegerentiæ III. Idus Januarii anno MDLXXXV.

Sanctitatis Tuæ

Servus humillimus atque obñus
ROBERTUS VICEGERENS AVENIONENSIS.

XVII. — Aegre tulerat Gregorius, quod Concilii Toletani sessionibus, ex vetustissima ut dictitabant Regni consuetudine, regius Legatus interfuisset. Illud vero ferre non potuit, quod in ejus Synodi actis Legati regii nomen, sacris Canonibus repugnantibus, sæpissime esset inscriptum. Quamobrem Hispaniarum Primatem, cui anno superiore decreta Synodi emendata remiserat, jubet expungere omnino ab architypo actorum regii Legati nomen, ubicumque occurrat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. XIII. ep 183 fol. 442.

Dilecto Filio Nostro Cardinali Toletano Nuncupato.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Curavimus tibi significari per literas venerabilium fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium, rebus ad Concilii Tridentini decreta pertinentibus præfectorum, quæ maxime emendari oporteret in decretis, aliisque locis Synodi Toletanæ tua opera confectæ. In his illud erat in primis de legati Regii mentione ex omnibus locis, in quibus facta erat, delenda, in quo voluimus, et firmissimis Sacrorum Canonum decretis insisti, et superiorum Romanorum Pontificum, proximeque Pii Quarti et Pii Quinti exempla retineri. Quod igitur tum tibi significari curavimus, hoc nunc his literis mandamus, ut ex architypo ipso facias omnibus in locis omnem legati Regii mentionem deleri, neque aliter istius Synodi acta, aut decreta typis imprimi, aut exire patiaris. Speramus, nostris atque Apostolicæ Sedis mandatis libenter, uti debes, obtemperaturum esse. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Januarii MDLXXXV. Pont. Nost. an. tertiodecimo.

XVIII. — Hoc anno VI. Nonas Martias infelix ille Guilielmus Parrius capitis pœnam subivit. Maximum certe omnibus horrorem ingerunt crudeles cruciatus, quibus per impiæ Elisabethæ Reginæ satellites affectus fuit. Legat cui est animus, Thuanum, ejus Reginæ in Catholicos

acerbitates omnes minus, quam fas esset, improbantem. [*]

[*] Hist. sui temporis T. III. p. 686. edit Aurel. 1620. fol.

XIX. — Elisabetha ex Parrii luctuoso casu lætabunda occasionem arripuit, in Catholicos magis magisque sæviendi, quorum perplures fuga sibi consuluere. Id præ cæteris fecerunt præclarissimi juvenes, qui sacris litteris perdiscendis operam navabant, quique ideo Remos se contulerunt. Verumtamen res Collegii Anglicani hujus urbis pessimo loco erant, ita ut reditus ejus tanto juvenum numero sustentando haud sufficerent. Alanus itaque Summum Pontificem litteris, ad Cardinalem Comensem datis, quam vehementissime exorat, ut sua liberalitate tantis eorum miseriis occurrere velit. [*]

[*] Anglia Vol. 2. fol. 298.

Illme Domine, Patrone Benignissime.

« Quam non debeam, nec certe velim esse Sanctissimo Domino Nostro in his pecuniariis postulationibus vel onerosus, vel ingratus, vel importunus, et ipse, qui ejus in cæteras omnes nationes, maximeque in nostram gentem infinitam propemodum largitatem omnium optime video, mihi sum conscius, et tuam bonitatem mei in hoc genere metus ac moderationis testem habere spero.

« His quinque nobis laboriosissimis et gravissimis annis nihil pro hoc Collegio a Sua Sanctitate, præter ordinariam stipem, petii: difficillimis emendicationibus cum meorum necessitatibus, tum variis in patriam officiis, quantum et quam diu potui, satisfeci: quæ a Deo, sive per Beatissimum Patrem nostrum, sive per Regem Catholicum, sive per piorum eleemosinas interim donata sunt nobis, ut ad plurium salutem extenderentur, tam sobrie dispensavi, ut multos semper singulis aureis menstruis aluerim, iu nullos supra duos in victum expenderim, atque in reliqua vita et apparatu similem sane parcitatem servavimus: omnia demum fecimus, omnia sustinuimus, ut hoc opus, quod Christi nota ac ejus Vicarii benedictione ad salutem et reconciliationem gentis nostræ cœptum est, quam minimo patronorum nostrorum sumptu prosequeremur.

« Hoc solum tamen (Amplissime Domine), quod in litteris ad Reverendissimum Dominum Nuntium servandum monuisti, quodque scio in omni Collegiorum administratione fere teneri, nempe ut præfinitum tantum, juxta facultates, studiosorum numerum reciperem, utque neminem, nisi ex alterius decessu vacet locus, admittam, ut ingenue fatear, non servavi, nec si rempublicam certe nostram salvam esse velim, observare imposterum possum. Atque sine me, quæso, hujus rei tibi rationem reddere. In causa igitur hæc sunt.

« Hoc nostrum Collegium est alterius instituti, quam cætera, quæ in pacificis locis ad juvenum tantum institutionem comparata sunt: habet alium finem superiorem et difficiliorem, quem assequi non potest sine majori molimine, majori numero et pluribus adminiculis, et nisi plusculum audeat aliquando, quam ordinariæ facultates ferant.

« Necessarii sunt nobis hic exercitatissimi professores plurimi, qui nostram ad sacram contra hæreticos pugnam continuo exerceant, qui libros variis linguis ad defensionem et declarationem Catholicæ fidei scribant, qui adventantes ex Anglia in fide infirmos, dubios, aut etiam religionis omnis expertes, vel plane hæreticos docte et dextre doceant et tractent.

« Mediis etiam variis ad principum populique Britannici (quo omnia referimus) conversionem opus est: ut librorum multiplici scriptione, impressione, per longissimos maris et terræ tractus vectione, et demum in insula distributione gratuita eaque periculosissima; qua una licet plane intollerabilis sumptus, incredibiliter profecimus: opus etiam frequentissima sacerdotum ordinatione, continuis eorundem in patriam missionibus, ut ibi extemplo pro Christo occisorum aut vinctorum in loca et officia succedant, et omnium Catholicorum necessitatibus inserviant: opus denique juvenum ad Romanum nostratium Collegium missione, quæ omnia hujus quoque Collegii expensis fieri debent.

« Hoc Collegium cum aliorum, tum maxime Nobilium filios vel parentibus pro fide Catholica orbatos, vel contra patrum voluntates advenientes debet mox recipere, quia non possunt sicut in statis quietorum locorum Collegiis expectare donec vacet locus, cum in hanc exteram provinciam veniant desolati et exuti omnibus rebus, sæpeque etiam de itinere ære alieno gravati: tantum abest, ut in diem sine nostra ope vivere, nedum ut per tot pericula, terræ marisque spacia, ad hereticos domum redire queant. Atque sane si vel unum idoneum remitteremus aut rejiceremus, nulli deinceps venirent.

« Quinimo hujus instituti est, juvenes melioris ingenii et spei adhuc in Anglia cum hæreticis versantes, ad nos donis et pollicitationibus invitare, ut disciplinam Catholicam capessant, exilium exiliique incommoda, contemptis patriæ delitiis, pro Christo seligant, in Collegialem nobiscum vitam veniant; denique ut ad sacerdotium hoc odiosissimo tempore, et ad martyrium aspirent, qui propterea cum veniunt, non possunt a nobis repelli, aut donec vacet locus, differri. Et certe si idoneos omnes præter paucos et certos repelleremus, Romam importunissimis clamoribus ad Suam Sanctitatem pro provisionibus venirent, sicut illi, quos recusavimus, hactenus fecerunt, quod ut plures non faciant, hoc solum Collegium est in causa, licet omnes ab illo itinere averti non possunt.

« Si secuti fuissemus modum tantum præsentium facultatum, hoc Seminarium nunquam fuis-

set institutum: quod factum est ab hominibus pauperibus, qui nullas habebant opes, stetitque totum biennium sine ullo certo subsidio postremis Pii Quinti temporibus, donec Sanctissimus Dominus Noster vocatus ad culmen Apostolicum, pensione centum aureorum, additis postea quinquaginta menstruis, nos benignissime donavit, ut proinde merito non modo Collegii fundator, sed tanti boni, quod ex eo secutum est, author sit et nuncupetur.

« Porro vero si vel tum postea secundum illam Pontificiam provisionem, de qua sola tunc eramus certi, rationes regiminis nostri constituissemus, Deus majora subsidia, quæ postea misericorditer variis modis concessit, nunquam donasset, ultra quadraginta studiosos non aluissemus, tot Sacerdotes non creassemus, missiones nullas adornassemus, paucissimos ad fidem revocassemus, tantos denique in insula fructus tamque necessariam rerum, qualem hodie cernimus, mutationem, tantamque pro religione et republica restituenda animorum contentionem, et ad mortem usque pro fide ac Sede Apostolica tam gloriosam omnium ordinum concertationem nunquam vidissemus.

« Quæ omnia si istud Collegium per divinum auxilium expensis Suæ Sanctitatis, quam potuit fieri minimis, hactenus fecit, speramus suam incomparabilem bonitatem alicunde nobis misericorditer prospecturam, nec huic tam necessario et salutari operi suis auspiciis cœpto, defuturam unquam, ne quando dicat inimicus, prevalui adversus eum. Multa certe millia darent hostes ad hoc institutum tollendum. Nos non adeo magna summa annua priori provisioni et piorum, quas corrogabimus, eleemosynis adjecta, (infinita enim hic non erit opus expensa) Christo adjuvante, cœptum cursum contra adversarios tenebimus.

« Adsis ergo nobis (pie Patrone) apud Sanctissimum Patrem Nostrum, et ne sinas nos cum hæreticis, cum paupertate, cum exilio, cum infinita demum animi solicitudine pro Ecclesia conflictantes succumbere. Si quid præterea de statu rerum nostrarum scire cupiat Celsitudo tua, præsentium lator, coadjutor meus et laborum meorum omnium particeps, vir vere pius et prudens, qui religionis maxime causa ad Urbem proficiscitur, omnia exactissime exponet: cui ut fidem tamquam mihi habeat, suppliciter postulo: et de prolixitate literarum mihi, quæso, humanissime Domine, ignosce. Vale. Rhemis 16. Januarii 1585.

Illmæ et Rmæ Dñis Vestræ

Devotmus in Christo servus

Gulielmus Alanus.

En alteras Alani litteras ea de re ad eundem Cardinalem. [*]

[*] Anglia Vol 2. fol. 300

Illme Domine, Patrone Optime.

« Cum in his rebus, quas pro patriæ salute gerimus, aliquid accidit insolens, consiliique ac momenti majoris, quam ut ipsi nos recte expedire queamus, cogimur per vestram Celsitudinem ad Sanctissimi Domini nostri Apostolicum judicium confugere. In causa hæc sunt.

« Qui rem Anglicam pro Regina administrant, post acerbiora omnia, ut progressus nostrorum impediant, frustra pertentata, novo tandem et admirabili apud nos consilio ac exemplo ex singulis quibusque Londini ergastulis, non omnes, sed certos eosque præcipuos Sacerdotes, in universum viginti, et laicum unum, jubent per custodes earum carcerum, in quibus detinebantur, ad navem quandam in Thamesi præparatam deduci, et in Franciam deportari. Id factum est die 21. Januarii secundum veterem, quam illic adhuc tenent, suppotationem.

« Antequam conscenderunt navem, nostri quantum poterant verbis et rationibus restiterunt, affirmantes se sine judicio et condemnatione in exilium mitti non debere, sed non sunt auditi: post biduum tamen in altum jam delatis, qui illos deportabant, ostenderunt diploma quoddam Regium aliquot Consiliariorum chirographis munitum, in quo post mentionem conspirationis ipsorum in Reginam continebatur sententia exilii, et clementiæ Reginæ ac in ipsos misericordiæ insignis commemoratio, cum hac tandem admonitione, ut si unquam sine licentia in patriam redeant, fore, ut extremo supplicio mox afficiantur.

« Presbyteri, cum falsi criminis objectionem et denegatum in patriam reditum animadverterunt, unanimes clamabant sibi gravissimam injuriam fieri; se nullius in Principem perduellionis esse conscios, ex ipsis plurimos nunquam de hoc capite accusatos, quosdam etiam plane publico judicio absolutos; neque se posse quidquam de non redeundo in Angliam polliceri, cum in vita et religione Superiores haberent, quorum arbitrio actiones suas moderari debeant.

« Obsecrabant proinde ductores suos, ut liceat Londinum reverti, et ibi de criminibus istis judicio legitimo contendere; se Catholicos sacerdotes esse, religionis causa in patriam a præfectis suis missos, exilium volentes non acceptare, sed cupere in patria pro fide pati: nec agnoscere ullam in hac sententia exilii aut misericordiam, aut æquitatem. Hæc et similia dicentes Confessores Christi nihil profecerunt, sed post aliquot dies ducti sunt in Gallias.

« Ex his aliqui nunc ad me venerunt, reliqui his diebus venturi sunt, partim quia non habent ubi ad tempus alibi alantur, partim ut de reliqua vita et actionibus consilium capiant, partim et maxime, ut de restituenda re spirituali, quæ non leviter hac istorum ejectione domi impeditur, deliberemus.

« Atque sane nisi brevi compensemus istud

damnum largissimo supplemento, nimis de hoc suo artificio novo triumphabunt adversarii, nimisque dolebunt Catholici, qui ægerrime dicuntur ferre, hoc statagemate sibi optimos patres sublatos.

« Et nos hic possumus præter eos, qui ex Urbe mittentur, quatuordecim vel sedecim, si opus sit, dare in illam messem.

« Sed hoc nunc mihi non constat, nec quidquam ausim de ea re, nisi ex Suæ Sanctitatis voluntate et mandato, statuere, utrum isti ipsi qui nunc ejecti sunt, vel ex eis aptiores quique remittendi sint ad opus dominicum; nam ipsi se reversuros, sine exceptione interminatæ mortis aut quorumcumque periculorum, ad superiorum arbitrium profitentur.

« Neque fortasse pejor erit istorum quam aliorum presbyterorum conditio, cum putetur legibus hujus Parlamenti novis futurum capitale, ut quis Sacerdotem quemvis in domum recipiat. Sed hoc incertum est, et quicquid statuant, non deerunt qui ingrediantur presbyteri lubentissimo, non deerunt qui hospitium et necessaria tribuant, quique Deo magis quam hominibus obediant. Quia igitur nolnimus de istis pulsis Sacerdotibus aliquid disponere, nec certe possumus, nisi cognita voluntate Sanctissimi Domini Nostri, putavimus hæc obiter insinuanda Celsitudini tuæ, per quam speramus nos brevi Apostolicam sententiam ad nostram directionem et solatium habituros, atque id ut benigne cures humillime, in Christo rogo. Ipsorum perplures cupiebant interim vel devotionis ergo, vel aliis de causis ad Urbem ire, sed quantum possum impediam, licet difficulter id faciam: quidam etiam sunt de Societate, de quibus facile disponent illius ordinis præfecti. Christus Jesus tuam Illustrissimam Dominationem servet semper incolumem.

Rhemis pridie Calend. Martii 1585.

Illmæ ac Rmæ Dñis Vestræ

Alumnus et in Domino servus

Gulielmus Alanus.

XX. — Quæ cum ita sint, mirari forsan quis possit, prudentissimum Rossensem Præsulem omnia summa de Regis Scotorum consilio ad avitam fidem in patria instaurandam sperasse; ita quidem, ut in Scotiam iter paraturus esset, Pontificemque exoraret, ut inopiam suam sublevare, expensasque pro itinere conficiendo elargiri vellet. (*)

(*) Gallia Vol. 17. fol. 546.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pont. Max.

Beatissime Pater.

« Clementissimus Deus, sub cujus providentia vitæ nostræ momenta decurrunt, en videtur res Regni Scotiæ nostræ conduxisse, ut melius de eis sit nobis sperandum, quam in tam parvo temporis intervallo homines expectare potuissent. Nam Princeps ille quamvis juvenis et humanis consiliis et auxiliis quasi destitutus, ita Dei gratia eum præveniente et comitante, suorum perduellionum audaciam et ministrorum petulantiam fregit, ut illi penitus, hi pro majori parte exulent, et Regnum aliqua, imo mediocri gaudeat pace: quæ quamdiu sit duratura, incertum est. Interim ex Scotia mihi scriptum est, Regem Catholicis non esse molestum, imo uni quidam nobiles amici et cognati mei, et ex consilio primorum nobilium qui Regi astant, mihi significant, in eo statu esse res meas particulares, ut si vellem ab illa proscriptionis sententia liberari, quæ olim per vicereges contra me lata fuit, facile id me obtinere posse, ac ut in Regis gratiam (a qua nunquam culpa mea decidi) redire valeam. Ego vero ab illo tempore quo Roma discessi, animo deliberato in Scotiam redeundi paratus omnia tentare et omnia perpeti pro causa Dei, quam sustinemus, semper hic in confinibus Galliæ substiti, eam occasionem expectans, quam tum nobis præripuit mors inopinata et immatura Illmi quondam Comitis Atholiæ, in quo tota illa spes reditus mei tunc sita erat; quippe quod Catholicus erat, primus a Rege et mei studiosissimus; quo sublato omnis spes reditus mei decidit, nisi manifesto mortis periculo me voluissem objicere. Nunc autem cum spes illa nobis revixit, et ultro et abundantius nobis redit in capite, quam periit in membro, judicavi hanc occasionem rei bene gerendæ non esse prætereundam. Quare scripseram ad amicos, ut dent operam, ut quam citissime fieri posset, salvum conductum mihi impetrent et licentiam redeundi. Reliqua vero, quæ vel ad communem causam vel meam peculiarem spectarent, me cum ipso Rege coram acturum. Jam vero non modo salvum conductum atque amplissimam redeundi potestatem ipsius Regis chirographo ac sigillo munitam accepi, cujus exemplar ad Nuntium Sanctitatis Vestræ detuli, verum etiam impense studioseque cohortantur me tum alii complures nobilium, tum imprimis Comes Huntleus, ut in patriam revertar, astituros mihi tum in privatis rebus tum in publica causa pollicentes. Duo sunt quæ a Vestra Sanctitate haberi velim in memoria, alterum, quod a nobis omnibus, quibus illuc proficiscendum erit, commune est, scilicet inopia rei familiaris et expensarum; nam cum in Scotia ex beneficiis nostris nihil sit nobis in initio sperandum, ac hic aut ex liberalitate Vestræ Sanctitatis aut nostris laboribus et industria vivamus, valde erit durum in Scotiam proficisci sine ulla ratione victus, et multo durius hanc occasionem causam Dei procurandi amittere. Et si fortasse ad Sanctitatem Vestram perlatum fuerit, nobis nostra beneficia et Episcopatuum redditus esse restitutos, atque ita in patriam revertentes nostris bonis posse frui et sustentari, eamque ob causam

Vestro auxilio et munificentia non indigere: nos quidem e contra certo affirmamos, nihil tale nobis innotescere, quum nec ex literis Regiis, nec amicorum scriptis, nec aliqua alia ratione quicquam ejusmodi ad nos pervenerit. Imo ab amicis nostris admonemur, nihil penitus tale nobis esse sperandom, nisi prius in Scotiam reversi, et in gratiam Principis et procerum admissi, ibi aliquandiu prius hæreamus, et illic tum pro libertate conscientiæ nostræ, tum pro bonis nostris recuperandis Priocipi humiliter et laboriose supplioes porrigamus libellos. Quo facto bona spe alimur, Principem hac in re quantum poterit nobis fore gratiosum: interim tamen nec labori, nec periculis, nec etiam sumptibus parcendum est, ut aliquid non tam in nostra privata quam in universali Dei et Ecclesiæ suæ causa promoveamus. Quod aliter quam Sanctitatis Vestræ subsidio fieri noo potest. Siquidem pro mea parte libere profiteor, quod si aliunde, etiam mutuo sub meo chirographo mihi de præsenti pecunia providere possem, oeque gravis, neque onerosus aut importunus Sanctitati Vestræ hac in re videri vellem. Quicquid erit, si jubeat Saoctitas Vestra iter suscipere, conabor pro mea virili sincera mente, animoqoe ad omnia pericula pro Christo et Ecclesia subeunda promptissimo, Vestris piis votis et maodatis (quæ uti divina et ab ipso Deo profecta agnosco et amplector) quam citissime parere; etsi non ignarus, ad quam crudelem Ministrorum et Protestantium turbam, ad quam tumultuosum Reipublicæ statum, ad quam levem et seditionibus proclivem, Imperiique constantis impatientem nobilitatem atque populom revertar. Expertus enim sæpissime meo damno ac vitæ periculo loquor. Neque ista quidem omnia, aut magnæ illius fautricis et patronæ adversariorum nostrorum minæ atque insidiæ jam contra meum reditum intentatæ me avertere, aut tardare poterunt, qui non æstimo animam meam seu vitam pretiosiorem quam Dei caosam, pro qoa lubens eam deponam. Quare spero Sanctitatem Vr̃am pro ea, qua est in Deum pietate, et in hanc Religionis causam zelo, huic nostro et aliorum incommodis et necessitatibus prospecturam: ne rei spiritualis et Religionis jacturam faciamus, ob rei temporalis penoriam. Alterum est, quod videtur etiam necessarium, si mihi dignetur elargiri eas facultates spirituales, quæ usui esse possunt ad exequendum meum officium, ad consolationem et auxilium animarum, præsertim eas, aot similes, quas statuit mihi in meo ab Urbe discessu concedere, nec non Pontificalia munia in singulis Regni Scotiæ diocesibus exercere, donec illis de Episcopis legitima authoritate provideatur. Quibus omnibus sic me pro temporis ratione publice, vel saltem privatim usurum spero, ut nec Sanctitatem Vestram liberalitatis aut spiritualis, aot temporalis in me collatæ, aut Principem et populum Scotiæ profectionis meæ unquam pœniteat. Cætera Rm̃us D. Noncius, ad quem quicquid erit aut literarum Sanctitatis Vestræ ad Regem et ad proceres, aot facultatum, aot alterius adjumenti spiritualis aut temporalis, quod mihi committendum judicaverit, mitti cupio, ot in ejus remaneat manibos, donec profectionis commoda dabitur occasio. Ita desino pluribus Sanctitati Vestræ molestus esse, ac Deum Optimum Maximum precor, ut eam nobis et Ecclesiæ suæ Sanctæ gratia, et sanctitate cumulatam diu servet incolumem. Parisiis 18. Februarii 1585.

Sanctissimæ Beatitudinis Vestræ

Humillimus et deṽus servus

JOANNES EPISCOPUS ROSSENSIS SCOTUS.

Alteris quoque litteris Cardinalem Comensem rogavit, ut hoc negotiom apod Pontificem quam commendatissimum habere vellet. (*)

(*) Gallia Vol. 17. fol. 140.

Illm̃e et Rm̃e Domine.

« Scripsi ad Sanctitatem Suam de occasione rei bene gerendæ in Scotia, si Deus eam mentem Regi Scotiæ et aliis quibusdam conservaverit, quam nuoc præ se ferre videntur. Multum denique talem occasionem expetimus, quam modo ultro oblatam spernere noo debemus. Quamvis non ignorem, quam siot exiguæ vires meæ io hoc negotio promovendo, non deerit tamen animus ad ea omnia et amplectenda, et exequenda ad Dei gloriam, quæ io mea sita erunt potestate: sed multo melius et efficacius id fieri posset, si placuerit ejus Sanctitati mihi adesse iis auxiliis, quæ ab ea per literas peto. Qoæ res cum Illm̃æ Dominationi Vestræ ex officio spectet, ut eam promoveat et exequatur, supplex rogo, ut et hujus causæ et mei meminerit, quod Illm̃am Dominationem Vestram facturam scio, pro ea qua est in hac Dei causa charitate et io me studio, cui me sentio devinctissimum. Neque credat Amplitudo Vestra, Episcopatus mei reditus mihi esse restitutos, siquidem sancte et vere coram Deo affirmo et profiteor, nihil tale mihi innotescere; non enim tanta mihi est in animo de rebus terrenis recuperandi cura, quanta de promovenda Dei et religionis Catholicæ caosa anxia solicitudo, et io eum finem magni beneficii et gratiæ loco illud repono, quod me jamdiu proscriptum, decem et septem annis patriæ extorrem, prælatum Catholicæ religionis professorem constantem, (quod genus hominum hoc tempore multum abhorrent nostrates) nunc liceat bona venia et gratia Principis libere in patriam redire, et familiariter apod eum, aliosque nobiles et parentes meos versari: de bonis vero non aliter, quam ut illis inter viros pios et fideles frui possem, agendum esse apud me statui; nec puto operam meam futuram in hoc negotio ioutilem, nam magna pars nobilitatis multum mihi ab-

quando tribuit, et adhuc scio complures eodem in me animo perseverare. Supplebit spero, et superabit, quicquid ego pro Dei causa desiderare valeo, Amplitudinis Vestræ in Deum amor, et in his negotiis studium et sollicitudo. Nolo pluribus Illm̃am Dominationem Vestram interpellare: Deum et Dominum Jesum oro, ut Illm̃am Dominationem V̄ram semper servet incolumem. Parisiis 17. Februarii 1585.

Amplitudinis Vestræ Illm̃æ

Addictissimus servus

Joannes Episcopus Rossensis Scotus.

XXI. — Ingentem quidem Pontifex ex Japoniorum Regum legatione accepit lætitiam: ad quem Franciscus Bungi Rex, Protasius Arimanorum et Bartholomæus Omurenorum suos Oratores miserant, qui triennio in navigatione consumpto, ix. Kal. Aprilis Summo Pontifici procubuerunt. Solemni pompa ad Gregorium deducti sunt, qui eos publico Consistorio in aula regia, Cardinalium, Principum, Antistitumque corona cinctus, humanissime ad solitam pedum osculationem excepit. Allatæ ab eis, oblatæque Pontifici litteræ, ex Japonico sermone in latinum versæ, publice recitatæ fuere. Ad quas Pontificem et multos Cardinales lacrymas lætitiæ continere non potuisse, narrat qui vidit et descripsit Franciscus Mucantius, Cæremoniarum Magister, in suis Diariis; simul et ipsas litteras, et orationem referens Gasparis Consalvi e Societate Jesu pro Japoniis habitam; causas legationis, ac Regum Legatorumque pietatem et constantiam, ipsiusque Pontificis laudes continentem; nec non responsionem Pontificis nomine factam ab Antonio Buccapadulio, qua eis gratulatus est de lumine veritatis accepto, Deumque rogavit, ut et cæteri ad idem pervenirent. Quæ pariter omnia continentur Actis Itinerarii et Legationis confestim in publicum editis. Haud contemnenda sunt, quæ Possinus e Societate Jesu de Japoniorum ad Summum Pontificem legatione in historia Societatis Jesu refert. (*)

XXII. Habeas demum, quæ Mucantius de glorioso hoc eventu narrat. (*)

« Die 22. Martii in sero ingressi sunt Romam per portam Flamminiam quatuor juvenes, seu verius adolescentes nobilissimi ex Japone insula a nobis remotissima, per vastum pelagus, diversaque climata longinqua navigatione triennii spatio jactati, non sine vitæ frequenti discrimine tum ob maris tempestates, tum ob aeris et cæli intemperiem et variationem, diversorumque animalium terrestrium et aquatilium occursum, et aspectum insolitum atque horribilem; tum demum ob difficillimum orarum maritimarum pene incognitarum transgressum, immanitatemque et feritatem indomitarum gentium et populorum adversantium. Hi nempe suasu et ductu venerabilium patrum Societatis Jesu, qui nonnullos ante annos charitatis zelo ad eam Insulam penetrarunt, ac paulatim semina Christianæ Religionis jacientes, multos ejus Insulæ populos, mox etiam Magnates et Reges a falso et impio Idolorum cultu ad veram Dei agnitionem traduxerunt, cupientes Ecclesiæ Sanctæ caput et Christi Dei Vicarium in terris agnoscere et venerari, prævia matura suorum majorum deliberatione et jussu, superatis omnibus difficultatibus et periculis, hucusque tandem, Deo adjutore, pervenerunt. Duo enim ex his a duobus ejus Insulæ Regibus, aliisque Principibus Christi fidem agnoscentibus: alter Don Mantius vocitatus a Don Francisco Rege Bungi ejus patruo, alter Don Michael a Don Protasio Arimorum Rege ejus etiam patruo, et Don Bartholomeo Principe Omuræ ejus proavo seu patruo magno Legati missi sunt, ad reverentiam et obedientiam præstandam Sanctissimo Domino Nostro Christi Dei in terris vicem gerenti, quibus alii duo superadditi sunt in ea legatione socii nobilitate et moribus insignes, videlicet Don Martinus et Don Julianus, qui omnes absque alia pompa ad domum professam eorumdem patrum Societatis Jesu prope palatium S. Marci curribus advecti sunt, ubi erant hospitaturi. Nulla vero familia Papæ aut Cardinalium eis in ingressu obviam missa est, quia per mandatum Sanctissimi Dñi Nostri in diem sequentem ordinata sunt, ut mox dicam.

« Die igitur Sabbathi 23. Martii summo mane supradicti Don Mantius et Don Michael Oratores antedictorum Regum, et Principis Omuræ Japoniorum, et cum eis Don Martinus eorum comes, discedentes a domo prædicta Societatis Jesu, vehiculo ad vineam Julii Papæ III. extra Portam Flaminiam ducti sunt, ubi familias Reverendissimorum DD. Cardinalium ac nobiles cives Romanos, Baronesque eis obviam prodeuntes expectaturi erant. Alter autem eorum comes Don Julianus cum eis accedere nequaquam valuit, importuna febri detentus. Dum ergo eo in suburbario moram traherent, accesserunt illuc omnes fere Reverendissimorum DD. Cardinalium familiæ, quarum unaquæque sese Oratoribus ostendebat, significans eis per Præfectum ad id destinatum a suo Dño gaudium ab eodem susceptum de felici eorum adventu, ac propterea suam familiam misisse ad eorum ingressum honorandum, optareque illis et eorum Regibus omnia prospere et feliciter evenire: alia etiam in eadem sententia pro sua quisque facundia proferens, quæ per interpretes Oratoribus exponebantur, eorumque responsa referebantur apte quidem et prudenter ad rem propositam accommodata. Idem et multi viri nobiles urbani et exteri, ac nonnulli Barones fecerunt, pluribus hinc inde verbis officiose prolatis. Tandem cum esset jam hora equitandi, advenissetque Illustris

(*) Par. V. p. 225 229. Romæ 1616. fol.

(*) Diar Cæremon Vol. XV f 343.

D. Marius Sfortia Locumtenens generalis Ecclesiasticæ militiæ una cum equitibus levis armaturæ, sine tamen lanceis, nec non militibus Helvetiis de custodia Sñi Dñi Nostri Papæ, hastatas bipennes gestantibus, tubicinibus quoque cuncta hilari sono implentibus, equitari cœptum est. Ac primi omnium bini processerunt equites prædicti levis armaturæ; tum parafrenarii Cardinalium etiam bini, insidentes mulis Dominorum suorum rubeis stragulis et phaleris indutis ornatisque, prout indui solent, cum ipsimet Cardinales pontificali ritu equitant; ipsi vero parafrenarii singuli galeros rubeos pontificales suorum Dominorum a collo super humeros pendentes gestabant, ut in similibus Oratorum ingressibus consuetum est; sequebantur hos familiares Cardinalium, Curiales et Nobiles minores terni aut quaterni equitantes, apud hos nonnulli timpanistæ pedestres incedebant timpana pulsantes in plausum et lætitiam. Mox Præfecti militum prædictorum, deinde majores Nobiles seu Barones in equis formosis et pulchre ornatis, gestientibus opportune ac tripudiantibus sedebant. Demum ipse Illustris Marius Sfortia Locumtenens generalis inter primiores Barones equitabat, me ante Oratores violaceis vestibus et caputio induto proxime equitante, uti Ceremoniarum Magistro et designatore. Ipsi antem Oratores equis pulcherrimis et sumptuose ornatis, quos illuc Exmus D. Jacobus Boncompagnus Dux Soræ præmiserat, insidentes prodibant, unus post alterum gradatim, unusquisque eorum medius inter duos Prælatos, sequebantur post eos nonnulli alii Prælati et togati, milites autem Helvetii a lateribus pedestres ibant.

« Habitus Oratorum apud nos inusitatus, neque antehac unquam in Urbe visus, omnibus et jucunditatem et admirationem novitate sua præbuit. Induebat enim unusquisque eorum superne clamidem strictam, et manicatam ad umbilicum protentam, inde usque ad pedes femoralia seu caligas amplas et latas, a superiori parte rugosas, umbilicotenus accinctas constrictasque, similes fere illis, quibus nautæ utuntur, quas auctores aliqui fellicantes, alii bracas laxas appellant, attamen longiores latioresque, subtus vero caligas calceosque more nostro habebant, hujusmodi eorum vestimenta, vel ex bombicinis vel ex hossipinis tenuissimis filiis contexta, erant autem forte ex utrisque polymiti opere, miro artificio, diversisque coloribus laborata, picturata, variagataque aviculis, flosculis, virentibusque ramis subtilissime ad vivum expressis, auro etiam elaborato, elegantique opere intermixto, ejusmodi artificium nostratium nemo effingere valeret, nullum tamen desuper pallium gestabant. Habebat præterea unusquisque eorum gladium curvum, secundum priscorum formam, qualibus etiam hodie orientales populi fere omnes utuntur, lateri una cum mucrone accinctum. In capite vero gestabant pileos siriceos pulchre ornatos, nostratium more. Hoc ordine equitatum est a prædio antedicto Julii Papæ III. usque ad Portam Flaminiam, aliter Populeam, vocitatam. Ibi Pontificiæ familiæ Præfectus una cum Prælatis Papæ assistentibus, eorum latis croceis ac caputiis et galeris superindutis, ac in mulis Pontificali ritu ornatis insidentibus, prout in solemnioribus pompis equitare solent, Cubiculariis quoque et Scutiferis Suæ Sanctitatis vestibus rubeis indutis adhærentibus ad honorandum ingressum Oratorum, a Pontifice missus constiterat paulo extra Portam. Statim autem ac Oratores illuc pervenere, Præfectus obviam illi factus cum Prælatis prædictis et reliqua Papæ familia, congratulatus est illis de prospero eorum adventu, ostenditque eisdem cohortem Pontificiam secum adductam ad eos honorandum, cui per Oratores apte responsum fuit, gratias ingentes Summo Pontifici habentes ob tantam illius erga ipsos et suos Reges ac Principes benignitatem, quæ hinc inde per interpretem, qui ex Soc. Jesu erat, exponebantur. Acceperunt deinde Præfectus et Prælati Pontificis assistentes ipsos Oratores inter se, primum videlicet Don Mantium medium inter ipsum Præfectum a dextris et Archiepiscopum Cypri primum assistentem a sinistris; secundum, id est Don Michaelem inter Archiepiscopum Cusentinum a dextris et Archiepiscopum Mediolanensem a sinistris; tertium, idest Don Martinum inter Episcopum Vicentinum a dextris et Episcopum Tudertinum a sinistris, sequentibus post se aliis Prælatis et Cubiculariis Papæ, vestibus rubeis et caputiis indutis, Scutiferi vero Papæ præibant, equitantes ante Barones eisdem vestibus rubeis, sed sine caputiis induti, et proxime ante ipsos tubicines. Tympanistæ vero præcurrerunt longius ante Nobiles minores et familiares Cardinalium, ne importuno tympanorum sonitu aures Prælatorum et Oratorum offenderent, et eorum sermones impedirent. In reliquis idem ordo equitandi servatus est, quem superius descripsimus, quo ordine prosecuti sunt iter ad Palatium Apostolicum apud Ecclesiam Sancti Petri. Primo post Urbis ingressum dirigentes illud per viam rectam ante Ecclesias Sancti Hieronymi et S. Rocchi ad sinistram Tyberis ripam usque ad angulum proximum Ecclesiæ Sancti Augustini, ubi versum fuit iter ad dexteram transeundo ante prædictam Ecclesiam Sancti Augustini, inde recta per viam Turris Sanguineæ usque ad viam quæ dicitur Banchorum, ubi Campsores et Trapezitæ munus suum exercent, tum vertentes ad dextrum latus transierunt Tyberim per Pontem Adriani, nunc Sancti Angeli nuncupatum, quo transacto, moles Adriani, quæ nunc arx Sancti Angeli dicitur,

magno et insolito bombardarum fragore intonuit in signum lætitiæ et honoris; demum per viam Burgi Novi pervenerunt ad Palatium Apostolicum, quod dum ingrederentur, Helvetii milites in platea Sancti Petri versus mœnia Burgi multas et ipsi bombardas exoneraverunt pro lætitia. Post ingressum Palatii Oratores et Prælati descenderunt ex equis in primo atrio magno, depositis croceis sumptisque cappis deduxerunt Oratores per scalas, quibus ad Aulas Innocentii Papæ VIII. ascenditur usque ad Cameras Aulæ Consistorii propinquas, quas tunc inhabitabat Rm̃us D. Cardinalis Sabellus, ibique eos reliquere tantisper, dum in Consistorium vocarentur. Interim vero modicum cœnaculum ex rebus saccharo conditis, potionemque ad illos recreandum oblatam sumpserunt. Prælati autem qui illuc eos adduxerunt, secesserunt in Aulam Consistorii ad assistendum Pontifici, qui simul ac audivit Oratores Palatium introivisse, descendit ad Aulam lecti paramentorum, ubi coadunati erant Rm̃i DD. Cardinales, ibique indutus fuit consuetis paramentis coloris rubri ac mitra pretiosa a duobus Cardinalibus Diaconis assistentibus, nempe Medice et Vastavillano, deinde præcedente cruce et Cardinalibus, in sede gestatoria delatus fuit ad Aulam Consistorii publici, quæ Regia vocatur, eo quia Reges tantum, illorumque Oratores in ea recipiuntur. Ibi postquam ascendit ad solium et in Sede Pontificia compositus est, Cardinales omnes præstiterunt ei de more reverentiam, qua præstita, sedentibus omnibus, Flaminius Platus Advocatus Consistorialis causam proposuit coram Pontifice. Cumque paululum orando progressus esset, nutu significavi sex digioribus Prælatis assistentibus, et in gradibus solii considentibus, ut surgentes ad deducendum Oratores ad Consistorium procederent, qui factis Papæ debitis reverentiis, me præcedente una cum quatuor clavigerulis claves argenteas deferentibus, qui servientes armorum seu vulgari appellatione Mazzerii vocantur, venerunt ad Oratores, quos, factis mutuis consalutationibus, inter se medios acceperunt hoc ordine. Primus fuit medius inter Archiepiscopum Cypri a dextris et Archiepiscopum Beneventanum a sinistris; secundus fuit medius inter Archiepiscopum Cusentinum a dextris et Archiepiscopum Mediolanensem a sinistris; tertius Legationis comes fuit medius inter Episcopum Sibicinensem a dextris et Episcopum Pataviuum a sinistris, quo ordine, præcedentibus iisdem Mazzeriis, redivimus ad Aulam Consistorii, et ingressi intra septa Cardinalium, sedente tunc Advocato et a latere se retrahente, in ipso aditu fecerunt primam reverentiam Papæ, genua usque ad terram flectentes, quod et ipsi Prælati ductores faciebant, nobis præmonstrantibus; dum autem facerent reverentias, Prælati hinc inde a lateribus successerunt, Oratores vero in medio eorum erant in eadem linea, non autem unus post alium, prout antequam ingrederentur septa fecerant, quod factum fuit, ut eodem tempore omnes simul reverentias facerent Pontifici, et Pontifex omnes simul videret. Secundam reverentiam eodem ordine fecerunt in medio septorum, tertiam ante gradus solii, adhærebatque semper illis parum retro Præsbyter ille Societatis Jesu eorum interpres. Factis his tribus reverentiis, Prælati ductores ad loca sua redierunt, Oratores autem unus post alium ordine ascenderunt gradus solii, et osculati fuerunt primo pedem, inde manum Suæ Sanctitatis, et ab ea sublevati ad osculum oris, quibus peractis, et adhuc omnibus genuflexis ante Pontificem, primus eorum Don Mantius præsentavit Sanctitati Suæ litteras Regis Bungi prius a se deosculatas, quas Sanctitas Sua accepit, et tradidit Antonio Buccapadulio ejus Secretario, alter Orator Don Michael præbuit Sanctitati Suæ binas litteras, alteras Protasii Regis Arimæ, alteras Bartolomei Principis Omuræ, eodem modo a se deosculatas, quas simili modo Sanctitas Sua dedit suo Secretario, mox iidem Oratores paucis verbis eorum mandata exposuerunt eorum lingua, quæ interpres declaravit. His peractis, Oratores descenderunt ad gradus solii, ibique iterum genuflexi exhibuerunt Sanctitati Suæ reverentiam, mox per medium consessus Rm̃orum Cardinalium transeuntes, illos hinc inde capitis flexione salutabant, quibus et ibi Cardinales modicum assurgentes capite detecto respondebant. Tandem exeuntes aditum quadraturæ sedilium sacri Senatus ascenderunt in præparatum suggestum, parum a solo elevatum, adhærentemque sedili Præsbyterorum Cardinalium in ea parte, quæ convertitur ac respicit directo ad Pontificem. Ibi cum eis ascendit Gaspar Consalvus Lusitanus Præsbyter ejusdem Societatis Jesu, qui pro eis orationem habiturus erat, stans apud eos in ultimo loco, idest versus finem scamni Præsbyterorum Cardinalium, qui locus semper oraturo convenit. Interim expleta propositione causæ per Advocatum, Buccapadulius Secretarius Sm̃i Domini Nostri legit litteras per Oratores Sanctitati Suæ traditas, sermone italico interpretatas, quibus lectis admonui tacite prædictum Gasparem Consalvum, apud quem manebam, ut suum sermonem incohoaret, prout incipit magna cum omnium attentione, et fuit ab omnibus summe laudatus, quod apte, distincte, ornateque dixerit, quodque accurato et exquisito dicendi genere gestum et vocis sonum æquabilem adjunxerit. Illud testari vere possum, multos ex Rm̃is Cardinalibus præ gaudio lacrymas fudisse, dum ille profluenti oratione inauditam pietatem Regum et Principum Japoniorum, sese ab ex-

tremis orbis terrarum partibus ob Christi fidem Romano Pontifici subjicientium, eique obedientiam et reverentiam præstantium recenseret, nec ipsum Pontificem siccis oculis fuisse, quos pluries hoc mane panniculo abstersit. Finita oratione Buccapadulius respondet nomine Pontificis eleganter et apte, cujus responsum, quia una cum oratione prædicta, ac litteris Regum et Principis latine interpretatis impressa sunt, quorum omnium exemplum his nostris scriptis anneximus, non est cur hic superflue referamus. Procurator Fiscalis, ut consuetum est, rogavit Prothonotarios omnes ibidem præsentes, ut de hujusmodi actu obedientiæ testes essent, ac conficerent publica documenta ad perpetuam rei memoriam. Interim vocavimus nonnullos Cardinales, et in specie Nepotes S. S., ut honoris gratia apud Pontificem assisterent, dum Oratores prædicti redirent ad pedis osculum, quasi gratias agentes pro admissione hujusmodi obedientiæ et Legationis, qui libentissime venerunt, disponentes se ad latera Pontificis hinc inde apud solium, tunc Oratores, me præmonente, redierunt ad Pontificem una cum eo qui orationem habuit, et alio interprete, factis debitis reverentiis, et osculati sunt pedem tantum Pontificis, et statim surgentes supplicarunt S. S. per interpretem, ut liceret nonnullis, qui secum venerant, pedem Sanctitatis Suæ deosculari, quod Papa concessit, prout etiam aliis Oratoribus ad obedientiam Sm̃o Dñ̃o Nr̃o Papæ nomine suorum Principum præstandam venientibus, concedi solet. Quibus peractis impositus est finis Consistorio, et Pontifex in sede delatus rediit ad Aulam lecti paramentorum eodem ordine, quo venerat, quo descendente de sede, duo Oratores prædicti sublevarunt caudam pluvialis Suæ Sanctitatis, dum vero procedebat in sede, ipsi Oratores Japonii incedebant ante duos Diaconos Cardinales assistentes, et ante Gubernatorem urbis, et Papa exuto etiam paramentis, sublevarunt posteriores partes vestis anterioris, quam faldam vocant, usque ad parvum cubiculum, ubi eam deponit, ubi eis manu benedixit rediens ad superiores aulas. Ipsi vero Oratores jussu Papæ fuerunt a Rm̃o D. Cardinali S. Sixti, Suæ Sanctitatis nepote, lauto convivio accepti. De nobilitate horum omnium et sociorum eorum, de itinere et laboribus eorum transactis a Japone usque in Italiam, de honoribus eis habitis per diversas Provincias et Civitates insignes, de eorum moribus et institutis, de ipsa Insula et ejus partibus, quam dicunt divisam in sexaginta Regna, de dissidiis et bellis intestinis inter se, de eorum denique initio et profectu in fide et Religione Christiana, aliisque rebus, quia parum spectant ad institutum meum, superfluum duxi aliquid enarrare, et scriptis committere, cum præsertim abunde et ad saturitatem ea explicentur epistolis et scriptis quæ impressa sunt, et indies imprimuntur, diversorum Patrum dictæ Societatis Jesu, qui in ea insula morantur, populosque in fide Christi erudiunt, nullis laboribus aut periculis parcentes, ut universam insulam, Deo adjuvante, a cæcitate ad veritatis lumen convertant. Quod Deus ipse trinus et unus ad nominis sui gloriam permittere dignetur. Amen.

« Habitus prædictorum Oratorum, quem supra descripsimus, ajunt apud eos in usu esse, cum Legati ad aliquem Principem mittuntur. Nunc vero, ut pollicitus fui, subnectam exemplum epistolarum et orationis habitæ in Consistorio cum responsione nomine Pontificis, prout sequitur.

« Acta Consistorii publici exhibiti a Sanctissimo Dño Nostro Gregorio Papa XIII. Legatis Japoniis die 23. Martii MDLXXXV.

« Sedente Gregorio XIII. Pontifice Maximo in Aula Regibus admittendis, eorumque legationibus destinata, die 23. Martii 1585. matutinis horis in amplissimo S.R.E. Cardinalium consessu, et magna Principum Antistitumque frequentia, summo omnium Ordinum studio, et celeberrimo comitatu introducti Regum Japoniorum legati duo Mantius et Michael, (qui idem Principis Omuræ) et e legationis ejusdem comitibus Japoniis, præcipuæ nobilitatis, item duobus, alter Martinus nomine (nam alter Julianus gravi morbo implicitus tenebatur) post solemnem Summi Pontificis adorationem et beatorum pedum oscula, ab eodem eximia cum significatione benevolentiæ et charitatis accepti, in locum a designatore præstitutum magna cum modestia secesserunt. Post hæc allatæ ab iis Regum litteræ publice recitantur ex Japonico in Italicum sermonem, atque in latinum deinde conversæ in hæc verba.

« Regum Japoniorum ad Gregorium XIII. Pontificem Maximum litterarum exempla ex Japonico in latinum sermonem conversa.

Francisci Regis Bungi.

« Summi Dei auxilio suppliciter implorato, magna cum humilitate ad Sanctitatem Vestram scribere aggredior. Dominus Rector cœli et terræ, cujus imperium super solem et lunam et stellas, ignoranti mihi et in profundis immerso tenebris, claritatis suæ lumen jussit splendescere, ac nostratibus præcipue populis reserans arcam suæ misericordiæ atque gemmarum, dignatus est ante annos amplius quatuor et triginta destinare in hæc Japoniæ Regna Patres e Societate Jesu, quorum e salutari ac divina semente nonnihil in meum quoque Dei benignitate cecidit pectus, quod tam insigne beneficium aliaque multa, o Sanctissime totius Christiani populi Parens, vestræ potissimum precationi meritisque accepta equidem refero; ac proinde

nisi me bella, senium et affecta valetudo impedirent, conferrem ipse me ad visenda ac veneranda sacratissima isthæc loca; ac simul obedientiam exhibens, pedes Vtæ Sanctitatis post pia ipsorum oscula capiti meo superimponerem, et sanctissima vestra manu pectus meum signo crucis muniendum curarem. Sed quoniam iis, quas dixi, causis impedior, sororis meæ filium D. Hieronymum Regis Fiungæ filium cogitabam legare pro me; verum quando is in præsenti longe abest, et P. Visitatoris instat profectio, Don Mantium ejus consobrinum eodem nomine mittere visum est. A V. S. magni beneficii accipiam loco, si pro ea, qua fungitur in terris, Dei vice, meque et Christianum hunc gregem, uti facit, fovere atque adjuvare perrexerit. Reliquiarum thecam per eumdem P. Visitatorem a Sanctitate Vta mihi dono transmissam accepi libens, ac meo vertici venerabundus imposui, atque ob id Vestræ Sanctitati gratias ago habeoque tantas, ut explicandis iis nullæ neque linguæ neque ora sufficiant. Non ero longior, quippe tum de Regni hujusce rebus, tum de me ipso coram ex P. Visitatore, et ex D. Mantio plura cognoscet Sanctitas Vestra, quam ego vere et ex animo adorans multo cum timore ac tremore, hasce litteras exaravi decima die Januarii anno post Domini adventum 1582.

Inscriptio.

« Adorando et cœli Regis locum in terris obtinenti magno et Sanctissimo Papæ.

Subscriptio.

« Sanctissimis pedibus Beatitudinis Vtæ substratus

FRANCISCUS BUNGI REX.

Protasii Regis Arimanorum.

« Cum Dei gratia demisse et humiliter hasce litteras offerro Sanctitati Vtæ. Ante hoc biennium, qui fuit annus ab adventu Domini 1580, per quadragesimam, quibus maxime diebus preciosa Passio Domini Nostri Jesu Christi recolitur, in magnis belli tumultibus, magna mearum rerum familiæque meæ perturbatione, denique in profundo gentilium tenebrarum jacenti mihi, dignatus est Pater misericordiarum lucem veritatis et rectum ad salutem iter ostendere per Venerabilem Visitatorem, aliosque verbi Dei prædicatores e Societate Jesu, qui enixe me adjuverunt, perque Baptismi sacramentum super me meosque divinæ gratiæ rorem e cœlo devocarunt. Pro quo tali ac tanto beneficio mire lætus infinitas Regi cœlorum ago gratias. Cumque Sanctitas Vestra Christianum gregem universum moderetur et pascat, valde mihi fuit optatum istuc venire, coramque humi stratus, magna cum summissione exhibere illi obedientiam, et post pedum oscula beatorum cosmet meo capiti superimponerem, sed quoniam rebus variis impedito, id mihi non licet, mitto cum eodem P. Visitatore parvulum meum Don Michaelem, ut pro me hoc munere pietatis officiique fungatur. Ex eo ipso mea vota et alia cognoscet Vestra Sanctitas, ac proinde non ero fusior, quam ego ex animo sincero et humili venerabundus adoro. Die sexta Januarii anno post Domini adventum 1582.

Inscriptio.

« Reddatur epistola magno illi et Sancto Domino, quem adoro, Dei vices gerenti.

Subscriptio.

« Sanctitatis Vestræ subnectitur calceis

D. PROTASIUS.

Barptolemæi Principis Omuranorum.

« Vereor ne crimen audaciæ subeam, attamen cum Regis cœlorum gratia rudem hanc epistolam offerro Sanctitati Vestræ, quæ cum in terris locum obtineat Dei, ac simul ex ipsius doctrina et magisterio Christianus populus pendeat universus, æquum sane fuerat, memet maria transmittere, ipsumque ad S. V. invisendam venire, sacrosque ejus pedes post pia illorum oscula super meum caput imponere. Sed quominus hoc fungar officio, multæ me hoc tempore prohibent causæ. Nuper ad hæc tam remota loca lustranda P. Visitator e Societate Jesu contendit, multisque rebus pie ac laudabiliter institutis jam nunc redit in patriam, qua ego tam præclara occasione invitatus, deesse nolui, quin fratris mei filium D. Michaelem cum eo mitterem istuc, qui licet muneri tanto sit impar, tamen gratissimum fuerit mihi, si eum Vestra Sanctitas ad beatorum pedum oscula admiserit. Interea Vestram Sanctitatem supplex oro, obtestorque, ut mei memoriam conservare, meque et Japonios hosce Christianos fovere dignetur. Id unum in votis est mihi. Reliqua ex P. Visitatore et ipso Don Michaele coram cognoscet Sanctitas Vestra, quam ex animo adorans cum timore, scripsi die 27. Januarii anno post Domini adventum 1582.

Inscriptio.

« Sublatis manibus adorans offerro hæc Sūo Domino Papæ Magni Dei vices gerenti.

Subscriptio.

« Ego D. Barptolemæus sanctis ejus pedibus humi substratus.

XXIII. — Sed (proh dolor) hanc omnium communem lætitiam inopinatus luctus occupavit. Namque Gregorius PP. XIII. eodem anno feria IV. die 10. Aprilis, hora ferme XIX. Romæ in palatio Vaticano, anno ætatis LXXXIV. et Pontificatus XII. mense X. die XXVIII. e vita migravit; Pontifex profecto ob multas egregiasque virtutes immortalitate dignissimus, communis omnium gentium pater, inopum et calamitosorum perfugium, conservandæ, restituendæque, et amplificandæ religionis studio Pontificibus Sanctis-

simis adæquandus. Hæc illi prima, hæc summa curarum erat.

Multa tum in morte, tum in exequiis tanto Pontifici peractis acciderunt, digna sane, quæ memoriæ posterum tradantur. Audiamus Mucantium. [*]

[*] Diarior. Cæremon Vol. XV. f. 391.

« Die 8. Aprilis, feria 2. fuit Consistorium in palatio Apostolico in loco consueto, cum esset adhuc Pontifex valde gravatus, sed et Signaturam pro crastina die intimari fecerat, quam tamen revocavit persuasus a suis, ita ut omnes mirarentur animum ejus indefessum in laboribus et muniis ad eum spectantibus obeundis, ut nec morbi gravedine ac periculo ab his retrahi posset, nemo tamen adhuc, imo nec ipsemet Pontifex suspicabatur imminere periculum vitæ.

« Die tamen decima Aprilis, feria 4. quamquam die præcedenti in sero gravedo cum magis magisque offenderet, ac supervenisset ei aliquantulum febris, et tota nocte anxius fuisset, illucescente die, vix detineri potuit, quin e lectulo surgeret, non cognoscens adhuc se morti proximum. Demum circa horam 19. obstruente faucis pituita et vocem simul et loquelam amisit, ac spiritum Deo Creatori suo reddidit quasi ex improviso, ita ut viaticum ei dari non potuerit, et vix a R. D. Sacrista recepit extremam unctionem, quamvis credendum sit cum apud Dominum misericordiam invenisse, cum semper esset præparatus corde et animo erga Deum, et Dominica præterita, quæ fuit biduo ante, sacram Eucharistiam sumpsisset ipsemet, celebrans missam devote, et paulo antequam expiraret admonitus de instanti periculo mortis, signavit se ipsum signo Crucis exprimens verba, ut melius potuit, significantia et attestantia se in fide Catholica S. R. E. mori. Non potuit tamen, prout libenter fecisset, convocare ad se ante ejus obitum Rmos Cardinales, prout consuetum est, et coram eis iterum Catholicam fidem profiteri, et alia agere cum illis, quæ in Ceremoniali libro sub titulo de ægrotatione, morte et exequiis Romani Pontificis memorantur.

« Deploranda certe tanti Pontificis immatura mors, quæ licet quoad ætatem satis matura quibusdam videri potuerit, cum jam annum octuagesimum quartum complevisset, immatura tamen fuit, ob totius populi et fidelium Christianorum jacturam, quippe qui ob pietatem, liberalitatem, prudentiam, sagacitatem, cæterasque heroycas et innumerabiles ejus virtutes, diu adhuc Reipublicæ Christianæ erat necessarius. Sed voluit omnipotens et misericors ac justus Dominus nos simul ob nostra peccata et demerita cum ejus morte punire, et eidem mercedem laborum reddere, ut qui in terris Pastor bonus in populo fuit, quique in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus, in cœlo quoque amplam fidelitatis laborumque suorum mercedem consequeretur, ubi felix ac vere beatus in æternum vivet. Erit quoque in terris ejusdem memoria sempiterna ob plurima ejus insignia gesta, et actiones memoratu dignas, quarum aliquas hic summatim, quasi ejus Pontificatus epilogum, ob tanti Pontificis memoriam in extrema hujus nostri voluminis parte, quæ cum morte et exequiis ejusdem Pontificis terminatur, inserere placuit, cæteris, qui totius ejus vitæ actiones et gesta per extensum narrabunt, hæc et alia fere innumerabilia latius describendi curam relinquentes.

« Fuit corpus ejus statim efflata anima lotum et mundatum, deinde indutum habitu suo quotidiano, videlicet usque ad subtanam inclusive cum bireto ex villuto rubro in capite, et positum super quadam mensa toballa munda usque ad terram cooperta in cameris secretis ab ejus domesticis, cum nemo nostrum illuc in tempore accedere potuisset, et eos præmonere quid agendum esset; quinimo ea hora equum ascenderam iturus ad vineam meam, cum in via nonnulli amici occurrerent dicentes, nunquid nescis de morte Pontificis, de qua tota Urbe omnes clamant? quod vix credere potueram, prout nemo fere ex popularibus id credere poterat, cum de ejus infirmitate nihil auditum esset, verti tamen iter statim ad Palatium, ascendique ad cameras, ubi jacebat, ut prædixi, turbatusque improviso aspectu non potui a lacrymis abstinere, amisso Pontifice tanti nominis et bonitatis, a quo etiam meis necessitatibus subventum iri sperabam, prout eum sæpius erga me benignum et bene animatum expertus eram, cui etiam fel. mem. qualis quantusque sum me ipsum debeo, et perpetuo debebo. Tetigi ejus pectus quod adhuc erat tepens, domestici autem ejus circumstantes oculis madidis et lacrymantibus singulos illuc adventantes ad commiserationem commovebant, quamquam pauci admodum illuc introibant, nisi essent ex domesticis. Deus misereatur sui, et animam suam recipiat in lumine viventium. Amen.

« Antequam illinc discederem, admonui domesticos suos, quomodo eum induere deberent sacris paramentis omnibus, prout parari solebat quando solemniter missam erat celebraturus, coloris rubei, prout in sero ejus diei factum fuit, exentrato prius ejus cadavere, eoque balsamo et aromatibus condito. Parato igitur ejus corpore singulis paramentis Pontificalibus etiam cum phanone et pallio, impositaque capiti ejus mitra aurea, fuit per scalam secretam delatum per Pœnitentiarios in sacristiam Cappellæ Palatinæ, et inde in Cappellam ipsam, ubi tota nocte mansit super feretro portatili, assistentibus continuo duobus Pœnitentiariis cum coetis et stolis nigris, qui alternatim per vices mutabantur, subintrantibus aliis duobus, qui indesinenter psalmos ac preces mortuorum recitabant, et adven-

tante die fuerunt superadditi alii quatuor Pœnitentiarii, qui eodem modo assisterent et orarent.

« Eadem die statim divulgata Pontificis morte, R. D. Alexander Episcopus Ostiensis S. R. E. Cardinalis Farnesius, Sacri Collegii Decanus, convocari fecit omnes Rmos DD. Cardinales in Palatium, qui congregarunt se in aula, ubi Papa solet capere paramenta, et ubi ordinarie fit Consistorium, et fuerunt numero viginti novem, induti rochetto discooperto et mozzetta, licet debuissent esse cum cappis violaceis, prout fuerunt in sequentibus Congregationibus. Lectæ fuerunt in primis et juratæ litteræ Pii Papæ IV. super Conclave; tum per fabas nigras et albas cum bussola fuit deputatus Capitaneus Generalis in Urbe, et tota ditione Ecclesiastica Illmus et Excmus D. Jacobus Boncompagnus Dux Soræ, cui commissum fuit, ut haberet delectum duorum millium militum pro custodia Urbis, et Illmus D. Marius Sfortia fuit deputatus ejus litteris; confirmatus fuit Urbis Gubernator R. P. D. Franciscus Sangiorgius, et electus Burgi Gubernator R. P. D. Laurentius Ghislerius. Fracta fuerunt signa Bullarum et annulus Piscatoris, et alia duo signa cum armis Pontificis defuncti, quæ omnia habuit Rmus D. Cardinalis Camerarius, excepto annulo Piscatoris, qui nobis sic fractus remansit juxta consuetum. Ordinatum etiam fuit, ut pro die seqoenti congregarentur Rmi DD. Cardinales in eodem loco, hora 13.

« Die sequenti, hoc est feria 5, decima prima ejusdem mensis Aprilis fuit Congregatio Reverendissimorum Dominorum Cardinalium in Palatio Apostolico in eadem aula, in qua vivente Pontifice Consistorium secretum celebrari solet. Interfuerunt Cardinales numero viginti novem, qui statuerunt efferenda esse ex arce S. Angeli scutata 20000. pro expensis necessariis Conclavis et stypendiis militum. Intromissus fuit Excellentissimus Dux Soræ Capitaneus Generalis, qui genuflexus ante Rmum Decanum præstitit in ejus manibus juramentum fidelitatis juxta formam solitam, quam legit ex nostro libro juramentorum; simili modo post eum pariter ex nostro libro juravit R. P. D. Laurentius Ghislerius Burgi Gubernator. Post eos intromissi fuerunt Conservatores Urbis, et secum nonnulli viri nobiles deputati a Populo Romano, qui nomine totius Populi obtulerunt se ipsos, et omne eorum posse in favorem et auxilium sacri Collegii et Sedis Apostolicæ servitium, petieruntque sibi cohortem assignari, quibus Rmus P. D. Decanus aperte respondit, acceptam ferens eorum bonam voluntatem erga sacrum Collegium et Sedem Apostolicam, et nomine omnium promittens nihil ab eis prætermissum iri ex his quæ necessaria judicarentur pro quiete, bono regimine, et Urbis tutela. In eadem Congregatione de mandato et ordine Rmorum DD. Cardinalium ego alta voce legi literas felicis recordationis Julii Papæ II. cum §. Cæterum, quas omnes Rmi DD. Cardinales præsentes tacto pectore observare jurarunt. Et demum resolutum fuit, ut die sequenti inchoarentur exequiæ in S. Petro in loco solito, ubi est sepulchrum Sixti Papæ IV. pro anima Smi et felicis memoriæ Gregorii Papæ XIII., et Rmus Dnus Cardinalis Gambara Episcopus Prænestinus primam Missam exequiarum cantaret.

« Finita Congregatione, Rmus D. Cardinalis S. Sixti prædefuncti Pontificis nepos una cum aliis Cardinalibus ab eodem Pontifice creatis, qui fuerunt x. vel xi. omnes induti cappis violaceis laneis ob luctum Pontificis, venit ad Cappellam Palatii, ubi erat corpus ejusdem Pontificis in feretro sacris Pontificalibus indumentis paratum, ut supra dixi. Interim vocati venerunt Canonici, Beneficiati et Clerici cum toto Capitulo Basilicæ S. Petri, et corpus prædictum ad Basilicam prædictam detulerunt, portantibus feretrum Canonicis ejusdem Basilicæ. Præibat Crux Capitularis, tum Clerici Beneficiati et Canonici singuli funale unum accensum manu deferentes, ante quod Clavigeri seu Mazzerii Papæ hinc inde a lateribus cum eorum clavibus argenteis procedebant, clavas ipsas seu mazzeas non erectas more solito supra spatulas, sed conversas gestantes. Post feretrum sequebamur nos Magistri Ceremoniarum, et post nos prædicti Rmi Cardinales bini, a lateribus hinc inde milites Helvetii hastati. Hoc ordine fuit delatum corpus ad Basilicam S. Petri, et collocatum in medio Ecclesiæ ante altare Smi Sacramenti cum capite versus altare, et pedibus versus portam Ecclesiæ. Tunc R. P. D. Bartholomeus Ferrantinus Episcopus Amerinus, et ejusdem Basilicæ Canonicus pluviali nigro et mitra simplici indutus, stantibus ibi ex altera parte prædictis Cardinalibus, fecit circa feretrum solitam absolutionem, post responsorium a cantoribus cantatum, quibus expletis corpus fuit ab eisdem Canonicis delatum in sacellum Gregorianum, associatum usque ibi a prædictis Cardinalibus, qui postea rediernut unusquisque ad propria.

« Die 12. ejusdem, feria 6. Rmus D. Cardinalis Gambara Episcopus Prænestinus celebravit primam Missam exequiarum pro anima felicis recordationis Gregorii Papæ XIII. in sacello Canonicorum Basilicæ S. Petri, ubi est sepulchrum æneum Sixti Papæ IV. quod pallio amplo ex tela aurea villutu nigro circumdato, olim pro felicis recordationis Pio Papæ V. facto, coopertum fuit. Nec fuerunt hinc inde a dextris et sinistris sepulchri posita scamna perforata cum funalibus accensis, prout ordinaveram, quia non fuerant reperta in tempore, nec postea potuerunt afferri ob mixtam populi confusionem, qui totum sacellum adeo impleverat, ut nec pro

omnibus Prælatis locus remaneret, nec Ministri libere per sacellum ire potuerint.... Interfuerunt in hac Missa exequiali Cardinales numero viginti octo, omnes cum cappis violaceis ex camelotto, exceptis Cardinalibus creatis a Pontifice defuncto, qui habuerunt cappas ex lana seu sajetta violacea ob luctum Pontificis. Finita Missa, Cardinalis celebrans deposita planeta et accepto pluviali nigro, absolvit more solito aspergens et thurificans super pallium prædictum, positum super prædictum sepulchrum Sixti Papæ IV. sine intorticiis hinc inde in scamnis perforatis, quæ tamen fuerunt posita extra sacellum ante cancellos. Hæc autem absolutio fuit hoc modo facta a solo Cardinali celebrante, quia nondum erat fabricatum castrum doloris in medio Ecclesiæ ob temporis brevitatem.

« Finita Missa et absolutione, omnes Cardinales cum eisdem cappis violaceis, prout fuerant in Missa, congregaverunt se in sacristia ejusdem Basilicæ, ubi scamna pro eis in forma circulari disposita fuerunt, a qua exclusis omnibus, Secretario, Computista et Clerico sacri Collegii ac nobis Magistris Ceremoniarum tantum exceptis, Rm̃i DD. Cardinales cœperunt tractare de rebus necessariis et opportunis. Unus autem nostrum curam portæ semper habebat, aperiendo et claudendo quando opus erat. Intromissi fuerint primo Gubernatores Burgi et Urbis, qui cum Sacro Senatu de diversis provisionibus et rebus ad Urbem gubernandam faciendis et providendis locuti sunt. Inter alia resolutum fuit, ut nullus omnino bannitus receptaretur, seu toleraretur in Urbe, et singuli Rm̃i DD. Cardinales particulariter promiserunt, se non permissures in domibus eorum aliquem ex prædictis bannitis recipi, nec passuros ut ab aliis receptarentur. Auditus deinde fuit Eccm̃us Dux Soræ Capitaneus Generalis, qui locutus fuit de rebus ad officium et curam sibi commissam pertinentibus. Mox intromissi fuerunt Orator Regis Catholici primo, deinde Paulus Jordanus Dux Bracciani, qui omnes in ingressu genuflectebant in apertura bancorum Cardinalium, tum surgentes loquebantur. Rm̃us vero Cardinalis Decanus nomine totius Collegii omnibus respondebat. Primum propositum et diu tractatum fuit, quid agendum esset circa exequias in Dominica Palmarum et in cæteris solemnitatibus hebdomadæ sanctæ, quæ imminebat, an scilicet solemnitates ipsæ celebrandæ essent cum interventu sacri Collegii, prout solent celebrari vivente Pontifice, vel potius omittendæ, continuando singulis diebus, non obstante quacunque solemnitate, exequias novendiales Pontificis defuncti? vel tertio omittendo tam ipsas solemnitates, quam etiam exequias. Et licet Patres inter se non essent admodum circa rem propositam concordes, et varia et diversa sentirent, quæ longum esset hic referre, demum post longam discussionem resolutum fuit, quod Dominica proxima futura, quæ erit Dominica Palmarum, et tribus diebus ante Pascha, hoc est feria 5. in Cœna Domini, feria 6. in Parasceve, et Sabbato Sancto exequiæ pro anima fel. rec. Gregorii XIII. non celebrarentur, nec etiam in Cappella celebrarentur Missæ et officia solita celebrari tam Dominica Palmarum, quam aliis statis diebus vivente Pontifice cum interventu sacri Collegii. Hoc autem sic decretum et resolutum fuit, tum quia nullum exemplum repertum est, quod Sede vacante ante ingressum Conclavis celebrata sit aliqua Cappella ordinaria cum interventu sacri Collegii, tum etiam quia in litteris fel. rec. Pii Papæ IV. super reformatione Conclavis expresse dicitur, quod occurrente aliquo magno festo solito solemniter celebrari, exequiæ illa die omittantur, et impensa quæ pro eis exequiis facienda esset, inter pauperes Christi distribuatur, nec ibi dicitur, quod eo tempore solemnitas festi celebretur cum interventu Cardinalium, et ideo summa ratione Rm̃i DD. Cardinales decreverunt nec exequias nec solemnitates festorum esse celebrandas, cum non videatur convenire, ut infra tempus luctuosum et exequiarum novendialium Pontificis defuncti, Rm̃i DD. Cardinales ad aliam festivitatem et solemnem celebrationem assistant, nec quod in diebus solemnibus et valde festivis Missæ exequiales et luctuosæ celebrentur. Quod eo magis, ut supra dictum est, faciendum esse decreverunt, quia cum Rm̃i DD. Cardinales hoc decem dierum spatio multis gravissimisque negotiis et occupationibus addicti sint, quæ prætermittere non possunt, sed omnino expedire infra decem dies tenentur, ut postea libere ad eligendum novum Pontificem in Conclave ingredi valeant, si ad celebrandas solemnitates, in quibus multum temporis consumitur, et præcipue ad illas, quæ hebdomada sancta occurrunt, accederent, eis tempus non superesset expediendi cætera, quæ ante ingressum Conclavis expedire tenentur. Quare conclusum fuit, ut R. D. Sacrista in Dominica Palmarum benediceret in Cappella Palmas, quæ jam preparatæ erant (et sperabatur illas a Pontifice defuncto esse benedicendas et distribuendas), et postea illas distribueret Rm̃is DD. Cardinalibus non in Cappella, sed mittendo illas usque ad domum singulorum, deinde Prælatis et Officialibus solitis, omnibusque aliis, quibus in Cappella, vivente Pontifice, distribuuntur. Quæ omnia ad unguem a prædicto R. D. Sacrista observata fuerunt. Circa vero solemnitatem Paschatis resolutum fuit, ut in Dominica Resurrectionis celebraretur Missa de festo cum commemoratione de Spiritu Sancto, et postea Cardinales more solito ingrederentur Conclave, quia jam erunt elapsi decem dies post obitum Pontificis juxta formam litterarum Pii

Papæ IV. super reformatione Conclavis, quod decretum circa festum Paschatis mutatum fuit, ut infra suo loco dicam.

« Die Sabbati, 13. ejusdem mensis Aprilis Rm̃us D. Cardinalis Comensis celebravit in eodem sacello Canonicorum Basilicæ Sancti Petri secundam Missam exequiarum pro anima Pontificis defuncti, præsentibus Cardinalibus numero viginti octo, et in fine ipse solus celebrans absolvit, prout heri fecerat Rm̃us D. Cardinalis de Gambara aspergens et thurificans sepulchrum Sixti Papæ IV. super quod pallium magnum prout heri extensum fuit, sed hodie hinc inde a lateribus, me præmonente, addita fuerunt scamna perforata cum quinque funalibus accensis pro qualibet parte, licet ego decem pro qualibet parte ponenda esse dixissem.

« Finita Missa et absolutione, Rm̃i DD. Cardinales congregaverunt se in sacristia, ut heri, ubi intromissi fuerunt Gubernatores Burgi, et Urbis, et Dux Soræ Capitaneus Generalis, qui factis debitis reverentiis, cum sacro Collegio sermonem habuerunt super bona Urbis et totius Ecclesiæ ditionis regimine ac quiete. Auditus etiam fuit Orator Imperatoris, qui post debitas reverentias stans in apertura bancorum Cardinalium cum illis primum de morte Pontificis condoluit, tum eisdem nomine sui Principis obtulit auxilium et favorem etc. cui sicut et omnibus aliis Rm̃us D. Cardinalis Farnesius Sacri Collegii Decanus apte respondit, gratias agens Cæsareæ Majestati de pio ejus afficio et oblationibus factis Sacro Collegio etc. Postea intromissi fuerunt Urbis Conservatores, et cum ei tres viri nobiles deputati super provisione frumenti et annonæ pro usu et abundantia Urbis, de quo negocio cum Patribus sermonem habuerunt. Denique confirmatum fuit decretum heri factum, quod scilicet, crastina die, quæ erit Dominica Palmarum, non celebrentur exequiæ Pontificis, nec fiat Cappella ordinaria, sed Sacrista benedicat Palmas, illasque mittat ad singulos Cardinales, ut supra dictum est. Et si erit facienda Congregatio, fiat in domo Rm̃i D. Cardinalis Decani. Rm̃us D. Cardinalis Estensis hodie primum venit ad Congregationem, et juravit observare Bullas Julii Secundi et Pii Quarti, quas ego legi.

« Usque ad hanc diem corpus Pontificis defuncti in feretro positum in sacello Gregoriano insepultum remansit, circa quod quatuor funalia albæ ceræ continuo ardebant. Ibidem ad ejus pedes deosculandos tanta populi multitudo conveniebat, ut ob pressuram et summam hominum frequentiam nonnulli, ut ajunt, defecerint. Fuit deinde inclusum in capsa plumbea, et sepultum loco depositi apud portam dicti Sacelli, quæ est a parte sinistra.

« Die Dominica Palmarum decima quarta ejusdem mensis Aprilis executum fuit a R. D. Sacrista decretum supradictum circa celebrationem hujus festi, et nihil aliud actum est.

« Die decimaquinta ejusdem, feria secunda Reverendissimus Dominus Cardinalis Alexandrinus in supradicto sacello Canonicorum celebravit tertiam Missam exequiarum pro anima fel. rec. Gregorii Papæ XIII. cum paramentis nigris, præsentibus Cardinalibus numero viginti octo cum cappis violaceis ex camelotto, illis tantum, qui a prædicto functo Pontifice creati erant, exceptis, qui cappas violaceas ex lana, quam sajettam vocant, deferebant, prout semper fecerant durante Sede vacante. Dum cantabatur epistola fuit facta solita ceræ distributio. Non fuit positum pallium super sepulchro Sixti IV. quia jam castrum doloris in medio Ecclesiæ ante altare Sanctissimi Sacramenti fabricatum et erectum fuerat, licet admodum commune et sine multis luminibus, circa quod, finita Missa, quatuor ex Rm̃is DD. Cardinalibus una cum celebrante fecerunt solitas absolutiones. Hi fuere Rm̃i DD. Farnesius et Gambara Episcopi, de Aragona et Columna Presbyteri, singuli pluviali nigro et mitra simplici induti. Discedendo a Cappella et eundo versus dictum castrum doloris servatus fuit ordo descriptus in Ceremoniali, sed culpa nostra in hoc erratum fuit, quod duo Episcopi Cardinales, qui debebant ire in ultimo loco ante celebrantem, fuerunt primi. In reliquis omnia juxta dictum librum servata fuere, et Cardinales quatuor prædicti locaverunt se in quatuor angulis sub castro doloris, celebrans prout in dicto libro ad caput Lecti, et sic fecerunt singuli solitam absolutionem, prout in eodem libro.

« Dum autem hujusmodi absolutiones fiebant circa castrum doloris, candelæ et funalia non fuerunt in Cappella accensæ, prout debuissent, quia jam fere omnes eadem donaverant pro eleemosyna fratribus Cappucinis, quod finita absolutione faciendum erat, ut debito ritu absolutiones prædictæ honorarentur. Finitis absolutionibus redierunt Cardinales prædicti cum celebrante ad Cappellam, præcedente subdiacono cum cruce, et depositis pluvialibus acceptisque cappis, cum aliis Cardinalibus, qui ibi finem absolutionum expectaverunt, in sacristiam se contulerunt.

« In quo loco omnes viginti octo Cardinales, qui ad exequias præsentes fuerant congregati, inter alia elegerunt per fabas nigras et albas in bussola a singulis Cardinalibus positas, nonnullos ministros necessarios pro servitio Conclavis, videlicet Medicos, Physicum et Chirurgum, barbitonsores, fabros lignarios, et murarios. Decreverunt etiam, ut D. Paulus Alaleo Magister Ceremoniarum supranumerarius ingrederetur nobiscum Conclave, non obstantibus litteris

Pii Papæ IV. in quibus cavetur, quod duo tantum Magistri Ceremoniarum admittantur in conclave, quia Rmi DD. Cardinales judicarunt necessarium admittere etiam dictum D. Paulum tamquam Coadjutorem D. Ludovici ejus patrui jam senis, et ad sublevandos multos magnosque labores nostros hoc tempore Sedis vacantis. In eadem Congregatione Rmi DD. Cardinales de Sancta Cruce, Rambolicttus et Sfortia juraverunt observare litteras prædicti Pii Papæ IV. super Conclave, quæ a me lectæ fuerunt, quas ipsi adhuc non juraverant.

« Notandum autem est quod in hujusmodi Congregationibus nullus admittitur, præter Cardinales et nonnullos Sacri Collegii ministros, videlicet Secretarium Sacri Collegii, Computistam D. Mattheum Massam et nos Ceremoniarum Magistros; Secretarii vero munus est annotare omnia decreta, quæ in eisdem Congregationibus fiunt.

« Similiter notandum est, non esse solitum (ut aliqui ex senioribus Cardinalibus mihi dixerunt) ut Cardinalis, qui semel pro anima Pontificis defuncti celebravit, iterum eadem Sede vacante pro eodem celebret. Similiter non esse consuetum, ut Cardinalis, qui semel circa castrum doloris Pontificis defuncti absolvit, iterum idem munus exequatur, sed hujusmodi munia distribuenda esse inter alios Cardinales, qui non celebraverunt, seu non absolverunt, quod in hac Sede vacante etiam observatum fuit.

« Die decima sexta ejusdem, feria tertia majoris hebdomadæ Rmus D. Cardinalis Deza celebravit quartam Missam exequiarum pro anima fel. rec. Gregorii Papæ XIII. in eodem loco, præsentibus Cardinalibus viginti quatuor. Ceræ distributio fuit facta more solito. Et finita Missa, Cardinalis celebrans deposita planeta et accepto pluviali nigro, cum aliis quatuor Cardinalibus, videlicet Sans, Sanctæ Severinæ, Cæsio et Rusticuccio, pluvialibus nigris et mitris similiter paratis, processerunt ad castrum doloris solito ordine. Præcedebant enim duo Cappellani, unus cum aspersorio et aqua benedicta, alius cum thuribulo et navicula. Tum subdiaconus portans crucem inter duos Cappellanos Ceroferarios, et post eos Cardinales prædicti bini, idest juniores primum, deinde seniores, et ultimo loco celebrans cum diacono ad ejus sinistram, et post eum Cappellani, qui in Missa ministraverunt, cum cottis locaverunt se sub castro doloris apud lectum in quatuor angulis secundum solitum, et fecerunt singuli solitam absolutionem cum debitis ceremoniis, et demum eodem ordine redierunt ad Cappellam, quo perventi depositis mitris salutaverunt primum Crucem super altare positam, deinde Cardinales hinc inde, et ibidem ante altare deposuerunt pluvialia et acceperunt cappas, celebrans vero ante suum faldistorium.

« Deinde omnes Cardinales convenerunt in sacristia pro Congregatione, in quo totidem, quot in Missa interfuerunt, videlicet Farnesius, Gambara, Columna, Comensis, Alexandrinus, Sans, Sanctæ Severinæ, Caesius, Rusticuccius, Sancti Sixti, Simoncellus, Deza, Carafius, Sanctorum Quatuor, Cananus, Salviatus, Spinola, Sancti Stephani, Lancellottus, Medices, Vastavillanus, Gonzaga et Sfortia. Exclusi fuimus omnes, et Cardinales prædicti soli in Congregatione remanserunt; unde nihil certi possum affirmare de his, quae ibi nobis absentibus gesta fuerunt. Illud tamen scio, quod cum postea vocati intromissi fuerimus, nobis omnibus Ministris solitis in Congregationibus hujusmodi interesse juramentum dederunt de nihil revelando, et postea lecta fuerunt quaedam Capitula inter ipsos Cardinales stabilita, quae singuli supradicti Cardinales ibidem praesentes subscripserunt, et observare juraverunt, nobis Magistris Ceremoniarum tanquam publicis Notariis de juramento rogatis, praesentibus ibidem pro testibus adhibitis, vocatis atque rogatis DD. Silvio Antoniano Secretario, Mattheo Massa, et Josepho de Nigris Computista. Juraverunt etiam et subscripserunt eadem Capitula alii Cardinales absentes ab hac Congregatione, ut infra suo loco dicam, quae etiam post electionem in Conclavi juravit et subscripsit ipse Cardinalis electus in summum Pontificem, ut in sequenti volumine annotavi una cum tenore dictorum Capitulorum, quae ibi videri poterunt, cum reliquis, quae gesta fuerunt post ingressum Cardinalium in Conclavi.

« Die decima septima ejusdem mensis Aprilis, feria quarta in eodem sacello Canonicorum, Reverendissimus Dominus Cardinalis Cremonensis celebravit quintam et ultimam Missam exequiarum pro anima fel. rec. Gregorii XIII. Cum jam, ut supra dictum est, resolutum fuerit a Reverendissimis Dominis Cardinalibus, ut sicut in Dominica Palmarum, sic etiam feria quinta in cœna Domini, feria sexta in Parasceve, et Sabbato Sancto Missæ exequiali non celebrarentur, loco vero exequiarum eleemosynas pro anima Pontificis defuncti piis locis, et personis indigentibus elargiri jusserunt, fuit facta solita ceræ distributio, et interfuerunt Cardinales numero viginti sex; et alia omnia prout in praeteritis Missis exequialibus observata fuerunt. Quia vero hæc fuit ultima, in qua juxta solitum oratio in laudem Pontificis defuncti habenda erat, celebrans, finita Missa, deposuit planetam, et accepto pluviali nigro et mitra sedit in suo faldistorio, et circumsedentibus etiam omnibus aliis Cardinalibus et Prælatis in locis suis, R. P. Stephanus Tuccius Societatis Jesu sacerdos, cappa sine rochetto indutus, factis debitis reverentiis altari, celebranti et Cardinalibus, ascenso pul-

pito, quod a latere sinistro ingressus dicti Sacelli ad pedes sepulchri Sixti Papæ IV. locatum fuerat, in laudem Pontificis defuncti orationem habuit.

« Laudatione expleta, quæ attente ab omnibus audita fuit, non sine Oratoris laude, quatuor ex Reverendissimis Dñis Cardinalibus, videlicet Montaltus, Albanus, S. Sixti et Simoncellus, depositis cappis et acceptis ab unoquoque ipsorum amictu super rochettum, stola et pluviali nigro ac mitra simplici, una cum celebrante accesserunt ordine superius expresso ad castrum doloris, circa quod fecerunt solitas absolutiones, et illis expletis simile ordine redierunt ad Cappellam, ubi depositis mitris et salutata cruce Altaris et Cardinalibus deposuerunt paramenta praedicta, et acceptis iterum cappis iverunt cum aliis Cardinalibus in Sacristiam ad Congregationem. In qua auditus in primis fuit Orator Venetorum, qui ejusdem Reipublicæ nomine litteras ad Sacrum Senatum præsentavit, et quæ eidem commissa fuerant oretenus etiam exposuit, cui Reverendissimus Dñus Cardinalis Farnesius Decanus nomine totius Sacri Collegii respondit. Tum etiam Secretarium Ducis Urbini ab eodem Duce cum litteris missum ad Sacrum Collegium, quas præsentavit, audierunt, qui genuflexus, sui Principis mandatum exposuit, sic permanens, donec literæ prædictæ legerentur, et responsum a prædicto Reverendissimo Dño Cardinale Decano accepisset, quo accepto, surgens cum debitis reverentiis abiit. Demum in eadem Congregatione sorte divisæ fuerunt inter Cardinales cellulæ Conclavis, quarum singularum numerus in cartula complicatus ex quodam pileo, quod D. Paulus junior magister Ceremoniarum sustinebat, extractus per Rmum Dominum Cardinalem Sfortiam ultimum Diaconum, cui Cardinali cellula numero extracto signata contigisset, indicabat. Fuerunt posthac lecti per fabas nigras et albas a Reverendissimis Dominis Cardinalibus decem scopatures pro servitio Conclavis, et dimissa fuit Congregatio.

« Die decima octava ejusdem, feria quinta in Cœna Domini nec Missa cantata fuit, nec Congregatio facta, nec aliud actum, præterquam quod nonnulli ex Rmis Dominis Cardinalibus, qui non interfuerant in Congregatione facta sub die decima sexta hujus mensis, in qua ab aliis Cardinalibus jurata et subscripta fuerant Capitula inter ipsos firmata, ut ibi diximus, eadem Capitula in eorum domibus subscripserunt et juraverunt, nobis Magistris Ceremoniarum una cum Dominis Silvio Antoniano, Josepho De Nigris, et Mattheo Massa ad domos singulorum accedentibus, videlicet ante prandium accessimus ad domos Reverendissimorum Dominorum Cardinalium Sancti Georgii et Aragoni, post prandium vero ad domos Reverendissimorum Dominorum Cardinalium Albani, Altemps, Sirleti, Rambolietti et Ostiensis, qui singuli subscripserunt et observare juraverunt prædicta Capitula, Rambolietto dumtaxat excepto, qui juravit quidem, sed chiragra impeditus Capitula prædicta subscribere non potuit, præsentibus ubique suprascriptis Silvio, Josepho et Mattheo testibus vocatis et rogatis.

« Die decima nona ejusdem, feria sexta in Parasceve post prandium circa horam vigesimam fuit Congregatio Reverendissimorum Dominorum Cardinalium in Sacristia Sancti Petri, in qua interfuerunt Cardinales numero viginti octo; et dederunt in primis audientiam Oratori Regis Franciæ, qui paucis ante diebus, dum adhuc viveret Pontifex, residentiæ causæ venerat ad Urbem. Præsentavit Sacro Collegio litteras sui Regis et Reginæ, Gallico sermone conscriptas, quas legit Reverendissimus Dominus Cardinalis Contarellus natione Gallus, quibus lectis, ipse Orator stans capite cooperto exposuit Sacro Senatui sermone Gallico sui Regis mandatum, cui Reverendissimus Dominus Cardinalis Decanus apte respondit, stante semper ipso Oratore capite tecto, quod non fuit laudatum. Debebat enim saltem, dum Cardinalis Decanus loquebatur, stare capite detecto. Post cum introductus fuit Orator Ducis Parmæ, qui factis debitis reverentiis, similiter litteras sui Principis Sacro Collegio præsentavit, quæ dum legerentur, ipse Orator semper genuflexus permansit, et illis lectis surrexit, et stans capite detecto mandatum sui Principis Sacro Senatui exposuit; cui similiter Reverendissimus Dominus Cardinalis Decanus respondit, et tunc iterum ipse Orator genuflexit, et statim surrexit, et accepto responso, iterum facta genuflexione abiit. Decreverunt post hæc Reverendissimi Domini Cardinales, ut Dominica sequenti, quæ erit Pascha Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, cantetur in sacello prædicto Canonicorum Missa de ipso festo Paschatis absque aliqua commemoratione de Spiritu Sancto, et Cardinales veniant cum cappis violaceis, et finita Missa ingrediantur Conclave, quod decretum mutatum postea fuit, ut infra dicam.

« Die vero vigesima ejusdem, Sabbato Sancto nihil de solemnitate actum fuit, sed mane nos Magistri Ceremoniarum cum infrascriptis testibus accessimus ad domum Reverendissimi Domini Cardinalis Sabelli, Episcopi Portuensis, qui in lecto jacebat, et lectis per Dominum Silvium Antonianum Sacri Collegii Secretarium Capitulis supradictis, illa subscripsit et observare juravit, præsentibus ibidem Dominis Josepho De Nigris, Mattheo Massa et Paulo Alabone, tertio Ceremoniarum Magistro, testibus vocatis atque rogatis.

« Eadem die post prandium circa horam decimam nonam fuit Congregatio Reverendissimo-

rum Dominorum Cardinalium io loco solito, et Cardinales congregati fuerunt numero viginti septem, qui in primis dederunt audientiam Oratori Regis Catholici, qui Sacro Senatui litteras sui Regis præsentavit, et hortans Patres ad celerem novi Pontificis electionem, paocis verbis mandatum sibi impositum exposuit; cui Reverendissimus Dominus Cardinalis Decanus juxta solitum respondit. Post eum introductus fuit Orator Magni Ducis Etruriæ Prælatus in abitu Prothonotarii, quem ipse Magnus Dux Oratorem ad Pontificem defonctum destinaverat, qui facta solita genuflexione, surgens quædam paucis verbis nomine sui Principis Sacro Senatui exposuit, cui similiter Revibus Dominus Cardinalis Decanus respondit; ipse vero responso accepto, facta iterum genuflexione abiit. Post eum introductus fuit Illostrissimus Dominus Ferdinandus De Torres, qui litteras Proregis Neapolitani Sacro Collegin præsentavit, et accepto a Decano responso com debitis genuflexionibus, prout in adventu fecerat, abiit. Demum introducti et auditi fuerunt Conservatores Urbis et Regionum Capita cum nonnullis nobilibus civibus a Populo Romano depotatis, qui quoddam memoriale Sacro Senatui præsentarunt, et exposita per primum Conservatorem bona totius Populi Romani voluntate erga Sacrum Collegium, accepto responso a Reverendissimo Domino Decano cum debitis reverentiis et genuflexionibus abierunt. Post hæc Patres quædam alia ad Conclave spectantia decreverunt. Sed in primis post longam discussionem et opinionum varietatem, noo obstante decreto heri facto, quod revocatum fuit, resolverunt, ut die sequenti celebraretur Missa de Spiritu Sancto absque alia commemoratione Paschatis, et Cardinales venirent cum cappis violaceis, et finita Missa processionaliter more solito ingrederentur Conclave, prout executum fuit, ut in sequenti volumine cum reliquis, quæ ad hanc Sedem vacantem, et novi Pontificis electionem ac totom ejus Pontificatum, Deo dante, explicabimus.

MANTISSA

DOCUMENTORUM

MANTISSA DOCUMENTORUM

MDLXXIX.

I. — 1579. — §. 7.

AL RMO. ET ILLMO. MONSIG. ET SIG. MIO COLMO. MONSIG. IL CARDINALE DI COMO.

Monaco 5 Decembre 1579

Rmo et Illmo Monsig. mio Colmo.

Germania Vol. 22 fol. 298.

L'istesso giorno che ritornò il corriero con le sudette lettere (che fu il primo di Decembre), si cantò per il 3.mo (sic) dopo pranso nella Chiesa Collegiata di Santa Maria, ove era la sepoltura Ducale ornata di molti lumi, l'officio, et la mattina seguente la Messa de morti per l'anima del Duca Alberto santa memoria, et dopo quella un'altra della Madonna assonta, secondo l'antico costume del paese; intervenendoci il Signor Duca Guilhelmo et fratelli Ferdinando et Ernesto, col Cugino germano Philippo Marchese di Baden, il Signor Giovanni Prainer a nome della Maestà Cesarea, il Cardinale d'Austria da parte del padre, il Conte Giovanni di Ortenburg Ambasciatore dell'Arciduca Carlo, il Vescovo di Chiemse per l'Arcivescovo di Salzburg, li Vescovi Augustano et Eistadiense in persona, il Suffraganeo di Passavia per quel Vescovo indisposto, undeci Prelati ornati di sacre vesti, et altri cinquanta nei soliti habiti loro, il Landtgravio di Leichtemberg Giorgio Ludovico, una longa catena di Baroni et Nobili del paese, con gli Ambasciatori delle Città et Terre di tutta la Baviera, le Madame et Principesse con gran comitiva di gentildonne, et monache terzo habito di due Monasterii di San Francesco, che sono qui. A queste devote et molto bene ordinate cerimonie mi trovai ancor io presente da principio sin' alla fine, con le quali furono compiute le debite essequie et honori, che si dovevano al defunto Duca, la cui anima habbia eterna felicità.

Dopo questo il Signor Duca mi mandò a significare che li harrei fatto cosa grata a differir la mia audienza, sin che egli havesse espediti li sudetti Ambasciatori di Principi, mandati per condolersi con essolui della morte del padre: sopra chè mi contentai di aspettare, et hieri ricevuto ch'egli hebbe da quelli del Paese il consueto giuramento di fedeltà, fui a visitarlo, et nel discorso che feci con essolui, compresi chiaramente non essersi niente scemato, anzi tuttavia cresciuto il zelo et pietà verso la Chiesa Catholica, Santa Sede, et buoni costumi, che altre volte havevo da certissimi segni compreso et sperato. Egli non solamente pensa di mantenere tutto il Stato suo nella fede Catholica, et viver christiano, ma intende anco di riformare la Corte non tanto nelle persone di Chiesa, quanto anco seculari. Et perchè esso è molto scropoloso, si ha proposto di voler allegerire il Clero delle gravezze che per il passato ha havute. Onde alli articoli, che l'anno passato a nome di Nostro Signore havevo proposti al Padre fel. mem., ne riceverò da lui desiderata et conveniente risposta, et effetto. Et posso in conscienza dire di questo Principe che egli d'ogni parte spira virtù et bontà, et se il Signor Iddio, come spero et prego, li concederà longa vita, et le debite forze, ne haveremo sem-

pre aspettar bene, et persuaderci che in queste parti sarà una salda et ferma collonna alla Chiesa Santa, et avvanzarà anco di gran longa il Padre.

In questo longo discorso che meco ha fatto, m'ha anco riferito che quelli della Baviera inferiore li havevano sotto mano fatto ricercare l'uso della Communione sub utraque, et poi havendo sentito la risposta, ch'egli non consentirebbe mai, supplicato, ch'al manco non solamente li desse licenza di poter mandar alcuni Ambasciatori a Roma a questo effetto, ma anco si degnasse aggiungerne uno a nome suo: sopra che domandando esso Signor Duca il mio parere per modo di consulta, li risposi, che poteva concederli la licenza di mandar a Roma, ma non già accompagnarli con qualche suo; anzi più tosto avertirne Nostro Signore, affinchè se li dia la negativa, et così credo si farà.

Il Signor Duca morto pia memoria ottenne, mentre vivesse, da Monsig. Illmo Legato Morono la facoltà di poter tener nella sua libreria ogni sorte di libri prohibiti, per l'occorrenze di poter farli scriver contra, et altre; et benchè detto Illmo Cardinale si fusse affaticato di far porre detti libri in qualche altro luoco segregato, nientedimeno il detto Duca hebbe desiderio che si lasciassero nella libraria. Hora il Signor Duca Guilhelmo m'ha pregato per l'istessa gratia, non già per uso suo, ma più tosto per la causa di sopra allegata di poter far scrivere contra quelli, et per altri simili bisogni, che alla giornata corrono. In che ho promesso di darli la licenza, sinchè ne sia avvisato Nostro Signore, con questo che detti libri siano levati fuori della libraria, et chiusi in una stanza separata sotto due chiavi, delle quali l'una salvi esso Signor Duca, et l'altra un fidato Theologo; nè si lascino intrare a leggerli, salvo quelli ch'hanno la facoltà dalla Santa Sede di poter legger simili libri: di che il Signor Duca si è molto contentato, et subito farà farne la debita essecutione. Quando se ne sarà fatta la patente, ne mandarò copia a V. S. Illma: et perchè al presente non si trova haver stanza che sia al proposito, ne farà accommodare una, et mentre ha già cominciato a far chiuder detti libri in alcune casse.

